sc.19.pl.3.

37
37 G
14

R. P. IOANNIS
DE LVGO
HISPALENSIS,
E SOCIETATE IESV,
IN COLLEGIO ROMANO
eiuſdem Societ. olim Theologiæ Profeſſoris,
nunc S. R. E. Cardinalis,

DISPVTATIONES SCHOLASTICÆ, ET MORALES,

De { *Sacramentis in genere,*
Venerabili Euchariſtiæ Sacramento,
Sacro-ſancto Miſſæ Sacrificio. }

EDITIO NOVISSIMA.



LVGDVNI,
Sumpt. LAVR. ARNAVD, ET PETRI BORDE.

M. DC. LXX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

EMINENT.MO PRINCIPI
FRANCISCO BARBERINO,
S. R. E. CARDINALI,
AC VICECANCELLARIO.

PRÆCOCEM hunc, & immaturum ingenij fructum, ſturientem iam pridem ad te, cui multis nominibus debebatur, cohibere ampliùs nec potui, nec debui, PRINCEPS EMINENTISSIME; ſed lætari magis, quod liceret aliquando publico iſto, vel monumento, vel pignore, palam facere & affectum æſtuantis animi, & debitum ſeruitutis. Dinocrates olim nobilis Architectus, cùm aditum ad Alexandrum per familiares impetrare minimè poſſet; arte, induſtriáque vſus dicitur: nactus enim opportunitatem, quo die Alexander iuri dicendo præſidebat, nudatis membris, oleóque peruncto corpore, ac populea fronde coronato capite, læuo humero leonis pelle amicto, dextra clauam geſtans, ad tribunal prodit. Quo aſpectu, ac nouitate commotus Alexander, qui eiuſmodi ſpectaculis mirum in modum delectaretur; iuſſit eum ad ſe accedere, & hominis aſtu comperto, probatóque conſilio, facilè, gratantérque ad colloquium, & familiaritatem excepit. Placuit Deo ſic tuum etiam conformare animum, CARDINALIS AMPLISSIME, vt hoc ſpectaculorum genere, hoc eſt, doctorum hominum ſcriptis, ac libris maximè delectareris: vnde & ij, quos iſtius dignitas amplitudinis, ac debitum reuerentiæ à congreſſu libero arcet; ſcriptoris certè ſuſcepta perſona, aditum aliquando haberemus ad obſequentis, ac deuoti erga te animi affectum exprimendum. Porro, quantum ad hæc ſcriptorum, librorúmque ſpectacula afficiaris; teſtatur ſplendidè locupletiſſima illa, tuâque magnificentiâ digniſſima Bibliotheca, quam propriis in ædibus,

bus, regio ſumptu, quaſi arcem muniſſimam, congeſtis vndique lin-
guarum omnium libris, manuſcriptis etiam exquiſitis innumeris, nulla
expenſarum ratione habita, ad miraculum, & ad vtilitatem certe
Vrbis & Orbis collegiſti. Libet vſurpare Socratis ad Euthydemum
Xenophō lib. 4. memorab. c. verba apud Xenophontem: *Multa eorum ſcripta collegiſti, qui verè ſa-
pientes fuiſſe dicuntur. Suſpicio te, quod nec auri, nec argenti theſauros tibi
comparare malueris, quàm ſapientiæ: etenim ex hoc patet, quòd exiſtimes,
aurum, & argentum homines nihilo meliores efficere, ſed ſapientum iudi-
cia, & ſententias virtutem illis largiri.* Oſtendiſti te ipſa, qualis eſſet
theſaurus tuus palam faciens, vbi eſſet & cor tuum. Nec aliud quic-
quam amare poteras in qualibet fortunæ commutatione niſi vnam ſa-
pientiam, cui à primis te annis ardentiſſimo animi affectu totum tra-
didiſti: cùm primo illo, vel pueritiæ, vel adoleſcentiæ flore, Humanis
primùm literis, Philoſophicis deinde, & Theologicis in Romano no-
ſtro Collegio (liceat hanc eius grato animo gloriam commemorare)
diligenter imbutus; ita poſtea vtriuſque Iuris Prudentiæ nauaſti ope-
ram, vt Sacrarum tamen literarum ſtudium nunquam intermitteres.
Quo fit, vt in maxima illa negotiorum mole, quibus aſſiduè diſtringe-
ris, eam arbitreris honeſtiſſimam eſſe laboris quietem, occupationum
portum, & moleſtiarum tranquillitatem, ſi ex Sacris literis, vel Docto-
ribus, quicquam tibi, neceſſario etiam illud ſomno ſubtrahenti, vel
legere, vel audire concedatur. Debes certè totum iſtum, quantus is eſt,
grati animi affectum, ſapientiæ; quæ in te vno comprobauit apertè,
5. Tuſcul. quam meritò apud M. Tullium, *vitæ dux, virtutis indagatrix, expultrix-*
c. 2. lib. 1. aduerſus Gentes. *que vitiorum* appelletur: quámque verè apud Arnobium eidem doctri-
næ tribuatur, *purgare animas, atque ab omni puras vitioſitate præſtare.*
A quo enim alio fonte profluxiſſe exiſtimem incontaminatam illam
per omnes vitæ ſtatus, animi innocentiam, mentis candorem, & quæ
bona cætera ſecum affert, Chriſtianam pietatem, quæ vel in ipſis etiam
2. Muſicæ c. vlt. animi laxamentis ſeſe mirificè prodit? Cùm enim, teſte Auguſtino, ſa-
pientem deceat interdum remittere aciem rebus agendis intentam:
lib. 1. Offic. c. 20. qua occaſione verebatur Ambroſius, *ne dum relaxare animum volumus,
ſoluamus omnem harmoniam, quaſi concentum quendam bonorum operum:*
feciſti, quod rarum eſt, & omnem prorſus laudem excedit, vt ſi quan-
do ſpectacula amicis relaxandi cauſa animi cogeris exhibere; non ſo-
lib. 1. Offic. lum, quod optabat Tullius, *in ipſo ioco aliquod probi ingenij lumen elu-
ceat; ludúſque tempore, ac homine dignus ſit.* Sed ita ſit Chriſtiano, ac re-
ligioſo dignus homine, vt ab ipſo ioco, & ludo inſolitus ad pietatem
ardor in ſpectatorum animis accendatur; Sanctorum illa veterum hi-
laritate renouata, qua *erat populus iucundus ſecundùm faciem Sanctorum.*
Iudith. 16. Vt mirari iam deſinam, quod pietas illa in ſeriis tale, ac tantum deſi-
derium tui apud exteras prouincias excitarit in Legationibus, quibus
pro

pro Chriſtianæ ſalute Reipublicæ functus es, quam nos domi etiam in ludicris cum admiratione colimus. Quid tamen aliud didiciſſe poteras in domeſtica ſchola Pontificis Optimi, qui tibi lingua, calamo, & (quod potentiſſimum eſt) exemplo præibat, & ad hoc vnum ſemper inſtituebat, non *vt Muſas*, ex Græcorum prouerbio, *Gratiis coniungeres*, ſed vt eas cum viuius Summi Dei gratia, & ſanctitate conſociares. Quam certè mentem, & imaginem animi ſui, neſcio, an ille diligentiùs in te impreſſerit; an tu in temetipſo expreſſeris feliciùs: felix, hoc ipſo, quod contra Poëtæ veteris ſcitum, *cum ſaperes Patruum*, Perſ.Sat.1. tunc verè tu, & ſine periculo ſapiebas. Sed redeo ad te qui ab hoc ipſo doctrinæ fonte miraculum illud effeciſti, quod inſolitum dixit Liuius, bonam fortunam, bonámque mentem homini ſimul dari. lib.30. Fortuna enim, quæ, vt dixit Cicero, non ipſa ſolum cœca eſt, ſed & de Amic. eos plerumque cœcos efficit, quos complectitur; frequenter id facit, vt quod olim de Galba dictum fuerat, dignum fuiſſe qui imperaret, niſi imperaſſet: hoc ipſum vſurpemus, non raro de aliis; mutata ſimul in peius vitæ innocentia, quanto in melius fuerat commutata fortuna. Cuius rei mirandum non minùs quam miſerandum exemplum cum tremore obſeruauit Magnus Gregorius in peſſimis filiis ſanctiſſimi viri, & Pontificis Maximi Samuelis, qui parente ad Summum Pontificatus, & imperij apicem euecto, ruerunt in peius; & quidem *ſteterunt* in 1.Reg. *ſubditi, ſed in culmine prælationis poſiti ceciderunt*. Superaſti vnus hanc cap.8. fortunæ ſuperbientis inſolentiam, in quo nihil comitas ſeueritati, nihil grauitati bonitas, nihil humanitas maieſtati detraxit: in quo *nec* Plin. in *quicquam mutauit fortunæ amplitudo*, (quod ille de Veſpaſiano Prin- pan. cipe olim dixit) *niſi vt prodeſſe tantumdem poſſes vt velles*. Et ecce aliud in te eiuſdem Sapientiæ, & Doctrinæ non vulgare beneficium: habet enim hoc ſibi peculiare ſapientiæ bene cultæ doctrina; vt, ex Teletis ex Telete ſententia, liberalitatem Sapientis animo intimè inſtillet. Sed, quam, apud Stobæum DEVS bone, quamtámque liberalitatem! Vereor, ne vitioſa cenſea- ſerm.95. tur à Tullio, qui vult, *ne maior ſit benignitas, quàm facultas*; dum in- 1. de Offic. c.4. terea tu in vſus pauperum, & piorum hominum neceſſitates copioſis redditibus ad vnum exhauſtis, cogeris propemodum ipſe fieri pauper, patique creditores, ne inopes patiantur. Hoc vnum ſcio, ſupremam laudem habituram liberalitatem iſtam tuam apud Ambroſium, qui eam ſolam liberalitatem perfectam eſſe dicit, *quam laudant os pauperis,* Suet.lib 3. *& non labia ſubuenientis: vbi ſilentio tegit opus ſuum, & neceſſitatibus* cap.47. *ſingulorum occultè ſubuenit*. Quam enim longè abes ab ambitioſa illa Tiberij liberalitatis ſpecie; qui, cùm quibuſdam inſularum pretia, quæ in monte Cælio deflagrarant, reſtituiſſet in beneficij memoriam, montem ipſum, appellatione mutata, *Auguſtum* vocari iubebat. Imitari magis voluiſti ſtellas, quæ lucent hoc tantum, vt luceant, & beneficæ ſunt ſine aliqua humana affectione, aut aſpectu: vt appareat, de tuis illis

gentilitiis Apibus veriſſimè dictum fuiſſe: *Sic vos, non vobis, mellificatis Apes.* Dabis igitur hanc veniam, vt in numeroſa illa egentium turba, quos tua benignitas perpetuò fouet, & protegit, numerari poſſit liber hic meus, & ipſe pauper; eúmque tu quaſi expoſitam prolem, benignè ſuſcipias: vt ſicut illæ ipſæ Apes in ænigmate olim, & figura Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum adumbrante, fecerunt vt *de comedente exiret cibus, & de forti egrederetur dulcedo*: ſic & nunc idem Myſterium, cui explicando volumen hoc maiori ſui parte deſeruit, ſapere faciant, quantum ab ore non Leonis, ſed Tractatoris inſulſi fortaſſe deſipuerit. Legimus Diuinam, hoc eſt, Sacram & Theologicam Sapientiam apud Salomonem, conſtructa domo, & appoſita menſa, (quã Euchariſticam interpretatur Eccleſia) miſiſſe protinus *ad arcem, ad mœnia ciuitatis*, qui inuitarent ad epulas, intelligendas magis, quàm ſumendas, prout in Sapientiæ domo fieri dicebat. Quo in loco alij legunt: *Et vocauit ſuper humeros Excelſorum ciuitatis.* Hæc ſunt partes tuæ, PRINCEPS EMINENTISSIME, vt humerus iſte tuus, cui Deus Opt. Max. poſt Sanctiſſimum tuum Patruum, Eccleſiæ molem ſuſtinendam, & moderandam impoſuit, quò cæteris eminet ſublimiùs, eò ſit aptior, à quo, quaſi ab arce, & colle eminentiſſimo, Diuina Sapientia ſacram hanc menſam explicandam, & intelligendam proponat. Supereſt, vt qua Societatem noſtram vniuerſam, me ipſum meáque omnia, benignitate complecti ſoles, auctoritate tueri; patiaris, volumen hoc, cætera incomptum, & obſcurum, à tui nominis ſplendore lucem accipere: quod ego velut lapillum in aceruo præconiorum tuorum poſui confidentiùs, ſciens, quòd ſicut non habet, vnde tibi placeat ex venuſtate; ſic ex deuotione ſcribentis diſplicere non poterit. Vale.

Iudic. 14.

Prouerb. 9.

in Offic. corp. Christi.

Ex Collegio Romano, 1. Martij, anno 1635.

EMINENTIÆ TVÆ REVERENDISSIMÆ,

Perpetuus in Chriſto ſeruus,

IOANNES DE LVGO.

LECTO

Lectori Beneuolo.

TAMETSI nec ignarum arbitror, nec immemorem conſilij mei ex iis, quæ in priori volumine præfatus ſum, LECTOR AMICE; *paucis tamen hic non abs re monendus mihi eris. Liberataurus venio ex parte fidem, quam obſtrinxeram. Cogitaueram complecti volumine vno quæ cùm ad Sacramenta in genere, tum ad Euchariſtiam, & Pœnitentiam ſpectabant: mutanda mihi ſententia fuit, & tractatio tota* de Pœnitentia *in tomum tertium reiiciendo, tum ne mole ipſa plus iuſto excreſcente, pretio ſimul, & pondere grauior fortaſſe liber euaderes: tum quia feſtinandum amici eo mihi nomine ſuaſerunt, quod ex ſcriptis meis non pauca Scriptores aliqui, Auctore nullo indicato, præproperam in lucem proferunt. Quam tamen minimè ego iniuriam, ſed gratiam interpretor non vulgarem: parum enim intereſt, an me ab ipſis probari videam, an mea. Caterùm quia Gratias tres apud Veteres habitas memini in veneratione, Gratiam adhuc duplicem ab iis Scriptoribus poſt priorem illam enixè contendo. Alteram, vt ſi quid fortè ipſi ex manuſcriptis noſtris pro ſua benignitate arriſeris; non dedignentur Auctorem, tuesto ſaltem (ſi ita lubet) nomine prodere: ne fortè quando eadem poſtea vulgantur à nobis, egomet voluiſſe videar mihi adſcribere conceptum, & prolem alienã meatis, diſſimulato veri nomine Genitoris: hac quippe ſimilitudine vtitur Baſilius,* Diſcendum eſt (*inquit*) citra pudorem, & docendum citra inuidiam. Et, ſi quid ab altero edocti ſumus, id ipſum occultandum non eſt. Velut improbæ mulieres ſpurios partus ſubiiciunt. Sed dicti Parens cum gratitudine producetur. [Epiſt. quæ eſt inter epiſt. Libanij.] *Nosti, quàm ſit ingenuo viro dignum, ſi abſque mendacio Platonicum illud vſurpare poſſit:* Neque apud Auditores vnquam vendico mihi aliorum inuenta, ſed docentem laudibus ſemper extollo, illique apud omnes quæ ſua ſunt, tribuo. [Plato in Hippia minori.] *Tertiam denique rogo Gratiam huic non abſimilem. Si quid eiſdem in ſcriptis ipſis non placet; (diſplicebunt quippe multa) refellant vtique, ſed amicè, ſed ſine probris, ſine conuitiis, ſine indignatione: quorſum enim hæc, niſi vt ex Bernardi ſententia,* corroſores eſſe conuincamur, non correctores, quia mordere, quàm emendare maluimus? *Non adeo ſum ingenio indocili, vt egeam his fuſtibus, & plagis ad mutandam mentem in melius. Facile credam erraſſe me, ſi error mihi argumenti magis luce, quàm cruce, & verberibus proponatur. Volo, vt ex Ambroſij lege* diſceptatio ſine ira, ſuauitas ſine amaritudine ſit, monitio ſine aſperitate. [Epiſt.8. lib.1. Offic.c.22.] *Si impetrauero, gratiam illis debebo: ſi minas par pari non referam, nec extorquebunt vnquam, vt reſpondeam idiomate iſto, quod à Patribus non didici, nec priſcis Theologis;* & nos (*vt Apoſtolus monet*) talẽ conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei: *multo minùs Theologica palæſtra, hoc eſt, Schola totius Charitatis, & modeſtia. Damus itaque nunc tibi Tractatum* de Sacramentis in genere; de Sacroſancta Euchariſtia, & Miſſæ Sacrificio; [1.Cor.11.] *poſtmodum daturi integrum tractatum* de pœnitentiæ virtute, ac Sacramento, *quem præ manibus iam habemus. In vtroque reliquimus magna ex parte, quæ ad controuerſias cum hæreticis ſpectabant; quæ quidem Scholaſticis Profeſſoribus iam diu abripuerunt ſibi; qui eiuſmodi controuerſias ex profeſſo tractare conſueuerunt. Morales quæſtiones non ita facilè dimittendas putaui: tum quia hoc ſæculo magis ſapiunt lectoribus, quæ ad mores pertinent: tum quia ad Scholaſticum planè Theologum ſpectat aperire fontes, & trutinare pondera rationum, ex quibus Moralis doctrina cohærenter, ac ſuis magis, quàm alienis librata ponderibus deducatur. Quæ ad reliqua Sacramenta pertinent, videntur omnino eſſe extra Scholaſticos terminos: ſi quid tamen in illis controuerſum eſt, quod Scholaſtico examine indigeat, in his ipſis tractatibus non deſiderabitur. Vale: &, ſi quid boni inueneris, fruere feliciter: ſi peccatum in multis, corrige humaniter.*

Mutius Vitelleſcus, Societatis IESV *Præpoſitus Generalis.*

CVm Tomum de Sacramentis in genere, de Sacramento Euchariſtiæ, & de Miſſæ Sacrificio P. IOANNIS DE LVGO, noſtræ Societatis, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, dedimus Romæ, 12. Iulij 1635.

MVTIVS VITELLESCVS.

Imprimatur ſi videbitur R. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſt. A. Torniellus *Viceſgerens.*

Imprimatur, adhibita Approbatione alicuius ex Patribus Societatis tanquam videntis nomine meo.

Imprimatur P. Nicolaus Riccardius *Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.*

Approbatio R.P. Joannis de Aluarado è Societate Ieſu, in Collegio Romano Studiorum Præfecti.

HOS Commentarios in 3.p. S.Thomæ de Sacramentis in genere, & Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, ac Miſſæ Sacrificio, à R P. IOANNE DE LVGO Soc. IESV, in Rom. Collegio Sacræ Theologiæ Profeſſore elucubratos, iuſſu Reuerendiſſimi P Nicolai Riccardij Magiſtri S.Palatij, vidi, neque in eis quicquam cum ſacra doctrina, ac bona Philoſophia non maxime congruens deprehendi; ſed potius idem quod in cenſura Tomi de Incarnatione Diuini Verbi ab eodem Auctore editi notaui; Opus ſanè non ex aliorum laboribus coacervatum, ſed proprio ſtudio, atque ingenio partum: in quo ita ea quæ ad Metaphyſicas, & Scholaſticas ſpeculationes pertinent, cum iis, quæ ad morum doctrinam ſpectant, comprehendit, vt ſicut in illis reliquos, ita in iis ſeipſum mihi ſuperare videatur: diligentiſſimè namque, & acerrimo ſtudio Auctorum ſententiis examinatis & Scripturæ ſacræ vtriuſque Iuris, ac Moralis Philoſophiæ monimentis, perpenſis, ſolida ſtabilitate, maturo iudicio, ac prudentia, plurima ad morum doctrinam vtiliſſima, ac maximè neceſſaria colligit. Quapropter dignos cenſui, vt in lucem cum bono publico prodirent. In eodem Collegio Romano, 13. Auguſti 1635.

Ita iudico ego IOANNES ALVARADO *eiuſdem Collegij Romani Præfectus Studiorum.*

HÆc Commentaria R P. IOANNIS DE LVGO de Sacramentis in genere, de venerabili Euchariſtiæ Sacramento, de Miſſæ Sacrificio, ad omnium magnam vtilitatem in lucem exeant. Actum Lugduni, die 12. Aprilis 1636.

Fr. STEPHANVS MALIN *Carmelita.*
Fr. IOANNES CVISSOT *Carmelita.*

IOannes Claudius De Ville, in ſacra Theologia Magiſter, & Cuſtos Sanctæ Crucis in hac Lugdunenſi Diœceſi in librorum cenſuram incumbere iuſſus, fidem facimus nos *hæc Commentaria R. P. Ioannis de Lugo è Societate* IESV, *de Sacramentis in genere, de Venerabili Euchariſtiæ Sacramento, & de Miſſa Sacrificio*, euoluiſſe, omniáque in eis ſanctæ, Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ fidei ſacris documentis conformia comperiſſe. Lugduni, Idib. April. 1636.

DE-VILLE.

Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICVS XIV. Dei gratiâ Galliarum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari Priuilegio ſanxit, ne quis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines, intra decem annos à die finitæ impreſſionis comprtandos, imprimat, ſeu typis excudendum curet, & vænalem habeat librum, qui inſcribitur, *Ioannis Cardinalis* DE LVGO, *de Sacramentis in genere, &c.* præter PHILIPPVM BORDE, Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibuit inſuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti PHILIPPI BORDE. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliíſque pœnis contra delinquentes expreſſis, vti latiùs patet in litteris datis Pariſiis die 6. Februarij 1668.

Ex mandato Regis

Signatum, DENIS.

Peracta hæc noua editio 10. *Octobris* 1670.

INDEX

INDEX
Diſputationum, & Sectionum.

Tractatus de Sacramentis in genere.

DISPVTATIO I.

De eſſentia, & definitione Sacramenti in communi.

Sect. 1. Variæ Theologorum ſententiæ circa definitionem communem Sacramenti. p. 2
2. Explicatur noſtra ſententia circa eſſentiam Sacramenti. 2
3. Infertur ex dictis deciſio plurium quæſtionum. 6

DISPVTATIO II.

De materia, & forma Sacramentorum.

Sect. 1. Vtrum Sacramenta nouæ legis conſtent rebus, & verbis. p. 11
2. Vtrum res, & verba in Sacramentis habeant ſe per modum materiæ, & formæ. 17
3. Vtrum Sacramenta includant intrinſecè, & in recto materiam, & formam. 20
4. Vtrum in Sacramentis nouæ legis requirantur verba conſecratoria, an vero concionatoria. 24
5. Vtrum requirantur materia, & forma determinatæ ex inſtitutione Chriſti. 25
6. Quæ mutatio materiæ, & formæ noceat valori Sacramenti. 30
7. Vtrum intentio miniſtri intret ad componendum intrinſece Sacramentum. 34
8. Quid ſit in Sacramentis Res tantum, & Sacramentum tantum; & Res, & Sacramentum. 37

DISPVTATIO III.

De neceſſitate Sacramentorum.

Sect. 1. Vtrum in ſtatu innocentiæ debuerint eſſe Sacramenta. 42
2. Vtrum in lege naturæ, & ſcriptâ fuerint Sacramenta. 45
3. Vtrum in lege noua fuerint neceſſaria Sacramẽta. 53

DISPVTATIO IV.

De principali effectu Sacramentorum nouæ legis qui eſt gratia.

Sect. 1. Præmittitur, quid ſit dare gratiam ex opere operato. 54
2. Statuitur contra hæreticos, Sacramenta nouæ legis conferre gratiam. 55
3. Qualis gratia conferatur per Sacramenta nouæ legis. 57
4. Vtrum Sacramenta nouæ legis cauſent phyſicè, vel moraliter gratiam. 60
5. Referuntur, & diſſoluuntur argumenta contrariæ ſententiæ. 63
6. Vtrum Sacramenta conferant gratiam in tempore, vel inſtanti, quo perficiuntur. 72

DISPVTATIO V.

De inefficacia veterum Sacramentorum ad conferendam gratiam.

Sect. 1. Sententia affirmans gratiam collatam per Sacramenta antiqua, & eius fundamenta. 80
2. Sententia negans, Circumciſionem contuliſſe gratiam, & eius fundamenta. 81
3. Reſolutio quæſtionis. 85
4. Infertur reſolutio aliquorum dubiorum. 89

DISPVTATIO VI.

De charactere, qui eſt effectus Sacramentalis.

Sect. 1. An, & ex quibus Sacramentis maneat character. 93
2. Quid ſit Character Sacramentalis. 96
3. Ad quam ſpeciem qualitatis pertineat Character, & quam ſupernaturalitatem habeat. 98
4. In quo ſubiecto ſit character, & de aliis eius proprietatibus. 102

DISPVTATIO VII.

De cauſa inſtituente Sacramenta.

Sect. 1. Vtrum de facto Chriſtus immediate inſtituerit Sacramenta legis nouæ. 105
2. An potuerit homini, vel Angelo communicari poteſtas inſtituendi Sacramenta. 108

DISPVTATIO VIII.

De miniſtro Sacramentorum.

Sect. 1. Supponuntur aliqua faciliora de miniſtro Sacramenti. 113
2. De intentione requiſita in miniſtro ad valorem Sacramenti. 115
3. Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedentem. 119
4. De mente S. Thomæ circa neceſſitatem intentionis. 123
5. Qualis debeat eſſe intentio virtualis ad valorem Sacramenti. 125

6. De

6. De intentione habituali, & voluntate indirecta, an ſufficiant ad valorem Sacramenti. 118
7. An intentio miniſtri debeat eſſe circa materiam determinatam. 132
8. Quid dicendum ſit, quando fuerunt duæ intentiones contrariæ, quæ illarum præualere debeat. 134
9. De obligationibus miniſtri Sacramentorum. 137
10. De obligatione miniſtri non miniſtrandi Sacramentum indigno, vbi peculiariter de peccatore occulto in publico petente. 141
11. Obiectiones contra ſuperiorem doctrinam, & alia dubia circa idem Sacramentum Eucharistiæ. 144
12. Quid circa hoc dicendum ſit de aliis Sacramentis 147.
13. Vtrũ in Sacramento Matrimonij ſit eadem obligatio Parochi non miniſtrandi illud indigno. 149
14. Vtrũ Coniux ipſe, quatenus miniſter Sacramenti, peccet mortaliter contrahens matrimonium cum peccatore. Vbi, an & hoc etiam capite peccet grauiter Catholicus ducens vxorem hæreticam. 152

DISPVTATIO IX.

De ſuſcipiente Sacramentum.

Sect. 1. De diſpoſitione requiſita in eo, qui ſuſcipit Sacramentum. 154
2. Vtrum cum æquali diſpoſitione æqualem gratiam ſemper adulti ſuſcipiant ex vſo Sacramentorum. 155
3. Vtrum qui ſuſcipit Sacramentum indigne, poſtea ablato obice, conſequatur gratiam Sacramentalem vbi id imprimis probatur de Baptiſmo. 185
4. Qualis diſpoſitio requiratur ad tollendum obicem baptiſmo indigne ſuſcepto. 163
5. Reſoluuntur alia dubia circa eamdem materiam. 166
6. An alia Sacramenta ficte ſuſcepta cauſent gratiam ablato obice. 172
7. Quæ, & qualis intentio requiratur in ſuſcipiente Sacramenta. 174

TRACTATVS

De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.

DISPVTATIO I.

An, & quid ſit Sacramentum Euchariſtia.

Sect. 1. Vtrum Euchariſtia ſit Sacramentum ab aliis diuerſum? 179
2. An hoc Sacramentum componatur intrinſecè ex ſpeciebus, & Corpore & Sanguine Chriſti. 181
3. Vtrum Euchariſtia importet in recto Corpus & Sanguinem Chriſti; an vero ſpecies Sacramentales? 183
4. An verba conſecrationis componant intrinſecè ſacramentum Euchariſtiæ? 186
5. Afferuntur alia argumenta & ſolutiones Recentiorum contra doctrinam præcedentem. 189
6. Vtrum actio tranſubſtantiatiua pertineat intrinſece ad hoc Sacramentum? 195
7. Vtrum vſus ſeu ſumptio Euchariſtiæ pertineat intrinſece ad hoc Sacramentum? 196

DISPVTATIO II.

Quotuplex ſit ſacramentum Euchariſtia.

Sect. 1. Vtrum Euchariſtia ſit vnum Sacramentum in ſpecie atoma? 199
2. Vtrum, multiplicatis ſpeciebus Sacramentalibus, multiplicetur numero ſacramentũ Euchariſtiæ. 101
3. Vnde ſumenda ſit pluralitas huius Sacramenti in ſententia, quæ dicit, ſpecies etiam in recto ſignificari. 202

DISPVTATIO III.

De neceſſitate Euchariſtia.

Sect. 1. Præmittitur, quid ſit neceſſitas medij, quid præcepti. 205
2. Vtrum Euchariſtia ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij. 210

DISPVTATIO IV.

De materia remota Euchariſtia.

Sect. 1. Quæ ſit materia Euchariſtiæ. 213
2. An vinum prærequiratur ad Euchariſtiam mixtum cum aqua? 215
Vtrum aqua vino admixta conuertatur immediate in Sanguinem Chriſti. 218
4. Argumenta contra noſtram ſententiam; & eorum ſolutiones. 222
5. Dubium incidens, an gutta aquæ in calicem miſſa poſt inchoata verba conſecrationis conuerteretur in ſanguinem Chriſti. 224
6. Vtrum materia conſecranda habeat terminum maximum vel minimum? 227
7. Vtrum materia conſecrabilis debeat eſſe præſens & determinata? 232

DISPVTATIO V.

De præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

Sect. 1. Poſſe duo corpora eſſe in eodem loco, & idem corpus diuinitus ſimul in duplici loco. 235
2. Vtrum corpus exiſtens in duplici loco debeat habere vtrobique eadem accidentia, & eaſdem mutationes? 239
3. Vtrum accidentia, quæ dependent ab hoc loco, debeant vel poſſint replicari, replicato ſuo ſubiecto? 243
4. Præmittuntur aliqua communia de loco, & præſentia locali. 246
5. Obiectiones aliquæ contra ſupradicta. 251
6. Quid ſit ſpatium imaginarium, in ordine ad quod explicatur eſſentia præſentiæ localis. 256
7. Infertur ex dictis, qualis ſit præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia. 257
8. Vtrum præſentia Sacramentalis Chriſti pendeat à præſentia naturali? 263

DISPVTATIO VI.

De vnione Corporis & Sanguinis Chriſti cum ſpeciebus.

Sect. 1. De vnione Corporis & Sanguinis Chriſti, variæ ſententiæ. 265

2. Expli

2. Explicatur vnio Corporis & Sanguinis Christi cum ſpeciebus Sacramentalibus. 268
3. Quæ denominationes tribuantur Corpori Christi ratione ſpecierum? vbi, vtrum Corpus Christi in Euchariſtia dicatur eſſe in loco? 272

DISPVTATIO VII.

De conuerſione panis & vini in corpus & ſanguinem Christi.

SECT. 1. Quæ requirantur, vt vnum in aliud conuertatur. 274
2. Refertur prima ſententia de natura huius conuerſionis. 276
3. Impugnatur ſententia & reſponſio Ægidij de Coninck de neceſſitate nouæ actionis productiuæ Corporis Christi. 280
4. Examinantur ſolutiones Recentiorum ad defendendam productionem nouam corporis Christi. 284
5. Referuntur & impugnantur aliæ duæ ſententiæ. 286.
6. Proponitur & explicatur noſtra ſententia. 288
7. Explicantur iuxta hanc ſententiam omnes conditiones requiſitæ ad veram conuerſionem in conuerſione Euchariſtica. 291
8. Diſſoluuntur obiectiones contra noſtram ſententiam. 294
9. Reſpondetur ad alia argumenta Recentiorum contra noſtram ſententiam. 298
10. Infertur ex dictis reſolutio aliquarum quæſtionum. 303
11. Vtrum per hanc conuerſionem deſinat omnino ſubſtantia panis? 305
12. Vtrum ſubſtantia panis & vini annihiletur? 307

DISPVTATIO VIII.

De modo, quo exiſtit Christus in Euchariſtia.

SECT. 1. Vtrum Christus ſecundum totum, quod includit, ſit in hoc Sacramento? 310
2. Vtrum Corpus Christi habeat in Euchariſtia eamdem figuram, quam habet in cœlo? 314
3. Vtrum totus Christus ſit ſub qualibet ſpecierum parte? 316
4. Quid ſignificetur per *Corpus* in verbis conſecrationis. 319
5. Quid ponatur in calice ex vi verborum. 327
6. Vtrum Diuinitas & perſonalitates Diuinæ ſint in Euchariſtia ex vi verborum. 328

DISPVTATIO IX.

De his, quæ poteſt Christus agere, aut pati in Euchariſtia.

SECT. 1. Vtrum Christus prout in Euchariſtia poſſit pati aut agere aliqua actione phyſica? 331
2. Vtrum Christus prout in Euchariſtia poſſit cognoſcere & cognoſci? 333

DISPVTATIO X.

De accidentibus panis & vini, quæ remanent in Euchariſtia.

SECT. 1. Quæ accidentia maneant in Euchariſtia, & quomodo? 336
2. Quomodo ſpecies agere patiue poſſint, & an ex ipſis aliquid generetur? 339
3. Quando, & quomodo accidentia deſinant continere Christum Dominum? 341

DISPVTATIO XI.

De forma ſacramenti Euchariſtiæ.

SECT. 1. An neceſſaria ſit aliqua oratio poſt verba Christi, vt fiat conſecratio. 345
2. Soluuntur aliquæ obiectiones contra præcedentem doctrinam. 347
3. Quæ verba ſint eſſentialiter neceſſaria ad conſecrationem Corporis Christi. 350
4. De verbis neceſſariis ad conſecrationẽ calicis. 354
5. An verba conſecrationis dicantur recitatiue, an vero enuntiatiuè? 361
6. Vtrum verba ſint vera de præſenti in toto rigore & pro quo inſtanti? 366
7. Quid ſignificent Pronomina, *hoc*, & *hic*, poſita in verbis conſecrationis. 371
8. Vtrum per plures formas conſecrationis ſimul poſſit conſecrari eadem materia? 373

DISPVTATIO XII.

De effectibus Euchariſtiæ.

SECT. 1. Vtrum Sacramentum Euchariſtiæ conferat primam gratiam? 376
2. Quando conferat Euchariſtia gratiam ſanctificantem? 380
3. Vtrum vtraque ſpecies Euchariſtiæ conferat maiorem gratiam, quam ſingulæ ſeorſim. 386
4. De aliis effectibus ſpiritualibus ſacramenti Euchariſtiæ. 389
5. De effectibus, quos Euchariſtia operatur circa corpus. 392

DISPVTATIO XIII.

De vſu, & de ſubiecto capaci ad ſuſcipiendam Euchariſtiam.

SECT. 1. Quotuplex ſit ſumptio Euchariſtiæ? & an qui non eſt baptizatus, ſit capax huius Sacramenti. 396
2. De infantibus, & perpetuò amentibus, an ſint capaces Euchariſtiæ? 396
3. De iis, qui ante amentiam vſum rationis habuerunt, an ſint capaces Euchariſtiæ? 399
4. An ſit præceptum non dandi Euchariſtiam pueris ante aliquam ætatem? & quid in dubio de capacitate? 400
5. De adultis, qui debilem vſum rationis habent, præſertim de Indis, an ſint ab Euchariſtia repellendi? & quid de energumenis? 403

DISPVTATIO XIV.

De diſpoſitione ſpirituali prærequiſita ad Euchariſtiam.

SECT. 1. Debere præcedere ſtatum gratiæ ante Communionem. 407
2. Vtrum Communicare cum peccato veniali, ſit peccatum ſaltem veniale; ſicut Communicare cum mortali, eſt mortale. 410
4. Vtrum ad effectum Euchariſtiæ requiratur actualis

lis Deuotio in Communicante? 412
4. An, & quomodo præquiratur Confeſſio Sacramentalis ante ſumptionem Euchariſtiæ? 415
5. Quando liceat accipere Euchariſtiam, non præmiſſa Confeſſione? 419
6. An & quomodo requiratur contritio, quando non præmittitur Confeſſio ante Communionem. 425.
7. Quale ſit præceptum confitendi ſtatim poſt Communionem, quando aliquis abſque confeſſione Communicauit. 428

DISPVTATIO XV.

De diſpoſitione corporali requiſita ad percipiendam Euchariſtiam.

Sect. 1. Quæ mundities exigatur in corpore, præſertim à pollutione, & copula. 433
2. De ieiunio requiſito ad communionem. 436
3. Quomodo propter mortis periculum vel neceſſitatem ſumentis liceat communicare, non præmiſſo ieiunio. 442
4. Alij caſus, in quibus liceat abſque ieiunio Euchariſtiam accipere. 445

DISPVTATIO XVI.

De præcepto ſumendi Euchariſtiam.

Sect. 1. An ſit præceptum Diuinum ſumendi Euchariſtiam? 448
2. Quas perſonas, & quando obliget hoc Diuinum præceptum? 450
3. Vtrum debeat vel poſſit dari Viaticum illi qui eadem die ex deuotione communicauerat? 456
4. De præcepto Eccleſiaſtico Communionis Paſchalis, & annuæ. 458

DISPVTATIO XVII.

Vtrum conſulendus ſit omnibus fidelibus indifferenter vſus quotidianus Euchariſtiæ.

Sect. 1. Sententia affirmans, omnibus expedire quotidianam communionem. 462
2. Prior pars veræ & communis ſententiæ explicatur & probatur. 462
3. Secunda pars veræ ſententiæ probatur. 466
4. Soluuntur obiectiones contra communem ſententiam. 468

DISPVTATIO XVIII.

De miniſtro Euchariſtiæ.

Sect. 1. Vtrum ſolus Sacerdos poſſit Euchariſtiam miniſtrare? 470
2. Vtrum omnes Sacerdotes poſſint Euchariſtiam miniſtrare. 476

DISPVTATIO XIX.

De Euchariſtia, vt eſt Sacrificium.

Sect. 1. Præmittuntur aliqua de Sacrificio in communi. 479
2. In Miſſa offerri verum Sacrificium à Chriſto inſtitutum. 482
3. Quo pacto reperiatur in Miſſa vera ratio Sacrificij? Referuntur veræ ſententiæ. 485
4. Quomodo conſecratio pertineat ad eſſentiam Sacrificij, variè à Theologis declaratur. 487
5. Noſtra ſententia de eſſentia huius Sacrificij. 490
6. Soluuntur aliæ obiectiones, quæ contra prædicta poſſunt fieri. 493
7. Infertur, an Chriſtus ſit offerens, & tota res oblata in hoc Sacrificio. 495
8. Vtrum ex diſpenſatione Papæ poſſit conſecrari vnica ſpecies; & vtrum conſecratio vtriuſque ſit de eſſentia huius Sacrificij? 497
9. De effectibus huius Sacrificij. 500
10. De iis, quibus prouenire poſſunt effectus huius Sacrificij, quatenus pro ipſis offertur. 507
11. De iis quibus vt offerentibus proueniat fructus huius Sacrificij. 517
12. Vtrum hoc Sacrificium habeat valorem infinitum. 519

DISPVTATIO XX.

De tempore, loco, & aliis circumſtantiis huius Sacrificij.

Sect. 1. De tempore huius Sacrificij celebrandi. 522
2. De loco apto ad offerendum hoc Sacrificium; & de altaris ornatu. 529
3 Vtrum in mari poſſit aliquando celebrari. 534
4. De vaſis & veſtibus ſacris, ac aliis ad hoc Sacrificium requiſitis. 536

DISPVTATIO XXI.

De iuſto Miſſæ ſtipendio.

Sect. 1. Qui, & quo titulo poſſint accipere ſtipendium pro Miſſa. 539
2. Quantum ſtipendium accipere poſſit Sacerdos pro Miſſa. 545

DISPVTATIO XXII.

De præcepto audiendi Miſſam.

Sect. 1. Ad quid obliget præceptum audiendi Miſſam. 546
2. De præſentia, intentione, & attentione requiſita ad Miſſam audiendam. 549

TRACTA

TRACTATVS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

POSTQVAM egimus de Chriſto, & redemptione per ipſum facta; ſequitur, vt agamus de mediis, quibus redemptionis fructus nobis applicatur: inter quæ potiſſimum locum habent Sacramenta. Continet autem Theologica de Sacramentis diſputatio tres partes. Prima eſt, ſtabilire fidei dogmata circa diuina Sacramenta contra Hæreticos noſtri temporis, qui ea vndique labefactare conantur. Secunda pars magis ſpeculatiua tractat de eiſdem Scholaſticas quæſtiones, quæ inter Catholicos controuertuntur. Tertia denique moralis eſt, explicans præcepta moralia, & obligationes circa Sacramentorum adminiſtrationem, & receptionem. Primam partem Controuerſiſtis ferè relinquemus. Tertiam Magiſtris caſuum conſcientiæ ex parte. Secundam iuxta inſtituti noſtri rationem nobis omnino reſeruabimus. Obiter tamen aliqua ex primo, & plura ex tertio genere attingere aliquando oportebit.

Agemus ergo de neceſſitate Sacramentorum, de eorum eſſentia metaphyſica, de eorum partibus, de eorum efficacia, & effectibus, de cauſa inſtituente, de miniſtro, & de ſubiecto, à quo ſuſcipiuntur: ad quæ cætera omnia reduci poſſunt.

DISPVTATIO PRIMA.

De Eſſentiâ & Definitione Sacramenti in communi.

SECTIO PRIMA.

Varia Theologorum Sententia circa definitionem communem Sacramenti.

SECTIO SECVNDA.

Explicatur noſtra ſententia circa Eſſentiam Sacramenti.

SECTIO TERTIA.

Infertur ex dictis deciſio plurium quæſtionum.

SI ſermo eſſet de ſolis Sacramentis nouæ legis, non eſſet difficile inuenire rationem communem, in qua ea omnia vniuocè, & eſſentialiter conueniant. Cæterùm, cùm certum ſit, in veteri etiam lege fuiſſe aliqua ſacramenta, vt
Concil. Flor. conſtat ex Concilio Florentino in decreto fidei poſt ſeſſionem vltimam, vbi dicitur, *Sacramenta nouæ legis multum differre à Sacramentis antiquæ legis: hæc enim non cauſabant gratiam, ſed ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant; noſtra verò Sacramenta & continent gratiam, & dignè ſuſcipientibus eam conferunt*; & ex Tridentino, ſeſſione 7. canone 2. vbi Concil. Trid. damnatur qui dixerit, *Sacramenta nouæ legis non differre à Sacramentis antiquæ*, &c. Difficile eſt aſſignare rationem communem Sacramenti, quæ vtriſque conueniat, & quæ non conueniat etiam aliis ritibus, & cæremoniis ſacris vtriuſque legis. Referemus ergo prius breuiter Doctorum ſententias, vt faciliùs poſtea noſtram explicemus.

SECTIO I.

Variæ Theologorum ſententiæ circa definitionem communem Sacramenti.

1. *Prima ſententia circa definitionem Sacramenti reijcitur.* PRima ſententia eſſe poteſt, quæ radicitus tollat quæſtionem præſentem, & neget Sacramentum definiri poſſe, quia eſt ens per accidens aggregatum ex multis, ſcilicet ex materia & forma non vnitis; rurſus ex rebus & ſignificatione: ens autem per accidens non poteſt habere vnam definitionem, ſed ſicut continet plura entia, ita debet habere plures definitiones, quod videtur traditum ab Ariſtotele *7. Metaphyſ. cap. 4.* Ariſtot.

Vaſquez. Hæc ſententia tribuitur aliquibus apud Vaſquez *in præſenti diſp. 128. c. 1.* qui latè eorum auctorum mentem examinat, & textum Ariſtotelis explicat, ac probat ipſum non negaſſe omnibus modis poſſe definiri ens per accidens, ſed ſolùm primariò, ſicut etiam de accidentibus dicit ibi, non poſſe primariò, & ſimpliciter definiri, ſed ſolùm ſecundariò, & ſecundùm quid, quia non ſunt entia ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Certum autem eſt, entia per accidens poſſe aliquo modo definiri; poſſumus enim exactè declarare quid ſit domus, & quid requiratur ad eius eſſentiam: & de hoc genere definitionis eſt ſermo, quando petitur definitio Sacramenti in communi.

2. *Secunda ſententia etiam reijcitur.* Secunda ſententia communis definit, Sacramentum eſſe *ſignum rei ſacræ*: quæ definitio traditur à Magiſtro *in 4. diſt. 1. cap. quid ſit Sacramentum.* Magiſter.

Contra hanc tamen definitionem opponitur communiter, quod ſit diminuta, atque adeo competat illis etiam rebus, quæ non ſunt Sacramenta, cùm tamen ſint ſignum rei ſacræ, nam rem ſacram etiam ſignificant aqua benedicta, conſecratio altaris, linguæ igneæ in die Pentecoſtes ſuper Diſcipulorum capita apparentes, nubes lucida in die Transfigurationis, ſerpens æneus, quem exaltauit Moyſes in deſerto, qui ſignificabat gratiam per Chriſtum dandam credentibus; tranſitus Iſraëlitici populi per mare rubrum, qui ſignificabat liberationem à peccatis, qua Chriſtus nos erat donaturus: aqua ſcaturiens ex petra per Moyſen, ſignificans gratiam Chriſti dandam per Baptiſmum. Item ſacra Scriptura eſt ſignum rei ſacræ, ſicut etiam imagines repræſentantes diuina myſteria, & alia eiuſmodi, quæ tamen non ſunt Sacramenta.

3. *Tertia ſententia etiam reijcitur.* Propter hæc eſt tertia ſententia limitans nomen *Sacramẽti* ad illa ſolùm, quæ veram gratiam ſanctificantem habitualem ſignificant, & conferunt, vnde excluduntur ea omnia ſigna, quæ vel gratiam habitualem non ſignificant, vel certè eam non conferunt. Hanc tenent Magiſter *in 4. diſtinct. 1.* Hugo Victorinus *in Summa ſentent. tractat. 4. cap. 1. &* *lib. 1. de Sacramentis, part. 9. cap. 2.* apud Suarez *in præſenti diſput. 1. ſectione 2. §. Secunda ſententia*: quare definiunt Sacramentum eſſe *viſibilem formam inuiſibilis gratiæ, cuius cauſa exiſtat.* Et conſequenter vel negant Sacramenta antiquæ legis fuiſſe verè & propriè Sacramenta, vel dicunt illa etiam internam & veram gratiam ſanctificantem ſignificaſſe & contuliſſe. Magiſter. Hugo Victor. Suarez.

Hæc tamen ſententia difficilis eſt ex vtroque capite; quia nimirum Sacramenta antiquæ legis appellantur ſimpliciter Sacramenta à Concilijs, & Patribus vt conſtat ex Florentino, & Tridentino, ſuprà adductis, & gratiam non conferebant accipientibus, vt conſtat ex iiſdem Concilijs, Debemus ergo dare aliam definitionem communem illis, & noſtris; alioquin ſi illa erant Sacramenta non conferendo gratiam, licèt non eſſent Sacramenta eo modo, quo noſtra, quæ gratiam conferunt: poterimus nunc apud nos alia inuenire Sacramenta ſimilia illis, quæ licèt gratiam non conferant, poſſint tamen appellari Sacramenta ſicut illa, & per conſequens poſſumus dicere dari in Eccleſia Chriſti plura quàm ſeptem Sacramenta, quæ communiter numerantur.

4. *Quarta ſententia reijcitur.* Quarta ſententia aliter limitat definitionem Sacramenti, exigens, quod conferat, & ſignificet aliquam ſanctitatem, ſiue perfectam, & internam per gratiam ſanctificantem, ſiue imperfectam, & legalem. Ita Cano *relectione de Sacramentis parte prima circa finem*, vnde excluduntur plura ſigna ex ſupra numeratis à ratione Sacramenti, quia licèt ſignificarent, non tamen conferebant vllam ſanctitatem. Conuenit autem hæc definitio, vt conſtat, Sacramentis antiquis, & nouis, quæ omnia ſignificant, & conferunt aliquam ſanctitatem. Cano.

Hæc ſententia facilè reijcitur, quia iuxta illam prima tonſura eſſet Sacramentum, cùm reuera ſignificet, & conferat aliquam ſanctitatem ſaltem imperfectam. Idem eſt de benedictione Abbatis, de aqua benedicta, & ſimilibus, quæ tamen non ſunt dicenda Sacramenta.

5. *Quinta ſententia reijcitur.* Quinta ſententia vult, de ratione Sacramenti eſſe, quod ſignificet veram ſanctitatem, licèt illam non conferat, nec vllam aliam, nam Sacramentum eſt ſub genere ſigni, non ſub genere cauſæ. Hanc tribuit Thomiſtis Suarez *vbi ſupra, §. Tertia ſententia*: à qua parum diſtat Vaſquez *in præſenti diſp. 128. c. 15.* Sed contra hoc eſt, contineri etiam ſub hac acceptione Sacramenti ſacrificia omnia antiquæ, & nouæ legis, omnia enim ſignificant gratiam futuram, vel præteritam, licèt illam non conferant. Tranſitus etiam maris rubri, manna, & alia ſimilia, quæ gratiam futuram ſignificabant comprehenderentur ſub illa definitione Sacramenti. Vaſquez.

6. P. Suarez *dicta ſect. 2.* duo dicit, primum, de ratione cuiuſlibet Sacramenti eſſe, quod ſit cæremonia inſtituta ad conferendam homini aliquam ſanctificationem ſaltem imperfectam. Secundum eſt, debere ſimul ſignificare veram animæ ſanctitatem. Vtrumque probat latè inductione omnium Sacramentorum antiquæ & nouæ legis, in quibus vtraque conditio reperitur: & quia hoc modo excluduntur à ratione Sacramenti plura, quæ aliàs non excluduntur, vt prima tonſura, aqua benedicta, abſolutio ab excommunicatione, impoſitio manuum ſuper Catechumenos, & profeſſio religioſa, quæ omnia, licèt conferant aliquam ſanctitatem imperfectam, non tamen ſignificant veram ſanctitatem, & ideo non ſunt Sacramenta. Suarez.

Aduerſus hanc ſententiam adhuc vrget, quod aliquibus competit illa conditio, quæ tamen non ſunt Sacramenta: nam chriſma, quo vnguntur baptizati & ſal, ac ſaliua, quæ in linguam & aures eorum immittuntur, ſignificant gratiam, & dona Spiritus ſancti, quæ dantur in Baptiſmate, & aliunde hæc omnia ſunt cæremoniæ, & ritus ſacri inſtituti ad conferendam aliquam ſanctificationem, ſaltem imperfectam, & tamen nihil horum eſt verum Sacramentum, vt conſtat; ergo aliquid aliud requiritur ad rationem Sacramenti.

SECTIO II.

Explicatur noſtra ſententia circa eſſentiam Sacramenti.

SVppono, omne Sacramentum debere eſſe ſignum ſenſibile; in hoc enim conueniunt omnia Sacra- 7.

menta

menta noua, & vetera: quia licèt Deus poſſet ſtatuere aliquod ſignum gratiæ ſpirituale; illud tamen non eſſet propriè Sacramentum, quidquid aliqui dicant, prout nunc de Sacramentis loquimur; non enim eſſet ſignum humanum, ſed Angelicum: nunc autem loquimur de Sacramentis, qualia inſtituta ſunt à Deo ad congregandam & regendam Eccleſiam viſibilem, & quidem vox ipſa *Sacramenti* videtur ſignificare aliquid ſub cuius ſpecie, & cortice exteriùs apparente magnum aliquid lateat: vnde alio nomine appellatur myſterium, ſed hæc eſt quæſtio de nomine; de re enim certum eſt, omnia Sacramenta, quæ de facto dantur, atque etiam omnia antiqua conuenire in hoc prædicato reali ſigni ſenſibilis; quare bene poterit ab iis omnibus abſtrahi ratio aliqua communis, quæ includat hoc prædicatum, quam rationem communem nos appellamus *Sacramentum*, cùm non habeamus aliud nomen commune, ad ſignificandum id, in quo omnia Sacramenta de facto conueniunt.

8. *Vera definitio Sacramenti.* Hoc ſuppoſito, dico primò, Sacramentum non ſolùm eſſe ſignum ſanctitatis internæ præſentis, vel futuræ; ſed etiam eſſe ſignum, & cauſam alicuius ſanctitatis præſentis perfectæ, vel imperfectæ. In hac concluſione conuenio cum P. Suarez, quia vt ſupra inſinuaui, ſi ad rationem Sacramenti non requireretur, quod afferat aliquam ſanctitatem ſubiecto, multa alia pertinerent ad Sacramenta quæ Sacramenta non ſunt, vt tranſitus maris rubri, aqua è petra ſcaturiens, quæ gratiam futuram ſignificabant. Imo in lege etiam noua verba Euangelij quando leguntur ſignificant gratiam dandam, & tamen illa verba non ſunt Sacramenta, quia non afferunt aliquam ſanctitatem ſubiecto, & ſic de aliis.

9. *Ratio definitionis.* Ratio autem, cur nomen *Sacramenti* applicatum fuerit ad ſignificandum non ea omnia, quæ vtcunque gratiam ſignificant, ſed illa ſolùm, quæ ſimul aliquo modo ſanctificant in ſuo vſu ſubiectum, videtur habuiſſe fundamentum in ipſa vi nominis: quia Sacramentum (vt omnes fatentur) idem videtur ſignificare quod apud Græcos myſterium. Hoc autem nomen *myſterij* ex ſua prima origine ſignificat aliquid ad religionem pertinens, quo homines ſanctificentur, & conſecrentur: procedit enim à verbo Græco *μυῶ*, quod Latinè eſt, *initiari ſacris*: inde enim ſacris initiati dicuntur Myſtæ: & myſteria dicebantur initia, vt teſtatur Cicero *ſecundo de legibus* vbi ait; *Myſteria appellari initia, quibus ex agreſti vita exculti ad humanitatem ſumus*; tanquam ea ſint vitæ principia. Cùm ergo myſteria dicerentur initia, ſiue illa quibus homines initiabantur & conſecrabantur; opportunè nomen *Sacramentum*, quod apud Latinos ſubrogatum eſt loco *myſterij*, quo Græci vtebantur, retinuit eandem ſignificationem, & applicatum eſt iis ſolis rebus, quibus homines peculiariter Deo conſecrantur, & initiantur; & per conſequens iis ſolis rebus, quæ aliquam afferunt ſanctitatem; nam ea omnia, quibus homines initiantur, & conſecrantur, certum eſt afferre illis aliquam ſanctitatem, ſiue perfectam ſiue ſaltem imperfectam. *Cicero.*

10. *Quæ excluduntur à ratione Sacramenti.* Hinc excluduntur primò à ratione Sacramenti, ea omnia, quæ licèt in ratione ſigni ſignificent gratiam & ſanctitatem internam, nullam tamen afferunt ſubiecto ſanctitatem præſentem perfectam, nec imperfectam; v.g. manna, tranſitus maris rubri, ſacra Scriptura, imagines ſacræ, & alia ſimilia, quorum vſus ex ſe & ex opere operato nullam affert ſanctitatem, licet ſignificent aliquid ſacrum. De Sacrificiis poſſet eſſe maior dubitatio; quia ea videntur eſſe actiones ſacræ, & religioſæ, quibus in actu exercito homo videtur conſecrari Deo, præſertim ſi loquamur de ſacrificiis ordinatis ad expiandam culpam aliquam: hæc enim iam videbantur afferre aliquam ſanctitatem legalem: quare Cano *relectione de Sacramentis, p. 1. ad ſecundum*, concedit, ſacrificia quæ offeruntur in expiationem peccati, eſſe verè Sacramentũ. Quam ſententiam impugnat Suarez in præſenti ſectione prima circa finem. *Cano.* *Suar. s.*

11. Et quidem ſi ea ſententia intelligatur vniuerſaliter de omni ſacrificio, quod offertur pro peccatis expiandis videtur omnino reiicienda, nam ſacrificium Miſſæ offertur de facto pro peccatis expiandis vt conſtat ex ipſo ritu oblationis; & licèt contineat in ſe Sacramentum Euchariſtiæ, tanquam rem oblatam ipſum tamen ſacrificium non eſt propriè Sacramentum, nec habet effectum ſacramentalem, quia omnia Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam; at verò ſacrificium hoc non confert gratiam ex opere operato ei cui applicatur: & Sacramentum Euchariſtiæ permanet in ratione Sacramenti peracto & finito ſacrificio; ergo ratio Sacrificij ſecundùm ſe non eſt Sacramentum, etiamſi offeratur pro expiandis peccatis.

12. *Quænam ſacrificia in veteri lege eſſent Sacramenta.* Cæterùm ſi ea ſententia intelligatur de illis Sacrificiis ſolùm, quæ in veteri lege ex inſtitutione Dei fiebant, ad expianda certa peccata talibus vel talibus cæremoniis; non video, cur illa non debuerint appellari Sacramenta, imo ſub hoc nomine videntur comprehenſa à S. Thoma *1. 2. q. 102. art. 5.* vbi non ſola ſacrificia quæ erant ad expiandas aliquas ſordes, ſed etiam ea, quæ fiebant in conſecratione alicuius Miniſtri, comprehendit ſub Sacramentis veteris legis. Ratio autem videtur deſumi ex eo, quod illis ſacrificiis competant omnes conditiones requiſitæ ad rationem Sacramenti, nam illa ſacrificia imprimis ſignificabant veram ſanctitatem nobis dandam per mortem Chriſti, & redemptionem Crucis; & ſimul conferebant aliquam ſanctitatem & expiationem in ſuo vſu legalem aliquando iis, quibus applicabantur, quem effectum habebant infallibiliter ex diuina inſtitutione. *S. Thom.*

13. *Obiicit Suarez.* Reſpondet Suarez vbi ſupra, de ratione Sacramenti eſſe, quod ordinetur & referatur immediatè ad ſignificandam ſanctificationem ſuſcipientis illud: quod quidem non habet ſacrificium, nam immediatè refertur ad tribuendum cultum Deo, & de ſe ſolùm ſignificat diuinam excellentiam, & cultum, qui illi præſtatur; cùm tamen Sacramentum potiùs ordinetur ad ſignificandam ſanctificationem eorum, qui Deum colunt.

Reſponſio. Sed contra hoc eſt, quod licèt ſacrificium ordinetur ad ſignificandum cultum Dei; non tamen repugnat, quod ipſemet cultus Dei rurſus aſſumatur ad ſignificandam ſacramentaliter ſanctificationem ipſius colentis Deum, ſic enim de facto actus contritionis, qui de ſe tendit in Deum, & in eius bonitatem, eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, & aſſumitur ad ſignificandam hominis pœnitentis ſanctificationem. Item forma Sacramenti Extremæ-Vnctionis eſt deprecatio, & per conſequens actus orationis & religionis ordinatus de ſe ad colendum Deum; & tamen hic ipſe actus religionis, & cultus Dei aſſumitur ad ſignificandam ſacramentaliter ſanctificationem, quam operatur in ægroto, qui vngitur. Cur ergo non poterit ſimiliter aliquod ſacrificium, quod ex ſe eſſet cultus Dei, & ordinatus ad ſignificandam Dei excellentiam, aſſumi tamen ad ſignificandam ſacramentaliter ſanctificationem illius, cui applicatur? Imò de facto videtur concedendum, etiam in lege noua id ita aliquando contingere: nam ipſamet actio ſacrificandi in Miſſa, & ipſa oblatio

ſacrificij poteſt eſſe pars Sacramenti: quando, v.g. alicui pœnitenti iniungitur pro pœnitentia ſacramentali quod faciat ſacrum: tunc illa celebratio Miſſæ,& oblatio ſacrificij,cùm ſit ſatisfactio ſacramentalis, eſt iam pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, & vt ſic aſſumitur ad ſignificandam ſacramentaliter aliquam ſanctificationem illius pœnitentis,quam illa pars in ipſo operatur ex opere operato,quatenus vt pars Sacramenti Pœnitentię confert illi aliquam expiationem,à debito pœnæ temporis.Sic ergo potuiſſet ſecundùm ſe inſtitui aliqua oblatio ſacrificij,pro actione & ritu conſecrandi,& ordinandi Sacerdotem, ita vt quando pro aliquo offerretur tale ſacrificium, ille maneret ordinatus, & conſecratus Sacerdos, ac per conſequens illud ſacrificium poſſet tunc eſſe ſimul verum Sacramentum Ordinis;nō repugnat ergo ex hoc capite,quod in lege veteri aliqua ſacrificia quæ habebant vim ex ſua inſtitutione conferendi aliquam ſanctitatem legalem, eſſent ſimul Sacramenta, & ſacrificia.

14. *Inſtantia.*

Dices, ergo de facto ſacrificium Miſſæ erit verũ Sacramentum;hoc eſt,non ſolùm continens ex parte rei oblatæ aliquod Sacramentum,ſcilicet Chriſtum ſub ſpeciebus; ſed ipſa etiam oblatio tranſiens erit Sacramentum;nam ex vno capite ſignificat gratiam datam,& dandam per Chriſti mortem, quam repræſentat, & ex alio affert aliquam ſanctificationem ex opere operato in eo,cui applicatur, habet enim effectum expiandi ab aliquo debito pœnæ temporalis,vt ſuppono ex infra dicendis de ſacrificio.

Diluitur.

Reſpondeo,non excludi Miſſam à ratione Sacramenti ob defectum ſignificandi, & conferendi aliquam ſanctificationem in illo, cui applicatur, ſed excludi ex alio capite, vt conſtabit ex concluſione ſecunda.

15. *Matrimonium Adam inter & Euam nō fuit Sacramentum.* Epheſ. 5.

Nunc infero ſecundò,ex prima hac concluſione, excludi ſimiliter à ratione Sacramenti, matrimonium inter Adam, & Euam,quia licèt illud matrimonium ſignificauerit Chriſtum, & eius vnionem cum Eccleſia, iuxta illud Pauli ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt,ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Cæterum illud coniugium tunc non conferebat aliquam ſanctitatem ex opere operato, ſed erat merum coniugium naturale; nunc autem eſt Sacramentum,quia ſuſcipientibus coniugibus affert ſanctitatem. Quod idem dicendum eſt de aliis, ſi quæ fuerint in lege antiqua, quæ futuram gratiam ſignificabant, & tamen quia nullam ſanctificationem operabantur in ſuo vſu, non habebant veram rationem Sacramenti,ſic etiam excluditur à ratione Sacramenti promiſſio qua Deus promitteret alicui gratiam, vel ſanctitatem, quia licet illa promiſſio ſignificaret ſanctitatem internam futuram, non tamen ſanctificaret in ſuo vſu illum, cui promiſſio fieret, vt conſtat.

16. *Secunda concluſio.*

Dico ſecundò, omne Sacramentum non ſolùm debet ſignificare veram & internam ſanctitatem, præſentem vel futuram,ſed eam debet aliquo modo cauſare.Et quidem omnia Sacramenta debere ſignificare veram ſanctitatem, commune eſt fere omnibus Theologis,quia alioquin,ſi ſufficeret ſignificare,aut conferre aliquam aliam ſanctitatem inferiorem,innumera eſſent Sacramenta, vt aqua benedicta,prima tonſura,profeſſio religioſa, & alia plura ſimilia. Quod verò debeant non ſolùm ſignificare,

Ratio ſecundæ partis concluſionis.

ſed aliquo modo cauſare, & conducere ad eandem ſanctitatem internam ponendam, eſt de mente Auctorum ſecundæ ſententiæ ſupra relatæ; & probari poteſt eodem argumento, quia ſcilicet, ſi hoc non requireretur,eſſent plura Sacramenta, Nam in primis ſacrificium Miſſæ,vt paulò ante obiiciebamus, eſſet Sacramentum etiam ſub ratione oblationis, nam ex vno capite habet vim conferendi aliquam ſanctificationem,ſcilicet expiationem à reatu pœnæ ex opere operato,& ex alio ſignificat Chriſtum ſub ratione cibi nutritiui & potentis cauſare gratiam, atque adeo ſignificat gratiam. Deinde collatio primæ tonſuræ eſſet Sacramentum, quia confert aliquam ſanctificationem imperfectam, quatenus extrahit hunc hominem à populo,& ſeparat illum in ſortem Domini,ac dedicat peculiariter Deo: ſignificat etiam gratiam internam conferendam per ordines ſubſequentes,ad quos diſponit hominem, vt illam gratiam congruentiùs recipiat. Item abſolutio à cenſuris ſanctificat aliquo modo hominem auferendo illas ſordes, & vincula Eccleſiaſtica, vt conſtat;aliunde ſignificat obiter gratiam, quatenus reddendo hominem capacē ſuſcipiendi Sacramenta, quæ priùs non poterat recipere,ſignificat dari talia Sacramenta ad recipiendam gratiam. Similiter diſpenſatio irregularitatis ſignificat aliquo modo tollendo illud impedimentum ad recipiendos ordines, & obiter ſignificat gratiam,cùm ſignificet dari tale Sacramentum Ordinis in Eccleſia, ad quod recipiendum iam homo redditur habilis. Hæc autem omnia, & alia ſimilia excluduntur bene à ratione Sacramenti, ſi ad Sacramentum requirimus, quod non ſolùm ſignificet, ſed cauſet etiam gratiam internam,quam ſignificat: nam hæc omnia,licèt aliquo modo conducant ad gratiam futuram,ſiue diſponendo, ſiue auferendo impedimentum aliquod legale, ſiue alio modo, non tamen cauſant ipſam gratiam, ſed illam ſolum ſignificant.

Aliunde autem,ſi fiat inductio per omnia Sacramenta noua, & vera,in omnibus reperimus,ſignificaſſe & cauſaſſe gratiam internam, ergo credibile eſt rationem communem Sacramenti quam Theologi voluerunt ſignificare per hoc nomen,includere hoc prædicatum, quod in omnibus Sacramentis de facto reperitur:& quidem de Sacramentis nouæ legis nod eſt dubium, cùm omnia de facto conferant gratiam,vt fatentur Concilia: de Sacramentis autem antiquis poſſet magis dubitari; ideo enim appellantur egena,& vacua elemēta,quia non continebant gratiam, & ideo dicuntur differre à noſtris, quod noſtra conferant gratiam, & non illa. *Quomodo Sacramenta legis veteris cauſent internam ſanctitatem.* Cæterùm,ſi res attentè conſideretur, illa etiam inuenientur cauſare gratiam,quam ſignificabant;quia licèt non cauſarent gratiam in ſuſcipientibus illa, de quo infra videndum eſt, & ideo dicerentur vacua, & egena; ſignificabant tamen gratiam nobis dandam per Chriſtum, quam quidem gratiam non ſignificabant merè ſpeculatiuè, ſed practicè; quia illa Sacramenta erant promiſſiones quædam diuinæ, mediis quibus Deus promittebat, & repromittebat Chriſtum venturum ad ſaluandos homines. Ideo enim paſſim apud Paulum appellantur *repromiſſiones*, ad Hebræos 8. *n.6. & c.11. n.13.* & alibi ſæpe, quia per illas cæremonias, & Sacramenta Deus promiſſionem, quam ſemel fecerat, continuò renouabat,repromittendo quotidie quod priùs promiſerat.Ideo etiam ab eodem Paulo *ad Hebræos* 10. lex dicitur *vmbra futurorum*, & 1. ad Cor.10. *quod omnia eis in figura contingebant*, & Auguſt. *ſuper Pſalm.39.& ſuper Pſalm.73.& lib.19.contra Fauſtum, c.14.tom.6.* dicit, omnia antiqua Sacramenta fuiſſe promiſſiua, & promiſiſſe Saluatorem. Quem modū loquendi reperies paſſim apud Patres,& Theologos, & eum amplectitur etiam Suarez *in præſenti ſect.2.§. Atque hinc intelligitur:* hinc autem fit,illa Sacramenta nō fuiſſe ſigna merè ſpeculatiua noſtræ ſalutis,& gratiæ,ſed practica,quia promiſſio rei non ſe habet

Ad Hebr.8. 1. Cor.10. Auguſt. Suarez.

ſpeculatiuè

ſpeculatiuè circa rem promiſſam, ſed practicè, quam ſcilicet aliquo modo cauſat: nam qui promittit, poſtea mouetur à ſua promiſſione, ad implendum quod promiſit, atque adeo promiſſio eſt etiam cauſa moralis rei promiſſæ: omnis enim promiſſio habet moralem vim ad mouendum eum, qui promiſit, vt impleat promiſſa; cùm ergo omnia Sacramenta antiqua fuerint promiſſiones, ſeu ſigna, quibus Deus, quaſi in figuris promittebat Chriſtum, & noſtram ſalutem; conſequens eſt, illa fuiſſe ſigna practica, & cauſatiua gratiæ iuſtificantis quæ nobis datur; dicuntur tamen non fuiſſe cauſatiua gratiæ, ſi comparentur cum noſtris Sacramentis, quia ſermo eſt de gratia cauſata in ſuſcipiente. quam quidem illa Sacramenta non cauſabant, ſicut noſtra, non verò agitur de gratia, quam per modum promiſſionis nobis pollicebantur. Imo hanc in rigore non cauſabant, quia tunc ſolum cauſa operatur, & cauſat, quando ponitur effectus: tunc ergo non cauſabant, ſed nunc quando illarum promiſſionum intuitu ponitur effectus promiſſus, ſcilicet gratia noſtra, quam illa Sacramenta promittebant.

18. *Confirmatur expoſitio.* Addere poſſumus congruentiam deſumptam ex ipſo nomine *Sacramenti*, nam Sacramentum iuxta communem ſenſum videtur ſignificare id, quod ſub ſpecie ſacra continet rem aliquam magnam, & excellentem: ideo enim dicũtur Græcè *myſteria.* Hanc autem continentiam explicat magis nomen *Sacramenti*, quam nomen *myſterij*; nam myſterium dicitur etiam illud quod ſub ſpecie externa continet notitiam alicuius rei occultæ, & latentis, poteſt enim continere notitiam rei latentis, & non continere ipſam rem; at verò *Sacramentum* videtur ſignificare vtramque continentiam, qua & contineat notitiam rei latentis, & contineat etiam rem aliquam maximam & excellentem. Continere autem iam dicit aliquam eminentialem virtutem ad cauſandum, & ponendum id quod continetur. Quam nominis vim *Iſidorus.* videtur intellexiſſe Iſidorus *lib 6. originum c* 18. vbi ſic ait: *Sunt autem Sacramenta Baptiſmus, & Chriſma, Corpus, & ſanguis Chriſti, quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum virtus diuina ſecretius ſalutem eorundem Sacramentorum operatur*: vbi vides, Iſidorum velle in ipſa vi nominis *Sacramenti* efficaciam, & cauſalitatem contineri reſpectu rei ſigificatæ.

19. *Impugnatur concluſio.* Dices, merita Chriſti futura erant cauſa meritoria illorum Sacramentorum veterum, omnia enim habebant ſuam vim à meritis Chriſti; ergo non poterant illa ſacramenta eſſe cauſa moralis ipſius Chriſti, nam ſupponebant Chriſtum.

Reſpondetur. Reſponderi poſſet, ſacramenta illa dupliciter conſiderari poſſe, primò quatenus erant promiſſiones, quibus Deus promittebat Chriſtum, & vt ſic non ſupponebant, ſed cauſabant moraliter ipſum Chriſtum: ſecundò quatenus habebant vim aliquam ad cauſandã ſanctitatem ſaltem imperfectam in ſuſcipiente; & vt ſic, ſupponebant Chriſtum: hæc autem vis non erat ſubſtantia ipſa actionis, ſed aliquid morale ſuperadditum, itaque ſubſtantia illius actionis non ſupponebat, ſed cauſabat Chriſtum: vis autem, qua cauſabat ſanctitatem, procedebat ex meritis Chriſti.

20. *Non eſt vniuerſalis ſolutio.* Hæc tamen ſolutio non videtur vniuerſalis, quia negari non poteſt, quin aliquando ipſa etiam ſubſtantia actionis ſupponeret merita Chriſti; quando verbi gratia propter Chriſti merita aliquis puer ex peculiari Dei prouidentia circũcidebatur, vel accipiebat Sacramentum legis naturæ, ſine quo non fuiſſet ſaluus: tunc illamet actio fiebat propter merita Chriſti; ergo illa actio non poterat eſſe cauſa Chriſti venturi. Reſponderi ergo poteſt magis *Melius reſpondetur.* vniuerſaliter, in iis caſibus, Sacramenta illa non fuiſſe cauſas Chriſti nec meritorum ipſius, ſed tamen fuiſſe cauſas noſtræ gratiæ, quam quidem non ſupponebant vt cauſam ſui. Quando ergo Sacramenta illa non ſupponebant Chriſtum, cauſabant Chriſtum, quatenus erant promiſſiones Dei de Chriſto; quando vero Chriſtum ſupponebant, cauſare poterant ſaltem noſtram gratiam, quam promittebant, & non ſupponebant, ſemper tamen erant promiſſiones Chriſti; neque enim, vt aliqua ſit promiſſio, oportet quod ſemper cauſet, ſed quod quantum ex ſe eſt, obliget ad ponendam rem promiſſam, niſi ex alio motiuo poſita ſit; non enim tenetur qui promiſit ponere ex motiuo promiſſionis. Sic ergo illæ promiſſiones ex ſe obligabant, ſed non cauſabant, quia iam inueniebatur poſitus Chriſtus, ſemper tamen habebant virtutem ad cauſandam gratiam noſtram, quam non ſupponebant, vt cauſam ſui.

21. *Hinc ſacrificium Miſſæ excluditur à ratione Sacramenti.* Ex hac concluſione excluduntur à ratione Sacramenti multa alia ob defectum huius conditionis; eiuſmodi ſunt ſacrificium Miſſæ, vt ſupra dicebamus, aqua benedicta, prima tonſura, & ſimilia, quæ aliquo modo ſanctificant in ſua applicatione, & ſignificant gratiam, non tamen dant, nec cauſant illam. Item linguæ igneæ, in quibus Spiritus ſanctus apparuit die Pentecoſtes, quæ aliquo modo ſanctificabant Apoſtolos, & ſignificabant gratiam, quæ illis dabatur, ſed eam non cauſabant. Columba etiam quæ ſuper Chriſti caput apparuit, quando baptizabatur, gratiam ſignificabat, ſed non cauſabat in Chriſto. Verba item illa, quibus Chriſtus Magdalenæ dixit, *Remittuntur tibi tua peccata*: non erant Sacramentum, quia nihil fortaſſe cauſabant, ſed ſolùm ſignificabant gratiam & remiſſionem iam illi conceſſam, priùs enim dixerat; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

22. *Sacramenta nõ modo gratiam, ſed gloriam, Chriſtum, eius merita & paſſiones ſignificant.* Conſtat etiam ex dictis, Sacramenta omnia non ſolum ſignificare gratiam habitualem, ſed etiam gloriam, quam omnis gratia habitualis, quantum eſt ex ſe, affert ſubiecto: ſignificant etiam Chriſtum mediatorem, per quem datur omnis gratia habitualis hominibus, ac per conſequens ſignificant etiam eius merita, & paſſiones, quibus illa gratia obtenta fuit, vel fuerat obtinenda, & noſtra Sacramenta magis ſpecialiter ſignificant eundem Chriſtum, vt auctorem, & cauſam ſuam, & à quo omnem ſuam efficaciam acceperunt.

23. *Definitio Sacramenti ex dictis colligitur.* Denique ex dictis iam colligi facilè poteſt definitio Sacramenti in communi, vt ſcilicet Sacramentum ſit *cæremonia ſenſibilis, quæ ſuo vſu ſanctificando ſubiectum ſignificat gratiam internam, cuius eſt cauſa.* Dixi, *cuius eſt cauſa*, vt excludam aliqua, quæ concurrunt aliquo modo ad gratiam, nec ſunt Sacramenta, quia non ſunt cauſæ, ſed conditiones, aut applicationes cauſarum, qualis videtur eſſe ſumptio Euchariſtiæ, quæ non concurrit vt cauſa, ſed vt mera conditio, & applicatio cauſæ ad gratiam. Cur autem ſumptio non ſit cauſa, aut quid illi deſit ad veram cauſam moralem, dicemus latius in tractatu de Euchariſtia.

24. De aliis verò definitionibus Sacramentorum, quæ ſolent circumferri, qualis eſt illa, *Sacramentum eſt rei ſacræ ſignum*; quam adducit *Magiſter in 4. diſt* 1. *Magiſter.* *cap. quid ſit Sacramentum*; & illa alia, quam ibidem affert, *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma*, iudicari facilè poteſt ex dictis; videntur enim indigere maiori explicatione, ne comprehendant plura, quæ reuera non ſunt Sacramenta. Aliæ vero quas alij tradunt, videntur longiores & obſcuriores, qualis eſt illa, quam ponit *Hugo de S. Victore* *Hugo de S. Victore.* lib. 1.

lib. 1. de Sacramentis, part. 9. cap. 2. Sacramentum eſt corporale, vel materiale elementum, foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione continens aliquam inſenſibilem, & ſpiritualem gratiam, in qua definitione conſtat multa explicari, quæ faciliùs, & clariùs poterant comprehendi.

Dices, definitionem Sacramenti competere martyrio, nam ſuo vſu ſanctificat ſubiectum, & ſignificat, ac confert ex promiſſione Dei infallibiliter gratiam ſanctificantem ex opere operato. Reſpondeo, martyrium, licèt conferat gratiam ex opere operato, eamque ſignificet; non tamen eſſe cæremoniam ſacram inſtitutam ad ſignificandum per illam: nam ſi eſſet talis, deberet poni à miniſtro ex eiuſmodi intentione; ſic enim omnia Sacramenta, vt valida ſint, debent fieri à miniſtro cum intentione explicita, vel implicita faciendi Sacramentum, & ſignificandi id, ad quod inſtitutum eſt tale Sacramentum; nam eiuſmodi ſigna non ſignificant, niſi ex intentione operantis. Miniſter autem martyrij nullam talem intentionem habet: & licèt habeat contrariam omnino intentionem, adhuc martyrium operabitur ſuum effectum gratiæ in martyre: ergo non operatur per modum Sacramenti. Nec dicas, martyrem ipſum eſſe miniſtrum, qui acceptando mortem, & ſubeundo illam, videtur aliquo modo ad illam cooperari. Hoc, inquam, non obſtat, quia licèt martyr non haberet intentionem operandi ſacramentaliter, imò haberet contrariam, & inuitus occideretur, ſolúmque nollet negare fidem, de reliquo mortem modis omnibus fugeret, adhuc martyrium operaretur ſuum effectum: non haber ergo martyr intentionem ſignificandi per illam actionem. Quod clariùs conſtat in infante, qui in odium fidei occiditur, & de quo certum eſt, non poſſe eſſe Sacramenti miniſtrum, cùm nullam poſſit intentionem habere ad illud miniſtrandum.

Cur martyrium non ſit Sacramentum.

SECTIO III.

Infertur ex dictis deciſio plurium quæſtionum.

25. INfertur primò deciſio illius dubij, an Sacramentum ponendum ſit ſub genere ſigni, an vero ſub genere cauſæ? *S. Thomas in præſenti, art. 1. ad primum*, videtur illud ponere omninò ſub genere ſigni, & non ſub genere cauſæ, quare multi ita opinantur.

S. Thom.

Alij è contra videntur illud conſtituere ſub genere cauſæ; quibus videtur fauere *P. Suarez in præſenti diſp. 1. ſect. 1. ante ſecundam concluſionem*, ſed ſi ſemel de re ipſa conſtat, quæſtio hæc eſt parui momenti.

Suar. 2.

Ex dictis enim colligitur, omne Sacramentum habere vtramqoe rationem, ſigni, & cauſæ; nec oppoſitum docuit S. Thomas illo loco, nec negauit, Sacramentum eſſe verè cauſam, ſed dicit, non eſſe ſicut medicamentum; nam hoc dicitur à *medicina*, quæ eſt cauſa efficiens ſanitatis, quare *medicamentum* etiam ex vi nominis, & ex modo ſignificandi explicat eandem rationem cauſæ, quæ ſignificatur per *medicinam*. At verò Sacramentum, cùm dicatur à ſanctitate, quæ non ſignificat cauſalitatem, non oportet quod ex vi nominis, & ex modo ſignificandi explicet aliquam cauſalitatem: ſicut nec *ſanum*, quod dicitur à *ſanitate*, explicat ex modo ſignificandi cauſalitatem in ſanitatem, quare quando *ſanum* dicitur de medicina, quæ reuera eſt cauſa ſanitatis, non explicatur ſufficienter per eam vocem illa ratio cauſæ, ſed ſolùm, quod ſit aliquid pertinens ad ſanitatem: ſic *Sacramentum* ex vi nominis non explicat reſpectum cauſæ circa ſanctitatem, licet reuera omne Sacramentum ſit cauſa ſanctitatis.

Omne Sacramentum habet rationem ſigni & cauſæ.

Hoc ergo ſuppoſito, dicendum videtur Sacramentum re ipſa poſſe collocari & ſub genere ſigni, & ſub genere cauſæ, cùm habeat vtramque rationem: nam quatenus ſignificat gratiam, & ſanctitatem, conuenit cum aliis omnibus ſignis, vt conſtat, quatenus verò cauſat eandem ſanctitatem, conuenit etiam cum omnibus cauſis: quare ſicut ignis applicatus eſt ſignum naturale caloris in paſſo proximo, & ſimul eſt cauſa illius, ac per conſequens eſt ſub genere ſigni, & ſub genere cauſæ: ſic Sacramentum pœnitentiæ, v. g. eſt ſignum ſanitatis in ſubiecto, cui debitè applicatur, & eſt cauſa eiuſdem ſanitatis; atque ideo rectè collocari poteſt ſub genere ſigni, & ſub genere cauſæ; nam cauſa in communi prædicari poteſt, tanquam ratio ſuperior de omnibus veris cauſis: ſi ergo Sacramentum eſt vera cauſa, poterit de illo prædicari cauſa in communi, & per conſequens erit verè ſub illa ratione communi, ſub qua continentur omnes cauſæ. 26.

Dices, non poſſe eandem ſpeciem eſſe ſub duobus generibus diuerſis non ſubordinatis, qualia ſunt genus ſigni, & genus cauſæ, quorum neutrum alteri ſubordinatur, neque enim omnis cauſa eſt ſignum, neque omne ſignum eſt cauſa. 27.

Non obſtat quod eandem ſpeciem nõ poſſit eſſe ſub duobus generibus non ſubordinatis.

Huic argumento quid reſpondendum ſit, conſtat ex iis, quæ in ſimili latiùs explicui, 1. tom. in tract. de adoratione, diſp. 33. ſect. 1. vbi vidimus quomodo ſit intelligendum illud axioma, ex quibus facilè erit eandem ſolutionem ad præſentem materiam applicare.

Addo tamen, licèt re ipſa hæc ita ſe habeant, & Sacramenta ſint verè ſub vtroque genere, & ſigni & cauſæ; magis tamen debuiſſe poni ſub genere ſigni (vt loquitur S. Thomas) quàm ſub genere cauſæ; quia licèt non ſolùm vt ſignum, ſed etiam vt cauſa, omne Sacramentum referatur ad veram ſanctitatem internam, nam etiam Sacramenta antiqua illam aliquo modo cauſabant, vt vidimus, quatenus promittebant noſtram gratiam præſentem; cæterùm quia Sacramenta magis debent explicari in ordine ad illos, quibus applicantur, apud quos debent ſibi maiorem auctoritatem conciliare; & quia Sacramenta antiqua in illis, quibus applicabantur, non cauſabant veram gratiam internam, ſed ſolùm inſeruiebant illis tanquam ſigna, quibus poſſent intelligere gratiam futuram; hinc eſt, quod à potiſſimo munere, quod exercebant, magis æſtimantur ſigna, quàm cauſæ. Et licèt Sacramenta noua omnia cauſent gratiam in ſuſcipiente, quia tamen non omnia Sacramenta noua, & vetera hoc habent; meritò loquendo de Sacramento in communi, prout comprehendit omnia Sacramenta, potiùs conſtituitur in genere ſigni, quàm in genere cauſæ. Sicut etiam cibus Euchariſticus, licèt ſimul conducat ad nutriendum corpus; magis tamen conſtituitur ſub genere cibi ſpiritualis, ſub qua ratione eſt nobis vtilior, quàm ſub genere alimenti materialis, & corporei. Item thorax ferreus, licèt ſit etiam in genere veſtis, quatenus corpus tegit, & ab æſtu & frigore defendit; magis tamen ponitur ſub genere armaturæ, quia ſub ea conſideratione eſt hominibus vtilior; ſic Sacramenta antiqua vtiliora erant ſuſcipientibus ad ſignificandum, quàm ad cauſandum, ideò magis ſub genere ſigni conſtituebantur quàm ſub genere cauſæ. 28.

Cur magis tamen Sacramentũ debeat poni ſub genere ſigni quam cauſæ, hic explicatur.

Probatur cõparatione ducta à cibo Euchariſtico.

An Sacramentum ſit ſignum ad placitum.

Hinc oritur ſecundum dubium, an Sacramentum debeat eſſe ſignum ad placitum, an verò poſſit eſſe ſignum naturale? *P. Suarez in præſenti, ſect. 5.* 29.

PP. Suarez & Valquez.

§. dico ſecundò, & P. Vaſquez cap. 4. n. 47. ſupponunt, non poſſe eſſe ſignum naturale, ſed debere eſſe ad placitum ex mera inſtitutione diuina, quia cùm nulla res ſenſibilis poſſit eſſe ſignum naturale ſanctitatis, debet ſignificare eam ex libera inſtitutione.

Hoc tamen non caret difficultate, quia licet de facto verum ſit, omnia Sacramenta fuiſſe ſigna ad placitum inſtituta, nec ex natura ſua habere, quod ſignificent gratiam, loquendo tamen de poſſibili, non apparet repugnantia alicuius rei ſenſibilis quæ propter connexionem, quam ex natura ſua haberet cum gratia, poſſet illam ſignificare: nam ſicut character Baptiſmi, Confirmationis, aut Ordinis eſt qualitas quædam ex ſua natura & entitate intrinſeca ordinata ad ſignificandam gratiam ſacramentalem, vt infra videbimus, cur non poſſet dari aliqua etiam qualitas, aut res ſenſibilis, & materialis, quæ per ſuam entitatem, & naturam intrinſecam haberet talem connexionem cum gratia, vt poſſet etiam illam ſignificare præſentem, vel futuram?

Vbicatio corporis Christi in Euchariſtia eſt materialis, & tamen ſupernaturalis. P.Herice.

Non enim repugnaret ex eo, quod eſſet res materialis: nam vbicatio corporis Chriſti in Euchariſtia eſt materialis, & tamen eſt accidens ſupernaturale, & in aliquorum ſententia, quam ſequitur *P.Herice 1 p.tom. 1 diſp. 48. n. 40.* ex ſe dicit ordinem ad gratiam Sacramentalem, quam corpus Chriſti poteſt ibi cauſare, & ex illo ordine intrinſeco ad gratiam accipit ſupernaturalitatem.

Idem dicitur de dotibus materialibus corporis glorioſi.

Item dotes corporis glorioſi in patria ſunt materiales; & tamen ſunt etiam ſupernaturales in ſententia eiuſdem Auctoris *ibi, n. 34.* propter ordinem intrinſecum, quem habent ex ſe ad viſionem beatam, & per conſequens ad gratiam habitualem, quæ eſt ſemen gloriæ; ergo ſimiliter poſſet eſſe aliqua qualitas materialis ex natura ſua ſignificans gratiam præſentem, vel futuram, quaſi ab ipſa qualitate cauſaretur, ſaltem vt ab inſtrumento eleuato; vel vt cauſa morali, iam poſſet eſſe verum Sacramentum, licèt in ratione ſigni non eſſet ſignum ad placitum, ſed naturale.

Cur ergo à pari non poterit eſſe aliqua qualitas materialis ex natura ſua ordinata ad ſignificãdam gratiam.

30. Dices, repugnare, quod res ſenſibilis ſignificaret ex natura ſua gratiam; nam res ſenſibilis non poſſet ſenſibus manifeſtare ordinem, aut connexionem cum gratia; quia gratia eſt res ſpiritualis, quæ non poteſt ſenſibus cognoſci; ergo illa qualitas non poſſet ſenſibiliter ſignificare gratiam; in quo apparet diſcrimen à charactere ſacramentali; hic enim eſt res ſpiritualis, quare non ſignificat ſenſibus, ſed intellectui, qui poteſt percipere connexionem illam, & ordinem ad gratiam; at verò in manifeſtatione ſenſibili, hoc non eſſet poſſibile.

Neque opus eſſet vt perciperetur à ſenſibus cõnexio intrinſeca, quã illa qualitas haberet cum gratia, quam connexionem poſſet Deus vel Angelus reuelare.

Sed contrà, quia licèt illa qualitas non poſſet vt medium cognitum manifeſtare ſenſibus ordinem ad gratiam; poſſet tamen dum ipſamet perciperetur ſenſibus, ſignificare intellectui gratiam, eo quod iam aliunde ſciret homo naturam illius qualitatis talem eſſe, vt ex ſe haberet connexionem cum gratia. Nec enim ad hoc quod aliquod ſit ſignum ſenſibile gratiæ, oportet quod ſenſibus manifeſtetur gratia, vel ordo ad gratiam, vt conſtat ex omnibus Sacramentis, quæ de facto ſignificant gratiam ſenſibiliter, licèt ſenſibus non percipiamus gratiam, aut ordinem ad gratiam, ſed ſolam rem ſenſibilem, aquam v. g. vel oleum, quo cognito, venimus per intellectum in cognitionem gratiæ, eo quod aliunde iam habeamus notitiam ex reuelatione connexionis infallibilis gratiæ cum illa re ſenſibili, imò in definitione ſigni inſtrumentalis ſenſibilis, hoc ipſum explicatur, dum ex Auguſtino definitur eſſe illud *quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit nos in alterius rei cognitionem venire,* quia nimirum non debet ſenſibus percipi etiam res ipſa, quæ per ſignum materiale ſignificatur, nec connexio, quæ eſt inter ſignum, & rem ſignificatam. Eſſet ergo illa qualitas ſignum ſenſibile gratiæ ex natura ſua, hoc eſt, non ad placitum, ſed propter connexionem intrinſecam, quam res illa haberet cum gratia.

31. Dices iterum, ergo poſſet Deus non manifeſtare nobis naturam illius qualitatis, nec ordinem quem haberet ad gratiam, vnde viſa illa non ſignificaret adhuc nobis gratiam: atque adeo quando eam nobis ſignificaret, eſſet, quia Deus voluit manifeſtare nobis vim illius qualitatis, ac per conſequens ſemper ſignificaret non neceſſariò, ſed ad placitum diuinum.

Vnde reuelatio talis connexionis pendebit quidem ex placito diuino, non tamen ipſa intrinſeca connexio.

Sed in hoc poteſt iam eſſe quæſtio de vocibus: ſi enim per, *ſignificare ad placitum*, intelligas, ita ſignificare, vt poſſet nobis non ſignificare ex defectu luminis noſtri intellectus ad penetrandam connexionem illius qualitatis, quam reuera haberet cum gratia: fatemur, omne ſignum ſenſibile gratiæ debere ſignificare ad placitum diuinum. Si verò per *ſignificare ad placitum* intelligas id, quod communiter videtur intelligi, ſcilicet defectum intrinſecum ex parte ipſius ſigni, eo quod non habeat in ſe intrinſecè connexionem talem neceſſariam cum re ſignificata, ſed contingenter illam ſignificet, ſicut voces nullam habent de ſe connexionem intrinſecam cum iis rebus, quas ſignificant: in hoc, inquam, ſenſu videtur difficile, quod repugnet aliqua res ſenſibilis, quæ in ſe intrinſecè haberet talem connexionem cum gratia neceſſariam, ratione cuius poſſet dici naturale ſignum illius, quatenus licèt Deo eſſet libera ſignificatio, quia potuit nobis occultare illam connexionem; non tamen fuiſſet ad placitum, quatenus tota connexio inter illam rem, & gratiam proueniret extrinſecè ex inſtitutione Dei, & non ex intrinſeca ipſius ſigni natura.

Illa tamen qualitas eſſet ſupernaturalis.

Quando autem dicimus, illud futurum tunc ſignum naturale gratiæ, non intendimus, illud fore in ſua entitate naturale: certum enim eſt, fore ſupernaturale, cùm pertineret ad ordinem gratiæ, cum qua haberet neceſſariam connexionem; ſed appellamus illud naturale, prout naturale condiſtinguitur à ſigno ad placitum ex inſtitutione extrinſeca, vt iam explicuimus. Fatemur ergo, de facto omnia Sacramenta noua, & vetera fuiſſe ſigna ad placitum in hoc etiam ſenſu; at verò de poſſibili nullam adhuc inuenio repugnantiam in ſenſu explicato.

32. Contra id tamen, quod dicimus, de facto omnia Sacramenta eſſe ſigna ad placitum diuinum, argui ſolet, quia verba abſolutionis Sacramentalis, *Ego te abſoluo, &c.* ſignificant ad placitum hominum, à quibus impoſita ſunt ad ſignificandam abſolutionem à culpa; quod idem dici poteſt de Confirmationis & Euchariſtiæ forma.

Sacramenta habent quidẽ de facto ex inſtitutione hominũ ſignificare gratiã, habent verò à Deo quod ſignificent infallibiliter.

Reſpondetur facilè, Sacramenta, licèt de facto habeant ex inſtitutione hominum ſignificare gratiam; non tamen habere ab hominibus, quod verè, & infallibiliter ſignificent gratiam: potuerunt enim homines facere, quod illa verba faciant audientes venire in cognitionem gratiæ, non tamen potuerunt facere, quod gratia eſſet præſens ſicut per verba ſignificatur, & quòd ſignificatio eſſet vera, hoc autem fecit Deus, à quo habent Sacramenta eſſe ſigna infallibilia gratiæ.

33. Auguſt. Opponi etiam ſolet locus Auguſtini *Epiſt. 23. ad Bonifacium*, vbi videtur ſupponere, quod Sacramenta ex ſe; & ex natura ſua ſignificant ſuos effectus: *Si enim* (inquit) *Sacramenta quandam ſimilitudi-*

rum earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Reſpondet Suarez *d. ſect. 3. circa medium*, Auguſtinum loqui, non de ſignificatione completa, ſed de analogia quadam, ſeu aptitudine, quam Sacramenta de facto habent, vt aſſumantur ad ſignificandos tales effectus, ablutio v.g. externa apta eſt ad ſignificandam ablutionem internam; cibus exterior ad ſignificandam nutritionem ſpiritualem animæ, & ſic de aliis. Hæc reſponſio nec videtur eſſe iuxta mentem Auguſtini, nec vniuerſaliter vera. Non ad mentem Auguſtini, quia Auguſtinus ibi non comparat ablutionem, v.g. cum effectu quem cauſat, vt dicat ablutionem ſecundùm ſe eſſe ſimilem effectui; ſed comparat Sacramentum, vt Sacramentum eſt, cum ſuo effectu, & dicit, quia Sacramentum Baptiſmi, v.g. cauſat fidem, ſeu ſignificat fidem, ideo ipſum Baptiſmũ poſſe aliquo modo appellari fidem, quia eſt Sacramentum fidei, ſcilicet per repræſentationem; ſicut etiam qualibet die Dominica dicimus, hac die reſurrexit Dominus, ſcilicet repræſentatiuè; quod exemplum affert ibi Auguſtinus, in quo exemplo manifeſtum eſt non attendi ad ſimilitudinem aliquam, quam hæc dies materialis habeat cum reſurrectione Chriſti. Deinde illam doctrinam non eſſe vniuerſaliter veram, probatur primò, quia licèt in aliis Sacramentis detur aliqua analogia & ſimilitudo illius ſigni cum effectu, quem cauſat, vt in ablutione, vnctione, cibatione, &c. In matrimonio tamen difficilè inuenietur ſimilitudo aliqua cum effectu gratiæ, quem cauſat; nam licèt matrimonium de ſe proportionem habeat ad ſignificandam vnionem Chriſti cum Eccleſia, vt notauit Paulus, cæterũ ad ſignificandam gratiam, quam coniuges accipiũt, ad onera coniugij ſuſtinenda, non video, quam maiorem proportionem habeat matrimonium, quam reliquæ omnes actiones, & contractus humani habeant ad ſignificandam etiam gratiam neceſſariam ad illas actiones rectè faciendas, & proſequendas; neque enim materia, aut forma, ſeu verba quibus matrimonium perficitur, indicant ex ſe vllo modo illam gratiam, ſed merum contractum humanum.

34. *Explicatur locus Auguſtini.* Meliùs ergo reſpondetur negando, Auguſtinum ibi loqui de tali ſimilitudine inter ſigna Sacramentalia, & ſuos effectus; licèt etiam ſi de ipſa loqueretur, nihil probaret contra concluſionem, nam intelligendus eſſet de proportione ſola, & aptitudine radicali, vt dicebat Suarez, non verò de repræſentatione proxima & formali, quam habent ex inſtitutione diuina.

An verò Sacramenta habeant hanc ſignificationem ſolum ex diuina inſtitutione, an verò poſſint eam aliunde habere, dicemus infra diſp. 7. ſect. 2. agentes de cauſa Inſtituente Sacramenta.

An Sacramentum pro formali ſit ens rationis.

35. *P. Suarez.* Tertium dubium eſſe poteſt, an Sacramentum pro formali ſit aliquid reale, vel ens rationis? P. Suarez *d. ſect. 3. § ſecundò obiici poteſt*, negat eſſe ens rationis, quia ens rationis non habet eſſe, niſi quando actu cognoſcitur, vel fingitur ab intellectu; Sacramentum autem verè eſt Sacramentum, etiam quando illud nemo cognoſcit. Item quia Sacramentum habere vim ad ſignificandum, eſt fuiſſe inſtitutum ad hoc, & illam voluntatem non fuiſſe reuocatam; hoc autem eſt reale, quia licèt nihil ponat reale intrinſecum in ipſo Sacramento, ſed meram denominationem extrinſecam, hæc tamen denominatio extrinſeca non diſtinguitur re ipſa à forma denominante, quæ eſt verè realis, cùm ſit illa voluntas præterita non reuocata; quæ negatio reuocationis, licèt non ſit aliquid poſitiuum, illud tamen eſſe quod habet (quodcunque illud ſit) non habet dependenter ab intellectu, nam quando non cognoſcitur, adhuc datur negatio reuocationis.

P. Vaſquez. P. Vaſquez *d. diſp. 128. n. 43.* miratur quod aliquis neget, Sacramentum includere pro formali aliquod ens rationis; quia ſi ratio ſigni conceditur eſſe denominatio extrinſeca, non poteſt hæc non eſſe ens rationis, cùm nihil reale ſit in re denominata; & ipſum nomen *denominationis* videtur iam includere opus rationis, quia denominare pertinet ad rationem quæ denominat.

36. *Intelligit Va. quæ. de ente rationis fundamentali.* Hæc controuerſia tota videtur eſſe de vocibus; nam loquendo de re ipſa, non intendit P. Vaſquez, Sacramentum ita conſtitui intrinſecè ex aliquo ente rationis, vt quando intellectus illud non fingit, non detur Sacramentum; ſed loquitur de ente rationis fundamentaliter ſumpto; hoc eſt de fundamento entis rationis; quia enim inſtituta eſt talis res ad ſignificandum, & illa voluntas non eſt retractata, habet fundamentum noſter intellectus concipiendi, & confingendi in ipſo ſigno aliquem reſpectum intrinſecum, ſeu aliquam virtutem intrinſecam ad ſignificandum, qualem aliæ cauſæ ſolent habere ad producendos ſuos effectus: Sacramentum autem conſiſtit pro formali in illo ente rationis fundamentaliter ſumpto, in quo ſenſu, denominationes omnes extrinſecas ſolet ipſe vocare ſemper entia rationis, quem tamen modum loquendi ipſe aliquando explicauit non debere intelligi de ente rationis formali, ſed fundamentali, quod explicari ſolet per ens rationis formale, propter noſtrum imperfectum modum concipiendi.

37. *Magis placet dicere, has denominationes extrinſecas eſſe reales, & non diſtinguantur re ipſa à formis realibus ex quibus exurgunt.* In hac quæſtione de nomine placet multò magis modus loquendi Suarij, vtpotè magis realis, & magis directè explicans rem ipſam, & eius quidditatem: nam interroganti, quid ſit reuera Sacramentum, debemus reſpondere per id, quod reuera, & ante vllam noſtram fictionem continet, quod totum eſt reale. Addo, non ſolùm eſſe reipſa independens à ratione totum illud, ſed poſſe etiam, & debere concipi, ac explicari à nobis abſque vllo ente rationis, nam licèt nos poſſimus pro libitu fingere illas relationes, & reſpectus intrinſecos cum fundamento in rebus, & tunc fingamus entia rationis: regulariter tamen non fingimus, ſed concipimus illas denominationes, ſeu formas denominantes, pro ve reuera ſunt in ſe ipſis, & extrinſecas rebus denominatis; neque enim, quoties ego dico, parietem videri à Petro, concipio, aut fingo in pariete aliquid intrinſecum, per quod ſit viſus, ſed concipio viſionem tranſeuntem ad parietem, & parietem terminantem actum viſionis. Sic item, quando concipio, Sacramentum eſſe ſignum gratiæ, non concipio, aut fingo aliquid intrinſecum in Sacramento per quod ſignificet gratiam, ſed concipio inſtitutionem Dei extrinſecam Sacramento, à quo denominatur extrinſecè Sacramentum ſignum gratiæ, nec video, ad quid deſeruiant illæ entitates intrinſecæ fictæ, niſi ad obſcurandum id quod ſine illis bene & clare concipitur.

38. *Duplex denominatio formalis & obiectiua.* Ad argumentum P. Vaſquez facilè dicimus, denominationem eſſe duplicem, ſcilicet formalem, & obiectiuam. Denominatio formalis eſt ipſa prædicatio, ſeu propoſitio formalis, qua prædico vnum de alio. Prædicatio, ſeu denominatio obiectiua eſt ipſum obiectum, quod per formalem prædicationem concipitur. Prædicatio, ſeu denominatio formalis, eſt opus rationis, vt conſtat, cùm non poſſit fieri, niſi à ratione, non eſt tamen ens rationis, quia

non

non eſt aliquid fictum à ratione, ſed eſt verum ens reale, nempè actus intellectus, qui eſt qualitas vera, & poſitiua; Prædicatio verò, ſeu Denominatio obiectiua in præſenti caſu ſunt vera entia realia, ſcilicet inſtitutio præterita ad ſignificandum, quæ prædicatur de Sacramentis, nam dicere, Baptiſmus eſt ſignum gratiæ, eſt idem ac dicere Baptiſmus inſtitutus fuit à Deo ad ſignificandam infallibiliter gratiam, in qua prædicatione ex parte obiecti nihil prorſus ſignificatur, quod non ſit reale.

Non eſt opus vlla fictione ad conſiderandum Baptiſmum eſſe ſignum gratiæ. Parietem eſſe viſum cognitum.

39. Et quidem Deus, & Angeli abſque vlla fictione cognoſcunt ablutionem, v. g. inſtitutam eſſe ad ſignificandam gratiam, neque coguntur, vt id cognoſcant, fingere in ablutione aliquam virtutem intrinſecam ad ſignificandum, ſeu hanc inſtitutionem eſſe in ablutione intrinſecam. & nos ipſi, ſi attendimus, fatebimur experiri nos hunc modum cognoſcendi in nobis: poſſumus enim conſiderare, parietem denominari extrinſecè à viſione abſque eo quod fingamus, hoc eſſe intrinſecum parieti. Sic etiam conſidero, ablutionem denominari extrinſecè ab inſtitutione diuina inſtitutam ad ſignificandam gratiam, abſque eo quod fingam, hoc eſſe intrinſecum ablutioni: imo qui dicunt, debere cognoſci aliquid intrinſecum in ablutione, velint nolint, debent fateri cognoſci etiam, prout extrinſecum: nam dicis hoc quod eſt ablutionem eſſe inſtitutam ad ſignificandam gratiam eſſe aliquid extrinſecum quidem ablutioni, conſiderari tamen à nobis ac ſi eſſet intrinſecum. Ecce ergo prius dixiſti, eſſe extrinſecum, ergo intellexiſti, etiam eſſe extrinſecum, ergo habuiſti conceptum internum, quo concepiſti illud prædicatum, conuenire extrinſecè ablutioni, ergo potuiſti hoc concipere vt reuera eſt extrinſecum, & per conſequens abſque vlla fictione.

Imo debet ſemper forma illa concipi extrinſeca.

40. Addo vlterius, non ſolum poſſe ita concipi formam illam extrinſecam, vt extrinſecam, ſed fortaſſe debere ita concipi abſque vllo reſpectu, aut forma intrinſeca ficta, quando cognoſcitur Sacramentum, vt verum Sacramentum eſt, nam ablutio, v. g. quæ ſit inſtituta ad ſignificandam gratiam, per inſtitutionem & vim ſignificatiuam intrinſecam, non datur de facto, ſed ſolùm quæ ſit ſignificatiua gratiæ per inſtitutionem, & vim ſignificatiuam extrinſecam; ergo dum cognoſcitur ablutio cum poteſtate intrinſeca ad ſignificandum, non cognoſcitur illud Sacramentum, quod de facto datur, ſed aliud, quod de facto non datur.

Et concipere aliter non eſt concipere Sacramentum.

41. Dices, dari illud Sacramentum. licèt non eo modo, quo à nobis concipitur. ſed contra, quia ille modus diuerſus quo concipitur, variat eſſentiam huius Sacramenti; nam Sacramentum vt Sacramentum eſt, conſtituitur per poteſtatem, ſeu vim ſignificandi: ergo diuerſa virtus ſignificandi variabit hoc Sacramentum in ratione Sacramenti; ergo Sacramentum habens virtutem ſignificandi intrinſecam, non eſt idem in ratione Sacramenti cum eo, quod non habet talem vim intrinſecam. ſed extrinſecam; ſi ergo concipis Sacramentum conſtans ex virtute intrinſeca ad ſignificandum, quam fingis, non concipis idem Sacramentum, quod de facto datur à parte rei habens virtutem talem non intrinſecam, ſed ſolum extrinſecam. Si ergo cognoſcenda ſunt Sacramenta vera, quæ de facto dantur, non ſunt concipienda cum illo ente rationis ficto, ſed cum denominatione extrinſeca pro vt de facto ſunt à parte rei. Fateor quidem, hanc ipſam virtutem extrinſecam cognoſci in aliquo ſenſu ad modum virtutis intrinſecæ; non tamen cognoſcitur intrinſeca, aut fingitur. Nam ſicut, quando cognoſco Angelum ad modum, & per ſpecies iuuenis alati, non fingo alas in Angelo, nec cognoſco Angelum fictum, vel corporeum, ſed verum Angelum ſpiritualem ſimilem iuueni alato, in celeritate, decore, amabilitate, flore, viribus, & aliis perfectionibus, excludendo ab illo imperfectiones corporis, membrorum, & alias, quæ ſunt in iuuene alato; atque adeo totum hoc fit ſine fictione aliqua, quia verè Angelus ſimilis eſt illi iuueni, licèt careat illis imperfectionibus iuuenis; ſic intellectus noſter aſſuefactus ad cognoſcendas alias cauſas potentes operari per virtutem intrinſecam, per ſpecies earum cauſarum, & inſtar earum concipit Sacramenta cum virtute ſimili ad ſignificandum, non tamen ſimili in omnibus, ſed ſimili in ratione ſignificandi, licèt non cum eodem modo: & hoc eſt cognoſcere illam vim ſignificandi ad modum alicuius intrinſeci, hoc eſt, per ſpecies, & inſtar poteſtatis intrinſecæ; non tamen fingendo, ſed excludendo ea omnia, in quibus Sacramenta non ſunt ſicut alia ſigna, quæ habent poteſtatem intrinſecam.

Aliud eſt virtutem extrinſecam cognoſci ad modum virtutis intrinſecæ, & aliud cognoſci intrinſecam, quod explicatur.

Explicatur quod ſit illud morale quod remanet poſt inſtitutionem.

Aduerte denique, P. Suarez, & alios explicare hoc ipſum per aliquid morale, quod permanere cenſetur in Sacramento ex inſtitutione præterita: de quo morali inquirit P. Vaſquez, & vrget, an ſit reale? ſi enim non eſt reale, debet eſſe aliquid rationis. Sed ſi termini explicentur, facilè reſpondebitur, illud quod remanet eſſe moraliter reale, non phyſicè, nam eſſe moraliter tale nihil aliud eſt, quàm eſſe æquiualenter tale; vnde manere aliquid morale in ſigno poſt inſtitutionem, eſt dicere, perinde nunc Baptiſmum ſignificare nobis gratiam propter inſtitutionem præteritam, ac ſi nunc haberet connexionem aliquam intrinſecam, & phyſicam cum gratia, hoc enim eſt moraliter habere in ſe vim ſignificandi; quare totum hoc morale eſt phyſicè inſtitutio præterita, quæ æquiualet potentiæ, & facultati intrinſecæ, quam nunc haberet in ordine ad hunc effectum nunc ſignificandi. 42.

An ſit ratio vniuoca omnibus Sacramentis.

Quartum dubium eſt, an ratio communis Sacramenti ſit vniuoca omnibus Sacramentis nouis & antiquis? Negarunt aliqui, quos refert Suarez *in præſenti ſect. 1. §. ſecunda ſententia*, in fine: ipſe tamen Suarez paulò poſt illam ſententiam reiicit, & aſſerit, vtraque Sacramenta vniuocè conuenire; quod conatur probare ex Auguſtino *lib. 19. contra Fauſtum, c. 11.* comparante vtraque Sacramenta inter ſe, & docente, non poſſe homines in vnam veram religionem congregari ſine aliquo viſibilium ſacramentorum conſortio. Cùm ergo in lege veteri homines veram & ſupernaturalem religionem habuerint, conſequens eſt, habuiſſe etiam vera Sacramenta illi religioni accommodata. 43. Suarez. Auguſt.

P. Vaſquez c. 4. aſſerit quidem vniuocè conuenire rationem Sacramenti vtriſque. Addit tamen, hoc ideo eſſe verũ, quia de ratione Sacramenti non eſt, afferre ſecum in ſuſcipientem aliquam ſanctificationem, ſed ſolùm ſignificare veram gratiam intrinſecam, quam quia Sacramenta antiqua tam verè ſignificabant, quàm noſtra, licèt eam non cauſarent, ſed ſolùm figurarent futuram; hinc eſt, habuiſſe propriam & veram rationem Sacramenti. Denique dicit, hanc concluſionem non poſſe defendi in eorum ſententia, qui de ratione Sacramenti volunt eſſe, quod afferat ſecum aliquam ſanctitatem in Sacramenti vſu conferendam: quia cùm ſanctitas illa, quam Sacramenta vetera conferebant ſuſcipienti, non ſit propriè, & vniuocè ſanctitas cum ſanctitate intrinſeca gratiæ habitualis, quam noſtra Sacramenta conferunt ſuſcipientibus; conſequens erit 44. Vaſquez.

non eſſe vniuocè Sacramenta illa cum his,ſicut non afferunt vniuocam ſanctitatem.

45. Dices,quamvis ſanctitas non dicatur vniuocè de vtraque illa ſanctitate;cauſa tamen ſanctitatis dicitur vniuocè,de cauſa vtriuſque ſanctitatis, quia licèt ſanctitas illa legalis, non ſit propria ſanctitas; cauſa tamen illius eſt vera, & propria cauſa, ſiquidem tam propriè cauſat illam ſanctitatem legalem, quàm noſtra Sacramenta cauſant ſanctitatem internam;ergo in ratione cauſantis ſanctitatem in ſuſcipiente poſſunt conuenire vniuocè ipſa Sacramenta.

46. Sed contra hoc eſt, quia ſi vtraque illa ſanctitas non conuenit vniuocè in conceptu ſanctitatis, non poſſunt conuenire vniuocè cauſæ illius duplicis ſanctitatis,in ratione cauſantis ſanctitatem: poſſent quidem conuenire vniuocè in conceptu cauſæ,quia vtraque eſt verè cauſa ſui effectus;& ille conceptus præſcindit ab hoc,& illo effectu cauſato;non tamen conuenient vniuocè in conceptu cauſantis ſanctitatem, quia hic conceptus non poteſt præſcindere ab hac,& illa ſanctitate,cùm non detur vtrique ſanctitati vna ratio communis præciſa, & vniuoca; ergo cauſa vtriuſque ſanctitatis non poteſt concipi per vnum, & ſimplicem conceptum obiectiuum, ſed per duplicem ex parte obiecti,concipiendo cauſam ſanctitatis propriæ, & cauſam ſanctitatis impropriæ, qui cùm non ſit vnus conceptus, non poterit eſſe vniuocus, vt conſtat. Sicut licèt videns riſum hominis, & videns riſum prati conueniant vniuocè in conceptu videntis, quia vterque propriè videt ſuum obiectum, & ille conceptus præſcindit ab hoc, vel illo obiecto viſo;non tamen conueniunt in conceptu vniuoco videntis riſum, quia vnus,& alter riſus non poſſunt concipi vnico conceptu obiectiuo, ſed duplici. Item qui producit hominem verum, & qui producit hominem pictum vterque conuenit in conceptu vniuoco producentis, vterque eſt propriè producens, & hic conceptus præſcindit ab hoc, & illo termino producto: at verò non conuenit vterque in conceptu vniuoco producentis hominem, ſicut nec ipſi tales homines producti conueniunt vniuocè in conceptu hominis.Sic ergo Sacramenta noua, & vetera, licèt conueniant vniuocè in conceptu producentis aliquid in ſuſcipiente; non tamen poſſent conuenire in conceptu vniuoco producentis ſanctitatem in ſuſcipiente, ſi vtraque ſanctitas producta non conuenit in eodem conceptu vniuoco ſanctitatis.

Adhuc tamen defendi poſſe videtur vniuocatio

47. Sacramentorum omnium,licèt dicamus cum P.Suarez, requiri ad rationem Sacramenti, quod in ſuo vſu afferat ſubiecto aliquam ſanctitatem. Nam quamvis ſanctitas dicatur analogicè de ſanctitate gratiæ habitualis,& ſanctitate legali; poſſumus tamen ab vtriſque Sacramentis abſtrahere conceptum vniuocum,& communem; quem quidem non explicemus per nomen *Sanctitatis*, ſed per nomen conſecrationis, aut dedicationis, & coniunctionis peculiaris cum Deo, ita vt omne Sacramentum ſit cæremonia ſacra in ſuo vſu conſecrans,dedicans coniungens ſubiectum peculiariter cum Deo: & quidem licèt Sacramenta antiqua non afferrent veram,& propriam ſanctitatem recipienti; negari tamen non poteſt,quod propriè & verè illud ſubiectum dicarent Deo, & coniungerent cum Deo: nam ille, qui conſecrabatur Sacerdos, v.g. licèt non acciperet gratiam ſanctificantem; verè tamen conſecrabatur,& dedicabatur Deo, & coniungebatur peculiariter Deo;& licèt ſit nobilior,ac excellentior coniunctio hominis cum Deo per gratiam ſanctificantem; hoc tamen non tollit, quod illa etiam eſſet vera coniunctio, licèt inferior, & ignobilior. Hanc autem coniunctionem cum Deo ſignificamus in definitione Sacramenti in communi; quando dicimus eſſe cæremoniam ſacram ſanctificantem ſubiectum,ſumpto nimirum nomine *ſanctificationis*,in latiori ſignificatione, prout ſignificat, coniungere cum Deo,aut conſecrare aliquid Deo; quæ ratio communis eſt omnibus Sacramentis, vt vidimus.

Quomodo ratio Sacramẽti cõueniat omnibus vniuocè, non modò prout ſignum eſt, ſed prout cauſa eſt.

Vltimum dubium eſſe poteſt, vtrùm de ratione 48.
Sacramenti ſit, quod aliqua lege fixa, & ſtabili ſit ſtatutum, nec pro vna ſolùm, vel altera vice, ſed permanenter. P.Suarez *in præſenti,ſect.3.§.dico tertiò*, probat latè partem affirmantem, inductionem omnium Sacramentorum, quæ de facto inſtituta ſunt permanenter, & non pro vna vice, tam in lege antiqua, quàm in noua. Sed in primis poterit de hoc ipſo dubitari: quid enim, ſi aliquis contendat, manuum impoſitionem Moyſis ſuper caput Ioſuë Deuter. *c vlt.* qua dedit ei ſpiritum ſapientiæ,fuiſſe Sacramentum ſignificans gratiam legis nouæ, & conſecrans Ioſuë in miniſtrum Domini? Sed quidquid ſit de hoc,& aliis ſimilibus,non arguitur bene ab iis,quæ de facto ſunt,vt ex hoc ſolo negetur poſſibile aliud Sacramentum non ſtabile.

P.Suarez.

Deuter. vlt.

Secundò arguit, quia Sacramenta ſunt cæremo- 49.
niæ,in quibus conueniunt omnes fideles vt ſanctificentur, & Deum vniformiter colant, atque ita vnam Eccleſiam conſtituant; ergo debent eſſe aliquid permanens, & ſtabile, ſicut ipſa religio communis ſtabilis eſt. Confirmatur,quia ſigna ad placitum, quæ ad communem vſum conſtituuntur, non habent talem ſignificationem, niſi ex aliqua communi, & ſtabili lege, vel conſuetudine. Hoc argumentum habet contra ſe exemplum manifeſtum in ſacrificio: nam ſicut Sacramenta pertinent ad cultum Dei,quem Eccleſia exhibet,ſic & ſacrificia,vnde non minùs debent conuenire fideles in modo, & ritu ſacrificiorum,quàm in Sacramentis, nec minùs Deus in lege Moyſis determinauit genera & ritus Sacrificiorum, quàm Sacramenta,vt conſtat; & tamen poteſt adhuc aſſumi aliquod ſacrificium ad colendum Deum, non per legem permanentem, ſed per inſtitutionem quaſi tranſeuntem pro vna vice, ſic enim in lege naturæ Deus præcipit Abrahæ immolationem filij Iſaac ad cultum Dei; ſic etiam in nouo Teſtamento Chriſtus Sacerdos ex præcepto Patris obtulit ſacrificium cruentum in cruce, quorum tamen neutrum tranſiit in exemplum, vt conſtat, nec ſtabilitum fuit per legem permanentem, ſed tanquam ritus extraordinarius; ergo ſimiliter poſſet Deus inſtituere aliquod Sacramentum extraordinarium pro vna vice, quod pertinet etiam ad cultum Dei. Vnde ad argumenta reſpondetur facilè, ad vnitatem, & ſtabilitatem religionis ſatis eſſe, ſi omnibus fidelibus ſint communes cæremoniæ principales, & ritus, licèt alicui imponatur à Deo aliquando aliquid particulare, & extraordinarium,ſicut etiam ad vnitatem eiuſdem fidei ſufficit, ſi omnibus proponantur credendi iidem articuli principales, licèt aliquando alicui reueletur à Deo aliquod myſterium credendum, cuius fides non pertineat ad totum corpus Eccleſiæ.

Ad confirmationem ſimiliter dicimus, ad hoc,vt 50.
aliquod ſit ſignum ad placitum, etiam in ordine ad totam communitatem, non requiri, quod ſignificet pro omnibus caſibus; ſufficit ſi in tali caſu ſignificet omnibus; ſic mors Chriſti fuit verum ſacrificium inſtitutum à Deo, & ſignificans ex lege Dei cultum diuinum, quem quidem omnibus fidelibus ſignificat, non tamen ita, vt quælibet alia occiſio hominis poſſet id ſignificare, ſed illa ſola, & pro

illa vice. Sic ergo ex lege eiuſdem Dei extraordinaria poſſet aſſumi aliqua res ad ſignificandam ſenſibiliter gratiam pro tali caſu ſingulari, licet illam non ſignificaret in poſterum.

51. Arguit vltimò P. Suarez, quia ſi ad Sacramenta non requireretur ſtabilis, & permanens inſtitutio, ſequeretur multa de facto fuiſſe Sacramenta, quæ tamen Sacramenta non fuerunt, v. g. verba Chriſti ad Magdalenam, *Remittuntur tibi peccata tua.* Item inſufflatio Chriſti Ioan. 10. cùm dixit Apoſtolis, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* In his enim nihil aliud deſideratur ad rationem ſacramenti, niſi ſtabilis & permanens inſtitutio, ex cuius defectu excluduntur à ratione Sacramenti.

Ioan 10.

52. Reſponderi poteſt, in primis illa verba, *Remittuntur tibi peccata tua*, non fuiſſe Sacramentalia, quia non tam cauſarunt, quàm ſignificarunt remiſſionem peccatorum iam factam: prius enim dixerat iam Chriſtus, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* De inſufflatione verò, & illis verbis, *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* non video, cur neget P. Suarez fuiſſe Sacramentum, per illud enim ordinati ſunt Apoſtoli Sacerdotes, ſeu completa eſt eorum ordinatio quoad poteſtatem abſoluendi à peccatis, quam nondum acceperant, quando in vltima cœna acceperant poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, & offerendi Sacrificium legis nouæ. Quamvis autem nunc Eccleſia non vtatur inſufflatione, quando Preſbyteri ordinantur, non refert, quia ve notauit P. Vaſquez cum aliis *tom. 3. in 3 p. diſp. 130. n. 35.* in materiis & formis Sacramentorum aliquid fuit ab ipſo Chriſto inſtitutum pro tempore ſequenti, aliud verò voluit à ſe, vel etiam ab Apoſtolis aliquando vſurpari; cùm enim eſſet auctor Sacramentorum, potuit per poteſtatem excellentiæ quam habuit, aliqua materia ipſe vti, aliam verò pro ſequenti tempore præſcribere. Quod multis exemplis probat idem Vaſquez ibi. Quamvis ergo nunc inſufflatio non adhibeatur, adhibetur tamen loco illius manuum impoſitio cum eiſdem verbis, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, &c* Sicut etiam nunc ordinantur Sacerdotes, per traditionem hoſtiæ, & calicis cum vino, & aqua non conſecratis; licèt Chriſtus illam materiam Apoſtolis non tradiderit, ſed corpus & ſanguinem ſuum iam conſecratum.

Inſufflatio Chriſti in Apoſtolos fuit Sacramentũ, per quod ipſi ordinati ſunt, aut ſaltem completa eſt eorum ordinatio.

Vaſquez.

DISPVTATIO II.

De Materia & Forma Sacramentorum.

Sectio I. *Vtrùm Sacramenta noua legis conſtent rebus & verbis.*

Sectio II. *Vtrùm res, & verba in Sacramentis habeant ſemper modum materiæ & formæ.*

Sectio III. *Vtrùm Sacramenta includant intrinſecè, & in recto materiam, & formam.*

Sectio IV. *Vtrùm in Sacramentis nouæ legis requirantur verba conſecratoria, an concionatoria.*

Sectio V. *Vtrùm requirantur materia, & forma determinatæ.*

Sectio VI. *Quæ mutatio materiæ, & formæ noceat valori Sacramenti.*

Sectio VII. *Vtrùm intentio Miniſtri intret ad componendum intrinſecè Sacramentum.*

Sectio VIII. *Quid ſit in Sacramentis res tantùm, & Sacramentum tantum, & res & Sacramentum.*

Egimvs de eſſentia quaſi metaphyſica Sacramentorum; nunc eandem eſſentiam phyſicè conſiderabimus, examinando partes quaſi phyſicas quibus Sacramenta conſtant. Sermo autem eſt de Sacramentis nouæ legis, nam de Sacramentis antiquis poſtea redibit diſputatio.

SECTIO I.

Vtrùm Sacramenta noua legis conſtent rebus, & verbis.

Certum eſt, id non requiri ad eſſentiam Sacramenti in genere conſiderati: potuiſſet enim Deus talia nobis Sacramenta inſtituere, quæ non conſtarent rebus & verbis: imo de Sacramentis legis antiquæ de facto id habent pro comperto Theologi communiter; quia in circumciſione nulla videtur fuiſſe verborum formula neceſſaria; quod de aliis Sacramentis illius legis videtur etiam dicendum, cùm non conſtet, in eorum adminiſtratione fuiſſe aliqua verba præſcripta, quæ dicerentur. Rationem autem reddunt communiter Theologi cum S. Thom. *in præſenti, art 6. ad 3.* quod Sacramenta legis antiquæ erant obſcuriora, ſicut & ipſe ſtatus, cui deſeruiebant: ideo non fiebant per verba, quæ clariora, & expreſſiora ſigna ſunt, & idcirco apponuntur in Sacramentis legis gratiæ, in quo ſicut maior eſt lux, ſic debuit eſſe clarior modus ſignificandi. 1.

S. Thom.

Cur Sacramenta antiqua legis non conſtarent verbis.

. Igitur de Sacramentis legis nouæ concors Theologorum ſententia eſt, quod in ipſis reperiantur res, & verba. ſic ſentit S. Thom *d. art. 6.* ac cæteri Theologi communiter: & quod caput eſt, ita habetur in Concilio Florentino, poſt ſeſſionem vltimam in decretu Eugenij ad Armenos, §. *Quintò Eccleſiaſticorum*: vbi numeratis omnibus ſeptem Sacramentis, de iis omnibus ſubiungitur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri.* 2.

S. Thom.

Concil. Flor.

Sacramenta noua legis tribus conſtant, rebus, verbis, & miniſtro.

Rationem congruentiæ triplicem reddit S. Th. Prima deſumitur ex parte Chriſti, qui his Sacramentis vtitur, ad noſtram ſanctificationem: nam ſicut Verbum Patris in Chriſto coniungitur carni ſenſibili, ſic in Sacramentis Verbum rei ſenſibili adhibetur, & per hoc magis aſſimilantur Chriſto. Secunda congruentia deſumitur ex parte hominis, cui Sacramenta applicantur, qui ſicut componitur ex corpore, & anima; ſic Sacramenta habent rem ſenſibilem, quæ corpus tangit, & verbũ, quod ad animam tranſit & ab ea creditur. Tertia denique congruentia deſumitur ex fine, ad quem inſtituuntur Sacramenta, ſcilicet ad ſignificandum; nam, vt dixit Auguſt. *lib. 2. de doctrina Chriſtiana, c. 3.* verba obtinent principatum inter omnia ſigna, propter maximam aptitudinem, quam habent ad ſignificandum magis diſtinctè & in particulari conceptus noſtros: idcirco oportuit, vt ſignificatio rerum, quæ de ſe erat magis confuſa, & indeterminata, determinaretur per ſignificationem verborum, quæ eſt magis clara, & expreſſa. Præcipuum tamen fundamentum deſumitur partim ex Scriptura, in qua conſtat requiri res, & verba in multis Sacramentis, vt in Baptiſmo, Euchariſtia, & cæteris; partim ex traditione

Ratio congruentiæ ex D. Thoma triplex.

Auguſt.

Fundamentum tamẽ ex Scriptura & traditione deſumitur.

traditione perpetua Eccleſiæ, quæ in omnibus Sacramentis hanc neceſſitatem cognouit.

3. Durand.

Contra hanc communem doctrinam eſt duplex obiectio vulgaris, ob quam Durandus *in 4 diſt. 1. q. 3. n. 8.* ſentit, eam doctrinam non eſſe vniuerſaliter veram. Prima deſumitur ex Sacramento Pœnitentiæ, quod videtur perfici ſolis verbis, nempe confeſſione pœnitentis, & abſolutione Sacerdotis; ergo non omnia perficiuntur rebus & verbis. Nec ſatisfacit quod aliqui reſpondent, hoc Sacramentum includere etiam ſatisfactionem; ſatisfactio enim non eſt pars eſſentialiter requiſita ad Sacramentum. Eugenius autem in illis verbis loquitur de eſſentialiter requiſitis, vt conſtat ex verbis ſequentibus, *quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum.* Præterea de ipſa ſatisfactione poteſt fieri idem argumentum, cùm poſſit contingere, quod ſatisfactio etiam ſint verba, ſi v.g. pro pœnitentia imponatur, recitare ſemel coronam, vel pſalterium; tunc enim ex hac etiam parte Sacramentum conſtaret ſolis verbis.

4. *Quomodo Sacramentum Pœnitentiæ non conſtet ſolis verbis, vt obiicit Durand. duplex explicatio.*

Huic obiectioni dupliciter reſponderi poteſt. Primò in Sacramento Pœnitentiæ non ſolùm inueniri ex parte materiæ confeſſionem externam, ſed etiam dolorem internum, & ex hac parte iam non conſtat ſolis verbis. Dices, materiam ſecundùm ſe non eſſe ſenſibilem, niſi prout fit ſenſibilis per verba, quibus pœnitens confitetur ſuum peccatum; ergo tota materia ſenſibilis reducitur tandem ad ſola verba. Reſpondetur negando conſequentiam, quia licèt tota materia in eo caſu fiat ſenſibilis per verba; non tamen reducitur ad ſola verba tota materia, quæ eſt ſenſibilis, cùm contritio ſit etiam ſenſibilis. Porrò Pontifex in prædictis verbis nomine materiæ intellexit non ſolùm confeſſionem, ſed etiam contritionem internam, vt conſtat ex §. *Quartum Sacramentum*, vbi dicit, in Sacramento Pœnitentiæ actus pœnitentis eſſe quaſi materiam, ſcilicet cordis contritionem, oris confeſſionem, &c.

5. Secundo reſponderi poteſt in Sacramento Pœnitentiæ præter verba abſolutionis, & confeſſionis concurrere etiam peccata ipſa, tanquam materiam remotam; quæ licèt non ſint materia proxima, nihil refert, nam Eugenius in illo decreto non minùs videtur loquutus de iis, quæ concurrunt, & requiruntur, tanquam materia remota in Sacramento, quàm de materia proxima, quia in Baptiſmo ſolam nominat tanquam materiam aquam, quæ tamen eſt materia remota; in Confirmatione ſolum Chriſma, in Euchariſtia ſolum panem, & vinum; in Extrema-Vnctione ſolum oleum benedictum, in Ordine calicem, patenam & cætera quæ porriguntur; quæ omnia conſtat eſſe materiam ſolùm remotam, ſicut ſunt peccata in Sacramento Pœnitentiæ.

6. Dices, continget aliquando, quod ipſa peccata fuerint etiam peccata oris, & per conſequens ipſa quoque fuerint verba. Reſpondetur nullum dari peccatum oris, quin præcedat peccatum cordis, nam *de corde exeunt falſa teſtimonia, blaſphemia*, &c. Quare ſemper inuenietur ex parte materia aliquid præter verba.

7. *Secunda obiectio petita ex Sacramento Matrimonij.*

Secunda obiectio eſt ex Sacramento Matrimonij, quod ſolis verbis perfici videtur; illis ſcilicet, quibus coniuges mutuum conſenſum exprimunt. Huic difficultati plures, & valdè diuerſæ ſunt ſolutiones, ſicut & ſunt diuerſæ Doctorum ſententiæ in aſſignanda materia, & forma Sacramenti Matrimonij; de quo videri poſſunt vltra alios P. Thom. Sanchez *lib. 2. de Matrimonio, diſp. 5.* & P. Vaſquez *tom. 4. in 3. p. in tract. de Sacramento Matrimonij, diſp. 2.* Qui autem veriſimiliùs loquuntur, poſſunt ad tres claſſes reduci. Prima eſt eorum, qui dicunt, conſenſus contrahentium eſſe res, & materiam Sacramenti huius; verba autem, quibus eos exprimunt, eſſe formam. Pro hac ſententia adducuntur Alex. de Neuo, Syluester, Nauarrus, Humada, Capreolus, Beja, & alij, quos refert Sanchez *n. 2.*

P. Th. Sanch. Vaſquez.

Reſponſio prima ſententia.

Alex. Neuo. Syluester. Nauar. Humada. Capreol. Beja.

8. Ipſe Sanchez cum aliis eam impugnat, ex eo quod conſenſus, prout condiſtinctus à verbis, non eſt res ſenſibilis; ergo prout ſic, non poteſt eſſe materia adæquata Sacramenti, quia licèt contritio, quæ etiam ſecundùm ſe eſt res inſenſibilis, ſit materia partialis Sacramenti Pœnitentiæ, cæterùm materia totalis non poteſt eſſe aliquid inſenſibile. Si autem conſenſus ſit materia, prout fit ſenſibilis per verba, iam includerentur ipſa verba in materia, & per conſequens illud non tam eſſet materia, quàm totum compoſitum ex materia & forma.

9. Vaſquez. *Non videtur cur materia totalis Sacramenti nō poſſit eſſe inſenſibilis, dūmodo fiat ſenſibilis per formam.*

Hanc rationem reiicit Vaſquez *num. 14.* eo quod ſupponat probandum, quod ſcilicet materia totalis non poſſit eſſe id, quod ſecundum ſe eſt inſenſibile, & fit ſenſibile per formam, hoc enim difficilè poteſt probari; quia ſicut materia partialis poteſt eſſe id quod ſecundùm ſe eſt inſenſibile, ſed fit ſenſibile per alteram compartem materiæ, vt contritio, quæ fit ſenſibilis per confeſſionem, cur etiam non poterit eſſe materia totalis id, quod ſecundùm ſe eſt inſenſibile, fit tamen ſenſibile per alteram compartem eiuſdem compoſiti, ſcilicet per formam. Iam enim illud totum reſultans erit ſignum ſenſibile, & Sacramentum, in cuius definitione ponitur, quod ſit ſenſibile, non verò in definitione ſingularium partium ſecundùm ſe.

10. *Reiicitur prima illa opinio quod ſcilicet conſenſus contrahentium ſit materia Matrimonij. primo probatur ex eo quod materia debeat eſſe magis indifferens forma.*

Aliter ergo impugnat ipſe Vaſquez illam ſententiam, quia ſcilicet omne illud, quod in aliquo compoſito gerit munus materiæ in ordine ad alteram compartem tanquam ad formam; debet eſſe aliquid magis indifferens, & determinabile ab altera parte, quæ ideo dicitur forma, quia eſt vltimus actus determinans, & actuans indifferentiam materiæ, vt conſtat ex inductione, tam in compoſitis artificialibus, quàm naturalibus, & præſertim in omnibus aliis Sacramentis, in quibus materia ſemper eſt aliquid indifferens, & forma determinat illam indifferentiam ad ſignificandum hoc potiùs, quam illud; ſic aqua in Baptiſmo, oleum in Confirmatione, & Extrema-Vnctione, &c. ſunt ex ſe indifferentia ad ſignificandam ablutionem internam, ſanitatem, confortationem ſpiritualem, & determinantur per verba ad talem ſignificationem. Conſenſus autem internus coniugis non magis eſt indifferens, aut indeterminatus, quàm verba externa, cum feratur ad talem numero coniugem perpetuò accipiendum, & ad omnia alia, ad quæ feruntur verba; ergo non eſt, cur dicatur ille conſenſus eſſe materia reſpectu verborum externorum.

11. *Secundò ex comparatione cum conſenſu Epiſcopi ordinantis.*

Addere poſſimus ad impugnandam eandem ſententiam, ſi conſenſus internus coniugis eſſet materia in Sacramento Matrimonij, eodem modo conſenſum internum Epiſcopi ordinantis, v.g. fore materiam Sacramenti Ordinis; neque enim magis ſignificatur conſenſus internus coniugis per verba externa, quibus ſignificat, ſe dare coniugi poteſtatem ſupra ſuum corpus, nec minùs eſſentialiter requiritur conſenſus internus Epiſcopi ad valorem Sacramenti Ordinis, quàm conſenſus internus coniugis ad valorem Matrimonij; ergo non minùs erit materia vnus conſenſus, quàm alius: nemo autem dixit conſenſum internum Epiſcopi eſſe materiam; ergo nec hunc alium debemus dicere eſſe materiam Matrimonij.

12. Eugen. IV.

Confirmatur, quia Eugenius IV. in illo decreto apertè diſtinxit inter materiam Sacramenti, & intentio

Tertiò ex eo quod diſtinguatur materia ab intentione miniſtri in Eugenio.

Intentionem miniſtri; dixit enim: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia*, &c. Ergo conſenſus internus contrahentium non eſt materia in Sacramento Matrimonij, nam ille conſenſus internus eſt intentio celebrandi illud Sacramentum, neque enim habent aliam voluntatem, aut intentionem internam coniuges, niſi illum conſenſum internum, quem exprimunt per verba; vel certè non eſt neceſſaria alia intentio; nam conſenſus internus eſt voluntas obligandi ſe alteri coniugi; hæc autem eſt voluntas faciendi id, quod neceſſarium eſt ad obligationem contrahendam, & per conſequens faciendi verum, & legitimum Matrimonium: ergo ſicut Pontifex nomine materiæ non intellexit voluntatem internam, quam habet Epiſcopus, quando ordinat Presbyteros, dandi illis poteſtatem offerendi ſacrificium, & abſoluendi, &c. Hæc enim voluntas includitur in intentione miniſtri, quæ ibi etiam exigitur: ſic in Matrimonio per materiam non potuit intelligere voluntatem internam coniugis dandi alteri coniugi poteſtatem ſupra ſuum corpus, quia hæc voluntas ſignificatur etiam nomine intentionis faciendi verum Matrimonium.

13.
Alij reſpõdent corpora contrahentium fungi vice rerum in hoc Sacramento.

Secunda ergo reſponſio principalis eſt, in Sacramento Matrimonij non interuenire ſola verba, ſed res etiam, nempe corpora contrahentium, quæ traduntur inuicem, & quæ ſunt materia huius Sacramenti, ſicut in Sacramento Ordinis eſt materia, calix, patena, candelabrum, liber, claues, & alia, quæ traduntur; forma vero verba, quibus traduntur; ſic in Matrimonio materia ſunt corpora, quæ traduntur, forma verò verba, quibus traduntur; tum quia non poteſt aliter explicari materia huius Sacramenti, tum etiam à priori, quia cùm Chriſtus eleuauerit ipſum contractum Matrimonij inter fideles celebratum ad rationem Sacramenti, nihil prorſus mutauit in contractu, ſed illum eundem legitimum contractum, qualis in ſe erat eleuauit, vt eſſet ſimul Sacramentum: illud ergo erit materia huius Sacramenti, quod eſſet materia illius contractus: in contractu autem illud eſt materia contractus, quod per talem contractum datur, v. g. in emptione domus quæ venditur; in commodato equus, qui commodatur, & ſic de aliis, ergo in contractu Matrimonij materia ſunt corpora quæ inuicem traduntur per illum contractum & per conſequens eadem corpora erunt materia in hoc Sacramento. Pro hac ſententia afferuntur Paludan. Petrus de Soto, Adrian. Antonin. Couar. quos affert, & ſequitur P. Vaſquez *vbi ſupra c. 5.* quibus addit P. Sanchez Palatium eandem tenentem, & Capreol. ac Bartholom. D. Medina dicentem eam eſſe probabilem

Paludan. Petr. de Soto Adrian. Antonin. Couar. Vaſquez. Palat. Capreol. Medina.

14.

Contra hanc ſententiam arguunt aliqui, quia materia Sacramenti concurrit ad producendam gratiam; contrahentes autem in Matrimonio non concurrunt niſi mediis ſuis actibus; ergo ipſimet non ſunt materia. Sed hæc ratio non vrget, quia ipſi contrahentes iuxta veram ſententiam ſunt miniſtri, & per conſequens cauſant gratiam, ſiue phyſicè, ſiue moraliter; ergo non eſt mirum, ſi concurrant etiam alio titulo, quatenus ſunt materia, neque in hoc eſt aliqua indecentia.

15.
Impugnatur illa ſententia retorquendo argumentum exemplo ordinationis, Epiſcopi, Oſtiarij.

Meliùs impugnari poteſt retorquendo ipſum argumentum, quo vtitur pro fundamento: nam in aliis Sacramentis non eſt materia Sacramenti id, quod tradi intenditur, ſed id, per quod ſignificatur illius traditio, v. g. in ordinatione, & conſecratione Epiſcopi, quæ eſt quoddam Matrimonium ſpirituale, quod Epiſcopus contrahit cum ſua Eccleſia, tanquam cum ſponſa, ibi certè traditur Epiſcopo poteſtas ſupra ſponſam, hoc eſt ſupra ſuam Eccleſiam, & ſupra fideles, qui in illa ſunt: nemo tamen dixit, ipſam Eccleſiam, ſeu illos fideles, ex quibus conſtat, eſſe materiam in eo Sacramento, ſed potiùs Vnctionem, vel librum, per cuius traditionem ſignificatur traditio poteſtatis ſupra Eccleſiam. Similiter in ordinatione Oſtiarij traditur ei poteſtas aperiendi, & claudendi Eccleſiam, & tamen non eſt materia in illo ſacramento Eccleſia ipſa, ſed porta, & claues, quæ ab Epiſcopo traduntur, quæ ſunt claues, & porta aliquando, non quidem Eccleſiæ, ſed cubiculi priuati ipſius Epiſcopi, per illas tamen ſignificatur traditio clauiũ Eccleſiæ. Similiter in ordinatione Sacerdotis materia apud Græcos eſt ſola manuum impoſitio abſque vlla traditione calicis, aut patenæ, imò & apud Latinos, quando confertur poteſtas abſoluendi materia etiam eſt ſola manuum impoſitio, forma vero illa verba: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata*, &c. vbi id quod tradi intenditur, eſt poteſtas ſupra fidelium animas, & tamen fideles non ſunt materia, ſed potiùs illa impoſitio manuũ, per quam ſignificatur traditio poteſtatis, & ſic de aliis. Non eſt ergo bona conſequentia, in Matrimonio traduntur corpora contrahentium inuicem, ergo ipſa corpora ſunt materia huius Sacramenti.

16.
Neque ipſa domus quæ emitur, in emptione domus eſt materia ex qua ipſius contractus, ſed circa quam.

Vnde retorqueri etiam poteſt, quod de materia contractuum aſſumebatur, neque enim idem eſt id, quod per contractũ tradi intenditur, & id per quod, tanquam per materiam celebratur: nam in emptione domus id, quod tradi intenditur, eſt ipſa domus, id autem, per quod ſignificatur, & celebratur ipſa traditio, ſunt claues, vel ſcriptura, per quarũ traditionem celebratur contractus, quare claues vel ſcriptura ſunt materia, ex qua propriè conſtat contractus ille; domus verò eſt materia, circa quam, ſeu obiectum quod intenditur vendi & transferri. Nos autem in præſenti non quærimus de materia, circa quam tanquam circa obiectũ verſantur Sacramenta; nam ordinatio Sacerdotis verſatur circa peccata fidelium, ad quæ remittenda accipit poteſtatem, & circa corpus Chriſti, ad quod conſecrandum, & offerendum ordinatur; ſed agimus de materia, ex qua conficiuntur Sacramenta, tanquam ex eo, per quod ſignificatur effectus, qui intenditur: in hac autem conſideratione, non eſt materia res ipſa, quæ venditur, vel datur, ſed illa, per quam id ſignificatur.

17.
Impugnatur vlterius ex eo quod materia Sacramenti propriè ſit id cuius interuentu vel vſu exercetur, vt ablutio, vnctio.

Hinc poſſumus ſecundo impugnare illam ſententiam, & declarare vim præcedentis rationis, quia nomine materiæ Sacramentalis id omnes intelligũt, non ad quod vtcunque dicit ordinem ipſum Sacramentũ, ſed cuius interuentu exercetur, & ponitur, vt conſtat in omnibus aliis Sacramentis in quibus omnibus interuenit realiter, ipſa materia, vt ablutio in Baptiſmo; vnctio in Confirmatione, & Extrema-Vnctione; panis, & vinum in Euchariſtia; traditio calicis in Ordinatione; confeſſio peccatorum in Pœnitentia, &c. At verò corpora contrahentium poſſunt non interuenire tunc, quando fit Sacramentũ Matrimonij, tũc ſcilicet quando fit per procuratorem, qui contrahit nomine coniugis abſentis; in quo caſu Sacramentũ Matrimonij fit Romæ, v. g. vbi procurator conſentit; corpus autem coniugis eſt in Hiſpania; quod ſi vterque coniux contrahat per procuratorem, vt fieri poteſt, tunc ibi vbi fit Sacramentũ, nullum corpus coniugis vllius interuenit, & tamen ibi fit totum ſacramentum (ſuppono enim cum vera, & recepta communiter ſententia Matrimonium per procuratorem contractum, eſſe verum Sacramentum;) ergo corpora contrahentium non ſunt

materia, ex qua ſit hoc Sacramentum in eo ſenſu, in quo Theologi loquuntur de materia Sacramenti.

18. *Vaſquez.*

Dupliciter poteſt reſponderi ex doctrina eiuſdem Vaſquez *c.6.* in principio. Primò, non requiri materiam *ex qua*, in omnibus Sacramentis, nam in Euchariſtia non datur materia *ex qua*, ſed *circa quam*, ſcilicet panis, & vinum, quare idem dici poterit de Matrimonio, non habere materiam *ex qua*, ſed *circa quam*, nempe corpora contrahentium.

Hæc reſponſio reiici poteſt, primò quia ſupponit falſum, nempè in Euchariſtia non eſſe materiam *ex qua*; contrarium enim eſt verius, nam ſpecies panis, & corpus Chriſti componunt etiam illud Sacramentum, non autem intrant vt forma; ergo vt materia illius: de hoc tamen dicemus inferiùs agentes de Euchariſtia. Secundò reiici poteſt, quia ſaltem in omnibus Sacramentis inuenitur aliqua materia, quæ interueniat ibi, vbi, & quando ſit Sacramentum, & in ipſa Euchariſtia interueniunt panis & vinum, quæ debent eſſe ibi, vbi ſit Sacramentum; ergo in Matrimonio debet etiam aſſignari aliqua materia, quæ interueniat ibi, vbi ſit Sacramentum, qualia non poſſunt eſſe corpora contrahentium, quæ aliquando longiſſimè abſunt à loco, vbi ſit Matrimonium, vt vidimus. Tertiò denique, quia ſi corpora ſunt materia matrimonij, ideo erit, quia ea ſibi inuicem tradunt contrahentes, ac per conſequens eorum traditio erit materia proxima: nam in aliis Sacramentis, in quibus id, quod traditur, eſt materia remota Sacramenti, eius traditio eſt materia proxima, vt in ordinatione Sacerdotis, calix cum vino, & aqua, & patena cum hoſtia; in ordinatione Diaconi liber Euangeliorum; in ordinatione Subdiaconi calix, & patena; in Acolytho candelabrum; in oſtiario claues, &c. horum autem omnium traditio eſt materia proxima horum Sacramentorum; ergo ſimiliter in matrimonio, ſi corpora ſunt materia, quia traduntur, ipſa eorum traditio erit materia proxima, ſicut in aliis Sacramentis, hæc autem traditio ſunt verba, & nihil aliud; ergo verba ſunt materia proxima huius Sacramenti.

Corpora contrahentium poſſunt tantùm eſſe materia remota, corporum verò traditio materia proxima exemplo aliorum Sacramentorum.

19. *Neque etiam dici poteſt vt vult Vaſquez, quod contractus emptionis domus conſtet ex domo & pecunia tanquam ex materia.*

Secundò reſponderi poteſt ex eodem Vaſquez, corpora eſſe materiam *ex qua* reſpectu Sacramenti, & reſpectu contractus matrimonij, ſicut & in emptione domus, ait, poſſe non ineptè dici, quod contractus emptionis conſtet ex domo, & ex pecunia, tanquã ex materia, & ex conſenſu legitimo expreſſo tanquam forma. Hæc etiam reſponſio reiicitur. Primò, quia videtur omnino falſum, quod contractus emptionis conſtet ex domo ipſa, quæ emitur, nam ſi hoc eſſet, ſequeretur quod contractus ſtipulationis, quia Petrus, v.g. promittit Paulo ſcribere librum, conſtaret ex libro, qui promittitur ſcribendus, qui ſolus eſt materia, circa quam huius contractus: conſequens autem eſt falſum, quia licèt liber poſtea non ſcribatur, contractus tamen validus fuit, & perfectus in ratione contractus; ergo non conſtabat ex libro ſcribendo; nam liber nunquam fuit ſcribẽdus, & tamen contractus fuit perfectus; ergo neque contractus emptionis conſtat ex ipſa domo empta, cum tam ſit materia promiſſionis liber, quàm emptionis domus. Ratio autem eſt, quia contractus in ratione contractus eſt vltro citroque obligatio, ſeu vltro citroque obligationem ex conſenſu contrahentium pariens, vt eum communi docet Leſſius *lib 2. de iuſtit c. 17. dubit. 1.* in qua definitione non includitur res ipſa, circa quam contrahitur obligatio, licèt illa ſit terminus obligationis; ergo contractus non conſtat ex re ipſa, ſed eſt obligatio formalis, vel cauſalis, quæ ordinantur ad illam rem, ergo ſimiliter in contractu matrimonij non includuntur corpora quæ traduntur, ſed obligatio, ſeu promiſſio mutua inducens obligationem circa illa corpora.

Leſſius. Licet materia circa quã contrahitur ſit terminus obligationis, non tamen includitur in eſſentia contractus vt patet ex definitione.

20. *Reiicitur etiã exemplo Sacramenti Ordinis.*

Secundò reiicitur, quia ſi Sacramentum Matrimonij, eo quod in eo detur coniugibus mutua poteſtas ſupra corpora, dicitur conſtare ex ipſis corporibus, eodem modo dici debet Sacramentum Ordinis conſtare ex animabus ſubditorum, cùm in ordinatione Preſbyteri detur etiam ei poteſtas ſupra animas fidelium, & multò magis in conſecratione Epiſcopi detur ei poteſtas ſuprà ſuam Eccleſiam, cui verè obligatur tanquam ſponſæ, & quæ ei manet mutuò obligata. Conſequens autem nemo concedet, aut conceſſit, ergo nec in matrimonio id debet admitti. Vnde iam conſtat ſolutio ad fundamentum illius ſententiæ; concedimus enim illud, quod per contractum venditur, vel transfertur, poſſe in aliquo ſenſu appellari materiam contractus, hoc eſt, obiectum, circa quod verſatur, ſicut obiectum ſcientiæ appellari ſolet materia illius, non tamen eſſe materiam in eo ſenſu, in quo agimus, & in quo loquuntur Theologi de materia Sacramenti, vt conſtat ex cæteris Sacramentis, in quibus non aſſignatur pro eorum materia id, quod ſolùm ſe habet vt obiectum.

Res ipſa circa quam contrahitur in aliquo ſenſu dicitur materia cõtractus, hoc eſt obiectum, non tamen eo ſenſu in quo agunt Theologi de materia Sacramentorum.

21. *Tertia ſententia.*

Tertia ergo ſententia principalis docet, verba vtriuſque coniugis eſſe ſimul materiam, & formam huius Sacramenti. Quod quidem non omnes eodem modo explicant; nam aliqui dicunt, verba prioris coniugis eſſe materiam, verba autem poſterioris eſſe formam, quia determinant, complent, & perficiunt priora, ſub quibus adhuc erat imperfectum, incompletum, & indifferens matrimonium. Pro hac afferuntur Richardus, Angelus, Victoria, Henriq. Bartholomæus à Ledeſma, Vega, & alij, quos referunt Sanchez *vbi ſupra n. 5.* & Vaſquez *c. 2. n. 8.*

Richardus. Angelus. Victoria. Henriquez. Bartholom. à Ledeſma. Vega.

22. *Reiicitur prior modus quo explicatur hæc ſententia.*

Hic modus dicendi communiter reiicitur, & meritò; quia poteſt contingere, quod verba vtriuſque coniugis, ſimul eodem tempore proferantur, vel conſenſus vtriuſque ſimul exprimatur; in quo caſu nulla eſſet materia, & forma in illo Sacramento, cùm tota ratio materiæ, aut formæ deſumatur ex ordine, quo priùs, vel poſteriùs coniuges ſuum conſenſum exprimunt; poſſe autem illum caſum de facto contingere, probatur, quia ſaltem ante Concilium Tridentinum fieri poterat, vt per ſolam copulam carnalem præmiſſis ſponſalibus, matrimonium contraheretur, vt conſtat ex c. *is qui*, de ſponſalibus, & ex ſimili caſu in c. 2. & c. finali, de coniugio ſeruorum; & nunc etiam vbi Tridentinum receptum non eſt, eodem modo ſeruandum erit; imò etiam vbi Tridentinum eſt receptum, contingere poterit, quod per copulam maritali affectu habitam, aliquod matrimonium priùs inualidum incipiat habere valorem in aliquibus caſibus, vt docet Sanchez *lib. 2. de Matrimonio, diſp. 37. n. 14.* tunc autem neuter coniux ſuum conſenſum prior exprimit, ſed vterque ſimul; ergo fiet illud Sacramentum abſque vlla materia & forma.

Sanchez.

23. *Alter modus explicandi materiam per modum traditionis, & formam per modum acceptationis.*

Alij ergo dicunt, verba, vel ſigna contrahentium eandem eſſe materiam, & formam, ſed ſub diuerſis rationibus; nimirum materiam ſub ratione traditionis, formam verò ſub ratione acceptationis, ſinguli enim & tradunt ſe mutuò coniugi, & acceptant traditionem alterius coniugis. Traditio autem quatenus traditio, eſt imperfecta, & ſuſpenſa, donec acceptetur; accedente verò acceptatione, perficitur & completur; ergo acceptatio eſt forma perficiens traditionem; cùm autem reperiatur ibi duplex traditio, & duplex acceptatio ſignificata iiſdem verbis, conſequens eſt, vt illa duplex traditio ſit materia, acceptatio verò ſit forma cõpleta huius Sacramẽti,

hanc

Sotus. Bellarm. P. Th. Sanch. Suar. 2.

hanc ſententiam docuit Sotus, Bellarm. & alij plures, quos refert & ſequitur P. Thom Sanchez *dict. diſp.* 5 *n.* 6. & P. Suarez *in præſenti, diſp.* 1. *ſect.* 1.

24.
Vaſquez. Reiicitur à Vaſquez ex eo quod verbū includat aliud.

P. Vaſquez *c.* 2. *n.* 18. impugnat hanc ſententiam, quia confundit materiam cum forma; nam in huiuſmodi contractibus mutuis ille, qui tradit, non tradit abſolutè, ſed ſub conditione, ſi alter etiam tradat ex parte ſua; ergo ille qui acceptat traditionem alterius, cū non acceptet traditionem abſolutam, ſed conditionatā, eo ipſo quod illam acceptat, vult ponere ex parte ſua conditionem, ſcilicet reciprocam traditionem ſui, quare ipſamet acceptatio conſiderata quatenus acceptatio eſt, videtur iam includere traditionem; ergo ſi quatenus acceptatio, eſt forma, & quatenus traditio eſt materia, ſequitur quod quatenus forma ſit etiam materia, & per conſequens quod confundatur forma cum materia.

25.
Refutatur Vaſquez.

Hoc argumentum non videtur efficax, quia licèt traditio coniugis non ſit abſoluta, ſed ſub conditione reciprocæ traditionis, adhuc in acceptatione alterius coniugis poſſumus inuenire duas rationes formales adæquatè diſtinctas, traditionis, & acceptationis, quas poſſet diuerſis verbis exprimere; nam ſi Petrus, v.g. promittat mihi librum, ſi ego volo ei dare pallium; ergo poſſum ei reſpondere, volo tibi dare pallium, & nolo acceptare promiſſionem libri: ecce promiſſionem reciprocam ſine acceptatione: poſſem item reſpondere, accepto promiſſionē tuam conditionalem, & cogitabo paulìſper de conditione ponenda, vel non ponenda: ecce acceptationem ſine repromiſſione, poſſem denique dicere, promitto tibi pallium & accepto promiſſionem tuam: ecce promiſſionem & acceptationem, ſignificantes tamen per verba diuerſa, nam per priora ſolùm ſignifico promiſſionem, non acceptationem, per poſteriora acceptationem, non promiſſionem. De facto ergo coniux cùm dicit, *Accipio te in coniugem,* illa verba æquiualent his, *Trado tibi corpus, & accepto traditionem tuam;* quatenus ſignificant traditionem, dicit hæc ſententia habere rationem materiæ, quatenus ſignificant acceptationem, habere rationem ſolius formæ abſque vlla confuſione materiæ cum forma.

26.
Vaſquez. Meliùs reiicit exemplo aliorum contractuum in quibus acceptatio non eſt forma. Neque de ratione donationis eſt præcedere, acceptationis verò ſubſequi vt patet.

Meliùs arguit idem Vaſquez *n.* 16. contra illam ſententiam argumento deſumpto ex aliis contractibus, vel donationibus, in quibus nemo dixit, acceptationem donatarij eſſe formam donationis, nec poteſt id rationabiliter dici; nam acceptatio ex ſe non magis eſt poſterior, quàm prior donatione; ſicut enim poteſt donatio præcedere, & ſubſequi acceptatio complens, & perficiens donationem; ſic poteſt præcedere acceptatio, ſeu petitio, & ſubſequi donatio, ſeu promiſſio complens ſtipulationem perfectam, vt conſtat ex l. 1. §. *ſi quis,* de verborum obligationibus. Deinde acceptatio non habet in ſe aliquam maiorem determinationem, ratione cuius ipſa potius determinet ſignificationem traditionis, quàm è contra: tam enim determinata eſt traditio corporis, quàm acceptatio corporis; ergo non eſt, cur magis acceptatio ſit forma reſpectu traditionis, quàm traditio reſpectu acceptationis. Quare, ſi in aliis Sacramentis, v.g. in ordinatione, ille, qui ordinatur, deberet acceptare poteſtatem traditam per certam verborum formulam, quæ eſſentialiter exigeretur ad valorem Sacramenti, & quibus determinatè ſignificaret poteſtatem ſibi traditam; tunc illa verba pertinerent ad formam Sacramenti, non tamen ſola, ſed etiam verba Epiſcopi tradentis poteſtatem. Denique illa reſponſio adhuc non videtur diſſoluere difficultatem, quomodo ſcilicet in Sacramento Matrimonij interueniant res, & verba, nam

Neque hæc reſponſio ſoluit difficultatem propoſitam,

tota illa traditio, quæ ponitur pro materia, non minùs conſtat ex ſolis verbis, quàm acceptatio, quæ ponitur pro forma; ergo tandem totum Sacramentum fit per ſola verba tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ.

vtraque enim tam traditio, quàm acceptatio conſtat ex ſolis verbis.

27.
Diuerſa conſideratio in contrahente matrimoniū, miniſtro ſcilicet, & ſuſcipiente.

Hinc poteſt impugnari ſolutio aliorum, qui dicunt, verba illa in ſingulis coniugibus poſſe dupliciter conſiderari, ſcilicet vel vt ſunt recipientis, vel vt ſunt miniſtrantis Sacramentum: nam vnuſquiſque eſt, & recipiens Sacramentum ab altero coniuge, & miniſtrans idem Sacramentum alteri coniugi; & quidem illa verba prout proferuntur à miniſtrante, ſunt forma, prout verò proferuntur à ſuſcipiente ſunt materia, quia in aliis Sacramentis, quando recipiens Sacramentum per aliquem actum externum eſſentialiter requiſitum ad eorum conſtitutionem concurrit, ille actus habet rationem materiæ, vt conſtat in Sacramento Pœnitentiæ, & ratio eſt, quia ille actus recipientis Sacramentum, quatenus recipiens eſt, concurrit ad Sacramentum eſſentialiter, & non vt forma, recipiens enim vt ſic, formam non apponit; ergo vt materia, quia nihil aliud concurrit ad eſſentiam Sacramenti, niſi miniſter cum intentione debita, & materia & forma, vt conſtat ex citatis verbis Eugenij IV.

28.
Reiicitur etiā hic modus, quia ſi teneat ille actus & vt miniſter & vt ſuſceptor eſt æqualiter indeterminatus.

Hic etiam modus explicandi impugnatur (vt dixi) ex ſupradictis, quia ille actus ſiue ſe teneat ex parte recipientis, ſiue ex parte conferentis, ſi tamen non eſt magis indeterminatus ex ſe, non videtur poſſe comparari tanquam materia reſpectu alterius actus æquè indeterminati, vel non magis determinati; quia forma, vt ſæpè diximus, debet determinare, & actuare indifferentiam & potentialitatem materiæ. Quod autem ille actus vt ſic ſe teneat ex parte recipientis Sacramentum, parum refert; neque enim repugnat recipienti apponere formam rei, quæ de nouo recipitur, vt conſtat in naturalibus, quando homo per nutritionem recipit augmentum per nouas partes viuentes, quas recipit, quarum partium forma eſt ipſa anima hominis recipientis illud augmentum; ſimiliter ignis recipit alimentum ab oleo, & apponit in illa materia ſuas qualitates, & ſuam formam. Nec exemplum aliorum Sacramentorum quidquam probat; nam actus pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ, non ideo non ſunt forma, quia tenent ſe ex parte recipientis, ſed quia ſignificant minùs expreſsè, & minùs determinatè, quàm verba abſolutionis: illud autem eſt forma Sacramenti, vt diximus, quod determinat & exprimit in ratione ſigni indifferentiam, & confuſionem aliorum ſignorum. Denique in hac etiam ſolutione reſtat explicanda præcipua difficultas, quomodo ſcilicet in Matrimonij Sacramento concurrant res, & verba, & non ſola verba vtriuſque coniugis.

Deinde manet ſemper præcipua difficultas.

29.
Vera ſolutio authoris, eo quod traditio rei & verba traditionis ſaltem virtualiter differant, quod ſufficit.

Inter has ſolutiones, Tertia mihi magis placet: eam tamen paulò aliter ſic explico. Dico igitur, in verbis, ſeu ſignis contrahentium reperiri materiam, & formam huius Sacramenti; nam in illis reperiuntur diſtincta virtualiter, & traditio rei, & verba, quæ duo, quando condiſtinguuntur inter ſe, ſunt materia & forma in aliis Sacramentis, v.g. in Sacramento Ordinis reperitur traditio calicis, cum vino & aqua, & patenæ cum hoſtia, & reperiuntur præterea verba, quare traditio concurrit vt materia, verba autem vt forma; ſic etiam in emptione poteſt interuenire & traditio clauium domus venditæ, & ſimul verba, quibus fit venditio. Aliquando verò poterit totus contractus emptionis verbis perfici, quæ habeant vtramque vim abſque alia traditione, nam de ſubſtantia emptionis non eſt traditio, vt ex communi ſententia tradit Leſſius *lib.* 2.

Aliquando tamen contractus emptionis verbis perficitur. Leſſius.

de iuſtitia, c.21.dub.1.n.1. & licèt regulariter ad transferendum dominium requiratur traditio; hoc tamen eſt non ex natura rei, ſed ex iure ciuili, & non in omnibus caſibus, vt docet idem Leſſius *lib.2.c.3. dub.3.* nam, quando res venditur Eccleſiæ, aut locis piis, ſolis verbis fit emptio completa, & transfertur dominium, ſicut etiam beneficia Eccleſiaſtica per ſolam collationem, & acceptationem transferuntur ſupplentibus verbis pro traditione. Sic ergo in contractu matrimonij abſque alia actione externa, per ſola verba ſignificantia traditionem perficitur contractus, non minùs, quàm ſi realis traditio externa intercederet. Vnde, licèt poſt emptionem rei ſine traditione factam eadē res ſecundo emptori vendita, & tradita transeat in eius dominium regulariter loquendo, vt conſtat ex legibus adductis apud eundem Leſſium *d. c.21. dub.29.* In matrimonio tamen certum eſt, poſtquam celebratum eſt per verba de præſenti etiam abſque alia traditione, non poſſe valide transferri ius in corpus coniugis in alium quacunque etiam traditione ſequuta. Habent ergo verba illa, quibus Matrimonium perficitur, vtramque vim, ſcilicet obligationis, & traditionis, quæ poſſent ſeparari, & fieri ſingulæ per ſigna diuerſa: quare quando eadem verba gerunt vtrumque munus, ibi poſſumus diſtinguere virtualiter traditionem, & obligationem perſonalem, & dicere, quod verba illa, vt ſunt traditio corporum, ſint materia, vt verò ſunt verba inducentia obligationem perſonalem, ſicut alia verba, ſint forma, eo quod habeant in ſe ſimul illa duo, quæ in contractu emptionis inueniuntur regulariter in verbis ſimul, & in traditione rei venditæ; & habeant etiam in ſe ſimul totam rationem ſigni, quam habent inter ſe diuiſam in Sacramento Ordinis verba, & traditio calicis & patenæ, vel alterius materiæ; quare ſignificare poſſunt, & per modum materiæ, & per modum formæ.

Leſſius.

Vnde in Matrimonio habet vim obligationis & ſic ad formã & traditionis & ſic ad materiam pertinent.

Per hæc autem non intendimus excludere ipſa
30\. corpora contrahentium omnino à materia remota illius Sacramenti: ſolū enim quærimus de materia proxima, quam diximus non eſſe ipſa corpora, ſed traditionem corporum, quæ aliquando fit per realem traditionem, aliquando per verba, quæ tamen ſunt æquiualenter res, quatenus æquiualent traditioni phyſicæ & reali, & vt ſic ſunt materia proxima Sacramenti.

Verba ſunt æquiualenter res & æquiualent traditioni phyſicæ.

31\. Vnde iam conſtat, quid dicendum ſit ad obiectionem principalem, iuxta hanc explicationem: dicimus enim, in hoc Sacramento interuenire etiam res, & verba, non quidem ſemper formaliter, ſed aliquando virtualiter, & æquiualenter. Nam quando matrimonium perficitur per realem traditionem corporum, nempè per copulam carnalem maritali affectu habitam, vt ſupra diximus; tūc interueniunt formaliter res, verba verò ſolū virtualiter, & æquiualenter, prout includuntur in illa traditione reali corporum: quando verò è contra Matrimonium fit per ſola verba, abſque illa reali traditione, tunc interueniunt formaliter verba, res autem ſeu traditio realis interuenit virtualiter & æquiualenter prout includitur in illis verbis ſupplentibus pro traditione reali: nec hoc eſt vllo modo contra intentionem Eugenij Pontificis in illo decreto, ipſe enim poſt illa verba generalia, faſſus eſt in § *ſeptimum Sacramentum*, in matrimonio non ſemper interuenire verba, ſed regulariter; aliquando enim fieri poteſt per ſigna, ſic enim ait: *Cauſa efficiēs matrimonij regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*; ergo quod priùs dixerat omnia Sacramenta perfici rebus, & verbis, nō intellexerat vniuerſaliter de verbis, & rebus formaliter, ſed de verbis, & rebus formaliter, vel æquiualenter. Qui ſenſus confirmari poteſt iterum ex eodem decreto, in quo poſtquā dictum fuerat, res in Sacramentis eſſe materiam, & verba formam; poſtea in §. *Quartum Sacramentum*, loquendo de Sacramento Pœnitentiæ, aſſignantur pro materia actus pœnitētis; nempè cordis contritio, oris confeſſio, ſatisfactio; vt confeſſio vocalis, quæ cōſtat verbis ſolis, ponitur vt & pars materiæ, quam tamen ſuperiùs dixerat eſſe res, quia nimirū, cōfeſſio illa, licèt verbis fiat, eſt per accidens, cum æquè bene poſſet nutibus, vel Scriptura à pœnitente præſente fieri. Fatendum ergo eſt, illam diſtributionem in res & verba, vt res ſint materia, & verba forma Sacramentorū, non eſſe ita litteraliter, & ſtrictè accipiendam; ſed quia maiori ex parte res & non verba ſolent eſſe materia, & è contra verba & non res ſolent eſſe forma, ideo à frequentibus contingentibus res dictas eſſe materiam, & verba formam.

Suffic it vt verba ſint æquiualenter, & res formaliter, vel contra.

Obiicier aliquis non poſſe hanc explicationem 32.
adaptari verbis Eugenij; nam Pontifex, ita vult interuenire res, & verba in Sacramentis, vt res ſint materia, & verba ſint forma; materia autem, & forma debent diſtingui omnino inter ſe; nihil enim poteſt eſſe forma ſui ipſius, ſed alterius; ergo præter ipſa verba contrahentiū, debent inueniri in Sacramento Matrimonij aliæ res; quæ ſint materia, quæ condiſtinguantur omnino à verbis. Reſpondetur, hāc difficultatem pariter procedere contra ſententiam ſecundam ſupra adductam P. Vaſquez, & aliorū, quæ ponit, materiam eſſe ipſos contrahentes; nam Pontifex etiam diſtinguit materiam à miniſtro Sacramenti, dicit enim: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri.* Ecce ponit miniſtrū, tanquam diſtinctum à materia; cùm ergo contrahentes ipſi ſint miniſtri in illo Sacramento, vt docent ferè omnes Theologi, non poterunt ipſi eſſe materia. Similiter eadem difficultas vrget contra Suarez, & alios, qui eadem verba ponunt eſſe materiam, ſub ratione traditionis, & formam ſub ratione acceptationis; nā hæ duæ rationes nō diſtinguuntur realiter, in verbis, ſed ad ſummum virtualiter. Omnea ergo debemus dicere, Pontificem non intendere in præſenti, ponere illa tria realiter diſtincta inter ſe in omnibus Sacramentis, ſed realiter, vel virtualiter, poſſunt enim aliquando illa in Matrimonio eſſe realiter diſtincta, ſi v.g. copula carnali, vel aliqua traditione reali corporis, & verbis ſimul perficeretur matrimonium, tunc enim traditio illa, vel copula gereret munus materiæ, & verba gererent munus formæ; aliquando verò poſſunt ſolùm virtualiter diſtingui, vt contingit regulariter, eo quod eadem verba ſecundùm diuerſas formalitates, vtrumque munus gerant, vt dictum eſt.

Obiicitur.

Reſponſio.

Vaſquez.

Sufficit vt illa tria aſſignata ab Eugenio diſtinguantur virtualiter.

Hinc ſolui poteſt ſimilis obiectio, quæ poteſt fieri 33.
ex eodem Sacramento Matrimonij, in quo aliquando è contra nulla interueniunt verba, ſed ſola res; vt quando nutibus, vel ſignis celebratur, abſque verbis, & vrgeri poteſt ex caſu quo perficeretur per ſolam copulam carnalem, prout contingere poteſt. P. Vaſquez *in præſenti d. diſp. 129. num. 12.* reſpondet, Pontificem ſe ſe declaraſſe, dū addit Matrimonium *regulariter* fieri per verba, vbi ſatis innuit, ſuam doctrinam præcedentem non debere vniuerſaliter intelligi de omnibus Sacramentis, quod omnia perficiantur ſēper rebus, & verbis, ſed debere excipi matrimonium, quod aliquando non perficitur verbis, P. Suarez reſpōdet, nutus illos, & ſigna eſſe æquiualenter verba, cùm eo modo contrahentes exprimant ſuum conſenſum, quaſi per quædam verba. Vtraque ſolutio in idem ferè recidit; ſed hæc reſponſio

Similis obiectio.

Vaſquez.

Suarez.

videtur

videtur eſſe magis iuxta noſtrum modum loquendi; ſicut enim quando fit ſolis verbis, diximus, interuenire res æquiualenter, quatenus illa verba continent quandam traditionem realem corporum: ſic quando fit ſine verbis formalibus, dicendum eſt interuenire virtualiter verba, quatenus illi nutus, vel illa corporum traditio continet æquiualenter verba, quibus exprimatur conſenſus internus.

SECTIO II.

Vtrùm res & verba in Sacramentis habeant ſe per modum materiæ & formæ.

34. S. Thom. Eugen. IV. Communis, & recepta Theologorum ſententia affirmat cum S. Thom. *in præſenti art. 6.* quem modum loquendi vſurpauit Eugen IV. Pontifex in decreto illo ſæpè allegato, & videtur deſumptus ex August. Auguſt. *tract. 80. in Ioan.* dicente: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Vbi illa vox, *accedit*, videtur ſignificare, quod verba in Sacramentis aduenient rebus, ſicut forma ſolet aduenire materiæ; illud enim, quod accedit, ſeu aduenit, videtur eſſe poſterius, & vltimum, quod eſt proprium formæ, nam forma eſt quæ dat vltimum eſſe rei: dicuntur autem verba potius accedere rebus, quàm res verbis; quia ſicut in compoſito phyſico forma determinat materiam, quæ de ſe erat magis indifferens, vt componeret hominem vel equum, forma autem

Verba ſunt forma, quia ſunt magis determinatiua. ſicut in ſe eſt magis determinata ad equum, v.g. ſic determinat indifferentiam materiæ; ita in Sacramentis res de ſe erant magis indifferentes ad ſignificandum hoc vel illud, nam in Sacramento Ordinis, v.g. traditio calicis, & patenæ poſſet ſignificare traditionem ad cuſtodiam, vel ad miniſtrandum vel ad alia: aduenientibus autem verbis, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium, &c.* Iam illa indifferentia materiæ determinatur ad ſignificandam traditionem poteſtatis Sacerdotalis, & ſic de aliis Sacramentis: vnde meritò Theologi appellarunt verba Sacramentalia, formam, res verò, materiam Sacramenti.

35. *Quid olim nomine formæ Sacramenti apud Patres intelligeretur.* Auguſt. Hic tamen obiter aduertendum eſt, olim apud Patres per formam Sacramenti non idem omnino ſignificari ſolitum fuiſſe, ſed paulò latiùs illud nomen fuiſſe vſurpatum, ſcilicet pro formula, ſeu ritu obſeruari ſolito in adminiſtratione Sacramenti. Conſtat autem hæc acceptio ex Auguſtino in primis multis in locis, ſed præſertim *lib. 1. de peccatorum meritis, c. 34.* vbi contra Pelagianos probat, dari in paruulis nondum baptizatis peccatum originale; idque deducit ex ritu, quo baptizari ſolent paruuli, ſcilicet exorcizando illos, & eiiciendo Diabolum ab eorum mentibus per inſufflationem, & alias cæremonias Eccleſiaſticas, quæ oſtendunt, in iis pueris ante lauacrum habitare Dæmonem per peccatum. Hoc autem argumentum, quo frequenter vtitur ad hoc probandum, appellat argumentum deſumptum

Apud Auguſtinum forma pro formula vel ritu. à forma Baptiſmi. *Quid* (inquit) *de ipſa forma Sacramenti loquar? Vellem, aliquis iſtorum, qui contraria ſapiunt, mihi baptizandum paruulum afferret. Quid in illo agit exorciſmus meus, ſi in familia Diaboli non tenetur? Ipſe certè mihi fuerat reſponſurus pro eodem paruulo, quem geſtaret, quia ille pro ſe reſpondere non poſſet. Quomodo ergo dicturus erat, eum renuntiare Diabolo, cuius in eo nihil eſſet? Quomodo conuerti ad Deum, à quo non eſſet auerſus, credere inter cætera remiſſionem peccatorũ, quæ illi nulla tribueretur*, &c. & tandem concludit: *Falſam igitur vel fallacem paruulis tradi Baptiſmatis formam, in qua ſonaret quod vtique agi videretur, & tamen nulla fieret remiſſio peccatorum, viderunt aliqui eorum, nihil execrabilius, ac deteſtabilius dici poſſe, atque ſentiri.* Vbi apertè conſtat, formam Baptiſmi appellari ab Auguſtino totam illam formulam, ſeu ritũ Baptiſmi, quatenus comprehendit exorciſmos, renuntiationem Diaboli, ſymbolũ, & fidei profeſſionem, &c. & in eodem ſenſu, *lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia, c. 20.* dicit, ex veritate Sacramentorum hoc ipſum comprobari, *Ab hac igitur* inquit, *poteſtate tenebrarum, quarum eſt Diabolus princeps, id eſt, à poteſtate Diaboli, & Angelorum eius, quiſquis erui, cùm baptizantur, negauerit paruulos, ipſorum Eccleſiæ Sacramentorum veritate conuincitur, quæ nulla hæretica nouitas in Eccleſia Chriſti auferre vel mutare permittitur, regente, atque adiuuante capite totum corpus ſuum puſillos cum magnis.* *Confirmatur per alium locum.* *In veritate itaque, non in falſitate poteſtas Diabolica exorcizatur in paruulis, eique renuntiant, quia per ſua non poſſunt, per corda & ora geſtantiũ, vt eruti à poteſtate tenebrarum in regnum ſui Domini transferantur.* In quibus verbis per Sacramenta intelligit totũ illum ritum præuium exorciſmi, renuntiationis, &c. & ideo dicit, Sacramenta fore falſa, ſi non ſit peccatũ, nec Diabolus in paruulis, cui renuntient, & propter quod exorcizentur. Idem argumentum vrget Auguſtinus aliis in locis, in quibus illam, quam hîc appellauerat formam Sacramenti, appellat ritum; ſic loquitur *Epiſt. 105. ad Sixtum*, paulò ante finem, vbi de iiſdem Pelagianis: *Circumſtipantur enim* (inquit) *& diuinarũ auctoritate lectionum, & antiquitus traditæ, & retentæ firmiter Eccleſiæ ritu in Baptiſmate paruulorum, vbi apertiſſimè demonſtratur, infantes, & cùm exorcizantur, & cùm ei per eos, à quibus geſtantur, renuntiare reſpondent à Diaboli dominatione liberari.* Idem ergo apud Auguſtinum eſt ritus, & forma Baptiſmi.

Hunc etiam modum loquendi vſurparunt Patres 36.
Concilij Mileuitani, cui interfuit Auguſtinus *c. 2.* Concil. Mileuit. cuius verba referuntur in cap. *Placuit 153. de conſecratione, diſt. 4. Placuit* (inquit) *vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur (vnde fit conſequens, vt in eis forma Baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur) anathema ſit.* Quæ verba, cùm ab Auguſtino ibi præſente, & eo argumento ſæpè vtente, deſumpta fuerint, non eſt dubium, quin in eodem ſenſu fuerint vſurpata ſumendo *formam* pro *formula*, ſeu ritu Baptiſmi. Vnde rurſus fit, eadem verba quæ ex eo Canone tranſcripta ſunt, & vſurpata à Patribus in Concil. Trident. *ſeſſ. 5.* in decreto Concil. Trid. *In quo ſenſu verba Mileuitani à Trident. vſurpentur.* de peccato originali, debere etiam in eodem ſenſu intelligi; nam licèt tempore Concilij Tridentini apud Scholaſticos iam nomine *forma* intelligerentur verba eſſentialiter requiſita ad valorem Sacramenti, cùm tamen Patres ibi vſurpauerint Canonem integrum Concilij Mileuitani, retentis eis verbis, non expediebat illa verba in alia diuerſa ſignificatione accipere, ſed in illa eadem, qua à Patribus Mileuitanis fuerant vſurpata. Quem modum loquendi vſurpauit etiam Innoc. IV. in commentariis Innoc. IV. ſuper cap *Presbyter*, de Sacramentis non iterandis: vbi ait, tempore Apoſtolorum formam qua ordinabantur miniſtri, fuiſſe manuum impoſitionem, nec aliam tunc fuiſſe formam ſeruatam, vbi per formam intelligit modum ordinationis, non id quod nunc intelligimus, nam impoſitio manuum magis erit materia, quàm forma, vt conſtat.

Ex quibus obiter ſoluitur etiam argumentum 37.
quod fieri poſſet ex illis verbis Tridentini ad probandum, B. Virginem Deiparam contraxiſſe maculam originalem; *Quomodo B. Virgo fuerit baptizata.* quia nimirum ex mente Tridentini, ſi infantes non haberent peccatum originale, forma Baptiſmi eſſet in ipſis falſa; ſed B. Virgo iuxta

veram, & communem ſententiam ſuſcepit Sacramentum Baptiſmi; ergo ſupponitur habuiſſe culpam originalem: alioquin formæ Baptiſmi in ipſa fuiſſet falſa. Hoc (inquam) argumentum præter alias ſolutiones, quas habet, ſolui poteſt ex iis, quæ proximè notauimus; nam licèt B. Virgo fuerit baptizata, non tamen ea formula, & ritu, quo infantes baptizantur, & quem Concilia intelligunt nomine *formæ*, cùm ex veritate formæ colligunt peccatum originale in paruulis: neque enim B. Virgo exorcizata fuit, aut inſufflationibus vel aliis cæremoniis à Dæmone purgata, vt conſtat; ſed ad hoc baptizata fuit, vt augmentum gratiæ acciperet, & fieret per illud Sacramentum membrum ſpirituale Chriſti, & capax aliorum Sacramentorum: quare totum Sacramentum eſſentiale, & ſubſtantiale potuit circa illam exerceri abſque vlla culpa originali, quam prius contraxiſſet.

38.
Communis quædam difficultas.

His ſuppoſitis reſtat communis quædam difficultas, contra principalem concluſionem, qua dicimus Sacramenta conſtare ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma; quia ſcilicet Sacramentum eſt quoddam ens artificiale in genere ſigni, vt conſtat ex eius definitione ſupra tradita: omne autem ſignum ad placitum componitur ex re ſignificante, vt ex ſubiecto, & ex ſignificatione, tanquam ex forma. nam ſicut forma calidi eſt calor, ſic forma ſigni eſt ſignificatio, ſeu ſignificatiuitas, vt ita dicam, à qua conſtituitur formaliter in ratione ſignificatiui; hoc autem non habet Sacramentum à verbis, ſed ab inſtitutione diuina, nam ipſa verba abſque diuina inſtitutione non eſſent ſigna gratiæ, nec Sacramenta; ergo inſtitutio, ſeu vis ſignificandi, & non verba eſt forma Sacramenti, vt Sacramentũ eſt.

39.
Duplex eſt in Sacramentis compoſitio.

Exemplo monetæ.

Reſpondetur, in Sacramentis reperiri duplicem compoſitionem, alteram ex Sacramento, & Sacramentalitate (vt ita dicam) ſeu vi ad ſignificandum; alteram priorem in ipſo Sacramento quod ſe habet, vt ſubiectum ſignificationis, ſicut in moneta ærea eſt duplex etiam compoſitio, altera ex ære, & ſigillo Principis, à quo accepit valorem, & quaſi vltimam formam monetæ, altera in ipſo ære ex materia, & forma ſubſtantiali æris, & quæ poteſt dici etiam forma monetæ: ſic in præſenti conſideramus hanc duplicem compoſitionem in ſingulis Sacramentis: quando ergo dicimus, verba eſſe formã Sacramenti, non eſt neceſſe, quod loquamur de illa vltima forma; per quam cõſtituitur vltimò in ratione ſigni inſtituti ad infallibiliter ſignificandam gratiã, hæc enim eſt inſtitutio, ſeu vis ſignificandi, ſed loqui poſſumus de forma componente ipſum Sacramentum pro materiali antecedenter ad inſtitutionem.

40.
Suarez.
Quomodo Suarez explicet ſuam mentem in hac difficultate aſſignando dualitatem & partialem ſignificationem.

P. Suarez *in præſenti ſect.* 1. verſùs finem paulò aliter reſpondet, dicit enim, in ipſo Sacramento partes illius, ſcilicet materiam, & formam habere ſingulas ſuam partialem ſignificationem, poſtea verò vnam partem cum ſua ſignificatione partiali poſſe conſiderari vt formam, reſpectu alterius partis, cum ſua ſignificatione, ſicut in domo figura artificialis eſt forma, qua conſtituitur formaliter domus: adhuc tamen ſingulæ partes integrantes habent ſuam figuram partialem, & inter ipſas partes vna conſideratur quaſi forma reſpectu alterius; nam tectum cum ſua figura partiali videtur aduenire quaſi forma pauimento, & parietibus habentibus iam ſuam figuram etiam partialem. Sic etiam in Baptiſmo, v.g. ablutio habet ſuam ſignificationem partialem, qua imperfectè confusè ſignificat ablutionem animæ, verba verò cum ſua ſignificatione partiali qua clariùs & perfectiùs ſignificant eandẽ ablutionem internã, adueniunt tanquã forma ablutionis ſignificantis; itaque Baptiſmus componitur ex ablutione ſignificante, & ex verbis ſignificantibus tanquam ex materia, & forma; ita vt & ablutio determinetur per verba, & ſignificatio materiæ determinetur per ſignificationem formæ, quod clariùs videtur conſtare in Sacramento Euchariſtiæ, in quo ſpecies Sacramentales ſignificant animæ nutrimentum, & vnionem fidelium inter ſe, & cum Chriſto, verba verò conſecrationis, quæ ſunt forma, ſignificant præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus.

41.
Vaſquez.
Impugnatur à Vaſquez, qui vult eſſe vnicam indiuiſibilem.

P. Vaſquez *in præſenti c.* 2. *n.* 10. *& ſeqq.* hunc modum dicendi impugnat, & contendit, in Sacramento non reperiri illas duas ſignificationes partiales, quarum altera ſe teneat ex parte materiæ, altera ex parte formæ, ſed vnicam ſimplicem, & indiuiſibilem, quæ ſe teneat ex parte vtriuſque. Pro quo aduertit, in materia, & forma Sacramenti præcedere quidem ſignificationem quandam fundamentalem, id eſt, proportionem, quam habent illæ res, & illa verba, vt potuerint à Deo conuenienter aſſumi, ad ſignificandum Sacramentalem effectum, v.g. in Baptiſmo, ablutio externa de ſe habet proportionem ad ſignificandum ablutionem internam, & multò magis illa verba, *Ego te baptizo*, &c. ex impoſitione hominum habent ſignificare eandem ablutionem: quod clarius apparet in verbis abſolutionis, *Ego te abſoluo, &c* quæ ex hominum inſtitutione habent ſignificare abſolutionem à peccatis, & verba etiam conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*, habent ex hominum inſtitutione ſignificare præſentiam corporis Chriſti. Et quidem loquendo de hac ſignificatione, non eſt dubium, quin in ipſa materia, & forma præcedat duplex ſignificatio partialis, altera in rebus, altera in verbis, ſeu duplex aptitudo partialis fundamentalis, vt aſſumerentur à Deo ad ſignificandum effectum Sacramentalem. Cæterùm hæc non eſt ſignificatio illa propria Sacramenti, vt Sacramentum eſt, & per quam conſtituitur in ratione Sacramenti: nam ſignificationem Sacramentalem habent Sacramenta omnia à Chriſto Domino, à quo inſtituta ſunt, & à quo habent eſſe ſigna infallibilia gratiæ ſanctificantis. Et hæc ſignificatio videtur omninò eſſe ſimplex, & indiuiſibilis, quia materia ſeorſim, aut forma ſeorſim nullo modo, nec partialiter quidem ſignificant gratiam ſanctificantem. Vnde concludit idem Vaſquez, partes illas, quæ in Sacramento comparantur, vt materia, & forma, non eſſe res cum ſua ſignificatione partiali ex vna parte, & ex alia parte, verba etiam cum ſua partiali ſignificatione, ſed res ſecundùm ſe, & verba ſecundùm ſe, ita vt ex ipſis componatur integra quaſi materia ſecunda Sacramenti, cui aduenit vltima forma artificialis, quæ eſt ſignificatio Sacramentalis, quæ habetur ex Chriſti inſtitutione.

Bene explicat Vaſquez distinguendo duplicem ſignificationem, ſcilicet fundamentalem & formalem.

42.
Arridet hæc vltima doctrina, aliquid tamen in prima placet.

Huic ſecundæ ſententiæ magis aſſentior, aliquid tamen primæ concedendum eſt. Pro quo aduerto primò, non eſſe ſermonem, vt diximus de ſignificatione illa fundamentali, qua res, & verba habent antecedenter ad Chriſti inſtitutionem. Hæc enim ſignificatio, ſeu proportio videtur proculdubio eſſe compoſita ex duplici ſignificatione partiali; & licèt P. Vaſquez *num.* 13. hanc etiam dicat, non reperiri in omnibus Sacramentis, nam in matrimonio (inquit) neque verba, neque res, neque quidquam aliud hunc effectum ſpiritualem gratiæ verè, aut falsè expreſsè denotabant ante diuinam inſtitutionem, ſed ſolam mutuam corporum traditionem, & vinculum inter coniuges; adhuc negari non poteſt, quod antecedenter ad Chriſti inſtitutionem ſit in contractu matrimonij proprio quædam ſpecialis aptitudo, vt aſſumeretur, & inſtitueretur à Deo

ad

ad ſignificandam gratiam, &c. quam poſſumus appellare ſignificationem radicalem, & remotam, & quam ipſe Vaſquez tandem concedit, nunc ergo ſolùm eſt ſermo de ſignificatione Sacramentali, quæ habetur poſt diuinam inſtitutionem.

Significatur in actu primo, & in actu ſecundo.

43. Aduerto ſecundò, nomine *ſignificationis* intelligi poſſe, vel ſignificationem in actu ſecundo, hoc eſt, ipſum actum ſignificandi; vel ſignificationem in actu primo, hoc eſt, vim, & poteſtatem ſignificandi. Et quidem, ſi ſermo ſit de ſignificatione in actu ſecundo, certum videtur, eam non eſſe compoſitam, & diuiſibilem, ita vt pars ipſius proueniat à rebus, & pars à verbis, ſed eſſe ſimplicem, & indiuiſibiliter prouenientem ab vtriſque. Nam, licèt ſint aliquæ cauſæ partiales, quæ ita concurrũt, vt ex parte effectus vna pars correſpondeat vni cauſæ, & vna pars alteri; regulariter tamen cauſæ partiales omnes concurrunt indiuiſibiliter ad eundem effectum, vt potentia viſiua, & ſpecies impreſſa eadem actione concurrunt ad eundem actum viſionis. In cauſis autem ſignificatiuis inuenimus etiam hos duos modos cauſandi, ſeu ſignificandi: nam aliquando ſignum ita componitur ex pluribus partibus, vt ſingulæ partes habeant etiam in actu ſecundo diuerſam ſignificationem partialem: v.g in hac oratione, *Petrus & Paulus currunt*, ſingulæ partes aliquid ſignificant, etiam in actu ſecundo, & ex iis omnibus ſignificationibus partialibus reſultat ſignificatio totalis, & completa. Aliquando verò ſignum, licèt componatur ex multis partibus; ſingulæ tamen non ſignificant, ſed omnes ſimul concurrunt ad eandem ſignificationem: v.g. in hac voce, *quadraginta*, ſunt quatuor ſyllabæ, & omnes ſignificant; non tamen ita vt ſingulis correſpondeat quarta pars numeri ſignificati, nam prima ſyllaba, *qua*, non ſignificat decem, nec ſecunda, aut alia ex ſequentibus, ſed omnes indiuiſibiliter ſignificant totum illum numerum quadragenarium. Sic ergo ſe habent partes componentes Sacramentum; nam in Baptiſmo, v.g. ablutio ſecundùm ſe non ſignificat partialiter partialitate rei ſignatæ, ita vt pars correſpondeat ablutioni, & pars verbis, ſed totum, quod ſignificatur, correſpondet ablutioni, & verbis ſimul ſumptis, vt conſtat.

44. Difficultas ſolùm poteſt eſſe de ſignificatione in actu primo, hoc eſt de vi, & poteſtate ſignificandi, quæ videtur recipi ſaltem moraliter in Sacramento, & per conſequens eſſe diuiſibilis iuxta diuiſibilitatem ipſius ſubiecti, in quo recipitur. Vt autem ſciamus, quomodo in hoc loquendum ſit, debemus præ oculis habere, quid verè ſit illa vis, ſeu poteſtas ſignificandi proxima, quam Sacramentum habet; ſi enim eſſet aliquod accidens intrinſecè, & verè in ipſis Sacramentis inhærens, non eſſet dubium, quin eſſet diuiſibile, & multiplex, cùm non poſſet vnum, & idem accidens recipi in diuerſis ſubiectis, & ſeparatis, qualia ſunt materia, & forma Sacramenti. Cæterùm illa poteſtas ſignificatiua (ſi realiter & phyſicè loquamur) maiori ex parte eſt aliquid extrinſecum rebus, & verbis Sacramentalibus: nam ſicut in vocibus humanis, poteſtas, quam habent ad ſignificandum, eſt reuera denominatio extrinſeca ab hominum inſtitutione, à qua dicuntur voces ſignificatiuæ; ſic in Sacramento poteſtas, & vis ſignificandi gratiam, eſt denominatio extrinſeca proueniens ab inſtitutione diuina: quare poſſe ſignificare gratiam, eſt, Deum hæc ſigna inſtituiſſe ad hoc, vt gratiam ſignificarent: dixi, hanc poteſtatem *maiori ex parte* eſſe denominationem extrinſecam, quia non nego, ex aliqua parte includere aliquid intrinſecum: nam ſi res attentè conſideretur, poteſtas, quam habet hæc vox, *lapis*, ad ſignificandum lapidem, includit ipſammet vocem ſenſibilem, & hominum inſtitutionem, per id enim conſtituitur in actu primo potens ſignificare, per quod poſtea in actu ſecundo cauſat ſignificationem actualem, vt conſtat in omnibus aliis cauſis: ſignificatio autem actualis cauſatur, & ab inſtitutione hominum, & à prolatione ipſius vocis; nam illa eſt cauſa ſignificationis, quæ eſt cauſa, quod in audiente hanc vocem excitetur ſpecies lapidis (hoc enim eſt formaliſſimè ſignificare lapidem, ducere audientem in cognitionem lapidis, vt conſtat ex definitione ſigni,) illud autem, quod cauſat in audiente hanc vocem notitiam lapidis, non eſt ſola inſtitutio hominũ, vt conſtat, ſed etiam prolatiu illius vocis; vtraque ergo ſimul, prolatiu ſcilicet vocis, ſeu vox ipſa, & inſtitutio hominum, quam ego aliunde ſcio, cauſant in me notitiam lapidis, & per conſequens ſignificationem actualem; ergo poteſtas in actu primo, ad ſignificandum lapidem, includit, & vocem ipſam, & inſtitutionem hominum; ac proinde aliqua ex parte illa poteſtas eſt intrinſeca voci, licèt maiori ex parte ſit extrinſeca; ſic etiam de Sacramento dicendũ eſt ob eandem rationem; poteſtatem ad ſignificandam gratiam componi ex ipſa entitate rerum, & verborũ, & ex inſtitutione diuina; vtraque enim cauſat in nobis ſignificationem actualem, ſeu notitiam gratiæ cauſandæ: atque adeo illa vis, ſeu poteſtas ſignificatiua, aliqua ex parte eſt intrinſeca rebus, & verbis Sacramentalibus, licèt maiori ex parte ſit denominatio extrinſeca proueniens formaliter à diuina inſtitutione.

His benè explicatur quæ ſit illa vis ſignificatiua Sacramẽtis, an intrinſeca, an extrinſeca.

Adducitur egregia cõparatio ſumpta à voce quæ eſt ſignum.

Sic intelligitur poteſtatem ad ſignificandam gratiam componi ex ipſa entitate rerũ & verborum, & ex inſtitutione diuina, à quo ita eſſe partim intrinſecam, partim extrinſecam.

45. Dixi item *ſi realiter & phyſice loquamur*; quia ſi loquamur de ente rationis, vel morali, per quæ ſolet hæc poteſtas explicari, illa poſſunt dici intrinſeca rebus, & verbis Sacramentalibus; quia enim mens noſtra aſſueta cognoſcere alias cauſas potentes operari per virtutem intrinſecam, concipit aliquid ad modum intrinſeci reſultans in vocibus ex inſtitutione hominum, & in Sacramentis ex inſtitutione diuina, per quod conſtituantur in ratione ſigni ſignificatiui; hinc eſt, quòd multi communiter dicunt, hanc ſignificationem, ſeu vim ad ſignificandum eſſe relationem rationis; quo etiam modo loquitur Vaſquez *n.* 24. quod tamen debet intelligi de ente rationis fundamentaliter ſumpto, hoc eſt, eſſe aliquid intrinſecum, quod eſt fundamentum confingendi illum reſpectum rationis, per quem faciliùs declaratur vis ſignificatiua, vt ſuprà vidimus; & quidem in hoc ſenſu etiam poteſt dici eſſe intrinſeca, quia intellectus fingit illam vim eſſe aliquid intrinſecum in rebus, & verbis Sacramentalibus. Similiter poſſumus dicere, eſſe aliquod ens morale intrinſecum, nam ens morale eſt ens æquiualens phyſico; quando ſcilicet datur fundamentum, vt in ordine ad aliquos effectus, ita ſe habeat, ac ſi reuera daretur tale ens phyſicum, & intrinſecum; ſic in vocibus ſignificatio, ſeu poteſtas ſignificandi, dicitur ens morale intrinſecum; quia illa voluntas, & inſtitutio hominum præterita, non minùs operatur nũc ſignificationem actualem in vocibus, quàm ſi eſſet phyſicè præſens, & intrinſecè inhærens illis, & in hoc ſenſu dicitur moraliter præſens, & intrinſeca, id eſt, æquiualenter in ordine ad talem effectum, ſic etiam in Sacramento ſignificatio, ſeu poteſtas ſignificandi, dicitur aliquod morale intrinſecum illi, quia illa inſtitutio Dei, licèt phyſicè ſit extrinſeca, æquiualenter eſt intrinſeca, hoc eſt, ratione illius Sacramentum non minùs operatur, & conducit ad ſignificandum, quàm ſi haberet intrinſecè vim phyſicam ſignificandi gratiam

Vaſquez.

Poteſtas ſignificandi in Sacramento eſt aliquid morale intrinſecũ, explicatur.

46. Ex dictis ergo conſtat, quid veri habeant ſingulæ ex ſuprà adductis ſententiis; nam ſi realiter, &

Ex his colligitur quid vere habeat ſuperior relata ſententia. Bene ſentit Vaſquez ſi phyſicè & realiter loquamur, bene etiam Suarez ſi moraliter.

phyſicè loquamur, forma conſtituens vltimò Sacramentum in ratione ſigni non poteſt eſſe duplex, aut compoſita ex materia,& forma ; cùm enim ſit institutio diuina, & hæc ſit vna & eadem indiuiſibiliter terminata ad ſignificationem verborum , & rerum; conſequens eſt,vt forma ipſa ſigni,vt ſigni,ſit vnica, & ſimplex realiter , provt volebat P. Vaſquez ;ſi verò loquamur ratione noſtra, ſeu de ſignificatione, provt eſt aliquid rationis, ſic facilè conceditur eſſe etiam compoſita, & duplex ratione noſtra pro diuiſibilitate ſubiecti , cui concipitur inhærens , & intrinſeca ; ſimiliter ſi loquamur de eádem ſignificatione, provt eſt aliquod ens morale,poſſumus etiam concedere,eſſe eodem modo moraliter duplicem,& compoſitam ; quia ſicut eſt æquiualenter intrinſeca, ſic etiam eſt æquiualenter duplex,& inhærens, pars in rebus,& pars in verbis ; nam perinde concurrunt ad ſignificandam gratiam res,& verba,ac ſi ſingulis ineſſet vis,& poteſtas intrinſeca,& propria ad illum effectum ; quare æquiualenter , ſeu moraliter illa poteſtas eſt duplex,partialis,licèt phyſicè,& verè ſit vnica , & ſimplex. Denique in eodem ſenſu dicere poſſumus , loquendo moraliter Sacramentum componi ex materia ſignificante , & forma etiam ſignificante : hoc eſt , ex rebus cum ſua ſignificatione partiali,& ex verbis cum ſua ſignificatione partiali; quia ſicut moraliter loquendo , illæ duæ ſignificationes diſtinguuntur ; ſic poſſunt moraliter loquendo componere integram ſignificationem Sacramentalem , quatenus ita ſignificant res , & verba , ac ſi ſingula afferrent ſecum ſignificationem partialem, realiter tamen, & phyſicè non datur talis compoſitio ex ſignificatione rerum,& ex ſignificatione verborum , cùm illæ duæ ſignificationes realiter, & phyſicè non diſtinguantur , ſed ſolum datur realis compoſitio ex rebus & verbis , quæ regulariter diſtingouutur realiter,& ex eiſdem rebus,& verbis,ac ſignificatione,ſeu poteſtate ſignificandi , quæ realiter ab illis diſtinguitur , vt vidimus.

Explicantur fundamenta Suarez.

47. Vnde ad fundamentum ſupra adductum à P. Suarez , quod ſcilicet ſignificatio verborum ſit magis clara , & perfecta, atque ideo determinet ſignificationem rerum,quæ eſt minùs perfecta, & per conſequens vna ſignificatio eſt forma alterius ; reſpondendum erit,id quidem verum eſſe in primis in ſenſu morali,ſeu æquiualenti ſuprà explicato ; nam ſicut moraliter ſunt duæ ſignificationes diſtinctæ,ſic moraliter etiam vna earum eſt clarior, & determinans alteram ; nam propter diuinam inſtitutionem ita ſe habent res, & verba in Baptiſmo,v.g. ac ſi ſingulis ineſſet vis intrinſeca ad ſignificandam gratiam , & clarior quidem & magis determinata in verbis, quàm in ablutione. Si verò loquamur phyſicè , intelligendum eſt illud de ſola ſignificatione fundamentali,& remota,ſeu aptitudine , quam habent de ſe res,& verba, vt inſtituantur à Deo ad ſignificandam gratiam : illa enim aptitudo clarior, & magis determinata eſt in verbis , quatenus res de ſe ſunt magis indifferentes ad ſignificandum hoc vel illud, quæ indifferentia determinatur per verba, quæ ſunt aliquid minùs indifferens , vt conſtat.

Quid ſpecies ſignificent, quid verba in Sacramento Euchariſtiæ.

48. Denique exemplum Euchariſtiæ,quod affert Suarez,in qua ſpecies Sacramentales ſignificant nutritionem animæ,verba verò præſentiam Chriſti , intelligendum eſt de hac ipſa ſignificatione fundamentali, & remota , quam ſpecies, & verba habent de ſe : nam ſi ſermo ſit de ſignificatione , quam habent ex inſtitutione , certum eſt,tam ſpecies , quàm verba ſignificare æquè præſentiam Chriſti, & nutritionem animæ : neque enim ſpecies ſine verbis, nec verba ſine ſpeciebus,aliquid horum ſignificant, ſed omnia ſimul indiuiſibiliter, ſicut ſyllabæ omnes ſimul, & indiuiſibiliter ſignificant rem ſignificatam per vocem, & ſicut etiam in rebus ſacris indulgentia quæ conceditur ieiunanti,& danti eleemoſynam, non reſpondet partialiter ieiunio , & partialiter eleemoſynæ,ſed vtrique ſimul,& indiuiſibiliter.

49. Dices ; ergo realiter loquendo , non erit verum dicere,quod Sacramentum componitur ex materia, & forma , ſed deberemus dicere ſubiectum Sacramenti conſtare ex materia,& forma:nam Sacramentum vt Sacramentum includit ſignificationem;illud autem,quod componitur ex materia & forma , non eſt concretum includens ſignificationem , ſed ſubſtratum,ſeu ſubiectum,quod ſubiicitur ſignificationi ; ergo non componitur ex materia & forma Sacramentum,ſed altera ſolùm pars Sacramenti, nempe materiale illius. *Inſtantia.*

Reſpondetùr negando ſequelam quia illud etiam materiale, ſeu ſubiectum ſignificatiunis appellatur Sacramentum ſpecificatiuè,ſicut in aliis entibus artificialibus ; ſic enim dicimus , calicem eſſe aurum, quia ſupponit *calix* pro ſolo ſubiecto figuræ calicis , non pro concreto artificiali reduplicatiuè ; ſic etiam dicimus,vocem ſignificatiuam, ſeu verba eſſe qualitatem, quia non ſupponit pro concreto ex voce,& ſignificatione reduplicatiuè , ſed pro ſubiecto ſignificationis. *Soluitur.*

50. Vltimo loco aduerte,id,quod in hac ſectione poſitum eſt,Sacramenta componi ex materia,& forma, intelligendum eſſe iuxta dicta ſectione præcedenti, ſcilicet regulariter id verum eſſe de compoſitione reali,non tamen vniuerſaliter , nam aliquando materia, & forma non diſtinguuntur realiter , vt contingit regulariter in Sacramento Matrimonij ; quare ſicut diximus,in illo non ſemper interuenire res & verba formaliter,ſed ſolùm æquiualenter,ſic dicendum eſt , aliquando non inueniri compoſitionem realem ex materia,& forma, ſed ſolùm compoſitionem virtualiter,ſeu æquiualenter. Quare Eugenius nomine *materia,& forma*,non intendit,aut intelligit propriam,& rigoroſam materiam , & formam , ſed propriam vel impropriam;ipſe enim loquens poſtea de Sacramento Pœnitentiæ,indicat , in illo non inueniri propriam materiam , ideoque dixit , in illo actus pœnitentis eſſe quaſi materiam ; non ergo voluit rigoroſè loqui de materia,& forma, quæ realiter componerent ſemper Sacramentum,ſed de compoſitione reali,vel virtuali propria,vel impropria. *Notandum.*

SECTIO III.

Vtrùm Sacramenta includant intrinſecè , & in recto materiam , & formam.

51. DVo quæruntur in præſenti. Primum, an materia, & forma intrent ad componendum intrinſecè Sacramentum ? Secundum , an ſignificetur in recto vtraque,quando nominatur Sacramentum, an verò altera in obliquo ? Et quod attinet ad primum, P. Suarez *in præſenti diſp.* 2. *ſect.* 1. tribuit Soto , quod *in* 4. *diſt.* 3. *art.* 1. dicat , formam non eſſe partem intrinſecam Sacramenti ; quod idem de Sacramento Pœnitentiæ,& Euchariſtiæ docuiſſe videtur *diſp.* 14. *art.* 1. *& d.* 8. *quæſtione vnica* , *art.* 1. *Suarez.*

Cæterùm P. Vaſquez *in præſenti diſp.* 129. *c.* 3. *n.* 27. merito liberat Sotum ab hac ſententia , probans, illum non negare,materiam, & formam eſſe partes, ex quibus intrinſecè componitur Sacramentum, ſed ſolùm,velle non importari in recto vtramque partem,ſed ſolam materiam , quod quidem pertinet ad ſecundum punctum, & eſt valdè diuerſum à primo. *Vaſquez.*

Afferte

52. *Scot. n.* Aſſert etiam P. Suarez Scotum *in 4. d. 3. q. 1. & d. 8. q. 1. & in 2. diſſ. 14. q. 4.* in quibus locis videtur ſentire, quod aliqua Sacramenta dicant intrinſecè ſolam formam, qualis eſt Pœnitentia, quæ videtur conſiſtere in abſolutione ſola, quæ ſola habet ſignificationem Sacramentalem: aliquando verò conſiſtit Sacramentum in ſola materia, vt contingit in Euchariſtia; aliquando denique in toto compoſito ex materia, & forma, vt in Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema-Vnctione.

Vaſquez. Cæterùm P. Vaſq. *n. 32.* conatur probare Scotum loquutum etiam fuiſſe in ſenſu Soti, nihilque aliud voluiſſe, niſi quod Sacramentum aliquando ſupponat in recto pro ſola forma, aliquando pro ſola materia, aliquando pro vtraque ſimul.

53. *Concluſio.* Communis ergo, & vera ſententia eſt, Sacramenta componi intrinſecè ex materia, & forma, tanquam ex partibus componentibus, loquendo ſaltem de iis Sacramentis, quæ in vſu conſiſtunt, qualia ſunt omnia, præter Euchariſtiam, de qua eſt ſpecialis difficultas, quam ex profeſſo examinabimus in materia de Euchariſtia. In hac concluſione conueniunt Suar. *S. Thom.* & Vaſq. citati cum aliis Theologis, & S. Thomas *in præſenti, art. 6. ad ſecundum, & art. 7. & infra q. 86. art. 6.* vbi ait, Sacramentum eſſe vnum compoſitum ex materia, & forma.

54. *Concil. Flor.* Probari autem poteſt. Primò ex modo loquendi Concilij Florentini in decreto ſæpè citato, vbi hæ partes appellantur materia, & forma Sacramenti; *Probatur concluſio.* non poſſet autem intelligi quomodo eſſent materia, & forma, niſi componerent intrinſecè aliquod concretum, nam materia & forma non habent alium modum concurrendi, niſi componendo aliquod totum ex illis intrinſecè reſultans, in ordine ad quod materia dicitur cauſa intrinſeca, licèt reſpectu formæ habeat aliquando cauſalitatem quaſi extrinſecam, quatenus eam ſuſtentat in genere cauſæ materialis: ſed hæc ipſa cauſalitas, non poteſt intelligi, niſi exerceatur ſimul cauſalitas intrinſeca reſpectu compoſiti reſultantis ex materia, & forma; nam ſi materia ſuſtentat formam, iam vnitur formæ, & per conſequens reſultat aliquod vnum, ſeu aliquod compoſitum ex vtraque, in ordine ad quod dicentur partes intrinſecæ; ſi ergo res, & verba ſint materia, & forma Sacramenti; oportet, quod ex illis reſultet aliquod totum, cuius ſint partes componentes, & quod intrinſecè conſtituant. *Ratio à priori.* Denique à priori probari poteſt, quia omne illud componit Sacramentum in ratione Sacramenti, quod conſtituit illud in ratione ſignificatiui: ſed non minùs conſtituitur in ratione ſignificatiui per formam, quàm per materiam; nec etiam per ſolam formam ſignificat, ſed per vtramque; neque enim ſufficit ſola forma ad ſignificandam gratiam, niſi adſit materia, nec ſufficit ſola materia, niſi detur forma; ergo vtraque concurrit ad componendum Sacramentum in ratione Sacramenti. An vero hoc argumentum probet etiam de Euchariſtia, quod in ratione Sacramenti includat intrinſecè verba conſecrationis? Videbimus agentes de illo Sacramento.

Quid importet Sacramentum in recto.

55. Hoc itaque ſuppoſito, difficultas reſtat de ſecundo puncto; an ſcilicet vtraque pars, materia, & forma, importetur in recto *per Sacramentum*, quod ex vtraque intrinſecè componitur? *Quid ſit importari in recto.* Suppono enim non eſſe idem, quod aliquid ſit pars intrinſeca alicuius compoſiti, & quod importetur in recto per nomen, quo ſignificatur illud compoſitum, nam licèt humanitas, quæ conſtat intrinſecè materia, & forma, importet in recto vtramque partem: album tamen, vel dulce, quæ ſunt concreta accidentalia, non important in recto albedinem, vel dulcedinem, ſed ſolùm ſubiectum, albedinem verò, vel dulcedinem in obliquo, ita vt album ſit habens albedinem, dulce habens dulcedinem, & ſic de aliis.

Aliquibus recentioribus difficile videtur, quod poſſit aliquid eſſe pars intrinſeca, & non importetur in recto. 56. *Diffi cultas aliquorum recentiorum.* Quia eſſe totius non eſt aliud, niſi eſſe omnium partium, ergo non poteſt eſſe aliquod concretum, quod non dicat in recto omnes ſuas partes intrinſecas; illud enim debet dicere in recto, de quo poteſt prædicari in recto; ſed in recto prædicatur concretum de omnibus ſuis partibus, cùm dicimus, concretum eſt omnes eius partes, & eſſe concreti eſt eſſe omnium partium, ergo omnes importat æquè in recto, alioquin non erunt partes intrinſecè componentes, ſed aliquod connotatum extrinſecum, ſicut viſio connotat eſſentialiter obiectum, licèt non componatur intrinſecè ex obiecto, & amor connotat eſſentialiter cognitionem, licèt non componatur ex ipſa. Hinc inferunt, album, dulce, & alia concreta accidentalia, in recto importare non ſolum ſubiectum, ſed etiam formam, atque adeo dici poſſe, *album eſt ſubiectũ & albedo, dulce eſt ſubiectum, & dulcedo*, &c.

In hoc puncto non poteſt eſſe controuerſia de re; 57. *Quomodo concreta frequentius vſurpentur.* certum enim eſt, nomina concreta aliquando, imo frequentiùs in ea ſignificatione vſurpari, in qua ſolùm ſignificent in recto vnam partem, alteram verò in obliquo. Quando enim dicimus, *album eſt dulce*, non poteſt vtraque pars ſignificari in recto, quia ſenſus eſſet *ſubiectum, & albedo eſt ſubiectũ, & dulcedo*, qui ſenſus eſſet falſus; ergo *album & dulce*, ſolùm dicunt in recto ſubiectum, & in obliquo formam.

Reſpondent, hæc nomina dupliciter vſurpari: ex ſe enim ſignificant concretum, & tunc vtramque partem ſignificant in recto; aliquando verò ſignificant ſolum ſubiectum, & tunc connotant in obliquo formam, ſed tunc non ſignificant formam tanquam partem, ſed tanquam quid extrinſecum: ſicut hæc vox *cognitio* ſignificat etiam in obliquo obiectum, non vt partem, ſed vt terminum connotatum per cognitionem quæ terminatur ad obiectum.

58. In hac ſolutione de re ipſa non poteſt eſſe diſſidium; ideo dixi, non poſſe eſſe hanc controuerſiam de re; veriſſimum enim eſt, hæc nomina concreta accidentalia vtroque modo poſſe vſurpari. Solum poteſt eſſe diſſenſio in applicatione huius doctrinæ, ad loquutiones particulares, quatenus ex hoc principio volunt deducere, verba conſecrationis non eſſe formam intrinſecam Sacramenti Euchariſtiæ in ratione Sacramenti, eo quod tranſactis verbis, dicatur manere Sacramentum, quod ipſi intelligunt de Sacramento reduplicatiuè in ratione completa Sacramenti, quod tamen ex prædicta doctrina nullo modo probari poteſt, vt videbimus in tractatu de Euchariſtia. *Eſt ferè quæſtio de nomine, ex qua tamen male inferunt verba conſecrationis non eſſe formã intrinſecam Euchariſtiæ.* Diſplicet etiam quod illa vſurpatio nominis concreti pro ſolo ſubiecto in recto dicatur eſſe extraordinaria, cum tamen hæc ſit frequentiſſima, & regularis; illa autem alia accepta pro vtraque parte in recto ſit rariſſima, & communiter ſoleat explicari addito aliquo termino reduplicante, *Quandonam concretum vſurpetur pro vtraque parte.* v. g. *Album in quantum album, eſt concretum; calidum vt calidum includit duo*, &c. Quando enim ſine reduplicatione profertur, intelligitur regulariter ſupponere in recto pro ſolo ſubiecto: & ideo quando ſine reduplicatione profertur hæc propoſitio, *Deus eſt homo*, ſemper intelligitur, *homo*, ſupponere in recto pro ſola ſubſiſtentia, non pro omnibus, quæ intrinſecè includit, quia ſi hoc eſſet, iam eſſet falſa propoſitio, faceret enim hunc ſenſum, *Deus eſt humanitas*, *Res poſita in exemplo.*

Q

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& ſubſiſtentia Chriſti, quod eſt falſum: eſt autem vera, & catholica propoſitio, quia abſolutè prolata intelligitur *homo* in recto ſignificare ſolum ſuppoſitum Verbi, quod eſt Deus, licèt in obliquo ſignificet etiam humanam naturam. Debemus ergo fateri, per huiuſmodi nomina regulariter ſignificari quidem vtramque partem, ſed non vtramque in recto.

59. *Non eſt idem ſignificari immediatè per aliquod nomen & ſignificari in recto.* Vt verò ſatisfiat argumento, quod illos recentiores mouebat, notandum eſt, non eſſe idem quod aliquid ſignificetur per aliquod nomen, & quidem immediatè, quod ſignificetur in recto; poteſt enim aliquid immediatè ſignificari, & non in recto, vt conſtat manifeſtè in hoc complexo, *Petrus, qui habuit veſtes*; in quibus vocibus duo immediatè ſignificantur, ſcilicet Petrus, & quod habuerit veſtes, & tamen non ſignificatur vtrumque in recto; quia hæc prædicatio eſt vera; *nunc eſt Petrus, qui habuit veſtes*, & non eſt vera hæc: *nunc eſt Petrus, & habitudo veſtium*: ergo habitudo ſignificatur tantùm in obliquo, ergo poteſt dari aliqua vox, incomplexa, & ſimplex, quæ ſignificet hoc ipſum, quod ſignificatur per illas voces, & per conſequens, quæ ſignificet Petrum in recto, & habitudinem veſtium in obliquo; talis autem eſt hæc, vox *album*, quod eſt idem ac, *illud, quod habet albedinem*, vbi ſubiectum, & albedo ſignificatur, ſed ſubiectum in recto, & albedo in obliquo. Ratio autem à priori eſt, quia ſignificare eſt ſolum ducere audientem in cognitionem alicuius; cùm autem vox ducat in cognitionem non ſolùm illius, quod importat in recto, ſed etiam illius, quod importat in obliquo; conſequens eſt, quod latius pateat ſignificare, quàm importare in recto, atque adeo, quod poſſit aliqua vox ſignificare aliquod concretum, quin ſignificet totum illud in recto.

60. *Reſpondetur ad argumentum factum n. 56.* Hinc iam ad argumentum reſpondetur concedendo, eſſe partium non diſtingui ab eſſe totius; vnde quando concretum ſignificatur in recto, debent etiam importari in recto omnes eius partes: negamus tamen, per ea nomina ſignificari regulariter concretum in recto: ſignificant quidem concretum, & compoſitum accidentale; non tamen ſignificant illud in recto, ſed ſubiectum ſolum in recto, reliqua verò in obliquo, quare licèt illud, quod ſignificatur per *album*, identificetur realiter cum concreto, & poſſit prædicari de illo, (per *album* enim ſignificantur & ſubiectum, & inhærentia, & albedo) illud tamen quod ſignificatur in recto per *album* non poteſt prædicari de concreto, non enim poſſumus dicere, *ſubiectum eſt concretum*; neque etiam poteſt prædicari de pariete id totum, quod ſignificatur per *album*, ſed ſolum id, quod ſignificatur in recto, nam paries non eſt concretum accidentale, ſed eſt rectum illius concreti. Supponit ergo illa vox in recto pro ſolo ſubiecto, licèt ſignificet vtramque partem, & inhærentiam, & idcirco dicitur nomen concretum, quia verè ſignificat compoſitum, licèt non omnes partes eodem modo.

61. *Inſtantia.* Dices, illud, quod ſignificatur in obliquo, eo ipſo non ſignificari vt partes, ſiquidem non ſignificatur vt pars illius, quod importatur in recto: nam peto quid illud ſit, cuius ſignificatur vt pars? An reſpectu ſignificati recti? Et hoc non, quia albedo non eſt pars ſubiecti quod ſolum ſignificatur in recto, ſed concreti, quod non ſignificatur in recto. An verò ſignificetur vt pars reſpectu totius obiecti, quod ſignificatur quomodocumque per illud nomen, ſiue in recto, ſiue in obliquo? Et quidem, ſi hoc dicatur, ſequitur, omnia, quæ ſignificantur in obliquo, ſignificari vt partes, quia omnia ſunt partes totius obiecti, quod quomodocumque ſignificatur per illud nomen; nam id, quod in obliquo ſignificatur, eſt aliquid eorum, quæ ſignificantur, vt conſtat. Conſequens autem eſt abſurdum; nam in hac voce, *cognitio*, ſignificatur obiectum cognitionis ſaltem in obliquo, & tamen obiectum non ſignificatur vt pars, ſed vt terminus extrinſecus connotatus; ergo ſi, *album*, ſignificat eodem modo albedinem, vt connotatum illius, quod ſignificatur in recto, non magis ſignificabit albedinem vt partem, quam hæc vox, *cognitio*, ſignificet obiectum vt partem

Reſpondeo, ea etiam quæ ſignificantur in obli- 62.
quo, aliquando quidem non ſignificari vt partes, vt *D luitur.*
contingit in illo nomine, *cognitio*, quo licèt ſignificetur, & connotetur in obliquo obiectum, non tamen vt pars; aliquando verò ſignificari vt partes; tunc ſcilicet quando per illud nomen ſignificatur aliquod concretum, ſeu compoſitum, cuius ſit pars id quod ſignificatur in obliquo, ſicut per *album* ſignificatur concretum, cuius albedo ſit pars. At verò, per hanc vocem, *cognitio*, non ſignificamus aliquod concretum reſultans ex cognitione & obiecto, cuius concreti obiectum ſit pars; & ideo obiectum connotatur quidem, non tamen ſignificatur vt pars; neque enim ſignificari vt partem, eſt ſolùm eſſe aliquid eorum, quæ ſignificantur; ſed requiritur, quod ſit aliquid illius concreti, ſeu compoſiti, quod ſignificatur per modum concreti, ſeu compoſiti, per illam vocem. Ideo etiam per has duas voces, *dealbans*, & *dealbatum*, licèt per vtramque ſignificetur albedo in obliquo; per primam tamen non ſignificatur vt pars illius concreti, quod ſolum reſultat ex agente, & ex actione dealbandi, non verò ex albedine, per ſecundam autem ſignificatur vt pars illius concreti, quod reſultat ex ſubiecto, & albedine; quod idem inuenies in aliis vocibus ſignificantibus concreta, in quibus ſæpè vna pars ſignificatur in obliquo, licèt ſignificetur vt pars.

Denique aduerte, me dixiſſe, non eſſe idem ſigni- 63.
ficari immediatè, & ſignificari in recto, vt obiter reiicerem aliud principium, quod iidem Auctores ſupponunt; ſcilicet, omne id, quod ſignificatur in obliquo, ſignificari mediatè, & in alio: ſic enim hoc nomen, *viſio*, ſignificat immediatè, & in recto actum potentiæ viſiuæ, mediatè verò, & in obliquo obiectum viſum, quod dicitur ſignificari mediatè, quia vox non ducit nos immediatè ad illud, ſed mediante viſione, quam immediatè ſignificat; & quia viſio dicit ordinem ad rem viſam, ideo obiectum immediatum ducit nos iterum ad cognitionem illius obiecti mediati, ſeu ſecundarij, quod cognoſcitur in obliquo, tanquam terminus obiecti primarij; & ſic cætera omnia, quæ ſignificantur in obliquo, ſignificantur, vt termini obiecti directi, & per conſequens ſignificantur ſolum mediatè. Hoc, inquam, principium, ſi vniuerſaliter accipiatur, videtur eſſe omnino falſum, quia, *album*, non ſignificat albedinem mediatè, ſed immediatè, vt dixi, nam licèt ſint aliqua obiecta, quæ ducant in cognitionem ſui termini ſignificati in obliquo, & ideo illud obliquum dicatur ſignificari mediatè: alia tamen ſunt obiecta recta, quæ nullo modo ducunt in cognitionem illius, quod ſignificatur in obliquo; vt contingit in *albo*; nam rectum albi, ſeu paries ſecundùm ſe nullam prorſus habet connexionem, aut habitudinem determinatam ad albedinem, ratione cuius ille, qui cognoſcit parietem, ducatur ad notitiam albedinis; ergo vt cognoſcat non ſolum parietem, ſed etiam albedinem, debet hanc aliunde cognoſcere, quàm ex pariete, & per conſequens debet immediatè etiã venire in albedinis cognitionẽ, quia alioquin quãtumcunque audiat parietem, non ſciet illum eſſe album.

Notandum.

Quædam in obliquo ſignificantur mediatè vt obiectum reſpectu viſionis, quædam immediatè vt illa omnia quæ vt partes concreti ſignificantur.

Dices, albedinem cognoſci non in pariete ſecun- 64.
dum

dùm ſe,ſed in pariete vt habente, nam illa habentia (vt ita dicam) eſt aliquid determinatè connexum cum albedine, & ducens in notitiam albedinis. Sed contra, quia ipſa habentia poteſt ſignificari etiam in obliquo, imo ita debet ſignificari per *album*, & non in recto,quia alioquin non poſſet album prædicari de pariete,ſicut non poſſumus dicere, *paries eſt ſubiectum, & habentia albedinis*; quare fatendum eſt, habentiam non ſignificari in recto,ſed in obliquo,& tamen ipſa habentia non cognoſcitur in alia habentia, nec mediatè, ſed immediatè in ſe ipſa, ad quam immediatè ducit vox, *album*; ergo iam datur aliquid ſignificatum in obliquo, & non ſignificatum mediatè,ſed immediatè. Maneat ergo ex dictis, poſſe aliquid ſignificari in obliquo, & tamen vt partem alicuius concreti, quod per illud nomen ſignificatur; de quo tamen puncto iterum redibit ſermo in tractatu de Euchariſtia.

65. Reſtat ergo difficultas ſuprà propoſita, an Sacramenta importent in recto vtramque partem, materiã, & formam, an verò alteram earum in obliquo? Hoc eſt,an cum nominamus Baptiſmũ,v.g. illa vox faciat hunc ſenſum, *ablutio,& verba*; an verò hanc; *ablutio cum verbis*,aut,*verba cũ ablutione*,& ſic de aliis Sacramentis præter Euchariſtiam, de qua ſuo loco.

Sotus locis ſupra adductis docet, Sacramentum ſupponere in recto pro ſola materia, formam verò importare in obliquo. Fundamentum ipſius eſt, quod compoſita artificialia, quale eſt Sacramentum,ſemper habent hunc modum ſignificandi ſubiectum in recto,& formam de connotato,vt *Cathedra* eſt lignum habens talem figuram; ergo Sacramentum etiam, quod eſt ens artificiale, ſupponit in recto pro forma, & connotat formam in obliquo.

66. *Reijcitur & reſoluitur quæſtio.* Cæterum contra Sotum in primis eſt, quod fortaſſe non omnia nomina entis artificialis habent illum modum ſignificandi: nam *calix*, v.g. non eſt aurum, ſed ex auro, nec *veſtimentum* eſt lana, ſed ex lana, & ſic de aliis, quia hæc nomina forſitan non ſupponunt in recto pro ſola materia,ſed etiam pro forma. Cæterum, quidquid ſit de hoc, non militat hæc ratio in Sacramentis, nam poteſt concedi, Sacramentum quod eſt compoſitum artificiale, ex rebus ſcilicet,& ex ſignificatione,conuenire cum aliis artificialibus in hoc, & ſupponere in recto pro rebus, ſeu ſubiecto ſignificationis, & importare de connotato ſignificationem, quæ eſt vltima forma huius compoſiti artificialis, conſtituens illud in ratione ſigni,& Sacramenti;at verò importare in recto omnes partes,ex quibus componitur ipſum ſubiectum ſignificationis.

67. *Explicatur exemplis.* Explicatur, & probatur exemplo vocis ſignificatiuæ,nam oratio eſt etiam ens artificiale compoſitum ex vocibus humanis, & ex ſignificatione illis impoſita; & quamvis forte in recto ſupponat *oratio* ſolùm pro vocibus, importètque de connotato ſignificationem; cæterùm negari non poteſt, quin importet in recto omnes ſyllabas,& partes,ex quibus componitur ipſa oratio, quæ ſunt partes quaſi integrantes illius orationis,ſupra quas omnes cadit vltima forma conſtituens eam in ratione orationis ſignificantis, quæ eſt ſignificatio. Item *domus* licèt concedatur ſupponere in recto pro materia,& importare de connotato formam artificij;negari tamẽ nõ poteſt,quin ſupponat in recto pro omnibus partibus integrantibus ipſius domus,tecto, ſcilicet parietibus,lateribus,&c.ſupra quas omnes cadit vltima forma artificij.Sic etiam,licèt Sacramentũ ſupponat in recto ſolùm pro ſubiecto ſignificationis,& importet de connotato ſignificationẽ, quæ eſt forma vltima conſtituens illud in ratione Sacramenti; cæterùm debet importare in recto partes omnes, ex quibus componitur ipſum ſubiectum ſignificationis, ſcilicet, res,& verba, quæ ſunt quaſi partes integrantes ipſius ſubiecti. Hoc enim eſt proprium partium integrantium, vt omnes debeant importari æquè in recto per nomen totius, ſicut nomen, *domus*, non importat fundamentum in recto, & tectum in obliquo, ſed vtrumque in recto.

68. *Inſtantia.* Dices,in Baptiſmo v.g. ablutio,& verba non ſunt partes merè integrantes,ſed materia & forma;ergo ſicut ſignificatio per ſe importatur de connotato, quia eſt forma conſtituens Sacramentum in ratione ſigni, ſic etiam verba debent importari ſolùm de connotato,quia ſunt forma determinans ablutionẽ ad eſſe Baptiſmi. *Diluitur.* Reſpondeo, negando conſequentiam; non enim ſufficit, aliquid eſſe formam,vt importetur de connotato;nam etiam anima rationalis eſt forma hominis, & tamen non importatur anima de connotato,& materia ſola in recto per hanc vocem *humanitas*, ſed vtraque æquè in recto. *Quid requiritur vt importetur aliqua forma de connotato.* Requiritur ergo ad hoc,quod importetur de cõnotato,quod ſignificetur per modum alteri adiacentis: & quia in compoſitis ſubſtantialibus vtraque pars ſupponit ſubſtantialiter, hinc eſt vtramque, tam materiam, quàm animam v.g. importari in recto; humanitas enim non eſt materia habens animam ſed materia, & anima rationalis, album verò non eſt ſubiectum, & albedo, ſed ſubiectum habens albedinem: ecce anima rationalis, licèt ſit forma,non importatur de connotato, quia non ſignificatur vt habita ab alia parte,albedo verò quia ſignificatur vt habita à ſubiecto, ideo importatur non in recto, ſed de connotato.Sic ergo Sacramentum,licèt importet fortè de connotato ſignificationem, quia Sacramentum eſt tale ſubiectum habens ſignificationem; non tamen importat de connotato verba,quia verba non ſignificantur per modum alteri adiacentis: Baptiſmus enim v.g non eſt ablutio, habens talia verba, nec ipſa verba ſignificantur adiacere rebus: & ideo licèt verba ſint forma, quia determinant per clariorem ſignificationem ipſas res, non tamen importantur de connotato, ſed in recto.

69. *Inſtantia.* Hanc noſtram ſolutionem impugnarunt aliqui Recentiores, eo quod non ſit vniuerſaliter verum, quod forma,quæ importatur in obliquo,debeat importari vt habita à ſubiecto, nam per hanc vocem, *cognitum*, importatur cognitio in obliquo,& tamen non ſignificatur vt habita ab obiecto,cum verè non ſit in obiecto,ſed in cognoſcente. *Diluitur.* Hoc tamen friuolũ eſt, quando enim dicimus, aliquid importari vt habitũ,non intendimus,re ipſa haberi ab alio,ſed ex modo ſignificandi importari,ſicut illa quæ ſunt formæ habitæ à ſuis ſubiectis, qui modus ſignificandi appellari ſolet à Summuliſtis,*per modum alteri adiacentis*,vnde illi dicũtur termini adiectiui,id eſt,quibus vnum ſignificatur in recto, & aliud in obliquo quaſi adiacens illi; cùm ergo,*cognitum*,ſit terminus adiectiuus,non eſt dubiũ,quin cognitio ſignificetur per modum alteri adiacentis, licèt reuera non inſit intrinſecè in obiecto,quod denominatur cognitum.

70. *Inſtantia.* Dices,ergo eodem modo in Sacramento materia, v.g.ablutio,licèt in ſe non habeat intrinſecè verba, poterit extrinſecè ab illis determinari,& per conſequens poterit ſignificari, vt ſubſtans illis, ſicut obiectum ſignificatur ſubſtans cognitioni; & per conſequens verba ſe habebunt per modum alteri adiacentis. *Diluitur.* Reſpondetur,poſſe quidem id fieri per aliam vocem, quæ ſignificaret verba quaſi adiacentia ablutioni,quæ vox deberet eſſe terminus adiectiuus ad hoc, vt eo modo ſignificaret, qualis eſſet hic terminus complexus, *ablutio verbis explicata*, per

quem

quem ſignificarentur verba quaſi adiacentia ablutioni : per nomen autem, *Sacramentum*, nullo modo inſinuatur, adiacere magis verba ablutioni quàm ablutionem verbis. Ideo diximus, per hanc vocem non ſignificari verba de connotato, licèt reuera ſint forma, ſed ſignificari ſubſtantiuè ad modum per ſe ſtantis, ſicut anima rationalis ſignificatur per vocem *humanitas*, vt diximus.

SECTIO IV.

Vtrùm in Sacramentis nouæ legis requirantur verba conſecratoria, an verò concionatoria.

71. HIs terminis explicant Hæretici noſtri temporis, qualia ſint verba Sacramentalia : dicunt enim, ea prout à nobis adhibentur, habere ſpeciem Magiæ, quatenus ſuper materiam proferuntur, ac ſi cum materia loqueremur; cùm reuera non debeant proferri, niſi ad inſtruendum populum, & vt intelligant, quid ipſo myſterio, vel Sacramẽto ſignificetur.

72. *Concluſio.* Concluſio certa, & Catholica eſt, verba illa eſſe verè conſecratoria, nec adhiberi per modum concionis, ſed tanquam habentia peculiarem efficaciam ad conſecrandam materiam, & cauſandum effectum Sacramentalem. De hac concluſione, quia res eſt, quæ ad Controuerſiſtas ſpectat, videri poteſt vltra alios Card. Bellarm. *lib.* 1. *de Sacramentis in genere, cap.* 19. *&* 20. vbi latè, & optimè eam probat. Valent. *item in præſenti, diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1.

Bellarm. *Valent.*

Probatio concluſ. nis. Probatur breuiter; & quidem dupliciter poteſt ab Hæreticis ille error aſſeri. Primò ſi dicant, concionatoria verba adhiberi debere, ita vt ſine illis adhibitis Sacramentum non ſubſiſtat. Secundò ſi dicant, adhiberi debere, vt ritè, & debitè Sacramentum miniſtretur; non tamen requiri eſſentialiter ad valorem Sacramenti. Primò modo videntur loqui *Caluinus, & Beza* apud Bellarminum, & Valentiam, vbi ſuprà. Secundò modo explicant alij Sectarij. Hoc ergo ſuppoſito, contra primum modum facilè arguere poſſumus ad hominem; quia ſi verba per modum concionis prolata requiruntur eſſentialiter ad valorem Sacramenti, iam ferè cum Catholicis conueniunt, & incidunt in eadem inconuenientia quæ nobis opponebant, ſcilicet quod videamur magica verba adhibere. Magia enim non excuſabitur ex eo, quod verba illa ad alios dirigantur, ſi tamen adhibeantur ritu illo ſuperſtitioſo, tanquam eſſentialiter neceſſaria, & vt habentia vim, & efficaciam ad operandum effectum: imo frequenter peccatur peccato ſuperſtitionis, & veneficij, ex eo quod ex pacto cum Dæmone oporteat alium talibus, vel talibus verbis alloqui, quibus is ad amorem, vel alium affectum inclinetur; vbi licet illa verba proferantur per modum colloquij; quia tamen adhibentur propter vim occultam, quam ex Dæmonis pacto habent ad effectum cauſandum, pertinent ad Magiam; ergo ſi verba concionatoria adhibentur à miniſtro vt eſſentialiter requiſita ad effectum Sacramenti, & vt habentia vim infallibilem ex pacto, & inſtitutione Dei ad operationem non minùs habebunt ſpeciem Magiæ, & ſuperſtitionis, quàm ſi adhiberentur, vt conſecratoria: imo hoc ipſum eſt formaliſſimè eſſe verba cõſecratoria, eſſe ſcilicet operatoria, ſeu effectricia; ſi enim ipſa verba exempli gratia: *Hoc eſt corpus meum*, prolata per modum concionis, habent vim infallibilem ponendi corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, quod ſine illis verbis nullo modo poneretur, iam illa verba erunt veriſſimè conſecratoria, cùm reuera conſecrent panem ſeu ſpecies panis, & ex materia profana reddant illam ſacratam, quod eſt veriſſimè conſecrare : quod idem procedit de verbis aliorum Sacramentorum. Contradicunt ergo ſibi Hæretici requirentes eſſentialiter talia verba ad valorem Sacramenti, & ex alia parte negantes, eſſe verba conſecratoria. Nec multum eſſet cum illis contendendum, ſi ſolùm intenderent, quod illa verba proferantur tanquam verba, quæ ad alios dirigimus, & quibus alios alloquimur: nam licet ad valorem Sacramenti non requiratur, quod in actu ſecundo alij audiant, aut intelligant verba; poſſet tamen dici, quod verba de ſe & in actu primo dirigantur ad alios, & ita proferri, vt per ſe loquendo, & humano modo poſſint ab aliis audiri & intelligi; ideo enim debent eſſe verba humana & idiomatis publici, & humani, quia ſunt verba in ordine ad homines; vt conſtat ex forma Sacramenti Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quibus loquimur cum baptizato, & pœnitente, cùm dicimus, *Ego te baptizo, Ego te abſoluo*, &c quod clariùs apparet in Sacramento Matrimonij, vbi debent verba ab altero coniuge audiri, & intelligi tãquam ad ipſum directa, & in Sacramento Ordinis: *Accipe poteſtatem*, &c. & ſic de aliis, non ergo recitantur ſuper materiam quaſi loquamur cũ materia, ſed loquamur cum aliis qui adſunt, vel poſſunt adeſſe, vt ſanctificetur materia, atque ideo ex hoc capite, licèt proferrentur ad inſtruendos alios, dum tamen haberent vim operandi, & conſecrandi, nihil diceretur contra ritum, & vſum Eccleſiæ Catholicæ, neque ex hoc capite eſſet multum cum Hæreticis contendendum, nec vitiaretur valor Sacramenti, ex eo quod proferrentur verba animo concionandi, & inſtruendi plebem, dum tamen adſit ſimul intentio efficax faciendi verum Sacramentum, & proferendi verba eo modo, qui ad valorem Sacramenti requiritur.

Verba eſſe conſecratoria, eſt eſſe operatoria.

Arguuntur Hæretici contradictionis.

Quomodo verba poſſint eſſe concionatoria.

Controuerſia ergo debet eſſe cum illis Hæreticis, qui ita dicunt verba eſſe concionatoria, vt ſolùm proferantur ad inſtruendam plebem, atque adeo ſine illis poſſe ſtare valorem Sacramenti. Contra hoc autem arguitur. Primò ex Scriptura, ex qua adiuncta ſimul Eccleſiæ traditione colligitur neceſſitas eſſentialis verborum; nam in Sacramento Euchariſtiæ Chriſtus præcepit facere id, quod ipſe fecit dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*: Ipſe autem verbis conſecrauerat Sacramentum, dicens, *Hoc eſt corpus meum*. In Baptiſmo item præcepit illam formam, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: quam formam debere eſſe per verba, & voces, vniuerſa Eccleſia ſemper tenuit, ſicut in Sacramento Pœnitentiæ, & aliis. Secundò probatur ex Conciliis exigentibus verba tanquam neceſſaria ad valorem Sacramenti, ſufficiat Florentinum in dicto decreto vnionis, vbi id expreſsè definitur. 73.

Caput controuerſiæ. *Contra illos primò arguitur ex Scriptura.*

Secundò ex Conciliis.

Hinc autem obiter colligitur, non proferri ea verba ad concionandum, ſed ad conſecrandum. Primò, quia in Scriptura nullum extat eiuſmodi præceptum concionandi in Sacramentorum adminiſtratione, nec verba illa appellantur concionatoria, ſed conſecratoria, vt primo ad Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus* (hoc eſt, quem conſecramus) *nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Vbi Sacerdos dicitur calicem conſecrare, non autem aliter, niſi verbis ſuis, vt conſtat. Secundò Patres ſic ea verba paſſim appellant conſecrationem & inuocationem. Videantur Dionyſius *lib de Eccleſiaſt. Hier. cap. vlt.* Iuſtinus *in Apologia ad Antoninum*, Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, cap.* 15. Cyrillus *Catecheſ.* 5. Athanaſ. *ſerm.* 5. *contra Arianos circa medium*, Greg. Nyſſenus *lib. de Baptiſmo. Cyprianus* vel quicunque eſt Auctor) *ſerm. de Baptiſmo Chriſti prope initium.* Ambroſ. *lib.* 2. *de Sacramentis, cap.* 5. Auguſt *lib* 1 *de Baptiſmo contra Donatiſtas, c.* 10. *& lib.* 5. *c.* 20. quorum verba, vide apud Bellarm. 74.

Confirmatur noſtra opinio primo ex Scriptura.

1. Cor 10.

Secundò ex Patribus.

Dionyſ. Iuſtin. Baſil. Cyril. Athanaſ. Greg Nyſſ. Ambroſ. Auguſt.

Bellarm. vbi ſuprà: quibus adde eundem Dionyſ. vbi ſup. c. 7. p. 3. vbi de verbis, quibus fit Euchariſtia, ſic loquitur: *At verò efficientes conſecrationis preces fas non eſt ſcripto interpretari.* Irenæum lib. 4. c. 34. *Qui eſt* (inquit) *è terra panis percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis eſt,* &c. Auguſt. *item lib. 20. contra Fauſtum, c. 13. Noſter* (inquit) *panis, & calix certa conſecratione myſticus fit nobis:* & *tract.* 80. *in Ioan. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* vbi verbum efficax perinde eſt ac conſecratorium.

Irenæus. *Auguſt.*

75\. *Tertiò ratione, quia fruſtra ipſe fieret concio.* Tertiò, quia inutilis eſſet talis concio, cùm nec eſſet vtilis recipienti Sacramentum, qui ſæpè eſt incapax percipiendi, qualis eſt infans, nec etiam eſſet vtilis circumſtantibus, qui ſæpè nulli ſunt. Quartò forma Baptiſmi nihil præſe fert concionis, cùm ſit inuocatio Trinitatis, nec aliquid aliud adiungitur, quod ſit concio. Vnde Caluin. *in Commentario capitis 5. ad Epheſios* dicit: *In Papatu nullam eſſe legitimam ſignorum obſeruationem, quia nulla fit myſterij explicatio ad populum, quæ ſola facit, vt mortuum elementum incipiat eſſe Sacramentum.* Cæterum ipſe Caluinus *lib. 4. Inſtitutionum cap. 15. §. 16.* negat, rebaptizandos eſſe eos, qui apud Papiſtas fuerunt baptizati, nam eorum Baptiſmus validus eſt, vbi manifeſtè ſibi contradicit, vt conſtat.

Quartò ab exemplo. Caluin.

76\. *Obiectio. Auguſt.* Obiiciunt Auguſt. *tract. 80. in Ioan.* vbi ſic ait: *Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur? Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens; hoc eſt, verbum fidei, quod prædicans ait Apoſtolus, quia ſi confeſſus fueris in ore tuo quia Dominus eſt Ieſus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum ſuſcitauit à mortuis ſaluus eris,* &c. Vbi Auguſtinus videtur totam efficaciam verborum conſtituere in eo quòd excitent ad fidem, quæ fides ſit proxima cauſa ſalutis, verba verò remota, ſeu mediata, quatenus inſtruunt, & docent ad concipiendam fidem.

77\. *Explicatur locus Auguſtini.* Omiſſis variis explicationibus, quæ videri poſſunt apud Bellarm. & Vaſq. loc. cit. Reſpondeo cum Bellarmino, qui optime hunc Auguſtini locum tractat, Auguſtinum ibi proculdubio non loqui in ſenſu ab Hæreticis intento. Primò, quia Caluinus & alij ſentiunt vt vidimus, etiam ſine concione validum eſſe Baptiſmum apud noſtros collatum: Auguſtinus autem loquitur ibi de verbo, ſine quo Baptiſmus non eſſet validus: *Detrahe* (inquit) *verbum quid eſt aqua, niſi aqua?* Ergo non loquitur de concione, qua ablata, adhuc manet Baptiſmus. Secundò, quia Auguſtinus expreſsè dicit, verbum, de quo loquitur eſſe conſecrationem: *Hoc* (inquit) *verbo, vt mundare poſſit, conſecratur & Baptiſmus;* quam vim habent in ſententia ipſius illa verba, quibus inuocantur Pater & Filius & Spiritus ſanctus, vt conſtat ex *lib. de Baptiſmo côtra Donatiſt. c.* vbi illis verbis dicit conſecrari Baptiſmum. Tertiò loquitur de verbo, quod accedit ad elementum: *Accedit* (inquit) *verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Concio autem apud Hæreticos non accedit; ſed longo interuallo præcedit, & poſtea ſubſequitur ablutio, quare eſſet impropria Auguſtini loquuti, ſicut ſi quis diceret in Sacramento Pœnitentiæ: *Accedit confeſſio peccatorum ad abſolutionem, & fit Sacramentum.* Quartò, quia certum eſt, ab Auguſtino non requiri fidem actualem ex parte illius, qui baptizatur, cùm ibi ſupponat, paruulos nihil credentes poſſe validè baptizari; deinde nec requirit fidem actualem in conferente Baptiſmū, cùm Baptiſmus ab infideli collatus cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, ſit validus, iuxta eundem Aug. *Epiſt. 23. ad Bonifacium;* ergo per illa verba, *non quia dicitur, ſed quia creditur,* non intelligit, verba non referre ad valorem Sacramenti, niſi media fide quam excitant.

Prima ratio propter quam non ſunt hæretici. *Secunda ratio.* *Tertia ratio.* *Quarta ratio.*

Verus ergo ſenſus eſt, quod Auguſtinus ſumpta occaſione ex illis verbis Chriſti: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonē, quem locutus ſum vobis,* conatur oſtendere efficaciam verbi diuini ad purificandū, & mundandum hominem, quod probat tum in verbis Sacramentalibus, quæ immediatè operantur tū in verbis concionis, & exhortationis, quæ mediatè operantur, excitando fidem, & compunctionem, &c. atque adeo adducit plura loca, in quibus non agitur de verbis conſecratoriis, ſed concionis, quia illa loca probant aſſumptū quoad vnam ſaltem partem, ſicut de verbis etiam concionatoriis agebat Chriſtus ibi, dum dixit: *Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* Cæterùm id etiam extendit ad verba Sacramentalia, à quibus vim habent elementa ad mundandum. Addit verò, hoc fieri à verbo: *Non quia dicitur, ſed quia creditur:* in quo non negat verba Baptiſmi operari ſanctitatem, etiam ſi non detur fides actualis: ſed dicit, hanc vim non competere verbis propter ſonū materialem, quem habent, ſed propter myſteriū fidei, quod in ſua ſignificatione includunt, & exprimunt, ratione cuius dicitur *verbum fidei,* hoc eſt, verbū continens fidem, qui ſenſus, quia non erat ita clarus, explicatus eſt ſtatim ab Auguſtino declarando, in quo ſenſu dixiſſet, *non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo* (inquit) *verbo aliud eſt ſonus tranſiens aliud virtus manens, hoc eſt, verbum fidei,* &c. fides enim aliquando ſumitur pro actu quo credimus, aliquando pro re ipſa, quam credimus; & in hoc ſenſu verba Baptiſmi dicūtur *verbū fidei,* & operari, *quia creduntur;* hoc eſt, quia continent myſteriū fidei noſtræ, quod creditur, à qua cōtinentia accipiūt virtutem operatiuam, & conſecratiuam quam habent. 78.

Verus ſenſus Auguſtini.

Obiici etiam poteſt Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Vbi videtur exigi verbū doctrinæ ad Sacramentum. Reſpondeo, facilè requiri quidem vt debito modo conferatur; priùs enim oportet catechizare, & inſtruere baptizandum, non tamen tunc, quando baptizari debet; tunc enim nulla requiritur inſtructio, aut doctrina. Sic etiam explicat Hieronymus ibi hunc locū: *Ordo* (inquit) *præcipuus: iuſſit Apoſtolis, vt primum docerent omnes gentes: deinde fidei intingerent Sacramento, & poſt fidem, ac Baptiſma, quæ eſſent obſeruanda præciperent.* Quòd autem non requiratur tunc inſtructio, quando confertur Baptiſmus, conſtat apertè ex verbis ſequentib. *Docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis;* nemo enim dicet, requiri ad hoc, vt validè, vel ritè conferatur Baptiſmus, quod tunc fiat concio de omnibus præceptis, & eorum explicatione; ſolùm enim requiritur, quod paſtores ea omnia ſuo tempore prædicent, & doceant; ergo doctrina, quæ ibi præexigitur, non requiritur tūc, quando confertur Baptiſmus, ſed tempore opportuno, quando catechizantur baptizandi. 79.

Obiectur ſecundò Matth. vlt. Reſpondetur. *Hieron.* *Quòd non requiratur inſtructio, quando confertur Baptiſmus, conſtat ex eodem loco Matt.*

Tertiò obiici poteſt Hieronymus, qui verba illa Pauli ad Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ;* intelligit de verbo doctrinæ. Sed ipſe Hieronymus fatetur, ſe non explicare in ſenſu litterali, ſed in ſenſu Tropologico, non de mundatione, quæ fit per Baptiſmum, ſed de illa, quæ fit in ſingulis hominibus per vocationem, & prædicationem, quibus ad pœnitentiam excitantur, & conuertuntur. 80.

Tertia obiectio Hieron. Epheſ. 5. Mens Hieronymi.

SECTIO V.

An requirantur materia & forma determinata ex inſtitutione Chriſti.

CONcluſio Catholica eſt, Sacramenta legis nouæ inſtituta eſſe à Chriſto, atque adeo mate- 81.

Concluſio.

riam etiam & formam eorũ; cùm enim Sacramentum ſit complexum ex materia & forma, non poteſt inſtitui aliquod complexum ad ſignificandam gratiam, quin ſimul inſtituantur talis materia, & talis forma ad ſignificandam gratiam, & per conſequens Chriſtus inſtituens Sacramenta, inſtituit, & determinauit materiam, & formam eorum. Concluſio habetur in Concil. Trid. *ſeſſ. 7. can 1.* his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, aut pauciora, quam ſeptem, &c. Anathema ſit, & ſeſſ. 21. c. 2.* declarat, in Eccleſia fuiſſe perpetuò poteſtatem, vt in Sacramentorum diſpenſatione, *Salua illorum ſubſtantia*, ea ſtatueret vel mutaret, quæ magis expedire iudicaret, vbi per illa verba, *Salua illorum ſubſtantia*, apertè indicatur, ſubſtantiam ipſam non fuiſſe relictam Eccleſiæ arbitrio, & diſpoſitioni, ſed fuiſſe ſtatutam, & determinatam à Chriſto.

Probatur ex Concil. Trid.

82. Conſtat hoc ipſum ex Scriptura, vbi habetur determinatio facta à Chriſto circa materiam, & formam Sacramentorum; vt in Baptiſmo quem inſtituit in aqua: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua.* Ioan. 3. formam verò dedit, Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ad Euchariſtiam item voluit adhiberi panem, & vinum, & illa verba: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus, &c.* dum præcepit Apoſtolis eodem ritu conficere quo ipſemet confecerat: *Hoc facite in meam commemorationem.* In Sacramento Pœnitentiæ determinauit, pro materia peccata, & pro forma abſolutionem, cum dixit; *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, &c.* Quod idem credendum eſt de aliis Sacramentis. Loca Patrum ad hoc ipſum, vide apud Suarez *in præſenti diſp. 2. ſect. 3.*

Confirmatur ex Scripturis. Ioan. 3. Matth. vlt. Suarez

83. Ratio denique eſt, quia cùm Sacramenta cauſent, & ſignificent efficaciter gratiam, non potuerunt ab alio, niſi à Chriſto inſtitui ad hoc ſignificandum, qui eſt auctor gratiæ. Potuit quidem Chriſtus delegare Eccleſiæ, vt tanquam ex commiſſione determinaret Sacramenta, quibus Chriſtus efficaciam tribueret; non tamen oportuit ita fieri, tum vt maior auctoritas ipſis Sacramentis conciliaretur, tanquam determinatis à ſolo Chriſto; tum vt hoc modo vnitas maior eſſet in Eccleſia vniuerſa, cùm deberet eiſdem viſibilibus ſignis vbique vti ſecundùm ſubſtantiam, quæ non parum conducunt ad vnitatem fidei, & religionis conſeruandam. Vide alias congruentias apud Suar. vbi ſuprà.

Probatur ratione. Chriſtus auctor gratiæ debuit inſtituere ſigna & eius materias. Potuit quidem committere Eccleſiæ hanc munus, non tamen ita fieri oportuit.

84. Contra hanc veram doctrinam duplex poteſt eſſe difficultas. Prima ex Sacramento Matrimonij, in quo Eccleſia videtur variaſſe materiam faciendo, quod conſenſus contrahentiũ abſque præſentia Parochi, quæ priùs erat materia valida, iam non ſit materia valida huius Sacramenti. Reſpondetur facilè, Eccleſiam non variaſſe ibi formaliter loquendo materiam Sacramenti, ſed ſolùm materialiter; nam materia, quam Chriſtus voluit ad Sacramentum Matrimonij, non erat qualiſcũque conſenſus contrahentium, ſed conſenſus legitimus, & validus ad tranſlationem iuris in corpora: Eccleſia autem potuit reddere inualidum, & illegitimũ conſenſum præſtitum abſque tali ſolemnitate, ſicut Reſpublica reddit illegitimũ, & inualidum conſenſum pupilli ad transferendum dominium abſque auctoritate tutoris; quare conſequenter non poterit eſſe materia Sacramenti, quæ deberet eſſe conſenſus legitimus, & validus. Sic etiam poſſent homines facere, quod hæc verba non ſufficerent ad conſecrationem Euchariſtiæ, *Hoc eſt corpus meum*, faciendo ſcilicet quod hæc vox *corpus*, ſignificaret lapidẽ, & hæc vox *lapis* ſignificaret corpus; tunc enim deberet aliis verbis conſecrari, non tamen mutaſſent formam Sacramenti formaliter loquendo, ſed ſolùm materialiter, quia forma inſtituta à Chriſto ſunt verba, quæ ex hominum inſtitutione ſignificare poſſint talem ſenſum, & per cõſequens homines poſſunt reddere inefficacia verba, quæ priùs erant efficacia: ſic in præſenti, &c.

Prima difficultas contra concluſionem petitur ex Sacramento Matrimonij. Soluitur. Et quod Eccleſia mutet ... formaliter.

Quæ materia fuerit à Chriſto determinata pro Sacramento Ordinis.

85. Secunda difficultas, & grauior poteſt eſſe ex Sacramento Ordinis, in quo videtur Eccleſia mutaſſe aliquid circa materiam, & formam: olim enim videtur fuiſſe collatum Sacerdotium, v. g. per ſolam manus impoſitionem cum verbis proportionatis: imò nunc in Eccleſia Græca, non ſolum Epiſcopi ſchiſmatici, ſed Catholici etiam, & qui Romæ degunt dum Græcos Presbyteros ordinant, ſciente, & conſentiente Summo Pontifice (me præſente) non per calicis, & patenæ porrectionem id faciunt, ſed per manus impoſitionem ſuper caput ordinandi, dicente Epiſcopo: *Diuina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet; creat, ſeu promouet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, &c.* quem ritum ordinandi, nemo iure damnare poterit, aut veriſimiliter de illius valore dubitare; & tamen Eccleſia Latina eundem ordinem confert per exhibitionem panis, & vini cum aliis verbis, in qua actione, & in quibus verbis creditur imprimi character, & conſiſtere materia, & forma huius Sacramenti, prout habetur in decreto Eugenij IV. ſæpè citato ad Armenos, vbi aſſignatur hæc materia, & forma ordinationis Presbyteri; ergo fatendum eſt, fuiſſe factam, vel fieri poſſe aliquam variationem circa materiam, & formam Sacramentorum. Quod argumentum etiam fieri poteſt in ordinatione Diaconi, qui olim per ſolam manus impoſitionem ordinabatur, & nunc apud Græcos, etiam Catholicos, ita ordinatur; apud Latinos verò per traditionem libri Euangeliorum cum forma illi correſpondente, vt habetur in dicto decreto Eugenij, & tamen certum videtur, non potuiſſe illam Euangeliorum traditionem eſſe materiam, antequam Euangelia ſcriberentur, quo tempore iam ordinabantur Diaconi, vt conſtat de S. Stephano & aliis.

Secunda difficultas petitur ex materia Sacramenti Ordinis. Eugen. IV.

86. Huic difficultati, omiſſis variis ſolutionibus, reſponderi poteſt, materiam, & formam huius Sacramenti eo modo, quo à Chriſto fuit inſtituta, nun poſſe mutari: Chriſtum tamen non determinaſſe in indiuiduo materiam, & formam materialiter ſumptas, ſed ſolùm voluiſſe, quod conferretur Ordo per aliquod ſignum ſenſibile ſignificatiuum poteſtatis quæ traditur, & per verba hoc ipſum exprimentia. Quam doctrinam ſupponit Innoc. IV. communiter receptus in cap. *Presbyter, de Sacramentis non iterandis*: vbi docet, tempore Apoſtolorum formam, qua ordinabantur Miniſtri, fuiſſe manuum impoſitionem, nec aliam fuiſſe formam tunc ſeruatam (per formam intelligit ritũ, vt ſuprà monuimus ſect. 1.) *Vnde credimus* (inquit) *quod niſi eſſent formæ poſtea inuentæ, ſufficeret ordinatori dicere, ſi Sacerdos, vel alia æquipollentia verba; ſed ſubſequentibus temporibus formas quæ ſeruantur, Eccleſia ordinauit.* Hoc ipſum inſinuat Bellarm. *tom. 2. lib. vnic. de Sacramento Ordinis, c. 9 in fine,* his verbis: *Credibile autem eſt, Dominum inſtituiſſe iſtas omnes materias Ordinum, non quidem in particulari ſed generatim, monendo Apoſtolos, vt Ordines conferrent per cæremoniam inſtrumentorum, quibus ſignificaretur eorũ poteſtas.* Vbi nomine *inſtrumentorum* debet etiam comprehendi manus, quæ eſt inſtrumentum inſtrumentorũ, alioquin debuiſſet negare

Reſpondetur difficultati. Chriſtus non determinauit in indiuiduo materiam, & formam Ordinis materialiter ſumptam. Innoc. IV. Bellarm.

dari

dari veram ordinationem apud Græcos, qui ordinant per ſulam manus impoſitionem: quod certè Bellarminus non negaret, qui ſciebat in Eccleſia Romana nunquam fuiſſe iterũ ordinatos qui Græco ritu ordinati fuerant, licèt ex iis alij Epiſcopi, alij etiam Cardinales fierent, neque vnquam de hoc puncto in Concilio Florentino, vel alibi à Latinis quidquam Græcis obiectum fuiſſe, denique hanc doctrinam latè, & eruditè tradit Petrus Arcudius *de concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis in Sacramentorum adminiſtratione, lib. . cap. 4. paulo poſt initium capitis, §. eſt autem duplex*, vbi hanc dicit eſſe ſententiam doctiſſimorum virorum. Qua ſuppoſita, facilè conciliantur ritus vtriuſque Eccleſiæ, vtraque enim confert ordinationem per ſignum ſenſibile, & verba, quæ optimè ſignificant traditionem ſacerdotij, quare vtraque validè conficit, & vtraque ſeruat formaliter loquendo materiam, & formam à Chriſto inſtitutam, licèt materialiter vtatur ſignis diuerſis. Sicut etiam Græcus conſecrans in fermentato, & Latinus in azymo, vterque procul-dubiò ſeruat materiam à Chriſto inſtitutam, ſcilicet panem, Chriſtus enim non determinauit hunc nec illum, ſed panem, quicũque eſſet, nec vinum album, nec rubrum, ſed vinum, quodcunque eſſet. Sic etiam inſtituit pro materia ordinis ſignum ſenſibile & verba, quæ ſignificent poteſtatem, quæ traditur. Vnde Eugenius veriſſimè dixit, per traditionem inſtrumentorum, & panis ac vini, &c. conferri ordinem, quia illa eſt de facto materia in Eccleſia Latina, licèt abſque illa poſſet adhiberi alia materia ſufficiens, vt fit apud Græcos.

Petr. Arcud.

Hac ſententia conciliat facilè ritus vtriuſque Eccleſiæ.

Confirmatur exemplo panis, qui eſt materia Euchariſtiæ.

87\. Confirmari poteſt primò hæc doctrina ex Gregorio IX. in cap. *Presbyter, de Sacramentis non iterandis*; vbi Pontifex expreſsè dicit, manus impoſitionem, qua Sacerdotes ordinantur, eſſe ritum ab Apoſtolis introductum; ergo non fuit illud ſignum eſſentialitèr, & determinatè requiſitum à Chriſto, ſed indeterminatè illud, vel aliud æquiualens. Aliunde autem habemus, nec porrectionem panis, & vini determinatè requiri ex diuina inſtitutione, cùm Græci abſque illa porrectione ordinentur; ergo fatendum eſt, Chriſtum ſolùm voluiſſe pro materia aliquod ſignum proportionatum, hoc, vel illud.

Gregor. IX. Confirmatur hac ſolutio.

Reſpondent aliqui, impoſitionem manuum eſſentialiter requiri ex inſtitutione Chriſti; dici tamen ritum ab Apoſtolis introductum non quia ipſi illum inſtituerint, ſed quia ipſi primi illud in vſum induxerint. Hic tamen ſenſus nimis eſt violentus; ſic enim poſſet etiam dici ritus ab Apoſtolis introductus baptizare *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; abſoluere pœnitentes à peccatis, & alij ſimiles, qui tamen non ita appellantur, ſed inſtituti à Chriſto.

Inſtantia.

Diluitur.

88\. Secundò confirmari poteſt ex eodem textu Gregorij, vbi dicit Pontifex; ſi Presbyter, aut Diaconus, cum ordinantur, manus impoſitionem non receperint, non eſſe vllatenus iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod per errorem fuit prætermiſſum. Vnde colligitur, illam impoſitionem manuum non ita eſſe ad valorem Ordinis eſſentialiter requiſitam, vt ſine illa Ordo non ſubſiſteret: alioquin non ſufficeret poſt tres menſes adhibere illam abſque forma; ſed debuiſſet repeti forma, quæ profertur in porrectione panis & vini, nam quando Epiſcopus priùs imponit manus, nulla verba profert.

Confirmatur ſecundò.

89\. Reſpondent aliqui, textum loqui, non de prima impoſitione manuum quæ fit ante porrectionem panis, & vini, & abſque vllis verbis, ſed de altera, quæ fit in fine Miſſæ, quando datur poteſtas ad abſoluendum à peccatis cum illis verbis: *Accipe Spiritum ſanctum: quorum remiſeris peccata, remittuntur eis*, &c. quæ licèt ſit eſſentialis, eſt tamen diuerſa à traditione poteſtatis ad offerendum ſacrificium, quæ prius data fuerat, atque adeo poteſt bene dari poſt tres menſes ſeorſim, cùm ſecum habeat ſpecialem formam, & ſpecialem effectum.

Inſtantia.

Hæc tamen reſponſio non poteſt adaptari textui: quia apertè loquitur de prima impoſitione manuũ; nam de illa ſubiungit: *Suſpenſio autem manuum debet fieri, cum oratio ſuper caput eius funditur ordinandi.* Hæc autem cæremonia fit in priori impoſitione manuũ, non in poſteriori, vt conſtat ex Pontificali.

Diluitur.

90\. Sed contra hoc obiici poteſt primò, quia ſi impoſitio manuum etiam ſine traditione calicis, & patenæ, ſufficeret ad valorem ordinis. Ergo nunc, antequam accipiant calicem, & patenam, ſunt ritè, & validè ordinati Presbyteri etiam Latini, cùm priùs recipiant manuum impoſitionem; & quæ alicubi, vel aliquando eſt ſufficiens, materia Sacramenti ſemper & vbique erit ſufficiens. Conſequens autem videtur contra illud decretum Eugenij, vbi dicitur Presbyteros ordinari per traditionem calicis & patenæ, &c. Reſpondetur negando ſequelam, quia materia ſine forma non ſufficit ad valorem Sacramenti; quamvis ergo impoſitio manuũ cum forma proportionata ſufficeret, prout ſufficit apud Græcos, quia tamen Eccleſia Latina voluit adhibere materiam & formam magis explicitam, noluit complere ordinationem in manuũ impoſitione, & ideo non profertur tunc forma, donec explicetur magis materia tradendo panem, & vinũ, &c. tunc autem profertur forma: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*, &c. quæ forma cadit ſupra totam materiam præcedentem, conſtantem ex manuum impoſitione, & traditione panis & vini, quæ faciunt materiam integram, ſed talem, vt non requireretur tota ad valorem Sacramenti: imo nec tunc profertur tota forma, ſed ſolùm illa, quæ explicat poteſtatem celebrandi, alia verò forma partialis explicans poteſtatem abſoluendi, profertur in fine Miſſæ cũ alia manuũ impoſitione pro materia: Quare diuiditur apud Latinos collatio Presbyterij, cùm tamen apud Græcos vnica manuũ impoſitione, & vnica forma detur vtraque poteſtas illis verbis; *Diuina gratia creat hunc Presbyterum*, &c. quia illa verba, licèt non ita explicitè, ſignificant tamen ſufficienter vtramque poteſtatem. Vnde etiam meritò Põtifex dicit, ſupplendam eſſe apud Latinos manuũ impoſitionem prætermiſſam, illam ſcilicet quæ præcedit traditionem inſtrumentorum; ſupplendam, inquam, non quaſi aliquid eſſentiale defuiſſet, ſed aliquid, quod ſi poſitum fuiſſet, integraſſet materiam, poſtea verò ſupplebitur tanquam cæremonia principaliſſima, ſicut ſupplentur ſolemnitates poſtea in eo, qui fuit domi baptizatus abſque illis.

Obiectio.

Reſponſio.

91\. Sed contra obiicies ſecundò: ergo ſaltem in Diaconatu ante traditionem libri Euangeliorũ, Diaconus erit ritè ordinatus; nam priùs accipit manuum impoſitionem cum forma, ſcilicet cum illis verbis: *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. ergo ſi Græci validè ordinant Diaconum per impoſitionem manuũ cum forma tunc prolata; Latinus etiam Diaconus ordinabitur per eandem materiam cũ forma tunc prolata: & tamen in Concilio Florentino aſſignatur pro materia Diaconatus traditio libri Euangeliorũ. Reſpondetur negando ſequelam; nam licèt impoſitio manuum cum forma debita ſufficeret ad ordinem Diaconatus conferendũ, ſicut de facto confertur à Græcis: apud Latinos tamen tunc non completur Ordo, quia non profertur forma completa, ſed incompleta per verba generalia, quæ non ſignificant determinatè ordinem illum; ſcilicet dicendo:

Obiicitur ſecundò.

Reſpondetur.

Accipe Spiritum ſanctum ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus eius, in nomine Domini, quæ verba ſunt valdè vniuerſalia, & ideo poſtea determinantur, quando traditur liber Euangeliorum per illa verba: *Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis in nomine Domini. Amen*; atque adeo tunc cõpletur materia, & forma, & confertur omnino ordo Diaconatus, qui etiam validè potuiſſet cõferri abſque traditione libri, ſi ſufficiens forma fuiſſet adhibita, ſicut adhibetur à Græcis.

Quomodo concilientur ritus Latinus, & Græcus in conferendo Ordine.

92. *Conciliantur ritus vterius quos Eccleſia ex hac ſententia.* Ex dictis infertur, quomodo conciliari debeat ritus, quem Eccleſia Latina obſeruat in ordine Sacerdotij conferendo, cum iis quæ Concilia paſſim & Patres omnes dicunt, ſacerdotium ſcilicet conferri per manus impoſitionem, quod ita clarum eſt in tota antiquitate, vt nemo id negare poſſit, vt fatentur Bellarmin. *dicto lib vnico de Sacramento Ordinis, cap. 9.* & Vaſquez *tom. 3. in tertiam partem, diſp. 239.* de quo latè Arcudius *vbi ſupra dicto lib. 6. cap. 3.* Aliqui enim dicunt, apud Latinos Sacerdotem ordinari etiam per manus impoſitionem; quia ipſa traditio inſtrumentorum cum pane, & vino eſt quædam impoſitio manuum, cùm in illo actu Epiſcopus, vt tradat calicem & patenam, extendat manus, & quodammodo eas imponat; per illam traditionem Epiſcopus mediatè coniungit manus ſuas cum ordinando per coniunctionem phyſicam; quod enim mediet calix, & patena, non tollit verum contactum, ſicut etiam apud Græcos mediat pallium, & tamen dicitur vera manus impoſitio.

Bellarmin. Vaſquez. Arcudius. Reſponſio aliquorum.

93. *Reijcitur.* Hæc ſolutio nunquam potuit mihi ſatisfacere; quia illa traditio inſtrumentorum, non niſi impropriiſſimè, & ineptiſſimè poteſt appellari ſimpliciter manus impoſitio, vt conſtat ex vſu concipiendi, & loquendi. Et licèt daremus, propter illum cõtactum mediatum poſſe vtcumque appellari manus impoſitionem; non tamen poſſet dici quod tunc Epiſcopus imponat manus ſuper caput ordinandi. Et tamen Concilia, & Patres non ſolùm dicunt, conferri ordinem per manus impoſitionem, ſed etiam per impoſitionem manus ſuper caput. Sic loquitur *Concilium Carthaginenſe IV. can. 3.* his verbis: *Presbyter, cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente*, &c. Clemens Romanus *lib. 8. conſtit. cap. 16.* ſic ait: *Cum Presbyterum ordinas, Epiſcope, impone ipſe manum capiti Presbyteri.* Damaſus Papa *Epiſt. 4.* agens de ordinatis à Chorepiſcopis, qui verè Epiſcopi non erant, ſic ait: *Et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impoſitionem tangebant, quàm ea, quæ eis collata non erant, per aliquam benedictionem darent*: & paucis interiectis: *Quapropter* (inquit) *per illam illicitam manus impoſitionem, vt paulò ſuperius prælibauimus, vulneratum caput illi, qui videbantur aliquid accepiſſe, habebant.* Innocentius I. *Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ, cap. 3.* ſic ait: *Cùm nos dicamus ab Hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput, vbi vulnus infixum eſt, medicina eſt adhibenda, vt poſſit recipere ſanitatem*, &c. Dionyſius Areopagita *de Eccleſ. Hierarch. cap. 5.* ſic ait de ordinatione Presbyteri, & Diaconi; *Sacerdos autem flexis ante aram genibus capiti ſuo admotam Pontificis manum dexteram habet, atque à Pontifice, qui eum conſecrat, ſanctis precibus ſanctificatur. Miniſter verò genu altero flexo ante altare dexteram manum Pontificis, qui eum conſecrat, ſuper caput habet, ab eoque conſecratur ijs precationibus, quibus Miniſtri conſecrari ſolent.* Auguſtinus *lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 20. Si ergo* (inquit) *ad hoc valet, quod dictum eſt in Euangelio, Deus peccatorem non audit, vt per peccatores Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur, quæ omnia tamen & fiunt, & valent etiam per homicidas.* Vides, apud Patres non ſolùm aſſignari pro materia impoſitionem manus, ſed impoſitionem manus ſuper caput ordinati: quis autem dicat Epiſcopum imponere manum capiti ordinati, dando illi calicem & patenam cum hoſtia & vino? Non ergo de illa impropriiſſima manus impoſitione, ſed alia magis propria loquuntur.

Concil. Carthag. IV. Clemens. Damaſus. Innoc. I. Dionyſ. Auguſt.

Secundò reiici poteſt eadem doctrina ex verbis Gregorij IX. ſupra adductis in cap. *Presbyter*, de Sacramentis non iterandis, vbi ſic ait: *Presbyter, & Diaconus, cùm ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali (ritu ab Apoſtolis introducto) recipiunt; quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum, ſed ſtatuto tempore ad huiuſmodi ordines conferendos, cautè ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum: ſuſpenſio autem manuum debet fieri, cum oratio ſuper caput effunditur ordinandi*, vbi vides, ritum illum imponendi manus dici ab Apoſtolis introductum, qui non continetur in traditione calicis, & patenæ: nam omnes ſupponunt, in caſu illius textus non fuiſſe omiſſam traditionem calicis, & patenæ, nec eam eſſe repetendam; & tamen Pontifex dicit, omiſſam fuiſſe manus impoſitionem, quam ab Apoſtolis introductam ſeruat Eccleſia; ergo non includitur illa manus impoſitio antiqua in traditione inſtrumentorum. 94. *Reiicitur ſecundò. Greg. IX.*

Tertiò reiici poteſt ex Concilio Carthagin. IV. *can. 5. & 8.* vbi de Subdiaconi ordinatione ſic dicitur: *Quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum.* Vbi apertè diſtinguitur acceptio inſtrumentorum ab impoſitione manuum; nam ſi in ipſa traditione inſtrumentorum manus imponitur Presbyteris, non eſſet bona ratio Concilij, quia Subdiacono manus non imponitur, accipiat patenam, & calicem; eſſet enim dicere, quia non accipit inſtrumenta, accipiat inſtrumenta, ac proinde iam non magis Presbyteris manus imponerentur, quàm Subdiaconis. Debemus ergo fateri, ritum illum antiquum imponendi manus ſeruari, & retineri ab Eccleſia Latina, non in traditione ipſa inſtrumentorum, ſed ſeorſim per veram & propriam manus impoſitionem ſuper capita ordinatorum. 95. *Reiicitur tertiò. Concil. Carthag. IV.*

Alij aliter reſpondent, manus impoſitionem in ordinatione Sacerdotis eſſe quidem materiam eſſentialem: illam tamen eſſe, quia in fine Miſſæ accipit poteſtatem abſoluendi à peccatis, imponente Epiſcopo manus capiti Presbyteri cum illis verbis: *Accipe Spiritum ſanctum: quorum remiſeris peccata, remittuntur eis*, &c. quæ poteſtas cùm ſit quædam pars Sacerdotij noſtri, quippe quod complectitur poteſtatem offerendi Sacrificium, & abſoluendi; iam verum eſt in rigore, Sacerdotes ordinari per manus impoſitionem, licèt ante illam acceperint poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti, & ſimul cum Epiſcopo conſecrauerint. Ita reſpondet P. Vaſq. *loco cit.* cum aliis, & Bellarm. *d. cap. 9. de Sacramento Ordinis*. 96. *Reſponſio aliorum. Vaſquez. Bellarm.*

Huic tamen reſpõſioni obſtat primò, iuxta ipſam, Sacerdotem, quatenus potiſſimè Sacerdos eſt, non ordinari in hac ſententia per manus impoſitionem, ſed ſolùm quatenus iudex conſtituitur ad dimittenda, vel retinenda peccata, quod munus, licèt Sacerdotibus Chriſti ſit annexum, ſacerdotium tamen ſecundùm ſe, & ex ſuo conceptu ab illo præſcindit: nam Sacerdos eſt in ordine ad ſacrificium: quare 97. *Reiicitur etiã hæc reſponſio primò.*

cùm

cùm Patres & Concilia dicant, Sacerdotem ordinari, & fieri per manus impoſitionem; de ſacerdotio, vt ſacerdotio debent intelligi, nec poſſumus admittere, peiùs eſſe verè, & eſſentialiter Sacerdotem, quàm ei manus imponatur. *Secundò obiicitur. Ambroſ.* Secundo obſtat Ambroſ. *in epiſtolam primam ad Timotheum, cap. 4.* vbi, clarè, & diſertè explicat, per manus impoſitionem tribui Sacerdoti poteſtatem ad offerendum ſacrificium: *Manus* (inquit) *impoſitiones verba ſunt myſtica, quibus confirmatur ad opus electum, accipiens auctoritatem, teſte conſcientia ſua, vt audeat vice Domini ſacrificium Deo offerre.* *Tertiò obiicitur. Concil. Carthag.* Tertiò obſtat Concil. Carthag. IV. *Can. 3. & 4.* vbi de ordinatione Sacerdotis, & Diaconi ſic dicitur: *Presbyter, cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas iuxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant, Diaconus, cùm ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.* Vbi apertè fit ſermo de impoſitione manuum, quæ præcedit exhibitionem calicis, & patenæ; tunc enim alij Sacerdotes manus imponunt; comparatur autem illa manus impoſitio cum illa, quam accipit Diaconus, qui ordinatur ad miniſtrandum per manus impoſitionem, Sacerdos verò, quia per manus impoſitionem ordinatur ad ſacerdotium, ideo accipit illam cum maiori ſolemnitate, & approbatione aliorum Sacerdotum ſimul manus ſuas imponentium. Certè quiſquis attentè, & ſincerè legat ſeriem illius Concilij, dubitare non poterit, quin æquè Epiſcopus, Sacerdos & Diaconus per manus impoſitionem ordinetur, & per eandem Sacerdos poteſtatem ſuam ſacerdotij, & ſacrificandi accipiat.

98. *Verior modus conciliationis. Eccleſia Latina materiam illam reddidit magis explicitam.* Verior ergo, & planior conciliandi modus eſt, quem ſupra inſinuáuimus, Eccleſiam Latinam retinuiſſe vtique priſcum illum ritum ab Apoſtolis introductum ordinandi Sacerdotem per manus impoſitionem, illam tamen materiam magis explicitam reddidiſſe adiungendo traditionem panis, & vini, (quod Græci non faciunt) ita vt ex manus impoſitione, & traditione panis & vini, fiat vna integra materia magis explicita cum forma, quæ tunc profertur explicante poteſtatem ſolam ad ſacrificandum: poſtea verò adhibetur iterum alia manus impoſitio cum altera forma explicante poteſtatem ad abſoluendum: itaque vtramque poteſtatem confert per manus impoſitionem: priorem tamen non per ſolam manus impoſitionem, ſed per traditionem ſimul panis, & vini, vt magis explicita apponatur materia, & magis apta ad ſignificandam poteſtatem ſacrificandi.

99. *Eſt ſemper propinquitas moralis ſufficiens inter manus impoſitionem & formam.* Nec obſtat, primam manus impoſitionem fieri abſque prolatione formæ, atque adeo non poſſe tunc apponi tanquam materiam, nam materia debet eſſe ſimul cum forma: hoc (inquam) non obſtat, quia non ita diſtat manus impoſitio à formæ prolatione, quæ poſtea ſubſequitur, vt non cenſeantur habere propinquitatem moralem ſufficientem; neque enim debet eſſe coëxiſtentia phyſica, vt conſtat in Diaconis, quibus dicitur forma omnibus ſimul, & poſtea ſucceſſiuè tangunt librum, quare ſi ordinarentur ſimul centum Diaconi, proculdubio eſſet magna diſtantia phyſica inter prolationem formæ, & contactum libri reſpectu vltimi; ſed tamen eſt ſufficiens præſentia moralis, quia eadem actio moraliter continuatur abſque interruptione morali. Sic etiam, poſtquam imponuntur manus Sacerdotibus, vſque ad illa verba: *Accipe poteſtatem*, &c. eadem actio moralis continuatur vngendo illos, & præparando, vt magis congruè recipiant gratiam S. Spiritus. Poſtea verò explicatur magis materia, & apponitur alia pars eiuſdem materiæ, ſimul cum forma: quare diſtantia illa, quæcunque illa ſit, non tam eſt inter materiam, & formam, quàm inter partem & partem materiæ, quas certè non oportet ſibi inuicem coëxiſtere phyſicè, vt videmus in Sacramento Pœnitentiæ, in quo confeſſio, & actus doloris longo plerumque temporis interuallo diſſident; *Exemplo eſt Sacramentū pœnitentiæ.* in Matrimonio autem conſenſus, & verba vnius coniugis, quanto tempore poſſunt durare à conſenſu, & verbis alterius? Sufficit ergo moralis vnio, quæ penſanda eſt ex natura, & qualitate actionis; quare, cùm de creando Sacerdote agitur, tota illa actio, quibus ei inſignia, veſtes, inſtrumenta, & alia ſolemniter dantur, cenſetur eſſe vna & eadem actio; ſicut coronatio etiam Pontificis, vel Regis, longo tempore protrahitur, & in plures actiones diuiſa, variiſque ſolemnitatibus interrupta, eadem tamen actio moraliter reputatur.

Confirmari poteſt hic dicendi modus ex ritu, quo 100.
Confirmatur hic dicendi modus. Latinus Diaconus ordinatur, ſcilicet per manus impoſitionem, & per traditionem libri, vbi certè negare non poſſumus, impoſitionem manus pertinere ad materiam illius ordinationis, ſaltem partialiter, tum quia Patres & Concilia, imo & Scriptura ſemper dicunt Diaconum fieri per manus impoſitionem; tum quia quando Diacono manus imponitur, dicuntur illa verba ab Epiſcopo: *Accipe Spiritum ſanctum*, & de quibus verbis Concil. Trid. *Conc. Trid.* *ſeff. 2.. canon 4. de Sacramento Ordinis*, definit eſſe verba efficacia, & cauſatiua gratiæ, ſic enim ait: *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum, anathema ſit.* Quare non video, quomodo poſt hanc definitionem Tridentini aliqui opinentur, per illa verba non dari Spiritum ſanctum, ſed intelligi ſolùm per modum cuiuſdam deprecationis. Debemus ergo illis verbis, & actione, quæ cum illis fit, tribuere aliquam efficaciam, ſaltem partialem in ordine ad gratiam ſacramentalem: nemo autem dicet, minoris efficacitatis eſſe impoſitionem manuum ſuper caput Sacerdotis, quàm ſuper caput Diaconi, imo ex ipſo externo ritu conſtat, eſſe aliquid maius, cùm Diaconis ſolus Epiſcopus imponat vnam manum: ſacerdotibus vero imponat ſingulis vtramque manum, cui alij Presbyteri conſentiunt imponentes & ipſi manus ſuper eoſdem, quæ omnia oſtendunt aliquod magnum myſterium in illa manuum impoſitione contineri.

Dices, in noſtra etiam ſententia verba illa, *Acci-* 101.
Inſtantia. *pe Spiritum ſanctum* &c. quæ Diaconis dicuntur, non eſſe intelligenda vt ſonant, ſed per modum deprecationis, nam reuera tunc non datur Spiritus ſanctus, ſed poſtmodum cùm datur poteſtas legendi Euangelium, & imprimitur character. *Reſpondent aliqui.* Aliqui videntur diuidere ordinem Diaconatus in duas poteſtates, ſcilicet miniſtrandi, & legendi Euangelium, quarum prior detur per illa verba: *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. cum impoſitione manus; poſterior vero per traditionem libri, & illa verba: *Accipe poteſtatem legendi Euangelium*, &c. ita vt ſicut Presbyteris datur duplex poteſtas ſeorſim per diuerſam materiam, & formam, ſcilicet ad ſacrificandum, & abſoluendum; ſic Diacono datur duplex poteſtas ſeorſim vna ab alia, per diuerſam materiam, & formam. Ita videtur inſinuare Card. Bellarm. *illo c. 9. in fine*: imo indicat, Stephanum & alios primos Diaconos, ſolùm accepiſſe priorem poteſtatem, non poſteriorem, quia tunc non erat opus poſteriori, cùm nondum eſſent ſcripta Euangelia, quæ legerentur.

102. *Impugnantur.*

Sed huic reſponſioni obſtat ritus, quem hodie (vt dixi) obſeruat Eccleſia Græca in ordinatione Diaconi, quem per ſolam manus impoſitionem ordinat, nec per formam explicat poteſtatem legendi Euangelium, ſed ſolùm Diaconatum, dicendo, *Diuina gratia promouet hunc in Diaconum*, &c. ergo per illam actionem per quam conſtituitur aliquis Diaconus, accipit ſimul poteſtatem legendi Euangelium; quod tamen hi Authores videntur negare, dum ſupponũt, Stephanum, & alios, qui librum non acceperant, accepiſſe poteſtatem ad miniſtrandum, non tamen ad legendum Euangelium; hoc autem ſtare non poteſt, quia verè illi facti ſunt Diaconi, ergo acceperunt poteſtatem, quam affert Diaconatus; ergo cùm per ſolam acceptationem Diaconatus accipiatur à Græcis poteſtas legendi Euangelium, idem dicendum eſt de illis primis, qui veri Diaconi fuerunt.

103. *Vera reſponſio iuxta priorem doctrinam.*

Faciliùs ergo reſpondetur iuxta ſupradicta, verba illa: *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. quæ Diaconis dicuntur, eſſe quidem cauſatiua; ad hoc enim non eſt neceſſe, quod cauſetur effectus in ipſa prolatione verborum metaphyſicè, ſed ſatis eſt quod vel tunc, vel poſtea, quando perficitur materia, & forma, cauſetur virtute illorum verborum, ſaltem vt cauſæ partialis; ſic enim verba ſimilia, quæ dicuntur Preſbyteris: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata*, &c. licèt ſint cauſatiua, non oportet, quod ſemper operentur, tunc quando proferuntur, nam ſi nondum imponit manus Epiſcopus, ſed paululum poſt prolationem eorum verborum imponat manus, valida erit ordinatio, & tunc ponetur effectus virtute verborum antea prolatorum: ſicut etiam de facto poteſtas legendi Euangelium non datur Diacono, quando dicuntur ei ab Epiſcopo illa verba: *Accipe poteſtatem legendi Euangelium*, &c. nam Epiſcopus dicit illa verba omnibus ſimul, *Accipite poteſtatem legendi Euangelium*, &c. & poſtea ſucceſſiuè omnes tangunt librum, quare neceſſe eſt, magnam temporis moram intercedere inter prolationem verborum, & acceptionem poteſtatis, præſertim ſi plures ſint Diaconi ordinandi; & tamen illa verba dicuntur in omni rigore cauſatiua illius effectus. Sic ergo dicimus de illis aliis verbis: *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. Hæc ſufficiat breuiter indicaſſe de materia, & forma Sacramenti Ordinis.

SECTIO VI.

Quæ mutatio materiæ, aut formæ noceat valori Sacramenti.

104. *De ſubſtantiali mutatione materiæ non eſt difficultas.*

CIrca mutationem materiæ non eſt difficultas: omnes enim conſentiunt, illam mutationem tollere valorem Sacramenti, quæ opponitur cũ materia à Chriſto inſtituta quoad ſubſtantiam; quæ verò ſolùm opponeretur accidentaliter, non deſtrueret valorem. Sic aggreſta non poſſet validè conſecrari, poſſet tamen vinum purum, vel panis fermentatus, licèt Chriſtus in vino lymphato, & pane azymo conſecrauerit, quia ſunt circumſtantiæ accidentales, quod ſit panis azymus, vel vinum purum; vterque enim eſt panis, & vtrumque eſt vinum humano modo ſimpliciter, & abſolutè. Duo tamen ſunt in hoc aduertenda. Primum eſt, non intelligi mutationem accidentalem illam omnem, vel ſolam quæ non verſatur circa mutationem eiuſdem ſpeciei ſubſtantialis: nec mutationem ſubſtantialem omnem illam, quæ verſatur circa aliam ſpeciem phyſicam: nam vinum album & rubrum differunt fortaſſe ſpecie phyſica, contritio etiam & attritio, quæ ſunt materia proxima in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut & ſatisfactio facta per ieiunium, aut per eleemoſynam, & tamen hæ varietates non ſunt ſubſtantiales, ſed accidentales in ordine ad Sacramenta; è contra verò panis, & miſſa cruda non differunt fortaſſe ſpecie ſubſtantiali, & tamen eſt varietas ſubſtantialis in ordine ad Sacramentum, quia vnitas, vel mutatio materiæ in ordine ad Sacramentum, non tam attenditur ſecundùm entitatem phyſicam, quàm ſecundùm vnitatem humanam, ita vt in ordine ad vſus humanos, & prout ſub tali nomine vſurpatur, ſit notabilis varietas, ita Suarez cum aliis *in præſenti diſp.... ſect. 4. §. vt verò diſtinguamus.* Suarez.

Duo notãda, primum quod intelligatur per mutationem accidentalem & ſubſtantialem.

105. *Secundum notandum.*

Secundo tamen adiungendum videtur, vix poſſe reperiri circumſtantiam aliquam, ratione cuius dici poſſet fieri mutationem accidentalem in materia vel forma Sacramentorum reſpectu inſtitutionis Chriſti: nam illa exempla, quæ adduci ſolent mutationis accidentalis, vt ſi vinum ſit rubrum, vel album, ſi panis ſit fermentatus, & ſimiles; ſi rectè conſiderentur, non ſunt nec accidentaliter quidem alienæ à Chriſti inſtitutione: Chriſtus enim pariter inſtituit vtrumque panem, & vtrumque vinum pro materia, quia alioquin peccarent Græci conſecrando in fermentato; & idem dicere poſſumus, de mutationibus accidentalibus in forma Sacramenti; nam ſi in conſecratione panis, omittatur particula *enim*, non erit nec accidentaliter contra Chriſti inſtitutionem: neque enim Chriſtus præcepit illius particulæ prolationem, alioquin peccaſſent multi Patres, qui ſine illa particula conſecrabant, vt conſtat ex liturgiis antiquis. Quando ergo dicimus, aliquando mutari formam, vel materiam ſolùm accidentaliter, debet intelligi, quod mutatio ſit materiæ, facta comparatione ad vſum, vel ritum communem noſtræ Eccleſiæ, cui ſe accidentaliter opponeret, qui omitteret, v.g. particulam *enim*, vel particulam illam, *ego*, in forma abſolutionis, vel aliud ſimile. At verò reſpectu Chriſti vix inuenietur aliquid, quod à Chriſto fuerit determinatè inſtitutum ex parte materiæ, vel formæ Sacramentorum, quod non pertineat ad valorem, & ſubſtantiam Sacramenti, vt conſideranti patebit.

Mutatio accidentalis fit ſpectato ritu communi noſtra Eccleſia, non tamen reſpectu inſtitutionis Chriſti.

106. *Duplex regula pro dignoſcendis mutationibus.*

Hoc ſuppoſito, duplex regula ſolet communiter tradi pro dignoſcendis mutationibus, quæ in forma deſtruunt valorem Sacramenti, & illis quæ valorem non deſtruunt. Prima regula eſt: mutatio illa, ſiue per additionem, ſiue per ablationem, ſiue alio modo fiat, quæ non corrumpit verum ſenſum formæ, non tollit valorem Sacramenti. Secunda regula eſt, mutatio quouis modo facta, corrumpens verum ſenſum formæ, ſemper deſtruit valorem Sacramenti; ita Vaſquez *in præſenti diſp. 129. cap. 7. in fine*, cum aliis communiter, qui re ipſa idem ſentiunt, licèt in modo applicandi prædictas regulas ad caſus particulares diſſentire videantur.

Prima regula, quando non mutatur ſenſus formæ. Secunda contraria. Vaſquez.

107. *Varia praxes harum regularum.*

Tota ergo difficultas eſt in reducendis his regulis ad praxim, vt dignoſci poſſit, quando mutatio facta in verbis corrumpat, vel non corrumpat ſenſum requiſitum formæ; iuxta quas oportebit ſigillatim examinare alias regulas magis particulares, quæ communiter ſolent aſſignari. Primò ergo infertur, mutationem vnius vocis in aliam retinentem eundem ſenſum non nocere. Poteſt autem hoc multipliciter accidere. Primò ſecundùm totam dictionem integram, & tunc ſi fiat in nomina ſynonyma, valet Sacramentum, vt ſi pro illo verbo *abſoluo* dicatur; *Ego tibi remitto peccata tua*, ſi autem dubium ſit, an ſint voces æquiualentes, dubium etiam erit valor Sacramenti, vt ſi in forma Baptiſmi dicatur. *Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & procedentis*, &c. Hinc fit, valere etiam Sacramentum, licèt pro voce

Prima praxis mutatio vnius vocis in aliã retinentẽ eundem ſenſum, idque fit duobus modis; primus modus cum mutatur integra.

vnius

vnius idiomatis apponatur vox alterius:& hoc non ſolùm ſi tota forma proferatur in alio idiomate, v. g. Gallico vel Hiſpano; ſed etiàm ſi miſceatur partim ex vno, partim ex alio, vt ſi dimidiam formam dicat aliquis Latinè, & dimidiam lingua vulgari; ſic enim habet vſus loquendi, vt ſæpè miſceamus intra eandem orationem diuerſas linguas. & ſic etiam forma baptiſmi Latina habet verbum illud, *baptizo*, quod non erat Latinum ſed Græcum. Hinc etiam fit, mutationem vnius vocis in aliam æquiuocam, ſi verè æquiuoca ſit, & in his circumſtantiis capax ſit adhuc ſignificationis æquiualentis illi alteri voci, quæ omittitur, non tollere valorem Sacramenti; ſic enim valida erit forma Baptiſmi, ſi pro illis verbis, *Ego te baptizo* dicatur *Ego baptizo Petrum*, licèt illa vox, *Petrus*, de ſe æquiuoca ſit ad hunc, vel illum Petrum ſignificandum. Denique valida eſt forma, quando ex propriis mutentur nomina in figurata eundem ſenſum reddentia, vt cùm *pro ſanguine* ponitur, *calix ſanguinis*, vel è contra. Vel cùm ex vſu, & accommodatione idem ſignificat, vt ſi honoris gratia, dicatur, *Ego abſoluo veſtram Dominationem, aut veſtram Celſitudinem*, &c aut ſi Pontifex diceret, *nos abſoluimus te*, &c. Nam illæ voces in plurali in vſu communi iam æquiualent ſingulari.

108\. *Secundus modus, cum mutatur pars.* Secundo poteſt fieri mutatio vocis non integræ, ſed ſecundum partem, vt ſi ex balbutie, vel ignorantia, vel alio impedimento, pro *eſt*, dicatur *es*, vel pro *corpus*, dicatur *corporis*, &c. De quo extat decretalis reſponſio celebris Zachariæ Papæ, quæ habe- *Zachar. Papa.* tur in cap. *Retulerunt*. De conſecratione diſtinctione quarta: vbi ſcribens ad Bonifacium Epiſcopum ſic dicit: *Retulerunt Nuntij tui, quod fuerit in eadem prouincia Sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret neſciens Latini eloquij, infringens linguam diceret, Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancta. Ac per hoc tua reuerenda fraternitas conſiderauit eos rebaptizare. Sed ſanctiſſime Frater, ſi ille qui baptizauit, non errorem introducens aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt ſupra fati ſumus, baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire vt denuo baptizentur.* Hæc Zacharias: ex cuius verbis idem à fortiori colligitur in leuioribus mutationibus, vel ex pronuntiatione, vel ex alio defectu prouenientibus. Ratio autem eſt, quia in iis circumſtantiis illa verba ſic prolata ſufficienter indicant eundem ſenſum, licèt barbarè, & imperitè ſignificentur.

109\. *Secunda praxis, variatio vocis actiuæ in paſſiuam cum eodem ſenſu.* Secundo infertur, varietatem etiam ſecundùm caſus, vel ſecundùm voces, actiuam & paſſiuam, non nocere, dummodo idem ſenſus retineatur ſic pro illis vocibus, *Ego te baptizo*, &c. Græci dicunt *Baptizatur ſeruus Chriſti*, & non verò *Baptizetur ſeruus Chriſti*, vt aliqui communiter eis imponunt: ille autem Baptiſmus validus eſt, proculdubio cum eundem ſenſum verba illa retineant.

110\. *Tertia praxis, additio non deſtruens ſenſum.* Tertio infertur, additionem illam, quæ non deſtruit debitum ſenſum formæ, non impedire, ſiue fiat in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, vt ſi dicas, *Commendo te B. Virgini, & baptizo te in nomine Patris*, &c. vel ſi dicatur, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij qui à Patre procedit, & Spiritus Sancti*, vel ſi dicatur, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, commendo te B. Virgini.* Nam in his omnibus ſemper manet integer ſenſus formæ requiſitæ, nec deſtruitur vllo modo per illa, quæ adiunguntur. Idem dicendum eſt, ſi aliquid auferatur, quod tamen ſenſum non deſtruat, vt ſi dicas, *Abſoluo te à peccatis*, omiſſis *ego* & *tuis* adhuc enim manet integer idem ſenſus.

111\. Quartò infertur, interruptionem magnam verborum impedire valorem Sacramenti, quia auferatur ſenſus orationis; modicam tamen interruptionem non impedire, quia moraliter eſt eadem oratio *Quarta praxis. Magna interruptio.* & hoc, etiamſi alia verba interponantur, vt ſi quis dicat, *Ego te baptizo*, & petens aquam dicat, *date aquam*, & ſtatim proſequatur, *In nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti.* Quanta autem, & qualis debeat eſſe interruptio, aut verborum interpoſitio vt tollat ſenſum, eſt res moralis, & pendet ex arbitrio, ac iudicio prudentum.

Quinto infertur, tranſmutationem & tranſpoſitionem verborum aliquando impedire valorem, aliquando non: nam ſi dicat aliquis, *Ego in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti te baptizo*; idem eſt ſenſus, & valida eſt forma; ſi verò dicat, *Ego in te baptizo nomine Patris*, &c. non manebit idem ſenſus, nec erit valida forma, eſſet tamen valida forma ſi diceret, *Ego Patris baptizo te in nomine Filij, & Spiritus ſancti*, licèt Scotus *in 4. diſt. 3. q.* ..immerito illam dicat eſſe formam inualidam, quia aufert conceptum orationis ſed reuera apud Latinos Poetas ille modus loquendi vſitatus eſt. 112. *Quinta praxis. Transmutatio.* *Scotus.*

Sexto infertur, quid dicendum ſit quando mutatio in forma fit ad inducendum aliquem errorem. Communiter enim dicunt multi, vniuerſaliter tunc reddere inualidum Sacramentum, quibus videtur fauere Zacharias Papa in verbis, quæ ex ipſo ſupra retulimus, vbi docet, Baptiſmum *in nomine Patria, & Filia*, &c. validum fuiſſe, ſi baptizans non voluit introducere errorem; aut hæreſim. Vnde à contrario ſenſu argui ſolet non valere Sacramentum, quando mutatio formæ fit ad introducendum errorem, vel hæreſim. Hæc tamen regula, ſi vniuerſaliter, & vt ſonat, accipiatur, non videtur poſſe ſubſiſtere, vt cum aliis benè obſeruant Suarez *in 3. p. quæſt. 60. diſp. 2. ſect. 5.* & Vaſquez *d. diſp. 129. c. 6. & 7.* quia Græci vtuntur alia forma, *Baptizatur ſeruus Chriſti* &c. eo animo multi, quia dicunt, formam Eccleſiæ Latinæ non eſſe validam & in conſecratione hoſtiæ dicunt, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur*, volentes hac etiam verba requiri ad eſſentiam conſecrationis, & tamen validè baptizant, & conſecrant, ſicut licèt ex iiſdem multi conſecrent in fermentato, ad tuendum ſuum errorem, quo negant, licere conſecrationem azymi, adhuc conſecrant validè; ergo non quæcumque erroris intentio ſufficit ad reddendum inualidum Sacramentum Sicut etiam de facto inter Latinos aliqui exiſtimant, verba illa poſteriora in conſecratione calicis, *noui & æterni Teſtamenti* &c. requiri eſſentialiter ad conſecrationem, & cum hac intentione illa dicunt; nec tamen ideo minùs validè conſecrant propter hunc priuatum errorem. Ratio autem vniuerſalis eſt, quia cum errore illo ſtare poteſt intentio efficax faciendi verum Sacramentum iuxta Chriſti inſtitutionem, quæcumque illa ſit. 113. *Sexta, mutatio in forma ad inducendum errorem.* *Suarez.* *Valquez.*

Ideo prædicti auctores dicunt illam doctrinam Zachariæ & S. Thomæ intelligi iuxta ſubiectā materiam, vt ſcilicet tunc animus introducendi errorē noceat valori Sacramenti, quando verba ipſa ita ſignificant illum errorem vt nō relinquant verum, & requiſitum ſenſum formæ, Sacramentum enim fieri non poteſt verbis ſignificantibus illum ſenſum, ſicut in exemplo illo, ſi per illa verba, *In nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*, vellet miniſter ſignificare in Deo non eſſe Filium, ſed filiam, deſtrueret verum ſenſum formæ: ſic etiam ſi conſecrans hoſtiā diceret, *Hic eſt corpus meum*, ſignificās per illud hic, aduerbialiter ſumptum, meram præſentiam localem, deſtrueret verum ſenſum formæ ſignificantis tranſſubſtantiationem, & per conſequens non con- 114. *S. Thomas & Zacharias Papa explicantur. Regula huius praxis.*

ſecraret: ſi verò illud *hic*, ponat tanquam prouomen ex ignorantia, mutando genus neutrum in maſculinũ, verè conſecrat, quia non procedit ex errore deſtruente verũ ſenſum formæ. Et ideo etiam Græci in exemplis poſitis validè baptizant, & conſecrant, quia per illum errorem, quem intendunt introducere, non tollunt verum, & debitum ſenſum formæ, quam proferunt. Quæ regula vera quidem videtur, indiget tamen expoſitione, vt videamus an ab iis auctoribus benè applicetur ad caſus particulares.

115. *Septima praxis.* Infero ergo ſeptimò, falſum eſſe id, quod aliqui videntur docere, ſcilicet, quoties in forma Sacramenti Miniſter cogitat, aliquid non eſſe de eſſentia formæ, quod tamen reuera eſt de eius eſſentia, etiamſi id dicat, non conficere Sacramentum. Ita videntur docere Paludan. Durand. & Adrian. apud Henriquez *lib. 1. de Sacrament. in genere, cap. 9. n. 12.* vbi affert alios idem à fortiori dicentes, quando aliquis dicit tanquam partem eſſentialem illam, quæ reuera non pertinet ad eſſentiam: fundamentũ autem vtrorumque poteſt eſſe, quia illa tunc videtur applicare vtramque formam, nam illa, quam exiſtimat eſſe formam, & applicat vt formam, non eſt forma completa in primo caſu: vel illam, quæ eſt verè formæ, non applicat tanquam formam completam, ſed vt partialem, vt in ſecundo caſu.

Paludan. Durand. Adrian. Henriquez.

116. *Falſa eſt hæc ſententia.* Vtraque tamen ſententia falſa eſt, & contra praxim totius Eccleſiæ: redderentur enim dubia ferè omnia Sacramenta, quæ enim forma eſt in Sacramentis, de qua non ſint opiniones apud Theologos, in quibus verbis eſſentialiter conſiſtat, ſic de forma abſolutionis dubitant, an illa verba *à peccatis tuis*, pertineant ad eius eſſentiam; de forma conſecrationis dubitant aliqui de illis verbis, *noui & æterni Teſtamenti*, &c. de materia, & forma vnctionis negãt aliqui, omnia adhiberi ſolita pertinere ad eſſentiam Sacramenti; in Sacramento Ordinis vidimus ſupra, plures negare impoſitionem manus in Diaconatu, & verba illa: *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. pertinere ad eſſentiam, alios id affirmare; in ſacerdotio item prima impoſitio manus cenſetur à multis eſſe extra eſſentiam, alij dicunt contractum phyſicũ calicis & patenæ requiri eſſentialiter, alij id negant. In tanta itaque ſententiarum varietate, ſi miniſter opinatur eſſe id de eſſentia, quod reuera non eſt, vel è contra, quis vnquam dicat, Sacramentum non eſſe validũ? Non ergo regulandus eſt valor Sacramenti iuxta priuatam opinionem Miniſtri, ſed iuxta veritatem; nam cùm illa priuata ſententia ſemper adeſt in Miniſtro, & in ſuſcipiente, intentio generalis conficiendi, vel ſuſcipiendi illud Sacramentũ, nec limitatur ad illum ſolum actum, quem exiſtimat eſſe eſſentialem. Denique ſic nemo dixit, Sacerdotes Græcos non conſecrare validè, eo quod exiſtiment illa etiam verba: *Quod pro vobis tradetur*, pertinere ad eſſentiam conſecrationis; illi autem auctores debent explicari in eo ſenſu, quod ſcilicet, ſi Miniſter ita alligaret ſuam intentionem ad illa verba, vt nollet niſi per illa verba Sacramentum conficere, vel nollet per illa, quæ reuera ſufficiunt, conficere tutaliter, tunc Sacramentum non valeret: hæc tamen intentio eum tali excluſione nec in hæreticis quidem reperitur, nedũ in Catholicis. Similiter intelligendus eſt S. Thom. *in præſenti art. 8.* dum ait, ſi quis intendat per huiuſmodi additionem alium ritũ inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici Sacramentũ, quia non videtur, quod intendat facere id quod facit Eccleſia. Vbi S. Thomas non negat vniuerſaliter valorem Sacramenti cum intentione inducendi nouum ritum, ſed arguitiuè infert probabiliter defectũ debitæ intentionis, quoties miniſter videns aliquid eſſe contra ritum Eccleſiæ, & contra eius intentionem, adhuc vniuerſaliter vult opponi Eccleſiæ, tunc enim credibile eſt, eum non habere intentionem requiſitam faciendi quod facit Eccleſia. Cæterum in rigore adhuc poſſet habere intentionem faciendi quod fecit Chriſtus, & validè operaretur; hoc tamen difficile continget, & ideo S. Thomas dicit, *Non videtur perfici Sacramentum.*

Modus explicandi ſupradictos Auctores.

S. Thom.

117. *Sotus. Octaua praxis.* Infero octauò contra Sotum *in 4. diſt. 1. q. 1. art. 8. in fine*, illam formam Baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine Filij, & Patris, & Spiritus ſancti*, non vitiare Sacramentum, etiamſi miniſter intenderet errorem inducere quod filius eſſet principium Patris. Nam ille error per talia verba communiter non ſignificatur, imò eo ipſo, quod nominatur Pater, & Filius, ſignificatur Filius procedere & naſci ex Patre, non verò è contra. Eodem modo diſplicet quod Pater Vaſquez *in præſenti*, n. 104. dicit non fore validum Sacramentum ſub illa forma. *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij ſapientis, & Spiritus ſancti Paracleti*; ſi miniſter ideo prædicata illa tribueret Perſonis, quia exiſtimaret re ipſa non eſſe communia, ſed propria ſingularũ. Hoc, inquam, non placet, propter eandem rationem, quia ille error mente habitus non declaratur ſufficienter per illa verba, quæ in communi loquendi modo id non ſignificant, ergo ſi aliunde haberet debitam intentionem faciendi Sacramentum, & ſignificandi quod verba ſignificant, non minùs faceret Baptiſmum validum, quàm hæreticus conſecrans hoſtiam, & exiſtimans, per illa verba non ſignificari realem præſentiam Chriſti, ſed myſticam, & repræſentatiuam; habens tamen intentionem faciendi, quod Chriſtus iuſſit; hic enim proculdubio conſecrat, quia per verba nullo modo ſignificat ſuum errorem. Sic ergo in noſtro caſu, ſi miniſter habeat debitam intentionem: nam ſi ipſe peccet etiam in intentione debita ſignificandi, nolens ſignificare, Patrem ſapientem, ſed Patrem, qui non ſit ſapiens, iam tunc nihil faceret, non ex defectu verborum, ſed ex defectu intentionis, ſicut ſi conſecrans non haberet intentionem ſignificandi veram præſentiam corporis Chriſti, per illud verbum, *eſt*, ſed ſolùm impropriam, & ſecundum figuram, non conſecraret: nos tamen loquimur, quando ex parte intentionis adeſt intentio faciendi, quod Chriſtus iuſſit, & adeſt ſimul error in mente, quem errorem vt oſtendat eſſe in ſua mente, vtitur illis verbis, tunc enim dicimus, nihil obſtare valori Sacramenti, nam error manet ſolum in mente, nec verba illum ſufficienter ſignificant, quare nec ille eſſet hæreticus externus, nec incurreret cenſuram, quia licèt voluerit manifeſtare exteriùs ſuum errorem, non tamen eſt vſus ſigno ſufficienti ad illum manifeſtandum.

Vaſquez. Diſplicet quod hic dicit Vaſquez.

118. *Inſtantia.* Dices, ergo ſi aliquis baptizaret *In nomine Patris, & Filiæ, & Spiritus ſancti*, volens introducere hunc errorem, quod ſcilicet in diuinis non ſit filius, ſed filia, adhuc validè baptizaret, quia reuera nullus audiens illa verba, intelligeret talem errorem, ſed exiſtimaret, prolata eſſe eo modo propter lapſum linguæ, vel ignorantiam; & tamen Pontifex Zacharias ſæpe citatus dicit, formam illam non fore validam, ſi per illam miniſter intendebat introducere aliquem errorem, vel hæreſim. Reſpondetur negando ſequelam, quia in eo caſu verba non retinerent ex parte proferentis veram ſignificationem, non enim vellet ſignificare id, quod Chriſtus, & Eccleſia volunt ſignificare, ſed aliud diuerſum, nempe filiam; requiritur autem ad valorem formæ, & quod ſignificet id quod Chriſtus voluit, quantum eſt ex parte verborum, hoc eſt, quod ſint apta de ſe ad id ſignificandum

Diluitur.

ficandum, & quod id etiam ſignificent ex parte proferentis, qui hoc ipſum intendit ſignificare, ſine hoc enim non eſt locutio, nam Pſittacus etiam profert verba, quæ de ſe aliquid ſignificant, & tamen non loquitur, quia non intendit per verba illud ſignificare. Similiter ergo in eo caſu forma illa non eſſet locutio ſignificans in ratione locutionis id, quod Chriſtus voluit, cum Miniſter non proferat verba ad id ſignificandum, ſed aliud.

Quid dicendum, quando Miniſter errat circa vocis ſignificationem.

Circa hoc tamen poteſt vlterius dubitari: an ſicut
119. *Quæſtio de errore miniſtri circa ſignificationem verum.* non obeſt valori Sacramenti error priuatus circa eius effectũ, quando adeſt intentio generalis faciendi verum Sacramentũ iuxta ſenſum Eccleſiæ; ſic etiam non obſit error priuatus circa ſignificationem vocũ, quando adeſt intentio generalis ſignificandi id, quod Eccleſia vult, & Chriſtus ſignificauit, v.g. ſicut Epiſcopus ordinans, & intentionem habens conferendi Characterem per aliquam actionem, in qua verè non confertur, ſed in alia, adhuc confert verum Ordinem ex vi alterius intentionis & voluntatis generalis conferendi verum ordinem iuxta mentem Eccleſiæ: an ſic etiam miniſter falsò exiſtimans, v.g. illud pronomen, *Hic*, in conſecratione calicis eſſe
Declaratur quæſtio exemplo. aduerbium locale atque ideo quando dicit, *Hic eſt calix*, &c. intendens ſignificare præſentiam localem ſanguinis Chriſti, poſſit inquam validè conſecrare, ex vi voluntatis generalis faciendi verum Sacramentum, & proferendi voces in vero earum ſenſu.

P. Vaſquez *in præſenti n.* 102. videtur vniuerſali-
120. *Vaſquez. Se[n]tentia Patris Vaſquez explicatur.* ter ſupponere, quod intentio vniuerſalis faciendi, quod facit Eccleſia, nón ſufficiat, ſi in particulari miniſter velit aliud ſignificare per illud verbum, per quod alias poſſet verum ſenſum ſignificare. Et fundamentum poteſt eſſe, quia verba formæ ſunt vera locutio, quia miniſter humano modo loquitur; loqui autem eſt manifeſtare ſenſa interna, ergo manifeſtant id, quod loquens habet in mente; ſi ergo in mente habet conceptum v.g. præſentiæ localis ſolius, illa ſola præſentia ſignificatur per vocem, *Hic*, quando Sacerdos illa voce vtitur cum illa intentione priuata, & per conſequens non loquitur in vero ſenſu, ſed in alio, quem Chriſtus non intendit.

Et confirmatur, quia ſi ego dem alicui oratio-
121. *Confirmatur exemplo.* nem Latinam recitandam, in qua ſint aliquæ hæreſes, ipſe autem ignarus linguæ Latinæ eam reciter, exiſtimans ſe aliquid aliud pium, & ſanctum per illas voces ſignificare, nemo dicet, quod iſte homo ſit hæreticus externus: non enim cenſetur loqui ea obiecta, quæ ipſe ignorat, licèt in confuſo velit dicere id, quod continetur, & ſignificatur per illas voces; ergo ad locutionem humanam non ſufficit illa intentio generalis, ſi poſtea in particulari, quando aliquis loquitur, exiſtimat ſe de alio obiecto diuerſo loqui, & illud vult ſignificare.

Cæterum adhuc mihi verius eſt, ſufficere illam
122. *Noſtra ſententia.* intentionem generalem dicendi illas voces, & ſignificandi per illas id, quod Eccleſia intendit ſignificare, nec per errorem priuatum, aut priuatam voluntatem minùs efficacem retractari illam priorem aut
Probatur. impediri valorẽ Sacramenti. Quod quidem probari poteſt ex praxi, quam omnes vt veram & ſolidã amplectuntur. Quando Sacerdos, v.g. à principio Miſſæ habuit intentionem conſecrandi alias particulas cũ hoſtia, & poſtea tempore conſecrationis illarum immemor intentionem ſuam dirigit ſolùm ad hoſtiam, quam habet in manibus, omnes tamen fatentur particulas etiam in pyxide incluſas manere conſecratas ex vi prioris intentionis non reuocatæ: Ex qua doctrina arguitur ad noſtrum caſum, nam quando Sacerdos dirigit ſuam intentionem ad hoſtiam ſolam, quam habet in manibus, habet intentionem loquendi de illis ſpeciebus, quando dicit, *Hoc eſt*, deſignat enim per illud pronomen, *Hoc*, ſpecies illius, de quo loquitur, & tamen omnes fatentur, Sacerdotem per intentionem præcedentem non reuocatam conſecrare etiam particulas; ergo loquitur etiam de illis, non enim poteſt conſecrare, niſi illam materiam, quam demonſtrat per illud pronomen, *Hoc*; ergo ſufficit illa intentio prior loquendi de illis ad hoc, vt poſtea de illis loquatur, etiamſi tunc non dirigat ſuam locutionem, niſi ad hoſtiam, quam in manibus tenet, ergo ſimiliter ſufficiet intentio illa generalis prior ſignificandi per illa verba id, quod Chriſtus, & Eccleſia intelligunt, ad hoc vt poſtea illud reuera ſignificet, licèt ipſe tunc actu cogitet de alio obiecto diuerſo, & ad illud dirigat ſignificationem, per hoc enim non tollitur prior intentio, quæ ſemper manet virtualiter, quandiu non retractatur.

Vnde ad fundamentũ contrarium facilè reſpon- 123. *Reſpondetur ad fundamentum Vaſquez.*
detur, illam intentionem priorem ſupra explicatam ſufficere, vt miniſter per illa verba dicatur loqui, & exprimere verum ſenſum verborum, licèt ipſum actu non concipiat; ſufficit enim illum ſaltem in confuſo priùs concepiſſe, & voluiſſe eum ſignificare, quicumque ille eſſet, licèt illum non intelligat, nec ſciat, ſed potiùs credat oppoſitum ſenſum contineri. Pone enim, quod ab aliquo infideli, & ignaro *Confirmatur exemplo.*
linguæ Latinæ petat alius morti proximus baptizari, ſcilicet, quod effundat aquam, & proferat talia verba Latina, cum intentione faciendi id, quod facit Eccleſia Chriſtiana. Certè, ſi adſit talis intentio, Baptiſmus erit validus, licèt baptizans, nullo modo intelligat, quid ſignificent illa verba, ergo loquitur verè dum illa verba profert, licèt omnino ignoret ſenſum, ſufficit enim velle in confuſo exprimere ſenſũ in illis latentem, quicumque ille ſit; ergo ſimiliter, licèt ipſe exiſtimet, aliquid aliud ſignificari per illa verba, & intendat actualiter hoc ipſum ſignificare, adhuc exprimet verum ſenſum, ſi habet aliam intentionem generalem & magis efficacem proferendi ea verba in vero eorum ſenſu, quicumque ille ſit.

Ad confirmationem reſpondetur, illum in eo caſu 124. *Reſpondetur ad confirmationem Vaſquez.*
non fore Hæreticum, quia ad hoc non ſufficit vtcũque proferre hæreſes, ſed requiritur etiam, quod illas proferat ſcienter, vel ſaltem culpabiliter, cùm videat, in illis verbis contineri aliquod hæreſis periculum. Tunc autem neutrũ inuenietur, & ideo non incurreret cenſuram: tum quia ad hoc requiritur etiam aſſenſus internus ad hæreſes, qualis nunc non daretur: tum etiam, quia neſciret ſe proferre verba hæretica, vt dictum eſt. Quare, etiamſi interiùs eſſet hæreticus, ſi tamen proferret verba hæretica cum illa generali intentione ignarus inuincibiliter, quod illa verba eſſent hæretica, adhuc non incurreret cenſuram, quia quoad hæreſim externam non operaretur culpabiliter, ſed inculpabiliter, licèt reuera propter illam intentionem generalem verè diceretur, quod etiam exteriùs protuliſſet, & loquutus fuiſſet vt hæreticus. At verò ad valorem Sacramenti non attenditur, quod miniſter culpabiliter loquatur, ſed ſolùm quod loquatur cum ſufficienti intentione loquendi, quæ in caſu noſtro verè reperitur.

De verbis adiunctis, an noceant Sacramento. 125. *Vltima praxis de verbis adiunctis formæ. Regula vniuerſalis.*

Infero vltimò, quid dicendum ſit de verbis, quæ adiunguntur formæ? De quibus regula vniuerſalis eſt, quod ſi additio ſit alicuius non deſtruentis

debitum

debitum, & verum ſenſum formæ, Sacramentum validum eſt, vt ſi dicatur, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Fily vnigeniti, & Spiritus ſancti Paracliti.* Si autem id, quod additur, deſtruat legitimum ſenſum formæ requiſitæ, nocebit valori, vt ſi dicas, *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & fily minoris*, &c. tunc enim non inuocantur verus Pater, & Filius, ſed ficti. Addunt Doctores, id verum eſſe etiam ſi additio fiat in fine formæ, vt ſi dicatur, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis non tradetur*, aut, *non morietur*: nam tunc verba poſteriora deſtruunt verum ſenſum in prioribus, & faciunt, quod non ſit ſermo de vero corpore Chriſti, ſed de alio, ita P. Vaſquez *in præſenti*, *n.* 106. Hoc tamen non caret difficultate, quia efficacia priorum verborum non videtur pendere à verbis poſterioribus, nam de facto à Græcis adduntur illa verba, *quod pro vobis tradetur*, & tamen conſecratio non differtur, ſed fit ſtatim, vbi primum proferunt illa verba eſſentialia, *Hoc eſt corpus meum*, ſicut apud Latinos etiam adduntur in conſecratione calicis illa verba, *noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei*, &c. & tamen conſecratio non differtur vſque ad finem, ſed fit ſtatim, vbi dicta ſunt illa, *hic eſt calix ſanguinis mei*; ergo efficacia priorum verborum non dependet ex veritate, aut falſitate verborum, quæ poſtea adiunguntur, & per conſequens quamvis poſtea adiungeretur, *quod pro vobis non tradetur*, adhuc priora verba habuiſſent effectum, quia alioquin debuiſſent ſemper expectari verba ſequentia, vt hæc non corrumpant verum ſenſum verborum præcedentium.

De verbis additis in fine formæ, an mutent ſenſum aliquando.

Affirmat Vaſquez.

Vaſquez.

Sed contra.

126\. *Inſtantia.* Dices: ergo ſi aliquis conſecrans diceret, *Hoc eſt corpus meum aureum*, adhuc conſecratio eſſet valida, quia efficacia priorum verborum non dependet ab eo, quod poſtea adiungitur. Conſequens autem videtur omnino falſum, & contra omnes Theologos, & contra S. Thomam *in præſenti art.* 8. vbi apertè docet, non fore formam validam Baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Fily, & Spiritus ſancti, & B. Virginis*; ſi baptizans nimirum ſignificet, ſe ita baptizare in nomine B. Virginis, ſicut in nomine diuinarum perſonarum.

S. Thom.

127\. *Diluitur. Verba poſſunt dupliciter adiungi.* Reſp. negando ſequelam. Pro quo aduerte verba illa poſteriora, quæ adiunguntur, poſſe dupliciter adiungi: primò vt determinantia verba priora; ſecundò vt continentia virtualiter aliam diuerſam propoſitionem, quæ continuatione ſermonis connectitur cum præcedenti. Si hoc ſecundo modo adiungantur, ſicut veritas priorum verborum non pendet ex veritate ſequentium, ſic nec eorum ſignificatio; quare vbi primum abſoluuntur priora verba, habent ſuum effectum, quia licèt omitterentur poſteriora, fuiſſet iam prolata aliqua propoſitio vera. Si autem primo modo adiungantur, & hoc ex intentione primaria proferentis, qui ab initio volebat talem propoſitionem proferre; tunc nec veritas, nec ſignificatio datur vſque ad prolationem poſteriorum, quia nondum eſt completa propoſitio, cùm nondum ſit prolatum eius integrum prædicatum. Hoc autem modo ſe habet qui dicit, *Hoc eſt corpus meum aureum*, apponit enim illud, *aureum*, tanquam partem prædicati eius propoſitionis, atque adeo reſtringit verba præcedentia, & reddit totam propoſitionem falſam. Primo autem modo ſe habent Græci, quando addunt, *quod pro vobis tradetur*; addunt enim illud, tanquam nouam propoſitionem diſtinctam à prima, & à qua veritas, & ſenſus prioris non dependet, vt notauit benè P. Suarez *infrà diſp.* 60. *ſect.* 1. nec enim ſola continuatio ſermonis, aut concatenatio vnius propoſitionis cum alia ſufficit, vt tota concio ſit vna propoſitio indiuiſibiliter ſignificans; nam de facto in ſymbolo Apoſtolorum recitamus plures articulos fidei diuerſos, quorum ſinguli habent ſuam veritatem, & ſenſum diuerſum, licèt connectantur ſimili modo, vt cum dicimus, v.g. *& in Ieſum Chriſtum filium eius, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, crucifixus*, &c. ex quibus articulis, licèt aliquis Hæreticus neget vnum illorum, non ideo dicet, totum ſymbolum eſſe falſum, ſed ſolam illam partem; ſimiliter ergo, licèt diceret aliquis, *Hoc eſt corpus meum, quod non eſt crucifixum*, non ideo tota forma eſſet falſa, ſed ſola ſecunda pars; quæ negat Chriſti crucifixionem, non prima, quæ adſtruit præſentiam corporis Chriſti. In quo ſenſu intelligitur S. Thomas ſupra adductus, quando dicit, formam illam Baptiſmi eſſe inualidam, loquitur enim, quando Miniſter adiungit inuocationem B. Virginis, non tanquam propoſitionem nouam, ſed tanquam partem prioris limitantem ſenſum illius, & explicantem prædicatum, quaſi dicat. Ego ſum baptizans in nomine Trinitatis & B. Virginis, vbi ly, *B. Virginis*, eſt pars prædicati, ſeu ſignum determinans illud prædicatum *baptizans*, atque adeo pertinet intrinſecè ad eandem propoſitionem.

Suarez.

SECTIO VII.

Vtrum intentio Miniſtri intret ad componendum intrinſecè Sacramentum.

128\. *Suppoſitio.* SVpponimus ex dicendis infrà diſp. 8. requiri neceſſariò ad valorem Sacramenti intentionem Miniſtri faciendi id, quod Chriſtus inſtituit, explicitam, vel implicitam. Quo ſuppoſito, nunc quærimus, an eiuſmodi intentio ſit aliquid extrinſecum, an verò requiratur tanquam aliquid intrinſecum, & componens partialiter Sacramentum.

Intentio videtur eſſe aliquid extrinſecum.

De hoc puncto non videntur Auctores agere, quare ex principiis, quæ tradunt, definiendum eſt. Et quidem pro vtraque parte videtur eſſe difficultas. Nam intentio ſolùm videtur eſſe cauſa efficiens Sacramenti, eaque deficiente, deficit Sacramentum; non quia intentio ſit pars Sacramenti, ſed quia ſit cauſa efficiens, ſine qua non datur Sacramentum, atque ideo hanc partem videtur ſupponere P. Vaſquez 2. *tom. in* 3. *part. diſp.* 129. *n.* 39. Aliunde tamen obſtat ratio grauiſſima: illud enim debet eſſe intrinſecum alicui compoſito, quo ablato, & manentibus omnibus aliis, non manet tale compoſitum; ſed poſita materia, & forma Baptiſmi, & omnibus aliis præter intentionem Miniſtri, non datur Sacramentum; ergo illud, quod deerat, nempè intentio, erat aliquid intrinſecè componens Sacramentum: alioquin nihil deeſſet intrinſecum, & per conſequens, deficiente intentione, daretur totum eſſe intrinſecum Sacramenti, atque adeo daretur Sacramentum, quod nihil aliud eſt, niſi totum ſuum eſſe intrinſecum.

Vaſquez. *Sed obſtat ratio grauiſſima.*

129\. *Aliqui reſpondent huic rationi.* Recentiores aliqui, vt defendant intentionem non intrare ad componendum intrinſecè Sacramentum, & reſpondeant ad hoc argumentum, dicunt, deficiente intentione, déficere præter intentionem aliquid aliud intrinſecè requiſitum ad Sacramentum, ſcilicet talem materiam, vel talem formam requiſitam à Chriſto ad Sacramentum: ſupponunt enim, Chriſtum, quando inſtituit Sacramentum Baptiſmi, v. g. non aſſumpſiſſe ad ſignificandam gratiam omnes ablutiones poſſibiles, nec omnes prolationes verborum, ſed ex omnibus poſſibilibus determinaſſe mediam, vel quartam partem, & illam ſolum aſſumpſiſſe ad ſignificandam

gratiam

De facto ergo, quando abſque intentione debita abluitur infans, & proferuntur verba, non ponitur ablutio, nec verborum prolatio ex illis, quas Chriſtus aſſumpſit ad ſignificandam, & cauſandam gratiam, ſed potiùs ex illis aliis, quas non aſſumpſit, atque ideo non datur Sacramentum, quod quidem radicaliter prouenit ex defectu intentionis, formaliter verò ex defectu talis ablutionis, & talis prolationis verborum, quæ ex Chriſti inſtitutione requirebatur ad ſignificandam gratiam, & quæ proculdubio poſita fuiſſet, ſi adfuiſſet intentio debita; tunc enim Deus concurriſſet ad illem ablutionem, & prolationem verborum, quæ fuiſſent ex illis, quas Chriſtus inſtituit ad ſignificandam gratiam. Futuro talem fuiſſe de facto inſtitutionem à Chriſto factam, & non omnium ablutionum, aut prolationum verborum, probant, quia poſſibilis fuit huiuſmodi inſtitutio, & fieri poteſt abſque vlla violentia, ſupponunt enim Deum, vt cauſam primam determinare indiuiduum quod producendum eſt hic, & nunc à cauſa ſecunda; & aliunde hoc pacto explicatur bene, quod intentio ſit mera cauſa extrinſeca, & non componat intrinſecè Sacramentum, quod videtur eſſe iuxta ſenſum communem omnium; ergo ita dicendum eſt de facto poſitam fuiſſe inſtitutionem.

130. *Impugnatur.* Hic modus explicandi difficilis eſt, quia ij Theologi, ne dicerent id, quod ſibi videbatur eſſe contra ſenſum communem, ſcilicet intentionem eſſe intrinſecam Sacramento, aſſerunt alia, quæ planè multò plus opponuntur doctrinæ, & ſenſui communi; ſcilicet, non omnes ablutiones, & prolationes verborum poſſe eſſe materiam, aut formam validam Sacramenti Baptiſmi, ex vi præſentis inſtitutionis; ſed aliquas poſſe eſſe, & aliquas non poſſe. Vnde hæc propoſitio vniuerſalis vera non erit, omnis ablutio eſt, quantum eſt de ſe, materia apta ad Sacramentum Baptiſmi; plures enim ablutiones non ſunt à Chriſto inſtitutæ ad hoc Sacramentum magis, quàm percuſſiones, vel aliæ actiones diſparatæ. Vnde conſequenter poſſet aliquis dicere, quod in Sacramento Matrimonij conſenſus internus contrahentium non ſit pars intrinſeca Sacramenti, ſed ſolum conditio requiſita; Sacramentum verò conſtare ex ſolis verbis, vel nutibus externis: Chriſtum autem non aſſumpſiſſe ad ſignificandam gratiam in illo Sacramento omnia verba, aut omnes nutus, ſed aliquos; & Deum prouidere, vt quando deeſt conſenſus internus, non producatur illa loquutio in indiuiduo, quam Chriſtus inſtituit, ſed alia ex illis, quas non inſtituit ad ſignificandam gratiam; atque eo pacto conſenſus internus non componet intrinſecè illud Sacramentum, ſed ſola verba, aut nutus externi tales. Quod tamen concedi non poteſt, quia materia illius Sacramenti iuxta omnes Theologos, eſt contractus legitimus, nihil autem magis intrinſecum, & eſſentiale contractui, quàm conſenſus contrahentium. quando enim conſenſus deeſt, non datur verus contractus, ſed fictus & apparens, ergo ſicut conſenſus eſt intrinſecus contractui Matrimonij, ſic etiam intrinſecus eſt illi Sacramento. Si autem conſenſus internus eſt pars intrinſeca in Sacramento Matrimonij, non apparet, cur non ſit idem dicendum de conſenſu interno, ſeu de intentione in Baptiſmo, & Confirmatione, cùm eodem modo potuiſſet Chriſtus inſtituere ſola ſigna externa in Matrimonio, ſicut in illis, & conſenſus in Matrimonio ſit quædam intentio faciendi verum, & legitimum contractum, ſicut baptizans habet intentionem faciendi verum, & legitimum Baptiſmum.

Probatur intentionem illam eſſe intrinſecam exemplo conſenſus Matrimonij.

131. *Confirmatur primò exemplo Epiſcopi conferentis ordines preſbyterorum.* Confirmatur primò, quia non minùs requiritur conſenſus internus in Epiſcopo conferente poteſtatem Ordinis, quàm in coniuge dante poteſtatem ſupra corpus ſuum alteri coniugi, nec minùs intrinſecus debet eſſe ille conſenſus in collatione Ordinis, quàm in collatione poteſtatis coniugi ſupra corpus: nam vtraque eſt collatio poteſtatis, & iuris; collatio autem vt collatio eſt, eſt actio humana, & voluntaria includens omnino intrinſecè voluntatem conferendi talem poteſtatem, ergo ſicut collatio poteſtatis in corpus includit intrinſecè voluntatem internam coniugis, ſic collatio poteſtatis, quam Epiſcopus confert in Ordinatione ad abſoluendum, v. g. vel conſecrandum corpus Chriſti, vel ad alia munera, debet includere intrinſecè voluntatem internam Epiſcopi, quæ ſanè eſt intentio conferendi verum Sacramentũ Ordinis, vt conſtat. Hoc ipſum argumentum fieri poteſt in Sacramento Pœnitentiæ; nam debet includere intrinſecè remiſſionem debitorum, quam Sacerdos ex poteſtate ſibi tradita exhibet. Remiſſio autem vt remiſſio non conſiſtit in ſolis verbis externis *Ego te abſoluo*: nam qui exteriùs profert talia verba ſuo debitori abſque animo interno remittendi, non condonat verè, ſed fictè, ſicut neque eſt vera, ſed ficta donatio, aut promiſſio qua aliquis abſque animo interno donandi, vel obligandi ſe profert verba illa, *dono*, vel *promitto*: ergo Sacramentum illud includit veram abſolutionem, & condonationem à Sacerdote poſitam, neceſſe eſt quod includat intentionem remittendi, quam intrinſecè includit omnis condonatio, & remiſſio, vt talis eſt.

132. *Confirmatur ſecundò exemplo Pœnitentiæ.* Confirmatur ſecundò ex eodem Sacramento Pœnitentiæ, in quo omnes fatentur includi intrinſecè ex parte materiæ, non ſolùm confeſſionem, ſed etiam dolorem internum de peccatis. Nam potuiſſet aliquis ſimiliter dicere, requiri quidem dolorem eſſentialiter ad valorem illius Sacramenti, non tamen vt partem intrinſecam, ſed vt requiſitum extrinſecum, quia Chriſtus aſſumpſit ad ſignificandam gratiam non omnem confeſſionem, & abſolutionem, ſed aliquas determinatas, ad quas Deus in indiuiduo concurrit, quando adeſt dolor internus; quando verò dolor ipſe non adeſt, concurrit Deus ad aliam confeſſionem, & alia verba abſolutionis, quæ Chriſtus non aſſumpſit ad ſignificandam gratiam. Non ergo infertur, dolorem internum eſſe partem internam Sacramenti, ex eo quod eſſentialiter requiratur ad valorem illius Sacramenti, ſi ſemel admittis, intentionem requiri eſſentialiter, & non eſſe partem, ſed requiri ad productionem actionis talis in indiuiduo modo ſupra explicato.

133. *Probatur ratione à priori.* Denique ratio à priori ad probandum, intentionem eſſe aliquid intrinſecum Sacramento, deſumi poteſt ex principio illo generali, quod Miniſter in Sacramentis nouæ Legis operaretur vt Miniſter Chriſti & nomine ipſius, à quo delegatus eſt, ad abſoluendum, conſecrandum &c. nomine ipſius Chriſti, in quo ſenſu dixit Paulus 1. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, vbi vtrumque munus coniunxit & miniſtri Chriſti & diſpenſatoris: vtrumque autem exigit intentionem in operante. Nam operari aliquem vt miniſtrum alterius, eſt operari ex auctoritate ab illo accepta, & nomine ipſius: non poteſt autem operari ex tali auctoritate, & nomine ipſius, niſi aliquo modo illam auctoritatem acceptet, & velit operari illius nomine. Si autem quandoque enim Petrus det mihi poteſtatem vendendi rem ſuam, ſi ego nolo vti tali poteſtate, ſed per iocum dico: *Vendo tibi talem rem*: non operor vt miniſter Petri, nec venditio 1 Cor. 4.

venditio fit; potuiſſet quidem Petrus velle vendere, vel donare rem ſub mera conditione illorum verborum meorum materialium; & tunc poſitis verbis illis res eſſet vendita, vel donata, non tamen eſſet vendita, vel donata à me, ſed ab ipſo Petro immediatè ſub conditione meorum verborum. Operari ergo vt miniſtrum, includit voluntatem miniſtri volentis vti tali poteſtate, & operari nomine alterius: idem colligitur ex nomine, *diſpenſatoris*; nam diſpenſatio eſt actus humanus, exigens voluntatem dandi, transferendi, condonandi, &c. Si ergo Miniſtri Sacramentorum conſtituti ſunt Miniſtri, & diſpenſatores, non poſſunt intelligi operari vt diſpenſatores, niſi quatenus operantur cum intentione, & per conſequens intentio eſt aliquid integrans operationem illam in ratione diſpenſationis, & actionis miniſtri Chriſti.

134. *Declaratur ratio.* Aliter poteſt hoc ipſum declarari in hunc modum: quia actio Sacramentalis non habet vim, & efficaciam ſuam præciſe, quatenus eſt ab hoc miniſtro, ſed quatenus eſt moraliter actio Chriſti operantis per hunc, tanquam per ſuum miniſtrum: ideo enim eſt efficax ad mouendum Deum, & cauſandam gratiam, quia eſt operatio Chriſti, vt infra videbimus diſp. 4. ſect. 5. ergo per illud, per quod formaliter conſtituitur in ratione actionis Sacramentalis. Sed eſſe operationem Chriſti hanc actionem, eſt fieri à Miniſtro volente operari nomine Chriſti, & ex poteſtate à Chriſto accepta, ergo eſſe hanc actionem Sacramentalem, eſt fieri à Miniſtro operante nomine Chriſti, & ex voluntate vtendi tali poteſtate, atque adeo hæc actio vt Sacramentalis eſt, non ſolum exigit, ſed includit illam intentionem Miniſtri, à qua formaliter habet talem denominationem operationis Sacramentalis.

135. *Hæc probant tantum de Sacramentis quæ conſiſtunt in vſu.* Hæc argumenta mihi probant de ſex Sacramentis, quæ conſiſtunt in vſu, includere intrinſecè intentionem miniſtri, quia in illis non poſſumus inuenire adæquatam cauſam gratiæ ſacramentalis, ſi conſideremus actiones illas, prout præciſè procedunt ab hoc, niſi conſideremus illas, prout ſunt actiones ipſius Chriſti operantis per illum hominem, tanquam per inſtrumentum, & Miniſtrum ſuum; in qua conſideratione iam includitur intentio Miniſtri, vt vidimus. Loquendo tamen de Sacramento Euchariſtiæ, quod non conſiſtit in vſu, ſed in ſpeciebus conſecratis continentibus corpus, & ſanguinem Chriſti, non videtur neceſſe, quod intentio Miniſtri includatur intrinſecè in ipſo Sacramento; poteſt enim explicari quomodo intentio requiratur de facto omnino, & tamen ſolum ſit requiſitum extrinſecum. Nam poſſumus dicere, quod Sacramentum Euchariſtiæ ſolum includat ſpecies conſecratas, & corpus, vel ſanguinem Chriſti, ſub eis contentum, nec poſſe dari vnquam hoc complexum, quin detur hoc Sacramentum Euchariſtiæ cauſatiuum gratiæ, ipſumque complexum ſolum inſtitutum fuiſſe à Chriſto ad ſignificandam, & cauſandam gratiam. Requiritur quidem de facto intentio Sacerdotis ad hoc vt detur de facto tale complexum. Cæterùm, ſi illud complexum daretur, etiam omnibus aliis deficientibus, ſignificaret, & cauſaret gratiam. Quod in cæteris Sacramentis non procedit; nam poſſunt de facto reperiri omnia alia præter ſolam intentionem, & tunc non datur verum Sacramentum, vnde fit, defectum intentionis non eſſe defectum ſolum alicuius extrinſeci, ſed deficere aliquid intrinſecum Sacramenti.

136. *Inſtantia.* Dices, eodem modo dici debet, verba conſecrationis non eſſe formam intrinſecam Sacramento Euchariſtiæ, ſed aliquid requiſitum extrinſecè ad hoc vt detur complexum ex ſpeciebus continentibus corpus, vel ſanguinem Chriſti; quod complexum ſi daretur abſque verbis conſecrationis, eodem modo daretur Sacramentum Euchariſtiæ cauſatiuum gratiæ. Reſpondeo poſſe negari ſequelam, ratio autem diſcriminis eſſe poteſt, quod Sacramentum vt Sacramentum, eſt ſignũ ſenſibile cauſatiuum gratiæ. Per illud ergo debet conſtitui intrinſecè in ratione Sacramenti, per quod conſtituitur in ratione ſigni ſenſibilis, vel cauſæ gratiæ. Verba ergo conſecrationis debent intrare ad componendum Sacramentum in ratione Sacramenti; quia quidquid ſit, an intrent partialiter etiam ad cauſandam moraliter gratiam; intrant tamen partialiter ad ſignificandũ ſenſibiliter corpus Chriſti, & mediante ipſo gratiam Sacramentalem; nam corpus Chriſti ibi non eſt ſenſibile per ſe, ſed per ſpecies, & verba conſecrationis; nec ſpecies ſolæ ſignificant ſufficienter ſenſibiliter corpus Chriſti, vel gratiam, ſed oportet videre ſpecies panis, v.g. & audire, vel ſcire prolata eſſe verba conſecrationis ſuper illas ſpecies, vt aliquis veniat in cognitionem corporis Chriſti ibi contenti, & gratiæ, quam poteſt ille cibus cauſare: debent ergo verba intrare vt partiale conſtitutiuum Sacramenti in ratione ſigni, ſenſibiliter ſignificantis gratiam. At verò de intentione poteſt dici, quod neutro modo intret, quia nec ipſa cauſat partialiter gratiam illius Sacramenti niſi mediatè, quatenus cauſat continentiam corporis Chriſti, à quo, & à ſpeciebus, vel ab ipſo ſolo cauſatur immediatè gratia: neque etiam intentio intrat partialiter ad conſtituendum Sacramentum in ratione ſigni ſenſibilis; cùm ipſa intentio non ſit ſenſibilis, ſed debeat ſentiri per verba: ex nullo ergo capite requiritur, quod intret intentio ad conſtituendum intrinſecè Sacramentũ Euchariſtiæ, licèt intret alia Sacramenta propter rationem ſupra aſſignatam. *Diluitur, & aſſeritur diſparitas.*

Vrgebis, quia in Euchariſtia etiam verba illa proferuntur à Sacerdote nomine Chriſti, & moraliter loquendo ſunt verba Chriſti, & vt ſic, habent virtutem, & efficacitatem; ſed non ſunt verba Chriſti, niſi quatenus includunt intentionem Miniſtri volentis loqui nomine Chriſti, ergo verba etiam illa prout Sacramentalia includũt intrinſecè intentionem Sacerdotis. 137. *Inſtantia.* Reſpondeo, verba illa poſſe dupliciter conſiderari. Primò, quatenus ſunt cauſa ponendi corpus, vel ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus: & ad hoc debent conſiderari vt verba Chriſti, ſeu Miniſtri loquentis in perſona, & nomine Chriſti, & tunc quidem debent includere intrinſecè intentionem Sacerdotis, à qua denominantur formaliter prolata nomine Chriſti. *Diluitur.* Secundò tamen poſſunt conſiderari illa verba prout ſunt forma Sacramenti ipſius, quod componunt in ratione ſigni ſenſibiliter ſignificantis, & cauſantis gratiam: & ſub hac conſideratione dici poteſt, quod non conſiderantur illa verba prout prolata nomine Chriſti, neque prout verba dicta à Chriſto per ſuum miniſtrum; quia verba ſolùm intrant ad componendum Sacramentum in ratione ſigni ſenſibilis gratiæ, non in ratione cauſæ, quia gratia non cauſatur immediatè à verbis, ſed ſolùm à corpore, & ſanguine Chriſti, vel ab ipſo cũ ſpeciebus; ergo in ordine ad cauſandam gratiam, non componitur Sacramentum à verbis, prout ſunt verba Chriſti, ſed ſolùm componitur ab illis in ordine ad ſignificandum ſenſibiliter adeſſe corpus Chriſti cauſatiuum gratiæ. Hanc autem ſenſibilitatem non complet, aut componit formaliter intentio; quæ non eſt ſenſibilis, ſed verba externa; ergo ſola verba poſſunt intrare ad componendum Sacramentum, cum ſpeciebus, & corpore

Chriſti

Chriſti, licèt intentio prærequiratur ad hoc, vt verè ponatur ibi corpus Chriſti. Fatemur ergo, verba, vt ſunt cauſa ponendi ibi corpus Chriſti, includere intentionem Miniſtri, non eſt tamen neceſſe, quod illam includant, quatenus componunt Sacramentum. An verò ſub prima etiam conſideratione appellari debeant verba Sacramentalia, eſt quæſtio de nomine: & facilè admitti poteſt illa appellatio, atque adeo poteſt concedi in aliquo ſenſu, quod verba Sacramentalia includant intentionem; non quidem vt Sacramentalia, hoc eſt, vt pars intrinſeca Sacramenti, ſed vt Sacramentalia, hoc eſt, vt operatoria, & effectiua Sacramenti, nam quatenus ſunt cauſa ponendi corpus Chriſti ſub ſpeciebus, & conficiendi Sacramentum, debent conſiderari vt verba Chriſti, & vt ſic includunt intrinſecè intentionem miniſtri; vt diximus.

138. *Remittitur hæc materia in tractatum de Euchariſtia.* Hæc omnia non eo dicta ſunt, vt aſſeramus intentionem Miniſtri non includi intrinſecè in Sacramento Euchariſtiæ, ſicut in aliis ſex Sacramentis, de hoc enim agendũ eſt infra in materia de Euchariſtia, vbi ex profeſſo dicemus quæ ſunt ea, ex quibus intrinſecè componitur: nunc autem ſolùm dicimus, illa argumenta, quibus probauimus intentionem includi intrinſecè in aliis Sacramentis, non habere eandem vim circa Euchariſtiam quia in ipſa poteſt aſſignari ratio aliqua probabilis differentiæ, & ideo pro nunc ſolùm id aſſerimus de aliis ſex Sacramentis, reſeruando id, quod ad Euchariſtiam pertinet, ad eum locum, vbi ex profeſſo examinabitur.

139. *Obiectio prima.* Obiiciunt aliqui primò, quia ſi intentio eſt pars intrinſeca Sacramenti; ergo componitur intrinſecè Sacramentum ex peccato: nam illa intentio aliquando poteſt eſſe formaliter peccaminoſa; conſequens autem videtur abſurdum, quod peccatum ſit inſtrumentum, & cauſa gratiæ. *Reſponſio.* Reſpondetur, idem argumentum fieri poſſe in Sacramento Matrimonij, quod, vt vidimus, neceſſariò componitur ex conſenſu coniugis, qui conſenſus poteſt aliquando eſſe peccaminoſus, v.g. quando adeſt impedimentum non ex dirimentibus, ſed impedientibus, vel ratione finis vitioſi, aut ex aliis capitibus. Poteſt etiam fieri illud Sacramentum per copulam, vt vidimus ſectione prima; quæ ſimiliter poteſt eſſe peccaminoſa ſaltem venialiter. Omnes ergo fateri debemus, poſſe Sacramentum componi partialiter ex aliqua actione peccaminoſa, & prohibita; neque in hoc eſt aliquod inconueniens; nam illa actio non mouet Deum prout eſt à Miniſtro, ſed prout eſt actio Chriſti bona, & laudabilis, ſicut quando famulus ex fine vitioſo dat eleemoſynam iuſſu domini, illa datio eleemoſynæ conſiderata prout eſt actio domini dantis eleemoſynam per illum miniſtrum, mouet Deum ad retributionem, licèt prout eſt à famulo, diſpliceat & moueat ad puniendum.

140. *Obiectio ſecunda.* Obiiciunt ſecundò, quia ſi intentio miniſtri eſt intrinſeca Sacramento, eo quod ablata illa, & manentibus aliis non datur Sacramentum; eadem ratione dicendum erit, poteſtatem, v.g. iuriſdictionis eſſe intrinſecam in Sacramento Pœnitentiæ, & poteſtatem Ordinis in Sacramento Euchariſtiæ, & aliis, quæ ſine illa poteſtate non dantur. *Reſponſio.* Reſpondetur, infrà in materia de Euchariſtia, & Pœnitentia videbimus, an ea omnia neceſſariò ſint concedenda, pro nunc dicimus, in iis omnibus, in quibus eadem ratio procedit, idem omnino fatendum eſſe.

141. *Obiectio tertia.* Tertiò obiici poſſet, quia ſi intentio Miniſtri eſt pars intrinſeca Sacramenti, idem dicendum de intentione requiſita ex parte ſuſcipientis Sacramentum Baptiſmi, v. g. vel aliud quodcumque præter Euchariſtiam; nam ſine illa adeſſent omnia alia, non fieret Sacramentum in adulto: & tamen Eugenius in illo decreto, ſolùm dixit, tribus perfici ſacramenta nouæ legis, materia, forma, & miniſtro, &c. ad quorum nullum videtur pertinere illa intentio ſuſcipientis. *Eugen. IV.*

Reſponſio. Reſpondeo, illam intentionem in adulto proculdubio intrare ſaltem in obliquo ad denominationem Sacramenti in ratione Sacramenti validi. Eugen. autem nihil de illa dixit in eo loco, vel quia non requiritur ad omnia Sacramenta in vniuerſum: quando enim conferuntur paruulis, non requiritur, & quando conficitur etiam Sacramentum Euchariſtiæ, non requiritur ad eius valorem intentio ſuſcipientis: quare in doctrina vniuerſali, & communi omnibus Sacramentis non debuit exprimi id, quod non erat omnibus commune. *Alia reſponſio.* Vel dici poteſt, tunc quando requiritur intentio ſuſcipientis, comprehendi poſſe ſub nomine materiæ: nam ablutio, v.g. in Baptiſmo eſt actio, quæ exercetur circa tale ſubiectum humanum, volens, &c. Quare, ſicut requiritur eſſentialiter ad valorem Baptiſmi, quod corpus illud ſit actu animatum, & per conſequens animatio ſubiecti intrat partialiter ad denominandam ablutionem in ratione materiæ validæ; ſic intentio adulti ſuſcipiendi Sacramentum: & ſicut animatio videtur comprehenſa nomine materiæ, dum requiritur pro materia ablutio corporis animati: ſic intentio includitur ibi, quia materia eſt ablutio hominis volentis baptizari, ſi adultus eſt, &c. Sic indicat Suarez in ſimili ſupra *diſp.* 14 *ſect.* 2. §. *Atque ex his.* *Suarez.* Poſſet fortaſſe alia via excogitari ad ſoluendum hoc argumentum: hæc tamen videtur planior, & facilior, ac ſine inconuenienti alicuius momenti.

SECTIO VIII.

Quid ſit in Sacramentis, res tantùm, & Sacramentum tantùm, & res, & Sacramentum?

142. HÆc quæſtio tractari ſolet de ſingulis Sacramentis, & præcipuè de Sacramento Pœnitentiæ, & de Extrema-Vnctione, in quibus habet maiorem difficultatem: quia tamen communis eſt omnibus Sacramentis, videtur hoc in loco examinanda vniuerſaliter pro omnibus, vt ex doctrina generali definiri poſſit poſtea de ſingulis in particulari.

In Sacramentis Theologi tria diſtinguũt quæ hic explicantur. Solent ergo Theologi communiter in Sacramentis nouæ legis diſtinguere hæc tria, ſcilicet aliquid, quod ſit Sacramentum tantùm, aliquid, quod ſit res tantùm, & aliquid, quod ſit res ſimul, & Sacramentum. Nomen autem *Sacramenti*, in hac quæſtione non ſignificat id ſolum, quod eſt ſignum practicum gratiæ, ſed accipitur latiùs pro ſigno pertinere ad Sacramentũ, licèt reuera non ſit pars intrinſeca Sacramenti: nam character, qui dicitur communiter res, & Sacramentũ verè, non eſt pars, ſed effectus Baptiſmi: eſt tamen ſignum, & ideo in latiori ſignificatione appellatur Sacramentum. Rurſus quando aliquid appellatur *Sacramentum tantùm*, non eſt ſenſus, quod in illo ſolo conſiſtat tota ratio illius Sacramenti, ſed quod illud ita ſit ſignum, vt non ſimul res ſignificata. Per hunc ergo loquendi modum volunt Theologi explicare, in Sacramentis dari aliquid, quod ſignificat, & non ſignificatur, & hoc appellant *Sacramentum tantùm* Rurſus dari aliquid, quod ſignificatur, & non ſignificat, & hoc appellant *rem tantùm*. Denique dari aliquid, quod ſignificat, & ſignificatur, & hoc appellant *rem ſimul, & Sacramentum*.

143. *Magiſter. S. Thomas. Scotus.* Hanc diuiſionem vſurpauit Magiſter *in* 4. *d.* 22. S.Thom. *infra quæſt.* 84. *art.* 1 *ad* 3. Scotus *in* 4. *d.* 8. *q.* 1. *art.* 1. & alij communiter. Exiſtimatur etiam deſumpta,

Auguſt. Vaſquez. In Euchariſtia. deſumpta ex Auguſtino in lib. ſentent. Proſperi relato in cap *Hoc eſt*.de conſecratione *diſt.2.& in Epiſtola 23.ad Bonifacium*;ſed alius eſt ibi ſenſus Auguſtini, vt bene obſeruauit P.Vaſquez *tom.4.in 3.part. q.84. art.1. dub.3.* Nam verba Auguſtini in primis non inueniuntur in illo loco vnde allegantur. Deinde ſolùm dicitur ibi, quod in Euchariſtia datur & Sacramentum, hoc eſt, ſignum viſibile, nempe ſpecies, & res ſacra, hoc eſt, corpus Chriſti, quod tamen non appellat ibi Sacramentum. In ſecundo verò loco *ex Epiſt.23.*dicit, quod *ſecundum quendam modum Sacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt.* In quibus verbis non dicit,corpus Chriſti eſſe quodammodo Sacramentum, ſed ſpecies quæ ſunt Sacramentum corporis Chriſti, id eſt, ſymbolum illius, dici quodammodo, & impropriè corpus Chriſti, ſicut Baptiſmus qui eſt Sacramentum fidei, dicitur quodammodo fides. Magis fauent huic doctrinæ *Hugo. Innoc.III.* Hugo de S. Victore 3. *tom.lib.2. de ſacram. p.8. cap.7.*& Innocentius III.*in cap.cum Martha,de celebratione Miſſarum*, qui in Sacramento Euchariſtiæ illa tria diſtinguunt. De omnibus tamen Sacramentis vniuerſaliter id non dicunt; Scholaſtici tamen illa etiam tria in aliis Sacramentis inuenire, & aſſignare conantur.

144. *In Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine.* Et quidem in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine facilè aſſignantur; nam materia, & forma dicuntur Sacramentum tantùm; ſignificant enim gratiam, characterem, & alios effectus, & non ſignificantur: gratia verò dicitur res Sacramenti, quia ſignificatur,& non ſignificat:character denique dicitur res ſimul & Sacramentum, quia ſignificat gratiam, & ſignificatur ab ipſo Sacramento. In Euchariſtia faciliùs eadem tria diſtinguuntur, ſcilicet ſpecies ſunt Sacramentum tantùm, quia ſignificant corpus Chriſti, & gratiam, cùm ipſæ non ſignificentur; gratia verò eſt res tantùm,quia ſignificatur, & non ſignificat. Denique corpus Chriſti eſt Sacramentum ſimul & res, quia ſignificat gratiam, & ſignificatur à verbis,& ſpeciebus.

145. *In Matrimonio.* In Matrimonio etiam diſtinguunt communiter illa tria, vt materia, & forma, ſeu verba contrahentium ſint Sacramentum tantùm, quia ſignificant, & non ſignificantur; gratia verò Sacramentalis ſit res tantùm, quia ſignificatur, & non ſignificat. Denique vinculum indiſſolubile, ſeu indiſſolubilitas particularis, quam participat matrimonium fidelium ex eo quod Sacramentum fit,dicitur res,& Sacramentum, quia ſignificatur per materiam, & formam, & ſignificat rurſus gratiam ac vnionem Chriſti cum Eccleſia, vel verbi diuini cum natura humana. Sic enim Auguſtinus *lib.1.de nuptijs, & concupiſ.c.*10.dicit, *Auguſt.* hanc omnimodam indiſſolubilitatem eſſe rem Sacramenti:*Huius*(inquit) *proculdubio Sacramenti res eſt,vt mas,& fœmina connubio copulati,quandiu viuant inſeparabiliter perſeuerent*, & *lib.de bono coniug.cap.7.* ſignificat, eandem indiſſolubilitatem eſſe etiam Sacramentum, his verbis: *Quid ſibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis, quod nequaquam puto tantum valere potuiſſe, niſi alicuius rei maioris quoddam Sacramentum adhiberetur.* *Sanch z.* Videatur Sanchez *lib.2. de Matrimonio diſp.13.n.7.* Vbi latè probat, maiorem indiſſolubilitatem Matrimonio aduenisse ex ratione Sacramenti: licèt ipſe velit non omnimodam indiſſolubilitatem inde aduenire. In hoc tamen non placet, nam Auguſtinus, & alij ex ratione Sacramenti, eam videntur deducere. Nec obſtat, quod Matrimonium ratum ſit Sacramentum, & tamen adhuc non ſit omnino indiſſolubile; reſpondeo enim, iam habere ex eo quod Sacramentum eſt, indiſſolubilitatem omnimodam ſaltem radicaliter, hoc eſt, inſtitutionem diuinam, vt ſequuta copula reſultet omnímoda indiſſolubilitas; quam tamen nec radicaliter habet Matrimonium conſummatum, ne dum ratum inter infideles,eo quod Sacramentum non eſt.

Difficultas ergo tota eſt circa Sacramentum Pœnitentiæ, & Extremæ-Vnctionis. Et quidem de Extrema-Vnctione duas ſententias refert Suar. *tom.4. diſp.41.ſect.3.in fine.* Prima dicit,rem,& Sacramentum illius, eſſe hilaritatem mentis, confortationem, & maiorem ſuſtinentiam laborum, quam alij appellant vnctionem internam. Quam ſententiam vt communem refert, & approbat Henriquez *lib.3.de Extrema-Vnctione,cap.9.§.1.* 146. *In Extrema-Vnctione difficultas peculiaris.* *Suarez.* *Prima ſententia.* *Henriquez.*

Alia ſententia dicit, in Extrema-Vnctione rem & Sacramentum eſſe ſanitatem corporis, quam illud Sacramentum affert, non ſemper, & abſolutè, ſed ſi expedierit ad animæ ſalutem, vt dixit Tridentinum *ſeſſ.14.c.2.* quæ ſanitas eſt res Sacramenti, quatenus ab ipſo cauſatur, & eſt aliquo modo Sacramentum, quatenus ſignificat animæ ſanitatem, & licèt non ſemper habeatur is effectus, id parùm refert, quia ad ſignificandum aliquid,quod ſit res & Sacramentum, ſufficit, quod Sacramentum ex ſe habeat vim ad illum effectum cauſandum, ſi aliunde non impediatur: nam in altera etiam ſententia aſſignatur alacritas illa, & hilaritas interna, quam tamen multi ægroti non habent propter carentiam vſus rationis, vel diſtractionem, aut aliam cauſam, & in omnibus Sacramentis aſſignatur pro re Sacramenti gratia habitualis; quæ tamen ſæpiſſimè non ponitur propter obicem peccati. *Secunda ſententia.* *Conc. Trid.*

De Sacramento Pœnitentiæ variæ ſunt opiniones, prima dicit, in iis Sacramentis in quibus non imprimitur character, produci aliam quandam qualitatem ſpiritualem, quam vocant ornatum animæ, quæ ſit proxima diſpoſitio ad gratiam Sacramentalem,& hanc dicunt eſſe rem ſimul & Sacramentum, ſicut in aliis eſt character. Ita ſentit & probat acriter Capreol.*diſt.22.q.1.art.3.*& Paludan.*diſt.14.q.1.* Viguer.16.*verſ.*10. quibus fauet Antonin. *3. part. tract.14.c.1.& c.17.in principio.* 147. *In Pœnitentia variæ opiniones.* *Prima ſententia.* *Capreol. Paludan. Viguer. Antonin.*

Hanc tamen ſententententiam communiter omnes reiiciunt, quia abſque vllo fundamento fingit illam nouam qualitatem, & quia ſi talis qualitas daretur, vel illa eſſet permanens, vel tranſiens: non quidem eſſet tranſiens, quia ornatus animæ non poſſet auferri ſine noua culpa: ſi verò eſſet permanens, iam eſſet character, non quidem omnino indelebilis, cùm poſſet auferri per peccatum, ſed delebilis ex voluntate hominis, quod non repugnat omnino cum ratione communi characteris. Videatur Suarez *tom.4. diſp.18.ſect.5.n.4.* 148. *Reiicitur.* *Suarez.*

Secunda ergo ſententia dicit, contritionem, ſeu dolorem internum eſſe rem ſimul, & Sacramentum in Pœnitentia.Hanc tenent Thomiſtæ, & alij communiter cum S.Thom.infra *q.84.art.1.ad 3.*vbi cum Magiſt.*in 4.diſt.22.*Eſt autem difficile in hac ſententia explicare, quomodo contritio ſit res; nam licèt ipſa ſit Sacramentum, quatenus ſignificat, & cauſat gratiam ſimul cum aliis partibus, & licèt ipſa etiam ſignificetur per confeſſionem, non tamen cauſatur per illam, ſed potiùs eſt cauſa ipſius confeſſionis, quæ procedit ex dolore interno; ergo contritio non poteſt eſſe res Sacramenti, nam id,quod eſt res in aliis Sacramentis, ſignificatur,& cauſatur ab ipſo Sacramento. 149. *Secunda ſententia.* *S.Thom. Magiſter.*

Propter hanc difficultatem laborant Thomiſtæ in explicando,quomodo contritio cauſetur ab hoc Sacramento. Quidam primò hoc explicant dicentes, contritionem, licèt quatenus eſt actus pœnitentiæ præcedat, & ſit cauſa confeſſionis; ipſam tamen, 150. *Primus modus hoc explicandi.*

vt

vt eſt efficax ad remittendum peccatum eſſe effectum Sacramenti, hanc enim efficaciam non habet à ſe, ſed ab aliis partibus Sacramenti, quare eadem contritio ſub diuerſis conſiderationibus eſt Sacramentum, & effectus Sacramenti: ſi enim eſt attritio, non habet de ſe diſponere ſufficienter ad gratiam; ſi verò iam erat contritio, non habebat ſaltem de ſe diſponere ad tantam gratiam, hoc enim habet à confeſſione, & abſolutione; quare ſub hac conſideratione eſt earum effectus.

151. *Reiicitur.* Sed hic modus reiicitur primò, quia hac ratione poſſet etiam dici, confeſſionem eſſe rem Sacramenti, quia confeſſio ab abſolutione etiam accipit efficaciam cauſandi gratiam, quã ſecundùm ſe non haberet, imò ipſa abſolutio poſſet dici res Sacramenti, quia ipſa etiam à coniunctione cum confeſſione, & dolore habet efficaciam cauſandi gratiam, quam non haberet ſecundùm ſe. Secundò, quia hoc ipſum dici poſſet in aliis Sacramentis, in Baptiſmo, v. g. poſſet dici, attritionem eſſe rem Sacramenti, quia prout coniuncta cum Baptiſmo, eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, quod ſecundùm ſe non habebat. Tertiò & à priori, quia illud non eſt propriè contritionem cauſari à Sacramento, ſed ſolùm ex coniunctione aliarum partium accipere denominationem partis actualis, ac proinde magis eſt fieri Sacramentum, quàm rem Sacramenti, vt notat Suar. *n.* 11.

152. *Secundus modus.* Secundus modus explicandi eſt aliorum, qui dicunt, dolorem eſſe effectum & rem huius Sacramenti, quia ſicut eſt effectus ſecũdarius Euchariſtiæ, deuotio actualis, & refectio; ſi hoc Sacramentum cauſat, & excitat in pœnitente maiorem dolorem de peccatis; quare idem dolor, qui priùs erat cauſa confeſſionis poſtea auctus, & excitatus eſt effectus eiuſdem confeſſionis, & abſolutionis. Hæc videtur eſſe de mente Caiet. *a q.* 84 *art.* 1. Petri de Soto *lib* 7 *de confeſſione, in fin.* & videtur fauere Richard. *diſt* 22. *art.* 2. *q.* 1. apud Carthuſ. *eadem diſt. q.* 1. Quatenus ait, quod confeſſio excitat contritionem, & abſolutio eam format, ideoque eſt res Sacramenti, & quia cauſat remiſſionem peccati, eſt Sacramentum. (*Caietan. Petr. de Soto. Richardus.*)

153. *Primò reiicitur.* Contra hunc modum argui ſolet, primò, quia non aſſignat aliquid, quod ſit ſemper res & Sacramentum, ſed ſolùm in aliquibus caſibus: ſæpè enim contingit, non moueri hominem virtute huius Sacramenti ad maiorem, vel nouum dolorem. Reſponderi tamen poſſet, in hoc Sacramento, in quo res & Sacramentum debet eſſe actio humana, ſatis eſſe quod Sacramentum, quantum eſt de ſe, excitet ſemper ad illum actum, niſi impediatur à natura, vel humana libertate.

154. *Secundò reiicitur.* Arguitur ſecundò, quia contritio illa, quæ eſt res & Sacramentum, vel eſt eadem numero, quæ eſt pars Sacramenti, vel alia. Si eſt eadem, ergo non cauſatur à Sacramento, nec eſt res Sacramenti, cum ipſum antecedat; ſi eſt alia, ergo hæc non eſt Sacramentum, cùm non cauſet remiſſionem peccati, quod iam ſupponit remiſſum per ipſum Sacramentum, à quo hæc ſecunda contritio cauſatur.

155. *Tertius modus.* Tertius modus explicandi ſimilis huic eſt, quod dolor prout eſt diſpoſitio ad gratiam Sacramentalem, eſt Sacramentum, idem verò dolor vt informatus, iam eadem gratia, & factus meritorius de condigno, vel ſi erat contritio, factus magis meritorius & dignior maiori gloria; vt ſic, inquam, eſt effectus Sacramenti, ſi quidem à gratia Sacramentali habet hunc nouum valorem; quare idem dolor ſub diuerſis conſiderationibus eſt Sacramentum & res Sacramenti. Ita Suar. *vbi ſuprà n.* 12. (*Suarez.*)

156. *Reiicitur primò.* Hic etiam modus diſplicet. Primò, quia rarò accidit, quod in eo inſtanti, in quo perficitur Sacramentum Pœnitentiæ, perſeueret dolor actualis, qui eſt pars Sacramenti, quare rarum eſſet, quod dolor eſſet Sacramentum, & res Sacramenti. Secundò, quia ſi dolor poſſet dici res Sacramenti, ex eo quod à gratia Sacramentali accipiat nouum valorem ad merendum, eodem modo dici poſſet, in Sacramento Baptiſmi attritionem eſſe rem Sacramenti, nam eadem attritio accipit à gratia Sacramentali nouam valorem ad merendum, quare cum eadem proprietate poſſet dici res illius Sacramenti: nemo autem dixit, rem Sacramenti in Baptiſmo eſſe dolorem; ergo nec propter illam ſolam rationem dici debet in Sacramento Pœnitentiæ. (*Secundò reiicitur.*) Tertiò, cum maiori ratione dicendum eſſet, in Matrimonio verba coniugis eſſe Sacramentum, & rem Sacramenti, nam verba vltimi coniugis in vltimo inſtanti prolationis cauſant gratiam Sacramentalem, atque ideo ſunt Sacramentum. Rurſus eadem verba in illo inſtanti dignificantur ab eadem gratia, ſicut contritio in vltimo inſtanti abſolutionis dignificatur à gratia Sacramentali; nam prolatio illa verborum, ſi debito modo fit, eſt actus honeſtus, & meritorius, atque adeo in illo inſtanti poterit dignificari ab illa maiori gratia, & per conſequens prout ſic dignificata erit res Sacramenti cauſata à verbis alterius coniugis. (*Tertiò reiicitur.*)

Quartò hoc ipſum argumentum fieri poteſt de intentione recipiendi Sacramentum; quæ quidem in inſtanti, in quo recipitur, (ſi actus honeſtus eſt, prout regulariter eſt) poterit etiam dignificari à gratia Sacramentali, & prout ſic dignificata dicetur res Sacramenti, & tamen nemo dixit intentionem recipiendi Sacramentum vel verba coniugis eſſe rem & Sacramentum. Hæc autem argumenta procedunt ad hominem, ſupponendo, attritionem, vel dolorem in inſtanti illo, quo diſponunt ad gratiam poſſe dignificari ab eadem gratia; de hoc enim eſt ſpecialis difficultas, de qua egimus ſuprà *tom.* 1. *diſp.* 6. nunc autem ſolùm dicimus, quod ſi illud dicatur de actu doloris, idem dici debet de his aliis. 157. *Quartò reiicitur.*

Quartus modus explicandi eſt, contritionem dupliciter poſſe conſiderari; primò, vt eſt diſpoſitio, & præcedit gratiam Sacramentalem, & vt ſic eſt Sacramentum. Secundò, vt eſt formata per ipſam gratiam; & vt ſic eſſe rem Sacramenti, quia eſſe formatam habet ex virtute Sacramenti, & eſt etiam Sacramentum, quia vt ſic cauſat media gratia remiſſionem peccati, quæ eſt effectus gratiæ, & res Sacramenti, hæc enim remiſſio eſt, quæ propriè ſignificatur per verba, atque vltimò intenditur in hoc Sacramento. Ita Sotus *diſt* 14 *q.* 1. *art.* 1. 158. *Quartus modus.* (*Sotus.*)

Hic modus dicendi multò minùs poteſt ſuſtineri, primò, quia dicere, contritionem vt formatam gratia eſſe cauſam remiſſionis peccati, eſt dicere, gratiam ipſam eſſe cauſam remiſſionis peccati; ſed gratia ipſa non dicitur ex eo capite Sacramentum, licèt cauſet remiſſionem peccati, hæc enim eſt cauſalitas in genere cauſæ formalis, quæ non ſufficit ad hoc, vt dicatur Sacramentũ, nam Sacramentum cauſat efficienter, vel quaſi efficienter ſuos effectus; ergo nec contritio vt formata gratia poterit dici Sacramentum propter remiſſionem peccati, quæ conſequitur. Secundò quia, licèt gratia poſſit dici cauſa remiſſionis peccati in genere cauſæ formalis, non poteſt tamen dici, quod contritio, vel attritio vt formata per gratiam ſit cauſa remiſſionis peccati, non enim eſt cauſa meritoria, quia contritio vt intelligatur dignificata per gratiam ad merendum, debet iam intelligi vt operatio hominis grati & ſancti; ergo iam intelligitur peccatum remiſſum, & per conſequens non poteſt contritio vt ſic formata illum effectum mereri, præſertim cùm ſit effectus talis, qui vel eſ- 159. *Impugnatur.*

ſentialiter, vel ſaltem neceſſariò conſequitur gratiam ipſam: deinde nec contritio vt ſic formata per gratiam poteſt dici cauſa formalis remiſſionis peccati, quia gratia ipſa eſt cauſa adæquata formalis, & ſufficiens remiſſionis peccati: ergo pro eodem ſigno intelligetur cauſare vtrumque effectum, ſcilicet remiſſionem peccati, & informationem contritionis. Imo in rigore loquendo, videtur, quod priùs cauſet remiſſionem peccati; quia contritio, vt dixi, non cenſetur informata per gratiam, & dignificata, niſi quatenus concipitur eſſe operatio hominis grati & iuſti; ergo prius intelligitur iuſtificatum, & mundatum ipſum ſubiectum per gratiam, quàm intelligatur contritio dignificari, & informari.

160. *Quintus modus.* *Ferr. s.* Quintus modus explicandi tribuitur Ferrarienſi 4 *contra gentes, cap.* 72. quod contritio ſit Sacramentum, prout cauſat gratiam, & ſit res Sacramenti, quatenus ipſa cauſatur à Sacramento in voto, nam hoc Sacramentum non ſolùm in re, ſed etiam in voto, cauſat ſuum effectum, & per conſequens cauſat vltimam etiam diſpoſitionem ad gratiam, quæ eſt contritio. *Reijcitur ſecundò.* Hic modus facilè reijcitur primò quia ſupponit falſum, ſcilicet gratiam cauſari effectiuè ab hoc Sacramento in voto; tunc enim licèt homo iuſtificetur cum ordine ad Sacramentum, non tamen concurrit Sacramentum, nec vt cauſa phyſica, cùm non exiſtat, nec vt cauſa moralis, cùm ſæpè contingat non eſſe futurum poſtea Sacramentum. Secundò votum Sacramenti eſt ipſamet contritio, quæ continet propoſitum confeſſionis; ergo ſi contritio cauſatur à Sacramento in voto, cauſatur à ſe ipſa, & erit res ſui ipſius, quod repugnat.

161. *Sextus modus ſolidior.* *Suarez Magiſter Bonauent. Alex. Valquez.* Sextus modus, qui facilior & clarior videtur, vt fatetur Suarez n. 6. & cui fauent Magiſter, Bonauentura, & Alex. ibi relati, & quem amplectitur Vaſquez *in præſenti, n.* 20. dicit, dolorem eſſe rem ſimul & Sacramentum, quia ſignificat gratiam vt conſtat, cum illam cauſet, vt eſt pars Sacramenti, & aliunde ſignificatur à confeſſione, quæ ſignificat, & reddit ſenſibilem dolorem internum.

162. *Impugnant eum aliqui.* Hunc modum impugnant communiter ex eo, quòd contritio non eſt effectus cõfeſſionis externæ, ſed potiùs è contra confeſſio eſt effectus contritionis; ergo contritio non poteſt eſſe res, nec confeſſio poteſt eſſe Sacramentum reſpectu contritionis, quia id quod eſt Sacramentum, ſignificat Sacramentaliter rem, ſignificare autem Sacramentaliter eſt ſignificare efficaciter, ſeu cauſando rem ſignificatam.

163. *Reſpondetur.* Hæc tamen ratio non videtur ſatis firma: negatur enim facilè, quod debeat ſemper id, quod eſt res, cauſari ab eo, quod dicitur Sacramentum, ſufficit quippe quod ſignificetur. Quòd etiam ex aliis Sacramentis probari poteſt, nam in primis character, qui eſt res & Sacramentum in tribus Sacramentis, non videtur cauſare gratiam habitualem, quæ datur in Sacramento, hæc enim ſufficienter cauſatur à materia, & forma Sacramenti, & tamen gratia dicitur res Sacramenti, etiam in ordine ad ipſum characterem, quia per ipſum etiam ſignificatur. Deinde in Extrema-Vnctione dicimus, ſanitatem corporis eſſe rem & Sacramentum, quia ſignificatur, & ſignificat etiam ſpiritualem ſanitatem, & tamen non cauſat illam, nam hæc æquè cauſatur, etiam ſi ob aliquam rationem non concedatur ſanitas corporis; ergo poteſt aliquid eſſe res in ordine ad id, à quo non cauſatur, atque adeo contritio poterit eſſe res non cauſata, ſed ſignificata per confeſſionem, quod ſufficit vt dicatur ſimpliciter res huius Sacramenti.

164. *Diſplicet tamen ex alio capite.* Ex alio tamen capite diſplicet mihi ille modus explicandi, quia nimirum ad hoc, vt aliquid dicatur res Sacramenti, non videtur ſatis, quod quomodocumque ſignificetur per aliam partem eiuſdem Sacramenti, ſed requiritur, quod ſignificetur Sacramentaliter, hoc eſt, ex Chriſti inſtitutione: contritio autem non ſignificatur per confeſſionem, hoc modo: ſed potiùs ex natura rei, vel ex hominum inſtitutione, qui per tales voces ſignificant dolorem, aut pœnitentiam internam; ergo non ſignificatur contritio, ſicut requiritur vt dicatur res Sacramenti. Conſequẽtia eſt bona; maior probatur; ſi enim qui- *Probatur maior.* cunque modus ſignificandi ad id ſufficeret, multa alia deberent dici res Sacramenti, quæ hoc tamen nomine non appellantur, v.g. conſenſus internus contrahentium in Matrimonio; ille enim ſignificatur per verba externa. Item eodem modo in aliis ſacramentis intentio miniſtrandi, & ſuſcipiendi Sacramentum deberet dici res Sacramenti, quia illa etiam ſignificatur per actionem, vel ſuſceptionem externam, & conſequenter conſenſus internus in matrimonio, & intentio in aliis Sacramentis deberet dici res & Sacramentum, quia ſignificant ſimul & cauſant gratiam, & ex alio capite ſignificantur per actionem externam. Cùm ergo hæc omnia non dicantur res Sacramenti, fateri debemus, ad hanc denominationem non ſufficere ſignificari quocunque modo, ſed debere ſignificari Sacramentaliter, ſeu ex peculiari Chriſti inſtitutione. Nec obſtat, ſi dicas intentionem, vel conſenſum internum non eſſe partem Sacramenti: nam dato hoc, quod in rigore metaphyſico verum non eſt, vt vidimus ſupra ſect. præcedenti, ad noſtrum propoſitum id non refert; character enim non eſt pars Sacramenti, ſed effectus, & tamen dicitur res & Sacramentum; ergo ſimiliter intentio, & conſenſus internus, qui eſt cauſa Sacramenti, poſſet dici res, & Sacramentum.

Minor verò, quod ſcilicet contritio non ita ſi- 165. gnificetur per confeſſionem, probatur clarè, quia *Minor probatur.* confeſſio independẽter à Chriſti inſtitutione ſignificat ex ſe, hominem dolere de iis, de quibus ſe accuſat: nec hoc ſignificat Sacramentaliter, nam Sacramentalis ſignificatio eſt illa, per quam Chriſtus aliquid occultum intendit nobis ſignificare; Chriſtus autem per confeſſionem non ſignificat nobis contritionem, ſed ipſe pœnitens eſt, qui eam contritionem, & dolorem vult ſignificare, & manifeſtare. Chriſtus quidem inſtituit, quod confeſſio non fiat ſine dolore, non tamen ſignificat ipſe Chriſtus dolorem per confeſſionem: quando enim Chriſtus intendit aliquid ſignificare per aliquod ſignũ Sacramentale, tenetur ipſe ponere rem ſignificatam, ne ſignum ipſius ſit falſum, vt conſtat in aliis Sacramentis, in quibus res ſignificata ſemper ponitur, niſi adſit obex, contritionem autem non tenetur Chriſtus ponere etiam poſita confeſſione, ſed ipſe pœnitens; ergo pœnitens, & non Chriſtus, intendit per confeſſionem ſignificare contritionem internam.

Igitur, vt defendamus illam communem diuiſio- 166. nem in omnibus Sacramentis, & aſſignemus aliqua *Explicatur noſter modus & vetitur ex Conc. Trid.* ratione quidquam, quod in Sacramento Pœnitentiæ ſit res & Sacramentum ſimul, poſſumus id aliquo modo deducere ex doctrina Concilij Tridentini *ſeſſ.* 14. *c.* 3. vbi de re huius Sacramenti ſic dici- *Conc. Trid.* tur: *Sanè verò res, & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris pijs, & cum deuotione hoc Sacramentum ſuſcipientibus conſcientiæ pax ac ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet.* In quibus verbis videtur Concilium eodem modo loqui de hac conſcientiæ pace in ordine ad hoc Sacramentum, ſicut poſtea agendo de Extrema-Vnctione in eadem ſeſſ. *cap.* 2. dixit ſanitatem corporis eſſe illius effectum & rem. Nam ſicut ibi dixit, quod ſanitas

ſanitas corporis interdum, vbi ſaluti animæ expediens, conſequitur gratiam illius Sacramenti; ſic hic dicit, quod pax conſcientiæ interdum in viris piis cum deuotione hoc Sacramentum ſuſcipientibus conſequitur reconciliationem cum Deo. Nam ſicut eſt proprium cibi delectare palatum, & ideo Euchariſtia affert ſæpè dulcedinem ſpiritualem, quæ eſt ſecundarius effectus, vt colligitur ex Eugenio IV. in

Eugen. IV.

decreto illo vnionis poſt Concilium Florentinum: ſic eſt proprium reconciliationis factæ pacem, & tranquillitatem cauſare: vterque tamen effectus impediri poteſt, & ſolet propter varia impedimenta intrinſeca, vel extrinſeca, ſicut ergo ſupra cum communi multorum ſententia diximus, ſanitatem corporis eſſe rem & Sacramentum in Extrema-Vnctione, quia ſignificat, & ſignificatur; ſic eodem fundamento dicere poſſumus, in Sacramento Pœnitentiæ pacem illam internam eſſe rem & Sacramentum, quia & ſignificat, & ſignificatur; ſignificat quippe pacem reſtitutam cum Deo per gratiam, & remiſſionem peccati: ſignificatur autem per partes huius Sacramenti, nempe per materiam & formam.

167. *Non obſtat primò.* Nec obſtat, quod hic non ſit effectus infallibilis, & vniuerſalis; neque enim ſanitas corporis eſt etiã effectus vniuerſaliter infallibilis in Extrema-Vnctione; & tamen poteſt appellari res illius, vt ſupra vidimus; quia Sacramentum de ſe habet illam ſignificare, ſaltem vt ponendam in certis circumſtantiis. Sic ergo de pace conſcientiæ dici poteſt, quòd Sacramentum Pœnitentiæ illam ſignificat de ſe vt ponendam, ſaltem quando adſunt tales vel tales circũſtantiæ.

Non obſtat ſecundò. Nec etiam obſtat, quod pax hæc non cauſet reconciliationem cum Deo, & remiſſionem peccati, atque adeo non poſſit dici Sacramentum reſpectu illius. Iam enim diximus, ad hoc quod aliquid dicatur res Sacramenti, non requiri quod cauſetur ab illo, quod dicitur Sacramentum reſpectu illius, ſed ſufficere quod ſaltem ſignificetur Sacramentaliter ab illo. Neque etiam ſanitas corporis cauſat ſanitatem animæ in Extrema-Vnctione, & tamen dicitur Sacramentum reſpectu illius, quod illam ſaltem Sacramentaliter ſignificat in talibus circumſtantiis.

168. *Inſtabis.* Dices, ſi pax illa, & tranquillitas conſcientiæ appellatur res Sacramenti Pœnitentiæ, poterunt etiam in Sacramento Ordinis, v. g. dici res Sacramenti omnia auxilia, quæ dantur ratione illius Sacramenti per totam vitam ad benè exercendum Ordinem ſuſceptum, & in Sacramento Baptiſmi dicentur res omnia auxilia, quæ dantur homini per totam vitam ad ſeruanda Chriſti præcepta, & ſic de aliis Sacramentis: nam pax illa non videtur eſſe aliud niſi actus interni intellectus & voluntatis, ſeu illuſtrationes, & affectiones gaudij in actu ſecundo; ſi ergo hæ illuſtrationes & affectiones dicuntur res Sacramenti, illæ etiam poterunt ita appellari.

169. *Reſpondeo.* Reſpondeo, In hoc poſſe eſſe quæſtionem de nomine, nam re ipſa vtrique ſunt effectus Sacramenti; non tamen appellantur vtrique res Sacramenti; quia quando Theologi communiter diſtinguunt illa tria in Sacramentis, volunt illa inuenire vel in ipſis partibus intrinſecis Sacramenti, vel certè in iis, quæ ſimul cum Sacramento ſunt, qualis eſt character & alia eiuſmodi. Vnde nemo dixit, conſecrationes Euchariſtiæ validas, quas Sacerdos conficit per totam vitam, & quæ reuera ſunt effectus Sacramenti Ordinis, eſſe rem illius Sacramenti, quia nimirum non ponuntur ſimul cum ipſa ordinatione, ſicut ponitur character; illi verò effectus, qui comitantur per ſe loquendo ipſum Sacramentum, dici ſolent res Sacramenti, licèt ſint illuſtrationes, vel inſpirationes, vel quidvis aliud. Sic enim in Extrema-Vnctione multi Theologi communiter, vt ſupra vidimus, dicunt, rem & Sacramentum eſſe alacritatem internam, quam ægrotus experitur; quæ tamen alacritas conſiſtere debet in actibus internis, ſiue deliberatis, ſiue indeliberatis. Alij verò effectus, qui ex ſe non habent hanc concomitantiam cum Sacramento, ſed poſtea dantur, non videntur facere vnum cum ipſo Sacramento, & ideo non ſunt pars in illa diuiſione, qua Sacramentum diuidi ſolet in illa tria. Cùm ergo pax, & ſerenitas conſcientiæ ſit ex illis effectibus, qui in talibus circumſtantiis comitantur ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, ſicut alacritas interna comitatur Extremam-Vnctionem, non immeritò poſſumus illam dicere rem & Sacramentum in Pœnitentia, ſicut alij Theologi dicunt, alacritatem rem & Sacramentum in Extrema-Vnctione. Hoc autem ſatis eſt ad ſuſtinendam illam communem Theologorum diuiſionem, ad quam quælibet proportio, vel congruentia ſufficit.

DISPVTATIO III.

De Neceſſitate Sacramentorum.

SECTIO I. *Vtrùm in ſtatu innocentiæ debuerint eſſe Sacramenta.*

SECTIO II. *Vtrùm in lege naturæ & ſcripta fuerint Sacramenta.*

SECTIO III. *Vtrùm in lege noua fuerint neceſſaria Sacramenta.*

1. *Quomodo neceſſitas hic intelligatur.* NECESSITATIS nomine in præſenti non intelligimus neceſſitatem in tuto rigore, de hac enim agitur dum de ſingulis Sacramentis in particulari tractatur. Et quidem certum eſt, non fuiſſe omnino neceſſariam Sacramentorum inſtitutionem, cùm Deus aliis viis potuiſſet abundè prouidere, & ſuccurrere infirmitati humanæ. Certũ etiam eſt, ſuppoſita inſtitutione aliqua Sacramenta eſſe neceſſaria neceſſitate medij, alia verò neceſſitate præcepti, alia neutro modo. Nunc autem ſolum agimus de neceſſitate antecedente inſtitutionem, an ſcilicet neceſſe fuerit ea inſtituere non quidem omnimoda neceſſitate, ſed congruitate, & conuenientia; an ſcilicet congruum fuerit, & expediens; Poteſt autem hæc quæſtio tractari iuxta diuerſos ſtatus generis humani, de quibus ſigillatim agendum erit, ſcilicet de ſtatu ante peccatum, & de ſtatu poſt peccatum, qui rurſus diuiditur in ſtatum legis naturæ, legis ſcriptæ, & legis Euangelicæ: dubium tamen eſt de quo ſtatu egerit S. Thom. *art. 1. huius quæſtionis 61.*

S. Thom.

vbi quærit in communi: Verùm Sacramenta ſint neceſſaria ad humanam ſalutem; titulus enim videtur eſſe communis, & abſtrahere ab vtroque ſtatu. Aliũde verò videtur S. Thomas ibi loqui de hominibus poſt peccatum, nam ſecunda ratio qua probat concluſionem, ſumitur ex lapſu, quia nimirum per peccatum ſe homo ſubdit rebus corporalibus, & ſenſibilibus, quare oportuit, quod iiſdem ſubderetur ad ſanitatem, quæ ratio ſolùm probat de ſtatu hominis poſt peccatum. Confirmari poteſt primò ex titulo art 2. & principio eiuſdem articuli, ſcilicet: *Vtrùm etiam ante peccatum fuerint homini neceſſaria Sacramenta:* vbi illa vox *etiam*, apertè indicat, In Articulo præcedenti ſermonem fuiſſe de homine poſt peccatum, alioquin non cohæreret quærere ſtatim, vtrùm etiam ante peccatum indiguerit Sacramentis. Confirmatur ſecundò, quia in nullo alio articulo

quærit de neceſſitate Sacramentorum poſt peccatum, nam art. 3. quærit ſpecialiter de tempore ante Chriſti aduentum, & art. 4. de tempore poſt Chriſtum; reſtat ergo quod art. 1. agat de neceſſitate Sacramentorum in hoc toto ſtatu poſt peccatum, quem ſtatum poſtea diuidit in ſtatum ante Chriſtum, & poſt Chriſtum.

2. *Explicatur D. Thom.* Propter hæc exiſtimo, S. Thomam in articulo primo ſaltem non aſſeruiſſe neceſſitatem Sacramentorum pro omni ſtatu, nec conſiderata natura ſecundùm ſe: nam rationes, quibus probat illam neceſſitatem, non probant, niſi de hoc ſtatu poſt peccatũ. Certum item videtur, S. Thom. non aſſeruiſſe neceſſitatem Sacramentorum pro ſtatu naturæ puræ, prout aliqui Thomiſtæ videntur ſupponere apud Vaſquez *in commentario illius articuli primi, n.* 113. ſed hoc nullo modo dici poteſt, nam ſtatus naturæ puræ eſt ſtatus hominis non eleuati ad gratiam, vel finem ſupernaturalem. Sacramenta autem ordinantur ad cauſandá & ſignificandam gratiam, quare non poſſent eſſe in ſtatu puræ naturæ. Denique exiſtimo, S. Thomam ſolùm aſſeruiſſe de facto in eo rerum ſtatu, qui poſitus eſt, quod probat, non quidem de ſingulis partibus huius ſtatus, ſed de aliqua; nam ad probandum quod in mundo fuerunt neceſſaria Sacramenta, ſatis eſt probare, eſſe aliquando neceſſaria, ſaltem poſt peccatum, itaque probatio procedit de homine poſt peccatum; aſſertio verò de genere humano de facto producto in confuſo, & indefinitè. Poſtea verò in articulis ſequentibus deſcendit ad quærendum de ſingulis partibus, & ſtatibus huius mundi, ſicut ſi aliquis quærat in genere, vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ ſit neceſſarium in Eccleſia, & reſpondeat affirmatiuè, nam pro peccantibus eſt neceſſarium. Poſtea verò quærit in ſpeciali, pro quibus ſit, vel non ſit neceſſarium. Sic S. Thomas priùs aſſerit, in genere fuiſſe neceſſaria Sacramenta hominibus, quia ſaltem poſt peccatum ſunt neceſſaria; poſtea verò quærit in ſpeciali, quando fuerint neceſſaria. Et hoc ſufficiat circa mentem S. Thomæ in art. 1.

Vaſquez.

SECTIO I.

Vtrùm in ſtatu innocentiæ debuerint eſſe Sacramenta.

3. *Notandum primò duplicē ſenſum poſſe hanc quæſtionem.* NOtandum primò, duos ſenſus poſſe habere dubium propoſitum. Primus eſt, vtrùm pro illo primo tempore, quo de facto durauit ſtatus innocentiæ ante peccatum, debuerint eſſe inſtituta aliqua Sacramenta? Secundus ſenſus eſt, vtrùm, ſi ſtatus ille innocentiæ fuiſſet diuturnior, & Adamus non peccaſſet, adhuc deberent inſtitui aliqua Sacramenta pro hominibus tunc exiſtentibus? Dubitant autem interpretes S. Thomæ de eius mente in hoc articulo ſecundo; vtrùm in primo, vel in ſecundo ſenſu quæſtionem tractauerit; omiſſis tamen rationibus, quæ hinc inde afferri poſſunt, ego magis credo, in primo ſolùm ſenſu ſanctum Thomam fuiſſe loquutum, tum quia ipſe non quærit de neceſſitate Sacramentorum in aliis ſtatibus, qui nunquam fuerunt, ſed ſolùm in iis, qui aliquando fuerunt, hoc enim & nihil aliud requirebatur ad intentum ipſius, quod erat probare exiſtentiam Sacramentorum, ex eorum neceſſitate: tum etiam quia (vt obſeruauit bene Vaſquez) non quærit, an fuiſſent Sacramenta in ſtatu innocentiæ, ſed *an fuerint*? Et reſpondet, quod *non fuerint*, quod verbum non videtur conditionatum, ſed abſolutum. Adde illam particulam, *ante peccatum*, non poſſe conuenire ſtatui innocentiæ, qui fuiſſet, ſi homo non peccaſſet, ille enim ſtatus non fuiſſet ante peccatum, ſed ſine peccato, nam ly *ante* ſignificat prioritatem reſpectu illius, quod poſtea conſequitur; ergo loquitur manifeſtè de ſtatu ſolùm, qui de facto præceſſit ante peccatum, non de illo, qui fuiſſet ſine peccato ſubſequenti.

S. Thom.

Explicatur mens D. Th.

Vaſquez.

Notandum ſecundò, quando quæſtio tractatur in ſecundo ſenſu, ſcilicet, vtrùm perſeuerante ſtatu innocentiæ, & homine non peccante, fuiſſent Sacramenta? Duplicem ſenſum poſſe adhuc ſubintelligi. Prior eſt, quid tunc faceret Deus, ceſſantibus quidē motiuis, quæ nunc ſunt ad inſtituenda Sacramenta, ſed ſtantibus (prout reuera ſtarent) aliis motiuis independentibus à peccato ad ea inſtituenda; & quidem quæſtio non procedit in hoc ſenſu, quis enim poterit niſi temerè decernere, vel diuinare, quid tũc Deus vellet facere, cùm Deus eſſet liber ad Sacramenta tunc inſtituenda, vel non inſtituenda? 4. *Notandum ſecundò in ſecundo ſenſu duplicem adhuc conſiderari. Primus.*

Poſterior ergo ſenſus eſt, quid tunc fieret ex vi præſentis decreti: hoc eſt, ſicut dum quæritur, an ſi Adamus non peccaſſet, Chriſtus veniret? Theologi, qui id communiter negant, non intendunt negare potentiam Deo mittendi Chriſtum, etiam ſi non eſſent peccata: nec intendunt etiam decernere, quod certiſſimè in illis circumſtantiis Deus nollet aſſumere carnē: quomodo enim poſſumus hoc conditionatum contingens diuinare? Sed ſolum aſſerunt, ex vi præſentis decreti non venturum tunc Chriſtum, quia hoc decretum Incarnationis, quod nunc eſt, habuit pro motiuo adæquato redemptionem generis humani, quare ablato eo motiuo, Chriſtus non veniret ex vi huius decreti. An verò tunc haberet Deus aliud decretum Incarnationis ex alio motiuo? Non poſſumus ſcire. Sic in præſenti ſolum quærimus, an ex vi præſentis decreti, quo Sacramenta volita ſunt, debuiſſent etiam eſſe, licèt ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, & Adamus non peccaſſet. *Secundus.*

5. *In quibus omnes conueniant.* His poſitis, conueniunt omnes in eo, quod in ſtatu innocentiæ ante peccatum de facto nulla fuerunt Sacramenta, vt probant Suarez *ſect.* 3. § *ſecundò dicendum eſt*, & Vaſquez *diſp.* 130. *n.* 30. oppoſitum enim abſque vllo fundamento fingeretur, cùm nullum extet in Scriptura, aut Patribus veſtigium talis Sacramenti, nec ſit credibile fuiſſe inſtitutum Sacramentum pro illo ſtatu, quem Deus ſciebat adeo breui tempore duraturum, & per conſequens inutilem fore talis Sacramenti inſtitutionem. Matrimoniũ autem Adæ, & Euæ, aliquando appellatur Sacramentum in latiori ſignificatione, prout Sacramentum ſignificat *myſterium*, eo quod illud Matrimonium fuit aliquale ſignum deſponſationis futuræ Chriſti cum Eccleſia, vel Verbi cum natura humana. Suarez. Vaſquez.

6. *Difficultas in quo ſit.* Difficultas tota eſt de ſecundo ſenſu, an ſi ſtatus ille diuturnior fuiſſet, inſtituta fuiſſent Sacramenta in illo; P. Vaſquez *n.* 54. dicit, hanc propoſitionem: *Si ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, eſſent Sacramenta*, & hanc: *Si ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, Sacramenta non eſſent*: vtramque eſſe falſam, quia vt conditionalis ſit vera, debet eſſe connexio inter conditionem, & conditionatum, ita vt vna pars ſit cauſa, vel occaſio alterius. Adamum autem non peccare, ſeu ſtatum innocentiæ perſeuerare, non eſſet cauſa, cur inſtituerentur Sacramenta, vel non inſtituerentur; ergo vtraque propoſitio eſſet falſa; vnde *num.* 28. & 29. docet idem de his duabus propoſitionibus: *Si Adamus non peccaret, aliqui eius poſteri peccarent*: *Si Adamus non peccaret, nulli eius poſteri peccarent*. Vtrãque enim dicit eſſe falſam propter eandũ rationem. *Vaſquez. Doctrina Vaſquez.*

7. *Reijcitur Vaſquez.* Hæc doctrina nullo modo placet. Primò, quia vt alibi dixi, verius exiſtimo propoſitiones etiam illas, quarum conditio non eſt cauſa, nec occaſio conſequentis, adhuc poſſe habere aliquam veritatem, ſi

non

non proferantur in ſenſu cauſali; ſed ſignificent ſolam concomitantiam. Deinde, quidquid ſit de hoc, propoſitiones adductæ ſunt veræ etiam in ſenſu cauſali; nam illa propoſitio: *Si Adamus non peccaret, Sacramenta eſſent*, non eſt ſicut illa: *Si Turca eras dormiueris, Petrus dabit mihi librum*: nam ſomnus Turcæ diſparatè ſe habet ad librum mihi dandum, vel non dandum: at verò negatio peccati Adæ non ſe habet diſparatè ad Sacramenta, ſed vt aliquid, à quo poſſit impediri Sacramentorum inſtitutio. Quare habet ſe ſicut hæc propoſitio: *Si non peto librum, Petrus illum mihi dabit*: nam licèt negatio petitionis non ſit cauſa dandi librum, eſt tamen id quod poſſet impedire quod daretur, & ſenſus eſt: *Etiamſi non petam, adhuc Petrus dabit mihi librum*: qui ſenſus vſitatiſſimus eſt, in his propoſitionibus, ſicut è contra poteſt eſſe vera illa: *Si non peto, Petrus mihi non dabit librum*: quia negatio petitionis concurrit ad non dandum librum, tanquam aliquid remouens cauſam libri, ſic etiam hæc poſſet eſſe vera: *Si Adamus non peccaſſet, nulla eſſent Sacramenta*: quia negatio peccati concurreret tanquam aliquid remouens cauſam inſtituendi Sacramenta. Poterit etiam eſſe vera illa alia: *Si Adamus non peccaſſet, eſſent Sacramenta*, quia ſenſus eſt: *Etiam ſi Adamus non peccaſſet, adhuc remaneret cauſa, ratione cuius de facto darentur Sacramenta*: manet ergo locus præſenti difficultati, vt quæramus vtra illatum propoſitionum vera eſſet ex vi præſentis decreti.

8. *Sententia Suarez affirmat.* Suarez. P. Suarez *diſp.* 3. dicit, in illo ſtatu, ſi perſeueraſſet, fuiſſe futurum in primis cultum Dei externum, & quidem publicum, & publica auctoritate exhibitum; nam hoc conſentaneum eſt homini, qui de ſe ordinatur ad vitam politicam, & ſocialem, in qua oporteret, quod homines cõgregarentur, & vnirentur in eandem profeſſionem veræ fidei, quod fieri non poſſet ſine publicis actionibus ad id ordinatis. Vnde infert, poſſibilem tunc fore cultum ſacrificij, qui aptiſſimus eſt ad colendum Deum, imò credibile eſſe, quod de facto eſſet ſacrificij vſus in illo fœlici ſtatu. Denique adductis multis congruentiis, exiſtimat futura fuiſſe tunc etiam aliqua Sacramenta, v.g. Euchariſtiæ, & Ordinis, licèt non fuiſſent alia, quæ dicunt ordinem ad peccatum, qualia ſunt Baptiſmus, Pœnitentia, &c. Hæc autem Sacramenta, quæ tunc eſſent, haberent etiam ſuam efficaciam à Chriſto, quem ſupponit, adhuc Adamo non peccante, fuiſſe venturum, quare etiam putat, illa Sacramenta non fore inſtituenda ante Chriſti aduentum, ſed poſt Chriſtum, à quo haberent ſuam efficaciam. Denique addit, in ſententia docente, Chriſtum non venturum, ſi homo non peccaret, probabilius eſſe, quod nulla tunc eſſent Sacramenta; tum quia omnia Sacramenta de facto ordinantur ad ſignificandam gratiam Chriſti; tum etiam quia ſi Incarnatio ipſa, ad quam ponendam eſſent proculdubio plures, & maiores congruentiæ, adhuc non conceditur ponenda, minùs debent concedi ponenda Sacramenta, ad quæ licèt aliquæ ſint, pauciores tamen, & minores ſunt congruentiæ.

9. *Prima concluſio de poſſibili affirmãs, omnibus communis.* Ego in primis pono id, quod omnes admittunt, loquendo ſcilicet de poſſibili, non repugnare, quod in illo etiam ſtatu fuiſſent Sacramenta aliqua, imò non paucas rationes congruentiæ potuiſſe ſuppetere, vt tunc etiam inſtituerentur; quæ deſumi poſſunt partim ex vtilitate rerum ſenſibilium ad ſignificanda myſteria ſpiritualia, partim ex augmento gratiæ ex opere operato, quod ſequeretur ex vſu illorum Sacramentorum; nam ſicut etiam tunc eſſent vtiles imagines, & picturæ Sanctorum ad excitandam eorum memoriam, & effectum erga illos; ſic etiam poſſet Deus vti aliquo ſigno ſenſibili, ad ſignificanda ſua beneficia, & in vſu illius ſigni ſanctificare homines; ſicut enim ad exercitium obedientiæ prohibuit vſum ligni ſcientiæ boni, & mali; ſic poſſet ad eundem effectum præcipere vſum alterius arboris, & in illo vſu hominem ſanctificare, de quo latè Suarez *ſect.* 3. vbi affert alias congruentias.

Dico ſecundò, ſi Adamus non peccaſſet, non fuiſſent vlla Sacramenta ex vi præſentis decreti. Hæc eſt communis Theologorum, vt conſtat ex iis, quos latè recenſet Vaſquea *in præſenti cap.* 2. cuius tamen rationem iam ſupra reiecimus nec etiam probamus hanc concluſionem ex eo, quod hoc decretum habeat pro obiecto hominem lapſum, quare ſi homo non peccaſſet, proculdubio non potuiſſet eſſe hoc idem decretum, ſed debuiſſet eſſe aliud. Hæc, inquam, ratio non eſt ad rem, quia vt in ſimili notauimus ſuprà tom. 1. diſp. 7. ſect. , num. 40. quando quærimus, an Incarnatio, v. g. futura eſſet homine non peccante, non alligatur quæſtio ad hoc numero decretum, ita vt fuiſſet Incarnatio volita eodem omnino decreto; hoc enim repugnat, ſi nunc volita eſt in remedium peccati, ſaltem vt propter motiuum partiale, ſed ſenſus eſt, an ex modo, quo Deus nunc fertur in Incarnationem, arguatur bene, quod etiam ſi deeſſet motiuum peccati, adhuc Deus voluiſſet Incarnationem propter aliud motiuum, quod adhuc remaneret; ſic enim ſi aliquis vult dare librum mihi, & propter preces amici, & ex motiuo miſericordiæ, tanquam propter duo motiua adæquata, colligimus bene ex hoc modo volendi, quod etiam ſi deeſſent preces amici, dediſſet, non quidem hoc eodem decreto, nam hoc decretum reſpicit illa duo motiua. In hoc ergo ſenſu dicimus, in præſenti, Deum de facto ita voluiſſe Sacramenta, vt ex modo, quo ille voluit, non poſſit argui, quod ea vellet hoc, vel alio decreto, ſi deeſſet peccatum primi hominis. Quare negamus, Sacramenta futura ex vi præſentis decreti, hoc eſt, ex hoc decreto non oſtendi, ea tunc fuiſſe futura. 10. *Secunda concluſio negans ex vi præſentis decreti.* *Partialia motiua.*

Concluſio ergo ſic explicata probari poteſt primò, quia de facto Sacramenta omnia volita ſunt à Deo propter Chriſti merita, & propter gloriam Chriſti, quæ ex illis reſultabat; & licèt voluerit etiam illa propter ſalutem noſtram, hanc ipſam tamen ſalutem, & iuſtificationem noſtram voluit propter merita Chriſti; ſuppono autem, homine non peccante, Chriſtum non venturum ex vi præſentis decreti vt ſuprà probauimus dicta diſp. 2. ergo ex vi præſentis decreti nulla etiam fuiſſent Sacramenta. 11. *Ratio prima concluſionis.* *Supponit homine non peccante Chriſtũ non venturum.*

Secundò probatur, quia de facto etiam poſito Chriſto mediatore, & redemptore, adhuc non fuerunt Sacramenta generaliter inſtituta pro omnibus hominibus lapſis; nam Adamus, & Eua poſt lapſum non habuerunt de facto aliquod Sacramentum, quo repararentur, vel quo creſcerent in gratia; ergo ex iis, quæ de facto voluit Deus, non poteſt argui, quod ſi homo non peccaret, inſtituiſſet Sacramenta pro hominibus aliis, qui poſtea fortaſſe laberentur. 12. *Secunda ratio.*

Confirmatur, quia de facto Matrimonium non fuit Sacramentum in illo ſtatu, vt diximus imò nec etiam in tota lege antiqua, ergo non eſt vnde colligamus, quod Sacerdotium, (ſi fortè tunc fuiſſet Sacerdotium & ſacrificium) fuiſſet Sacramentum, non enim eſſet maior ratio de vno, quàm de alio. *Confirmatur.*

Dices, hoc argumentum poſſe retorqueri contra nos; nam de facto Matrimonium non fuit Sacramentum in lege antiqua, & tamen in lege noua incepit eſſe Sacramentum: ergo licèt à principio non fuiſſet Sacramentum in ſtatu innocentiæ, adhuc potuiſſet poſtea inſtitui temporis decurſu. Reſponde- 13. *Inſtantia.* *Diluitur.*

tur in primis, licèt id potuiſſet fieri, non poſſe tamen argui ita futurum ex iis, quæ Deus de facto fecit. deinde eſt ratio elara differentiæ, nam de facto Matrimonium fuit inſtitutum Sacramentum nouum, ſicut & alia plura in lege gratiæ, propter efficaciam meritorum Chriſti, qui iam venerat, & potentiùs influebat in tempus ſubſequens: at verò in ſtatu innocentiæ, cùm non eſſet futurus Chriſtus, vt ſuppono, non apparet, cur Sacramenta ſi futura eſſent, non fuiſſent inſtituta ab initio, illa ſaltem, quorum capax erat Adamus & Eua, quale erat Matrimoniũ.

14. *Inſtantia.* Dices iterũ, potuiſſent inſtitui ſaltem Sacramenta aliqua in illo ſtatu, quæ licèt non afferrent gratiam ſuſcipientibus, ſignificarent tamen gratiam, ſicut in lege antiqua licèt Sacramenta non darent gratiam ſuſcipientibus, erant tamen Sacramenta, & ſignificabant gratiam aliis dandam. *Diluitur.* Reſpondetur, in lege antiqua fuiſſe talia Sacramenta, quia poterant ſaltem ſignificare, & promittere gratiam futuram poſtea per Chriſtum. At verò in ſtatu innocentiæ, in quo non eſſet futurus Chriſtus, quem Sacramenta ſignificarent, & promitterent, non apparet, ad quid debuiſſent inſtitui, niſi ad cauſandam gratiam in ſuſcipientibus, quam tamen Sacramenta legis antiquæ non cauſabant, & ſaltem ex vi præſentis decreti non poteſt colligi, id tunc fuiſſe faciendum.

15. *Inſtantia.* Inſtabit aliquis adhuc, quia ex affectu, quo Deus de facto procurauit ſalutem, & reparationem hominis lapſi, videtur argui, quod etiam Adamo non peccante, & peccantibus aliis multis ex eius poſteris, non derelinqueret eos Deus abſque remedio, ſed daret iis aliquod Sacramentum Pœnitentiæ, vt poſſent reſurgere. *Diluitur primò.* Reſpondetur tamen: Primò ſi argumentum aliquid probat, probaret etiam, quod non peccante Adamo, & peccantibus aliis ex poſteris veniret ſimiliter Chriſtus, vt quæreret homines lapſos: conſequens autem negauimus dicta diſp. 7. ſect. 5. quia de facto Chriſtus venit, vt repararetur genus humanum, quod totaliter fuerat perditum; ſi autem vna pars ſola periiſſet, non fuiſſet idem motiuum; quare ex eo, quod nunc miſerit Deus Chriſtum, non poteſt argui quod tunc etiam mitteret eum. *Secundò.* Secundò addere poſſumus, licèt tunc Deus daret aliquod remedium lapſis, non ſequeretur, quod daret illis aliquod Sacramentum: imo retorquetur argumentum; nam de facto in toto tempore legis antiquæ, hominibus peccantibus, actualiter poſt dimiſſum ſibi originale non erat aliquod remedium Sacramenti, ſed ſola contritio; ergo in illo alio ſtatu in quo non eſſent merita Chriſti venturi, multò minùs debuiſſet inſtitui Sacramentum aliquod in remedium eorum, qui peccaſſent, imo poſſet dubitari, an tunc contritionis remedium ſufficeret; nunc enim poſt peccatũ primi parentis ex meritis Chriſti prouenit, quod Deus acceptet contritionem peccatoris, tanquam diſpoſitionem infallibilem, ad iuſtificationem; ſuppono enim, contritionem non iuſtificare formaliter, ſed eſſe diſpoſitionem ſolùm de congruo, licèt infallibilem ex lege Dei: tunc autem non poſitis, nec ponendis meritis Chriſti, non eſt, vnde ita certè argui poſſet, quod contritio deberet habere eandem vim ad Deum infallibiliter placandum.

16. *Vaſquez. Infertur reſponſio ad dubium, vtrum Adamo non peccante & Chriſto veniente futura eſſent Sacramenta.* Ex dictis infero primò, quid reſpondendum ſit ad illud dubium, an ſi Chriſtus veniret, Adamo non peccante, futura eſſent Sacramenta? Ad quod P. Vaſquez *n.* 25. reſpondet negatiuè, tum quia de facto omnia Sacramenta inſtituta ſunt ex merito paſſionis Chriſti, tunc autem Chriſtus non eſſet venturus in carne paſſibili: tum etiam, quia Sacramenta de facto inſtituta ſunt, in modum medicinæ; tunc autem nulla opus eſſet medicina, ergo ceſſarent motiua præſentis decreti.

Verior tamen videtur pars affirmatiua, pro qua 17. *Affirmatiua. Retorquetur argumentum Vaſquez.* poteſt retorqueri vtrumque argumentum Patris Vaſquez: nam primum, ſi aliquid probat, probaret etiam, tunc nihil prorſus dandum hominibus propter Chriſti merita; quidquid enim iis de facto datur, datur propter merita paſſionis Chriſti: quare non exiſtente illo motiuo paſſionis, nihil daretur propter Chriſtum. Conſequens autem eſt incredibile, vt conſtat; ex affectu enim quo Deus diligit illam humanitatem Verbo vnitam, & ex infinito valore quorumcunque operum Chriſti, arguitur bene, quod tunc etiam manerent principalia motiua, quæ nunc ſunt, vt Deus vellet allicere homines ad Chriſtum, quod non meliùs fieret, quàm ſi Chriſtus eos ſibi beneficiis, & gratiis obligaret: eſſet enim Chriſtus tunc etiam caput hominum, & per conſequens deberet in illos ſpiritualiter influere; haberent etiam eius merita valorem, & condignitatem infinitam, vnde Deus non relinqueret illa abſque præmio: cùm autem Chriſtus ſibi non indigeret præmio, deberet præmiari in aliis hominibus ſibi carnis, & naturæ communicatione coniunctis; ſicut ergo de facto in præmium meritorum Chriſti inſtituta ſunt Sacramenta, quæ afferant gratiam ſuſcipientibus, non eſt, cur tunc id etiam non fieret, cum tunc etiam præmianda eſſent Chriſti merita: & licèt tunc non eſſent omnia motiua, quæ nunc ſunt, ſcilicet paſſio, &c. eſſent tamen æquiualenter, quia illa merita æquiualerent his, cùm haberent etiam valorem infinitum, ſicut hæc habent.

Similiter retorquere poſſumus ſecundum argu- 18. *Argumentum etiam ſecundum retorquetur.* mentum; nam tunc etiam poſſent inſtitui Sacramenta in medicinam pro iis, qui tunc peccarent, & laberentur, qui licèt non omnes eſſent, ſed aliqui, parum refert, nam de facto propter Chriſti merita non ſolùm ſunt inſtituta Sacramenta pro omnibus, qualia ſunt Baptiſmus, Euchariſtia, &c. Sed etiam alia ſunt inſtituta pro aliquibus, qui iis indigebunt, ſcilicet Pœnitentia, Extrema-Vnctio, &c. quæ non ſunt omnibus neceſſaria, vel vtilia; ergo tunc etiam propter Chriſti merita inſtituerentur Sacramenta pro iis, qui peccaſſent, licèt ij non eſſent omnes, ſed aliqui: hæ autem Sacramenta iam fuiſſent per modum medicinæ ſpiritualis, vt conſtat. Addere poſſumus, non fuiſſe vnicum motiuum de facto ad inſtituenda Sacramenta fragilitatem noſtram, & indigentiam medicinæ; fuerunt enim alia: v. g. in Euchariſtia voluit Chriſtus oſtendere abundantiam ſuæ erga homines charitatis, voluit etiam ſe corporali coniunctione cum ſuis coniungere, voluit illis abundantiorem gratiam communicare, non ſolùm vt ſanarentur à peccatis, ſed vt etiam ad perfectam, & excellentem ſanctitatem facilè peruenirent, iuxta illud quod ipſe dixerat, Ioan. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Ergo deficiente etiam illo motiuo indigentiæ medicinæ, maneret adhuc illud aliud, vt homines abundantiùs, & perfectiùs vitam ſpiritualẽ conſequerentur; quare veriſimile ſit, quod veniente Chriſto in illo ſtatu, adhuc inſtitueretur Euchariſtiæ Sacramentum, licèt non eſſet rememoratiuum paſſionis Dominicæ: conſequenter autem credi poteſt, quod daretur Sacramentum Ordinis, quo homines diſponerentur ad digniùs, ſanctiuſque tractandum illud venerabile Sacramentum, quod idem de aliis Sacramentis poſſet exiſtimari propter ſimiles rationes.

Infero ſecundò obiter, quid dicendum ſit ad illud 19. *Infertur reſpõſio ad aliud dubium.* aliud dubium: ſi Chriſtus non eſſet venturus, & perſeueraret ſtatus innocentiæ, quo caſu diximus,

ex

17. *Affirmatiua ... argumentum Vaſquez.*

ex vi præſentis decreti, non fuiſſe futura Sacramenta, an ſcilicet tunc ex vi alterius decreti fuiſſent? Nam licèt non eſſent ex vi huius decreti; poſſumus tamen per probabiles coniecturas ex iis, quæ Deus nunc voluit, coniectari, quid in eo rerum ordine feciſſet Deus. *Pars negatiua ex probabili coniectura colligitur.* Et quidem, ſi ex iis, quæ nunc de facto fecit, coniectandum eſt, dicendum videtur, quod ſi iuxta id quod de facto fecit, tunc eſſet operaturus, nulla institueret Sacramenta, etiam ex vi alterius decreti; ſi enim de facto, præuiſis iam meritis Chriſti venturi, & paſſuri, adhuc in toto tempore legis antiquæ nulla fuerunt Sacramenta, quæ cauſarent gratiam in adultis contra peccata actualia, vt infra videbimus, neque etiam pro illis, qui in peccatō labe-rentur, ſed adulti iuſtificabantur à peccatis ſuis perſonalibus per ſolum remediū pœnitentiæ, & contritionis, nec ipſe Adamus habuit ex meritis Chriſti aliquod Sacramentum, quo iuſtificaretur à ſuo peccato, ſed ſolum idem contritionis remediū, quanto minùs non præuiſis Chriſti meritis dari debuiſſent illa remedia extraordinaria Sacramentorum in ſtatu innocentiæ, pro iis qui tunc peccaſſent? Pro expiatione autem peccati originalis, aut pro infantibus, nullum etiam eſſet tunc neceſſarium Sacramentum, cùm nullum fuiſſet tunc originale peccatum, & infantes omnes naſcerentur in gratia; denique nec eſſent Sacramenta vacua, ſicut fuerunt in lege antiqua, quia hæc de facto ſignificabant gratiam ſaltem futuram poſtea per Chriſtum; tunc autem hoc non haberent, cùm non eſſet futura vlla gratia per Chriſtum: quare ex nullo capite videntur futura tunc Sacramenta, ſi res menſuranda eſſet iuxta id, quod de facto Deus fecit ex præſenti decreto.

18. *Argumentum etiam ſecundum ... quatur.*

20. *Verùm verò contritio tunc eſſet remediū pro lapſis. Maius dubium eſt.* Maius dubium eſſe poſſet, an pro lapſis daretur tunc remedium contritionis, ſicut dabatur in lege antiqua, ita vt contritio infallibiliter afferret peccati veniam? Diximus enim ſuprà, ex vi præſentis decreti non dandum tūc tale remedium, cùm nunc efficacia contritionis ad delendum peccatum orta fuerit ex Chriſti meritis, propter quæ acceptatur à Deo illa noſtra tenuiſſima ſatisfactio pro peccato; quare ſi non eſſent extitura Chriſti merita, non eſſet tale remedium ex vi præſentis decreti. Hinc autem fieri videtur, quod nec ex vi alterius decreti eſſet, ſi Deus operaturus eſſet conformiter ad id, quod de facto obſeruauit; nam de facto ita Deus condonat peccatum homini contrito, vt licèt contritio non ſit ſatisfactio condigna; inueniat tamen Deus ſemper ſatisfactionem condignam, & ſuperabundantem, ſi non ex parte peccatoris, ſaltem ex parte Chriſti, cuius ſatisfactio applicatur pro homine contrito; quare licèt peccatori remittatur gratis debitū peccati, illa tamen remiſſio non fit gratis, ſed pro pretio pluſquam condigno reſpectu Chriſti, atque ideo nunquam remittitur peccatum ſine ſufficienti ſatisfactione: tunc autem nulla eſſet talis ſatisfactio condigna, nec ex parte ipſius peccatoris, vt conſtat, nec ex parte alterius, cum non eſſet futurus Chriſtus; ergo vel remitteretur peccatum abſque ſatisfactione condigna, quod non eſt conforme ad id, quod de facto Deus facit, vel non remitteretur peccatum, etiam poſita contritione. Aliunde tamen videtur conſonum naturæ humanæ, vt poſt peccatum non maneret adhuc in hac vita, & abſque ſpe veniæ; poſſet enim augere demeritum nouis peccatis, & non poſſet augere meritum, cùm non poſſet gratiam recuperare; hoc autem non videtur conſonum ſtatui viatoris; quare cùm Deus hanc vitam voluerit eſſe ſpatium viæ humanæ, conſonum videtur, vt vellet dare aliquod remedium, vel ſpem veniæ veris pœnitentibus.

19. *... ad aliud ...*

21. Cæterùm hæc ratio multum probat; probaret enim ex vi præſentis decreti debuiſſe tunc etiam contritionem eſſe remedium infallibile ad iuſtificationem; ſi enim Deus abſolutè voluit non dari ſpatium viæ, quod non ſit æquè aptum ad merendum, ac ad demerendum, & voluit etiam tempus huius vitæ eſſe ſpatium viæ, debuiſſet tunc ex vi præſentis decreti vel tollere ſtatim de medio eum, qui peccaret, vel dare illi ſpem reparationis, ſi ageret pœnitentiam. Quare ad hanc rationem reſponderi poſſet, de facto prouenire ex meritis Chriſti, quod ſpatium huius vitæ ſit ſemper aptum ad merendum, ſicut ad demerendum: ſecluſo autem beneficio Dei per Chriſtum, non eſſet mirum quod homo maneret in ſtatu viæ, & non poſſet mereri de condigno, licèt adhuc poſſet demereri; nam de facto Angeli, quorum via non fuit alligata ad vnicum inſtans iuxta veriorem ſententiam, ſed correſpondens alicui morulæ noſtri temporis; adhuc qui peccauerunt initio illius morulæ, remanſerunt viatores per totam morulam, intra quam tamen nemo illorum pœnitentiam egit, nec iuxta communem ſententiam potuit ſaltem potentia morali agere pœnitentiam; non ergo eſt contra ſtatum viæ, quod non poſſit viteriùs mereri; ſatis eſt, quod potuerit, licèt tam ex ſua culpa non poſſit, imò de facto contingit, hominem aliquem iamiam moriturum non poſſe mereri, quia eſt in peccato, & nihil cogitat de motiuis pœnitentiæ, & tamen pro illo breuiſſimo tempore poteſt tunc adhuc peccare, ſi cogitat actu de obiecto prohibito, quod poteſt liberè velle, aut nolle. Ecce hic homo adhuc eſt in via, & poteſt peccare, non poteſt tamen iam conuerti, aut mereri, propter inconſiderantiam, quam iam habet motiuorum pœnitentiæ. Sic ergo in illo ſtatu poſſet homo manere adhuc in ſtatu viæ ſine ſpe veniæ, quam tamen carentiam ſpei, & impotētiam merendi ipſe ſua culpa incurriſſet. Sed licèt non poſſet mereri, poſſet tamen, ſi vellet, non demereri de nouo, nec augere ſibi pœnam noſtris peccatis. Itaque, ſi ex iis, quæ Deus fecit, coniectura ſumenda eſſet, magis coniectaremur, contritionem tunc non futuram, fuiſſe remedium infallibile ad iuſtificationem; licèt nec hoc ipſum affirmandum eſſet, vt certum, quia bonitas, & miſericordia Dei erga homines, maximè erga pœnitentes, aliunde ſuadet non leuiter, Deum tunc aliquod remedium pœnitentibus fuiſſe conceſſurum, quare in hoc puncto, nihil poſſumus aſſerere, ſed id totum diuinæ Sapientiæ relinquere. *In hoc puncto nihil aſſeritur.*

SECTIO II.

Vtrùm in lege naturæ, & ſcripta fuerint Sacramenta.

PEr ſtatum legis naturæ intelligimus ſtatum ab Adami peccato vſque ad legem ſcriptam datam per Moyſen: quia tamen de Circumciſione eſt ſpecialis difficultas, an fuerit Sacramentum conferens gratiam, quæ poſtea examinanda eſt; ideo pro nunc Circūciſionem etiam ad legem ſcriptam reiicimus; nam licèt in Abrahamo inceperit, in lege tamen cōfirmata videtur, & propria erat illius populi Iſraëlitici, cui lex data fuit, atque ideo videtur comprehendi ſub Sacramentis legis antiquæ, de quibus poſtea ſermo erit. Loquendo itaque de ſtatu legis naturæ in hac conſideratione, potiſſimum dubium eſt circa remedium illud, quo infantes liberabantur ab originali, an fuerit verum Sacramentum? Poſtea facilius erit de aliis Sacramentis decernere. 22. *Quid per ſtatum legis naturæ intelligatur.*

Primò ergo dubitatur, an fuerit in illo ſtatu remedium 23.

medium aliquod pro paruulis decedentibus ante vſum rationis? Nonnulli enim, quos tacitè refert Vaſquez infra *q.70.diſp.165.n.1.* ſentiunt, eos paruulos omni remedio caruiſſe, ſicut nunc carent ij, qui moriuntur in vtero, vel qui nati non habent occaſionem Baptiſmi ſuſcipiendi. Communis tamen & vera ſententia, nemine ferè diſſentiente, concedit, illos habuiſſe remedium aliquod ex diuina ordinatione. Videatur Vaſquez vbi ſuprà, & Suarez *in præſenti diſp.4.ſect.1.*

Vaſquez.

Vera & communis ſententia affirmat.

24\. Probatur primò ex Auguſtino *lib.2. de nuptiis, & concupiſcentia, c.11.* & clarius *lib 5. contra Iulianum Pelagianum, c.11. poſt medium*, vbi ſic ait: *Nec ideo tamen credendum eſt, & ante datam Circumciſionem famulos Dei, quandoquidem in eis erat mediatrix fides in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuiſſe paruulis ſuis, quamuis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latêre voluerit.* Idem habet Greg. *lib.4. moral. c.2.* Beda *lib.1. in Lucam, c.8. & homil. de Circumciſione Domini inter homilias hyemales de Sanctis, tom.7.* Bernard *epiſt 77.* & Hugo de S. Victore *lib.1. de Sacram. p.11 c.6 & p.12. c.2. poſt medium*: quorum verba vide apud Auctores citatos.

Auguſt. *Gregor.* *Beda.* *Bernard.* *Hugo.*

25\. Secundò probatur ratione generali deſumpta ex Innocentio III. in cap. *Maiores*, de Baptiſmo, vbi de remedio paruulorum loquens, quod per Baptiſmum, vel Circumciſionem collatum eſt, ſubdit: *Abſit enim, vt vniuerſi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauerit ad ſalutem.* Quæ ratio, cùm vniuerſalis ſit, eodem modo probat, remedium aliquod datum fuiſſe pro illo ſtatu legis naturæ: Deus enim omnium ſalutem vult; quare ſaltem in genere, & per ſe loquendo aliquod remedium omnibus debuit prouidere. Denique, ſi in lege Moyſis pro maſculis paruulis erat remedium Circumciſionis contra originale peccatum, non eſt credibile fœminas, quæ circumcidi non poterant, caruiſſe aliquo remedio; ergo fatendum eſt, illis potuiſſe adhuc applicari remedium legis naturæ. An verò Circumciſio habuerit vim contra originale, poſtea examinabimus.

Ratio concluſionis. *Innoc. III.*

26\. Dices; nunc etiam relicti ſunt abſque vllo remedio ij omnes, qui moriuntur in vtero. Reſpondetur, in primis hos eſſe paucos, ſi cum iis conferantur, qui moriuntur poſtea in infantia. Adde, iis etiam fortaſſe prouidiſſe Deum, qui paratus erat eos in lucem hanc edere, ſi parentes aliquibus Inſpirationibus internis ſe gubernari permiſiſſent: de quo in materia de prædeſtinatione, & licèt iis etiam, qui nati moriuntur, potuiſſet its prouidere dando ſolùm parentibus cogitationes in ordine ad aliquid faciendum, quód ſi fieret, filij perueniſſent ad ætatem adultam; adhuc tamen hæc prouidentia ita remota non videtur pro iis ſufficiens, quia pro neceſſitate ordinaria requiritur prouidentia, & remedium magis ordinarium; quare licèt pro iis, qui extraordinariè moriuntur in vtero, ſufficiat illa prouidentia extraordinaria; pro iis tamen, qui penè innumeri quotidie moriuntur in infantia, requirebatur remedium commune, & ordinarium.

Inſtantia Diluitur.

27\. Hoc ergo ſuppoſito, dubitatur ſecundò, an pro remedio paruulorum ſufficeret ſola interna fides parentum, an exigeretur aliqua actio externa? Plures dicunt, ſolam fidem internam fuiſſe ſatis abſque vllo actu externo. Hos refert latè, & ſequitur Vaſq. *d.diſp.165.c.3.* & videtur S. Thomæ *in 4.d.1.q.2.art 6. q.2.* Et probatur ex modo loquendi Patrum, qui ſoli fidei maiorum tribuunt iuſtificationem infantium in lege naturæ. Sic enim videntur loqui Gregorius, Beda, Bernard. locis ſupra citatis.

Dubitatur, an pro tali remedio ſufficeret fides parentum interna. Aliqui affirmant. *S. Thom.* *Vaſquez.*

28\. Contraria ſententia communis videtur, & verior, quam docent communiter Scholaſtici, quos congerit, & ſequitur Suarez *ſect.2.* eandem ſequitur P. Coninch. *hoc art.3. dub. vnico*, & videtur eſſe clara S. Thomæ in præſenti, vbi vniuerſaliter docet, debuiſſe poſt peccatum eſſe ſigna aliqua viſibilia, quibus homo fidem ſuam proteſtaretur de futuro Saluatoris aduentu, quæ ſigna dicuntur Sacramenta, quia poſt peccatum nullus ſanctificari poteſt, niſi per Chriſtum, quæ ratio clarè probat, infantes illos debuiſſe iuſtificari per ſignum viſibile proteſtatiuum Chriſti. Quare non immeritò exiſtimatur mutaſſe, vel limitaſſe, quod dixerat in 4 ſententiarum. Solùm videtur obſtare, quod infra *q.70. art.4. ad ſecundum*, dicit, *quod ante Circumciſionem, non requirebatur aliquod ſignum proteſtatiuum huius fidei, quia nondum homines fideles ſeorſum ab infidelibus cœperant adunari ad cultum vnius Dei.* Cæterùm ibi poteſt intelligi, quod ſolum excludat ſignum aliquod determinatum, & myſticum, non verò ſignum aliquod ſimplex, & indeterminatum; hoc enim videtur comprehendi nomine ipſius fidei, & ipſe S. Doctor ſtatim ſubiungit: *Probabile tamen eſt, quod parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo exiſtentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam ſignaculum fidei.* Quo etiam modo intelliguntur Patres illi, qui dicunt, tunc ſola fide pueros fuiſſe iuſtificatos: non enim excludunt fidem exteriùs manifeſtatam, ſed excludunt aliud quodcunque ſignum, vt Sacrificium, Circumciſionem, &c. nam ſicut infidelitas, vel hæreſis ſimpliciter non accipitur, niſi pro infidelitate, vel hæreſi exteriùs manifeſtata; ſic fides non excludit, ſed potius includit eius manifeſtationem externam: Iuſtificabantur ergo pueri ſola fide Mediatoris; ſed tamen fide quæ eſſet facta fides illorum per aliquam externam actionem; ſicut enim percuſſi olim à ſerpentibus ſanari non poterant, niſi aſpicerent in ſerpentem æneum à Moyſe exaltatum; ſic exaltatio potuit Chriſtum, *vt omnis qui credit in ipſum* (hoc eſt, aſpicere in illum) *non pereat.* Pueri ergo, qui ſeipſis oculos non poterant leuare ad ſerpentem, hoc eſt, ad Chriſtum venturum Mediatorem, neceſſe habebant aliorum manibus deferri, & hoc faciebant parentes, dum filios ad Chriſtum dirigebant, & eorum nomine credebant Chriſtum venturum, quæ tamen debebat eſſe actio externa, vt aliquo modo cenſeretur eſſe actio Filij; nam inter homines voluntas merè interna non obligat vnum alteri, nec facit quod actio vnius cenſeatur prodeſſe, vel obeſſe alteri.

Verior ſententia negat. *Suarez.* *Coninch.* *Ratio D. Th.* *Explicatur locus D. Th.* *Pueri iuſtificabantur fide Mediatoris facta illorum per aliquam externã actionem.*

29\. Confirmari autem poteſt rurſus hic ſenſus ex verbis Auguſtini ſuprà adductis, vbi non ſolum dicit remedium illud fuiſſe verum Sacramentum, ſed addit, *quid illud fuerit, aliqua neceſſaria cauſa Scripturam latêre voluiſſe.* Supponit ergo, fuiſſe aliquem actum externum; nam internus non latet, ſi quidem compertum eſt fuiſſe actum fidei circa Mediatorem venturum, ſed quia non erat ſine actu externo, de quo neſcimus, qualis fuerit, ideo dicit Auguſtinus, aliqua de cauſa illud Sacramentum latuiſſe.

Confirmatur ex verbis Auguſtini.

30\. Rationes item pro hac ſententia plures congerit Suarez. Primò, quia per hoc remedium paruuli initiabantur, ſeu conſecrabantur Deo. Secundò, quia ad ſalutem requiritur & fides, & profeſſio fidei. Tertiò, quia aggregabantur Eccleſiæ viſibili; ergo per ſignum aliquod viſibile, vt poſſet conſtare. Quartò, quia coniungebantur Chriſto vt capiti; Chriſtus autem futurus erat caput viſibile Eccleſiæ. Quintò, quia peccatum originale communicatur per actionem ſenſibilem; ergo & remedium ita debebat communicari.

Prima ratio. *Secunda ratio.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

Sexta. communicari. Sextò, quia hic eſt modus proportionatus, quod homo communicat ſuam fidem alteri *Optima ratio.* per actionem humanam, & externam. Me maximè mouet, quod ſi ſufficeret fides interna, non video cur non poſſet illud remedium applicari paruulis abſentibus, cùm actio interna non indigeat propinquitate ſui obiecti, vt feratur in illud, vnde poſſet vnus homo quotidiè applicare ſuam fidem omnibus paruulis totius orbis, & eos omnes iuſtificare, quia, vt poſtea videbimus, non ſoli parentes hoc remedium poterant validè adhibere, ſaltem in caſu neceſſitatis; quare potuiſſet quilibet applicare ſuam fidem pro omnibus paruulis exiſtentibus in caſu neceſſitatis, & illos omnes liberare ab originali, ita vt nullus vnquam periret ex defectu remedij, imo nec video cur non poſſet prodeſſe exiſtentibus in vtero, nam ſicut diſtantia, vel interpoſitio parietis non impediret efficaciam illius remedij merè intentionalis; ſic nec interpoſitiu vteri materni. Hæc autem omnia videntur manifeſta abſurda, nec ab Auctoribus contrariæ ſententiæ conceduntur.

31\. *Præcluditur inſtantia.* Nec ſatisfacit dicere, quod puer dum eſt in vtero non cenſetur habere perſonam diſtinctam à matre quoad humanam cognitionem, hoc enim ſolum referret in ordine ad actiones phyſicas, & ſenſibiles, non verò in ordine ad intentionales, quare ſicut poteſt aliquis orare pro puero, dum eſt in vtero, & pro illo ieiunare, ac alia opera pietatis applicare, ſic poſſet pro illo applicare ſuam fidem, niſi exigeretur alia actio requirens præſentiam ſenſibilem; ideo enim nunc non poteſt baptizari, quia impedit obſtaculum vteri illam actionem ſenſibilem, quod impedimentum ad fidei applicationem parum referret.

32\. *Vaſquez. Ratio Vaſquez pro contraria ſententia reiicitur.* P. Vaſquez mouetur potiſſimè ad negandam neceſſitatem actionis externæ, vt ipſe fatetur *num* 15. eo quod alibi negauerat Circumciſionem fuiſſe cauſam gratiæ etiam paruulis, vnde conſequenter debebat negare omne aliud Sacramentum ſenſibile ad hunc effectum. Ego tamen, licèt exiſtimem, illam ſententiam, quod attinet ad Circumciſionem, ſatis probabilem, vt poſtea videbimus, non ideo tamen cenſeo de remedio legis naturæ idem eſſe dicendũ; quia teſtimonia Scripturæ, & Conciliorum, vt ibi videbimus, loquuntur ſolùm de Circumciſione, vel ad ſummum de Sacramentis legis antiquæ, quæ dicunt fuiſſe vacua, & inefficacia; hoc autem de quo nunc loquimur, non pertinebat ad legem illam, ſed ad ſtatum legis naturæ. Quare non eſt inconueniens concedere fuiſſe verum Sacramentum, (hoc enim nomine appellatur ab Auguſt. & aliis, vt vidimus) & cauſatiuum gratiæ. Hoc tamen libenter con-*Diſparitas adultorum & puerorum.* cedam, ſcilicet fuiſſe ſolum pro paruulis, qui non poterant alio modo iuſtificari, non pro adultis, qui poterant per dilectionem Dei, vel per contritionem iuſtificari, cùm enim in illo ſtatu ſolùm videatur prouiſum in neceſſariis, non eſt cur illud remedium fuerit inſtitutum pro adultis, quibus non erat neceſſarium, cùm alia via poſſent ſibi conſulere: Quare ſicut nec pro lapſis dabatur Sacramentum Pœnitentiæ, ſed ſolum remedium contritionis; idem videtur dicendum quoad primam iuſtificationem, non fuiſſe aliquod Sacramentum pro illis, ſed ſolam dilectionem, vel contritionem. Quod enim S. Thom. *in* 4.*d*.1.*q*.1.*art*.2. dicit in illo ſtatu fuiſſe ſacramentum Pœnitentiæ, intelligendum eſt, latè accepto nomine Sacramenti, nam ibi etiam dicit, fuiſſe tunc Sacramentum Matrimonij, cùm tamen certum ſit, Matrimonium ante legem gratiæ non fuiſſe verum Sacramentum. Cæterùm quia adulti, qui ab infidelitate conuertebantur, aggregabant ſe Eccleſiæ, oportebat ſaltem ex præcepto, quod vterentur aliquo ſigno externo, quo ſuam fidem proteſtarentur, & vt conſtare poſſet Eccleſiæ de ipſorum reductione.

Durandus *in* 4.*d*.1.*q*.8. negat illud ſignum ſenſibile fuiſſe Sacramentum verum, quia non erat determinatè inſtitutum à Deo, ſed ſolùm in genere, vt fieret aliquod ſignum exterius proteſtatiuum, & manifeſtatiuum, quodcunque illud eſſet. Hæc tamen ſententia communiter reiicitur & meritò, quia ad rationem Sacramenti parum refert, quod inſtitutio ſit circa aliquod ſignum determinatum, vel circa disiunctum ex multis. Sic enim ſuprà vidimus, Sacramentum Ordinis non habere ex inſtitutione Chriſti omnino determinatam materiam, ſed hanc, vel illam, dummodo ſit apta ad ſignificandam traditionem poteſtatis, &c. Et quidem ſatis veriſimile eſt, non fuiſſe in illo ſtatu determinatum à Deo aliquod ſignum exterius, ſed hoc fuiſſe relictum arbitrio ſingulorum, vt latè probat Suarez *ſect*.3. Vnde forraſſe emanauit vſus in nationes gentium aliquod ſignum religioſum exhibendi circa infantes ad eorum ſanctificationem: ſic enim refert Feſtus, Romanis morem fuiſſe octauo die maribus, & nono fœmininis nomen imponendi cum luſtratione, & emundatione, quem diem luſtricum appellabant; Athenienſes etiam, teſte Suida, decima nocte ſolebant inuitare cognatos, & notos ad epulas, vt adeſſent ſacrificiis, quæ Deo offerebant pro infante; & tunc etiam nomen illi imponebant: quod de aliis etiam gentibus facilè poſſet obſeruari. Vnde credibile eſt, aliquod veſtigium apud illas manſiſſe illius primæ inſtitutionis qua ex diuina ordinatione infantes aliqua externa actione purgabantur, & dicabantur Deo, per fidem vtiius mediatoris. 33. *Durand. Durandus negat fuiſſe Sacramentum verum. Reiicitur.*

Dices, etiam in noſtra ſententia videri iam concedi, faciliorem fuiſſe tunc viam ſalutis paruulis in lege naturæ, quàm ſit nunc in lege gratiæ, nunc enim determinatur materia, & forma Sacramenti neceſſarij, ſcilicet aqua cum talibus verbis, tunc autem quælibet verba ſufficerent ad ſaluandum puerum abſque alia materia. Reſpondetur negando ſequelam, quia tunc requirebatur neceſſariò ad valorem remedij fides explicita Chriſti venturi, cuius proteſtatio exterior fieret; quæ fides Chriſti difficilior tunc erat, quàm nunc ſit aqua, & talia verba, tum propter tarditatem hominum, & obſcuritatem myſterij, tum propter ignorantiam, quæ apud plures latè graſſabatur, tum denique, quia actus fidei ſecundùm ſe difficilior eſt, quàm actio baptizandi, quæ etiam ſi fiat abſque vlla fide, dum tamen adſit intentio faciendi quod facit Eccleſia, erit Baptiſmus validus, & ſufficiens remedium. 34. *Inſtantia. Diluitur.*

Dubitatur tertio, an hæc fides, vel hæc actio externa deberet exhiberi à ſolis parentibus infantis, an poſſet validè à quocunque alio applicari? P. Suarez *in præſenti ſect*. 5. *paulò poſt principium*, vniuerſaliter docet id debuiſſe fieri per parentes, ſeu per illos, quibus puerorum cura incumberet, quia puer, qui propriam voluntatem non habebat, regi debet in his, quæ ad animam ſpectant voluntate parentis. Addit verò Suarez, ita nos videre ſeruatum in aliis remediis paruulorum à Deo inſtitutis in lege veteri, & noua, de quibus magis nobis conſtat. In quibus verbis videtur indicare, ſe non loqui de neceſſitate ad valorem Sacramenti, ſed ſolùm præcepti vel Ordinis debiti: nam de Circumciſione, & Baptiſmo non eſt dubium, quod haberent valorem, licet ab extraneis etiam inuitis parentibus adhiberentur. Alexander 4.*part*. *quæſt*.1.*memb*.3.§. *ſi autem quæratur*, dicit, hoc primariò debuiſſe fieri à parentibus, & propinquis; in eorum tamen defectum, & vrgente neceſſitate, potuiſſe fieri per alios. P. Vaſquez 35. *Dubitatur à quo hæc actio externa deberet exhiberi. Suarez exiſtimat à parentibus. Alexand. Vaſquez.*

dicta

dicta diſp.163.n.246. dicit, indiſcriminatim ad omnes pertinuiſſe illud remedium cum maiori latitudine, quàm nunc pertineat Baptiſmus, quia hic extra neceſſitatem non poteſt dari niſi à Sacerdote: illud verò remedium quovis tempore, & à quolibet poterat paruulis adhiberi.

36. Diſtinguendum exiſtimo, aut enim ſermo eſt de actione valida, aut de licita. Si de valore loquamur, puto validam fuiſſe à quocumque fieret, non enim video, quod, aut quale diſcrimen poſſit afferri inter Baptiſmum, & illud remedium: cùm autem Baptiſmus à quocumque conferatur infanti, etiam inuitis parentibus, validus ſit, vt ſuppono, non eſt, cur illud remedium legis naturæ, quòd minùs ſolemne erat, & magis iuxta ipſa principia naturæ, non eſſet validum etiam ab extraneo, & extra periculum collatum. Si verò quæratur, an licitè fieret à quocũque, exiſtimo, ſicut Baptiſmus nunc conferri non poteſt paruulis infidelium filiis parentibus inuitis, ſic nec remedium illud potuiſſe infidelium filiis paruulis adhiberi extra caſum neceſſitatis, niſi conſentientibus parentibus: ratio enim, quæ reddit illicitam collationem Baptiſmi nunc, redderet illicitum illud remedium: ratio autem in Baptiſmo, eſt, quod deberet paruulus baptizatus extrahi à cura, & poteſtate paterna, vel relinqui cum manifeſto periculo peruerſionis, & irreuerentia veræ religionis, quam per Baptiſmum ſuſcepit, & quam poſtea certiſſimè negaret. Hæc verò ratio etiam tunc procederet, nam per illud remedium paruulus ſuſcepiſſet veram religionem & fidem Chriſti venturi, per cuius profeſſionem fuiſſet iuſtificatus: poſtea verò cum iniuria eiuſdem fidei eam relinqueret manens ſub patris poteſtate, vel extrahendus eſſet à cura paterna patre inuito; non ergo poſſet tunc magis eſſe licitum illud remedium, quàm nunc ſit Baptiſmus: cùm non eſſet minùs malum, aut minor irreuerentia deſerere fidem Chriſti venturi, & ſemel ſuſceptam, quàm fidem Chriſti iam nati: vtraque enim eſt fides Chriſti, ac religio vera, & Catholica.

Reſpondemus validè ab omnibus, non tamen licitè.

37. Dices, illud remedium nihil aliud erat niſi offerre paruulum Deo; hic autem actus, cùm ex ſe ſit honeſtus, ac religioſus, non apparet, cur non poſſet licitè, & ſanctè à quolibet exerceri. Reſponderi poteſt primò, licèt ille actus ex ſe potuiſſet exerceri licitè, & laudabiliter à quovis, dum non eſſet eleuatus ad rationem Sacramenti, poſtquam tamen eleuatus eſſet à Deo, vt eſſet Sacramentum, non mirum, quod non potuiſſet licitè à quolibet vſurpari; ſicut Matrimonium antequam eſſet Sacramentum, poterat à peccatore licitè, & laudabiliter celebrari; poſtquam verò eſt Sacramentum, non poteſt iam licitè celebrari, niſi ab eo qui priùs ſe reduxerit ad ſtatum gratiæ, per contritionem, aut per Sacramentum Pœnitentiæ. Reſpondeo ſecundò, illam actionem potuiſſe licitè, & laudabiliter exerceri à quolibet, ſi non fieret intentione adhibendi eam tanquam Sacramentalem, ſed ſolùm vt actionem quandam piam, & impetratoriam; ſic eadem actio vngendi infirmum oleo Sancto, & orandi pro illo, poteſt fieri animo miniſtrandi Sacramentum Vnctionis à Chriſto inſtitutum, & tunc non poteſt fieri licitè, niſi à proprio Parocho, & cum talibus circumſtantiis, &c. Poteſt autem eadem actio, & oratio adhiberi, non animo faciendi Sacramentum, ſed deuotionis cauſa; ſicut ſolent etiam ægroti vngi oleo lampadis alicuius Sancti cum oratione; & tunc non eſſet Sacramentum, & poſſet fieri à quolibet etiam Sacerdote abſque licentia Parochi, prout factum, & vſitatum eſſe à multis vngere ægrotos oleo eodem Sacramenti, ſed non Sacramentaliter, legimus in eorum hiſtoriis, quas latè recenſet Petrus Archudius de Sacramentis Græcorum, *in tract. de Extrema-Vnctione, cap. 4.*

Inſtantia.

Diluitur primò.

Secundò.

Archalius.

38. Dubitatur quartò, an fides illa, cuius proteſtatio fiebat ſuper paruulos, debuerit eſſe formata charitate, ſeu hominis iuſti, an verò ſatis fuerit fides informis, ſeu hominis peccatoris? P. Vaſquez vbi ſuprà *cap. 4.* dicit, in primis non fuiſſe ſatis fidem habitualem, ſed actualem, deinde exiſtimat probabile ſatis, quod non requireretur fides formata, ſed ſufficeret informis; addit tamen, oppoſitum eſſe magis conſentaneum Auguſtino, qui videtur exigere fidem formatam, dum hoc ſolùm de famulis Dei aſſerit, de quibus, inquit, credendum non eſt, nullo Sacramento opitulatos fuiſſe paruulis ſuis. Deinde *num. 18.* dicit, ſi ſufficiebat fides informis, illam quidem fuiſſe meritum de congruo ad iuſtificationem paruuli, quia opera etiam peccatoris poſſunt eſſe meritoria de congruo. Denique *n. 39.* licèt amplectatur ſententiam communem dicentem, remedium illud ex certa lege, & promiſſione Dei profuiſſe omnibus paruulis, quibus applicabatur, ad tamen dicit ex Patribus colligi non poſſe qui potiùs indicant, illud remedium non habuiſſe certum, & infallibilem effectum, ſed dependens adhuc ex libertate, & miſericordia Dei, qui nulla promiſſione tenebatur ſemper concurrere ad paruuli iuſtificationem, pro quo applicabatur.

Dubitatur quartò, an fides illa debuerit informari charitate.

Vaſquez.

Vaſquez requirit fidem actualem, & probabiliter informatam.

39. P. Suarez *infrà diſp. 10. ſect. 1.* cum aliis, quos affert per oppoſitum extremum dicit, non ſolùm non debuiſſe dari fidem formatam in miniſtro applicante illud Sacramentum, ſed nec fidem etiam; fuiſſet enim ſatis intentio faciendi id, quod à Deo fuerat inſtitutum, & quod faciebat vera Eccleſia ad iuſtificandos paruulos, qua intentione poſita illud Sacramentum, ſiue poneretur à peccatore, ſiue à iuſto, ſiue ab infideli, ſiue à fideli, ſemper, & infallibiliter haberet ſuum effectum.

P. Suarez.

Suarez de omni fide negat dum adeſſet intentio.

40. Inter has ſententias media via nobis incedendũ eſt: & quamvis non poſſimus in re adeo obſcura aliquid certi aſſerere; poſſumus tamen id, quod veriſimilius eſt aliquibus conjecturis inueſtigare. Dico ergo primò, non fuiſſe ſatis intentionem illam generalem faciendi, quod faciebat vera Eccleſia, niſi adeſſet vera fides actualis. Hæc videtur eſſe de mente Patrum, & Theologorũ, qui dum de remedio paruulorum in illo ſtatu loquuntur, ſemper recurrunt, vel ad fidem ſolam adultorum de Chriſto venturo, vel ad fidem cum alio actu externo illam proteſtante: ſic enim Auguſt. *lib. 2. de nuptiis, & concupiſcentiis, c. 11.* dicit, per fidem Chriſti iuſtificatos illos paruulos: *Sed ſuperioribus* (inquit) *temporibus omnino latuit Sacramentum iuſtificationis ex fide, eadem tamen fides mediatoris ſaluos iuſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis,* &c. Gregorius item *lib. 4. moral. cap. 1. verſ. 2 Quod verò* (inquit) *apud nos valet aqua Baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij,* &c. Bernardus *epiſt. 77. Adultos quidem fide, & ſacrificiis credimus expiatos, paruulis autem etiã ſolam fidem profuiſſe, imò ſuffeciſſe credimus.* Hugo de S. Victore *lib. 1. de Sacram. p. 12. c. 2. Porrò fœmina* (inquit) *in populo Circũciſionis ſola fide ſaluabantur,* &c. S. Thom. *infra, q. 70. art. 3 ad ſecundum ſic ait: Ad ſecundum dicendum, quod ſicut ante inſtitutionem Circumciſionis ſola fides Chriſti futuri iuſtificabat, tam pueros, quam adultos,* &c. Quem modum loquendi obſeruauerunt cæteri Theologi, qui omnes videntur exigere fidem, imò fidem vnius mediatoris ad hoc, vt paruuli iuſtificarentur.

Primò oſtenditur requiri fidem actualem.

Probatur ex Patribus.

Auguſt.

Gregor.

Bernard.

Hugo.

41. Ratione item probari poteſt, quia ſi ſola illa intẽtio generalis abſque vlla fide, vel credulitate ſufficeret,

Ratione probatur quia aliàs illud remediũ fuiſſet facilius Baptiſmo.

ſiceret, certè multò liberaliorem ſe Deus exhibuiſſet cum paruulis illius temporis, quàm cum noſtris in lege gratiæ, nam tunc nulla cæremonia externa determinatè requirebatur, vt ſupra diximus ex ſententia P. Suarez, ſed ſufficiebat quælibet actio externa pro arbitrio ſingulorum. Faciliùs ergo erat quemlibet etiam infidelem, & Barbarum, qui vel audiſſet, vel ſuſpicaretur apud aliquam gentem dari modum ſanctificandi paruulos, cum hac intentione aliquid agere circa ſuos paruulos, ſiue benedicendo ſiue elenando, &c. Quàm nunc ſit habere notitiam Baptiſmi, & ſcire bene ritum, quo debeat adminiſtrari, prætérquam quod aliquando accidit, quod defectu aquæ, vel opportunitatis eam infundendi, moriantur plures ſine Baptiſmo etiam in præſentia fidelium, qui eos vellent baptizare. Non eſt autem credibile, temporé illo, quo ea ſolùm quæ neceſſaria erant, data intelliguntur, adeo illimitatum fuiſſe & facile remedium paruulorum: & aliunde magis expediens videbatur ad afficiendos homines erga Mediatorem venturũ, & ad conſeruandam eius fidẽ, & ſpem, vt in ipſo Sacramento paruulorũ interueniret fides Chriſti, cuius proteſtatio fieret aliqua actione externa.

42. *Obiectio prima petita ex Circumciſione.* Obiicies primò ex Suarez vbi ſupra, Auguſt. *lib. 1. contra Creſconium c. 31.* vbi æquiparat Circumciſionem cum Baptiſmo, in hoc, quod ſicut Circumciſio data etiam à Miniſtro infideli reiteranda non erat (quod idem dici deberet de ſacramento legis naturæ) ſic nec Baptiſmus datus ab Hæretico. *Reſponſio.* Reſpondetur Circumciſionem non fore reiterandam, quia nec poſſet phyſicè, vt ibi loquitur Auguſtinus, nec expediret, & hoc etiam ſi abſque debita intentione data fuiſſet: nam ille paruulus iam impleuerat legem Circumciſionis, ad iuſtificationem verò eius oporteret adhibere remedium legis naturæ, ſcilicet fidem cum proteſtatione externa. De hoc autem ipſo remedio non dicit Auguſtinus, non fuiſſe reiterandum, quando ab infideli fuiſſet exhibitum.

43. *Obiectio ſecunda petita ex Baptiſmo.* Obiicies ſecundo exemplum Baptiſmi, qui etiam ab infideli datus habet effectum; ergo idem debemus dicere de illo remedio in lege naturæ. *Reſponſio.* Reſpondetur negando conſequentiam, quia Baptiſmus à quocunque detur, datur tanquam à miniſtro Chriſti, & eſt actio Chriſti: quare non mirum, quod ſemper habeat efficaciam: illud autem remedium non eſſet à Chriſto, ſed fides in Chriſtum. Si ergo non eſſet fides in Chriſtum, non acceptaretur ad iuſtificationem paruuli.

44. *Obiectio tertia ex Patribus. Iuſtinus Martyr. Auguſt.* Obiicies tertiò ex eodem ibi, quia ſicut Patres dicunt paruulos tunc iuſtificatos fuiſſe fide parentum, ſic idem dicunt de paruulis in lege gratiæ: ſic enim loquitur Iuſtinus Martyr *quæſt. 56. ad Orthod.* & Auguſtin. *lib. 1. de peccat. merit. cap. 1. & libro de vera & falſa pœnitentia, cap. 2. & Epiſt. 23 & 107.* ergo ſicut hoc intelligendum eſt de fide obiectiua cum exteriori eius profeſſione, non de propria, & interna fide miniſtri, vel parentis, ſic etiam illud prius erat intelligendum.

Reſponſio. Reſpondetur, Patres non dicere vnquam, quod noſtri paruuli iuſtificentur nunc fide ſuorum parentum, & in primis Iuſtinus *ille quæſt. 65.* ad quæſtionem propoſitam de differentia inter paruulos morientes cum Baptiſmo, aut ſine Baptiſmo, cum neutri quidquam operati eſſent. Reſpondet his verbis: *Eorum qui baptizati ſunt, & eorum, qui non ſunt, hæc diſſimilitudo eſt, quod ij, qui baptizati ſunt, bona ea, quæ Baptiſmus affert, conſequuntur: qui autem minùs baptizati ſunt, non conſequuntur. Digni autem habentur iis bonis quæ Baptiſmus affert eorum fide qui illos Baptiſmo offerunt.* In quibus verbis non dicit, vt cunctat, paruulos iuſtificari fide parentum, ſed per Baptiſmum, ad quem conſequuntur alia bona gratiæ, & gloriæ, quia verò poterat quæri, cur hi fiant digni Baptiſmo, & non illi? Reſpondet ex parte paruuli non dari meritum, dari tamen regulariter ex parte eorum, qui eos baptizari procurant; non ergo dantur iis illa bona, eo quod ſeipſos reddiderint dignos per fidem parentum, ſed quia parentes ſua fide merentur regulariter de congruo illam gratiam ſuis filiis, quorum Baptiſmum ſedulò procurant.

45. *Expl. ca. ex Auguſt.* Auguſtinus illo primo, & ſecundo loco nihil prorſus habet ad hoc propoſitum. habet tamen *lib. 3. de peccat merit. c. 2.* ſed nec ibi dicit, paruulus iuſtificari fide parentum, ſed ſolùm credere per fidem eorum, qui dum eos portant, dicunt eorum nomine, ſe credere, & profitentur articulos noſtræ fidei; in quo caſu certum eſt, ſi illi reuera non crederent, ſed eſſent infideles, non poſſe in eo ſenſu, aut eo titulo paruulos appellari credentes, vt conſtat. Denique *in illa Epiſt. 23.* paulo ante finem aliam rationem reddit, ob quam paruuli dicantur credere, ſcilicet quia recipiunt Baptiſmum, qui eſt fidei Sacramentum, & ideo appellatur etiam fides, & qui illum recipit dicitur fidelis. In Epiſtola verò illa 107. in ſententia octaua vtramque rationem videtur afferre, vt dicantur credere, ſcilicet & quia baptizantur, & quia reſpondent per ora eorum, qui eos portant, ſe credere. Vbi nota, non potuiſſe Auguſtinum hanc ſolam ſecundam rationem vt adæquatam ibi afferre, quia cum contingere poſſit, puerum baptizari, abſque eo quod aliquis pro eo reſpondeat, & dicat, ſe credere, iam tunc ille puer non poſſet ſaluari, quia iuxta Auguſtinum non pertineret ad illam ſententiam Domini: *Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, ſaluus erit*, ſed ad illam *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quæ ſententiæ, teſte Auguſtino, ad paruulos etiam ſpectant, ideo neceſſe fuit duas illas rationes ſimul indicare, quibus paruuli dicuntur credere, & propter confeſſionem eorum qui pro ipſis regulariter reſpondent, & propter Sacramentum fidei, quod ſuſcipiunt, quæ eſt ratio magis vniuerſalis. Cæterùm nunquam Auguſtinus dixit, iuſtificari paruulos noſtros fide ipſa parentum: at verò loquendo de paruulis antiquis dixit clarè, non ſolùm appellatos credentes, ſed iuſtificatos fuiſſe, & mundatos ab originali ipſa fide parentum. Quare non eodem modo requiritur nunc fides in miniſtro Baptiſmi, ac requirebatur tunc in offerente, & ſanctificante puerum in lege.

46. *Obiectio quarta.* Obiicies quartò ex eodem auctore quia ſi requirebatur fides in miniſtro redderetur dubiũ, & incertum nimis illud remedium, & ſæpe eſſet iterandum. *Reſponſio.* Reſpondetur, ſicut nunc ſine intentione debita Baptiſmus non eſſet validus, nec tamen ea de cauſa iterari debet, quãdiu non conſtat de defectu intentionis: ſic nec tũc deberet reiterari, quandiu non conſtaret de fidei defectu: nam ſicut nũc omnes Chriſtiani non dubitamus de aduentu Chriſti præterito, & indubitanter reſpondemus, nos illam credere, ſic illi antiqui certiſſimè credebant, Chriſtum futurũ, nec poterant prudenter dubitare de hac ſua credulitate, nec ex hac parte poterant prudenter dubitare de valore illius Sacramenti. Neque enim quando ad valorem illius Sacramenti petimus eſſentialiter fidẽ, intelligimus hoc de actu ſupernaturali fidei; hic enim fortaſſe ex multis capitibus poſſet hũc, & nũc non exerceri, & redderetur minùs certus valor Sacramenti; ſed loquimur de fide minùs ſtrictè, quatenus ſignificat aſſenſum determinatũ, ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem, ſiue explicitum, ſiue confuſum, qualem habet vnuſquiſque, dum recitat ſymbolum, vel dum interrogatus an credat, reſpondet ſe credere.

47. *Obiectio vltima.* Vltimò obiicit, quia vel ille actus fidei exigeretur tanquam meritorius ſaltem de congruo, vel non vt meritorius, ſed vt conditio mera: ſi dicas hoc ſecundum, gratis id dicitur; ſi dicas primum, eſt falſum, quia nemo præter Chriſtum meretur alteri immediatè gratiam habitualem, & quia deberet illa fides eſſe viua, & formata, vt poſſet eſſe meritoria, quare à peccatore non poſſet validè miniſtrari illud Sacramentum, quod eſt contra ſupradicta.

48. *Quæritur cur hæc fides exigeretur. No. ad meritu condignum vt patet.* Occaſione huius obiectionis quæri poteſt, an illa fides Miniſtri, vel offerentium, & illa proteſtatio exterior requireretur per modum meriti, an vero per modum ſolius conditionis? Et quidem ſuppono, non potuiſſe requiri vt meritum condignum; nam valor, & condignitas operis non poteſt prouenire ex promiſſione, aut acceptatione extrinſeca Dei ad maius præmium, ſi ipſummet opus de ſe non habebat valorem, & condignitatem, vt ſuppono ex materia de merito. Cùm ergo opera bona hominis puri non poſſint de condigno mereri alteri primam gratiam, vt ſuppono ex ſupradictis in tractatu de Incarnatione, non poterat illa fides mereri paruulis de condigno primam iuſtificationem. Difficultas ergo eſt de merito de congruo.

49. *Durand. Durandus requiri formatam & meritoriam. Vasquez.* Durandus *in 4. diſt. 1. q. 8.* Supponit, illam fidem debuiſſe eſſe meritoriam, atque adeo debuiſſe eſſe formatam, non quidem ſemper in ipſo applicante, ſed vel in ipſo, vel ſaltem in reliquo Eccleſiæ corpore, cuius nomine illa fides paruulo applicabatur. Huic ſententiæ partim accedit Vaſquez *c. 4.* qui licèt non exigat fidem in corpore Eccleſiæ, ſed in ſolo applicante, nec etiam eam exigat ſemper formatam, ſentit tamen fuiſſe meritoriam de congruo.

50. *Suarez. Magis placet non debuiſſe eſſe meritoriam, nec de condigno, nec de congruo. Ratio.* Magis placet ſententia Suarij, & aliorum, qui negant, illam debuiſſe eſſe meritoriam de condigno, aut de congruo; in primis enim, ſi requireretur meritoria, prout ab ipſo applicante: ſemper ferè redderetur dubius valor Sacramenti, quia vix poſſet ſciri illam applicationem fuiſſe vndequaque bonam, & honeſtam, & non habuiſſe admixtum aliquem finem inhoneſtum, qui facillimè ſolet inſinuari in operationibus, & difficillimè percipitur: eo autem ipſo operario eſſet vitioſa, & per conſequens non poſſet eſſe meritoria. Vnde ſicut omnes poſſemus rationabiliter dubitare de valore noſtri Baptiſmi, ſi ad ipſum eſſentialiter exigeretur in baptizante voluntas meritoria, & vndequaque honeſta; ſic in illo ſtatu propter eandem rationem meritò dubitari poſſet de iuſtificatione omnium paruulorum, & debuiſſet reiterari ſæpiùs illud Sacramentum.

51. *Reiicitur Durandus & impugnatur.* Quod verò nec prout à reliquo Eccleſiæ corpore debuerit illa fides eſſe meritoria, probat Suarez, quia ſi hoc eſſet, nunc etiam dici poſſet effectum Baptiſmi tribui hoc modo Eccleſiæ; non enim eſt minùs efficax nunc meritum Eccleſiæ, quàm fuerit in lege naturæ. Sed ad hoc dici poſſet, baptizantem nunc operari tanquam Miniſtrum Chriſti, & in nomine ipſius, atque adeo non indigere aliqua honeſtate prouenienre ab Eccleſia, cùm hæc actio prout oritur à Chriſto ſit ſatis efficax; tunc verò Miniſtrum non fuiſſe operatum nomine Chriſti, atque adeo oportuiſſe operari ſaltem nomine Eccleſiæ, vt eius actio prout ab Eccleſia placeret Deo.

52. *Quidquid ſit ille modus non expediebat.* Verùm quidquid ſit, an ille modus operandi nomine Eccleſiæ ſufficeret ad reddendam hanc actionem Miniſtri meritoriam: ille tamen modus non erat expediens, aut vtilis in illo ſtatu, quia ad hoc, vt Miniſter operaretur nomine Eccleſiæ, deberet ab ipſa Eccleſia deputari, vt eius nomine ageret; nemo enim agit nomine alterius, niſi ab ipſo accipiat mandatum, vt fiat quaſi eius procurator, vt conſtat: tunc autem non conſtituerentur ſinguli homines tanquam procuratores, aut Miniſtri ab vniuerſa Eccleſia, vt ipſius nomine operarentur; imo nec poſſet id fieri. Nunc certè Sacerdotes orant nomine totius Eccleſiæ Chriſtianæ, quia ipſa efficit vnum corpus, & ratum habet quidquid eius caput ſupremũ facit. Vnde & Sacerdotes qui à ſummo capite mediis Epiſcopis conſtituuntur, ſunt quaſi Mandatarij totius Eccleſiæ, quandiu ipſa Eccleſia non reuocat mandatum, vt contingit in Sacerdote excommunicato, & præciſo, qui iam non poteſt offerre nomine Eccleſiæ propter eius Eccleſiæ reuocationem. At verò in ſtatu legis naturæ nec fideles coniungebantur omnes in aliquo Concilio, nec habebant aliquod ſupremum caput, cui omnes ſubordinarentur, & à quo poſtea aliqui acciperent facultatem operandi nomine totius Eccleſiæ. Quomodo ergo, aut vnde habebat hæc actio hic, & nunc fieri nomine totius Eccleſiæ, cùm Eccleſia huic Miniſtro nec mediatè, nec immediatè talem vnquam facultatem, aut mandatum dediſſet? Non ergo poterat exigi illa actio vt meritoria, ex eo qood fieret nomine Eccleſiæ.

Hinc infero, potuiſſe valere illud Sacramentum etiamſi actio illa hic, & nunc, non ſolùm non eſſet meritoria, ſed eſſet demeritoria, & mala in genere moris propter prauam intentionem Miniſtri, ſicut nunc Baptiſmus valet, & iuſtificat paruulum, licèt applicetur per actionem malam, & demerit etiam ex praua intentione baptizantis. 53. *Illatio.* Dices: Ad quid ergo Deus exigeret illam actionem, & fidem Miniſtri, ſi non eſſet bona? Tunc enim non placeret, ſed potius diſpliceret Deo; ergo non moueret illum ad dandam gratiam, ſed magis ad indignationem. *Inſtantia.* Reſpondetur, non eſt nouum, quod ad aliquam gratiam obtinendam exigatur aliqua actio, quæ ſecundùm ſe ſit bona, & honeſta; & licèt in particulari, & in indiuiduo poſtea non fiat honeſtè, adhuc obtineatur effectus. *Reſponſio.* Sic enim Pontifex concedit Indulgentiam, v. g. omnibus viſitantibus talem Eccleſiam, vel dantibus eleemoſynam, aut contribuentibus ad tale opus pium: & quidem, licèt viſitatio Eccleſiæ, vel largitio pecuniæ in indiuiduo ſit mala venialiter ex aliqua circumſtantia, vt ſi fiat ob vanam gloriam, vel vt placeat alicui, &c. adhuc habebit fructũ Indulgentiæ, ſi non adſit aliud impedimentum peccati mortalis, vt docet communis ſententia; quia nimirum Pontifex non exigit opus bonum in indiuiduo, ſed ſolum illud opus, quod ex obiecto eſt bonũ; nam licèt in aliqoo hoc non ſit honeſtum, occaſio tamen ipſa, quæ datur ad hoc, vt fiat honeſtè à pluribus, & frequentiùs, eſt magnum bonum mouens rationabiliter Pontificem ad dandam Indulgentiam omnibus, qui illud fecerint, ſic etiam fides Chriſti, & eius proteſtatio externa ex ſe eſt tale bonum, vt licèt ab aliquo non fieret honeſtè, moueret tamen Deum rationabiliter ad concedendam grstiam pueris, quoties tali modo offerrentur, quia hac occaſione homines allicerentur ad illos actus faciendos, & vt in plurimum fierent honeſtè, licèt aliquando vitiarentur ob aliqusm circumſtantiam.

54. *Obiectio ex Auguſt.* Sed vrgebis adhuc, quia Auguſtinus, quando dicit, pueros in lege naturæ fuiſſe iuſtificatos per fidem Mediatoris, loquitur de fide honeſta, & diuina; nam *lib. 2. de nuptiis, cap. 11.* eidem fidei, cui tribuit vim iuſtificandi adultos, tribuit etiam vim mũdandi paruulos: & tamen in adultis requiritur fides honeſta, vt conſtat; item *lib. 5. contra Iulianum, cap. 11.* ſolum loquitur de fide famulorum Dei: ergo non de fide peccatorum. Propter hæc P. Vaſqoez, vt dixi, putat, Auguſtinũ poſtulaſſe ad valorem illius iuſtificationis, fidẽ non ſolùm honeſtam, ſed etiam viuam,

& formatam, nam nomine famulorum Dei non poſſunt intelligi peccatores. Hoc tamen non cogit, tum quia apud Eccleſiaſticos Auctores, imò & ab ipſa Eccleſia in multis orationibus peccatores etiam, quibus petitur venia peccatorum, appellantur famuli Dei: tum etiam, quia, licèt Auguſtinus vtrobique agat de fide honeſta; non tamen negat, fidem etiam informem, aut actionem vitiatam ex aliqua circumſtantia fuiſſe ſatis ad iuſtificandos paruulos, imo ex iis, quæ Auguſtinus concedit, colligimus nos debuiſſe etiam ſufficere talem fidem propter inconuenientia, quæ ſequerentur, ſi ſola fides formata, vel actio meritoria ſufficeret ad valorẽ illius Sacramẽti.

Reſponſio.

55\. Hinc infero contra eundem Vaſquez, non eſſe contra mentem Patrum, quod habuerit actio illa ex lege Dei effectum certum, & infallibilem, iuſtificandi paruulum, imò hoc ipſum colligi ex ipſorum verbis, nam, vt ſupra vidimus, frequenter appellant illud nomine *Sacramenti*, Sacramentum autem eſſe non poteſt, quod ex inſtitutione diuina non habeat ſignificare ſuum effectum Sacramentalem, & per conſequens infallibiliter, niſi adſit obex; ergo non dubitabant Auguſtinus & Patres de effectu illius actionis, quam appellabant Sacramentum.

Infertur contra Vaſquez, hanc actionem habuiſſe effectum certum.

56\. Obiicit primò Bedam, *homilia de Circumciſione Domini inter hyemales de Sanctis tom. 7.* vbi dicit: *Solum à primi reatus vinculis abſoluere curabant*, nam illud verbum *curabant*, indicat incertitudinem effectus; vbi enim eſt certitudo, non eſt illa animi ſollicitudo; nemo enim dicet, quod nos curamus per Baptiſmum, quod pueri ſaluentur. Hoc tamen friuolum eſt; nam licèt de effectu non ſit incertitudo, eſt tamen ſollicitudo de adhibenda cauſa, ne fortè ex eius defectu impediatur effectus: vnde non ineptè diceretur aliquis ſollicitus circa pueri ſalutem procurandam, quando procurat eius Baptiſmum.

Beda. Obiicitur.

Explicatur.

57\. Affert ſecundò Hugonis verba ſupra relata, vbi ait, quod hoc remedio paruuli *non improbabiliter ſaluati exiſtimantur*: ergo non cenſebat, certa lege conſequi illum effectum; ſed neque hoc eſt alicuius ponderis, nam probabilitas non eſt de effectu, ſed de lege ipſa Dei ſtatuta: quia enim certum non erat Hugoni, an Deus tale remedium prouidiſſet paruulis in lege naturæ; ideo dixit, non improbabiliter poſſe exiſtimari, quod Deus ſtatuerit tunc remedium certum, & infallibile ad ſaluandos pueros.

Hugo Obiicitur.

Reſpondetur.

58\. Tertiò affert Gregorium etiam ſupra relatum, qui pariter loquitur de paruulis, & adultis, dicens: *Quod verò apud nos valet aqua Baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij*, &c. ſed non habebant effectum certum ſacrificia illa pro iuſtificatione adulti; ſed incertum, quatenus impetrabant à Deo affectum aliquem bonum in adulto, quo diſponeret ſe ad iuſtificationem; ergo eodem modo ſentit de paruulis. Reſpondetur admittendo, eodem modo ſentire Gregorium de vtriſque, nam in vtriſque ſenſit effectum infallibiliter ſequi: poſita tamen diſpoſitione proportionata ſingulis; ſcilicet pro paruulis fide offerentis, & pro adultis dilectione Dei, vel contritione. Nam ſicut Baptiſmus eandem habet infallibilitatem in adulto, & in paruulo; diuerſam tamen diſpoſitionem requirit in illis, nam in adulto requirit attritionem, & in paruulo nullam prorſus: ſic ſacrificia, & fides eundem effectum operabantur tunc in adultis, & paruulis, & cum eadem certitudine, poſita tamen diuerſa diſpoſitione iuxta diuerſitatem perſonarum.

Gregor. Obiicitur.

Reſpondetur.

59\. Dices, ad quid ergo erant ſacrificia in adultis, ſi prærequirebatur dilectio Dei vel contritio, quæ ſola ſufficeret? Reſpondetur, ſi requirebantur ſacrificia, hoc fuiſſe ex præcepto Dei, qui voluit pœnitentiam internam manifeſtari ſacrificiis externis, ſicut etiam pro peccatis perſonalibus diuerſa ſacrificia præcipiebantur: quando ergo ſacrificium offerri poterat, non poterat iuſtificari homo ſine illo, quia omittendo illud, iam peccaret contra præceptum; quando verò non poterat offerri, iuſtificabatur homo per ſolum affectum internum, in quo includebatur ſacrificium in voto, cùm ibi eſſet propoſitum ſeruandi omnia præcepta diuina. Sed ſacrificia non concurrebant ad gratiam, niſi remouendo prohibens, ſcilicet peccatum actuale, & ideo non erant Sacramenta.

Inſtantia. Diluitur.

Reſtat pro complemento dubium de aliis Sacramentis, an præter hoc remedium originalis, fuerint alia Sacramenta in lege naturæ? P. Suarez *ſect. 4.* & P. Vaſquez *in præſenti q. 61. art. 4.* cum aliis dicunt, non fuiſſe communiter alia Sacramenta in illo ſtatu, quia non dabantur tunc niſi neceſſaria ad ſalutem; & quia non conſtat de aliquo ſigno diuinitus tunc inſtituto ad ſignificandam, & cauſandam infallibiliter gratiam: erant ergo tunc Sacramenta aliqua minùs propriè dicta, non tamen propriè, & in rigore. 60.

Quæritur an præter hoc fuerint alia Sacramenta. Suarez. Vaſquez. Communiter negat.

Addit tamen P. Suarez, fuiſſe fortaſſe in aliquo caſu Sacramentum aliquod diuinitus inſtitutum pro aliqua familia, v.g. quale exiſtimat fuiſſe ſacrificium illud Melchiſedech, quod continebat ſignificationem, & promiſſionem Chriſti venturi, & gratiæ per ipſum dandæ, atque etiam ſuo vſu ſanctificabat homines aliqua ſanctitate imperfecta. P. Vaſquez negat, illud ſacrificium fuiſſe Sacramentum, quia licèt ſignificaret Euchariſtiam futuram, non erat inſtitutum ad hoc communiter ſignificandum; quod tamen requiritur ad rationem Sacramenti, quia alioquin matrimonium etiam fuiſſet tunc Sacramentum, quia Adamo ſaltem ſignificauit myſterium Incarnationis, & coniunctionem futuram Chriſti cum Eccleſia; hoc autem non conceditur; ergo nec illud ſacrificium fuit Sacramentum, licèt ipſi Melchiſedech ſignificauerit fortaſſe myſteria futura gratiæ.

Suarez in aliquo caſu admittit ut ſacrificiũ Melchiſedech.

Vaſquez negat & probat.

Hoc argumentum non videtur vrgere; quia ad rationem Sacramenti non video, cur requiratur, ita inſtitui ad ſignificandam gratiam, vt omnibus communiter id ſignificet; non enim requiritur magis ſignificatio in Sacramento, quam in ſacrificio: nam ſicut Sacramentum eſt ſignum gratiæ; ſic ſacrificium debet eſſe aliquod ſignum, quo proteſtamur, Deum eſſe authorem vitæ, & mortis noſtræ: & tamen ad veram rationem ſacrificij non requiritur, quod illud ſignum in ratione ſigni ſit omnibus communiter notum, Chriſtus enim in cruce obtulit verum ſacrificium Deo, vt ſuppono, & tamen non omnibus communiter ſignificabat mors illa talem proteſtationem, nec communiter exiſtimabatur ſacrificium: ergo ſimiliter, licèt oblatio facta à Melchiſedech non ſignificaret omnibus communiter gratiam futurã, non ideo excluderetur à vera ratione Sacramenti. Ratio autem eſt, quia ad rationem ſigni humani in rigore ſatis eſt, quod fuerit inſtitutum à Republica, vel ab habente authoritatem publicam, & communem, licèt adhuc illa inſtitutio non ſit omnibus manifeſta. Sic enim Adam impoſuit nomina rebus, per quam impoſitionem factam ab Adamo vt capite & Principe hominum, iam voces illæ erant ſigna humana, etiamſi ad aliorum notitiam non veniſſet. Similiter ergo Chriſtus vt princeps Eccleſiæ potuit ſuam mortem inſtituere ad ſignificandam talem poteſtatem, quæ ſignificatio eſt propria ſacrificij, atque adeo illa mors erat verum ſacrificiũ, licèt pro tunc non eſſet omnibus communiter manifeſta talis ſignificatio. Sic etiam Deus potuit inſtituere oblationem Melchiſedech in ſignum gratiæ futuræ, 61.

Eluitur argumentum rectitur.

Ratione probatur.

licèt illa ſignificatio pro tuoc non omnibus, ſed aliquibus eſſet nota, hoc tamen erat ſatis, vt eſſet ſignum gratiæ; & per conſequens Sacramentum. Quod ruiſos poteſt confirmari ex ſacrificio Abrahæ præcepto, vt ſcilicet immolaret filium ſuum, quæ tamen actio, & eius ſignificatio non erat omnibus nota, ſed ſoli Abrahæ; & tamen erat verum ſignum ex diuina inſtitotione.

Nec ex alio capite ſcilicet quod non ſanctificaret vllo modo, à ratione Sacramenti excluduntur.

62. Aliunde poſſet magis dubitari, an habuerit aliud requiſitum; diximus enim ſupra, requiri ad omne Sacramentum, quod ſuo vſu aliquo modo ſanctificet recipientes. Vnde excluſimus à ratione Sacramenti ſacrificia præciſè, vt ſacrificia ſont, cùm ergo non conſtet, illud ſacrificiom attuliſſe aliquam ſanctitatem ſuo vſu, non videtur habuiſſe omnia, quæ requiruntur ad Sacramentum. Cæterùm neque ex hoc capite poteſt efficaciter id negari; aliquis enim exiſtimabit, illum panem, & vinum à Melchiſedech oblatum habuiſſe ex diuina inſtitutione, quod conferret aliquam ſanctitatem ſaltem imperfectam ſuſcipientibus; nam Patres antiqui quos affert Suarez t. *tom.in 3.part. diſp. 46.ſect.*4.ſupponunt communiter, Melchiſedech dediſſe Abrahæ illum panem, & vinum in cibum, & potum. Sic teſtatur Clemens Alexandrinus 4.*ſtromat.circa finem.* Theodoretus *q.63.in Geneſ.*& alij, Quod quidem non videtur factum ad meram refectionem corporalem, tum quia non eſt decens adhibere cibum, & potum conſecratum ad merum vſum prophanum; tum etiam quia non eſt credibile, Abrahamum diuitem, & ſpolijs inimicorum onuſtum, indiguiſſe pane, & vino illo ad refectionem corporalem. Vnde non eſt improbabile, fuiſſe illum cibum, & potum ordinatum ad aliquem vſum ſacrum, & ad ſanctificationem aliquam ſuſcipientium.

Suarez.

Clem. Alex.
Theod.

Colligitur probabile eſſe quod dixit Suarez.

63. Dubitari poſſet hoc ipſum de aliquibus alijs ſacrificijs illius temporis, quæ à Deo etiam ipſo videntur fuiſſe peculiariter inſtituta, quale fuit illud ſacrificium Abrahæ Geneſis 15.de Vacca trienni, & capra trima, &c. Et illud quod obtulit Noë Geneſ. 8. de pecoribus, & volucribus mundis, vbi plures ſentiunt illam diſcretionem inter animalia munda, & immunda, fuiſſe ex ordinatione diuina. Cæterùm quidquid ſit de hoc, non eſt fundamentum ad dicendum, illa fuiſſe vera Sacramenta, non enim conſtat fuiſſe ordinata ad ſanctificationem aliquam communicandam, quare ſolùm ſiſtent intra rationem ſacrificij.

Geneſ.15.
Geneſ.8.

Non eſt fundamẽtum ad dicendũ alia ſacrificia illius temporis fuiſſe Sacramenta

64. Magis poſſet dubitari de ſacerdotio ipſo, quod tunc erat, an fuerit verum Sacramentum, conſtat enim Melchiſedech fuiſſe verum ſacerdotem Dei altiſſimi, conſtat etiam, illud ſacerdotium ſignificaſſe ſacerdotium Chriſti, & per conſequens gratiam per Chriſtum dandam, ergo illud erat ſignum gratiæ; aliunde verò per illud ſacerdotium conferebatur proculdubio aliqua ſanctitas, ſaltem imperfecta, perſonæ cui conferebatur. Nihil ergo illi deerat ad rationem Sacramenti.

Dubitatur de Sacerdotio, nihil ipſi deeſſe videtur ad Sacramentum.

65. Dices, etiam prima tonſura confert aliquam ſanctitatem, & Sacramentalia omnia, quæ nunc ſunt in Eccleſia, conferunt etiam aliquam ſanctitatem, & tamen non ſunt Sacramenta. Reſpondet P. Coninch. *in præſenti num.* 24. tunc non fuiſſe de ratione Sacramenti, quod conferret gratiam ſanctificantem, ſicut nunc eſt; quare minùs ſufficeret tunc ad rationem Sacramenti. Sed hoc non poteſt ſtare, quia eſſentiæ rerum ſunt immutabiles, quare ſi eſſentia Sacramenti tunc non includebat conferre gratiam, nunc etiam eſſet Sacramentum id, quod haberet omnia, quæ tunc eſſent de ratione Sacramenti. Aliunde tamen excluſimus ſupra Sacramentalia, & primam tonſuram à ratione Sacramenti, quia ſcilicet non ſignificãt practicè gratiam, nec præſentem, nec futuram, quæ tamen requiritur ad omne Sacramentum etiam in lege antiqua, & naturæ, vt ſupra explicuimus.

Inſtantia.

Coninch.

Reijcitur Coninch.

66. Adhuc tamen videtur verius, quod Sacerdotium in lege naturæ non fuerit Sacramentum, quia non erat ex diuina inſtitutione, ſed ordinatione humana. Quod clarè videtur docere Anacletus Papa *in epiſt.2.decretali*, vbi dicit, Sacerdotium initium ſumpſiſſe ab Aarõ: *Qui licet aliqui (inquit) priùs legantur ſacrificium obtuliſſe, vt Melchiſedech, & Abraham, iſti tamen ſpontanea voluntate, non tamen ſacerdotali authoritate hoc fecerunt.* Quæ eadem verba ex Iſidoro afferuntur, & approbantur, in Concil. Aquiſgranenſi 1. *cap.*11.in quibus non negatur, Melchiſedech fuiſſe verè Sacerdotem Dei, hoc enim ſcriptura apertè affirmat; ſed ſolùm ſignificatur, non habuiſſe ſacerdotium illud ex diuina ordinatione; hoc enim incepit ab Aaron, ſed habuiſſe illud, vel ex electione populi, vel ex hæreditaria ſucceſſione, atque adeo non potuiſſe eſſe Sacramentum, cum eius collatio non fieret ex diuina inſtitutione, ſed humana.

Verius ergo eſt non fuiſſe Sacramentũ, quia non erat ex diuina inſtitutione.

Conc. Aquiſ.

67. Poſſet contra hoc obijci, quod ſi Sacerdotium Melchiſedech non fuiſſet ex diuina inſtitutione: non fuiſſet excellentius, quàm Sacerdotium Leuiticum, quod fuit à Deo inſtitutum, conſequens autem videtur contra intentionem Pauli ad Hebr.7. vbi latè probat excellentiam Sacerdotij Melchiſedech ſupra Leuiticum Sacerdotium, vt inde appareat ſacerdotium Chriſti, quod fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech, & non ſecundùm ordinem Leuiticum, excellentius fuiſſe Leuitico.

Obiectio.

Ad Hebr 7.

68. Reſpondetur, imprimis Paulum ibi nolle præferre ſacerdotium Melchiſedech, ita vt in omnibus fuerit excellentius, poſuit enim in multis, quæ ibi numerantur excellera, licèt in aliqua alia circumſtantia ſuperetur à ſacerdotio Leuitico. Deinde tota illa comparatio Pauli procedit magis de ſacerdotio Melchiſedech, prout figuratiuum erat, quàm ſecundùm id, quod reipſa habebat; præfert enim illud ex eo, quod Melchiſedech fuerit ſine patre, & matre, & ſine genealogia, & quod fuerit ſine initio, & ſine vitæ; quæ omnia reipſa non habuit Melchiſedech, vt conſtat, quia reuera habuit parentes, & genealogiam, & natus, ac mortuus eſt: ſed quia in Scriptura nihil de his omnibus dicitur, vt meliùs repræſentaret Chriſtum, qui vt Deus non habuit matrem, & vt homo non habuit Patrem, & cuius ſacerdotium non fuit per ſucceſſionem, nec habuit finem in morte, ideo Melchiſedech dicitur illa omnia repræſentatiuè habuiſſe: id eſt, prout introducitur in Scriptura hæc habuiſſe ad repræſentandum Chriſtum. Similiter ergo excellentia illius ſacerdotij ſupra Leuiticum ſufficit quod fuerit repræſentatiua, ſeu quod fuerit aptior ad repræſentandam maiorem excellentiam ſacerdotij Chriſti: ſicut ſerpens æneus exaltatus à Moyſe in deſerto, & Chriſtum præfigurans, erat quidem repræſentatiuè excellentior quàm Sacerdotes ipſi Leuitici, licèt in ſeipſo eſſet inferioris excellentiæ vt conſtat. Cum hoc tamen ſtare poteſt, quod ſacrificium illud fuerit à Deo præſcriptum, licèt ſacerdotium aliunde iam habuiſſet Melchiſedech.

Reſpondetur primò.

Secundò.

69. Ex dictis facilè colligitur, quid dicendum ſit de tempore legis ſcriptæ, in qua conſtat fuiſſe vera, & plura Sacramenta, ſic enim ea appellant ſæpiſſimè Patres, & Concil. Florent. ſub Eugenio in decreto illo vnionis, vbi dicitur Sacramenta legis antiquæ ſolùm figuraſſe gratiam. In quibus verbis apertè ſupponit, fuiſſe tunc vera Sacramenta, quod idem ſupponitur in Trident. ſeſſ.7. can. 2. his verbis: *Si quis*

Ex dictis colligitur in lege ſcripta fuiſſe vera, & multa Sacramenta.

Concil. Flor.
Conc. Trid.

dixerit,

dixerit, ita ipſa nouæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi, anathema ſit. In his Sacramentis potiſſimum locum habere videtur Circumciſio, quæ licèt non inceperit à Moyſe, ſed ab Abraham; dicitur tamen pertinere ad legem ſcriptam, quia ipſa fuit iterum ſtabilita, & erat ianua ad ingrediendum in cætera Sacramenta, & cæremonias legis illius. An verò Circumciſio habuerit vim conferendi gratiam ſuſcipientibus ipſam, & remittendi peccatum originale, pertinet ad quæſtionem de effectu Sacramentorum, quare de hoc agemus infrà diſp. 5. Nunc ſufficiat nobis, illam fuiſſe verum Sacramentum, quia ſiue dederit, ſiue non dederit gratiam in ſuo vſu, erat tamen cæremonia ſacra ſanctificans & coniungens perſonam cum Deo aliquo modo, & aliunde præfigurabat gratiam dandam in noſtris Sacramentis, vt teſtatur Auguſt. *lib. 6. contra Iulianum*, & alij Patres communiter.

Potiſſimũ locum in illis habet Circumciſio.

Auguſt.

70\. Præter Circumciſionem fuerunt plura alia Sacramenta in lege veteri, quæ reduci ſolent à Theologia cum S. Thom. 1. 2. *q.* 102. *art.* 5. ad tres claſſes. Prima eſt eorum, per quæ conſecrabantur Sacerdotes, & Pontifices, quæ figurabant noſtrum Sacramentum Ordinis. Secunda eſt eorum, quorum vſu, & participatione ſuſcipientes coniũgebantur Deo, & confirmabantur magis in legali ſanctitate, qualis erat vſus agni Paſchalis, qui ſignificabat noſtram Euchariſtiam. Tertia denique continebat luſtrationes, & expiationes legales, quibus homines à ſordibus legalibus mundabantur, quæ figurabant noſtrum Sacramentum Pœnitentiæ: omnia enim illa erant vmbra, & figura noſtrorum Sacramentorum. Alia de his Sacramentis videri poſſunt apud Suarez in præſenti *diſp.* 5. *ſect.* 2.

Reducuntur ad tres claſſes. Prima claſſis. Secunda. Tertia.

SECTIO III.

Vtrùm in lege noua fuerint neceſſaria Sacramenta.

71\. Concluſio eſt certa de fide, ſumpta neceſſitate pro conuenientia, vt ſæpe monuimus in hac diſputatione. Eſt autem definita ſæpe contra plures Hæreticos, quos latè enumerant Suarez, & Vaſquez in præſenti, qui vel omnia, vel aliqua Sacramenta nouæ legis negarunt. Conſtat autem ex illis Scripturæ locis, ex quibus ſingula Sacramenta colliguntur, quæ ad ſingulorum Sacramentorum materias ſpectant.

De fide certũ. Sæpe definitum contra Hæreticos.

72\. Rationes congruentiæ variæ poſſunt adduci, prima ratione eruditionis noſtræ: eſt enim homini connaturale per ſigna ſenſibilia venire in cognitionem rerum ſpiritualium & diuinarum; de quo videri poſſunt Dionyſ. *de Eccleſiaſtica hierarchia, cap.* 1. Origen. 4. *contra Celſum*, Cyril. 1. *contra Iulianum Auguſtum*, Chryſoſt. *homil.* 28. *in Matth.* Auguſt. 5. *in Geneſ ad litteram, cap.* 6. Sic etiam Socrates ſuam doctrinam tradebat per ſimilitudines: imò eidem tribui ſolent fabulæ, quæ ſub nomine Æſopi circumferuntur, vt ait Caiet. 3. *p. q.* 42. *art.* 4. & denique hac eadem ratione vtitur Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 5. ad oſtendendam neceſſitatem ritus externi, & cæremoniarum ſenſibilium quæ in Miſſa adhibentur: *Cùm natura* (inquit) *hominum ea ſit, vt non facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia mater Eccleſia*, &c. quam rationem optimè declarat Chryſoſt. *homil.* 83. *in Matth.* & 60. *ad populum*, & obiter Auguſt. 3. *de Trinit. cap.* 4.

Prima congruentia ratione eruditionis noſtræ.
Dionyſ. Origen. Cyril. Chryſoſt. Auguſt.
Caiet. Concil. Trid.

73\. Secunda ratio congruentiæ eſt, vt in ipſa Sacramentorum ſuſceptione proteſtemur fidem noſtram, & colamus Deum Sacramentorum auctorem. Tertia eſt, quia ſicut habemus ſpiritualem animum, ita habemus & corpus, vnde & animo, & corpore debemus Deo obſequium debitum rependere. Quarta eſt, vt oſtendatur Dei ſapientia, quæ non ſolum contraria contrariis curat, ſed & ſimilibus, ſicut canit Eccleſia: *Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*, ſic etiam oportebat, vt homo, qui per affectum ad ſenſibilia corruerat, per vſum eorundem ſenſibilium ſanaretur, vt medelam ferret inde, hoſtis vnde læſerat. Quinta propter humilitatem noſtram; meritò enim ſubiicitur rebus inferioribus, & inanimis, qui rationi, & Deo ſubiici noluit. Sexta ratio adduci ſolet ad oſtenſionem diuinæ potentiæ, quæ tantam efficacitatem vilibus creaturis communicat. Septima eſt, vt eſſet medicina præſeruatiua; cùm enim homines propendeant ad externas cæremonias, & ritus, ſi non eſſent hæc ipſa externa à Deo nobis iniuncta, facilè homo ex ſe ipſo declinaret ad cultum externum ſuperſtitioſum. Hac enim de cauſa Deus in lege antiqua tot ſacrificiorum differentias inſtituit, vt populum ad idololatriam propenſum illis externis ritibus in vero cultu contineret, vt dicit S. Thom. 1. 2. *q.* 101. *art.* 3. *& ad Hebr.* 10. Antonin. 1. *part.* agens de ſacrificiis, Alexand. 4. *p. q.* 6. *memb.* 4. *art.* 1. *&* 3. *ad* 3. vbi adducit Origen. & Gloſſ. in 6. Ierem. de quo videri poſſunt Hieronym. *in Iſai. cap.* 6. 56. *&* 60. Clemens primo Recognitionum *fol* 16. *&* 6. *Conſtit. Apoſt. cap.* 52. & Galat. *lib.* 2. *de Arcanis Scripturæ, cap.* 11.

Secunda, ratione proteſtationis fidei & cultus Dei. Tertio, ex compoſitione hominis. Quarta ex ſapientia Dei. Quinta, propter humilitatem noſtram. Sexta, ad oſtenſionem diuinæ potentiæ. Septima, ratione medicinæ.
S. Thom. Antonin. Alexand. Hieron. Clemens. Galatin.

Octaua ratio eſſe potuit, vt homo poſſit eſſe de ſua ſalute ſecurior; experimur enim, nos Sacramenta percipere, & aliunde ſcimus, hæc efficaciter cauſare gratiam, vbi non datur obex. Si autem ſignum gratiæ eſſet aliquis actus interior, multò magis dubitaremus, quia non ſolùm eſſemus dubij de diſpoſitione requiſita, ſed etiam de ipſa Sacramenti appoſitione. Nona ratio eſſe poteſt propter conciliandum amorem inter fideles; nam vnio cognita in his ſignis externis, & ritu, & cæremoniis, iuuat incredibiliter ad vinciendos animos, & fouendum amorem. Quam rationem attigit etiam Augu. l. 19. *contra Fauſtum, cap.* 11. Decima ratio eſſe potuit ex parte capitis noſtri Chriſti, qui cùm ſit Deus, & homo, ac remedium noſtrum operatus fuerit actibus, non ſolùm internis, ſed externis, & viſibilibus; ſic oportuit coli à nobis ſenſibilibus etiam ſignis, quibus eius memoria ſenſibiliter perſeueret. Vide alias rationes apud Suarez in præſenti *diſp.* 6. *ſect.* 1. 74.

Octaua ad ſecuritatem hominis.
Nona ad mutuam charitatem inter fideles conciliandam. Auguſt. Decima ex parte Chriſti.

De excellentia noſtrorum Sacramentorum ſupra Sacramenta legis veteris agi ſolet in præſenti. Quæ res certa videtur de fide in Concilio Florentino & Tridentino ſupra adductis, vbi comparantur vtraque Sacramenta, & præferuntur noſtra. Hanc autem excellentiam paucis indicauit Auguſt. *d. lib.* 19. *contra Fauſtum, cap.* 13. vbi de noſtris Sacramentis dicit, quod ſunt *virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Potiſſimum excellentiæ caput deſumitur ex virtute maiori, & præſtantiori, quam habent ad cauſandam gratiam in ſuſcipiente, quam virtutem Sacramenta illa non habebant; & licèt id de Circumciſione concedatur, quod conferret gratiam; de quo poſtea dicendum eſt, adhuc illa fuiſſet proculdubio multo debilior virtus, & ad effectum multo minorem, quàm ſit effectus noſtrorum Sacramentorum: quæ etiam excedunt in hoc, quod ſint finis, & exemplar illorum Sacramentorum, quæ erant imagines, & vmbræ noſtrorum. Quare ſicut vmbra exciditur à veritate, 75.

De excellentia noſtrorum ſupra alia.
Pollent maiori virtute ad cauſandam gratiam.

& imago ab exemplari,ſic illa exceduntur à noſtris. Alia etiam capita huius exceſſus videri poſſunt apud Suarez vbi ſuprà *ſect.* 2. res enim eſt facilis.

De neceſſitate ſtricta Sacramentorum,an ſint neceſſaria neceſſitate medij, vel ſaltem præcepti,quæſtio eſt, quæ ſpectat ad ſingulas Sacramentorum materias, vbi commodiùs tractatur, nunc iam veniamus ad effectum Sacramentorum.

DISPVTATIO IV.

De principali Effectu Sacramentorum nouæ Legis, qui eſt Gratia.

SECTIO I. *Præmittitur, quid ſit dare gratiam ex opere operato.*
SECTIO II. *Statuitur contra Hæreticos Sacramenta nouæ legis conferre gratiam.*
SECTIO III. *Qualis gratia conferatur per Sacramenta nouæ legis.*
SECTIO IV. *Vtrùm Sacramenta nouæ legis cauſent phyſicè, vel moraliter gratiam.*
SECTIO V. *Referuntur, & diſſoluuntur argumenta contrariæ ſententiæ.*
SECTIO VI. *Vtrùm Sacramenta conferant gratiam in tempore, vel inſtanti, quo perficiuntur.*

AGIMVS de Sacramentis nouæ legis; poſtea verò diſputatione ſequenti agemus de Sacramentis legis veteris, an contulerint gratiam.

SECTIO I.

Præmittitur, quid ſit dare gratiam ex opere operato.

1. *Supponitur quid ſit dare gratiam ex opere operato, & ex opere operantis.*

SVpponendum, quid intelligatur per collationem gratiæ ex opere operato, aut ex opere operantis; quæ diſtinctio frequens eſt apud Theologos Scholaſticos, & approbata in Concilio Tridentino contra impudentiam hæreticorum,qui eam inſectabantur quaſi barbaram,& monſtroſam locutionem. De hac autem diſtinctione agit optimè Vaſquez *in præſenti diſp.* 131 *cap.* 1.cum quo breuiter dicendum eſt,tunc gratiam conferri ex opere operantis, quando datur ſolo intuitu meriti,quod ponitur ad obtinendam illam, tunc verò dari ex opere operato, quando non attenditur ſolùm ad meritum, ſed etiam ad ipſum opus præſcindendo ab eo,quod ſit, vel non ſit meritorium. Hinc dicimus, per bonum opus augeri gratiam ex opere operantis, quia illud augmentum datur præcisè intuitu operis meritorij, quod ponitur: ſimiliter quando peccator per contritionem perfectam conuertitur & iuſtificatur extra Sacramentum,dicitur accipere gratiam ex opere operantis, quia licèt per contritionem non mereatur de condigno gratiam, meretur tamen illam de congruo,& propter hoc meritum datur,quod ſufficit,vt dicatur acquiri ex opere operantis;ſicut etiam homo iuſtus per ſua bona opera dicitur comparare gratiam ex opere operantis, licèt reuera præmietur vltra condignum, iuxta communem Theologorum ſententiam, & per conſequens aliquid illius gratiæ detur propter illud opus, tanquam propter meritum ſolum de congruo.

2. Hinc etiam cum proportione extenditur idem modus loquendi ex merito ad ſatisfactionem; nam per opera bona homo iuſtus dicitur ſatisfacere ex opere operantis pro pœna temporali debita: per Indulgentias verò,aut per ſacrificium Miſſæ dicitur ſatisfacere ex opere operato,quia non attenditur ad opus bonum,vt de ſe eſt meritorium,vel ſatisfactorium, ſed ad valorem, quem aliunde habet, vnde etiamſi aliquis impleat opus, quod exigitur à Pontifice abſque vllo merito propter finem vanæ gloriæ;v.g. qui intercedit,atque adeo illud opus de ſe, & ex opere operantis, nec ſit meritorium,nec ſatiſfactorium, adhuc lucratur Indulgentiam, ſi facit opus iniunctum, & eſt in gratia, quia fructus ille prouenit ex opere operato. Similiter, ſi pro me offertur ſacrum, vel ſi adſim ſacro, etiamſi Sacerdos peccet faciendo illud ſacrum,vel ego audiens illud ſacrum peccem venialiter, adhuc fructus ſatisfactionis reſpondens ſacrificio ex opere operato prouenit mihi, ſi ſim in ſtatu gratiæ. Quod idem credo propter eandem rationẽ de ſatisfactione Sacramentali proueniente ex pœnitentia iniuncta à confeſſario, cuius fructus ex opere operato dabitur pœnitenti,etiamſi opus ipſum vitietur ex aliqua circumſtantia veniali,quia nimirum id,quod datur ex opere operato,vt dicebam,datur independenter à bonitate ipſius operis, quod hìc, & nunc exercetur. *Idem eſt proportione dicitur de ſatisfactione.*

Dices: Ergo ſimiliter, ſi aliquis ieiunet pro me, & applicet mihi ſatisfactionẽ illius ieiunij, dicetur, acquiri mihi ex opere operato; nam ſicut ille mihi applicat ſuam ſatisfactionem abſque vlla operatione bona mea, ſic per Indulgentias vel ſacrificiũ applicantur mihi ſatisfactiones Chriſti abſque vllo opere bono meo;ergo ſicut hæ dicuntur afferre mihi fructum ex opere operato,ſic dicetur in primo caſu ieiunium alienum prodeſſe mihi ex opere operato. 3. *Inſtantia.*

Reſpondetur negando ſequelam. Nam ad illũ modũ loquendi attendi debet vltimum opus, quo acquiritur ille fructus, ita vt ſi fructus detur, etiamſi illud opus non ſit bonũ, tunc dicatur dari ex opere operato;è contra verò quando requiritur bonitas in illo vltimo opere ad hoc, vt ſolùm intuitu illius detur is fructus, quaſi in præmium, tunc dicetur dari ex opere operantis:quando ergo Petrus ieiunat pro me, datur mihi ille fructus ex opere operantis, ſcilicet ipſius Petri,qui ponit ieiuniũ, tanquam opus,cuius ſolùm intuitu datur mihi ille fructus; quando verò lucror Indulgentiam, non datur mihi fructus ex opere operantis; quia opus, quo illam lucror, non requiritur vt meritum,vel ſatisfactio, cuius ſolùm intuitu detur ille fructus,ſed ſolùm vt conditio. Imo etiamſi detur mihi Indulgentia abſque vllo opere meo, adhuc dicetur dari ille fructus mihi ex opere operato: quia vltimum opus, quo applicatur mihi ille fructus,nempe applicatio, & conceſſio Põtificis nõ eſt opus meritoriũ,vel ſatisfactoriũ,cuius intuitu de condigno,vel de congruo detur talis fructus, ſed eſt applicatio meritorum, & ſatisfactionis Chriſti. Adde, etiamſi aliquando exigeretur à me aliquod opus bonum,& ſatisfactorium ad lucrandum Indulgentiam, adhuc diceretur dari fructus ille ex opere operato, quia licèt illud opus eſſet meritorium, & ſatisfactorium, non tamen requiretur ad valorem Indulgentiæ,quod concurreret illud opus merendo, vel impetrando vllo modo talem fructum,ſed ſolùm per modũ conditionis,eo quod Pontifex noluit dare illum fructũ, niſi poſito tali actu,qui de ſe eſſet bonus,& ſatisfactorius, licèt de facto non ſatisfaceret pro illa parte pœnæ,quæ aufertur per Indulgentiam. *Diluitur.*

Vrgebis, quid ſi Petrus applicet mihi ieiunium ſub conditione,ſi tunc ego lego? Videtur enim lectio tunc conferre, & per conſequens dari fructum illum *Inſtantia.*

Reſpondetur primò. illum ex opere operato. Reſpondetur primò eſſe ex opere operato impropriè, quia non eſt effectus infallibilis, cùm non ſit certus valor operis Petri. Reſpondetur ſecundò in eo fructu vltimum opus non eſſe ſolam meam lectionem, ſed etiam ieiunium Petri, quod non poteſt præcedere; quia iam non poſſet tunc habere effectum cum non poſſit manere ſuſpenſa eius applicatio.

5. *Inſtantia.* Dices iterum: Sacramentum item Pœnitentiæ confert ex opere operato gratiam, & tamen eam non affert independenter à merito ſuſcipientis; requiritur enim ſemper dolor meritorius de congruo, qui ſit pars Sacramenti, & cuius intuitu datur poſtea gratia Sacramentalis; ergo non eſt de ratione gratiæ, quæ datur ex opere operato, dari independenter à meritis illius, cui datur. *Diluitur.* Reſpondetur, licèt in Sacramento Pœnitentiæ interueniat aliquod meritum de congruo, non tamen dari totam illam gratiam propter illud ſolum meritum congruum, ſed etiam propter alias partes Sacramenti, quas contingere poteſt non eſſe meritorias; quod ſufficit, vt dicatur dari ex opere operato, hoc eſt, non reſpondere ſoli operi, & merito operantis.

6. *Hinc infertur quid dicendū ſit de Martyrio.* Hinc obiter infero, quid dicendum ſit de Martyrio, an ſcilicet dicatur conferre gratiam ex opere operato, an ſolùm ex opere operantis? Dubium autem procedit, ſuppoſita communi ſententia, quæ docet, poſſe Martyrium cauſare primam gratiam in homine adulto non contrito, imo nec baptizato: in quo caſu videtur dicendum gratiam illam conferri ex opere operato, vt videtur loqui *Suarez.* Suar ſup. *diſp.* 19. *ſect.* 3. *in ſolut.* 3. *argumenti*, quia licèt debeat præcedere aliqua diſpoſitio meritoria ſaltem de congruo, & bona; illa tamen gratia, quæ confertur, non datur ſolùm intuitu illius bonæ diſpoſitionis, & operationis, ſed etiam ratione ipſius operis, & mortis reipſa illatæ, adeò vt, manente tota illa operatione, & merito interno, ſi hic homo re ipſa non occideretur, non haberet eam gratiam, quam accipit; ſi autem occidatur, etiam dum dormit, vel dum nihil iam cogitat de morte, accipiet talem gratiam; quare meritò dicitur conferri ex opere operato, non tamen ſequitur ex hoc, quòd Martyrium ſit verum Sacramentum, vt aliqui obiiciunt; ad rationem enim Sacramenti non ſufficit cauſare gratiam ex opere operato, ſed requiritur vlteriùs, quòd ſit aliquid ſacrum, ſeu ordinatum ad religiosè ſacrandum, & quaſi initiandum ſubiectum, vt oſtendimus ſuprà *diſp.* 1. *ſect.* 2. atque adeò ſit ſignum inſtitutum ad hoc ipſum ſignificandum; quæ omnia deſunt Martyrio, vt manifeſtè conſtat; nec enim qui illud applicat, habet talem intentionem ſaltem implicitam ſignificandi; imò etiamſi haberet contrariam, adhuc Martyrium conferret gratiam, quod tamen in Sacramentis non poteſt contingere. *Non tamen Martyrium eſt verum Sacramentum.*

SECTIO II.

Statuitur contra Hæreticos, Sacramenta nouæ legis conferre gratiam.

7. *Hæretici dicunt Sacramenta noſtra non cauſare gratiam.* PRima controuerſia eſt cum Hæreticis negantibus, Sacramenta noſtra cauſare vllo modo gratiam ſanctificantem; quæ pars, quoniam ad Controuerſiſtas ſpectat, breuiſſimè expedienda nobis eſt. Hæretici ergo noſtri temporis, vt conſtat ex confeſſione Auguſtana *art.* 5. & 13. dicitur primò Sacramenta eſſe inſtituta vt ſigna profeſſionis inter homines, & vt notas, quibus diſcernamur ab aliis gentibus; ſicut Romanos toga diſcernebat à Græcis, & ſicut habitus diſcernit Monachos. Ita refert & approbat Philip. Melancthon in locis communib. relatus apud Decanum Louanienſem, *art.* 4. *pag.* 20. *Decan. Louan.* Dicunt etiam, eſſe cæremonias in Euangelio inſtitutas. (In his autem non diſſentiunt Catholici.) *Ademus.* Dicunt etiam, Sacramenta eſſe allegorias quaſdam bonorum operum, quod ex Anabaptiſtis ſumpſit idem Melancthon: vt Circumciſio enim fuit ſignum coërcendarum cupiditatum, ſic Baptiſmus eſt ſignum afflictionum: debet quippe Chriſtianus cum Chriſto fluctibus tribulationum immergi. Eucharistia item eſt mutuæ beneuolentiæ ſignum, & ſic de aliis, in quo etiam Catholici non diſſentiunt.

8. *Addunt deinque.* Addunt tamen inſtituta eſſe principaliter Sacramenta, vt ſint ſignum voluntatis Dei erga nos, quatenus obiecta oculis nos admonent, vt certo credamus promiſſioni in Euangelio propoſitæ. Sic docet idem Melancth. & Bucerus *in c.* 4. *Epiſt. ad Romanos*, teſte eodem Decano; & idem habetur in confeſſione Auguſtana, vbi ſuprà. Quo autem ſenſu id intelligant, explicant omnes, dum dicunt, non eſſe abſolutè ſigna promiſſionis, & remiſſionis peccatorum; ſed ſi creditur hoc ipſum, & iuſtitia Chriſti fide apprehendatur, qua ſola fide apprehenſa, creditur Deus eſſe reconciliatus, & peccata condonare; vnde volût, illum, qui Sacramenta ſuſcipit, fide firma credere debere, ſibi condonari peccata ex Chriſti meritis. Vltra hæc nihil virtutis Sacramentis tribuunt, niſi quod cùm ſignificent fauorem Dei, hinc habeant incitare ad fidem, eamque renouata memoria firmare, vt dicit Caluin *cap.* 10. *ſuæ Inſtit.* & alij paſſim. *Quomodo ponant Sacramenta conferre gratiam.* Cùm autem ipſi per fidem dicant ſe gratos, ac iuſtos eſſe, conſequens eſt, vt ea tantùm ratione ponant, Sacramenta cauſare gratiam, & ſanctitatem, quatenus repræſentant, & in memoriam reducunt obiectū fidei, vt fides actualis concipiatur: vnde conſequenter fitentur, Sacramenta non eſſe propriè cauſas ſalutis & gratiæ ex opere operato non ponentibus obicem. *Luther.* Sic enim Luther. *art.* 1. ad Leon X *Hæretica*, inquit, *eſt ſententia, Sacramenta nouæ legis conferre gratiam illis, qui non ponunt obicem, id eſt, ex opere operato.* *Melancth.* Melancthon etiam in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ: *Damnamus*, inquit, *totum populum Scholaſticorum Doctorum, qui docent, quòd Sacramenta non ponenti obicem conferunt gratiam ex opere operato, ſine bono motu vtentis. Hæc ſimpliciter Iudaica eſt opinio, quòd per cæremonias iuſtificamur ſine bono motu cordis, hoc eſt, ſine fide; & tamen hæc impia, & perniciosa opinio magna auctoritate docetur in toto regno Pontificio.* Hæc ille.

9. *Catholica ſententia.* Catholica Eccleſia his Hæreticorum erroribus oppoſita docet, Sacramenta nouæ legis eſſe cauſas gratiæ, non ſolùm excitando, & confirmando fidem, vel applicando obiectum, quod illam excitet, & confirmet, ſed alio ſuperiori modo, ſcilicet, ex virtute operis operati. *Conc. Trid. Probatur primò ex Trid.* Probatur ex Trident. *ſeſſ.* 7 *can.* 4. in hæc verba: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam iuſtificantem adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint, anathema ſit.* Et can. 5. *Si quis dixerit, hæc omnia Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe, anathema ſit.* Et can 6. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificent, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ propter fidem gratiæ, vel iuſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit.* Et can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquādo, & aliquibus, anathema ſit.* Qui Canon videtur editus contra Zuingliū, qui lib. de vera & falſa Religione,

vt refert Decanus *art.* 1. *pag.* 24. vt effugeret argumentum de paruulis, quibus Baptiſmus confert ſalutem ex opere operato, dixit, non ideo paruulum ſaluari, quia baptizatus eſt; multi enim baptizati ſtatim poſt Baptiſmum morientes damnantur, & alij non baptizati ſaluantur; quia, nimirum omnia refert ad æternam Dei electionem abſque conſideratione mediorum. Denique *can.* 8. ſic habetur: *Si quis dixerit, ipſa noua legis Sacramenta opere operato non conferre gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.* Hoc ipſum conſtat ex Bulla damnationis Lutheri à Leone X. vbi eius articulus ſuprà relatus refertur, & damnatur. Rurſus de Baptiſmo ſpecialiter definitur in eodem Tridentino *ſeſſ.* 6. eſſe cauſam inſtrumentalem iuſtificationis. Et in Concilio Florentino in decreto Eugenij dicitur, quòd Sacramenta continent, & cauſant gratiam; & de Sacramento Pœnitentiæ Martinus V. in Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 45. definit, quòd ſacerdos verè abſoluit; ergo verè cauſat remiſſionem peccatorum.

Conc. Trid. — Leo X. — Conc. Conſtant.

10. *Colligitur ex Scriptura.* Hunc ſenſum Eccleſia ex ſcripturæ verbis collegit, nam de Baptiſmo loquens (& idem eſt de aliis Sacramentis) apertè indicat, ipſum non eſſe merum ſignum, ſed cauſam iuſtificationis, & ſalutis. Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto,* &c. vbi Auguſtinus: *Aqua regenerat hominem in Chriſto;* Ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Vnde Auguſt. epiſt. 58. *Quidquid ab hominibus quarumcunque culparum contrahitur, propter ipſum lauacrum remittitur.* 1. Petr. 3. *Saluos nos fecit Baptiſma.* Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Actor. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum.* Marc. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit,* & alibi ſæpè. Sanctorum Patrum loca ad idem confirmandum latè congerunt Controuerſiſtæ aduerſus Hæreticos noſtri temporis.

Ioan. 3. — Auguſtin. — 1. Petr. 3. — Tit. 3. — Act. 2. — Marc. vlt.

11. *Abſurda, quæ ex prauo dogmate ſequuntur. Primum abſurdum ſine fructu Baptiſmo paruulorum.* Adde abſurda plura, quæ ex illo falſo dogmate inferuntur. Primum, paruulis, qui excitari non poſſunt ad fidem, nihil prodeſſe Baptiſmum. Conceſſit ſequelam Zuinglius, vt vidimus; ſed tamen Lutherus, & Caluinus, vt illud abſurdum vitarent, in hanc amentiam prolapſi ſunt, vt dicerent, paruulos etiam, quando baptizantur, intelligere ſignificationem, & credere per Chriſtum ſibi remitti peccata. Sic docuit Lutherus *ſerm.* 3. *Dominica ab Epiphania,* & Caluinus 1. *Inſtit. Chriſtianæ religionis*; quod tanquam notorium abſurdum poſtea retractauit, vt refert prædictus Decanus Louanienſis *art.* 1. *pag.* 12. quia præterquam quod manifeſtæ experientiæ, & rationi naturali repugnat, contradicit Auguſtino, qui *epiſt.* 57. *ad Dardan.* & *epiſt.* 106. & 3. *de libero arbitr. cap.* 26. & 1. *de peccat. merit. cap.* 35. & 21. *de ciuit. cap.* 16. & *lib.* 21. *cap.* 14. docet, paruulos neque intelligere, neque credere actu. Quod idem tradit Bernard. *Epiſt.* 77. dicens, eos aliena fide, non propriâ ſaluari, cùm baptizantur.

Auguſtin. — Bernard.

12. *Secundum, quia non plus valerent noua quàm vetera.* Secundum abſurdum eſt, non eſſe maiorem, aut aliam vim in nouis, quàm in antiquis Sacramentis; illa enim etiam excitabant ad fidem, & bonum motum interiorem. Sequelam concedunt Lutherani, vt refert Decanus vbi ſuprà, *pag.* 12. & conſequenter admittunt, eundem vſum eſſe purificationis Iudæorum, & cineris vitulæ, atque Baptiſmi. Sed conſequens eſt planè contra definitionem Florentini Concilij, & contra Paulum mille locis.

13. *Tertium, non differret Baptiſmus Ioannis à Baptiſmo Chriſti.* Tertium abſurdum eſt, propter eandem rationem æquè ſalutarem fuiſſe Baptiſmum Ioannis & Chriſti. Quartò ſequitur, à quocumque proferantur verba ſacramentalia, validum eſſe Sacramentum; cùm verba ſemper ſignificent, & poſſint excitare ad fidem. Quintò, verba prolata à miniſtro fictè, & abſque intentione interna habere eandem efficaciam, quia adhuc excitabunt ad fidem. Sextò, non eſſe valida, niſi lingua vulgari proferantur, quia alioquin non intelligentur, atque adeò non excitabunt. Septimò, eundem eſſe vſum, & eandem efficaciam Sacramentorum, & Euangelij, nam hoc etiam excitat audientes ad fidem. Denique, eodem modo prodeſſe Sacramenta audita, lecta, meditata, atque exercita, & æquè prodeſſe iis, qui adſunt, ac iis, qui ea ſuſcipiunt, cùm vtroque modo, & in vtriſque eandem excitent fidem. Alia multa his ſimilia facilè occurrent aduerſus deliria Hæreticorum.

Quartum. — *Quintum.* — *Sextum.* — *Septimum.*

14. *Obiectio prima Hæreticorum.* Obiiciunt nobis primò, quia hæc eſt iuſtitia Phariſæorum in ſolis cæremoniis poſita. Secundò quia Paulus negat, Abraham Circumciſione iuſtificatum, nam Circumciſio ſolùm erat ſignum propoſitum ad exercendam fidem; ita arguit Caluinus. Tertiò Lutherus: nam Scripturæ, nulla mentione facta Sacramentorum, dicunt, nos ſine fide non iuſtificari. Rom. 1. Abacuc 2. Hebr. 10. *Iuſtus ex fide viuit.* Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam.* Non dixit; *Corpore ſuſcipiuntur Sacramenta ad iuſtitiam*: & denique Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Cur enim dixit: *Qui verò non crediderit, cõdemnabitur,* & non dixit: *Qui non fuerit baptizatus,* niſi quia fides tantùm requiritur? Qua vndecumque poſitâ, ſalus habetur etiam ſine Baptiſmo; non verò è contra poſito Baptiſmo abſque fide. Quartò arguit idem: quia in omni Sacramento eſt verbum promiſſionis Diuinæ; vbicumque autem eſt promiſſio Diuina, requiritur fides audientis, ne Deum faciant mendacem ſua incredulitate; ergo neceſſaria eſt fides ſuſcipientis Sacramentum. Quintò arguit Zuinglius: quia ſolus Deus poteſt liberare conſcientiam: ſoli enim ei eſt nota, ſolus eam penetrat: quomodo ergo fieri poteſt, vt aqua, & aliæ res craſſæ ad mentem perueniant, vt eam mundent? Sextò arguit idem: quia videtur Diuina maieſtate indignum, quòd ſuam virtutem alliget Sacramentis, ita vt maneat Deus quaſi ſeruus, debeatque noſtram ſalutem operari adhibitis Sacramentis, & non ſine illis. Septimò, ex Hieronymo ſuper illa verba Matth. 3. *Ego baptizo in aqua,* ſic ait: *Ex quo dicimus, quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum ſanctum, quo ſordes abluuntur,* &c. Octauò, ex Auguſtino *lib.* 83. *Quæſtionum,* q. 53. vbi ait, Deum quædam facere per ſemetipſum ſine media cauſa, vt illuminare animas, ergo non dat gratiam per Sacramenta: alioquin & media cauſa animas illuminabit. Nonò, ex Ambroſio *epiſt.* 34. ad Demetriadem: *Aliud eſt,* inquit, *quod viſibiliter agitur, aliud, quod inuiſibiliter celebratur; nec idem eſt in Sacramento forma, quod virtus: cùm forma cum humani miniſterij adhibeatur obſequio, virtus autem per Diuini operis præſtetur effectum.* Quo etiam modo loquitur Cyprianus *lib. de Baptiſmo Chriſti, & manifeſtatione Trinitatis,* & alij Patres.

Secunda. — *Tertia.* — Hebr. 10. — Rom. 10. — Marc. vlt. — *Quarta.* — *Quinta.* — *Sexta.* — *Septima.* Hieron. — *Octaua.* Auguſt. — *Nona.* Ambroſ.

15. *Reſpondetur primæ obiectioni.* Hæc & ſimilia facilè ſoluuntur. Ad primum: Cæremonia per ſe non iuſtificat, ſed ex virtute ſibi ſuperaddita cum fide, & aliis diſpoſitionibus requiſitis pro adultis. Ad ſecundum: tranſeat, Circumciſionem non valuiſſe ad iuſtificandum; non tamen eſt bona conſequentia à veteribus Sacramentis, quæ vacua erant, & egena, ad noſtra. Ad tertium: Scriptura etiam efficaciam, & virtutem noſtrorũ Sacramentorum oſtendit: in illo autem loco Marci, ideo non dixit: *Qui non fuerit baptizatus,* ſed, *qui non crediderit, condemnabitur,* quia, vt notauit Bernardus, fides

Secundæ. — *Tertiæ.*

ſufficit

ſufficit cum Baptiſmo in voto, licèt reipſa non habeatur: Baptiſmus verò in adulto ſine fide, & conuerſione interna non ſufficit. *Quarta.* Ad quartum, reſpondetur in primis cum Decano *vbi ſupra pag. 27. & ſequentibus*, non in omni Sacramento eſſe verbum promiſſionis explicitum; nam qui dicit in Vnctione: *Indulgeat tibi Deus*, &c. non explicat promiſſionem, ſed petitionẽ. Deinde etſi adulto ſit neceſſaria fides, vt dignè ſuſcipiat, non tamen paruulo; ſed neque adulto eſt neceſſaria fides, qua credat, ſibi remiſſa eſſe peccata per Chriſtum, ſed qua credat in Chriſtũ. Sic enim Philippus *Act. 8.* quandò baptizauit Eunuchum, ſolùm interrogauit de fide, qua crederet Ieſum Chriſtum eſſe Filium Dei.

Act. 8.

16\. *Quinta.* Ad quintum; res illæ ſenſibiles non ſunt cauſæ principales, ſed inſtrumentales ad mundandam animam; quo pacto res materiales poſſunt concurrere. *Sexta.* Ad ſextum; non dedecet Diuinam Maieſtatem eligere media, quæ ipſe voluerit, ad ſalutem hominum; ipſe enim poteſt ea media applicare infallibiliter ſuis electis. *Septima.* Ad ſeptimum; Hieronymus vult, Deum ſolum eſſe cauſam principalem iuſtificationis; non excludit verò alias, quæ ſint inſtrumenta, præſertim ſi non concurrant phyſicè, ſed moraliter. *Octaua.* Ad octauum; Auguſtinus dicit, Deum immediatè illuminare; non tamen decipere, niſi mediis aliis. Vbi non dicit Auguſt. Deum nunquam illuminare mediatè; ſæpè enim illuminat nos, mediis Angelis, atque etiam aliis hominibus. *Nona.* Ad nonum; illi Patres loquuntur de virtute principali, vel virtute etiam phyſica, quæ eſt ſola potentia Dei, vt dicemus infrà ſect. 5. Adduci etiam ſolet Auguſtinus *tract. 80. in Ioannem*, dicens: *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat; niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur?* Sed de ſenſu eorum verborum diximus ſuprà *diſp. 2. ſect. 4.*

SECTIO III.

Qualis gratia conferatur per Sacramenta nouæ legis?

17\. *Supponitur aliqua Sacramenta conferre primam gratiam, alia ſecundam.*

SVpponimus, aliqua Sacramenta conferre optimam gratiam, idque habere per ſe, & ex ſua primaria inſtitutione; an verò omnia poſſint conferre ſaltem per accidens primam gratiam, non eſt huius loci; pertinet enim ad tractatum de ſingulis Sacramentis in ſpeciali; vbi etiam tractatur illa quæſtio, an Sacramenta, recedente fictione, conferant gratiã, quam in prima collatione propter obicem non contulerunt. De primo tamen puncto dicemus agentes de Sacramento Euchariſtiæ; de ſecundo autem infrà *diſp. 9. ſect. 5. & ſeqq.* Similiter non eſt huius loci quæſtio illa, an Sacramenta ad effectum gratiæ requirant aliquam diſpoſitionem in homine adulto, & qualem? His ergo prætermiſſis, quæſtio propria huius loci eſt, quidnam intelligatur per gratiam Sacramentalem: quam Sacramenta conferunt? An ſola gratia habitualis vt ſic, an talis gratia, vel cum tali reſpectu, aut cum alio habitu peculiari, &c.

Multæ quæſtiones remittuntur aliò. Quæſtio prima huius loci. Quid per gratiam Sacramentalem intelligatur.

18\. *Prima ſententia ponit habitus diuerſos.*

Multæ circumferuntur ſententiæ. Prima eſt, præter gratiam habitualem conferri per Sacramenta habitum quendam ſpecialem ad tales actus, v.g. in Sacramento Confirmationis habitum ſpecialem ad profitendam fidem in præſentia tyranni, in Sacramento Ordinis habitum ſpecialem ad deuotè, & piè exercendos actus Ordinis, & ſic de aliis Sacramentis. Hæc tribuitur Paludano *in 4. d. 1. q. 1.* Alij videbantur ponere diuerſitatem in ipſamet gratia habituali, quæ confertur per Sacramenta, ita vt gratia data per Sacramentum ſit diuerſa intrinſecè à gratia, quæ datur per bona opera; quam ſententiam refert Bonauentura *in 4. d. 1. in princ. q. 5.* cui ſententiæ fauere videntur illi etiam, qui dicunt, gratiam Sacramentalem differre in hoc à gratia non Sacramentali, quòd hæc ſolùm ſit ad bene operandum; illa verò ſit gratia curatiua, & ſupponens infirmitatem peccati, à qua debeat hominem ſanare.

Paludan. Secunda ſententia ponit diuerſitatem intrinſecam in ipſa gratia. Bonauent.

Tertia ponit quandã qualitatem.

Alij dicunt, gratiam Sacramentalem afferre ſecum quandam qualitatem peculiarem, quæ in aliquibus Sacramentis eſt character; in aliis verò eſt ornatus animæ; quam ſententiam tuetur Capreolus, licèt hi omnes valde confusè loquantur, & plures eorum poſſint facilè ad communem ſententiam reduci.

19\. *Communis ſententia ponit ſpecialia auxilia. Explicatur exemplo Confirmationis.*

Communis ergo ſententia docet, gratiam Sacramentalem ſuper gratiam habitualem addere ſolùm ſpecialia auxilia Diuina ad aliquos actus peculiares in ordine, ad quos dirigitur peculiariter tale Sacramentũ, v.g. in Sacramento Confirmationis datur gratia habitualis cum ſpeciali titulo, & iure ad auxilia Diuina, quibus fidem Chriſtianam liberè, & audacter profiteatur, & ſic de aliis. Quam ſententiá videtur docere S. Thom. *in præſenti art. 2.* & cum ipſo cæteri. Videantur Suarez, Vaſq. & alij recentiores in præſenti; quam ego etiam vt veriorem amplector. *S. Thom.*

20\. *Probatur primò ex D. Bernardo.*

Probatur primò ex Bernardo in ſermone de Cœna Domini, ante medium; vbi ſupponit, diuerſis Sacramentis diuerſas gratias correſpondere; & in ſpeciali tribuit Euchariſtiæ, quòd non ſentiamus adeò vehementes tentationes iræ, inuidiæ, luxuriæ, &c. quod quidem non facit Euchariſtia immediatè, ſed mediantibus auxiliis; quod idem cum proportione docet de aliis Sacramentis in ordine ad alios effectus. Ratione verò probatur, quia hoc pacto intelligitur ſufficienter differentia gratiæ Sacramentalis, dicendo, illam non differre ab alia gratia phyſicè in ſua entitate, ſed ſolùm eſſe moraliter diuerſam, propter titulum quem affert ad peculiaria auxilia. Nec poteſt aſſignari, quid aliud addat, niſi hoc; nam quicunque habitus ſuperaddatur, ſuperfluus eſt; gratia enim habitualis affert ſecum habitus infuſos omnium virtutum, & ad omnes actus ſupernaturales, qui in qualibet materia fieri poſſunt; quare homo iuſtus etiam non confirmatus habet habitum infuſum, quo poſſit profiteri fidem. Nec ſufficit dicere, quòd idem habitus datur in excellentiori gradu homini confirmato; quia habitus infuſi ſequuntur menſuram intentionis gratiæ habitualis, quæ cùm poſſit eſſe intentior in homine non confirmato, quàm ſit in aliquo confirmato, habebit etiam eandem intentionem ille alius habitus. Tota ergo differentia debet reduci ad auxilia actualia, & ad eorum exigentiam, quæ facit eſſe diuerſas extrinſecè illas gratias.

Vnde illæ gratiæ ſunt tantum diuerſæ extrin. ecè.

21\. *Duplex difficultas contra hanc doctrinam. Prima eſt retorquendo argumentum.*

Contra hanc communem doctrinam, & eius probationem, in qua noſtri recentiores conquieſcunt, duplex poteſt eſſe difficultas. Prima eſt retorquendo argumentum, ſi enim fieri poſſit, meliùs intelligetur differentia gratiæ Sacramentalis à non Sacramentali, ponendo diuerſitatem intrinſecam inter ipſas gratias: ſicut enim homo ſanctificatur intrinſecè per gratiam, per quam accipit ius intrinſecum, & phyſicum ad gloriam, & per quam habet radicem, & principium intrinſecum habituum infuſorum, & ſicut Sacramenta cauſant characterem phyſicum, per quem homo intrinſecè ſignetur, & habeat poteſtatem ad aliquos actus Sacramentales: ſic eſſet congruentius, ſi acciperet aliquid intrinſecũ & phyſicum, quo intrinſecè ordinaretur ad talia auxilia, & non ſolùm ex decreto extrinſeco Dei. Hoc autem abſque inconuenienti dici poſſet, ſi poneretur ipſa gratia Sacramentalis in ſua entitate diuerſa à gratia non Sacramentali, & habens peculiarem ordinem & exigentiam ad talia auxilia; ex quo non arguitur

differentia

differentia ſpecifica inter vtramque gratiam, ſed ſolùm indiuidualis, & materialis, quo ſicut vnum lumen gloriæ non differt ſpecie ab alio, licèt habeat determinatum, & ſpecialem ordinem ad videndas has creaturas in Verbo, ſed ſolùm differt numero, eò quòd totum illud ordinetur ad videndum meliùs ipſum Deum, qui ſolus eſt obiectum formale; ſic dici poſſet, exigentiam gratiæ in ordine ad hæc auxilia, vel illa eſſe ſolùm materialem, & indiuidualem, eò quòd totum hoc ordinetur ad ſanctitatem bonorum operum, quibus homo æternam beatitudinem promereatur. Et quidem S. Thomas *hoc art.2. in corpore*, videtur æquiparare ordinem ad hæc auxilia cum ordine, quem habet gratia ad habitus virtutum; quare cùm ordo gratiæ ad habitus infuſos ſit in eius ſententia ordo intrinſecus, & phyſicus, conſequens eſt, quòd ordo, quem habet hæc peculiaris gratia ad talia auxilia, debeat eſſe intrinſecus, & non ſolùm ex decreto Dei.

22. *Secunda difficultas eſt ex connexione meriti.* Secunda difficultas eſt; quia poſita illa ſolùm connexione extrinſeca ex Decreto Dei non apparet, quomodo dicatur propriè, & in rigore, hominem per gratiam ipſam habitualem, quam recipit in Sacramento, ſanctificari, & perfici ad tales operationes, prout re vera dicendum eſt; hoc enim ſonare videntur verba Sacramentalis, qualia ſunt illa in ordinatione Diaconi: *Accipe Spiritum ſanctum ad reſiſtendum Diabolo & tentationibus eius*, &c. & illa in ordinatione Presbyteri: *Accipe Spiritum ſanctum; quorum remiſeris peccata, remittuntur eis*, &c. ex quibus colligunt communiter Doctores, per ordinationem conferri gratiam habitualem, quam ſignificat acceptio Spiritus ſancti. Cùm ergo Spiritus ſanctus ſeu gratia habitualis detur ad reſiſtendum diabolo, ſeu ad ſanctè exercendum miniſterium illud, & ad ſanctè miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ; oportet concedere, gratiam ipſam habitualem conducere ad hoc ipſum, & afferre ſecum auxilia, & inſpirationes ad eum finem. Hoc autem non bene intelligitur, ſi Deus ex ſolo ſuo beneplacito, & abſque vlla exigentia ipſius gratiæ dat illa auxilia, poſito Sacramento, quia tunc non magis conduceret gratia, & Spiritus ſanctus, qui datur in Sacramento ad eum finem, quàm ſi daretur lignum, vel lapis, quo poſito Deus decreuiſſet conferre auxilia; ſiquidem gratia non magis ex ſe exigeret illa auxilia, quàm lignum vel lapis. Meliùs ergo, & congruentiùs dicetur, ipſam gratiam habitualem, quæ datur in Sacramento, ex ſua indiuiduatione eſſe talem, vt exigat talia auxilia, atque adeò per ipſam ſanctificari hominem ad tales operationes peculiariter bene exercendas.

23. *Reſpondetur ad primam difficultatem.* Ad primam difficultatem, quidquid ſit, an diuerſitas gratiæ habitualis repugnet, dicendum videtur, in præſenti non eſſe admittendam. Primò, quia, ſi gratia Sacramentalis haberet illud prædicatum intrinſecum, quod non habet gratia non Sacramentalis, ſequeretur, non poſſe ex vtraque reſultare vnam gratiam intenſam; quia licèt ſit probabile, quòd gradus intentionis in qualitate non ſunt omnino homogenei, ſed habeant aliquam heterogeneitatem; illa tamen heterogeneitas non eſt in ordine ad alia prædicata, ſed ſolùm quatenus vnus eſt primus gradus, alius ſecundus, alius tertius, &c. quem ordinem habent intrinſecè per ſuam entitatem; cæterùm non poteſt fieri intenſio ex vna parte cognitionis, v.g. quæ repræſentet Petrum, & ex alia, quæ repræſentet Paulum; nam intenſio tota eſt circa idem ſubiectum, & circa idem obiectum; circa idem enim intenditur qualitas; circa diuerſa verò non intenditur, ſed extenditur; quare ſi homo haberet gratiam vt quatuor, comparatam bonis operibus, quæ non haberet illam exigentiam intrinſecam ad talia auxilia, & poſtea aduenirent alij duo gradus gratiæ Sacramentalis habentis talem exigentiam ſpecialem, non poſſet fieri vna gratia intenſa vt ſex ex vtraque: nam duo poſteriores gradus non intenderent, ſed extenderent priores quaſi ad nouum obiectum, ſcilicet ad talia auxilia, & tales operationes diuerſas; ergo non poſſumus admittere in gratia Sacramentali illam varietatem intrinſecam, quia omnis gratia Sacramentalis de facto poteſt facere intentionem cum alia non Sacramentali præcedenti, vel ſubſequenti.

Dices, poſſe id explicari iuxta doctrinam à nobis 24. traditam *tom.1. de Incarnatione, diſp.6. ſect.2.* vbi diximus, *Inſtantia.* augmentum gratiæ aliquando fieri non per maiorem intenſionem gratiæ præcedentis, ſed per commutationem illius in aliam ſubſtantialiter perfectiorem; vt ſi præcedens quæ dabat ius ad lumen gloriæ & viſionem centũ creaturarum in Deo, commutetur in aliam, quæ det ius ad viſionem mille creaturarum, vel centum perfectiorum in Deo, quæ ſanè gratia non poſſet facere intenſionem cum præcedenti. Sic ergo poſſet gratia præcedens, adueniente Sacramento, non intendi, ſed commutari in aliam perfectiorem habentem ſpeciale ius ad talia auxilia.

Sed contra hoc eſt; quia in primis gratia illa Sa- 25. cramentalis ſemel producta poſſet, quantum eſt ex *Diluitur.* ſe, poſtea intendi per gratiam acquiſitam meritis: illud autem augmentum, vel haberet eundem ordinem, & titulum ad auxilia ſpecialia, vel non; ſi dicas primum; ergo illud etiam augmentum eſſet gratia Sacramentalis, licèt non daretur intuitu Sacramenti, ſed propter merita; ſi dicas ſecundum; ergo illud augmentum non faceret intenſionem cum gratia præcedenti Sacramentali; quia priores gradus exigerent talia auxilia ſpecialia, ad quæ poſteriores gradus non haberent talem ordinem, aut exigentiam. Vnde nec ſatisfacit, ſi dicas, gratiam illam Sacramentalem poſtea aduenientibus meritis, non manere eandem, ſed commutari in aliam perfectiorem: hoc, inquam, eodem modo impugnatur; nam illa alia gratia, quæ poſtea reſultat reſpondens Sacramento, & meritis ſequentibus, vel tota habet talem exigentiam ad illa auxilia ſpecialia Sacramentalia, vel non: ſi dicas primum, habetur ergo abſque nouo Sacramento maior, vel melior exigentia illorum auxiliorum, quàm antea; cùm tota gratia ſubſequens, & totum eius augmentum, dandum per totam vitam, habeat ſemper talem exigentiam ſpecialem auxiliorum; ſi verò dicas ſecundum; ergo illa etiam ſecunda gratia, quoad partem ſui habebit talem exigentiam, & quoad partem, non habebit, & per conſequens non poterit conflari ex vtraque vna gratia, etiam per intenſionem, ſed duplex.

Secundò, non poteſt explicari, qualis ſit illa ſpe- 26. cialis exigentia intrinſeca huic gratiæ; nam vel exi- *Secundò reſpondetur.* git gratia Sacramenti Confirmationis, v.g. quòd adueniente occaſione, & interrogatione tyranni, hic homo habeat auxilium efficax ad confitendam fidem: & hoc non poteſt dici, quia experientia conſtat, non deberi ex Sacramentis talia auxilia efficacia; multi enim poſt accepta Sacramenta deficiunt: Vel ſolùm exigit, quòd in illa occaſione detur auxilium ſufficiens; & hoc eſt quidem commune omni gratiæ habituali; nam eo ipſo, quòd eleuat hominem, & conſtituit in ſtatu ſupernaturali, exigit quòd quoties proponitur ſufficienter obiectum, & adeſt occaſio operandi, detur illi concurſus proportionatus ad hoc, vt operetur circa illud per actus

ſuper

ſupernaturales, & per conſequens vt excitentur motiua fidei ſufficienter ad mouendum, & omnia, quæ requiruntur in actu primo: ergo illa exigentia auxilij ſufficientis non eſt prædicatum proprium ſolius gratiæ Sacramentalis. Vel denique exigit illa gratia auxilia, non quidem determinatè efficacia, ſed tamen abundantiora, & intenſiora, quàm aliàs deberentur. Et quidem nec hoc poteſt eſſe connaturale, & intrinſecum gratiæ habituali; quia cùm gratia ſit quaſi prima eſſentia, & natura in ordine ſupernaturali, à qua fluunt alij habitus, quaſi eius paſſiones, conſequens eſt, vt exigat eos in eadem menſura intenſionis, in qua eſt ipſa gratia, non
24. *Infirmatur.* in maiori; vnde etiam operationes, ſeu actus ſupernaturales non poteſt exigere ex natura ſua in maiori intenſione, quia cùm non ordinetur ad actus, niſi mediis potentiis, ſeu habitibus infuſis, non poteſt ex natura ſua exigere actus intenſiores, quàm habitus: ergo ſolùm exigit auxilia eiuſdem intenſionis, & proportionis, atque adeo non intenſiora, ſed qualia iuxta vires, & attentionem præſentem poſſunt elici ab intellectu, & voluntate circa obiecta propoſita: non ergo apparet, qualis ſit illa exigentia phyſica, & intrinſeca gratiæ Sacramentalis.

Bene autem explicatur in noſtra ſententia. Si autem ponatur exigentia extrinſeca ex decreto Diuino, poteſt bene explicari dicendo, quod gratia Sacramenti Confirmationis, v. g. licèt ipſa in ſe ſit
25. *Diluitur.* vt duò; provt tamen collata eſt per tale Sacramentum à Deo, exigit ex ordinatione Diuina, quod homini Confirmato dentur, occurrente occaſione, auxilia abundantiora, & intenſiora ad profitendam fidem; nam licèt ex ſe, & intrinſecè non habeat talem exigentiam, poteſt tamen illam habere extrinſecè ex ſuppoſitione ordinationis Diuinæ.

27. *Reſponſio ad ſecundam difficultatem.* Ad ſecundam vero difficultatem fatemur, per gratiam habitualem quæ datur in Sacramento, ſanctificari hominem in ordine ad tales effectus; nec habere ſe illam gratiam, ſicut lignum, aut lapidem, quem Deus poneret ad illos effectus. *Probatur primò.* Primò, quia omnis gratia habitualis de ſe (vt diximus) exigit auxilia ad reſiſtendum tentationibus, & ad bene operandum in qualibet materia; quare poterit Deus dare hanc gratiam hic, & nunc generali quidem intentione propter omnem operationem bonam, peculiari autem, & magis ſpeciali propter operationes honeſtas in tali materia, ad quas etiam petit auxilia hæc gratia, & ideo ex intentione Dei datur magis propter hæc auxilia, quàm propter alia. *Secundò probatur.* Secundò, licèt hæc gratia ex ſe non exigat auxilia intenſiora ſuis habitibus, negari tamén non poteſt, quòd homo iuſtus per ſua bona opera poſſit mereri de congruo talia auxilia intenſiora; ſimiliter ipſe homo iuſtus, ſicut eſt obiectum congruum amicitiæ Diuinæ, ſic etiam eſt talis, cui Deus congruè, & rationabiliter poſſit conferre auxilia illa abundantiora, & intenſiora, nam in amicum talia beneficia congruè conferuntur; affert ergo gratia habitualis homini hanc congruitatem, quam non habebat priùs etiam in ordine ad auxilia intenſiora; quam congruitatem non affert lignum, vel lapis:
26. *Secundò refellitur [illegible]* vnde reſpectu eorum donorum, & auxiliorum non ſe habebit gratia per accidens, ſed per ſe, & vt radix ſaltem congrua, cuius intuitu conferantur. Ad hoc ergo datur in Sacramento illa gratia habitualis, ſcilicet vt ſit radix exigens phyſicè, & quaſi ex debito auxilia ordinaria, & vt ſit radix congrua; ratione cuius Deus det auxilia maiora in tali materia, quæ ideo dicuntur dari mediante gratia habituali, licèt non habeat peculiarem exigentiam talium auxiliorum.

28. Poſſumus autem hoc declarare exemplo ipſius gratiæ habitualis in ordine ad tollenda peccata venialia; nam licèt gratia ſecundùm ſe non habeat repugnantiam cum peccato veniali, provt tamen confertur in Sacramento Pœnitentiæ ad mundandum hominem à culpis venialibus, quas rite confeſſus eſt, habet repugnantiam cum illis, & datur ad mundandum hominem ab illis; quia nimirum ipſa entitas gratiæ, licèt non repugnet formaliter cum illis, ex ſe tamen, quando confertur, affert nouum titulum ad condonationem aliquarum offenſarum leuium, reddit enim hominem magis charum, & amicum Deo; quoties autem aliquis magis arctam amicitiam contrahit cum amico, ſolet illi aliquas leues noxas condonare; affert etiam titulum congruitatis, vt Deus intuitu illius arctioris amicitiæ condonet homini omnes offenſas præteritas, quæ condonatio fit aliquo modo, mediante illa gratia, quæ ideo dicitur dari in Sacramento ad mundandum hominem à culpis venialibus. *Declaratur in peccatis venialibus quod remittitur.* Sic etiam dicimus, dari gratiam in Sacramentis ad hoc vt homo per ipſam fiat habilior, & promptior ad reſiſtendum talibus tentationibus, vel operandum in tali materia; quia Deus intuitu illius gratiæ habitualis confert homini auxilia, quibus faciliùs poſſit elicere illas operationes honeſtas; & ad hunc potiſſimum finem dat homini gratiam habitualem, vt habeat titulum nouum, cuius intuitu det talia auxilia gratiæ actualis.

Hinc infero primò contra aliquos recentiores, eiuſmodi auxilia, & effectus gratiæ Sacramentalis non deberi homini non accipienti in Sacramento gratiam habitualem, vel qui acceptam perdidit. 29. *[illegible]* Cùm enim dentur, media gratiâ habituali tanquam radice aliquo modo eos exigente; ablata gratia non debentur. Quod videntur ſupponere communiter Theologi, & expreſſè Suarez *in præſenti diſp. 7. ſect. 4. §. ſecundò colligitur*, & Henriquez *lib. 1. de Sacramentis in genere, c. 12. n. 5. & 8.* infert, eiuſmodi gratiam auxiliorum recuperari per pœnitentiam, quando aliquis gratiam habitualem in Sacramento acceptam poſtea peccato perdidit; quia illud ius ad auxilia conſequitur gratiam habitualem in Sacramento collatam ita vt cum ipſa amittatur, & cum ipſa reſurgat. *Suarez. Henriquez. Quod ea gratia perditur, cum eadem poſtea recuperatur.* Quod videtur eſſe iuxta mentem Cypriani *ſerm. de Ablutione pedum*, vbi inter alia ſic ait: *Deus reuerſis dat, vt iterum poſſint eis Sacramenta prodeſſe, quorum, ſi pœnitentia non ſubeſſet, nullo modo deinceps experiri poſſent effectum.* *Cyprianus.* Et quidem doctrina huius corollarij videtur eſſe iuxta mentem fidelium, quia Sacramenta cum obice ſuſcepta exiſtimant eſſe inutilia, atque adeò nullam afferre ſanitatem, imò potiùs morbum, & mortem, provt Eccleſia canit de Euchariſtia in peccato ſuſcepta: *Mors eſt malis, vita bonis*; ergo non affert tunc ius ad auxilia vberiora; nam ſi hoc afferret, aliquam afferret ſanitatem; illa enim ſunt auxilia gratiæ ſanantis, & per conſequens per multas communiones in peccato haberet homo plurima auxilia ad reſurgendum, & non peccandum, cuius oppoſitum omnes credunt. *Probatur hic [illegible] ex mente fidelium.* Hoc etiam ſonant verba illa ſuprà relata formæ Sacramentalis in Diaconatu: *Accipe Spiritum ſanctum ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus eius*; vbi auxilia ad reſiſtendum diabolo non promittuntur, niſi per aduentum Spiritus ſancti, qui non aduenit, niſi per infuſionem gratiæ habitualis. *Concluſio.* Hinc autem colligitur, ſicut non adueniente gratia, non acquiritur illud ius ad auxilia; ſic abeunte eadem gratiâ per peccatum, amitti etiam illud ius, quia eadem eſt vtriuſque connexio in conſeruatione, ac in prima introductione, cùm nulla ſit ratio diſparitatis.

Sed

30. *Inſtantia.* Sed dicet aliquis : ſi hi effectus Sacramentales impediantur per ſuperuenientem peccatum ; ergo ille, qui ſuſcepit Sacramentum, & poſtea peccauit, tenetur ſub nouo peccato ad confitendum ſtatim, vel ad habendam contritionem, vt iuſtificetur, ne ponat obicem illis nouis effectibus Sacramenti, quod ſuſcipit, qui impediuntur per ſtatum peccati. *Diluitur.* Reſpondetur negando ſequelam : non enim tenetur homo ad auferendum obicem omnibus effectibus Sacramenti; ſatis eſt, quando confertur Sacramentum, curare, ne ſit obex eius effectui principali. Sic enim pœnitens non peccat poſtea, ſi tempore, quo implet pœnitentiam impoſitam, ſit in peccato, & per accidens impediatur effectus illius ſatisfactionis Sacramentalis; ſicut & ille, qui accepit in gratia Euchariſtiam, & peccauit lethaliter, dum adhuc eam habebat in ſtomacho, non tenetur ſub mortali ad procurandam ſtatim iuſtificationem, ne impediat nouos effectus gratiæ, quos Sacramentum, dum eſt in ſtomacho, continuè operatur, iuxta aliquorum ſententiam : ſic nec in præſenti tenetur homo auferre obicem omnibus auxiliis, quæ poſſunt dari intuitu Sacramenti ſuſcepti, ſed ſufficit abſtuliſſe obicem effectui principaliori, nempe gratiæ habituali.

31. *Infertur ſecundò.* Infero ſecundò, hos effectus non ita eſſe Sacramentis alligatos, vt ſine Sacramento obtineri non poſſint, & de facto non obtineantur : contingit enim plures ſine Sacramento Confirmationis habere auxilia vberiora ad profitendam fidem ; & ſic de aliis Sacramentis : nam illa auxilia ſunt dona Dei, qui licèt ea promiſerit accipientibus Sacramenta, non negauit non accipientibus ; ſicut etiam ipſam gratiam habitualem, quam Deus promiſit accipientibus Sacramenta, dat extra Sacramenta in multis caſibus. *Inſtantia.* Dicunt aliqui, hanc gratiam auxiliorum ſpecialium nunquam dari, niſi per Sacramenta in re, *Soluitur.* vel ſaltem in voto. Sed contrà ; quia ſi ſermo eſt de voto explicito, hoc eſt manifeſtè contra experientiam ; multi enim, qui non habent votum, aut propoſitum ſuſcipiendi Confirmationem, nec illius recordantur, accipiunt auxilia Dei abundantiſſima ad profitendam fidem ; ſi verò ſermo ſit de voto implicito ; non videtur habere locum in præſenti materia : nam Sacramentum in voto tunc dicitur operari, quando effectus habetur per aliquid, in quo includitur implicitè deſiderium, aut propoſitum recipiendi illius Sacramenti, qualis eſt contritio, in qua includitur implicitè propoſitum ſeruandi omnia præcepta, & per conſequens confitendi, cùm detur præceptum Confeſſionis ; atqui non datur tale præceptum graue Confirmationis, nec etiam Extremæ-Vnctionis iuxta veriorem ſententiam ; ergo nec in contritione, nec in alio actu ſimili continetur votum implicitum horum Sacramentorum.

SECTIO IV.

Vtrùm Sacramenta nouæ Legis cauſent phyſicè, vel moraliter gratiam?

32. *Suarez. Vaſquez.* QVæſtio celebris eſt, & quam ſua contentione, & diſputatione celebriorem reddiderunt P. Suarez, & P. Vaſquez in præſenti, & alii in locis, præſertim ille *tom. 1. in 3. p. diſp. 31. ſect. 6.* in poſteriori editione: hic verò *1. p. diſp. 176.* Nos longiorem controuerſiam ad breuitatem reducere, & quantum fieri poterit, in hac quæſtione ab aliis difficilioribus abſtinere curabimus.

Supponitur primò hic non ſumi Sacramentū prout includit inſtitutionem diuinam. Suppono primò, non eſſe quæſtionem de Sacramento completè ſumpto ſecundùm totum, quod includit in ratione Sacramenti. Nam vt ſic, omnia Sacramenta cauſant aliquo modo phyſicè gratiam. Sacramentum enim, vt ſuprà vidimus, pro formali includit etiam inſtitutionem Diuinam, à qua formaliter habet eſſe ſignum practicum infallibile gratiæ : inſtitutio autem Diuina eſt actus, ſeu decretum aliquod diuinæ voluntatis; quod quidem aliquo modo concurrit phyſicè ad ponendam gratiam ; ab illo enim decreto ſuo mouetur voluntas Diuina, vel ſicut ab intentione, vel ſicut ab actu imperante, vel alio ſimili modo ad voluntatem producendi gratiam hîc & nunc, qui modus concurrendi eſt phyſicus, vt conſtat, nam intentio non concurrit ſolùm moraliter, ſed phyſicè ad electionem mediorum : & actus imperans ad actum imperatum, ſiue ille concurſus ſit propriè cauſæ efficientis, ſiue in genere cauſæ formalis, ſeu diſpoſitionis; ſemper tamen in aliquo genere phyſico : ergo Sacramentum ex ea ſaltem parte, qua includit Diuinam inſtitutionem, poteſt dici, quòd concurrat phyſicè ad gratiam ponendam. Controuerſia itaque non eſt de Sacramento adæquatè accepto, ſed de Sacramento pro materiali : hoc eſt, de illo, quod ſubeſt inſtitutioni Diuinæ, an ipſa Sacramenta materialiter, & ſpecificatiuè accepta concurrant vt cauſæ phyſicæ, vel ſolùm vt cauſæ morales.

33. *Supponitur ſecundò non quæri an cauſent moraliter.* Suppono ſecundò, neque etiam eſſe quæſtionem, an Sacramenta ſint cauſæ morales gratiæ? Omnes enim debent fateri ea de facto habere eiuſmodi cauſalitatem moralem, ſiue ſolam, ſiue ſimul cum cauſatione phyſica. Nam cauſa moralis eſt, quæ mouet agens phyſicum ad volendum operari : Sacramenta autem poſita mouent proculdubio Deum, vt velit producere gratiam, ſiue ipſe ſolus, ſiue ſimul cum ipſo Sacramento ; nam ſunt conditiones, ſub quibus Deus promiſit gratiam : debitor autem, qui ſub conditione promiſit, mouetur ab ipſa conditione poſita ad volendum dare, quod promiſit. Sunt item actiones, & operationes Chriſti per ſuos miniſtros, vt poſtea videbimus, quibus repræſentat Deo ſua merita, vt obtineat gratiam pro hominibus ; quæ proculdubio habent maximam vim ad mouendum Deum : habent ergo totum, quod requiritur ad cauſandum moraliter gratiam, & alios effectus. Quæſtio itaque non eſt, an ſint cauſæ morales gratiæ : ſed an cauſent ſolùm moraliter, vel ſimul etiam phyſicè ſuos effectus?

34. *Duplex ſententia, prima eſt Suarez, affirmās concurrere phyſicè. Secunda Vaſquez negans.* Duplex ergo ſententia eſt : vtraque ſatis communis. Prima affirmat, Sacramenta habere influxum phyſicum inſtrumentalem, quo phyſicè producant gratiam in recipiente Sacramentum. Hanc ſequuntur ferè Thomiſtæ, & alij, quos refert, & ſequitur Suarez : ſecunda ſententia negat influxum phyſicum, & concedit ſolùm moralem, quatenus Sacramenta ex Diuina inſtitutione habent vim mouendi Deum infallibiliter ad dandam gratiam. Hanc tenent alij plures, quos refert, & ſequitur Vaſquez, qui latè probat, nec potuiſſe id diuinitus ita fieri, vt res, quæ ex ſe non habent virtutem, ad aliquem effectum producendum, nec vllam cum ipſo proportionem, ex ſolo beneplacito Diuino illum phyſicè producant. Eandem tenet P. Salas *diſp. 24. de legib. ſect. 6. n. 37.* *Salas.*

35. *Supponitur potentia obedientialis actiua.* Ego pro nunc à quæſtione Philoſophica omnino abſtineo, an ſcilicet detur in rebus omnibus illa potentia obedientialis actiua, qua eleuari poſſint ad producendum quodlibet aliud : independenter enim ab eo principio, & admiſſa potentia illa obedientiali actiua, negatiua pars multò magis mihi placet, loquendo de facto, non quia fieri non poſſet, ſed quia non expedit, nec eſt ſufficiens fundamentum

mentum ad id affirmandum; non debemus autem res noſtræ fidei abſque neceſſitate difficiliores, & obſcuriores reddere, ſed potiùs quantum fieri poſſit, faciliores, & magis ad captum vulgi, & infidelium accommodatas.

Multa adducuntur argumenta ab Auctoribus huius ſententiæ ad ipſam probandam, & ad impugnan-
36. *Impugnatur prima ſententia.* dam oppoſitam. Primo, quia gratia non producitur, niſi per creationem; vt colligitur ex S.Thom. *Primum argumentum eſt quia gratia fit per creationem.* 1.2.q.110.art.1.ad 3 & ex illo ad Epheſ.2. *Creati in Christo*; & ad Galat. 1. & vlt. *noua creatura.* Nulla autem creatura poteſt attingere phyſicè creationem; ergo Sacramenta non poſſunt phyſicè producere gratiam. *S.Thom.*

Aliqui ex Auctoribus primæ ſententiæ dicunt,
37. *Reſpondent quidam huic argumento.* Sacramenta non concurrere immediate ad ipſam entitatem gratiæ, ſed ad aliam qualitatem, quæ ſit diſpoſitio ad gratiam, quæ in aliquibus Sacramentis eſt character; in cæteris vero, quæ non imprimunt characterem, eſt quidam animæ ornatus ſpiritualis, qui vltimo diſponit ad gratiam, & ideo dicuntur producere gratiam nam qui producit vltimam diſpoſitionem, dicitur producere formam.

Hoc tamen communiter diſplicet, & meritò; *Reijciuntur communiter.* quia talis qualitas eſt omnino conficta, & ſine illa datur gratia extra Sacramentum, non ergo requiritur illa diſpoſitio ad productionem gratiæ; nec character eſt diſpoſitio ad gratiam, ſed habet ſecum illam concomitanter, & poteſt manere ſine illa ſicut & gratia ſine charactere. Deinde eadem eſt difficultas de illa qualitate ſupernaturali, & de gratia, nam ſicut illa poteſt produci aliter quàm per creationem, & attingi à Sacramentis, licèt ſit qualitas ſupernaturalis, non eſt cur non dicatur idem de ipſa gratia. S.Thomas verò, qui *in 4.d.1.q. art.4.* videtur docere illud de productione qualitatis, quæ ſit diſpoſitio ad gratiam, cenſetur in hac *q.62.art.1.* illam ſententiam tacitè retractaſſe, vt fatentur Caietanus, & alij, quos ſequitur Vaſquez *in præſenti n.42.*

Alij dicunt gratiam quidem produci à ſolo Deo
38. *Reſpondent alij.* vnionem verò gratiæ cum anima produci à Sacramentis, quæ licèt non faciant gratiam, faciunt tamen hominem eſſe gratum, & iuſtum. Sicut animæ rationalis creatur à ſolo Deo; vnio vero animæ cum materia producitur à generante. Hoc etiam *Diſplicent etiam.* communiter reijcitur, tum quia Concilia, & Patres non ſolùm dicunt, Sacramenta cauſare hominem gratum, & iuſtum, ſed etiam ſimpliciter dicunt cauſare gratiam, continere gratiam, &c. producere autem ſolam vnionem, non ſufficit ad hoc; ſicut nec pater generans hominem, & producens vnionem animæ cum corpore dicitur ſimpliciter producere animam filij: tum etiam, quia gratia non eſt ſicut anima; hæc enim eſt independens à ſubiecto in ſuo eſſe; at verò gratia non poteſt eſſe ſine ſubiecto, à quo dependet, ſicut aliæ formæ accidentales; quare ſicut in alijs illud agens, quod producit vnionem formæ, producit etiam ipſam formam; ſic erit in gratia habituali.

Totum ergo illud argumentum deſumptum ex
39. *Infirmum tamen eſſe primum illud argumentum oſtenditur.* creatione gratiæ, infirmum eſt; tum quia gratia non creatur, ſed educitur ex potentia ſubiecti, ſicut aliæ formæ ſupernaturales, viſio Dei, lumen gloriæ, &c. loca verò Scripturæ, quæ indicant creationem, intelliguntur de creatione in genere moris, quatenus in prima iuſtificatione gratia datur abſque vllis meritis præcedentibus, atque adeò fit quaſi ex nihilo in genere moris: tum etiam, quia etiamſi gratia produceretur per creationem, poſſet dici, Sacramenta eleuari à Deo per potentiam obedientialem actiuam ad productionem gratiæ; nam qui illam potentiam concedunt, non minus concedunt, poſſe eleuari lignum ad creandum Angelum, quàm ad producendum equum.

Secundum argumentum eſt, quia nullum agens 40. *Secundum argumentum ſumitur ab actione in diſtans.*
poteſt agere in diſtans, ſæpe autem contingit, Sacramenta diſtare localiter à ſubiecto, in quo produci debet gratia, vt in Sacramento Pœnitentiæ verba abſolutionis, & in Sacramento Ordinis verba Epiſcopi prolata poſt contactum materiæ, &c. Sed neque hoc argumentu vtor, quia reſpondent, illam conditionem propinquitatis requiri ad connaturaliter operandum, non verò de potentia abſoluta; de quo non eſt nobis nunc diſputandum. *Reijicitur tamen.*

Tertium argumentum eſt, quia vel Sacramenta 41. *Tertium argumentum.*
habent ex ſe virtutem ad producendam gratiam, & ſic non indigebunt eleuatione Dei; vel illam non habent, & ſic oportebit illis addere nouam virtutem, vt poſſint gratiam producere: hæc autem virtus, vel erit qualitas ſpiritualis, vel materialis; ſpiritualis eſſe non poteſt, cùm recipi debeat in ſubiecto corporeo; ſed nec materialis, quia non poſſet continere effectū ſpiritualem & perfectiſſimū, qualis eſt gratia. P. Suarez, P. Vaſquez, & alij recentiores acriter impugnant hanc virtutem, quæ ſit qualitas ſupernaturalis addita Sacramentis. Ego tamen, ſi 42. *Reſpondetur tamen argumento.*
Sacramenta phyſicè producerent gratiam, conſequenter eam concederem; quia licèt poſſent ſine qualitate ſuperaddita eleuari ad operandum, ſicut etiam intellectus ſine lumine gloriæ poſſet eleuari ad producendam viſionem Dei; connaturaliter tamen, ſicut intellectus eleuatur per qualitatem intrinſecam luminis gloriæ, ſic Sacramenta deberent eleuari per aliquam qualitatem intrinſecam, vt notaui in materia de Viſione beata. Neque enim aſſignari poteſt ſufficiens ratio diſcriminis ex eo, quod viſio ſit actus vitalis, & ideo requirat principiū intrinſecū, nam vitalitas viſionis (vt ibi dixi) non eſt in ordine ad lumen gloriæ, ſed in ordine ad intellectū; nec anima operatur vitaliter aut ab intrinſeco, quatenus operatur per lumen, ſed quatenus concurrit per ſuam ſubſtantiam, ſeu per ſuū intellectum, ſicut nec operatur oculus ab intrinſeco, quatenus operatur per ſpeciem albedinis, (prout ſic enim magis dicitur moueri ab extrinſeco, ſcilicet ab obiecto) ſed quatenus operatur per ſuam potentiam viſiuam: vnde peccator etiam, qui abſque habitibus infuſis eleuaretur à Deo ad eliciendos actus ſupernaturales virtutū, operaretur vitaliter, & ab intrinſeco. Ratio ergo vniuerſalis, cur debeat poni qualitas intrinſeca ad illos actus, eſt, quia connaturaliter loquendo debet, quantū fieri poſſit, principium in actu primo proportionari intrinſecè cū effectu, ita vt comparetur ad effectū, ſicut radix ad fructum, vel ad ramum & ita vt ſit proportio mutua inter effectum & principium: quare quando principium ex ſe nullam habet proportionem cum effectu, debet ſuperaddi aliquid, per quod reddatur proportionatū, & aptum ad illum producendum: ideo enim in peccatore manent habitus fidei, & ſpei, vt connaturaliter poſſit elicere actus illarum virtutum, quia licèt de potentia abſoluta poſſet illos etiam producere abſque habitibus, per ſolam eleuationem extrinſecam; non tamen ita connaturaliter: ideo etiam dixi in eodem loco, & in materia de Gratia, quòd quando non dantur habitus infuſi, eleuatur homo ad actus ſupernaturales de facto, non quidem merè extrinſecè (licet id diuinitus non repugnet) ſed intrinſecè per aliquam qualitatem intrinſecam tranſeuntem, per quam in actu primo reddatur principiū proportionatū ad illos actus: quo etiam modo eleuatur homo iuſtus ad eliciendos actus ſupernaturales intenſos *Ratio vniuerſalis noſtra doctrina.*

ſupra intentionem habituum infuſorum, quos habet. Sic ergo conſequenter dicendum eſſet, Sacramenta eleuari per aliquam qualitatem intrinſecam ſupernaturalem ad hoc, vt producerent gratiam. An verò eſſet materialis, vel ſpiritualis, dicendū etiam eſſet conſequenter, eſſe materialem, ſi poſſibilis eſt qualitas materialis, quæ ex natura ſua ordinaretur ſaltem vt cauſa partialis, & minùs principalis, ad producendam gratiam ſimul cum Deo, vt cum auctore, & cauſa principaliori; ſi autem eiuſmodi qualitas repugnaret, ponenda eſſet ſpiritualis, quæ ex natura ſua exigeret ſubiectum ſpirituale, diuinitus tamen poneretur in ſubiecto materiali; hoc enim non eſt contra conceptum qualitatis ſpiritualis, ad quam ſatis eſt, ſi ex ſe non petat pendere à materia, vel quantitate: ſi autem neque eſſet poſſibilis talis qualitas ſpiritualis, tunc eleuaretur Sacramentū per extrinſecam eleuationem, quia connaturalitas ſolùm exigit, quòd, quantum fieri poſſit, cauſa ſit in actu primo proportionata; ſi autem id fieri non poteſt, non mirum quòd ſolùm extrinſecè eleuaretur.

43. *Vaſquez. Obiectio contra illā qualitatem.*

Obiicit P. Vaſquez *n. 36.* contra illam qualitatem ſuperadditam; quia ſi illa ex natura ſua aptaret Sacramenta ad productionem gratiæ, non eſſet Sacramentum inſtrumentum, ſed cauſa principalis in productione gratiæ; quod tamen eſt contra aduerſarios.

Reſpondetur.

Sed hoc in mea ſententia parum vrget; dixi enim in Philoſophia, cauſam inſtrumentalem eſſe omnem, & ſolam illam, quæ operatur per virtutem non ſuam propriam, ſicut ſerra, quia operatur per impulſum ab artifice impreſſum, dicitur inſtrumentū, licèt ille impulſus ſit qualitas inhærens ſerræ, & proportionata cum effectu. Similiter ergo aqua produceret gratiam tanquam inſtrumentum Dei, ſi operaretur per virtutem illam, ſeu qualitatem ſuperadditam, quæ non eſſet propria ipſius aquæ, ſed omnino præter eius exigentiam, vt conſtat.

44. *Quartum argumentum petitur ex eo quòd non poſſit, v. g. oculus eleuari ad audiendum.*

Quartum argumentum eſt, quia repugnat diuinitus, intellectum noſtrum eleuari ad volendū, aut voluntatem ad intelligendū, vel oculum ad audiendum, &c. ergo non poteſt quodlibet eleuari ad quodlibet, atque adeò nec aqua poterit eleuari ad producendam gratiam.

Reſpondetur.

Ad hoc argumentum diximus in materia de Viſione Dei, vbi conceſſimus, poſſe diuinitus oculum eleuari ad producendum actum audiendi, & è contra; poſſe etiam intellectū producere volitionem, & voluntatem poſſe producere intellectum; non tamen poſſe voluntatem intelligere, nec intellectum velle, aut auditum videre, vel oculum audire; quia hæ denominationes non ſolùm includunt efficientiam, ſed vtilitatem, & concurſum in genere cauſæ materialis, per modum ſubiecti proportionati; quæ autem, & quanta debeat eſſe illa proportio, ibi latè explicuimus; nunc autem id non repetimus, quia abſtinemus à quæſtione de poſſibili, vt dixi, & ſolùm negamus, de facto illam cauſalitatem phyſicam Sacramentis competere.

45. *Quintum argumentum eſt, quia gratia in inſtāti producitur in quo iam nō eſt Sacramentū.*

Quintum argumentum eſt, quia gratia producitur in inſtanti vltimo, in quo iam non eſt Sacramentum, quod cùm ſit ens ſucceſſiuum, ſcilicet prolatio verborum, vel motus localis ablutionis, &c. debet deſinere per primam non eſſe; ergo non poteſt produci phyſicè gratia à Sacramento, quod iam non eſt.

Solutio Patris Suarez.

Ad hoc argumentum reſpondent P. Suarez, & alij, qui defendunt primam ſententiam, in illo vltimo inſtanti dari adhuc aliquid Sacramenti, ſcilicet vltimum terminatiuum intrinſecum illius; nam ſicut in linea datur punctum, quod vltimò terminat intrinſecè lineam, ſic etiam in motu ſucceſſiuo; quare in illo inſtanti exiſtit Sacramentum prout terminatum, & operatur per aliquid ſui. P. Vaſquez *c. 4.* latè impugnat hanc ſolutionem, probans, in motu non dari eiuſmodi indiuiſibilia terminatiua, licèt dentur in quantitate permanenti. *Impugnatur à Vaſq.*

Sed eius argumenta & doctrina in hoc puncto multa habent difficilia, de quibus vidimus ſect. 6. Nunc abſtineamus à difficultate Philoſophica, & argumento illo, quod adhuc habet non parum ponderis pro noſtra ſententia; quia dato, quod illud vltimum indiuiſibile Sacramenti cauſet phyſicè gratiam, adhuc videtur concedendum, quod Sacramenta maiori ex parte cauſent ſolùm moraliter: nam tota cauſalitas phyſica reducitur ad vltimum indiuiſibile Sacramenti, quod quidem non eſt Sacramentum, ſed indiuiſibile Sacramenti; omnes autem partes Sacramenti, quæ iam non ſunt, non cauſant phyſicè, ſed ſolùm moraliter: ergo in hac ſententia non vitiatur, ſed ferè quoad totum Sacramentum conceditur cauſalitas ſolùm moralis, quam impugnat. *Poſita tamen ſolutione Suarez vrgetur adhuc.*

Dicunt, totum Sacramentum cauſare phyſicè per illud vltimum ſuum indiuiſibile; ſicut licèt homo ſolùm videat per oculum, dicitur homo videre: & qui tangit ſuperficiem tabulæ, dicitur tangere phyſicè tabulam. 46. *Inſtantia.*

Diluitur. Sed contra hoc eſt; quia licèt, quod attinet ad denominationes, illæ tribuantur toti, quia denominationes ſunt ſuppoſitorum: in noſtro tamen caſu illa regula non valet, quia prolatio verborum non eſt vnum ens per ſe, ſed aggregatum ex diuerſis vocibus nullam habentibus vnionem inter ſe, quare actio vltimæ ſyllabæ non poteſt vllo modo tribui phyſicè, etiam quoad denominationes, ſyllabis, vel vocibus præcedentibus: nam illa vltima ſyllaba neque agit vt inſtrumentum phyſicum ſyllabarum præcedentium, cùm ab eis nullam virtutem accipiat, ſed à ſolo Deo, neque ex natura ſua ſit virtus illatum, neque etiam cum illis componit totum, ratione cuius compoſitionis actio vnius partis tribui debeat omnibus: ergo ſolùm reſtat, quòd voces præcedentes cauſent moraliter, quatenus mouent Deum ad operandum phyſicè per illud vltimum indiuiſibile, cum quo non concurreret, niſi præcedentes voces mouerent Deum, atque ideo relinquerent ſuam quaſi virtutem, & efficaciam moralem in vltima ſyllaba.

Dices: licèt ex illis vocibus, non reſultet aliquod totum, quod ſit vnum ens per ſe, reſultat tamen vnū aggregatum ſucceſſiuum in ratione vnius orationis completæ, in qua etiam poſſunt prædicata vnius partis tribui toti. 47. *Inſtantia.*

Soluitur. Sed contrà, quia tota hæc vnitas, quæcunque illa ſit, phyſicè loquendo, non eſt maior cum illis vocibus eiuſdem formæ Sacramentalis, quàm cum vocibus etiam præcedentibus orationum, & canonis, v. g. ergo ſi ratione illius vnitatis dicuntur verba præcedentia cauſare phyſicè conſecrationem, ſic etiam de toto canone, & de tota Miſſa id poſſumus dicere, vel ſaltem non magis cauſare phyſicè verba conſecrationis, quàm orationes præcedentes; ſi ergo aliqua maior cauſalitas tribuenda eſt verbis præcedentibus conſecrationis, illa non eſt phyſica, ſed moralis fundata in vnitate morali maiori, quam habent verba conſecrationis ſequentia cū præcedentibus, & in vi, quam habent, vt moueant Deum ad effectum producendum, quæ vis non eſt in aliis orationibus præcedentibus; ſi ergo maiori ex parte concedendum eſt, Sacramenta ſolùm moraliter cauſare gratiam, parum refert illius indiuiſibilis cauſalitatem phyſicam ſuſtinere, de qua nemo prudens dicet, Patres fuiſſe adeò ſollicitos, quando Sacramentorum vim, & efficaciam commemorabant: loquebantur enim de toto Sacramento, non de vno indiuiſibili vltimæ ſyllabæ.

Sed quidquid de hoc ſit, probatur vlterius con- 48.

cluſio

Quidquid ſit probatur concluſio ex natura ipſius gratiæ.

cluſio ex natura ipſius gratiæ, quæ quidem ex ſe poſtulat produci efficienter à ſolo Deo, à quo ſolo infunditur extra Sacramenta; quando autem aliquis effectus ex ſe petit procedere ab aliqua cauſa, & non alia, non debemus inuertere hunc ordinem ſine vrgenti neceſſitate, aut ratione, ideo enim non ponimus de facto ſpeciem impreſſam ad viſionem Dei, etiamſi poſſibilis ſit, quia nimirum viſio ex natura ſua petit procedere ab obiecto, & non à ſpecie, quoties obiectum eſt proportionatum & poteſt concurrere ſe ipſo. Alioquin ſi pro libito liceret addere eiuſmodi miracula, poſſet aliquis dicere, animam Chriſti fuiſſe productam, non à ſolo Deo, ſicut aliæ animæ producuntur, ſed etiam à B. Virgine concurrente ſimul ad creationem illius animæ per potentiam obedientialem, tanquam inſtrumento Dei; hoc enim ſpectaret ad maiorem Virginis dignitatem; poſſet alius dicere, humanitatem Chriſti concurrere efficienter ad productionem gloriæ omnium Beatorum, quia hoc pertineret ad maiorem Chriſti dignitatem, vnde alius hoc extenderet ad B. Virginem, vt ipſa etiam inſtrumentaliter concurreret phyſicè ad producendam gloriam aliorum Sanctorũ, quia hoc etiam redundaret in maiorem ipſius excellentiam: quæ omnia longè abſunt à veritate, nec debent concedi, ſed ſinguli effectus dicendi ſunt fieri ab iis cauſis, à quibus naturaliter petunt produci, ne fingamus abſque neceſſitate miracula.

49.
Hæc ratio magni ponderis eſt in Eccleſia.

Quæ ratio tanti ponderis eſt in Eccleſia, vt propter ipſam fuerit ſemper apud omnes indubitatum, ſubſtantiam panis, & vini in Euchariſtia non ſolùm deſinere eſſe ſub ſpeciebus, ſed omnino perire, nec manere in rerum natura, licèt ex verbis conſecrationis ſolùm colligatur, ſub iis ſpeciebus non manere vlteriùs panem & vinum, ſed corpus & ſanguinem Chriſti; ex hoc tamen Eccleſia colligit, vtramque ſubſtantiam perire & conuerti in corpus & ſanguinem Chriſti, quia nimirum non poſſent ſine nouo miraculo manere abſque ſuis accidentibus: miracula autem non ſunt præſumenda, niſi probentur. Quod idem argumentum frequentiſſimum eſt ad plures alias concluſiones Theologicas probandas, & ſtabiliendas. Cùm ergo gratiam produci efficienter ab alio quàm à Deo, eſſet magnum miraculum, & contra exigentiam ipſius gratiæ, non eſt hoc affirmandum, niſi apertæ rationes ad id cogant; quæ tamen in præſenti nullæ ſunt; vt ex argumentorum ſolutione conſtabit, quæ magis confirmabit, & comprobabit noſtram ſententiam.

SECTIO V.

Referuntur, & diſſoluuntur argumenta contrariæ ſententiæ.

50.
Argumentum primum ſententiæ affirmantis ex Script. PP. Concil.

PRæcipuum argumentum aduerſarij deſumunt ex authoritate Scripturæ, Patrum, & Conciliorum, à quibus tribuitur Sacramentis vera, & propria cauſalitas gratiæ noſtræ; quorum loca, & verba videri poſſunt apud Suarez *in præſenti ſect.* 2. Hoc argumentum retorquetur multipliciter.

Retorquetur primò argumentum.

Primò, quia Patres, & Concilia proculdubio loquuntur vniuerſaliter de omni gratia, quæ datur intuitu Sacramenti; & tamen aduerſarij fatentur, eam aliquando, & ſæpe, non cauſari phyſicè, ſed moraliter à Sacramento; quando ſcilicet Sacramentum propter obicem non dedit gratiam, quam dat poſtea ablato obice; tunc enim Sacramentum, cùm iam non exiſtat, non poteſt eam phyſicè, ſed moraliter cauſare.

Reſpondet Suarez.

Reſpondet Suarez *d. ſect.* 2. *in ſolut. ad* 3. quòd loquutiones Patrum non intelliguntur de illo caſu, ſed ſolùm, quando Sacramentum exiſtit; quando verò eſt iam tranſactum, non dicetur propriè cauſare gratiam, aut mundare animam, &c.

Impugnatur.

Sed ex hac ipſa ſolutione retorquetur argumentum, quia Patres eodem modo dicunt, gratiam tunc fieri à Baptiſmo præterito, ſicut quando fit à Baptiſmo præſente.

Auguſt.

Sic enim loquitur Auguſtinus *lib.* 3. *de Baptiſmo c.* 5. his verbis: *Tunc incipit valere idem Baptiſmus ad dimittenda peccata, cum ad Eccleſiæ pacem venerint, non vt iam dimiſſa non retineantur, neque vt ille Baptiſmus quaſi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur, ſed vt idem ipſe qui propter diſcordiam foris operabatur mortem propter pacem intus operetur ſalutem*, &c.

Auctor ſerm. de Paſſ. Chriſti.

Eodem modo loquitur Auctor ſermonis de Paſſione Chriſti apud Cyprianum ante finem: *Et licet indigni ſint*, inquit, *qui accipiunt; Sacramentorum tamen reuerentia & propinquiorem ad Deum parat acceſſum, & vbi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum*, &c. Ecce eodem modo dicunt, Baptiſmum tunc operari gratiam, & ſalutem, gratiam eſſe effectum munerum, ſeu Sacramenti præteriti; & tamen hæc omnia ab aduerſariis intelliguntur de ſola cauſalitate morali; ergo de eadem poſſunt intelligi, quando loquuntur de effectu Baptiſmi præſentis; & quidem, qui dicit, Baptiſmum præteritum operari ſalutem animæ, vt dixit Auguſtinus, eo ipſo dicit Baptiſmum mundare animam; mundare enim non eſt aliud, niſi operari animæ ſalutem, vt conſtat.

51.
Secundò retorquetur.

Secundò, retorquetur idem argumentum, quia Scriptura, & Patres eodem modo tribuunt vim cauſandi vtrique parti Sacramenti, ſcilicet materiæ, & formæ. Sic enim de ablutione dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* quia ſcilicet non ſola verba, ſed etiam aqua concurrit: quod idem dici poteſt in aliis Sacramentis; & tamen non ſemper poteſt in illis vtraque pars concurrere phyſicè; nam quando apponitur materia, nondum ponitur forma, ſed poſtea, vel è contra; ergo tunc altera pars Sacramenti operatur quidem gratiam, non tamen phyſicè, ſed moraliter; quod ſufficit ad verificanda verba Scripturæ, & Patrum.

52.
Tertiò retorquetur.

Tertiò retorquetur idem argumentum in aliis effectibus Sacramentorum diſtinctis à gratia habituali de quibus ſuprà diximus, qualis eſt reſpectu Euchariſtiæ præſeruatio à peccatis, ſeu auxilia ſpecialia ad non peccandum, quæ in Conciliis dicuntur ſimpliciter fieri à Sacramentis tanquam verè eorum effectus: & tamen id debet intelligi ſolùm de efficientia morali, vt aduerſarij fatentur, cùm dentur, quando Sacramenta iam non ſunt: ergo eodem modo intelligi poſſunt, quando loquuntur de cauſatione gratiæ habitualis.

53.
Quartò retorquetur.

Quartò retorqueri poteſt, quia eodem modo Scriptura, & Patres dicunt paſſim, ſanguinem, & paſſionem Chriſti mundare nos à peccatis, iuſtificare nos, ſanctificare nos, &c. quæ omnia intelligi non poſſunt de cauſalitate phyſica, ſed morali; ergo eodem modo debent intelligi, cùm idem dicunt de Sacramentis, præſertim cùm totam efficaciam Sacramentorum explicent per hoc, quod ſint plena ſanguine Chriſti, quem in ſe continent quaſi fontes Saluatoris, ex quibus cum gaudio hauriuntur aquæ ſalutis. Cùm ergo tota hæc continentia, & virtus ſanguinis Chriſti non ſit phyſica, ſed moralis, efficientia etiam erit moralis, vt ſit proportionata virtuti: vnde oritur

54.
Quintò retorquetur.

Quintò; eodem modo ſancti viri dicuntur operari miracula, dare ſanctitatem, reſtituere viſũ, &c. quæ tamen omnia moraliter ſolùm faciunt ſuis precibus impetrantes: multo ergo magis Sacramenta dici poſſunt operari ſalutem ſpiritualem, & gratiam,

quæ non ſolùm habent congruitatem, ſed condignitatem, & efficaciam infallibilem (vt videbimus) ad ponendos ſuos effectus.

55. *Breuè retorquetur.* Sextò, peccator ſuis delictis dicitur paſſim apud Scripturam, & Patres, cauſa ſuæ perditionis, & damnationis, afferre ſibi mortem ſpiritualem, &c. quæ tamen non phyſicè, ſed moraliter operatur per merita condigna ſupplicij; cur ergo non poterunt eodem modo loqui de Sacramentis in ordine ad ſalutẽ.

56. *Septimò.* *Auguſt.* Septimò, quia iidem Patres, vt declarent efficaciam phyſicam eſſe ſolius Dei, ſæpe pronuntiant, Deum ſolum operari gratiam internam. Sic Auguſt. *epiſt.* 13. ad Bonifacium: *Aqua,* inquit, *exhibens exterinſecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus S. operans intrinſecus beneficium gratiæ, ſoluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem Chriſto;* & *lib.* 15. *de Trinit. c.* 26. ſic ait: *Neque enim aliquis diſcipulorum Chriſti dedit Spiritum ſanctum; orabant, vt veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipſi eum dabant.* *Hieron.* Hieronymus *in c.* 4. *Iſaiæ: Ex hoc diſcimus* (inquit) *quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum ſanctum.* *Cyprian.* Cyprianus *ſerm. de Baptiſmo Chriſti: Remiſſio* (inquit) *peccatorum ſiue per Baptiſmum, ſiue per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum ſolemnitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna institutionibus Apoſtolicis Sacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant Sacramentum, rem verò Sacramenti Spiritus ſanctus format, & efficit.* *Ambroſ.* Ambroſ. 1. *de Sacram. c.* 5. *Aliud,* inquit, *eſt elementum, aliud conſecratio, aliud opus, aliud operatio, aqua opus eſt, operatio Spiritus ſancti eſt.* Sic loquuntur alij Patres, quorum verba difficilius multò explicantur ab aduerſariis, quàm quæ ipſi pro ſua ſententia nobis opponunt. Quod enim

57. *Diſplicet quod dicit Suarez.* P. Suarez dicit, per has loquutiones ſolùm negari Sacramentis influxum phyſicum cauſæ principalis, non verò cauſæ inſtrumentalis, duriſſimum eſt, & videtur vim manifeſtam verbis adductis inferre; nam cauſæ inſtrumentali non ita vniuerſaliter negaretur omnis influxus. Exemplum habemus in ſententia ipſius Suarez, qui docet intellectum, & voluntatem ita concurrere cum habitibus infuſis ad actus ſupernaturales, vt habitus ſit cauſa principalis, intellectus autem & voluntas, quia concurrunt per potentiam obedientialem, habeant ſolùm concurſum cauſæ inſtrumentalis; & tamen nemo dicet, quod quando fit actus ſupernaturalis dilectionis Dei, voluntas noſtra nihil agat, ſed ſola gratia Dei; hæc enim propoſitio damnatur in Tridentino *ſeſſ.* 6. *c.* 5. & *can.* 4. ergo ſimiliter falſum eſſet dicere, Spiritum ſanctum ſolum efficere gratiam, Sacramentum autem eam non producere, ſi tamen Sacramentum concurreret phyſicè, tanquam cauſa inſtrumentalis phyſica, & immediata; ergo Patres per illas loquutiones voluerunt procul dubio explicare veram cauſam phyſicam gratiæ, quæ eſt ſolus Deus, ſine vllo phyſico concurſu ipſius Sacramenti.

Mens ergo Patrum ſtat potius pro noſtra ſententia. Quare iuxta eorum mentem ab ipſiſmet declaratam dicimus, quando dicunt, Sacramenta eſſe cauſas gratiæ, loqui de cauſalitate morali, quæ in communi modo loquendi, appellatur ſimpliciter cauſalitas, vt conſtat ex omnibus exemplis ſuprà adductis.

58. *Inſtantia.* Sed contrà inſtant aduerſarij, quia Patres extollunt, & mirantur omnipotentiam Dei reſplendentem in hac operatione Sacramentali. Si autem non phyſicè, ſed moraliter cauſant, nihil arguitur potentiæ: Deus enim, qui ſine Sacramentis poteſt producere gratiam, producit illam ſolùs intuitu Sacramentorum. *Diluitur.* Reſpondeo, in primis non adducuntur verba Patrum, nec deſignatur locus. Deinde, ſi alicubi ita loquuntur, meritò id faciunt: in hoc enim opere apparet potentia Dei, non quia poſſit cum adiutorio concauſæ debilis producere gratiam, quam ſe ſolo poſſet producere (in hoc enim non argueretur potentia, quia plus eſt poſſe ſe ſolo id facere, quàm cum concurſu alterius concauſæ quantumcumque debilis:) ſed quia ex hoc ipſo arguitur Deus ſummè potens, & nullius indigens adiutorij, cùm viliſſimis adeò inſtrumentis vtatur ad tam mirabiles effectus operandos. Sicut infirma etiam, & ſtulta mundi elegit ad conuerſionem mundi, vt hoc modo appareret potentia Dei, qui ſolus certè eſt, abſque miniſtro, qui producit auxilia, & actus ſupernaturales in iis, qui conuertendi ſunt, & ex infirmitate miniſtri arguitur magis, Deum eſſe, qui totum id peragit. Quod eleganter notauit Philo lib. 1. de vita Moſis, vbi quærit, cur Deus tam vilibus animalibus vti voluerit in Ægypto, vt inſtrumentis ſuæ vindictæ? Et reſpondet: *Homines, quando bella gerunt, auxilia ſibi aſciſcere potentiſſima, quibus ſuam infirmitatem suppleant; Deum verò omnipotentem, & nullius egentem opera, ſi quando vult tanquam inſtrumentis quibuſdam vti ad exigenda ſupplicia, non valida eligere, quorum robur curat minimè, ſed vilia, paruaque inſtruere inuictis viribus.* Sic in præſenti ex infirmitate, & imperfectione Sacramentorum magis arguitur potentia Dei, qui eſt auctor gratiæ producendæ, neque ad hoc indiget efficacia ipſius Sacramenti.

Dices, Patres & Concilia ſimpliciter dicunt, Sacramenta cauſare gratiam, ad hoc autem non ſufficit mera cauſalitas moralis; nam homo generans hominem, licèt dicatur cauſare vnionem animæ cum corpore, & cauſare diſpoſitiones, non tamen dicitur ſimpliciter cauſare animam rationalem, quam phyſicè non producit, ſed anima dicitur creari, & fieri à ſolo Deo. Sic enim Machabæorum mater dicebat illis 2. Machab. c. 7. *Nec enim ſpiritum, & animam ego donaui vobis,* &c. *Sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem;* & tamen genitor eſt cauſa moralis productionis animæ: mouet enim Deum, mediis diſpoſitionibus; quas ponit in materia, vt producat animam, quæ informet illud corpus diſpoſitum, & organizatũ; ergo ſola cauſalitas moralis non ſufficit ſimpliciter ad denominationẽ cauſæ. 59. *Inſtantia.* 2. Machab. cap. 7.

Reſpondetur, cauſam moralem non eſſe cauſam phyſicam, atque adeo non eſſe in eo rigore cauſam, quo cauſa phyſica; dicitur tamen cauſa humano modo loquendo, ſicut loquebantur Patres; ſic enim B. Virgo dicitur cauſa, & Mater gratiæ, & Paſſio, ac crux Chriſti dicitur cauſa noſtræ ſalutis; cùm ſolùm ſint cauſæ morales. Homo autem non dicitur ſimpliciter cauſa animæ rationalis, ſeu producere animam: quia iuxta ſubiectam materiam id intelligeretur de cauſalitate phyſica, quam habet circa vnionem, & diſpoſitiones, & videremur tribuere homini idem genus cauſalitatis circa animam, quod habet circa compoſitum: ideo in illa, & aliis ſimilibus materiis, quando loquimur vt phyſici, oportet explicare, de qua cauſalitate ſit ſermo. Vbi autem intelligeretur ex circumſtantiis, non eſſe ſermonem de cauſalitate phyſica, nec loquimur phyſicè, poſſet ſimpliciter dici cauſa: ſicut, qui mereretur incarnationem, diceretur ſimpliciter cauſa incarnationis: & qui mereretur creationem animæ, diceretur ſimpliciter cauſa illius animæ: tunc enim intelligeretur, non eſſe ſermonem de cauſa phyſica, ſed morali. 60. *Reſponſio, cauſa moralis dicitur tamen cauſa humano modo loquendo.*

Porrò in præſenti materia facilè intelligitur, ſermonem non eſſe de cauſa phyſica, & ſtrictè accepta: nam quoties agitur de cauſando effectu aliquo ordinis ſuperioris, & ab illo obtinendo, non alligatur 61. *Confirmatur vlterius noſtra doctrina.*

ſermo

ſermo ad cauſam ſtrictè acceptam, & phyſicam; ſic enim dicimus communiter Sanctos operari miracula; quod tamen non intelligitur de cauſalitate phyſica, ſed morali, quia agitur de effectu ſuperante eorum vires, & ab alio agente ſuperioris virtutis obtinendo. Cùm ergo gratia ſit effectus ſupernaturalis, ſenſus proprius in eiuſmodi loquutionibus eſt de cauſalitate morali, & non de phyſica. Quamvis autem cauſa moralis non ſit cauſa cum eo rigore, quo cauſa phyſica; non eſt tamen dicenda impropriè, aut metaphoricè cauſa, ſed propriè in latiori ſignificatione, qua omnes vtuntur, quando aliquem dicunt eſſe cauſam alicuius effectus; prout omnes dicunt, peccata eſſe cauſam condemnationis, & punitionis, & alia eiuſmodi.

62. *Inſtantia. Soluitur.* Dices cauſa moralis eſt cauſa æquiualenter; ergo propriè non eſt cauſa. Reſpondeo, eſt æquiualenter cauſa phyſica, propriè tamen eſt cauſa, quia cauſa propriè phyſica, & cauſa æquiualenter phyſica, vtraque in communi modo loquendi hominum appellatur propriè cauſa abſque addito. Sicut peccatum originale, vel habituale, ſunt etiam aliquid morale, quia æquiualent peccato perſonali, vel actuali: & tamen ſunt propriè peccata, & non metaphoricè; licet non in illa ſtricta ſignificatione, ſed in latiori, recepta tamen communiter ab hominibus.

63. *Explicatur locus libri Machab.* Verba denique adducta ex lib. Machabæorum, intelliguntur potiſſimè de cauſa libera, & operante per cognitionem, non verò de cauſa phyſica; nam in eiſdem verbis ſoli etiam Deo tribuitur compactio membrorum, & organizatio corporis, quorum tamen parentes ſunt cauſæ phyſicæ; ſed quia hæc omnia ſine ſcientia, & libertate faciunt, tribuuntur ſoli Deo: *Neſcio*, inquit, *qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum, & animam donaui vobis, & vitam; & ſingulorum membra non ego ipſa compegi: ſed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem*, &c. vbi non ſolùm animæ, ſed & ipſius vnionis mater negatur cauſa; nam vitam, & animam tribuere, non eſt producere animam, ſed eam corpori communicare; id tamen mater ſibi negat, quia ſine ſcientia id fecit: *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis*: ſine ſcientia autem non poteſt dici ſimpliciter donum, quod libertatem ſonat, ideo dicit: *Neque enim ego vitam vobis donaui*, ſed ſolus Deus, qui ſcienter id fecit: *Et omnium inuenit originem*. Sic etiam inſpirationes, & gratias præuenientes dicitur Deus facere in nobis ſine nobis, quia licèt noſtræ potentiæ concurrant phyſicè ad illos actus vitales, fiunt tamen ſine libertate noſtra, & ex ſola liberalitate & libertate Dei.

64. *Secundũ argumentum contra nos, ſumitur ex virtute formæ Sacramentalis. Reſponſio.* Secundo arguunt contra noſtram ſententiam ex virtute formæ Sacramentalis: nam Sacerdos dicens, *Ego te abſoluo*, vt verè id dicat, oportet quod ſuis verbis producat gratiam, qua homo à peccatis liberatur; quia alioquin Sacerdos non ſoluit hominem, ſed Deus ſolus, loquente Sacerdote. Reſpondetur facilè, requiri quidem quod Sacerdos ſuis verbis operetur gratiam, & remiſſionem peccatorum; non tamen requiri quod operetur eam phyſicè; ſufficit ſi eam operetur moraliter: nam qui eſt cauſa moralis alicuius effectus, cum veritate poteſt dicere: Ego cooperor hoc. Neque enim minùs vere dicere poteſt Sacerdos: *Ego te abſoluo*, & libero à reatu pœnæ, quàm, ego te ſoluo à reatu culpæ, & tamen à reatu pœnæ non liberat phyſicè producendo gratiam, ſed ſolùm vt cauſa moralis; ſicut in Sacramento Ordinis verè poſſet etiam dicere Epiſcopus ordinans: *Do tibi poteſtatem offerendi ſacrificium*, &c. licèt non producat phyſicè, ſed ſolùm moraliter illam poteſtatem, vt conſtat. Non ergo ſignificatur productio aliqua phyſica per illa verba, ſed id, quod homines ſolent ſignificare, quando dicunt: Ego tibi remitto debitum, vel offenſam, ſcilicet ceſſione iuris ex parte ſua, quod totum eſt morale, & non importat aliquam cauſalitatem phyſicam.

Tertio arguunt, quia hæc efficientia phyſica multum conducit ad dignitatem Sacramentorum legis Gratiæ. Reſpondetur, ſicut non conducit ad dignitatem ſanguinis Chriſti, quòd fuerit cauſa phyſica noſtræ ſalutis, ſic nec hoc conducere quidquam ad dignitatem Sacramenti; quid enim meâ refert, quod gratiam meam phyſicè, vel moraliter producat, dum tamen eam infallibiliter cauſet? Certè æquè mihi vtile erit vtroque modo, ſi gratia æquè perfecta vtroque modo mihi datur: ſicut ſi aliquis Sanctus miraculosè reſtituat viſum cæco, parum curabit cæcus, quòd ſolùm ſit cauſa moralis, vel quòd concurrat etiam vt inſtrumentum phyſicum ad viſum reſtituendum. 65. *Tertium argumentum ad gratiam. Reſpondetur.*

Quartò arguunt, quia humanitas Chriſti operabatur phyſicè miracula per ſuas actiones, ergo & gratiam debet phyſicè operari per Sacramenta, quæ (vt videbimus) ſunt actiones ipſius Chriſti. Reſpondetur, negando antecedens; ſed licèt id admitteretur de actionibus, quas Chriſtus perſonaliter operabatur, non oportet id admittere de actionibus, quæ ſunt ſolùm moraliter actiones Chriſti, eo quòd fiant ab eius miniſtris & quæ ſæpe ſunt in ſe vitioſæ & peccaminoſæ. 66. *Quartum argumentum à ſimili. Reſponſio.*

Quintò arguunt, quia ſi Sacramenta non cauſant phyſicè gratiam, ſed ſolus Deus ad eorum præſentiam, non eſſent magis cauſa gratiæ, quàm verba malefici habentis pactum cum dæmone ſunt cauſa effectus mirabilis, quem dæmon operatur. Reſpondetur, differre in primis ex parte effectus; nam Sacramenta ordinantur ad producendam gratiam ſupernaturalem; verba autem venefici ad effectum naturalem, differunt etiam ex parte virtutis; nam verba venefici nituntur pacto cum dæmone, qui ſolet, imò & deberet fallere fidem datam venefico; vnde verba illa ex ſe non mouent dæmonem, ſed ſunt mera conditio; qua poſita, dæmon propter alia motiua excitatur ad operandum: at verba Sacramentalia nituntur promiſſioni Dei, quæ deficere non poteſt, & habent ex ſe vim ad mouendum Deum, vt mox videbimus, eò quòd ſint verba, & operationes Chriſti. Conueniunt tamen cum verbis magicis in eo, quòd neutra habeant influxum phyſicum in effectum operandum. 67. *Quintum argumentum. Soluitur.*

Differentia inter Sacramenta vetera, & noua.

Sextò, & difficiliùs arguitur, quia ſi Sacramenta noſtra non agunt phyſicè, ſed ſolùm moraliter, non videntur differre à Sacramentis antiquis, in quorum aliquibus conferebatur etiam gratia ex opere operato, ſcilicet in Circumciſione & in Sacramento legis naturæ inſtituto ad delendum peccatum originale ſaltem in paruulis: Concilia autem, & Patres volunt noſtra Sacramenta in gratiæ cauſalitate differre ab antiquis, vt conſtat ex Trident. *ſeſſ. 7 can. 2.* de Sacramentis, & ex Florentino in Decreto Vnionis: ergo fatendum eſt, noſtra Sacramenta habere vim producendi gratiam phyſicè, quam vim Sacramenta antiqua non habebant. 68. *Sextũ & difficilius ſumitur ex differentia noſtrorum Sacramentorum ab Antiquis, præſertim à Circumciſione. Probatur ex Conciliis.* Conc. Trid. Concil. Flor.

Bonauentura *in 4. d. 1.* dupliciter ſoluit hoc argumentum. Primò dicit, Deum non decreuiſſe infallibiliter dare gratiam cum illis Sacramentis, quæ infallibilitas eſt in noſtris Sacramentis, & per hoc maximè differunt ab illis. Hoc tamen non ſatisfacit, quia ſi illa Sacramenta verè conferebant gratiam, 69. *Reſpõſio Bonauenturæ. Nõ ſatisfacit.*

80. *Iam reſpondetur ad argumenta. Ad primum.*

Hinc iam ad argumenta illa facilè reſpondemus. Ad primum dicimus, iis conditionibus tribui effectum diuerſo modo ab eo, quo tribuitur præcepto, vel precibus, v. g. quia his tribuitur tanquam mouentibus, illis verò, vt conſtituenti, & complenti id, ad quod cauſa moralis mouet, atque adeo tenentibus magis ſe ex parte effectus, ſeu ex parte paſſi, quàm ex parte efficientis.

81. *Ad ſecundum.*

Ad ſecundum dico, conditionem illam non habere vim mouendi, ſed ſolùm ponendi id, ad quod preces, vel præceptum, aut conſilium mouent, ſeu complendi caſum, & circumſtantias, in quibus mouent. Ad tertium concedo, per poſitionem conditionis tranſire in abſolutam voluntatem, vel præceptum, aut orationem factam ſub conditione: per hoc tamen nolumus ſignificare, quòd illa moueat vt abſoluta, ſed ſolùm quod perinde moueat, ac ſi eſſet abſoluta; re tamen vera ipſa in ſe manet adhuc conditionata, & mouet vt verè eſt conditionata, & per id ſolum, quod habet vt conditionata: nam iuſſio, vel promiſſio, aut oratio conditionata mouet ſufficienter ad ponendam rem, quando poſita eſt conditio. Sic dicemus infrà agentes de Sacramento Pœnitentiæ, contractus conditionatos non inducere obligationem tunc ſolùm, quando ponitur conditio, ſed antea fuiſſe iam inductam obligationem, ideoque non poſſe tolli obligationem illam, quantumcunque reuocetur voluntas ante conditionem poſitam, non tamen tenetur aliquis ex illo contractu ad ponendum effectum, antequam ponatur conditio; non quia non ſit iam tota obligatio, ſed quia tota illa obligatio ſolùm eſt ad ponendum effectum, quando ponetur conditio; ſicut qui hodie promittit dare cras librum, hodie quidem obligatur, non tamen obligatur ad dandum librum hodie, ſed hodie eſt obligatus ad dandum cras, ita vt dies craſtina non compleat, aut conſtituat obligationem, ſed id, ad quod eſt obligatio. Sic qui promittit ſub conditione, ab initio habet, & abſolutè habet obligationem, ſed non ad faciendum abſolutè, ſed ad faciendum ſub conditione; ita vt conditio non conſtituat, aut compleat obligationem, ſed ſit quaſi obiectum obligationis, & ideo ſolet appellari obligatio conditionata, ſcilicet ex parte obiecti, ſicut ſcientia, qua Deus cognoſcit futura contingentia ſub conditione, appellari etiam ſolet ſcientia conditionata, non quia in ſe non ſit abſolutè, antequam ponatur conditio, ſed quia reſpicit obiectum ſub conditione. Sic etiam promiſſio, & obligatio in ſe eadem eſt ante, & poſt impletam conditionem, & ſemper reſpicit idem obiectum ſub conditione. Vnde meritò

82. *Sanchez. Ratio cur Epiſcopi poſſint diſpenſare in votis conditionatis caſtitatis.*

P. Thomas Sanchez *lib.* 4. in Decalog. c. 4. *n.* 99. cum aliis docet, poſſe Epiſcopum diſpenſare in votis conditionatis caſtitatis, v. g. vel alterius materiæ reſeruatæ, non minus poſt impletam conditionem, quàm ante illam impletam. Cuius doctrinæ ratio debet hinc deſumi, quia nimirum votum, & obligatio in ſe non variantur; quare ſicut ante impletam conditionem illud non erat ſimpliciter votum caſtitatis, ſed votum caſtitatis ſecundùm quid, hoc eſt, ſub conditione; ſic poſt impletam conditionem votum non eſt caſtitatis ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ſcilicet ſub conditione. Obligat quidem iam ad caſtitatem non minùs, quàm ſi fuiſſet abſolutum, & ideo dicitur tranſire in abſolutum; hoc tamen intelligitur *æquiualenter*, quatenus ratione obligationis conditionatæ non minùs ſit ponendus effectus, quàm ſi fuiſſet promiſſio abſoluta: in ſe tamen ſemper manet eadem, & ideo diſpenſabilis ab Epiſcopo. Negamus ergo, conditionem complere in rigore loquendo, obligationem, aut promiſſionem ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam eſt cauſa moralis, & mouens; mouet enim ſolùm ſecundùm quod poſita fuit; illa quippe obligatio, & promiſſio præterita mouet ad ponendum rem promiſſam, hoc eſt, effectum, quando ponitur conditio; ipſa vero conditio habet ſe ex parte effectus, non ex parte motiui; vt explicuimus.

Conditio ſe habet ex parte effectus non cauſæ.

83. *Obiectio.*

Obiiciunt turſus; quia ſi Sacramenta nouæ legis cauſant moraliter, & mouent, quatenus ſunt actiones, & quaſi preces Chriſti petentis per miniſtros ſuos, ſequitur eſſe cauſas per accidens & impropriè. Nam ſicut eleemoſyna exterior dicitur ſolùm meritoria, & mouere Deum per accidens, & denominatiuè ab actu interno, ſic preces illæ, quæ ex ſe non mouent, ſed prout denominant fieri nomine Chriſti per denominationem prouenientem ab imperio præterito, quo Chriſtus ſubſtituit ſibi miniſtros, non erunt cauſa, nec mouebunt niſi valde per accidens, & denominatiuè.

84. *Reſponſio.*

Reſpondeo; quando dicitur actiones Sacramentales non eſſe cauſas niſi denominatiuè, poſſe eſſe æquiuocationem. Si enim ſenſus ſit, illas actiones ſecundùm ſe conſideratas, & præſcindendo ab eo, quòd fiant nomine Chriſti, non habere virtutem cauſandi, aut mouendi Deum, verum eſt: ſi autem ſenſus ſit, ita totam motionem, & cauſalitatem prouenire à voluntate præterita Chriſti, vt ipſa etiam actio exterior Sacramentalis non concurrat immediatè partialiter ad cauſandum moraliter, & ad mouendum Deum, negandum erit. Et in hoc non eſt ad rem exemplum, quod affertur de eleemoſyna externa; nam ibi ſola voluntas interna eſt, quæ mouet immediatè Deum, & quæ meretur immediatè præmium; actio verò externa ſolùm denominatiuè, quatenus eſt effectus illius voluntatis merentis, & facit vnum actum humanum bonum, integrum cum illa voluntate, quæ ſola immediatè meretur. At actio externa Sacramentalis non ita ſe habet, ſed ipſa etiam immediatè mouet Deum. Aliud enim eſt loqui de actione externa in ordine ad merendum, aliud verò in ordine ad impetrandum. Meritum quidem non habet, niſi denominatiuè ab actu interno, cui ſoli reſpondet immediatè totum meritum, quia illi ſoli competit immediatè libertas, & laudabilitas formalis. Ad hoc autem, vt actio externa poſſit etiam immediatè deſeruire ad impetrandum, non requiritur in ea libertas immediata: omnis enim illa actio, quæ apta eſt ad manifeſtandam voluntatem, & deſiderium noſtrum illi, à quo petimus, eſt apta ad impetrandum: nam manifeſtando deſiderium petentis, mouet illum, à quo petimus. Quando ergo oramus Deum vocalibus precibus, meremur quidem immediatè ſolùm per actus bonos internos; impetramus verò per ipſam etiam orationem externam; nam licèt Deus intueatur cor, & cognoſcat deſiderium internum: cognoſcit tamen voces, quæ iterum idem deſiderium manifeſtant, & mediis, quibus verè loquimur cum Deo: ſi ergo loquimur, ipſe audit nos, & mediis vocibus percipit poſtulationem noſtram: ergo poteſt ab iis etiam vocibus moueri ad concedendum quod petimus. Actiones ergo Sacramentales ſunt quaſi voces externæ Chriſti, quibus mediis loquitur Deo per ſuos miniſtros, & manifeſtat illi ſuum deſiderium habendæ gratiæ pro hominibus ſuſcipientibus tale Sacramentum: atque ideo licèt illæ actiones non ſint meritoriæ, ſunt tamen impetratoriæ, non ſolùm ſecundùm ſe, ſed prout procedunt à tali voluntate Chriſti, ita tamen vt ipſæ etiam actiones concurrant immediatè, & moueant Deum ad dandam gratiam, quia ipſæ etiam actiones habent manifeſtare nouo modo voluntatem

Actio externa Sacramentalis mouet immediatè Deum.

Actio externa non meretur immediatè, ſed impetrat.

luntatem

luntatem Chriſti, quæ priùs per tales actiones non manifeſtabatur.

85. *Obiectio vltima.* Obiiciunt vltimò; quia Sacramenta vetera non minùs propriè erant loquutiones externæ Dei, & promiſſiones gratiæ, quàm Sacramenta noua ſint orationes Chriſti; Deus enim per illa Sacramenta ſignificabat exteriùs promiſſionem gratiæ, & miniſtri per illa Sacramenta gratiam Dei nomine promittebant. Sed promiſſio Dei erat vera cauſa gratiæ promiſſæ: ergo Sacramenta etiam vetera non minùs erant cauſa gratiæ, quàm Sacramenta noua, ſi hæc dicuntur cauſæ gratiæ per denominationem ab actionibus internis Chriſti.

86. *Reſponſio.* Reſpondeo, Sacramenta etiam antiqua fuiſſe quidem cauſas gratiæ, quam promittebant; erant enim promiſſiones Dei, vt in ſuperioribus oſtendimus: promiſſio autem eſt cauſa mouens ad gratiam, quam promittit. Cæterùm ſicut ſolùm figurabant, & promittebant gratiam dandam in lege noua: ſic ſolùm ſunt cauſæ noſtræ gratiæ, gratiam autem (ſi quæ in ipſis conferebatur) non promittebant; nec Deus, aut miniſter Dei nomine per Sacramenta promittebat talem gratiam, cùm ad hoc inſtituta non eſſent; ſed, poſito Sacramento, Deus ex vi ſuæ promiſſionis præteritæ dabat gratiam, Sacramento non ſe habente vt cauſa, neque vt motiuo, ſed ſolùm vt conditione complente caſum, ad quem Deus gratiam promiſerat modo ſuprà explicato.

87. *Aliud obiectum.* Hæc ſunt, quæ recentiores noſtræ doctrinæ oppoſuerunt; ſpeu eius tamen explicatione, reſtant duo, quæ vlteriùs poſſunt obiici. Primum eſt, quòd licèt operationes Chriſti, quando erat viator, eſſent meritoriæ, & haberent valorem infinitum: nunc tamen, cùm non ſit iam in ſtatu merendi, poteſt quidem applicare nobis ſua merita, non tamen poteſt mereri; atque adeò eius operationes, ſiue fiant per ipſum Chriſtum immediatè, ſiue per eius miniſtros, non habent vim ad merendum, ac mouendum Deum moraliter, vt det gratiam; ergo erunt meræ conditiones, quibus poſitis, applicentur nobis merita Chriſti præterita, quæ erunt cauſa moralis mouens Deum ad dandam gratiam.

88. *Reſponſio.* Reſpondeo nos non dicere, quod actiones Sacramentales ita ſint operationes Chriſti, vt per illas Chriſtus mereatur gratiam, quæ datur ſuſcipienti Sacramentum: ſed ita vt per illas quaſi impetret à Deo illam gratiam. Ad hoc autem non debet attendi bonitas, quæ fit in ipſa actione præſenti, ſed dignitas illius, qui petit, & petitio. Sicut in exemplo poſito, iuſſio domini eſt cauſa moralis mouens ſeruum ad dandam pecuniam Petro: ad hoc autem non attenditur bonitas, aut meritum, quod ſit in ipſa iuſſione domini, ſed dignitas domini ſeu titulus dominij, & iuſſio ipſa præſens: iuſſio enim eius, qui eſt dominus, habet magnam vim ad mouendum. Sic petitio illius, qui eſt de nobis optimè meritus, habet magnam vim ad impetrandum; fert enim ſecum omnia merita præcedentia. Chriſtus ergo petens gratiam hominibus, eo ipſo applicat ſua merita, & facit, quod petitio ipſa habeat maximam vim ad impetrandum, quod petit: hanc enim vim experimur nos quotidie in precibus eorum, quos vel amamus, vel reueremur, ita vt importunæ preces cenſeantur inferre vim, & preces eius, qui imperare poteſt, aliquo modo cogant; non quia moueamur à bonitate illarum precum, ſed à precibus illius, qui bonus eſt, vel cui aliàs ſumus adſtricti. Vnde obiter aduerte, nec requiri in ipſis precibus libertatem formalem, aut proximam, ſed ſufficere remotam, quia non debet reddi præmium precibus, ſed concedi poſtulatio petenti. Quare licèt Chriſtus nunc non exerceret libertatem nouam circa actiones ſui miniſtri, ſatis eſt, quod ſubſtituerit illum ſibi tanquam miniſtrum, & nuntium ſuum, qui eius nomine petat à Deo gratiam per talem, vel talẽ actionem: hoc enim ſatis eſt, vt illa actio fiat nomine Chriſti petentis per illam talia dona, & per conſequens habeat vim, quã haberet, ſi fieret immediatè ab ipſo Chriſto.

89. *In actione Sacramentali facta nomine Chriſti non meretur per illam, ſed potius quaſi nobis impetrat gratiam.* Dixi autem, Chriſtum in actione Sacramentali non mereri per ipſam, ſed potiùs quaſi impetrare nobis gratiam; vt præſcindam ab illa quæſtione, an nunc Chriſtus, vt homo, oret Deum pro nobis? Siue enim oret, ſiue non oret, certum eſt ipſum ſignificare Deo id, quod vult, ad hoc, vt Deus id faciat, & exequatur: illa autem ſignificatio voluntatis ſiue dicatur oratio, ſiue non (de quo ſuprà tom. præcedenti diſput. 27.) ſicut poteſt fieri immediatè ab ipſo Chriſto, ſic poteſt fieri per nuntium mediatè, & hoc modo fit, quando ponitur Sacramentum, quod à quocumque ponitur, ponitur ab ipſo, tanquam miniſtro Chriſti ad id deputato, vt nomine Chriſti ſignificet Deo eius voluntatem de danda gratia tali ſubiecto.

90. *Inſtantia.* Dices, Chriſtum ante ſuam mortem non ſolum poſuit merita, ſed applicuit illa determinatè pro gratia danda per Sacramenta, & meruit determinatè, quòd daretur gratia in Sacramentis, & hoc ſtabiliuit cum Deo: nunc ergo non oportet mouere denuo Deum, ſed quaſi illi reuocare in memoriam pactum ſuum, ſeu ponere Sacramentum, quæ eſt conditio, ſub qua fuerat ſtabilita gratia danda hominibus. Sicut ſi aliquis ſtatueret cum amico, vt quoties à ſuo ſeruo fuiſſet petita pecunia, daret ei: tunc petente ſeruo, daret amicus, non propter petitionem ſerui tanquam cauſam, ſed propter preces amici, & pactum factum de danda pecunia ſub ea conditione, non enim moueretur alìter à petitione ſerui, niſi vt à conditione, cùm iam eſſet ſufficienter motus à petitione amici, & promiſſione ſua.

91. *Diluitur.* Reſpondeo, pactum illud dupliciter potuiſſe fieri cum amico, primò, de danda pecunia, poſita illa conditione ſerui petentis, ſecundò, de danda pecunia propter preces ſerui. Et quidem ſi hoc ſecundo modo fieret, non eſt dubium, quin preces ſerui poſtea eſſent cauſa moralis mouens ad dandam pecuniam, alioquin enim non ſatisfieret pacto de danda pecunia propter preces ſerui. Hoc autem modo meruit Chriſtus in hac vita, & ſtabiliuit cum Deo gratiam nobis dandam per Sacramenta, ſcilicet, vt daretur, & vt daretur propter Sacramenta, tanquam propter motiuum, & cauſam moralem. *Gratia non tantum datur per Sacramenta ſed etiam propter illa tanquam propter motiuum.* Similiter enim meruit nobis Chriſtus in hac vita gratiam dandam habenti contritionem, & ſtabiliuit eam infallibiliter dandam: & tamen non excluſit meritum congruum ex parte hominis; imò incluſit, & voluit, quod daretur poſtea propter conditionem hominis, non ſolùm tanquam propter conditionem, ſed tanquam propter meritum congruum, ac per conſequens cauſam moralem præmij. Sic etiam meruit Chriſtus, & ſtabiliuit cum Deo, quòd merita hominis iuſti infallibiliter acceptarentur ad præmium; & quòd ſatisfactiones eiuſdem hominis iuſti acceptarentur infallibiliter pro debito pœnæ temporalis: & tamen tam ſatisfactiones hominis iuſti, quam merita ſunt non ſolùm conditiones, ſed cauſæ morales mouentes Deum de condigno ad extinguendum debitum pœnæ, & ad dandum præmium gratiæ, & gloriæ. Potuit ergo ſimiliter mereri Chriſtus in hac vita gratiam dandam per Sacramenta; ita tamen, vt non excluderet ipſa Sacramenta à ratione motiui, ſed potiùs includeret merendo, & ſtatuendo, quòd daretur poſtea infallibiliter gratia propter ipſa Sacramenta, tanquam propter motiuum.

Dices

30. *Inſtantia.* Sed dicet aliquis : ſi hi effectus Sacramentales impediuntur per ſuperuenientem peccatum ; ergo ille, qui ſuſcepit Sacramentum, & poſtea peccauit, tenetur ſub nouo peccato ad confitendum ſtatim, vel ad habendam contritionem, vt iuſtificetur, ne ponat obicem illis nouis effectibus Sacramenti, quod ſuſcipit, qui impediuntur per ſtatum peccati. *Diluitur.* Reſpondetur negando ſequelam : non enim tenetur homo ad auferendum obicem omnibus effectibus Sacramenti; ſatis eſt, quando confertur Sacramentum, curare, ne ſit obex eius effectui principali. Sic enim pœnitens non peccat poſtea, ſi tempore, quo implet pœnitentiam impoſitam, ſit in peccato, & per accidens impediatur effectus illius ſatisfactionis Sacramentalis ; ſicut & ille, qui accepit in gratia Euchariſtiam, & peccauit lethaliter, dum adhuc eam habebat in ſtomacho, non tenetur ſub mortali ad procurandam ſtatim iuſtificationem, ne impediat nouos effectus gratiæ, quos Sacramentum, dum eſt in ſtomacho, continuè operatur, iuxta aliquorum ſententiam : ſic nec in præſenti tenetur homo auferre obicem omnibus auxiliis, quæ poſſunt dari intuitu Sacramenti ſuſcepti, ſed ſufficit abſtuliſſe obicem effectui principaliori, nempe gratiæ habituali.

31. *Inferetur ſecundò.* Infero ſecundò, hos effectus non ita eſſe Sacramentis alligatos, vt ſine Sacramento obtineri non poſſint, & de facto non obtineantur : contingit enim plures ſine Sacramento Confirmationis habere auxilia vberiora ad profitendam fidem ; & ſic de aliis Sacramentis : nam illa auxilia ſunt dona Dei, qui licèt ea promiſerit accipientibus Sacramenta, non negauit non accipientibus ; ſicut etiam ipſam gratiam habitualem, quam Deus promiſit accipientibus Sacramenta, dat extra Sacramenta in multis caſibus. *Inſtantia.* Dicunt aliqui, hanc gratiam auxiliorum ſpecialium nunquam dari, niſi per Sacramenta in re, vel ſaltem in voto. *Soluitur.* Sed contrà ; quia ſi ſermo eſt de voto explicito, hoc eſt manifeſtè contra experientiam ; multi enim, qui non habent votum, aut propoſitum ſuſcipiendi Confirmationem, nec illius recordantur, accipiunt auxilia Dei abundantiſſima ad profitendam fidem ; ſi verò ſermo ſit de voto implicito ; non videtur habere locum in præſenti materia : nam Sacramentum in voto tunc dicitur operari, quando effectus habetur per aliquid, in quo includitur implicitè deſiderium, aut propoſitum recipiendi illius Sacramenti, qualis eſt contritio, in qua includitur implicitè propoſitum ſeruandi omnia præcepta, & per conſequens confitendi, cùm detur præceptum Confeſſionis ; atqui non datur tale præceptum graue Confirmationis, nec etiam Extremæ-Vnctionis iuxta veriorem ſententiam ; ergo nec in contritione, nec in alio actu ſimili continetur votum implicitum horum Sacramentorum.

SECTIO IV.

Vtrùm Sacramenta nouæ Legis cauſent phyſicè, vel moraliter gratiam?

32. *Suarez. Vaſquez.* QVæſtio celebris eſt, & quam ſua contentione, & diſputatione celebriorem reddiderunt P. Suarez, & P. Vaſquez in præſenti, & aliis in locis, præſertim ille *tom. 1. in 3. p. diſp. 31. ſect. 6.* in poſteriori editione : hic verò *1. p. diſp. 176.* Nos longiorem controuerſiam ad breuitatem reducere, & quantum fieri poterit, in hac quæſtione ab aliis difficilioribus abſtinere curabimus.

Supponitur primò hic non ſumi Sacramentū trout includit inſtitutionem diuinam. Suppono primò, non eſſe quæſtionem de Sacramento completè ſumpto ſecundùm totum, quod includit in ratione Sacramenti. Nam vt ſic, omnia Sacramenta cauſant aliquo modo phyſicè gratiam. Sacramentum enim, vt ſuprà vidimus, pro formali includit etiam inſtitutionem Diuinam, à qua formaliter habet eſſe ſignum practicum infallibile gratiæ : inſtitutio autem Diuina eſt actus, ſeu decretum aliquod diuinæ voluntatis ; quod quidem aliquo modo concurrit phyſicè ad ponendam gratiam ; ab illo enim decreto ſuo mouetur voluntas Diuina, vel ſicut ab intentione, vel ſicut ab actu imperante, vel alio ſimili modo ad voluntatem producendi gratiam hîc & nunc, qui modus concurrendi eſt phyſicus, vt conſtat, nam intentio non concurrit ſolùm moraliter, ſed phyſicè ad electionem mediorum : & actus imperans ad actum imperatum, ſiue ille concurſus ſit propriè cauſæ efficientis, ſiue in genere cauſæ formalis, ſeu diſpoſitionis; ſemper tamen in aliquo genere phyſico : ergo Sacramentum ex ea ſaltem parte, qua includit Diuinam inſtitutionem, poteſt dici, quòd concurrat phyſicè ad gratiam ponendam. Controuerſia itaque non eſt de Sacramento adæquatè accepto, ſed de Sacramento pro materiali : hoc eſt, de illo, quod ſubeſt inſtitutioni Diuinæ, an ipſa Sacramenta materialiter, & ſpecificatiuè accepta concurrant vt cauſæ phyſicæ, vel ſolùm vt cauſæ morales.

33. *Supponitur ſecundò non quæri an cauſent moraliter.* Suppono ſecundò, neque etiam eſſe quæſtionem, an Sacramenta ſint cauſæ morales gratiæ ? Omnes enim debent fateri ea de facto habere eiuſmodi cauſalitatem moralem, ſiue ſolam, ſiue ſimul cum cauſatione phyſica. Nam cauſa moralis eſt, quæ mouet agens phyſicum ad volendum operari : Sacramenta autem poſita mouent proculdubio Deum, vt velit producere gratiam, ſiue ipſe ſolus, ſiue ſimul cum ipſo Sacramento ; nam ſunt conditiones, ſub quibus Deus promiſit gratiam : debitor autem, qui ſub conditione promiſit, mouetur ab ipſa conditione poſita ad volendum dare, quod promiſit. Sunt item actiones, & operationes Chriſti per ſuos miniſtros, vt poſtea videbimus, quibus repræſentat Deo ſua merita, vt obtineat gratiam pro hominibus ; quæ proculdubio habent maximam vim ad mouendum Deum : habent ergo totum, quod requiritur ad cauſandum moraliter gratiam, & alios effectus. Quæſtio itaque non eſt, an ſint cauſæ morales gratiæ : ſed an cauſent ſolùm moraliter, vel ſimul etiam phyſicè ſuos effectus ?

34. *Duplex ſententia, prima eſt Suarez, affirmātis concurrere phyſicè. Secunda Vaſquez negans.* Duplex ergo ſententia eſt : vtraque ſatis communis. Prima affirmat, Sacramenta habere influxum phyſicum inſtrumentalem, quo phyſicè producant gratiam in recipiente Sacramentum. Hanc ſequuntur ferè Thomiſtæ, & alij, quos refert, & ſequitur Suarez : ſecunda ſententia negat influxum phyſicum, & concedit ſolùm moralem, quatenus Sacramenta ex Diuina inſtitutione habent vim mouendi Deum infallibiliter ad dandam gratiam. Hanc tenent alij plures, quos refert, & ſequitur Vaſquez, qui latè probat, nec potuiſſe id diuinitus ita fieri, vt res, quæ ex ſe non habent virtutem, ad aliquem effectum producendum, nec vllam cum ipſo proportionem, ex ſolo beneplacito Diuino illum phyſicè producant. Eandem tenet P. Salas *diſp. 14. de legib. ſect. 6. n. 37.* *Salas.*

35. *Supponitur potentia obedientialis actiua.* Ego pro nunc à quæſtione Philoſophica omnino abſtineo, an ſcilicet detur in rebus omnibus illa potentia obedientialis actiua, qua eleuari poſſint ad producendum quodlibet aliud : independenter enim ab eo principio, & admiſſa potentia illa obedientiali actiua, negatiua pars multò magis mihi placet, loquendo de facto, non quia fieri non poſſet, ſed quia non expedit, nec eſt ſufficiens fundamentum

mentum ad id affirmandum; non debemus autem res noſtræ fidei abſque neceſſitate difficiliores, & obſcuriores reddere, ſed potiùs quantum fieri poſſit, faciliores, & magis ad captum vulgi, & infidelium accommodatas.

36. *Impugnatur prima ſententia. Primum argumentum eſt quia gratia fit per creationem. S.Thom.* Multa adducuntur argumenta ab Auctoribus huius ſententiæ ad ipſam probandam,& ad impugnandam oppoſitam. Primò, quia gratia non producitur, niſi per creationem; vt colligitur ex S.Thom. 1.2.q.110.art.1.ad 3 & ex illo ad Epheſ.2. *Creati in Chriſto*; & ad Galat. 1. & vlt. *noua creatura.* Nullâ autem creatura poteſt attingere phyſicè creationem; ergo Sacramenta non poſſunt phyſicè producere gratiam.

37. *Reſpondent quidam huic argumento.* Aliqui ex Auctoribus primæ ſententiæ dicunt, Sacramenta non concurrere immediatè ad ipſam entitatem gratiæ, ſed ad aliam qualitatem, quæ ſit diſpoſitio ad gratiam, quæ in aliquibus Sacramentis eſt character; in cæteris verò, quæ non imprimunt characterem, eſt quidam animæ ornatus ſpiritualis, qui vltimò diſponit ad gratiam, & ideo dicuntur producere gratiam nam qui producit vltimam diſpoſitionem, dicitur producere formam.

Reijciuntur communiter. Hoc tamen communiter diſplicet, & meritò; quia talis qualitas eſt omnino conficta, & ſine illa datur gratia extra Sacramentum; non ergo requiritur illa diſpoſitio ad productionem gratiæ; nec character eſt diſpoſitio ad gratiam, ſed habet ſecum illam concomitanter, & poteſt manere ſine illa ſicut & gratia ſine charactere. Deinde eadem eſt difficultas de illa qualitate ſupernaturali,& de gratia, nam ſicut illa poteſt produci aliter quàm per creationem, & attingi à Sacramentis, licèt ſit qualitas ſupernaturalis, non eſt cur non dicatur idem de ipſa gratia. S.Thomas verò, qui *in 4.d.1.q.1.art.4.* videtur docere illud de productione qualitatis, quæ ſit diſpoſitio ad gratiam, cenſetur in hac *q.62.art.1.* illam ſententiam tacitè retractaſſe, vt fatentur Caietanus, & alij, quos ſequitur Vaſquez *in præſenti n.14.*

38. *Reſpondent alij.* Alij dicunt, gratiam quidem produci à ſolo Deo, vnionem verò gratiæ cum anima produci à Sacramentis, quæ licèt non faciant gratiam, faciunt tamen hominem eſſe gratum, & iuſtum. Sicut anima rationalis creatur à ſolo Deo; vnio verò animæ cum materia producitur à generante. *Diſplicent etiam.* Hoc etiam communiter reijcitur, tum quia Concilia,& Patres non ſolùm dicunt, Sacramenta cauſare hominem gratum,& iuſtum, ſed etiam ſimpliciter dicunt cauſare gratiam, continere gratiam, &c. producere autem ſolam vnionem, non ſufficit ad hoc; ſicut nec pater generans hominem, & producens vnionem animæ cum corpore dicitur ſimpliciter producere animam filij: tum etiam, quia gratia non eſt ſicut anima; hæc enim eſt independens à ſubiecto in ſuo eſſe; at verò gratia non poteſt eſſe ſine ſubiecto, à quo dependet, ſicut aliæ formæ accidentales; quare ſicut in alijs illud agens, quod producit vnionem formæ, producit etiam ipſam formam; ſic erit in gratia habituali.

39. *Infirmum tamen eſſe primum illud argumentum oſtenditur.* Totum ergo illud argumentum deſumptum ex creatione gratiæ, infirmum eſt; tum quia gratia non creatur, ſed educitur ex potentia ſubiecti, ſicut aliæ formæ ſupernaturales, viſio Dei, lumen gloriæ,&c. loca verò Scripturæ, quæ indicant creationem, intelliguntur de creatione in genere moris, quatenus in prima iuſtificatione gratia datur abſque vllis meritis præcedentibus, atque adeò fit quaſi ex nihilo in genere moris: tum etiam, quia etiamſi gratia produceretur per creationem, poſſet dici, Sacramenta eleuari à Deo per potentiam obedientialem actiuam ad productionem gratiæ; nam qui illam potentiam concedunt, non minùs concedunt, poſſe eleuari lignum ad creandum Angelum, quàm ad producendum equum.

Secundum argumentum eſt, quia nullum agens poteſt agere in diſtans, ſæpe autem contingit, Sacramenta diſtare localiter à ſubiecto, in quo produci debet gratia, vt in Sacramento Pœnitentiæ verba abſolutionis,& in Sacramento Ordinis verba Epiſcopi prolata poſt contactum materiæ,&c. Sed neque hoc argumento vtor, quia reſpondent, illam conditionem propinquitatis requiri ad connaturaliter operandum, non verò de potentia abſoluta: de quo non eſt nobis nunc diſputandum. 40. *Secundum argumentum petitur ab actione in diſtans. Reijcitur tamen.*

Tertium argumentum eſt, quia vel Sacramenta habent ex ſe virtutem ad producendam gratiam, & ſic non indigebunt eleuatione Dei; vel illam non habent, & ſic oportebit illis addere nouam virtutem, vt poſſint gratiam producere: hæc autem virtus, vel erit qualitas ſpiritualis, vel materialis: ſpiritualis eſſe non poteſt, cùm recipi debeat in ſubiecto corporeo; ſed nec materialis, quia non poſſet continere effectū ſpiritualem & perfectiſſimū, qualis eſt gratia. P. Suarez, P.Vaſquez,& alij recentiores acriter impugnant hanc virtutem, quæ ſit qualitas ſupernaturalis addita Sacramentis. 41. *Tertium argumentum.*

Ego tamen, ſi Sacramenta phyſicè producerent gratiam, conſequenter eam concederem; quia licèt poſſent ſine qualitate ſuperaddita eleuari ad operandum, ſicut etiam intellectus ſine lumine gloriæ poſſet eleuari ad producendam viſionem Dei; connaturaliter tamen, ſicut intellectus eleuatur per qualitatem intrinſecam luminis gloriæ, ſic Sacramenta deberent eleuari per aliquam qualitatem intrinſecam, vt notaui in materia de Viſione beata. Neque enim aſſignari poteſt ſufficiens ratio diſcriminis ex eo, quòd viſio ſit actus vitalis, & ideo requirat principiū intrinſecū, nam vitalitas viſionis (vt ibi dixi) non eſt in ordine ad lumen gloriæ, ſed in ordine ad intellectū; nec anima operatur vitaliter aut ab intrinſeco, quatenus operatur per lumen, ſed quatenus concurrit per ſuam ſubſtantiam, ſeu per ſuū intellectum, ſicut nec operatur oculus ab intrinſeco, quatenus operatur per ſpeciem albedinis, (prout ſic enim magis dicitur moueri ab extrinſeco, ſcilicet ab obiecto) ſed quatenus operatur per ſuam potentiam viſiuam; vnde peccator etiam, qui abſque habitibus infuſis eleuaretur à Deo ad eliciendos actus ſupernaturales virtutū, operaretur vitaliter,& ab intrinſeco. 42. *Reſpondetur tamen argumento.* Ratio ergo vniuerſalis, cur debeat poni qualitas intrinſeca ad illos actus, eſt, quia connaturaliter loquendo debet, quantū fieri poſſit, principium in actu primo proportionari intrinſecè cū effectu, ita vt comparetur ad effectū, ſicut radix ad fructum, vel ad ramum & ita vt ſit proportio mutua inter effectum & principium: quare quando principium ex ſe nullam habet proportionem cum effectu, debet ſuperaddi aliquid, per quod reddatur proportionatū,& aptum ad illum producendum: ideo enim in peccatore manent habitus fidei, & ſpei, vt connaturaliter poſſit elicere actus illarum virtutum, quia licèt de potentia abſoluta poſſet illos etiam producere abſque habitibus, per ſolam eleuationem extrinſecam; non tamen ita connaturaliter: ideo etiam dixi in eodem loco, & in materia de Gratia, quòd quando non dantur habitus infuſi, eleuatur homo ad actus ſupernaturales de facto, non quidem merè extrinſecè (licet id diuinitus non repugnet) ſed intrinſecè per aliquam qualitatem intrinſecam tranſeuntem, per quam in actu primo reddatur principiū proportionatū ad illos actus: quo etiam modo eleuatur homo iuſtus ad eliciendos actus ſupernaturales intenſos *Ratio vniuerſalis noſtræ doctrinæ.*

ſupra intentionem habituum infuſorum, quos habet. Sic ergo conſequenter dicendum eſſet, Sacramenta eleuari per aliquam qualitatem intrinſecam ſupernaturalem ad hoc, vt producerent gratiam. An verò eſſet materialis, vel ſpiritualis, dicendũ etiam eſſet conſequenter, eſſe materialem, ſi poſſibilis eſt qualitas materialis, quæ ex natura ſua ordinaretur ſaltem vt cauſa partialis, & minùs principalis, ad producendam gratiam ſimul cum Deo, vt cum auctore, & cauſa principaliori: ſi autem eiuſmodi qualitas repugnaret, ponenda eſſet ſpiritualis, quæ ex natura ſua exigeret ſubiectum ſpirituale, diuinitus tamen poneretur in ſubiecto materiali; hoc enim non eſt contra conceptum qualitatis ſpiritualis, ad quam ſatis eſt, ſi ex ſe non petat pendere à materia, vel quantitate: ſi autem neque eſſet poſſibilis talis qualitas ſpiritualis, tunc eleuaretur Sacramentũ per extrinſecam eleuationem, quia connaturalitas ſolùm exigit, quòd, quantum fieri poſſit, cauſa ſit in actu primo proportionata; ſi autem id fieri non poteſt, non mirum quòd ſolùm extrinſecè eleuaretur.

43. *Vaſquez. Obiectio contra illã qualitatem.* Obiicit P. Vaſquez *n.* 36. contra illam qualitatem ſuperadditam; quia ſi illa ex natura ſua aptaret Sacramenta ad productionem gratiæ, non eſſet Sacramentum inſtrumentum, ſed cauſa principalis in productione gratiæ; quod tamen eſt contra aduerſarios. *Reſpondetur.* Sed hoc in mea ſententia parum vrget; dixi enim in Philoſophia, cauſam inſtrumentalem eſſe omnem, & ſolam illam, quæ operatur per virtutem non ſuam propriam, ſicut ſerra, quia operatur per impulſum ab artifice impreſſum, dicitur inſtrumentũ, licèt ille impulſus ſit qualitas inhærens ſerræ, & proportionata cum effectu. Similiter ergo aqua produceret gratiam tanquam inſtrumentum Dei, ſi operaretur per virtutem illam, ſeu qualitatem ſuperadditam, quæ non eſſet propria ipſius aquæ, ſed omnino præter eius exigentiam, vt conſtat.

44. *Quartum argumentum petitur ex eo quòd non poſſit, v.g. oculus eleuari ad audiendum. Reſpondetur.* Quartum argumentum eſt, quia repugnat diuinitus, intellectum noſtrum eleuari ad volendũ, aut voluntatem ad intelligendũ, vel oculum ad audiendum, &c. ergo non poteſt quodlibet eleuari ad quodlibet, atque adeò nec aqua poterit eleuari ad producendam gratiam. Ad hoc argumentum diximus in materia de Viſione Dei, vbi conceſſimus, poſſe diuinitus oculum eleuari ad producendum actum audiendi, & è contra; poſſe etiam intellectũ producere volitionem, & voluntatem poſſe producere intellectum; non tamen poſſe voluntatem intelligere, nec intellectum velle, aut auditum videre, vel oculum audire; quia hæ denominationes non ſolùm includunt efficientiam, ſed vtilitatem, & concurſum in genere cauſæ materialis, per modum ſubiecti proportionati; quæ autem, & quanta debeat eſſe illa proportio, ibi latè explicuimus; nunc autem id non repetimus, quia abſtinemus à quæſtione de poſſibili, vt dixi, & ſolùm negamus, de facto illam cauſalitatem phyſicam Sacramentis competere.

45. *Quintum argumentum eſt, quia gratia in inſtãti producitur in quo iam nõ eſt Sacramentũ. Solutio Patris Suarez.* Quintum argumentum eſt, quia gratia producitur in inſtanti vltimo, in quo iam non eſt Sacramentum, quod cùm ſit ens ſucceſſiuum, ſcilicet prolatio verborum, vel motus localis ablutionis, &c. debet deſinere per primum non eſſe; ergo non poteſt produci phyſicè gratia à Sacramento, quod iam non eſt. Ad hoc argumentum reſpondent P. Suarez, & alij, qui defendunt primam ſententiam, in illo vltimo inſtanti dari adhuc aliquid Sacramenti, ſcilicet vltimum terminatiuum intrinſecum illius; nam ſicut in linea datur punctum, quod vltimò terminat intrinſecè lineam, ſic etiam in motu ſucceſſiuo; quare in illo inſtanti exiſtit Sacramentum prout terminatum, & operatur per aliquid ſui. P. Vaſquez c. 4. latè impugnat hanc ſolutionem, probans, in motu non dari eiuſmodi indiuiſibilia terminatiua, licèt dentur in quantitate permanenti. *Impugnat eam Vaſq.* Sed eius argumenta & doctrina in hoc puncto multa habent difficilia, de quibus vidimus ſect. 6. Nunc abſtineamus à difficultate Philoſophica, & argumento illo, quod adhuc habet non parum ponderis pro noſtra ſententia; *Poſita tamen ſolutione Suarez vrgemus adhuc.* quia dato, quod illud vltimum indiuiſibile Sacramenti cauſet phyſicè gratiam, adhuc videtur concedendum, quod Sacramenta maiori ex parte cauſent ſolùm moraliter: nam tota cauſalitas phyſica reducitur ad vltimum indiuiſibile Sacramenti, quod quidem non eſt Sacramentum, ſed indiuiſibile Sacramenti; omnes autem partes Sacramenti, quæ iam non ſunt, non cauſant phyſicè, ſed ſolùm moraliter: ergo in hac ſententia non vitiatur, ſed ferè quoad totum Sacramentum conceditur cauſalitas ſolùm moralis, quam impugnat.

Dicunt, totum Sacramentum cauſare phyſicè per illud vltimum ſuum indiuiſibile; ſicut licèt homo ſolùm videat per oculum, dicitur homo videre: & qui tangit ſuperficiem tabulæ, dicitur tangere phyſicè tabulam. 46. *Inſtantia.* Sed contra hoc eſt, quia licèt, quod attinet ad denominationes, illæ tribuantur toti, quia denominationes ſunt ſuppoſitorum; in noſtro tamen caſu illa regula non valet, quia prolatio verborum non eſt vnum ens per ſe, ſed aggregatum ex diuerſis vocibus nullam habentibus vnionem inter ſe, quare actio vltimæ ſyllabæ non poteſt vllo modo tribui phyſicè, etiam quoad denominationes, ſyllabis, vel vocibus præcedentibus: nam illa vltima ſyllaba neque agit vt inſtrumentum phyſicum ſyllabarum præcedentium, cùm ab eis nullam virtutem accipiat, ſed à ſolo Deo, neque ex natura ſua ſit virtus illarum, neque etiam cum illis componit totum, ratione cuius compoſitionis actio vnius partis tribui debeat omnibus: ergo ſolùm reſtat, quòd voces præcedentes cauſent moraliter, quatenus mouent Deum ad operandum phyſicè per illud vltimum indiuiſibile, cum quo non concurreret, niſi præcedentes voces mouerent Deum, atque ideo relinquerent ſuam quaſi virtutem, & efficaciam moralem in vltima ſyllaba. *Diluitur.*

47. *Inſtantia.* Dices: licèt ex illis vocibus, non reſultet aliquod totum, quod ſit vnum ens per ſe, reſultat tamen vnũ aggregatum ſucceſſiuum in ratione vnius orationis completæ, in qua etiam poſſunt prædicata vnius partis tribui toti. *Soluitur.* Sed contrà, quia tota hæc vnitas, quæcunque illa ſit, phyſicè loquendo, non eſt maior cum illis vocibus eiuſdem formæ Sacramentalis, quàm cum vocibus etiam præcedentibus orationum, & canonis, v. g. ergo ſi ratione illius vnitatis dicuntur verba præcedentia cauſare phyſicè conſecrationem, ſic etiam de toto canone, & de tota Miſſa id poſſumus dicere, vel ſaltem non magis cauſare phyſicè verba conſecrationis, quàm orationes præcedentes: ſi ergo aliqua maior cauſalitas tribuenda eſt verbis præcedentibus conſecrationis; illa non eſt phyſica, ſed moralis fundata in vnitate morali maiori, quam habent verba conſecrationis ſequentia cũ præcedentibus, & in vi, quam habent, vt moueant Deum ad effectum producendum, quæ vis non eſt in aliis orationibus præcedentibus; ſi ergo maiori ex parte concedendum eſt, Sacramenta ſolùm moraliter cauſare gratiam, parum refert illius indiuiſibilis cauſalitatem phyſicam ſuſtinere, de qua nemo prudens dicet, Patres fuiſſe adeò ſollicitos, quando Sacramentorum vim, & efficaciam commemorabant: loquebantur enim de toto Sacramento, non de vno indiuiſibili vltimæ ſyllabæ.

Sed quidquid de hoc ſit, probatur vlterius con- 48.

cluſio.

Quidquid ſit probatur conclusio ex natura ipſius gratiæ.

cluſio ex natura ipſius gratiæ, quæ quidem ex ſe poſtulat produci efficienter à ſolo Deo, à quo ſolo infunditur extra Sacramenta; quando autem aliquis effectus ex ſe petit procedere ab aliqua cauſa, & non alia, non debemus inuertere hunc ordinem ſine vrgenti neceſſitate, aut ratione, ideo enim non ponimus de facto ſpeciem impreſſam ad viſionem Dei, etiamſi poſſibilis ſit, quia nimirum viſio ex natura ſua petit procedere ab obiecto, & non à ſpecie, quoties obiectum eſt proportionatum & poteſt concurrere ſe ipſo. Alioquin ſi pro libitu liceret addere eiuſmodi miracula, poſſet aliquis dicere, animam Chriſti fuiſſe productam, non à ſolo Deo, ſicut aliæ animæ producuntur, ſed etiam à B. Virgine concurrente ſimul ad creationem illius animæ per potentiam obedientialem, tanquam inſtrumento Dei: hoc enim ſpectaret ad maiorem Virginis dignitatem; poſſet alius dicere, humanitatem Chriſti concurrere efficienter ad productionem gloriæ omnium Beatorum, quia hoc pertineret ad maiorem Chriſti dignitatem, vnde alius hoc extenderet ad B. Virginem, vt ipſa etiam inſtrumentaliter concurreret phyſicè ad producendam gloriam aliorum Sanctorũ, quia hoc etiam redundaret in maiorem ipſius excellentiam: quæ omnia longè abſunt à veritate, nec debent concedi, ſed ſinguli effectus dicendi ſunt fieri ab iis cauſis, à quibus naturaliter petunt produci, ne fingamus abſque neceſſitate miracula.

49. *Hæc ratio magni ponderis eſt in Eccleſia.*

Quæ ratio tanti ponderis eſt in Eccleſia, vt propter ipſam fuerit ſemper apud omnes indubitatum, ſubſtantiam panis, & vini in Euchariſtia non ſolùm deſinere eſſe ſub ſpeciebus, ſed omnino perire, nec manere in rerum natura, licèt ex verbis conſecrationis ſolùm colligatur, ſub iis ſpeciebus non manere vlteriùs panem & vinum, ſed corpus & ſanguinem Chriſti; ex hoc tamen Eccleſia colligit, vtramque ſubſtantiam perire & conuerti in corpus & ſanguinem Chriſti, quia nimirum non poſſent ſine nouo miraculo manere abſque ſuis accidentibus: miracula autem non ſunt præſumenda, niſi probentur. Quod idem argumentum frequentiſſimum eſt ad plures alias concluſiones Theologicas probandas, & ſtabiliendas. Cùm ergo gratiam produci efficienter ab alio quàm à Deo, eſſet magnum miraculum, & contra exigentiam ipſius gratiæ, non eſt hoc affirmandum, niſi apertæ rationes ad id cogant; quæ tamen in præſenti nullæ ſunt; vt ex argumentorum ſolutione conſtabit, quæ magis confirmabit, & comprobabit noſtram ſententiam.

SECTIO V.

Referuntur, & diſſoluuntur argumenta contrariæ ſententiæ.

50. *Argumentum primum ſententiæ aſſirmantis ex Script. PP. Concil.*

PRæcipuum argumentum aduerſarij deſumunt ex authoritate Scripturæ, Patrum, & Conciliorum, à quibus tribuitur Sacramentis vera, & propria cauſalitas gratiæ noſtræ; quorum loca, & verba videri poſſunt apud Suarez *in præſenti ſect.* 2. Hoc argumentum retorquetur multipliciter. Primò, quia Patres, & Concilia proculdubio loquuntur vniuerſaliter de omni gratia, quæ datur intuitu Sacramenti; & tamen aduerſarij fatentur, eam aliquando, & ſæpe, non cauſari phyſicè, ſed moraliter à Sacramento; quando ſcilicet Sacramentum propter obicem non dedit gratiam, quam dat poſtea ablato obice; tunc enim Sacramentum, cùm iam non exiſtat, non poteſt eam phyſicè, ſed moraliter cauſare.

Retorquetur primò argumentum.

Reſpondet Suarez *d. ſect.* 2. *in ſolut. ad* 3. quòd loquutiones Patrum non intelliguntur de illo caſu; ſed ſolùm, quando Sacramentum exiſtit; quando verò eſt iam tranſactum, non dicetur propriè cauſare gratiam, aut mundare animam, &c.

Reſpondet Suarez.

Sed ex hac ipſa ſolutione retorquetur argumentum; quia Patres eodem modo dicunt, gratiam tunc fieri à Baptiſmo præterito, ſicut quando fit à Baptiſmo præſente. Sic enim loquitur Auguſtinus *lib.* 3. *de Baptiſmo c.* 3. his verbis: *Tunc incipit valere idem Baptiſmus ad dimittenda peccata, cum ad Eccleſiæ pacem venerint, non vt iam dimiſſa non retineantur, neque vt ille Baptiſmus quaſi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur, ſed vt idem ipſe, qui propter diſcordiam foris operabatur mortem propter pacem intùs operetur ſalutem,* &c. Eodem modo loquitur Auctor ſermonis de Paſſione Chriſti apud Cyprianum ante finem: *Et licet indigni ſint, inquit, qui accipiunt; Sacramentorum tamen reuerentia & propinquiorem ad Deum parat acceſſum, & vbi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum,* &c. Ecce eodem modo dicunt, Baptiſmum tunc operari gratiam, & ſalutem, gratiam eſſe effectum munerum, ſeu Sacramenti præteriti; & tamen hæc omnia ab aduerſariis intelliguntur de ſola cauſalitate morali; ergo de eadem poſſunt intelligi, quando loquuntur de effectu Baptiſmi præſentis; & quidem, qui dicit, Baptiſmum præteritum operari ſalutem animæ, vt dixit Auguſtinus, eo ipſo dicit Baptiſmum mundare animam; mundare enim non eſt aliud, niſi operari animæ ſalutem, vt conſtat.

Impugnatur.

Auguſt.

Auctor ſerm. de Paſſ. Chriſti.

51. *Secundò retorquetur.*

Secundò, retorquetur idem argumentum, quia Scriptura, & Patres eodem modo tribuunt vim cauſandi vtrique parti Sacramenti, ſcilicet materiæ, & formæ. Sic enim de ablutione dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* quia ſcilicet non ſola verba, ſed etiam aqua concurrit: quod idem dici poteſt in aliis Sacramentis; & tamen non ſemper poteſt in illis vtraque pars concurrere phyſicè: nam quando apponitur materia, nondum ponitur forma, ſed poſtea, vel è contra; ergo tunc altera pars Sacramenti operatur quidem gratiam, non tamen phyſicè, ſed moraliter; quod ſufficit ad verificanda verba Scripturæ, & Patrum.

52. *Tertiò retorquetur.*

Tertiò retorquetur idem argumentum in aliis effectibus Sacramentorum diſtinctis à gratia habituali, de quibus ſuprà diximus, qualis eſt reſpectu Euchariſtiæ præſeruatio à peccatis, ſeu auxilia ſpecialia ad non peccandum, quæ in Conciliis dicuntur ſimpliciter fieri à Sacramentis tanquam veri eorum effectus; & tamen id debet intelligi ſolùm de efficientia morali, vt aduerſarij fatentur, cùm dentur, quando Sacramenta iam non ſunt; ergo eodem modo intelligi poſſunt, quando loquuntur de cauſatione gratiæ habitualis.

53. *Quartò retorquetur.*

Quartò retorqueri poteſt, quia eodem modo Scriptura, & Patres dicunt paſſum ſanguinem, & paſſionem Chriſti mundare nos à peccatis, iuſtificare nos, ſanctificare nos, &c. quæ omnia intelligi non poſſunt de cauſalitate phyſica, ſed morali; ergo eodem modo debent intelligi, cùm idem dicunt de Sacramentis, præſertim cùm totam efficaciam Sacramentorum explicent per hoc, quod ſint plena ſanguine Chriſti, quem in ſe continent quaſi fontes Saluatoris, ex quibus cum gaudio hauriuntur aquæ ſalutis. Cùm ergo tota hæc continentia, & virtus ſanguinis Chriſti non ſit phyſica, ſed moralis, efficientia etiam erit moralis, vt ſit proportionata virtuti: vnde oritur

54. *Quintò retorquetur.*

Quintò; eodem modo ſancti viri dicuntur operari miracula, dare ſanctitatem, reſtituere viſũ, &c. quæ tamen omnia moraliter ſolùm faciunt ſuis precibus impetrantes: multò ergo magis Sacramenta dici poſſunt operari ſalutem ſpiritualem, & gratiam,

quæ non ſolùm habent congruitatem,ſed condignitatem,& efficaciam infallibilem (vt videbimus) ad ponendos ſuos effectus.

55. *Sextò retorquetur.* Sextò, peccator ſuis delictis dicitur paſſim apud Scripturam,& Patres,cauſa ſuæ perditionis,& damnationis, afferre ſibi mortem ſpiritualem, &c. quæ tamen non phyſicè, ſed moraliter operatur per merita condigna ſupplicij; cur ergo non poterunt eodem modo loqui de Sacramentis in ordine ad ſaluté.

56. *Septimò.* *August.* Septimò, quia iidem Patres, vt declarent efficaciam phyſicam eſſe ſolius Dei, ſæpe pronuntiant, Deum ſolum operari gratiam internam. Sic Auguſt. *epiſt.* 23.ad Bonifacium : *Aqua,* inquit, *exhibens exterinſecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus S.operans intrinſecus beneficium gratiæ, ſoluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem Chriſto;*& *lib.* 15.*de Trinit.c.*26. ſic ait:*Neque enim aliquis diſcipulorum Chriſti dedit Spiritum ſanctum; orabant, vt veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipſi eum*
Hieron. *dabant.* Hieronymus *in c.*4. *Iſaiæ : Ex hoc diſcimus* (inquit) *quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem*
Cyprian. *Spiritum ſanctum.*Cyprianus *ſerm de Baptiſmo Chriſti: Remiſſio* (inquit) *peccatorum ſiue per Baptiſmum, ſiue per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet Verborum ſolemnitas,& ſacri inuocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis Sacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant Sacramentum, rem verò Sacramenti*
Ambroſ. *Spiritus ſanctus format & efficit.* Ambroſ.1 *de Sacram. c.*5.*Aliud,*inquit,*eſt elementum,aliud conſecratio, aliud opus.aliud operatio,aqua opus eſt,operatio Spiritus ſancti eſt.* Sic loquuntur alij Patres, quorum verba difficilius multò explicantur ab aduerſariis, quàm quæ ipſi pro ſua ſententia nobis opponunt. Quod enim

57. *Diſplicet quod dicit Suarez.* P. Suarez dicit, per has loquutiones ſolùm negari Sacramentis influxum phyſicum cauſæ principalis, non verò cauſæ inſtrumentalis, duriſſimum eſt, & videtur vim manifeſtam verbis adductis inferre; nam cauſæ inſtrumentali non ita vniuerſaliter negaretur omnis influxus. Exemplum habemus in ſententia ipſius Suarez, qui docet intellectum, & voluntatem ita concurrere cum habitibus infuſis ad actus ſupernaturales,vt habitus ſit cauſa principalis, intellectus autem & voluntas, quia concurrunt per potentiam obedientialem, habeant ſolùm concurſum cauſæ inſtrumentalis; & tamen nemo dicet, quod quando fit actus ſupernaturalis dilectionis Dei, voluntas noſtra nihil agat, ſed ſola gratia Dei; hæc enim propoſitio damnatur in Tridentino *ſeſſ.*6. *c.*5.& *can.*4. ergo ſimiliter falſum eſſet dicere, Spiritum ſanctum ſolum efficere gratiam, Sacramentum autem eam non producere, ſi tamen Sacramentum concurreret phyſicè, tanquam cauſa inſtrumentalis phyſica, & immediata; ergo Patres per illas loquutiones voluerunt procul dubio explicare veram cauſam phyſicam gratiæ, quæ eſt ſolus Deus, ſine vllo phyſico concurſu ipſius Sacramenti.
Mens ergo Patrum ſtat potius pro noſtra ſententia. Quare iuxta eorum mentem ab ipſiſmet declaratam dicimus, quando dicunt, Sacramenta eſſe cauſas gratiæ, loqui de cauſalitate morali, quæ in communi modo loquendi, appellatur ſimpliciter cauſalitas, vt conſtat ex omnibus exemplis ſuprà adductis.

58. *Inſtantia.* Sed contrà inſtant aduerſarij, quia Patres extollunt, & mirantur omnipotentiam Dei reſplendentem in hac operatione Sacramentali. Si autem non phyſicè,ſed moraliter cauſant, nihil arguitur potentiæ:Deus enim, qui ſine Sacramentis poteſt producere gratiam,producit illam ſolus intuitu Sacramen-
Diluitur. torum. Reſpondeo,in primis non adducuntur verba Patrum, nec deſignatur locus. Deinde, ſi alicubi ita loquuntur,meritò id faciunt : in hoc enim operę apparet potentia Dei, non quia poſſit cum adiutorio concauſæ debili producere gratiam,quam ſe ſolo poſſet producere (in hoc enim non argueretur potentia, quia plus eſt poſſe ſe ſolo id facere, quàm cum concurſu alterius concauſæ quantumcumque debilis:)ſed quia ex hoc ipſo arguitur Deus ſummè potens,& nullius indigens adiutorij, cùm viliſſimis adeò inſtrumentis vtatur ad tam mirabiles effectus operandos. Sicut infirma etiam,& ſtulta mundi elegit ad conuerſionem mundi, vt hoc modo appareret potentia Dei, qui ſolus certè eſt, abſque miniſtro, qui producit auxilia, & actus ſupernaturales in iis, qui conuertendi ſunt, & ex infirmitate miniſtri arguitur magis,Deum eſſe,qui totum id peragit. Quod eleganter notauit Philo lib.1. de vita Moſis, vbi quærit, cur Deus tam vilibus animalibus vti voluerit in Ægypto, vt inſtrumentis ſuæ vindictæ?Et reſpondet:*Homines,quando bella gerunt,auxilia ſibi aſciſcere potentiſſima, quibus ſuam infirmitatem ſuppleant; Deum verò omnipotentem, & nullius egentem opera; ſi quando vult tanquam inſtrumentis quibuſdam vti ad exigenda ſupplicia,non valida eligere, quorum robur curat minimè, ſed vilia, paruaque inſtruere inuictis viribus.* Sic in præſenti ex infirmitate, & imperfectione Sacramentorum magis arguitur potentia Dei,qui eſt auctor gratiæ producendæ, neque ad hoc indiget efficacia ipſius Sacramenti.

Dices,Patres & Concilia ſimpliciter dicunt, Sa- 59.
cramenta cauſare gratiam, ad hoc autem non ſuffi- *Inſtatur.*
cit mera cauſalitas moralis; nam homo generans hominem, licèt dicatur cauſare vnionem animæ cum corpore, & cauſare diſpoſitiones, non tamen dicitur ſimpliciter cauſare animam rationalem,quam phyſicè non producit, ſed anima dicitur creari, & fieri à ſolo Deo. Sic enim Machabæorum mater dicebat illis 2. Machab.c.7. *Nec enim ſpiritum, & ani-* 2. Machab. cap. 7.
mam ego donaui vobis, &c. *Sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem;* & tamen genitor eſt cauſa moralis productionis animæ : mouet enim Deum,mediis diſpoſitionibus; quas ponit in materia,vt producat animam, quæ informet illud corpus diſpoſitum.& organizatũ:ergo ſola cauſalitas moralis non ſufficit ſimpliciter ad denominationẽ cauſæ.

Reſpondetur, cauſam moralem non eſſe cauſam 60.
phyſicam, atque adeo non eſſe in eo rigore cauſam, *Reſponſio, cauſa moralis dicitur cauſa humano modo loquendo.*
quo cauſa phyſica; dicitur tamen cauſa humano modo loquendo, ſicut loquebantur Patres; ſic enim B. Virgo dicitur cauſa, & Mater gratiæ, & Paſſio, ac crux Chriſti dicitur cauſa noſtræ ſalutis; cùm ſolùm ſint cauſæ morales. Homo autem non dicitur ſimpliciter cauſa animæ rationalis, ſeu producere animam : quia iuxta ſubiectam materiam id intelligeretur de cauſalitate phyſica, quam habet circa vnionem, & diſpoſitiones, & videremur tribuere homini idem genus cauſalitatis circa animam, quod habet circa compoſitum : ideo in illa, & aliis ſimilibus materiis, quando loquimur vt phyſici, oportet explicare, de qua cauſalitate ſit ſermo. Vbi autem intelligeretur ex circumſtantiis, non eſſe ſermonem de cauſalitate phyſica, nec loquimur phyſicè, poſſet ſimpliciter dici cauſa : ſicut, qui mereretur incarnationem, diceretur ſimpliciter cauſa incarnationis : & qui mereretur creationem animæ, diceretur ſimpliciter cauſa illius animæ : tunc enim intelligeretur, non eſſe ſermonem de cauſa phyſica, ſed morali.

Porrò in præſenti materia facilè intelligitur, ſer- 61.
monem non eſſe de cauſa phyſica,& ſtrictè acceptâ: *Confirmatur vlterius noſtra doctrina.*
nam quoties agitur de cauſando effectu aliquo ordinis ſuperioris,& ab illo obtinendo, non alligatur

ſermo

ſermo ad cauſam ſtrictè acceptam, & phyſicam; ſic enim dicimus communiter Sanctos operari miracula; quod tamen non intelligitur de cauſalitate phyſica, ſed morali, quia agitur de effectu ſuperante eorum vires, & ab alio agente ſuperioris virtutis obtinendo. Cùm ergo gratia ſit effectus ſupernaturalis, ſenſus proprius in eiuſmodi loquutionibus eſt de cauſalitate morali, & non de phyſica. Quamvis autem cauſa moralis non ſit cauſa cum eo rigore, quo cauſa phyſica; non eſt tamen dicenda impropriè, aut metaphoricè cauſa, ſed propriè in latiori ſignificatione, qua omnes vtuntur, quando aliquem dicunt eſſe cauſam alicuius effectus; prout omnes dicunt, peccata eſſe cauſam condemnationis, & punitionis, & alia eiuſmodi.

62. *Inſtantia. Soluitur.* Dices cauſa moralis eſt cauſa æquiualenter; ergo propriè non eſt cauſa. Reſpondeo, eſt æquiualenter cauſa phyſica, propriè tamen eſt cauſa, quia cauſa propriè phyſica, & cauſa æquiualenter phyſica, vtraque in communi modo loquendi hominum appellatur propriè cauſa abſque addito. Sicut peccatum originale, vel habituale, ſunt etiam aliquid morale, quia æquiualent peccato perſonali, vel actuali: & tamen ſunt propriè peccata, & non metaphoricè; licet non in illa ſtricta ſignificatione, ſed in latiori, recepta tamen communiter ab hominibus.

63. *Explicatur locus libri Machab.* Verba denique adducta ex lib. Machabæorum, intelliguntur potiſſimè de cauſa libera, & operante per cognitionem, non verò de cauſa phyſica; nam in eiſdem verbis ſoli etiam Deo tribuitur compactio membrorum, & organizatio corporis, quorum tamen parentes ſunt cauſæ phyſicæ; ſed quia hæc omnia ſine ſcientia, & libertate faciunt, tribuuntur ſoli Deo: *Neſcio,* inquit, *qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum, & animam donaui vobis, & vitam; & ſingulorum membra non ego ipſa compegi: ſed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem*, &c. vbi non ſolùm animæ, ſed & ipſius vnionis mater negatur cauſa; nam vitam & animam tribuere, non eſt producere animam, ſed eam corpori communicare; id tamen mater ſibi negat, quia ſine ſcientia id fecit: *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis*: ſine ſcientia autem non poteſt dici ſimpliciter donum, quod libertatem ſonat, ideo dicit: *Neque enim ego vitam vobis donaui*, ſed ſolus Deus, qui ſcienter id fecit: *Et omnium inuenit originem.* Sic etiam inſpirationes, & gratias præuenientes dicitur Deus facere in nobis ſine nobis, quia licèt noſtræ potentiæ concurrant phyſicè ad illos actus vitales, fiunt tamen ſine libertate noſtra, & ex ſola liberalitate & libertate Dei.

64. *Secundũ argumentum contra nos, ſumitur ex virtute formæ Sacramentalis. Reſponſio.* Secundo arguunt contra noſtram ſententiam ex virtute formæ Sacramentalis: nam Sacerdos dicens, *Ego te abſoluo*, vt verè id dicat, oportet quod ſuis verbis producat gratiam, qua homo à peccatis liberatur; quia alioquin Sacerdos non ſoluit hominem, ſed Deus ſolus, loquente Sacerdote. Reſpondetur facilè, requiri quidem quòd Sacerdos ſuis verbis operetur gratiam, & remiſſionem peccatorum; non tamen requiri quod operetur eam phyſicè; ſufficit ſi eam operetur moraliter: nam qui eſt cauſa moralis alicuius effectus, cum veritate poteſt dicere: Ego cooperor hoc. Neque enim minùs vere dicere poteſt Sacerdos: *Ego te abſoluo*, & libero à reatu pœnæ, quàm ego te ſoluo à reatu culpæ, & tamen à reatu pœnæ non liberat phyſicè producendo gratiam, ſed ſolùm vt cauſa moralis; ſicut in Sacramento Ordinis verè poſſet etiam dicere Epiſcopus ordinans: *Do tibi poteſtatem offerendi ſacrificium*, &c. licèt non producat phyſicè, ſed ſolùm moraliter illam poteſtatem, vt conſtat. Non ergo ſignificatur productio aliqua phyſica per illa verba, ſed id, quod homines ſolent ſignificare, quando dicunt: Ego tibi remitto debitum, vel offenſam, ſcilicet ceſſione iuris ex parte ſua, quod totum eſt morale, & non importat aliquam cauſalitatem phyſicam.

Tertio arguunt, quia hæc efficientia phyſica multum conducit ad dignitatem Sacramentorum legis Gratiæ. Reſpondetur, ſicut non conducit ad dignitatem ſanguinis Chriſti, quòd fuerit cauſa phyſica noſtræ ſalutis, ſic nec hoc conducere quidquam ad dignitatem Sacramenti: quid enim meâ refert, quod gratiam meam phyſicè, vel moraliter producat, dum tamen eam infallibiliter cauſet? Certè æquè mihi vtile erit vtroque modo, ſi gratia æquè perfecta vtroque modo mihi datur: ſicut ſi aliquis Sanctus miraculosè reſtituat viſum cæco, parum curabit cæcus, quòd ſolùm ſit cauſa moralis, vel quòd concurrat etiam vt inſtrumentum phyſicum ad viſum reſtituendum. 65. *Tertium argumentum eſt à gratia. Reſpondetur.*

Quartò arguunt, quia humanitas Chriſti operabatur phyſicè miracula per ſuas actiones, ergo & gratiam debet phyſicè operari per Sacramenta, quæ (vt videbimus) ſunt actiones ipſius Chriſti. Reſpondetur, negando antecedens; ſed licet id admitteretur de actionibus, quas Chriſtus perſonaliter operabatur, non oportet id admittere de actionibus, quæ ſunt ſolùm moraliter actiones Chriſti, eo quòd fiant ab eius miniſtris, & quæ ſæpe ſunt in ſe vitioſæ & peccaminoſæ. 66. *Quartum argumentum à ſimili. Reſpõſio.*

Quintò arguunt, quia ſi Sacramenta non cauſant phyſicè gratiam, ſed ſolus Deus ad eorum præſentiam, non eſſent magis cauſa gratiæ, quàm verba malefici habentis pactum cum dæmone ſunt cauſa effectus mirabilis, quem dæmon operatur. Reſpondetur, differre in primis ex parte effectus; nam Sacramenta ordinantur ad producendam gratiam ſupernaturalem; verba autem venefici ad effectum naturalem, differunt etiam ex parte virtutis; nam verba venefici nituntur pacto cum dæmone, qui ſolet, imò & deberet fallere fidem datam venefico; vnde verba illa ex ſe non mouent dæmonem, ſed ſunt mera conditio; qua poſita, dæmon propter alia motiua excitatur ad operandum: at verba Sacramentalia nituntur promiſſioni Dei, quæ deficere non poteſt, & habent ex ſe vim ad mouendum Deum, vt mox videbimus, eò quòd ſint verba, & operationes Chriſti. Conueniunt tamen cum verbis magicis in eo, quòd neutra habeant influxum phyſicum in effectum operandum. 67. *Quintum argumentum. Soluitur.*

Differentia inter Sacramenta vetera, & noua.

Sextò, & difficiliùs arguitur, quia ſi Sacramenta noſtra non agunt phyſicè, ſed ſolùm moraliter, non videntur differre à Sacramentis antiquis, in quorum aliquibus conferebatur etiam gratia ex opere operato, ſcilicet in Circumciſione, & in Sacramento legis naturæ inſtituto ad delendum peccatum originale ſaltem in paruulis: Concilia autem, & Patres volunt noſtra Sacramenta in gratiæ cauſalitate differre ab antiquis, vt conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 7 *can.* 2. de Sacramentis, & ex Florentino in Decreto Vnionis: ergo fatendum eſt, noſtra Sacramenta habere vim producendi gratiam phyſicè, quam vim Sacramenta antiqua non habebant. 68. *Sextũ & difficilius ſoluitur ex differentia noſtrorum Sacramentorum ab antiquis, præſertim à Circũciſione. Probatur ex Conciliis.* Conc. Trid. Concil. Flor.

Bonauentura *in* 4. *d.* 1. dupliciter ſoluit hoc argumentum. Primò dicit, Deum non decreuiſſe infallibiliter dare gratiam cum illis Sacramentis, quæ infallibilitas eſt in noſtris Sacramentis, & per hoc maximè differunt ab illis. Hoc tamen non ſatisfacit, quia ſi illa Sacramenta verè conferebant gratiam, 69. *Reſpõſio Bonauenturæ. Nõ ſatisfacit.*

inſallibiliter eam conſerebant; quia alioquin manſiſſent abſque vllo remedio pueri illi, quibus applicabantur ad tollendũ peccatum originale. Secundò reſpondet, differentiam eſſe, quòd noſtris Sacramentis plenius aſſiſtit Spiritus ſanctus, & abundantior habetur gratia. Sed neque hoc ſatisfacit; quia Concilia, & Patres non ponunt diſcrimen ſolum, ſecundùm magis, & minus inter vtraque Sacramenta, ſed ſimpliciter, quoad dare, & continere gratiam.

70. *Reſpõdet Durandus.* Durandus aliter reſpondet, noſtra Sacramenta eſſe cauſas, ſine quibus non confertur gratia; illa verò Sacramenta non fuiſſe eiuſmodi, quia ſine illis, & aliis viis poterat conferri gratia. Sed neque hoc *Impugnatur primò.* ſubſiſtit; primò, quia eſt contra mentem Conciliorum, quæ ſimpliciter dicunt, Sacrament legis veteris *Secundò.* non cauſaſſe gratiam; deinde, quia neque etiam omnia noſtra Sacramenta ſunt talia; neque enim omnia ſunt neceſſaria ad habendam gratiam, imò nullum eſt neceſſarium in re, ſed ſufficit eius votum, quam neceſſitatem habebant etiam Sacramenta antiqua; Iudæus enim non poterat habere gratiam ſine Circumciſione, aut eius voto.

71. *Poſito ergo quòd Circũciſio conferret ex opere operato gratiam. Reſpondeo.* Omiſſis ergo aliis ſolutionibus, & admiſſo pro nunc quod Sacramenta legis antiquæ contulerint gratiam ex opere operato, de quo dicemus ex profeſſo diſputatione ſequenti? Reſpondeo non oportere diſcrimen aſſignare ex eo, quòd alia cauſent phyſicè gratiam & alia ſolùm moraliter; nam licèt neutra cauſent phyſicè, poſſumus dicere, noſtra Sacramenta eſſe veras cauſas morales gratiæ; Sacramenta verò antiqua fuiſſe, non quidem cauſas, ſed ſolùm conditiones requiſitas ad gratiæ collationem. In quo autem differat cauſa moralis à conditione, & cur noſtra Sacramenta ſint, non ſolùm conditiones, ſed etiam cauſæ, non facilè declaratur.

72. *In quo differat cauſa moralis à conditione, declaratur exemplo.* P. Vaſquez *in præſenti c. 5. n. 91.* poſtquam latè probauit, denarium plumbeum non eſſe cauſam moralem, ſed conditionem, quâ poſitâ, Rex vult ſoluere, quod promiſit, habenti illud ſignum plumbeum, addit, Sacramenta legis nouæ non eſſe huiuſmodi, ſed veras cauſas, quia non concurrunt reuocando in memoriam promiſſum, ac debitum, ſicut concurrit nummus plumbeus, vel chirographus: ſed inducendo obligationem, atque adeo mouendo Deum, vt gratiam conferat ratione primæ inſtitutionis, & promiſſionis, quæ vt ſub eorum conditione facta *S. Thom.* eſt, non, niſi ipſis poſitis obligat. Vnde S. Thomas *in præſenti art. 1.* reiicit illud exemplum denarij plumbei, & dicit non eſſe ſimile Sacramentis, ſicut etiam ob eandem rationem reiicit exemplum baculi, libri, *Bernard.* vel annuli, quibus vtitur Bernardus *ſerm.* de Cœna Domini; per quæ conſtituitur aliquis Abbas, Canonicus, aut Epiſcopus: hæc enim omnia ſunt mera ſigna, non cauſæ poteſtatis.

73. *Illa tamen exempla non conueniunt omnino cum noſtris Sacramentis.* Ego quidem fateor, exempla illa non conuenire cum noſtris Sacramentis omnino, nec Bernardus iis voluit explicare cauſalitatem Sacramentorum, ſed ſolùm requiri diuerſitatem ſignorum pro diuerſitate rerum ſignificatarũ, ſiue ſignum ſit ſimul cauſa, ſiue non ſit: annulus enim, baculus, & liber non cauſant poteſtatem, ſed ſignificant voluntatem tradentis, & poteſtatem quæ traditur: quare etiamſi non interuenirent, poſſet dari eadem poteſtas, quæ per aliam actionem traditur, & ſolùm explicatur per exhibitionem illorum ſignorum: denarius etiam plumbeus eſt ſolùm ſignum voluntatis & ordinationis Regis, qui ordinauit dari pecuniam argenteam habenti tale ſignum: vnde ille neque eſt cauſa, neque etiam conditio in rigore, quia etiam abſque illo Rex debet, & obligaretur ad ſoluendum, ſi aliunde conſtaret debitum: ad hoc autem ſolùm deſeruit denarius plumbeus, non vt Rex debeat, ſed vt conſtet de debito. Quod idem poteſt dici de chirographo: aliquando enim neque eſt cauſa, neque conditio, ſed merum ſignum debiti contracti; at verò Sacramenta antiqua, ſi neceſſaria erant ad gratiam, quæ in ipſis dabatur, non erant mera ſigna, ſed conditiones. Sacramenta autem noſtra non ſunt mera ſigna, nec conditiones, ſed cauſæ: quia ipſa habent in ſe id, quod mouet Deum ad producendam gratiam.

74. *Explicatur alio exemplo.* Quod explicare ſoleo hoc exemplo: Si Dominus, v. g. iubeat ſeruo, vt quoties audierit gallum cantantem, det Petro nummum aureum; tunc galli cantus erit mera conditio, non verò cauſa moralis nummi dandi: nam licèt ſeruus non det nummum, niſi cantante gallo, non tamen mouetur à galli cantu, ſed, poſita illa conditione, mouetur à præcepto *Applicantur exempla.* Domini, quod ſolum eſt cauſa moralis. Sic ſe habebant Sacramenta antiqua: Deus enim promiſerat, poſitis illis conditionibus, dare gratiam propter merita Chriſti venturi, quæ merita, & promiſſio Diuina erant cauſa moralis mouens ad dandam gratiam: Sacramenta verò erant mera conditio: neque ipſa habebant in ſe vim ad mouendum Deum, cùm eſſent inania, & vacua elementa, prout appellantur ab Apoſtolis. Sacramenta autem legis nouæ ſunt cauſæ morales, quia ipſa habent vim mouendi Deum: *Ideo mouent Deum noſtra Sacramenta, quia ſunt actiones Chriſti.* ſunt enim actiones, & operationes Chriſti; quare ſicut preces Chriſti mouebant Deum ad operandum miraculum: ſic operatio Sacramentalis habet eandem vim: omnia quippe Sacramenta nouæ legis, à quocumque miniſtro fiant, fiunt nomine Chriſti, qui operatur per illum miniſtrum, & vtitur illis rebus, & vocibus ad loquendum cum Deo, & petendum effectum Sacramentalem: iuxta illud Pauli 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei:* de quo videri poteſt *1. Cor 4.* *August.* Auguſt. *tract. 5. & 6.* in Ioan. *& lib. 3.* contra Creſconium *cap. 8. lib. 1.* contra litter. Petiliani *c. 7. & lib. 3. c. 8. 49. & 55.* & *lib. 5.* de Baptiſmo *c. 14.* vbi ponderat, Paulum aliquando vocare Euangelium ſuum, nunquam tamen appellaſſe Baptiſmum ſuum: quia, etſi vtrumque munus faceret vt miniſter Chriſti, magis tamen ſpecialiter intelligitur in Sacramento operari vt miniſter Chriſti, & nomine Chriſti: & ideo noſtra Sacramenta dicuntur burſæ plenæ, quia continent valorem meritorum Chriſti, eo quòd ſint actiones Chriſti, à cuius dignitate accipiunt dignitatem, & valorem ad impetrandum id, quod per illa Chriſtus poſtulat: in Sacramentis autem legis antiquæ, licèt gratia (ſi quæ in illis dabatur) daretur etiam propter merita eiuſdem Chriſti, ipſa tamen Sacramenta non erant, nec poterant eſſe actiones Chriſti, qui cùm nondum eſſet, non poterat habere miniſtros, qui eius nomine operarentur, & per quos ipſe diceretur operari. Aliunde verò illæ actiones, etiamſi fierent nomine Synagogæ, vel Eccleſiæ, non poterant ab illa habere vim ad impetrandam gratiam, nec Deus reſpiciebat merita illius ad eum effectum infallibilem ponendum; quare totum illud manebat intra terminos meræ conditionis: ſicut galli cantus in exemplo poſito ad dandam pecuniam ex viſione Domini.

75. *Contra hunc modum explicandi. Primò obiicitur.* Contra hunc modum explicandi differentiam inter cauſam, & conditionem moralem, quo olim vſus ſum, opponunt recentiores Theologi aliqua. Primum, ea omnia, quæ non appellamus conditiones, eſſe verè cauſas morales. Nam eorum poſitioni tribuitur effectus, & ab illa dicitur cauſari, hoc autem eſt cauſare moraliter, id eſt, æquiualenter cauſare. *Secundò.* Secundò, quia non alia ratione, preces, & merita natura ſua ſunt cauſæ morales, niſi quia ex ſe habẽt

vim

vim inflectendi per modum motiui voluntatem alterius, vt cauſet, ſed conditio etiam, non quidem ex ſe, ſed ex promiſſione, aut voluntate alicuius, habet vim mouendi; ergo licèt non ex ſe, ex promiſſione tamen vel voluntate habebat vim cauſandi moraliter. *Tertiò.* Tertiò, quia per poſitionem conditionis tranſit in abſolutam voluntas, vel oratio, aut promiſſio ſub conditione facta, ergo per illud cauſat effectum, per quod conſtituitur in ratione abſolutæ; nam cauſat, & mouet vt abſoluta; ergo per conditionem ipſam, per quam conſtituitur in ratione abſolutæ, conſtituitur etiam in ratione cauſæ moralis, & per conſequens conditio illa eſt partialis ſaltem virtus, qua completur cauſa in ratione cauſæ moralis.

76. *Reſpondetur hoc tantùm probare illas conditiones poſſe aliquo modo vocari cauſas morales, non tamen in rigore.* Hæc quidem probant, illas, quas dixi, conditiones, poſſe in latiori ſignificatione appellari etiam cauſas morales, quatenus aliquo modo mouent ad operandum: loquendo tamen in rigore, & de re ipſa, negari non poteſt magna diuerſitas in modo influendi, & mouendi, quem habent, ratione cuius non ſolent appellari cauſæ. *Declaratur exemplo.* Si enim Confeſſarius, v.g. impoſuit pœnitenti, vt ſingulis diebus feſtis huius anni adeat Xenodochium ad inſeruiendum ægrotis, poſtea verò Epiſcopus præcipiat, vt dies alicuius ſancti obſeruetur eo anno tanquam feſtum, diuerſo modo concurrunt, & mouent præceptum Confeſſarij, & præceptum Epiſcopi, vt pœnitens eat ad miniſtrandum infirmis; illud ſcilicet vt cauſa moralis, hoc verò vt conditio, quâ poſitâ, mouet auctoritas Confeſſarij, qui ſolus eſt, qui id præcipit, & contra cuius ſolius obedientiam peccatur id omittendo, non contra præceptum Epiſcopi. Vtrumque quidem præceptum cognoſcitur, ſed diuerſo modo; ratione cuius diuerſitatis, alterum vocamus cauſam moralem, alterum verò conditionem: ne cogamur dicere, vſum ſeu ſumptionem Euchariſtiæ eſſe cauſam moralem gratiæ, ſicut corpus Chriſti, ac per conſequens eſſe partem Sacramenti: quod idem de diſpoſitione requiſita, ſeu ablatione obicis in Baptiſmo, & aliis ſimilibus Sacramentis dicendum eſſet, illam ſcilicet non eſſe meram conditionem, ſed cauſam moralem gratiæ Sacramentalis; atque adeò fatendum eſſet, illam eſſe partē intrinſecam ipſius Sacramenti, quæ & alia abſurda vitantur, ſi dicamus, has non eſſe cauſas, ſed conditiones morales ad gratiam producendam. Nam licèt cognoſcantur, & moueant, diuerſo tamen modo: quæ diuerſitas conſiſtere videtur in eo, quòd non tam eſt id, quod mouet agens, quàm id, ad quod agens mouetur. Præceptum enim Confeſſarij, v.g. in caſu poſito eſt, quod mouet ad miniſtrandum infirmis diebus feſtis: præceptum Epiſcopi non mouet, ſed ponit diem feſtum, & caſum, ad quem mouet præceptum Confeſſarij: ſicut qui eſt cauſa morbi, non mouet Petrum obligatum ad miniſtrandum infirmis, ſed ponit infirmum, ad cui inſeruiendum mouet Petrum obligatio, quam aliunde habet, ex præcepto, v.g. Confeſſarij. Eſt ergo illa conditio tenens ſe ex parte effectus, ſeu complens effectum ponendum: nam Confeſſarius præcepit illud complexum, ſcilicet, miniſtrare infirmis diebus feſtis: præceptum Epiſcopi ponit diem feſtum, vt poſſit eſſe illud complexum, ad quod ponendum mouet pœnitentem præceptum Confeſſarij. Sic poterat ſe habere Circumciſio, v.g. vt non moueret Deum ad dandam gratiam, ſed compleret id, ad quod Deus ex ſua promiſſione mouebatur. Promiſiſſet quippe dare gratiam pueris circumciſis: Circumciſio eſſet tunc conditio ex parte paſſi complens caſum, pro quo Deus ex promiſſione tenebatur, & mouebatur ad dandam gratiam, non à Circumciſione, ſed à promiſſione ad dandam gratiam in Circumciſione.

Dices; ſi ego conſulo Petro, quod vindicet ſe de iis, qui ipſi intulerint iniuriam, Petrus poſtea, iniuria accepta, mouetur quidem ad vindictam non ſolùm à meo conſilio, ſed etiam ab ipſa iniuria; ergo iniuria non eſt mera conditio, ſed cauſa etiam moralis, & per conſequens, ſi peto, aut conſulo, quòd miniſtret infirmis, infirmitas non erit mera conditio, ſed motiuum etiam, & cauſa partialis moralis. 77. *Inſtantia.*

Reſpondeo, Petrum poſſe dupliciter operari: primò, ex motiuo mei conſilij, & ex motiuo etiam vindictæ, & tunc iniuria mouebit etiam, & erit cauſa moralis, & non mera conditio. *Diluitur.* Secundo, poteſt Petrus non operari ex motiuo vindictæ, ſed ſolùm, vt ſequatur meum conſilium, & tunc conſilium erit tota cauſa moralis, iniuria verò erit mera conditio. Sic etiam poſſum conſulere Petro, vt eliciat actum miſericordiæ erga infirmos; & tunc non ſolùm conſulo miniſterium externum, ſed etiam, quod illud exhibeat ex motiuo miſericordiæ, atque adeò tunc remotè mouebitur à ſolo conſilio meo, proximè verò mouebitur ab indigentia, & infirmitate ægroti: ſi verò ſolùm moueatur à meo conſilio, non eliciet actum internum miſericordiæ, ſed reuerentiæ erga mea conſilia, & tunc infirmitas non erit motiuum, ſed cauſa moralis, ſed mera conditio; & hoc modo ſe habuiſſet Circumciſio; Deus enim moueretur ſolùm ex ſua promiſſione ad dandam gratiam pueris circumciſis.

Dices iterum, ſi ego ſcio, Petrum habere præceptum occidendi omnes, quos inuenerit cum veſte viridi, & ex induſtria dem Paulo veſtem viridem, ego dicar cauſa moralis necis Pauli, & non ſolùm præceptum, quod habebat Petrus ad occidendum indutos veſte viridi, ergo qui circumcidebat infantem, ſciens Deum ex promiſſione obligatum ad dandam gratiam infantibus circumciſis, dicetur etiam cauſa moralis illius iuſtificationis, & non mera conditio. 78. *Inſtantia.*

Reſpondeo, poſſe quidem tunc me in alio ſenſu dici cauſam moralem necis Pauli, nam cauſa moralis aliquando dicitur illa, quæ humano modo mouet ſuadendo, petendo, conſulendo, & determinat ad opus; & in hoc ſenſu ille non eſt cauſa moralis necis Pauli; aliquando verò cauſa moralis dicatur illa, quæ eſt cauſa imputatiua; hoc eſt, cui effectus imputatur ad culpam, vel pœnam, eo quod teneatur, v.g. impedire, & non impediat; & in hoc ſenſu Petrus eſt cauſa moralis illius necis, hoc eſt, imputatiuè. Adde, licèt non teneatur impedire, poteſt tamen alio ſenſu dici cauſa moralis, ſi ex intentione illius effectus poſuit talem conditionem; nam intentio determinata facit illum æquiualenter cauſam: & in hoc etiam ſenſu circumcidens infantem ex intentione iuſtificationis illius, poſſet dici cauſa moralis illius iuſtificationis. 79. *Soluitur.* Nullo tamen ex his modis Circumciſio ipſa poſſet dici cauſa moralis gratiæ; non enim eſſet cauſa primo modo, cùm ipſa non eſſet oratio, & petitio Chriſti nomine facta, vt ſuprà diximus; neque etiam ſecundo modo, cùm ipſa non ſit imputatiuè cauſa iuſtificationis, vt conſtat; non enim tenebatur impedire iuſtificationem; nec denique tertio modo, quia licèt circumcidens, aut procurans Circumciſionem infanti ex intentione iuſtificationis illius, poſſet in illo ſenſu dici cauſa moralis; circumciſio tamen ipſa non poſſet in eo ſenſu dici cauſa moralis, quia ipſa de ſe non intenderet talem effectum, neque haberet ordinem ad illum; vnde in nullo ſenſu proprio diceretur cauſa moralis: poſſet tamen ita appellari (vt dixi) in ſenſu latiori, quatenus omne, quod qualitercunque mouet, poteſt dici, quod moraliter concurrat, extenſo nomine cauſæ ad omne id, quod concurrit aliquo modo ad effectum. *Nullo ex his modis Circumciſio eſt cauſa moralis gratiæ.*

80. *Iam reſpondetur ad argumenta ad primum.*

Hinc iam ad argumenta illa facilè reſpondemus. Ad primum dicimus, iis conditionibus tribui effectum diuerſo modo ab eo, quo tribuitur præcepto, vel precibus, v. g. quia his tribuitur tanquam mouentibus, illis verò, vt conſtituenti, & complenti id, ad quod cauſa moralis mouet, atque adeo tenentibus magis ſe ex parte effectus, ſeu ex parte paſſi, quàm ex parte efficientis.

81. *Ad ſecundum.*

Ad ſecundum dico, conditionem illam non habere vim mouendi, ſed ſolùm ponendi id, ad quod preces, vel præceptum, aut conſilium mouent, ſeu complendi caſum, & circumſtantias, in quibus mouent. Ad tertium concedo, per poſitionem conditionis tranſire in abſolutam voluntatem, vel præceptum, aut orationem factam ſub conditione: per hoc tamen nolumus ſignificare, quòd illa moueat vt abſoluta, ſed ſolùm quod perinde moueat, ac ſi eſſet abſoluta; re tamen vera ipſa in ſe manet adhuc conditionata, & mouet vt verè eſt conditionata, & per id ſolum, quod habet vt conditionata: nam iuſſio, vel promiſſio, aut oratio conditionata mouet ſufficienter ad ponendam rem, quando poſita eſt conditio. Sic dicemus infrà agentes de Sacramento Pœnitentiæ, contractus conditionatos non inducere obligationem tunc ſolùm, quando ponitur conditio, ſed antea fuiſſe iam inductam obligationem, ideoque non poſſe tolli obligationem illam, quantumcunque reuocetur voluntas ante conditionem poſitam, non tamen tenetur aliquis ex illo contractu ad ponendum effectum, antequam ponatur conditio; non quia non ſit iam tota obligatio, ſed quia tota illa obligatio ſolùm eſt ad ponendum effectum, quando ponetur conditio: ſicut qui hodie promittit dare cras librum, hodie quidem obligatur, non tamen obligatur ad dandum librum hodie, ſed hodie eſt obligatus ad dandum cras, ita vt dies craſtina non compleat, aut conſtituat obligationem, ſed id, ad quod eſt obligatio. Sic qui promittit ſub conditione, ab initiu habet, & abſolutè habet obligationem, ſed non ad faciendum abſolutè, ſed ad faciendum ſub conditione; ita vt conditio non conſtituat, aut compleat obligationem, ſed ſit quaſi obiectum obligationis, & ideo ſolet appellari obligatiu conditionata, ſcilicet ex parte obiecti, ſicut ſcientia, qua Deus cognoſcit futura contingentia ſub conditione, appellari etiam ſolet ſcientia conditionata, non quia in ſe non ſit abſolutè, antequam ponatur conditio, ſed quia reſpicit obiectum ſub conditione. Sic etiam promiſſio, & obligatio in ſe eadem eſt ante, & poſt impletam conditionem, & ſemper reſpicit idem obiectum ſub conditione. Vnde meritò

82. *Sanchez. Ratio cur Epiſcopi poſſint diſpenſare in votis conditionatis caſtitatis.*

P. Thomas Sanchez *lib.* 4. in Decalog. *c.* 4. *n.* 99. cum aliis docet, poſſe Epiſcopum diſpenſare in votis conditionatis caſtitatis, v. g. vel alterius materiæ reſeruatæ, non minus poſt impletam conditionem, quàm ante illam impletam. Cuius doctrinæ ratio debet hinc deſumi, quia nimirum votum, & obligatio in ſe non variantur; quare ſicut ante impletam conditionem illud non erat ſimpliciter votum caſtitatis, ſed votum caſtitatis ſecundùm quid, hoc eſt, ſub conditione; ſic poſt impletam conditionem votum non eſt caſtitatis ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ſcilicet ſub conditione. Obligat quidem iam ad caſtitatem non minùs, quàm ſi fuiſſet abſolutum, & ideo dicitur tranſire in abſolutum; hoc tamen intelligitur *æquiualenter*, quatenus ratione obligationis conditionatæ non minùs ſit ponendus effectus, quàm ſi fuiſſet promiſſio abſoluta: in ſe tamen ſemper manet eadem, & ideo diſpenſabilis ab Epiſcopo. Negamus ergo, conditionem complere in rigore loquendo, obligationem, aut promiſſionem ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam eſt cauſa moralis, & mouens; mouet enim ſolùm ſecundùm quod poſita fuit; illa quippe obligatio, & promiſſio præterita mouet ad ponendum rem promiſſam, hoc eſt, effectum, quando ponitur conditio; ipſa verò conditio habet ſe ex parte effectus, non ex parte motiui; vt explicuimus.

Conditio ſe habet ex parte effectus non cauſæ.

83. *Obiectio.*

Obiiciunt rurſus; quia ſi Sacramenta nouæ legis cauſant moraliter, & mouent, quatenus ſunt actiones, & quaſi preces Chriſti petentis per miniſtros ſuos, ſequitur eſſe cauſas per accidens & impropriè. Nam ſicut eleemoſyna exterior dicitur ſolùm meritoria, & mouere Deum per accidens, & denominatiuè ab actu interno, ſic preces illæ, quæ ex ſe non mouent, ſed prout denominant fieri nomine Chriſti per denominationem prouenientem ab imperio præterito, quo Chriſtus ſubſtituit ſibi miniſtros, non erunt cauſa, nec mouebunt niſi valde per accidens, & denominatiuè.

84. *Reſp. obiec.*

Reſpondeo; quando dicitur actiones Sacramentales non eſſe cauſas niſi denominatiuè, poſſe eſſe æquiuocationem. Si enim ſenſus ſit, illas actiones ſecundùm ſe conſideratas, & præſcindendo ab eo, quòd fiant nomine Chriſti, non habere virtutem cauſandi, aut mouendi Deum, verum eſt: ſi autem ſenſus ſit, ita totam motionem, & cauſalitatem prouenire à voluntate præterita Chriſti, vt ipſa etiam actio exterior Sacramentalis non concurrat immediatè partialiter ad cauſandum moraliter, & ad mouendum Deum, negandum erit. Et in hoc non eſt ad rem exemplum, quod affertur de eleemoſyna externa; nam ibi ſola voluntas interna eſt, quæ mouet immediatè Deum, & quæ meretur immediatè præmium; actio verò externa ſolùm denominatiuè, quatenus eſt effectus illius voluntatis merentis, & facit vnum actum humanum bonum, integrum cum illa voluntate, quæ ſola immediatè meretur. At actio externa Sacramentalis non ita ſe habet, ſed ipſa etiam immediatè mouet Deum. Aliud enim eſt loqui de actione externa in ordine ad merendum, aliud verò in ordine ad impetrandum. Meritum quidem non habet, niſi denominatiuè ab actu interno, cui ſoli reſpondet immediatè totum meritum, quia illi ſoli competit immediatè libertas, & laudabilitas formalis. Ad hoc autem, vt actio externa poſſit etiam immediatè deſeruire ad impetrandum, non requiritur in ea libertas immediata: omnis enim illa actio, quæ apta eſt ad manifeſtandam voluntatem, & deſiderium noſtrum illi, à quo petimus, eſt apta ad impetrandum: nam manifeſtando deſiderium petentis, mouet illum, à quo petimus. Quando ergo oramus Deum vocalibus precibus, meremur quidem immediatè ſolùm per actus bonos internos; impetramus verò per ipſam etiam orationem externam; nam licèt Deus intueatur cor, & cognoſcat deſiderium internum: cognoſcit tamen voces, quæ iterum idem deſiderium manifeſtant, & mediis, quibus verè loquimur cum Deo: ſi ergo loquimur, ipſe audit nos, & mediis vocibus percipit poſtulationem noſtram: ergo poteſt ab iis etiam vocibus moueri ad concedendum quod petimus. Actiones ergo Sacramentales ſunt quaſi voces externæ Chriſti, quibus mediis loquitur Deo per ſuos miniſtros, & manifeſtat illi ſuum deſiderium habendæ gratiæ pro hominibus ſuſcipientibus tale Sacramentum: atque ideo licèt illæ actiones non ſint meritoriæ, ſunt tamen impetratoriæ, non ſolùm ſecundùm ſe, ſed prout procedunt à tali voluntate Chriſti, ita tamen vt ipſæ etiam actiones concurrant immediatè, & moueant Deum ad dandam gratiam, quia ipſæ etiam actiones habent manifeſtare nouo modo voluntatem

Actio externa Sacramentalis mouet immediatè Deum.

Actio externa non meretur immediatè, ſed impetrat.

luntatem Chriſti, quæ priùs per tales actiones non manifeſtabatur.

85. *Obiectio vltima.* Obiiciunt vltimò; quia Sacramenta vetera non minùs propriè erant loqutiones externæ Dei, & promiſſiones gratiæ, quàm Sacramenta noua ſint orationes Chriſti; Deus enim per illa Sacramenta ſignificabat exteriùs promiſſionem gratiæ, & miniſtri per illa Sacramenta gratiam Dei nomine promittebant. Sed promiſſio Dei erat vera cauſa gratiæ promiſſæ: ergo Sacramenta etiam vetera non minùs erant cauſa gratiæ, quàm Sacramenta noua, ſi hæc dicuntur cauſæ gratiæ per denominationem ab actionibus internis Chriſti.

86. *Reſponſio.* Reſpondeo, Sacramenta etiam antiqua fuiſſe quidem cauſas gratiæ, quam promittebant; erant enim promiſſiones Dei, vt in ſuperioribus oſtendimus: promiſſio autem eſt cauſa mouens ad gratiam, quam promittit. Cæterùm ſicut ſolùm figurabant, & promittebant gratiam dandam in lege noua: ſic ſolùm ſunt cauſæ noſtræ gratiæ, gratiam autem (ſi quæ in ipſis conferebatur) non promittebant; nec Deus, aut miniſter Dei nomine per Sacramenta promittebat talem gratiam, cùm ad hoc inſtituta non eſſent; ſed, poſito Sacramento, Deus ex vi ſuæ promiſſionis præteritæ dabat gratiam, Sacramento non ſe habente vt cauſa, neque vt motiuo, ſed ſolùm vt conditione complente caſum, ad quem Deus gratiam promiſerat modo ſuprà explicato.

87. *Aliud obiicitur.* Hæc ſunt, quæ recentiores noſtræ doctrinæ oppoſuerunt; pro cuius tamen explicatione, reſtant duo, quæ vlteriùs poſſunt obiici. Primum eſt, quòd licèt operationes Chriſti, quando erat viator, eſſent meritoriæ, & haberent valorem infinitum: nunc tamen, cùm non ſit iam in ſtatu merendi, poteſt quidem applicare nobis ſua merita, non tamen poteſt mereri; atque adeò eius operationes, ſiue fiant per ipſum Chriſtum immediatè, ſiue per eius miniſtros, non habent vim ad merendum, ac mouendum Deum moraliter, vt det gratiam; ergo erunt meræ conditiones, quibus poſitis, applicentur nobis merita Chriſti præterita, quæ erunt cauſa moralis mouens Deum ad dandam gratiam.

88. *Reſponſio.* Reſpondeo nos non dicere, quod actiones Sacramentales ita ſint operationes Chriſti, vt per illas Chriſtus mereatur gratiam, quæ datur ſuſcipienti Sacramentum: ſed ita vt per illas quaſi impetret à Deo illam gratiam. Ad hoc autem non debet attendi bonitas, quæ ſit in ipſa actione præſenti, ſed dignitas illius, qui petit, & petitio. Sicut in exemplo poſito, iuſſio domini eſt cauſa moralis mouens ſeruum ad dandam pecuniam Petro: ad hoc autem non attenditur bonitas, aut meritum, quod ſit in ipſa iuſſione domini, ſed dignitas domini ſeu titulus domini, & iuſſio ipſa præſens: iuſſio enim eius, qui eſt dominus, habet magnam vim ad mouendum. Sic petitio illius, qui eſt de nobis optimè meritus, habet magnam vim ad imperandum: fert enim ſecum omnia merita præcedentia. Chriſtus ergo petens gratiam hominibus, eo ipſo applicat ſua merita, & facit, quod petitio ipſa habeat maximam vim ad impetrandum, quod petit: hanc enim vim experimur nos quotidie in precibus eorum, quos vel amamus, vel reueremur, ita vt importunæ preces cenſeantur inferre vim, & preces eius, qui imperare poteſt, aliquo modo cogant; non quia mouemur à bonitate illarum precum, ſed à precibus illius, qui bonus eſt, vel cui aliàs ſumus adſtricti. Vnde obiter aduerte, nec requiri in ipſis precibus libertatem formalem, aut proximam, ſed ſufficere remotam, quia non debet reddi præmium precibus, ſed concedi poſtulatio petenti. Quare licèt Chriſtus nunc non exerceret libertatem nouam circa actiones ſui miniſtri, ſatis eſt, quod ſubſtituerit illum ſibi tanquam miniſtrum, & nuntium ſuum, qui eius nomine petat à Deo gratiam per talem, vel talē actionem: hoc enim ſatis eſt, vt illa actio fiat nomine Chriſti petentis per illam talia dona, & per conſequens habeat vim, quā haberet, ſi fieret immediatè ab ipſo Chriſto.

Dixi autem, Chriſtum in actione Sacramentali non mereri per ipſam, ſed potiùs quaſi impetrare nobis gratiam; vt præſcindam ab illa quæſtione, an nunc Chriſtus, vt homo, oret Deum pro nobis? Siue enim oret, ſiue non oret, certum eſt ipſum ſignificare Deo id, quod vult, ad hoc, vt Deus id faciat, & exequatur: illa autem ſignificatio voluntatis ſiue dicatur oratio, ſiue non (de quo ſuprà tom. præcedenti diſput. 27.) ſicut poteſt fieri immediatè ab ipſo Chriſto, ſic poteſt fieri per nuntium mediatè, & hoc modo fit, quando ponitur Sacramentum, quod à quocumque ponitur, ponitur ab ipſo, tanquam miniſtro Chriſti ad id deputato, vt nomine Chriſti ſignificet Deo eius voluntatem de danda gratia tali ſubiecto. 89. *In actione Sacramentali facta nomine Chriſti non meretur per illam, ſed potius quaſi nobis impetrat gratiam.*

Dices, Chriſtus ante ſuam mortem non ſolum poſuit merita, ſed applicuit illa determinatè pro gratia danda per Sacramenta, & meruit determinatè, quòd daretur gratia in Sacramentis, & hoc ſtabiliuit cum Deo: nunc ergo non oportet mouere denuo Deum, ſed quaſi illi reuocare in memoriam pactum ſuum, ſeu ponere Sacramentum, quæ eſt conditio, ſub qua fuerat ſtabilita gratia danda hominibus. Sicut ſi aliquis ſtatueret cum amico, vt quoties à ſuo ſeruo fuiſſet petita pecunia, daret ei: tunc petente ſeruo, daret amicus, non propter petitionem ſerui tanquam cauſam, ſed propter preces amici, & pactum factum de danda pecunia ſub ea conditione, non enim moueretur aliter à petitione ſerui, niſi vt à conditione, cùm iam eſſet ſufficienter motus à petitione amici, & promiſſione ſua. 90. *Inſtantia.*

Reſpondeo, pactum illud dupliciter potuiſſe fieri cum amico, primò, de danda pecunia, poſita illa conditione ſerui petentis, ſecundò, de danda pecunia propter preces ſerui. Et quidem ſi hoc ſecundo modo fieret, non eſt dubium, quin preces ſerui poſtea eſſent cauſa moralis mouens ad dandam pecuniam, alioquin enim non ſatisfieret pacto de danda pecunia propter preces ſerui. Hoc autem modo meruit Chriſtus in hac vita, & ſtabiliuit cum Deo gratiam nobis dandam per Sacramenta, ſcilicet, vt daretur, & vt daretur propter Sacramenta, tanquam propter motiuum, & cauſam moralem. Similiter enim meruit nobis Chriſtus in hac vita gratiam dandam habenti contritionem, & ſtabiliuit eam infallibiliter dandam: & tamen non excluſit meritum congruum ex parte hominis; imò incluſit, & voluit, quod daretur poſtea propter conditionem hominis, non ſolùm tanquam propter conditionem, ſed tanquam propter meritum congruum, ac per conſequens cauſam moralem præmij. Sic etiam meruit Chriſtus, & ſtabiliuit cum Deo, quòd merita hominis iuſti infallibiliter acceptarentur ad præmium; & quòd ſatisfactiones eiuſdem hominis iuſti acceptarentur infallibiliter pro debito pœnæ temporalis: & tamen tam ſatiſfactiones hominis iuſti, quam merita ſunt non ſolùm conditiones, ſed cauſæ morales mouentes Deum de condigno ad extinguendum debitum pœnæ, & ad dandum præmium gratiæ, & gloriæ. Potuit ergo ſimiliter mereri Chriſtus in hac vita gratiam dandam per Sacramenta; ita tamen, vt non excluderet ipſa Sacramenta à ratione motiui, ſed potiùs includeret merendo, & ſtatuendo, quòd daretur poſtea infallibiliter gratia propter ipſa Sacramenta, tanquam propter motiuum. 91. *Diluitur.* *Gratia non tantum datur per Sacramenta ſed etiam propter illa tanquam propter motiuum.*

Dices

92. *Inſtantia.* Dices, repugnare quod detur gratia ex vi pacti præcedentis, & quod detur intuitu ipſius Sacramenti; ſi enim mouetur Deus à pacto antea inito; ergo non mouetur à Sacramento, niſi vt à conditione.

Diluitur. Reſpondeo, non repugnare, vt conſtat ex exemplis adductis: ratio autem à priori eſt, quia prius pactum, & priora merita poſſunt non eſſe motiuum immediatum, ſed mediatum volitionis, qua in exequutione datur gratia. Sicut contingit in actu imperato: poteſt enim aliquis ex deſiderio beatitudinis imperare ſibi actum contritionis; tunc autem beatitudo eſt motiuum mediatum contritionis, immediatum verò eſt bonitas Dei, & malitia Diuinæ offenſæ. Similiter ſi aliquis voueat actum miſericordiæ, tunc motiuum immediatum miſericordiæ erit honeſtas ſubleuationis proximi, mediatum verò cultus Dei, qui intenditur per votum. Item quando quis ex præcepto mouetur ad eliciendam contritionem, motiuum mediatum eſt honeſtas obedientiæ, immediatum verò eſt bonitas Dei, & malitia offenſæ Diuinæ. Sic ergo, poſito illo pacto Dei cum Chriſto, collatio gratiæ haberet pro motiuo immediato Sacramentum, ſeu petitionem præſentem Chriſti per ſuum miniſtrum; pro motiuo autem mediato pactum præteritum, ex vi cuius obligatur Deus ad habendũ alium actum, qui habeat pro motiuo immediato Sacramentum. Nam ſicut in exemplis poſitis interueniunt duo actus, vnus, qui ſit imperans, alter, imperatus: primus habet ſuum motiuum, ſecundus autem habet aliud motiuum diuerſum intrinſecum, licèt intrinſecè ſit propter motionem imperantis; ſic in præſenti interueniunt duo actus Diuini, alter, qui ſit quaſi imperans, & quo, propter Chriſti merita, & petitionem priorem voluit Deus ſe obligare ad habendum alium actum, quo propter Sacramenta, & propter petitionem futuram Chriſti continendam in ipſis Sacramentis vellet dare gratiam: quare, poſito poſtea Sacramento, ex vi prioris voluntatis Deus debet habere ſecundum actum tendentem ad Sacramenta, tanquam ad motiuum intrinſecum, ac per conſequens Sacramentum in collatione gratiæ non ſe habebit vt mera conditio, ſed vt motiuum intrinſecum, & vt cauſa moralis gratiæ. Sicut autem potuit Chriſtus mereri in vita, quòd poſtea daretur nobis gratia propter merita futura noſtra, tanquam propter motiuum immediatum, ſic potuit in vita mereri, quod poſtea daretur gratia propter petitionem futuram ipſius, tanquam propter motiuum immediatum, neque enim eſt maior repugnantia in eo, quòd mereatur acceptari poſtea petitiones ipſius Chriſti, quàm quòd mereatur acceptari poſtea merita, vel petitiones aliorum; ſed poteſt gerere ipſe Chriſtus duplicem perſonam merendo in vita acceptationem, & exauditionem ſuarum precum futurarum, eodem modo ac poſſet mereri exauditionem & acceptationem precum noſtrarum.

93. *In quo ſenſu Sacramenta ſint cauſæ inſtrumentales.* Altera difficultas contra doctrinam noſtræ ſolutionis eſſe poteſt, quòd ex ipſa videatur ſequi, Sacramenta non eſſe inſtrumenta, ſed cauſas principales morales reſpectu gratiæ; nam in genere phyſico illud eſt cauſa principalis, quod operatur per virtutem propriam, illud verò eſt cauſa inſtrumentalis, quod non operatur per virtutem propriam, ſed acceptam (vt ſuprà inſinuaui, & latiùs dixi in ſecundo Phyſicorum:) Sacramenta autem cauſant moraliter mouendo Deum ad dandam gratiam; & quidem mouent Deum immediatè per virtutem propriam, ſcilicet quatenus ſunt operationes Chriſti per ſuos miniſtros; quare licèt ipſe miniſter poſſit dici inſtrumentaliter concurrere, quia operatur per virtutem, & auctoritatem non propriam, ſed Chriſti, cuius eſt miniſter; Sacramentum tamen, quod ex ſe continet, & habet eſſe operationem Chriſti, videtur concurrere, & mouere per virtutem propriam, & per conſequens non inſtrumentaliter, ſed principaliter; cùm tamen à Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 7.* Baptiſmus appelletur cauſa inſtrumentalis, & non principalis noſtræ iuſtificationis, cui conſonat Concilium Moguntinum *cap. 11.* his verbis: *Doceant Paſtores ſeptem eſſe Sacramenta diuinitus inſtituta, per quæ velut apta inſtrumenta atque media, ſua gratiæ munera nobis impartitur Deus.* Concil Trid. Concil. Moguntinum.

94. *Vaſquez.* *Doctrina Vaſquez nimis dura.* P. Vaſquez *in præſenti num. 82.* inſinuat omnem cauſam impetrantem eſſe inſtrumentum morale reſpectu illius, à quo impetratur, qui dicitur cauſa principalis. Hic modus dicendi videtur nimis durus: nam eodem modo dicere poſſet, eum, qui conſulit, vel qui imperat, eſſe inſtrumentum reſpectu illius, cui conſulit, vel imperat. Sicut enim poſtulans mouet precibus, ſic conſulens mouet conſilio, & imperans mouet imperio: hoc autem eſt contra omnes, qui eiuſmodi certè appellant cauſas principales morales; imò Imperator dicitur cauſa principalis, Duces verò, qui eius præcepta exequuntur, dicuntur inſtrumenta Imperatoris.

95. *Reſpondetur ex noſtris principiis.* *Quid ſit operari inſtrumentaliter.* Faciliùs ergo in noſtris principiis reſpondere poſſumus, & declarare, quomodo Sacramenta ſint cauſæ morales inſtrumentales. Diximus enim, inſtrumenta eſſe, quæ operantur non per virtutem ſibi propriam, ſed ab extrinſeco acceptam; ſicut malleus, vel ſerra operatur per impulſum ab artifice impreſſum; & calamus ſimiliter per impulſum impreſſum à ſcriptore. *Res exemplis declaratur.* Inſtrumentum ergo morale erit, quod operatur non phyſicè, ſed moraliter per virtutem ſimiliter non propriam, ſed ab extrinſeco acceptam. Sic Vicerex, qui ex cauſa morali, operatur vt inſtrumentum Regis, & non vt cauſa principalis; quia nimirum virtus, qua mouet ſubditos, & auctoritas, qua operatur, non eſt propria illius, ſed ipſi à Rege communicata, cuius idcirco dicitur inſtrumentum: ſic ergo Sacramenta dicuntur cauſæ inſtrumentales morales, quia virtus, quam habet Baptiſmus, v.g. ad mouendum Deum, & ad cauſandam gratiam, non eſt propria ipſius Baptiſmi, ſed illi ab extrinſeco communicata, ſcilicet à Chriſto, qui ſubſtituens ſibi hunc hominem vt miniſtrum in ordine ad hanc actionem, fecit, quòd hæc actio ſit actio ipſius Chriſti, & quòd hic homo ſit inſtrumentum Chriſti; quod quidem non habent hic homo, vel hæc actio ex ſe, ſed ab extrinſeco ex delegatione facta per Chriſtum, atque ideo & hic homo & hæc actio id, quod operantur, dicuntur operari, vt cauſæ inſtrumentales morales, ſicut inſtrumenta artificis ob eandem rationem dicuntur inſtrumenta in genere phyſico.

96. *Inſtantia.* Dices; hinc ſequitur, Sacramenta eſſe quidem inſtrumenta reſpectu Chriſti, à quo habent illam virtutem, non verò eſſe inſtrumenta reſpectu Dei: non enim operantur, vt ſunt actiones Dei, ſed vt ſunt actiones Chriſti, atque ideo falſum erit, Deum per Sacramenta tanquam per inſtrumenta dare nobis gratiam: aut Deum vti Sacramentis, quaſi inſtrumentis ad dandam gratiam.

Reſponſio. Reſpondeo negando ſequelam: poſſunt enim Sacramenta dici inſtrumenta Chriſti, à quo accipiunt auctoritatem, & vim mouendi, & cuius actiones cenſentur: poſſunt etiam dici inſtrumenta reſpectu Dei; nam Deus ipſe eſt primus mouens, qui mouit humanitatem Chriſti ad nos, vt his miniſtris, & his actionibus communicaret ſuam auctoritatem: quare ſicut in genere phyſico globus plumbeus proiectus à ſclopo, dicitur operari non ſolùm vt

inſtru

inſtrumentum ignis, à quo accepit illum impetum, ſed etiam vt inſtrumentum militis, qui primus applicuit ignem, vt communicaret globo illam virtutem: ſic etiam Sacramentum operatur non ſolùm vt inſtrumentum Chriſti, à quo accepit illam vim, & auctoritatem, ſed multò magis vt inſtrumentum Dei, qui applicuit, & mouit Chriſtum, vt communicaret Sacramento illam vim, & auctoritatem, quam habet.

97. *Aliter poſſunt eſſe inſtrumenta Dei.*

Poſſet aliquis dicere, alio etiam titulo Sacramenta eſſe inſtrumenta Dei, quatenus ſcilicet habent à Deo infallibilitatem illam in cauſando; nam licèt ex voluntate Chriſti habeant vim, & auctoritatem ad mouendum Deum, quatenus voluit illas eſſe actiones ſuas, poſſet tamen Deus non concedere gratiam, etiam poſita illa actione Chriſti; nunc autem ex voluntate Dei habent efficaciam infallibilem ex promiſſione Diuina; quare ex hoc capite poſſunt dici operari per virtutem ſibi à Deo tributam. Cæterùm hic modus explicandi non videtur ſolidus; quia in hoc ſenſu poſſemus etiam dicere, Chriſtum ipſum fuiſſe cauſam inſtrumentalem noſtræ iuſtificationis, quia ſcilicet non cauſauit illam, niſi in quantum habuit adiunctam voluntatem Dei acceptantis illa merita ad talem effectum; quod tamen videtur falſum. Ratio autem eſt, quia ad hoc, vt aliqua ſit cauſa principalis in ſuo genere, ſufficit, ſi ex ſe habeat virtutē aliquam ſaltem partialem, licèt indigeat concurſu alterius concauſæ ad ponendum effectum: ſic enim potentia eſt cauſa principalis viſionis, licèt indigeat concurſu ſpeciei, vel obiecti. Chriſtus ergo, & eius merita, licet ad ponendum effectū indigeant acceptatione Dei; ex ſe tamen habent aliquam vim ad mouendum Deum, ratione cuius ſūt cauſa principalis moralis: ſic etiam Sacramenta, licèt ex acceptatione, & promiſſione Dei habeant infallibilitatem in operando, habent tamen ante illam acceptationem vim quandam ad mouendum Deum, quatenus ſunt actiones Chriſti, per quam vim, & auctoritatē mouent, & operantur, & ratione cuius virtutis poſſent dici cauſæ principales, ſi eam ex ſe haberent, & non acceptā ab extrinſeco, vt explicuimus; quare faciliùs declaratur modo ſuperiùs dicto, quo pacto conueniat illis ratio inſtrumenti moralis, reſpectu Chriſti, atque etiam reſpectu ipſius Dei.

Reiicitur tamen hic dicendi modus.

Quid requiratur ad rationem cauſæ principalis in ſuo genere.

98. S. Thom. *Exquiritur mens D. Th. ſuper hac re. Videtur admiſiſſe tantum cauſalitatem moralem. Prima ratio.*

Reſtat breuiter dicere de mente S. Thomæ in hoc puncto. Multi enim dicunt, ipſum expreſsè poſuiſſe cauſalitatem phyſicam gratiæ in Sacramentis; in præſenti *art. 1. in corpore, & art. 4. & q. 78. art. 4.* Alij tamen dicunt, eum poſuiſſe ſolùm cauſalitatem moralem. Primò, quia in præſenti, *d. art. 4.* dicit, Sacramenta concurrere per virtutem quandam ſpiritualem, quam habent, eodem modo, quo voces mouent intellectum ad percipiendum obiectum per virtutem quandam ſpiritualem, quam habent in ſe ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedunt à conceptione mentis. Certum eſt autem, voces non deriuari ab intellectu loquentis aliquam virtutem ſpiritualem phyſicam, ſed ſolùm moralem fundatam in ſignificatione & impoſitione hominum, quæ tota eſt aliquid morale. Ergo S. Thomas non vult aliquam virtutem ſpiritualem phyſicam eſſe in Sacramentis, ſed ſolùm moralem deriuatam ex intentione Chriſti: neque enim de facto potuit ponere in vocibus accidens ſpirituale naturaliter inhærens, cùm id apud omnes naturaliter ſaltem repugnet.

99. *Secunda ratio.*

Secundò, ipſe ſanctus Doctor infrà q. 64. art. 1. probat, Deum ſolum operari internum effectum Sacramenti, quia ſolus Deus illabitur animæ, in qua ille effectus producitur, & nihil poteſt operari, vbi non eſt: hæc autem ratio vniuerſaliter probat de cauſa etiam inſtrumentali, quæ immediatè attingat effectum, imò multò minùs poteſt inſtrumentum agere in diſtans, quàm cauſa principalis; hæc enim operatur, media virtute vel inſtrumento; ergo S. Thomas non ſentit, Sacramenta eſſe inſtrumenta, quæ immediatè attingant phyſicè productionem gratiæ.

100. *Tertia ratio.*

Tertiò, in præſenti *art. 5.* dicit, virtutem, quam habent Sacramenta, deriuari ab humanitate Chriſti, media eius paſſione; certum eſt autem, paſſionem non poſſe communicare phyſicè aliquam virtutem, cùm non exiſtat; ergo ſolùm communicat moraliter illam virtutem, & per conſequens communicat virtutem moralem, & non phyſicam, in ſententia S. Thomæ.

101. *Ad loca in contrarium adducta reſpondetur.*

Ad loca verò in contrarium adducta, dicunt, ibi S. Thomam ſolùm velle, Sacramenta eſſe inſtrumenta mediatè attingentia productionem gratiæ, quatenus produnt aliquid præuium requiſitum ad productionem gratiæ, vt abluere corpus, vel proferre verba ſuper materiam, vel aliud ſimile; in hoc enim videtur ipſe conſtituere rationem inſtrumenti, vt probat latè Vaſquez *1. p. diſp. 176. cap. 1.* adductis multis eius locis; & poteſt confirmari hæc interpretatio ex verbis eiuſdem S. Thomæ *d. q. 78. art. 4. ad 2.* vbi dicit, creaturam non potuiſſe aſſumi vt inſtrumentum ad creationem; poſſe tamen verba concurrere inſtrumentaliter ad conuerſionem Euchariſticam; reddit autem rationem diſcriminis, *quia in creatione non fuit aliquod extremum, in quod inſtrumentalis actio creaturæ poſſet terminari*: ergo ſentit, ideo verba concurrere inſtrumentaliter in Euchariſtia: quia actio Sacerdotis, ſeu prolatio verborum poteſt verſari circa aliquid, hoc eſt, circa panem, vel circa ſpecies, ſuper quas proferuntur verba, quæ eſt actio præuia, & appellatur à S. Thoma actio inſtrumenti, ratione cuius dicitur concurrere inſtrumentaliter ad conuerſionem: quia verò in creatione non præſupponitur aliquid, circa quod operetur creatura, ideo ibi non poteſt eſſe concurſus inſtrumenti: non ergo agnoſcit alium concurſum immediatè terminatum ad ipſum effectum Sacramenti. Vnde ipſi Thomiſtæ in hoc puncto diuiſi ſunt, & aliqui eorum negant Sacramentis actionem phyſicam reſpectu gratiæ, Melchior Cano, & Martinus Ledeſma, quos Vaſquez *num. 74.* exiſtimat accepiſſe eam ſententiam à Franciſco Victoria nobili Thomiſta.

Thomiſtæ ipſi hac in re ſunt diuiſi.

Vaſquez.

102. *Obijcitur idē ſanctus Doctor.*

Poſſet adhuc obiici idem ſanctus Doctor in præſenti *art. 4.* dicens, humanitatem etiam Chriſti eſſe inſtrumentum coniunctum in ordine ad gratiam, quæ datur per Sacramenta; ipſum verò Sacramentum eſſe inſtrumentum ſeparatum; vbi non videtur loqui de cauſalitate morali, nam in genere cauſæ moralis humanitas Chriſti non eſt inſtrumentum, ſed vera cauſa principalis meritoria; ergo ſi eſt inſtrumentum, debet id eſſe vt cauſa phyſica; ergo eodem modo debet accipi cauſalitas inſtrumentalis, quam tribuit Sacramentis.

103. *Reſpondet Vaſquez.*

P. Vaſquez *d. diſp. 133. n. 41.* dicit, ideo humanitatem Chriſti appellari à S. Thoma inſtrumentum coniunctum Diuinitati, non quod phyſicè influat in noſtram iuſtificationem, neque quia ſecundùm ſe proximè ſit inſtrumentum, ſed quia meruit paſſione ſua, vt Sacramenta gratiam impetrarent, & ideo remotè poteſt dici inſtrumentum, quatenus operatio Sacramentorū prouenit ab ipſa humanitate ratione paſſionis. Vnde infert, reſpectu gratiæ, quæ datur nobis extra Sacramenta, humanitatem Chriſti, aut eius paſſionem nullo modo eſſe inſtrumentum, cùm illa gratia proximè non cauſetur ab aliquo inſtrumento phyſico, vel morali, à quo humanitas, vel paſſio, poſſit remotè denominari cauſans inſtrumentaliter.

Hæc

104. Hæc explicatio non ſatisfacit; quia dare inſtrumento virtutem, qua operetur, licèt ſufficiat, vt id, quod dat talem virtutem, denominetur remotè cauſans, non tamen vt denominetur inſtrumentaliter cauſans; alioquin etiam ipſe Deus, qui dat virtutem inſtrumentis, denominaretur inſtrumentaliter cauſare; quod planè abſurdum eſt, & nemo ita loquitur; ergo ex eo, quod humanitas Chriſti impetrauerit & dederit virtutem Sacramentis, quæ ſunt inſtrumenta, non ideo dicetur inſtrumentaliter operari per illa.

Hæc explicatio Vaſquez non ſatisfacit.

105. Reſpondeo igitur, humanitatem Chriſti appellari inſtrumentum coniunctum Diuinitatis in ordine ad noſtram ſalutem; ſicut manus, vel pes dicuntur inſtrumenta hominis ad operationes, quia in rigore humanitas Chriſti non eſt cauſa principalis etiam moralis noſtræ ſalutis; cauſa enim principalis, vt dixi, operatur per virtutem propriam, quam habeat ex ſe: humanitas autem ex ſe non habet virtutem, nec proportionem cum noſtra ſalute etiam per modum merentis; nam ad ipſaſmet operationes meritorias concurrebat ſolùm vt cauſa inſtrumentalis, ſicut nos concurrimus ad omnes actus ſupernaturales, vt ſuppono; valorem item & dignitatem, qua illa opera mererentur de condigno noſtram ſalutem, non habebat illa humanitas ex ſe, ſed acceptam à Deo per vnionem hypoſtaticam cum perſona Verbi: vnde nulla ratione dicetur propriè humanitas cauſa principalis noſtræ ſalutis, ſed cauſa inſtrumentalis, hoc eſt, operans per virtutem non ſibi propriam, quam ex ſe haberet, ſed acceptam à Deo ſupra eius exigentiam & proportionem. Vnde diuerſo modo loquendum eſt de Chriſto quoad hoc, aut de eius humanitate ſecundùm ſe ſumpta; nam Chriſtus ſimpliciter, & abſolutè eſt cauſa principalis moralis, & meritoria noſtræ iuſtificationis; quia Chriſtus in concreto includit vnionē hypoſtaticam; ratione cuius humanitas habebat proportionem cum actibus ſupernaturalibus, quos eliciebat, & habebat valorē ad merendam de condigno noſtram ſalutem; quare vt ſic operabatur per virtutem propriam, quam ex ſe habebat illud concretum: humanitati verò ſecundùm ſe neutrum erat debitum, vel proportionatum; atque ideo loquendo de humanitate ſecundùm ſe, dicendum eſt, ipſam fuiſſe inſtrumentum coniūctum Verbi ad noſtrā ſalutem, prout loquitur S. Thomas.

Melius reſpondetur.

Humanitas Chriſti dicitur cauſa inſtrumentalis noſtræ ſalutis; Chriſtus tamen dicitur cauſa principalis.

106. Quod cum proportione locum habet in paſſione Chriſti, quæ ſimiliter non dicitur cauſa principalis moralis, ſed inſtrumentalis; quia illa paſſio ſecundùm ſe non habebat proportionem cum noſtra ſalute, cùm ſecundùm ſe eſſet paſſio, & mors naturalis; quare debuit accipere virtutē ex dignitate perſonæ patientis, quæ addidit vim vltra id, quod ex ſe habebat illa paſſio. Deinde etiam conſiderata illa paſſio prout liberè oriebatur à volūtate ſupernaturali, qua humanitas Chriſti illā volebat, nec ſic habebat ex ſe condignitatem ad promerendā noſtram ſalutem, niſi acciperet hūc valorem ex dignitate perſonæ, vt diximus; quare vtroque modo paſſio ipſa debet dici cōcurrere inſtrumentaliter, hoc eſt, per virtutem, quam ex ſe ipſa non habebat, ſed aliunde accepit à Deo; & in hoc ſenſu tam humanitas Chriſti, quàm eius paſſio dicuntur veriſſimè inſtrumentum Diuinitatis.

Idē cum proportione autem de Paſſione Chriſti ſecundùm ſe.

SECTIO VI.

Vtrùm Sacramenta conferant gratiam in tempore; vel inſtanti, quo perficiuntur.

107. NOn agimus de gratia Sacramentali, prout dicit auxilia gratiæ actualis ad peculiares effectus; hæc enim auxilia non oportet, quòd dentur tunc, quando Sacramentum confertur, vel perficitur, ſed tunc quando adeſt occaſio, & opportunitas operandi. Difficultas eſt ſolùm de gratia habituali, & de charactere; hi enim effectus dantur tunc, quando fit, vel recipitur Sacramentum; & eadem quæſtio eſt de conuerſione Euchariſtica, quæ fit per verba conſecrationis; nam eadem eſt ratio de illa, quoad hoc, ac de productione gratiæ vel characteris. Oritur autem tota difficultas ex principiis Philoſophicis iuxta communem ſententiam de compoſitione temporis, & motus ex partibus diuiſibilibus in infinitum, ſiue actu diſtinctis, ſiue ſolùm in potentia: quoad hoc enim parum refert illa diuerſitas. In ſententia autem eorum, qui componunt tempus ex ſolis inſtantibus finitis immediatis, nulla eſt in hoc puncto difficultas: nam illi conſequenter dicunt, gratiam conferri in illo inſtanti, in quo vltima ſyllaba, v. g. verborum incipit intrinſecè eſſe prolata, ita vt faciat perfectum ſenſum: cùm enim in ea ſententia tempus conſtet ex meris inſtantibus finitis, neceſſe eſt venire ad aliquod inſtans, in quo verba fuit iam prolata perfectè, cùm anteà non eſſent, & tunc Sacramentum habet ſuum effectum. In ſententia verò communi difficilè explicatur; nam in ea Sacramentum, ſicut & alia entia ſucceſſiua, debet abſolui, & deſinere per primum non eſſe, ita vt in inſtanti terminatiuo verum ſit: nunc Sacramentum non eſt, immediatè antea fuit: in eo autem inſtanti non poteſt produci gratia, quia iam tunc non eſt Sacramentum, ſed fuit: Sacramenta autem dant gratiam, quando ſunt, ſed neque in tempore antecedenti potuit dari gratia: tum quia gratia eſt res permanens, quæ tota ſimul producitur, & incipit per primum ſui eſſe, atque adeò in inſtanti intrinſeco: tum etiam quia ſi produceretur in tempore, daretur antequam abſolueretur tota forma Sacramenti: nam diuidendo illud tempus, quo datur gratia, in duas partes, in priori parte nondum erat poſita tota forma: quia iam eſſet contra id, quod ſupponitur: & tamen in illa parte iam eſt gratia producta.

Hic tantùm eſt quæſtio de gratia habituali & de charactere.

Vnde oriatur difficultas.

Sententia de finitis inſtantibus ſolutis punctum difficultatem.

Sententia communis difficilè explicat.

Proponitur difficultas.

108. Propter hanc difficultatem multi ſunt modi ſentiendi in hoc puncto. Primus eſt, gratiam conferri in tempore non determinato, ſed indeterminato ante illud inſtans terminatiuum: ita vt nulla pars illius temporis aſſignari poſſit, in qua tota fuerit gratia, ſed in minori & minori, ſed tamen ante vltimum inſtans.

Primus Reſpondendi modus.

Hæc ſententia reiicitur ab omnibus, & meritò, quia præ ſe affert intelligibilitatem, maximè ſi Sacramenta cauſent phyſicè gratiam: nam id, quod eſt vera cauſa phyſica gratiæ, debet eſſe aliquid determinatum, & cognoſcibile à Deo ad hoc, vt poſſit cum illa cauſa concurrere ad effectum producendū. Sed licèt Sacramenta cauſent ſolùm moraliter, eſt eadem repugnantia ex parte ipſius gratiæ; repugnat enim, quòd aliquid incipiat exiſtere à parte rei, & quod Deus non videat determinatè, quando tranſit de non eſſe ad eſſe, ſed ſolùm ſciat in confuſo, intra hanc horam, v. g. incepiſſe, non tamen quando determinatè incepit: ipſe enim effectus non potuit incipere niſi determinatè, exiſtit quippe in aliqua parte, & non in omnibus; ergo ſunt aliquæ partes, in quibus non exiſtit: ergo Deus poteſt illas partes diſcernere, & diſtinguere, licèt nos non poſsimus.

Reiicitur.

109. Dicunt, non repugnare illum modum incipiendi in tempore indeterminato: nam ſi Deus præcipiat aliquid, quod eliciat actum dilectionis ante vltimū inſtans horæ, ſeu ante inſtans A, in quo debet mori: tunc hic homo, ſi non diligat ante mortem, peccat, & perdit gratiam: hoc autem peccatum debet incipere

Dicunt ipſi non repugnare aliquid incipere in tempore indeterminato.

pere in tempore ante inſtans mortis, quia alioquin toto tempore vitæ fuiſſet in gratia, & per conſequens deberet ſaluari: non poteſt item incipere illud peccatum in tempore determinato; quia in qualibet parte temporis, cùm ſit diuiſibilis, adhuc non obligat præceptum pro tunc, ſed poteſt differri, & impleri tempore ſequenti: ergo fatendum eſt, peccatum committi, & gratiam amitti tempore indeterminato ante inſtans mortis.

110. *Reſpondent aliqui.* Reſpondent aliqui, tunc peccatum committi in aliquo inſtanti determinato ante inſtans mortis; nam licèt inter illa duo inſtantia mediet tempus, eſt tamen adeò modicum & imperceptibile, vt in eo non poſſit moraliter impleri præceptum, quod vt humano modo impleatur, requiritur tempus aliquod maius ad deliberandum, & cogitandum. Sic reſpondet P. Coniuch *in præſenti dub.* 4. *n.* 54. quam ſolutionem priùs reddiderat Suarez *in præſenti diſp.* 8. *ſect.* 2. §. *Ad rationem ergo.* Sed ipſe Suarez viderat inſufficientiam huius reſponſionis, eo quod in Angelo, qui diſtinctè concipit exceſſum vnius temporis ſupra aliud, & qui non indiget longiori tempore ad deliberandum, vrgeri poſſet argumentum; nam Angelus poſſet abſque peccato differre actum dilectionis ad tempus ſequens, dum eſſet ante vltimum inſtans ſignatum.

Coninch. Suarez.

111. *Aliter reſpondet Suarez.* Ideo ipſe Suarez aliter reſpondet vniuerſaliter negando, tale præceptum poſſe eo modo imponi; quia obligatio debet eſſe accommodata actibus humanis, quibus implenda eſt. Non tamen explicat, ex quo capite non eſſet accommodata hæc obligatio actibus humanis, imò ex modo dicendi videtur repugnantia reduci ad modum humanũ operandi, qui non percipit illam diuerſitatem inſtantiũ; argumentum autem vrgetur in modo operandi Angelico.

112. *Melius ergo reſpondetur.* Poſſumus ergo abſolutè negare poſſibilitatem illius obligationis, eo quòd obligatio ex ſuo conceptu importat ligare ſubditum ad aliquid, ac per conſequens reducere illum ad talem ſtatum, in quo citra peccatum non poſſit aliud facere: tunc autem non ita ſe haberet, quia in quolibet inſtanti, vel in qualibet parte temporis non eſſet ligatus, ſed liber, vt differret, ſi vellet; ergo nunquam daretur obligatio: debet ergo præceptum imponi, ita vt aliquando ſit verum determinatè dicere: nunc peccat, ſi non obedit, & hoc fortaſſe voluit indicare P. Suarez dum dixit, illam obligationem non fore accommodatam actibus humanis.

113. *Secunda ſententia vult gratiam produci in inſtanti terminatiuo extrinſeco.* Secunda ergo ſententia docet, gratiam per Sacramenta conferri in inſtanti terminatiuo, in quo Sacramentum primò non eſt, cùm immediatè antea fuerit; quia tunc eſt perfectum, & abſolutum Sacramentum, atque adeo tunc debet incipere habere ſuum effectum. Auctores huius ſententiæ aliqui ſentiunt, Sacramenta cauſare phyſicè gratiam. Contra quos validè arguit Suarez; nihil enim poteſt phyſicè operari, quando verè non eſt. Nec enim ſufficit, immediatè antea fuiſſe; nam quod fuit, iam re vera non eſt; nec habet nunc plus de entitate, quàm id quod erit, vel quàm id, quod nec fuit, nec erit: quare ſicut id, quod poſtea erit, nunc non poteſt aliquid realiter producere, ſic neque id, quod fuit; nec refert etiam quòd fuerit immediatè antè, ſicut nec confert futurum eſſe immediatè poſt, nam ſiue interceſſerit multum tempus, ſiue parum, iam re vera nihil eſt: quod autem nihil eſt, non poteſt influere nunc verum eſſe in effectum realem per veram efficientiam.

Impugnatur hæc ſententia poſita cauſalitate phyſica.

114. Alij tamen eiuſdem ſententiæ Auctores, cùm ſolùm ponant cauſalitatem moralem Sacramentorum in gratiam, videntur ſibi fugere omnem difficultatem; nulla enim eſt repugnantia, quod cauſet moraliter nunc id, quod nunc non eſt; ſicut poteſt etiam moraliter cauſare id, quod erit; ptovt cauſabant merita Chriſti futura, antequam eſſent. Ita P. Vaſquez cum aliis *in præſenti diſp.* 132. *c.* 4.

Vaſquez.

Impugnatur etiam præſuppoſita cauſalitate morali. Hæc ſententia difficillima eſt. Primò, quia ſi illud vltimum indiuiſibile non pertinet intrinſecè ad Sacramentum, ſed extrinſecè: ergo verum eſt, quod ante illud inſtans fuit totum Sacramentũ integrum: ſi ergo homo viuat toto tempore antecedenti, dum baptizatur, v. g. & moriatur intrinſecè in illo vltimo inſtanti, ita vt tunc primò non ſit homo, verum erit dicere, quòd hic homo fuit baptizatus, & accepit totum Sacramentum Baptiſmi: & tamen hic homo in hac vita nunquam fuit iuſtificatus, nec ſaluabitur: vt fatetur ipſe Vaſquez *ibid. num.* 71. Conſequens autem illud mihi videtur duriſſimum, quia de illo verificatur, quod accepit verum Sacramentum Baptiſmi, dum eſſet viator, nam licèt non acceperit illud cum vltima terminatione, terminatio tamen in hac ſententia non eſt aliquid componens intrinſecè Sacramentum: quare ſicut tempus abſque vltimo inſtanti eſt verum tempus, ſic Sacramentum, quod, vt contendit ille auctor, eſt ita ſucceſſiuum ſicut tempus, eſt verum Sacramentum abſque illo vltimo terminatiuo extrinſeco; fateri autem, quod aliquis, qui cum diſpoſitione ſufficienti verè fuit baptizatus, non conſequitur ſalutem, videtur mihi valde durum: nec video, quomodo poſſit vitari illa durities, niſi negando, illud fuiſſe Sacramentum completum abſque vltimo terminatiuo. Hoc autem in illa ſententia non poteſt negari, loquendo de complemento intrinſeco: imò ipſe Vaſquez *n.* 67. expreſsè affirmat, ante illud inſtans fuiſſe Sacramentum, quia ante illud fuit ablutio, fuit prolatio verborum: vnde ſolum deeſt vltimum mutatum eſſe, ſeu finitum eſſe Sacramentum, quod quidem eſt ſolum aliquid extrinſecum & in quo non affirmatur aliquid præſens, ſed præteritum, hoc eſt, tranſiiſſe iam totum Sacramentum: quare in hoc ipſo affirmatur, aliquando fuiſſe verum Sacramentum; cum hoc autem non videtur ſtare, quòd ille homo, in quo fuit verus Baptiſmus, non ſaluetur: ille, qui verè fuit abſolutus à peccatis, adhuc damnetur propter illa, &c.

115. *Secundò impugnatur.* Secundò vrgere poſſumus contra eandem ſententiam ad hominem, quia ex ea ſequitur, poſſe dari Sacramentum Pœnitentiæ validum informe; quod eſt contra ipſum Vaſquez *tom.* 2. *de Pœnitent. q.* 92. Sequela vero probatur, quia ſi pœnitens diſpoſitus per attritionem confiteatur peccata, & Sacerdos proferat omnia verba abſolutionis, in inſtanti autem vltimo terminatiuo ſequenti pœnitens moriatur; non recipiet effectum Sacramenti, cùm tamen præceſſerit totum Sacramentũ Pœnitentiæ validum. Idem erit, ſi in illo inſtanti terminatiuo pœnitens committat aliquod peccatum mortale: tunc enim non recipiet effectum Sacramenti, quem in illo inſtanti debebat recipere, propter Sacramentum proximè præcedens; ideo enim negat ille auctor cauſalitatem phyſicam Sacramento, & concedit ſolam moralem vt poſſit dari gratia in illo inſtanti, quando iam non eſt Sacramentũ, intuitu eiuſdem Sacramenti; dabitur ergo in eo caſu Sacramentũ Pœnitentiæ validum, & quod debebat ex ſe cauſare gratiam inſtanti ſequenti, quam tamen tunc non cauſabit propter impedimentum peccati, quod inueniret.

116. *Tertiò impugnatur.* Tertiò poſſumus arguere ex veritate verborum Sacramentaliũ, quæ debent eſſe vera in toto rigore de præſenti; ad quod neceſſe eſt, quod verificentur pro tempore, ſeu inſtanti præſenti ipſi loquutionis, in illa autem ſententia verificarentur pro inſtanti

non præſenti,ſed futuro, poſtquam loquitur Sacerdos, quare poſſet contingere in rigore, quod Sacerdos proferret totam formam abſolutionis, in illo autem inſtanti terminatiuo ſequenti, in quo iam ipſe nihil operatur iuxta illum Auctorem, moreretur, ac per conſequens inciperent verificari verba, quando iam Sacerdos eſſet mortuus, & liberaretur, abſolueretur que homo à Sacerdote mortuo, ac per conſequens Sacerdos non debuiſſet dicere: Abſoluo te, ſed, abſoluam poſtea. Quod idem applicari poteſt ad verba conſecrationis, quæ ſunt de præſenti in toto rigore; & ſignificant, tunc eſſe corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus, quando proferuntur, non futurum poſt prolationem, & poſt mortem proferentis: debent ergo verificari pro aliqua duratione, vel ſucceſſiua, vel inſtantanea præſenti ipſi prolationi verborum.

117. *Tertia ſententia ponit vltimum inſtans terminatiuum intrinſecum.* Tertia ſententia principalis docet, effectum conferri in vltimo inſtanti terminatiuo, quod non extrinſecè pertinet ad Sacramentum; quia Sacramentum, ſicut & omnis motus ſucceſſiuus conſtat intrinſecè, non ſolùm ex partibus, ſed etiam ex indiuiſibilibus, quibus & partes inuicem connectuntur, & terminentur etiam intrinſecè; quare prolatio etiam vltimæ ſyllabæ habet vltimum inſtans intrinſecum, in quo intrinſecè perficitur, & in quo fit aliquid indiuiſibile poſitiuum, & reale, quo intrinſecè completur Sacramentum. Quod idem dici poteſt de materia ſucceſſiua Sacramenti, v.g. ablutione, vnctione, &c. In illis enim datur etiam vltimum indiuiſibile terminatiuum motus, in quo etiam producitur aliquod indiuiſibile poſitiuum, quo perficiatur intrinſecè materia requiſita ad Sacramentum; & tunc etiam conferetur gratia, ſi iam forma priùs fuerat prolata. *P. Suarez* Ita ſentit P. Suarez *dicta ſect. 2. § vltimum ergo*; quem modum dicendi ſequuntur plures recentiores.

118. *Probatur hæc ſententia ratione.* Probat autem Suarez hanc ſententiam tum ex impugnatione aliarum, tum etiam quia neceſſe eſt deſignare aliquod inſtans, in quo ſit verum dicere, Sacramentum eſſe; quia ſi realiter fit, ergo aliquando exiſtit: ſed quandiu reſtat aliquid illius ponendum, nondum exiſtit Sacramentum; debemus ergo dare vltimum inſtans, in quo vltimò ponatur, quod deerat, *Euertitur ratio.* & in quo dici poſſet Sacramentum exiſtere. Hæc tamen ratio videtur parum efficax, quia ſicut tempus, & motus, & alia entia ſucceſſiua tunc dicuntur eſſe, quando fiunt, licèt in nullo inſtanti ſit totum eius ſimul, ſed aliquid illius, non eſt cur in hoc debeamus aliter loqui de Sacramentis, quæ ſimiliter ſunt entia ſucceſſiua, ſcilicet loquutio, motus localis, &c. imò neque etiamſi detur illud vltimum inſtans, & indiuiſibile intrinſecum, poterimus magis dicere, quòd tunc exiſtat Sacramentum, quàm in tempore antecedenti. Siquidem ſicut in ſingulis partibus temporis erat pars Sacramenti, & pars non erat; ſic in vltimo inſtanti exiſtit aliquid Sacramenti; *Inſtantia.* ſed quoad reliquas partes, iam non exiſtit. Dicunt, *Diluitur.* tunc exiſtere Sacramentum vt terminatum: ſed contrà etiam in tempore antecedenti erat Sacramentum vt ſucceſſiuum interminatum; & vtrumque quidem reduplicat eodem modo; non ſupra totum Sacramentum, ſed ſupra aliquid illius; & quidem plus eſt id, quod exiſtit in tempore, quàm in vltimo inſtanti: in hoc enim ſolùm exiſtit Sacramentum vt terminatum, hoc eſt, terminus vltimus Sacramenti: in tempore verò exiſtit Sacramentum, ſeu pars ſucceſſiua; plus autem eſt qualibet pars Sacramenti, quàm eius vltimus terminus indiuiſibilis. Propter illam ergo loquutionem non oportet aſſignare vltimum inſtans intrinſecum in Sacramento.

119. P. Vaſquez vbi ſuprà latè impugnat hanc ſententiam: ſed eius argumentis omiſſis, & admiſſo, quod *Vaſquez latè impugnat. Nos aliter impugnamus.* in motu ſucceſſiuo dentur illa indiuiſibilia, ad quæ impugnanda tendunt potiſſimum rationes P. Vaſquez; mihi ex alio capite difficilis videtur ille dicendi modus, quia nimirum indiuiſibile illud non poteſt ita requiri ad valorem Sacramenti, vt ſi illud ſolum deeſſet, Sacramentum non eſſet validum: nam in illa ſententia indiuiſibile additum indiuiſibili, vel etiam parti, non facit maius propter eius indiuiſibilitatem. *Primò ex parte materiæ ablutionis, v.g.* Ponamus ergo, aliquem baptizari, & prolata forma, infundi ſuper ipſum aquam, quæ dum tangit corpus eius ſucceſſiuè, extenditur ſuper corpus ipſius aliquantulum, quantum ſcilicet ſufficit, vt dicatur ablui, & baptizari, & in vltimo inſtanti perfici illam ablutionem, & dari gratiam: tunc peto, in vltimo inſtanti, quale ſpatium nouum acquirat aqua ſupra corpus baptizati? Non poteſt certè acquirere ſpatium nouum diuiſibile, quia hoc deberet acquiri ſucceſſiuè, & in tempore: acquirit ergo de nouo ſolum indiuiſibile ſpatium, quod priùs non habebat: finge ergo hominem in illo vltimo inſtanti mori, poſtquam forma fuit prolata, & aqua ſuper eum effuſa, & diffuſa, ſolúmque defuiſſe illud vltimum ſpatij indiuiſibile, quod aqua non acquiſiuit ſuper eius corpus: nónne hic homo verè fuit baptizatus? Negas, quia ablutio non fuit tanta, quanta requirebatur ad valorem Sacramenti. Contrà, non fieret maior per acquiſitionem, indiuiſibilis ſpatij, quia indiuiſibile non facit maius: ergo verè aqua tetigit corpus, quantum ſatis eſt, vt dicatur ablutus; nam coëxtitit tanto ſpatio ſupra corpus, vel ſi non coëxtitit tanto ſpatio; ergo indiuiſibile, quod additur, facit ſpatium maius, & magis extenſum, quod tamen in illa ſententia non conceditur: ergo vt conſequenter loquantur ad principia, quæ ſupponunt, debent concedere, non tangi magis ab aqua hominem, quando ablutio terminatur per indiuiſibile, quàm ſi non terminaretur: deeſſet quidem tunc terminatio ablutionis, & ablutio in ratione terminatæ: non tamen deeſſet ablutio in ratione ablutionis: ad veritatem autem Sacramenti ſufficit, hunc hominem fuiſſe ablutum, hoc eſt, aquam tetigiſſe eius corpus in tanto ſpatio: ergo etiamſi deſit illud indiuiſibile, Sacramentum fuiſſet validum, & haberet effectum.

Hoc idem argumentum fieri poteſt in prolatione formæ: nam ſi verba omnia prolata ſint, prout ſucceſſiuè proferuntur, & ſolùm deſit vltimum indiuiſibile terminatiuum prolationis in vltima ſyllaba, quæ etiam prolata eſt, ſed nondum terminata, in vltimo autem inſtanti moriatur, qui baptizatur, vel qui baptizat, illud erit Sacramentum validum: nam voces, quæ prolatæ ſunt, & vltima etiam ſyllaba, quæ iam prolata eſt, poteſt generare ſpeciem ſui ante aduentum vltimi indiuiſibilis, & illa ſpecies repræſentat omnes partes verborum, præter illud vltimum indiuiſibile, quod non eſt pars, nec facit verba maiora, nec aliquid ſignificat: ergo per illam ſpeciem formatur ab audiente conceptus de ſenſu illorum verborum, & per conſequens iam ſufficienter prolata eſt forma ante illud indiuiſibile. 120. *Secundò ex parte formæ.*

Dices prolationem ſyllabæ vltimæ, licèt non fiat maior per illud vltimum indiuiſibile, requirere tamen illud tanquam conditionem, vt poſſit producere ſpeciem ſui, ſicut natura requirit ſubſiſtentiam, quæ eſt terminus naturæ, tanquam conditionem, vt poſſit operari. 121. *Inſtantia.* *Diluitur.* Sed contra: quia voces ante aduentum illius indiuiſibilis operantur: nam ſicut ſucceſſiuè producuntur, ita ſucceſſiuè operantur, & mittunt ſpeciem: alioquin non perciperentur, vt ſucceſſiuè prolatæ, ſed cum confuſione, & ſimultate: non

ergo

Confirmatur reſponſio exemplo. ergo expectant id, quod poſtea producendum eſt, ad hoc, vt operentur ſpeciem ſui. Quod confirmari poteſt in obiecto viſus, quale eſt lux; hæc enim ſtatim ac producitur à ſole ſucceſſiuè nobis applicato, emittit ſpeciem ſui, & percipitur, nec expectat productionem futuram indiuiſibilis vltimi, ad hoc vt videatur lux, quæ iam producta eſt; ergo nec vox, quæ iam producta eſt, expectat productionem indiuiſibilis futuri, vt emittat ſpeciem ſui; nam ſicut vox ſucceſſiuè fit, ſic & ipſa ſpecies; quare ſicut vox in illo caſu eſſet tota producta abſque vltimo termino, ſic & eius ſpecies eſſet tota producta abſque vltimo termino, ſeu abſque ſpecie vltimi termini. Denique non poſſet explicari, quid aut quantum illius vocis reſtaret abſque operatione ex defectu illius indiuiſibilis, à quo pendet, tanquam à conditione ad operandum, nam illa vox, cùm ſit diuiſibilis etiam quoad prolationem vltimæ ſyllabæ in partes infinitas ſyncategorematicè, & quælibet pars fuerit terminata per ſuum indiuiſibile ſequens, non poterit aſſignari pars vltima, quæ caruerit operatione propter defectum illius conditionis; nam illam partem poſſumus diuidere in duas, quarum prior fuit verè terminata per ſuum indiuiſibile; & ſecundam partem poterimus ſimiliter diuidere in alias duas, quarum prior habuit ſuum indiuiſibile terminatiuum, & ſic in infinitum; nihil ergo reſtat in illa voce, quod non fuerit auditum.

122. *Inſtantia.* Dices, totam illam ſyllabam vltimam caruiſſe operatione, quia licèt eius partes connectantur medijs indiuiſibilibus; hæc tamen non ſunt terminatiua, ſed continuatiua, omnibus autem defuit vltimus terminus, qui requiritur vt conditio ad operandum.

Diluitur. Sed hæc reſponſio non poteſt dari conſequenter in illa ſententia; quia eius auctores non petunt ad productionem formæ, quod vltima ſyllaba ſit vltimò terminata, ita vt loquens vlteriùs non progrediatur in eius prolatione, ſed ſolùm quod prolata ſit, quantum ſatis eſt, vt percipiatur, & tunc producitur gratia, etiamſi qui eam profert, protrahat vlteriùs eiuſdem ſyllabæ prolationem: tunc autem illud indiuiſibile non erit ita terminatiuum, vt non ſit etiam continuatiuum cum prolatione eiuſdem ſyllabæ, quæ adhuc continuatur, & protrahitur: ergo ad operandum non requiritur tanquam conditio indiuiſibile, quòd ita ſit terminatiuum, vt non ſit continuatiuum. *Clarius hoc explicatur.* Deinde hoc clariùs apparet in ablutione ipſa, quæ fit per motum localem aquæ ſucceſſiuum ſupra corpus baptizati: nam illa lotio aquæ operatur gratiam, non quando tota lotio terminata eſt, ſed quando eſt facta iam in tanto ſpatio: tunc autem illud indiuiſibile non eſt terminatiuum, vt conſtat, ſed continuatiuum vnius partis motus, & lotionis cum alia ſequenti: ergo non oportet expectare vltimum terminum totius motus, & per conſequens nulla pars erit in prolatione vocis, quæ ex defectu termini non operetur, cùm illa etiam pars contineat plura indiuiſibilia, quæ terminant partes antecedentes.

123. *Noſtra ſententia ponit aliquod tempus determinatum, ſolùm iuxta opinionem illam de compoſitione continui.* Ego conſequenter ad illam ſententiam Philoſophicam de compoſitione continui, potiùs dicerem, gratiam conferri, non quidem in inſtanti vltimo terminatiuo intrinſeco, vel extrinſeco Sacramenti, nec in tempore indeterminato ante vltimum inſtans, ſed in tempore aliquo determinato poſt aliquod inſtans continuatiuum. Nam quando incipit proferri vltima ſyllaba, poteſt quidem proferri ita leuiter, vt non ſufficiat illa prolatio, niſi extendatur, & fiat maior: quare veniri poteſt ad aliquod inſtans, poſt quod ſi rurſus extendatur, & protrahatur prolatio, ſufficit ad debitam prolationem, quæcumque, & quantulacunque ſit illa extenſio: hæc autem extenſio fieri debet in tempore immediato poſt illud inſtans: in illo ergo tempore, quodcumque illud ſit, producitur gratia immediatè poſt illud inſtans: quia tunc incipit Sacramentum eſſe perfectum & validum: incipit autem gratia per vltimum non eſſe: quia in illo inſtanti præcedenti verum eſt dicere: nunc vltimo gratia non eſt; immediatè poſt hoc erit. *Ita vt gratia incipiat per vltimum non eſſe.*

124. *Vaſquez. Suarez. Obijcitur.* Contra hunc dicendi modum arguunt P. Vaſquez, & P. Suarez multipliciter. Primò arguit ille, quia res permanens, & indiuiſibilis, qualis eſt gratia, non poteſt incipere in tempore, & per vltimum non eſſe, ſed in inſtanti intrinſeco per primum ſui eſſe, quod latè probat, 1. *part. diſput.* 219. *cap.* 10. *Reſpondetur.* Hoc tamen argumentum diſplicet P. Suarez, qui probat, *lib* 12. de gratia, *cap* 21. *num.* 12. id non repugnare: & quidem ipſe Vaſquez tandem admittit *ibi n.* 47. ſaltem de potentia abſoluta id poſſe contingere. Argumenta autem, quibus ipſe vſus fuerat, ſi quid probant, videntur etiam probare in ordine ad potentiam abſolutam: nam procedunt ex implicantia contradictionis, quæ ſequeretur in illo caſu. Pro nunc abſtineo ab illa controuerſia Philoſophica: nam quæſtio hæc Theologica, vt dixi, procedit ſolùm ex ſuppoſitione illius ſententiæ Philoſophicæ de compoſitione continui: quâ quidem ſuppoſitâ, conſequentiùs loquuntur, qui dicunt, poſſe rem permanentem incipere in tempore immediatè poſt inſtans: quia licèt in hoc ſit etiam non leuis difficultas, eſt tamen maior in ſententia id negante, vt conuincunt argumenta, quæ affert Suarez loco citato; quare etiamſi hæc etiam pars eſſet falſa, pro nunc tamen nobis ſufficit, hanc partem debere concedi ab iis, qui tempus illo modo componunt: & per conſequens, ſuppoſitâ illa ſententia, conſequentiùs aſſeri, quòd gratia producitur eo modo in Sacramentis, vt abſtineamus nunc omnino à principio illo Philoſophico, de quo alibi ex profeſſo diſputandum nobis erit.

125. *Vaſquez. Vrget Vaſquez.* Sed vrget ſecundo P. Vaſquez *in præſenti n.* 49. quia eſt ſpecialis difficultas in effectu Sacramentali, ne producatur in tempore, quia effectus abluendi, & abſoluendi à peccatis in Baptiſmo, & in Pœnitentia non poſſunt fieri per partem determinatam Sacramenti. Ratio autem videtur eſſe, quia abſoluere à peccatis, eſt expellere peccata præcedentia: in toto autem illo tempore nun dicerentur expelli peccata: nam in aliqua eius parte poſſemus dicere, immediatè antea hic homo non erat peccator, ſed iuſtus: ergo tunc non abſoluitur, nec mundatur à peccatis.

126. *Reſpondetur.* Reſpondeo, hanc non eſſe ſpecialem difficultatem huius materiæ: eadem enim eſt in rebus Philoſophicis. Similiter enim, ſi aliquis haberet actum amoris erga Petrum, & immediatè poſt inſtans inciperet habere actum odij eiuſdem Petri, expelleret quidem actum amoris, qui tunc non expelleretur in inſtanti per primum non eſſe, ſed per vltimum eſſe: vt conſtat quare poſſet fieri idem argumentum, quomodo amor expellatur toto illo tempore, cùm in aliqua illius parte iam ſupponat amorem expulſum? *Retorquetur argumentum contra ipſum Vaſquez.* Item in ſententia eiuſdem Vaſquez, qui admittit, de potentiâ Dei abſolutâ poſſe aliquam rem permanentem incipere in tempore immediatè poſt inſtans, incipiat gratia hoc modo, tunc etiam expellet peccatum, & redibit eadem difficultas, cui quod ipſe tunc reſponderit, idem nos de facto reſpondebimus. Item de facto in ſententia eiuſdem negatio inſtantis incipit per vltimum non eſſe: incipit enim in tempore immediato poſt ipſum inſtans: quare fieri poteſt eadem interrogatio, an negatio inſtantis in toto

illo tempore expellat carentiam ſui, ſiue ipſum inſtans, an in ſola parte illius temporis? Denique, cùm ipſe admittat, res diuiſibiles, & quæ ſucceſſiuè producuntur, incipere intrinſecè in tempore; poteſt fieri argumentum. ſi gratia intenſa vt quatuor producatur in homine peccatore, non tota ſimul, ſed ſucceſſiuè, eo modo, quo introducitur calor in ſubiecto frigido vt octo; tunc enim gratia inciperet in tempore, & tamen expelleret proculdubio peccatum; quæritur ergo, an expulſio peccati eſſet in toto illo tempore? Certè debet eſſe, cùm non fiat in inſtanti; & tamen in aliqua parte illius temporis verum erit, quòd iam antea homo erat liber à peccato. Vides, difficultatem non eſſe peculiarem, ſed communem omnibus, & cui ipſe Vaſquez tenetur reſpondere.

Certè difficultas eſt communis & tota pendet ex ſuppoſitione illius principij Philoſophici.

127. Cùm ergo noſtra aſſertio procedat ex ſuppoſitione illius principij Philoſophici, dicimus, hanc difficultatem totam contineri in antecedenti, quod ſupponitur ex Philoſophia. Auctores autem illius ſententiæ conſequenter concedunt, expulſionem formæ contrariæ eſſe in toto illo tempore collectiuè ſumpto, ad hoc enim ſufficit, quòd immediatè ante illud tempus fuerit forma, quæ expellitur, licèt non fuerit immediatè ante ſingulas partes illius temporis: ſicut etiam forma, quæ introducitur, dicitur incipere in toto illo tempore; quia ante illud tempus non erat, licèt ante aliquas ſingulas partes illius temporis iam eſſet. Sic etiam dicimus in prima die menſis: hac die incipit menſis; quia nimirum ante illam diem non erat hic menſis, licèt ante hanc horam huius diei iam eſſet; & ſimiliter poſſumus dicere, hodie expellitur menſis præcedens, loquendo de hoc die collectiuè, non de ſingulis horis ſeorſim. Sic ergo poteſt dici peccata expelli tota illa duratione temporis collectiuè accepta, licèt fuerit iam expulſũ ante aliquam partem illius durationis.

128. *Tertiò obijcit Suarez.* Tertiò arguit P. Suarez, qui licèt admittat, poſſe rem, quæ tota ſimul incipit, incipere intrinſecè in tempore, negat tamen, id poſſe in præſenti contingere; quia nimirum, ſi concurreret ad producendam gratiam, tota illa prolatio ſucceſſiua vltimæ ſyllabæ, v.g. ſequeretur, actionem ipſam, quâ gratia producitur, ſucceſſiuè variari in ſua entitate intrinſeca; nam actio variatur pro varietate agentis; quare cùm ſucceſſiuè varietur agens, debet ſucceſſiuè variari actio in illa duratione ſucceſſiua: non ergo perſeuerat eadem indiuiſibilis actio, quæ tota ſit productio, & conſeruatio gratiæ pro illo tempore, ſed ſunt partiales actiones, quarum aliqua nullo modo erit productio gratiæ, ſed mera conſeruatio, cùm præſupponat iam illam productam, ac per conſequens non concurrent omnes partes illius prolationis ad producendam gratiam, ſed aliquæ partes concurrunt ſolùm ad conſeruandam gratiam iam productam.

129. *Reſpondetur.* Huic argumento dicere poſſemus, procedere contra eos, qui ponunt Sacramenta cauſare phyſicè gratiam; in noſtra autem ſententia ponente ſolam moralem cauſalitatem, non oportebit variari actionem ſucceſsiuè per varietatem agentis: ſemper enim manet idem agens adæquatum, qui eſt ſolus Deus producens, & conſeruans gratiam.

130. *Inſtantia.* Dices, adhuc poſſe eodem modo vrgeri difficultatem contra hanc cauſalitatem moralem; quia ſi tota illa particula ſyllabæ, quæ ſucceſsiuè profertur, cauſat moraliter gratiam eandem: ergo Deus ſucceſsiuè mouetur intuitu illarum partium prolationis ad cauſandam phyſicè gratiam; in tantum enim verba cauſant moraliter, in quantum mouent Deum, vt intuitu illorum cauſet phyſicè gratiam: hoc autem dici poteſt; quia poſtquam prolatum eſt, quantum ſufficit, de vltima ſyllaba, Deus non mouetur à prolatione ſequenti; ergo loquendo de hac parte B, illius prolationis, quæ ſupponit iam partem A, hæc non cauſat moraliter gratiam. Reſpondetur, *Diluitur.* Deum moueri à tota illa prolatione, non ita, vt ſi hæc pars B, deeſſet, non produceret gratiam; ſed ita, vt quando adeſt, cauſet Deus gratiam etiam intuitu illius, ſicut cauſat propter omnes ſyllabas præcedentes, & propter earum prolationem, etiamſi longiùs protracta fuerit; & ſicut cauſat effectum propter verba duorum Sacerdotum ſimul conſecrantium eandem hoſtiam; licèt, ſi aliter deeſſet, non minùs cauſaret effectum.

Dices, hæc pars B, ſi mouet Deum, mouebit quidem ad conſeruationem gratiæ, non autem ad productionem, cùm iam ſupponat gratiam productam intuitu partis A, quæ præceſsit; ergo loquendo de actione Dei, prout fit intuitu huius partis B, non eſt productio, ſed conſeruatio gratiæ; atque adeò hæc pars non cauſat moraliter gratiam, niſi ad ſummum in conſeruari. Reſpondeo, hoc argumentum eandem vim etiam habere in aliis materiis, ſuppoſito illo principio Philoſophico, atque adeò ab omnibus debere ſolui. Nam ſi Deus poteſt creare Angelum, ita vt eius creatio incipiat intrinſecè in duratione correſpondente tempori noſtro, certum eſt, illam creationem debere includere ſimul conſeruationem, cùm in illa temporis morula poſsimus diſtinguere prius, & poſterius, partem A, verbi gratiâ, & partem B, & in parte B, conſeruatur, cùm iam ſupponatur productus in parte A. Conſeruatio autem Angeli differt à prima productione ſaltem extrinſecè in hoc, quòd prima creatio nullo modo eſt debita: conſeruatio autem eſt debita Angelo connaturaliter: quia, cùm Angelus ſit ex natura ſua indefectibilis; exigit ex natura ſua conſeruari, poſtquam productus eſt: quare Deus vt auctor naturæ conſeruat Angelum intuitu ipſius Angeli exigentis cõſeruationem. Ecce in illa productione Angeli pro parte B, illius morulæ, Angelus non accipit eſſe omnino abſque debito: ergo prout ſic illa actio non eſt productio, ſed conſeruatio Angeli. Falſò ergo dicis, Angelum produci in toto illo tempore: nam productio prima Angeli eſt indebita: actio verò illa prout eſt in parte B, eſt debita connaturaliter. 131. *Inſtantia.* *Retorquetur primò in creatione Angeli.*

132. *Retorquetur ſecundò.* Rurſus in hac eadem materia Sacramentorum poſſumus dare in ſententia ſatis communi caſum, quo debeat omnino gratia incipere intrinſecè in tempore: quando, v. g. aliquis contraxit matrimonium cum conſenſu externo, ſed cum fictione interna inculpabili; poſt modicum verò tempus, mutato animo vult verè conſentire: in quo caſu communis ſententia, quam cum aliis multis ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 2. de Matrim *diſp.* 32. *num.* 11. docet, non requiri nouam prolationem verborum, ſed ſolùm conſenſum internum, qui defuerat: quo adhibito, perficitur matrimonium. *Suarez.* Tunc ergo, cùm ille conſenſus internus, in ſententia ipſius Suarez poſsit incipere in tempore intrinſeco, ſicut alij actus liberi noſtri: contingere poterit, quòd Sacramentum Matrimonij perficiatur in tempore intrinſeco, quo incipit ille conſenſus internus, & per conſequens tunc etiam debet produci gratia tota ſimul, ſed intuitu illius conſenſus, qui vt exiſtens in aliqua morula temporis determinati, concurrit ſaltem moraliter ad productionem gratiæ: quare de illo conſenſu fiet idem argumentum. Nam prout exiſtens in poſteriori parte illius morulæ, iam ſupponit gratiam productam: ergo prout ſic, non mouet Deum ad producendam, ſed ad conſeruandam gratiam: ergo falſum erat, quòd conſenſus in tota illa morula ſit cauſa moralis mouens Deum ad productionem gratiæ.

Vides,

Vides, eandem eſſe difficultatem ab omnibus ſoluendam, ſuppoſito illo principio Philoſophico. Adde, quòd poſſet in eo caſu conſenſus internus produci in tempore cum ſucceſſione etiam intrinſeca ſecundùm intentionem; ſicut calor introducitur in tempore pars poſt partem: in quo caſu non poſſemus etiam inuenire in ipſa entitate conſenſus aliquem gradum intentionis determinatum, ſecundùm quem concurreret ad ſolam productionem gratiæ, & non etiam ad conſeruationem. Nam in primo gradu poſſemus inuenire duas partes intentionis, quarum poſterior iam ſupponebat priorem productam, & per conſequens gratiam iam datam intuitu prioris partis conſenſus, quæ ſufficiebat ad productionem totius illius gratiæ: quod ergo dixeris ibi de intentione illius conſenſus reſpectu gratiæ, poterimus dicere de continuatione prolationis ſyllabæ in caſu noſtro.

133\. *Quo ergo omnes reſpondere debeant.* Omnes itaque debent reſpondere, totam prolationem illius morulæ eſſe poſſe cauſam moralem gratiæ; ad hoc enim non requiritur, quod ſingulæ partes prolationis fuerint neceſſariæ ad gratiam, aut præceſſerint totam productionem gratiæ, ſed ſufficit, quod de facto Deus intuitu illarum omnium ponat illam actionem, quæ eſt productio gratiæ: nam ſicut tota illa actio exercita in illa morula dicitur productio gratiæ, non tamen mera productio, ſed productio ſimul & conſeruatio: ſic tota illa cauſa dicitur cauſa productionis gratiæ, non tamen cauſa mera productionis, ſed productionis, & conſeruationis pro tota illa morula: & ſicut in illa actione non poteſt aſſignari aliqua eius duratio, pro qua fuerit merè productio, ſed pro qualibet duratione fuit productio, & conſeruatio, ſic ex parte cauſæ non inuenitur aliqua, quæ fuerit cauſa ſolùm productionis, & non conſeruationis, quia productio in tempore rei permanentis habet hoc, quod debeat eſſe productio, & conſeruatio. Denique, loquendo de parte B, illius prolationis, illa prout ſic, eſt ſolùm cauſa conſeruationis, ſed conſiderata ſimul cum partibus præcedentibus eſt cauſa productionis & conſeruationis: ſicut & ipſa actio prout in duratione B, eſt ſolum conſeruatio, ſed prout in tota illa morula eſt productio, & conſeruatio; quod ſufficit, vt tota illa actio dicatur productio, & gratia dicatur ſimpliciter produci in tota illa duratione, non tamen produci ſolùm, ſed produci, & conſeruari; quod concedit ipſe Suarez loquendo de poſſibili; ſic dicetur tota illa prolatio producens gratiam ſimpliciter, non tamen producens ſolùm, ſed producens, & conſeruans; licèt partes poſteriores ſeorſim à prioribus non habeant hanc denominationem: nec eſt maior difficultas in cauſa, quàm in actione: ſed ſicut actio, prout eſt in tota duratione, dicitur à Suarez productio & conſeruatio, ſic nos totam prolationem dicimus cauſam productionis, & conſeruationis: quia eſſe cauſam productionis gratiæ, ſolùm eſt eſſe ſimul cum aliis partibus cauſam illius actionis, quæ tota dicitur productio gratiæ in tota illa morula.

134\. *Nec augetur difficultas etiamſi ponatur cauſalitas phyſica.* Dixi, poſſe ita reſponderi illi argumento iuxta noſtram ſententiam, quæ ponit ſolùm cauſalitatem moralem gratiæ in Sacramentis; ſed etſi ponatur cauſalitas phyſica, non augetur difficultas quoad hoc, nec erit difficile applicare eandem ſolutionem; imò in ſententia mea Philoſophica, quam ſæpe inſinuaui, quod omnis conſeruatio rei etiam permanentis ſit intrinſecè ſucceſſiua, & indiſtincta ab eius duratione, eadem variatio phyſica actionis poneretur ad gratiam, etiamſi Sacramentum concurrat ſolùm moraliter: nam actio, qua Deus phyſicè producit, & conſeruat illam gratiam intra illam temporis morulam, ſucceſſiuè variatur, & quidem, licèt non pendeat phyſicè à partibus diuerſis prolationis ſucceſſiuæ, pendet tamen ab illis, vt à motiuis, itavt pars A. ipſius actionis ponatur à Deo intuitu ſolius prolationis, quæ eſt in duratione A, pars verò B, ipſius actionis ponatur à Deo intuitu etiam prolationis, quæ iam eſt in duratione B. quare hæc ſecunda pars actionis, quæ dependet à parte B, prolationis, prout ſic, videtur eſſe ſolùm conſeruatio, non minùs, quàm ſi phyſicè dependeret ab illa parte prolationis, tanquam à principio phyſico, atque ideo parum minuitur difficultas præſens ex negatione cauſalitatis phyſicæ in Sacramentis reſpectu gratiæ.

Admiſſa ergo quoad hoc, cauſalitate phyſica, dicimus, licèt pro varietate agentis, varietur phyſicè actio, adhuc totam illam prolationem illius morulæ dici cauſam phyſicam productionis gratiæ. quæ etiã difficultas non eſt propria noſtræ ſententiæ, ſed ab ipſo etiam P. Suarez ſoluenda in aliquo caſu, non quidem ita frequenti, ſed tamen non impoſſibili in hac eadem materia Sacramentorum. Poteſt enim contingere, quod aliquis proferens vltimam ſyllabam formæ, in illo eodem inſtanti, in quo in ſententia contraria deberet produci gratia, reuocaret intentionem, & progrederetur animo ficto, immediatè verò poſt illud inſtans, vel, ſi velis, poſt aliquam breuiſſimam morulam, ſed tamen in tempore intrinſeco, & immediatè poſt aliquod inſtans rediret ad priorem intentionem, atque ita progrederetur adhuc in prolatione illius ſyllabæ, quam nunquam interruperat. In hoc caſu certum eſt, effectum Sacramenti non potuiſſe produci in illo priori inſtanti, in quo debuiſſet poni, ſi non defuiſſet intentio; deficiente enim intentione tunc, non potuit poni effectus. Rurſus certum videtur, quod vbi primùm redit illa intentio ponetur effectus Sacramenti, ad quem antea ſolùm deerat vnum indiuiſibile prolationis. Cùm ergo intentio poſſet redire, & incipere in tempore iuxta ipſum Suarez, quælibet prolatio temporis ſufficiet ad complendum Sacramentum legitimum: nam quælibet prolatio temporis continet infinita indiuiſibilia, & eſt ſine proportione maior, quàm prolatio indiuiſibilis, quæ deſiderabatur: quare nulla poterit aſſignari adeo exigua prolatio in tempore, vt non ſufficeret minor ad ſupplendum id, quod deerat: tunc ergo complebitur Sacramentum in tempore poſt illud inſtans, ſicut in tempore redit debita intentio, ac per conſequens incipiet etiam effectus Sacramenti in eodem tempore intrinſecè, extrinſecè autem per vltimum non eſſe. Qui etiam 136.
caſus poteſt contingere ex parte illius, qui recipit Sacramentum: ſi pœnitens v.g. quando profertur vltima ſyllaba abſolutionis, tunc in illo inſtanti vltimo reuocaret intentionem recipiendi Sacramentum; & immediatè poſt, vel poſt morulam imperceptibilem renouaret intentionem, in tempore tamen, & immediatè poſt aliquod inſtans: tunc enim reciperet effectum Sacramenti, non in inſtanti terminatiuo, ſed in tempore, in quo progrederetur adhuc Sacerdos proferendo eandem vltimam ſyllabam. Cùm autem in ſententia ipſius Suarez illa ſyllaba cauſet phyſicè gratiam, conſequens eſt, quod in eius ſententia illa prolatio, quæ fieret in tempore, in quo renouaretur intentio, cauſaret phyſicè gratiam: de illa ergo fieri poteſt totum ipſius argumentum: deberet enim variari actio intra illud tempus pro varietate ſucceſſiua agentis, ſcilicet partium illius prolationis, ac per conſequens aliquæ partes illius prolationis non concurrerent ad productionem, ſed ad ſolam cõſeruationem gratiæ, &c.

135. In noſtra itaque ſententia quomodo reſpondeatur.

Difficultatem eandem debet ſoluere Suarez in ſua ſententia in aliquo caſu.

Omnes ergo, debent eodem modo reſpondere 137.

Omnes ergo eodem modo debēt reſpondere.

tunc etiam omnes partes prolationis, quæ fit in illa morula, concurrere ad productionem phyſicam gratiæ; nam ex actionibus ſingularum partium, quæ ſucceſſiuè variantur, reſultat vna actio diuiſibilis correſpondens illi durationi, quæ actio eſt productio, & conſeruatio illius gratiæ; nec poteſt aſſignari aliqua actio partialis in omnibus illis, quæ ſit ſolùm productio; quare cùm aliqua actio debeat dici productio gratiæ, nec ſit maior ratio, cur hæc denominatio tribuatur actioni, quæ eſt in ſola duratione A, (nam in illa etiam poſſumus diſtinguere duas partes, quarum poſterior ſit conſeruatio) meritò tribuimus hanc denominationem toti illi actioni ſucceſſiuæ, quæ in tota illa morula oritur ab illis partialibus prolationibus ſucceſſiuis eiuſdem ſyllabæ: & per conſequens eodem modo illas omnes prolationes partiales appellamus cauſam phyſicã gratiæ; aliqua enim debet eſſe cauſa producens gratiam; & non eſt maior ratio tribuendi hanc denominationem prolationi, quæ eſt in duratione A, cùm in illa etiam ſint plures partes priores, & poſteriores. Cùm ergo hæc denominatio debeat tribui alicui collectioni ex pluribus cauſis, quarum aliquæ ſint poſteriores, & in quibus nulla ſit aſſignabilis, quæ ſolùm producat, & non conſeruet etiam gratiam, meritò tribuimus eam denominationem illi prolationi totali, quæ eſt in tota illa morula ſucceſſiua, per hoc enim non ſignificamus, illam collectionem eſſe producentem gratiam adæquatè, hoc eſt, non etiam conſeruantem, aut ita vt ſingulæ partes ſecundùm ſe ſint primò producentes; ſed ſignificamus, illam collectionem eſſe producentem, ſeu non eſſe extra illam cauſam, quæ producit gratiam, licèt non ſingulæ partes ſeorſim poſſint dici producentes: ſicut & tota illa actio appellatur productio in eodem ſenſu non adæquatè, id eſt, ſolùm productio, ſed inadæquatè, id eſt, ſimul productio, & conſeruatio; hoc enim eſt propriũ earum rerum permanentium, quæ incipiunt in tempore, vt non poſſit in illis aſſignari productio condiſtincta ab omni conſeruatione; & ideo non mirum ſi aliquando non poſſit aſſignari cauſa producens condiſtincta ab omni cauſa conſeruante.

138. *Suarez. Obijcitur quartò contra noſtram ſententiam.*

Quartò argui poteſt ex eodem Suarez, §. *ſecundò, idem declaratur*, quia, ſi Sacramentum conſummaretur illo tempore immediato poſt inſtans; ergo poſtea deſinit; debet ergo aſſignari aliquod inſtans, quod diuidat Sacramenti eſſe à non eſſe, ſeu in quo deſinat Sacramentum; ergo durabit Sacramentum toto illo tempore determinato, quod eſt inter illud inſtans, quod fuit eius vltimum non eſſe, & inter hoc inſtans, quod eſt primum non eſſe, ſeu vltimum eſſe; hoc autem repugnat, quia ſi Sacramentum fuit conſummatum immediatè poſt inſtans; ergo ſtatim debuit deſinere: Sacramentum enim, vbi primum conſummatur, ſtatim deſinit: ergo non potuit permanere toto illo tempore intermedio; quia in dimidia parte illius fuiſſet iam conſummatum, & per conſequens debuiſſet ſtatim deſinere. & non expectare longiori tempore vſque ad illud aliud inſtans.

139. *Reſponſio.*

Reſpondetur facilè, Sacramentum deſinere poſt illam temporis morulam, in qua profertur vltima ſyllaba: poteſt autem deſinere vel per vltimum eſſe, ſi prolatio terminetur aliquo indiuiſibili intrinſeco, poſt quod immediatè non ſit, vel per primum non eſſe, ſi prolatio ita duret per temporis morulam, vt inſtans vltimum ſit extrinſecum prolationis; vtroque enim modo videtur poſſe deſinere: in tempore ergo intermedio erit Sacramentum, non quoad totum ſuum eſſe, ſed quoad aliquid ſui: nam quoad totum ſuum eſſe, fuit ſucceſſiuè ab initio applicationis materiæ, & prolationis formæ. Ad id verò, quod additur in argumentum, quòd Sacramentum debuit priùs deſinere, quia priùs fuit conſummatum, dicendum eſt, committi æquiuocationem: nam ſi per *conſummatum*, intelligatur idem quod *finitum*, falſum eſt, quod ante finem totius illius morulæ fuerit conſummatum, id eſt, finitum Sacramentum, durat enim, quandiu durat prolatio illius ſyllabæ: ſi verò per *conſummatum* intelligatur *perfectũ*, quantum ſatis eſt ad cauſandam gratiam, concedendum erit, fuiſſe priùs conſummatum: ſed falſum eſt in hoc ſenſu dicere, Sacramentum debere deſinere, vbi primùm conſummatur, ſeu perficitur: nam poteſt eius conſummatio, ſeu perfectio, quæ ponitur per prolationem vltimæ ſyllabæ, protrahi per aliquam morulam, in qua tota conſummatur, ſeu perficitur adhuc Sacramentum, hoc eſt, ponitur vltima ſyllaba, intuitu cuius Deus producit gratiam tali actione, quæ ſimul ſit productio eius, & conſeruatio. Nec hoc etiam eſt peculiare in hoc dicendi modo: nam eodem pacto debet reſpondere ipſe Suarez, quando peccatum mortale internum incipit, in tempore intrinſeco, prout ipſe concedit poſſe contingere: tunc enim peccatum, etiam vbi primùm conſummatur, expellit gratiam: peccatum quippe, cùm conſummatum fuerit, generat mortem, hoc eſt, carentiam vitæ ſpiritualis, quæ eſt gratia: & tamen conſummatio peccati, & expulſio gratiæ ſunt in aliqua temporis morula, quam ſi diuidas in duas partes, certum eſt, quòd in poſteriori, prout condiſtincta à priori, non incipit expulſio gratiæ: iam enim ſupponitur priùs expulſa, & conſummatum peccatum, quantum ſufficit ad gratiam expellendam: quia tamen totum illud incipit in tempore, neceſſe eſt dicere, quòd tam conſummatio peccati, quàm gratiæ expulſio duret tota illa temporis morula ſucceſſiua collectiuè ſumpta.

Quintò, argui poteſt contra hanc ſolutionem, & modum dicendi: quia licèt Deus vtatur Sacramentis tanquam inſtrumentis phyſicis, vel moralibus ad productionem gratiæ: in conſeruari tamen gratia dependet à ſolo Deo: eſt enim talis effectus, qui ſemel productus, exigit ſemper conſeruari, niſi per peccatum mortale expellatur: in hac autem ſententia ponitur gratia non ſolùm in fieri, ſed etiam in conſeruari dependens à Sacramentis. Hoc tamen argumentum procedit etiam contra Suarez, qui infrà *diſp.63.* de Euchariſt. *ſect.4. ante 3. concluſ.* concedit, Euchariſtiam incipere cauſare gratiam, non in inſtanti, ſed in tempore immediatè poſt inſtans, atque adeò gratiam conſeruari ab eodem Sacramento per aliquam morulam temporis determinatam à Deo. Idem ergo poterit de aliis Sacramentis aſſeri. Reſpondetur ergo ex natura rei ita eſſe, quòd gratia petat conſeruari à ſolo Deo: cæterùm ſi Deus vult illam producere, ita vt incipiat intrinſecè in tempore, & dependenter ab aliqua cauſa ſecunda, eo ipſo oportet, quòd dependeat etiam à cauſa ſecunda in conſeruatione ſua per aliquam breuem ſaltem durationem: eò quòd in tempore (vt diximus) non poteſt aſſignari prima actio, quæ ſit mera productio, & non ſit etiam conſeruatio. Sicut etiam habitus acquiſiti non pendent ab actibus in conſeruari, ſed ſolùm in fieri: cæterũ ſi actus liber intenſus vt quatuor incipiat in tempore totus ſimul, prout in ſententia ipſius Suarez poteſt incipere, tunc generaret ſtatim habitum, qui non poſſet pendere ab illo actu in fieri, abſque eo, quòd dependeret etiam in conſeruari pro aliqua duratione illius temporis. Sic etiã gratia, quæ incipit in tempore dependenter à Sacramento, debet cõſeruari dependenter ab eodẽ Sacramento pro aliqua duratione ſucceſſiua. Similiter, ſi Deus producit

[right margin:] 140. *Obijcitur quintò.* — *Suarez.* — *Reſponſio.* — *Explicatur reſponſio multis exemplis.*

gratiam.

gratiam, quæ incipiat in tempore, & dependenter ab aliqua cauſa ſucceſſiua, quale eſt Sacramentum, non poteſt non dependere in conſeruari ab aliquibus partibus illius cauſæ, à quibus provt condiſtinctis à præcedentibus non pendeat in primo fieri, quia non poteſt aſſignari prima pars illius cauſæ, à qua dependeat ſolùm in fieri, cùm in illa parte cauſæ ſint alteræ partes poſteriores. Sicut etiam, licèt carentia gratiæ in fieri ſolùm dependeat à peccato actuali, & non in conſeruari; quando tamen gratia expelleretur propter peccatum actuale, quod inciperet in tempore, & in eodem tempore ſemper ſucceſſiuè intenderetur, non poſſet expulſio gratiæ non dependere ab aliquibus partibus poſterioribus intenſiuis illius actus, à quibus provt condiſtinctis à præcedentibus, non poſſet dependere in primo fieri, ſed ſolùm in conſeruari, vt conſideranti patebit. Vides, quot exemplis inſtari poſſit contra omnes obiectiones, quæ fieri poſſunt contra hanc ſententiam ab Auctoribus, qui ſemel ſupponentes illa principia Philoſophica admittunt, poſſe rem permanentem incipere totam ſimul in tempore; imò etſi hoc non admittant, inſtare poſſumus in negatione inſtantis, quæ incipere debet in tempore, & per conſequens in expulſione inſtantis, non poteris aſſignare primum fieri, quod non includat aliquam conſeruationem eiuſdem expulſionis.

141. *Vltima obiectio.* Vltimò, obiici poteſt, quia ſi poſtquam producta eſt gratia, adhuc partes prolationis ſubſequentis dicuntur eam producere, poterit etiam dici durare productio gratiæ toto tempore ſequenti; non enim eſt maior ratio de breuiori, quàm de longiori tempore ſequenti. *Reſponſio.* Reſpondetur, hanc difficultatem minùs vrgere in hac materia, quàm in aliis, in quibus debet ſolui ab omnibus iis, qui admittunt, rem permanentem poſſe totam ſimul incipere intrinſecè in tempore. Nam ſi Angelus, v. g. creetur à Deo in tempore immediato poſt inſtans, creatio debet durare pro aliquo tempore, & per conſequens in toto tempore ſequenti poterit Angelus dici creari: item negatio inſtantis, quæ incipit in tempore, dicetur incipere in toto tempore ſequenti, & his ſimilia, in quibus quia tota quæſtio pertinet ad modum loquendi, obſeruandum eſt, vt quoties deſignamus aliquam partem poſteriorem ſequentis durationis, non dicamus in illa incipere Angelum, vel negationem inſtantis; quia re vera in illa, vt condiſtincta à partibus præcedentibus, non incipit, ſed conſeruatur: quando verò loquimur de tempore ſequenti poſt inſtans, quod fuit vltimum non eſſe rei, quæ incipit in tempore: tunc loquendo de toto illo tempore collectiuè ſumpto, dicimus, in illo incipere, & conſeruari Angelum, vel negationem inſtantis, quæ in inſtanti præcedenti habuerunt vltimum non eſſe; quando verò loquimur de inceptione, nihil dicentes de conſeruatione, ſolemus reſtringere locutionem ad breue aliquod tempus, quod ſit exigua pars illius totius durationis: ſic enim ſolemus etiam dicere, nox incipit primo minuto poſt vltimum inſtans diei: non autem dicimus, nox incipit primis ſex, vel octo horis poſt diem. Item dicimus, annum incipere tali die, vel tali menſe, non verò tali ſemeſtri; ſic etiam non diceremus, ſi mundus incepiſſet in tempore intrinſeco, mundum creari, vel incipere his ſex millibus annis, v. g. quibus extitit, ſed incepiſſe tali menſe vel tali anno: vt ſcilicet hac reſtrictione ſignificemus, minus temporis requiri ad inceptionem, quàm ad continuationem, & conſeruationem per talem durationem.

142. *Minor eſt in noſtro caſu difficultas.* Dixi autem, minorem difficultatem eſſe quoad hoc in noſtro caſu; quia in hoc caſu non extenderetur illa loquutio vltra illud tempus, quo durat prolatio vltimæ ſyllabæ, quod breuiſſimum eſt. Intra quod etiam loquendo de qualibet parte ſequenti ſignata, non dicemus, in hac parte incipit, vel producitur gratia, ſed perſeuerat: loquendo autem de tota illa duratione ſimul per modum vnius, dicemus, in hac morula poſt tale inſtans incipit, & producitur gratia Sacramentalis. Quòd ſi fingas, aliquem ex induſtria protrahere, & continuare prolationem illius ſyllabæ vltimæ per longum tempus: tunc etiam non oportebit dicere, in toto illo tempore produci, vel incipere gratiam; quia licèt Deus debeat vti aliqua parte diuiſibili illius prolationis tanquam inſtrumento phyſico, vel morali ad productionem gratiæ: non eſt tamen neceſſe, quòd vtatur omnibus, præſertim ſi prolatio longiùs duret; ſed poterit pro ſua voluntate determinare tantam, vel tantam partem, cuius intuitu ponat gratiam, nihil curans de partibus, quæ poſtea ſequentur: imò de facto etiam, licèt illa vltima ſyllaba breuiſſimè proferatur; poterit tamen aliquis dicere, non omnes partes prolationis concurrere, ſed aliquas: plures quidem ſemper, quàm eſſent neceſſariæ: quia non poteſt aſſignari id, quod præcisè requirebatur, vt diximus, non tamen omnes partes, ſed aliquas vſque ad talem, vel talem menſuram provt Deus voluerit: in hoc enim nihil cogit hoc vel illud aſſerere, ſed quilibet poterit, provt voluerit, opinari, ſuppoſitis (vt dixi) illis principiis Philoſophicis, in quibus tota hæc difficultas fundatur.

DISPVTATIO V.

De Inefficacia veterum Sacramentorum ad conferendam gratiam.

Sectio I. *Sententia affirmans, gratiam collatam per Sacramenta antiqua, & eius fundamenta.*
Sectio II. *Sententia negans, Circumciſionem contuliſſe gratiam, & eius fundamenta.*
Sectio III. *Reſolutio quæſtionis.*
Sectio IV. *Infertur reſolutio aliquorum dubiorum.*

VT meliùs appareat excellentia noſtrorum Sacramentorum, & diſcrimen ipſorum à Sacramentis legis antiquæ, oportebit examinare in præſenti, an aliqua illorum potuerint etiam conferre gratiam? Et non loquimur de gratia, quam cauſabant per modum promiſſionis, quatenus erant promiſſiones Diuinæ de gratia nobis danda, quo pacto erant cauſæ noſtræ gratiæ, vt explicuimus ſupra diſp. 1. ſect. 1. ſed loquimur de gratia, quæ eorum intuitu daretur ſuſcipientibus tunc illa Sacramenta. Difficultas tota eſt propter Circumciſionem, & propter Sacramentum illud, quo in lege naturæ delebatur peccatum originale: de aliis enim Sacrificiis, cæremoniis, & Sacramentis legis antiquæ, non eſt dubium, quòd non habuerint efficaciam conferendi gratiam. Nam licèt aliqui oppoſitum inſinuent, quos citat Henriquez in præſenti *lib. 1. c. 15. n. 6.* alij tamen omnes id reiiciunt, quos affert idem ibi lit. V. Hæc autem duo Sacramenta, cùm in illis deleretur peccatum videtur, quòd contulerint gratiam, ſine qua nunquam de facto ablata fuit alicui macula peccati mortalis perſonalis, vel originalis. 1

Tota difficultas eſt de Circumciſione, & de illo Sacramento, quod erat in remedium peccati originalis.

Henriquez.

SECTIO I.

Sententia affirmans gratiam collatam per Sacramenta antiqua; & eius fundamenta.

2. *Antiquorum quorundam opiniones.* S. Thom.

IN hac controuerſia duplex eſt ſententia principalis inter Scholaſticos: aliquæ enim antiquiores iam omnino in obliuionem abierunt; quas commemorat, & reiicit S. Thomas in præſenti *art.*6. *&* *q.*70.*art.*4. Quidam quippe dixerunt, per Circumciſionem quidem ablatum peccatum, ſed non collatam gratiam; alij dixerunt, gratiam collatam, quoad effectum remittendi peccatum, non tamen quantum ad effectus poſitiuos; alij denique, collatam quidem gratiam etiam quoad aliquem effectum poſitiuum, qui eſt, facere dignum vita æterna, non tamen quantum ad omnes. Non enim ſufficiebat ad reprimendam concupiſcentiam fomitis; nec ad implenda præcepta Legis.

3. *Reiiciuntur illæ ſententiæ. Prima.*

Hæ omnes ſententiæ facilè refelluntur. Prima, quia peccatum originale non remittitur, nec homo vnquam iuſtificatur, niſi per gratiam; alioquin ſi ille homo moreretur ſine peccato, & ſine gratia, deberet carere omni pœna ſenſus, & damni, ac per conſequens non deberet habere carentiam viſionis Dei, quæ eſt pœna damni; & ex alio capite deberet carere viſione Dei, cùm careret gratia habituali, quæ eſt ſemen gloriæ. *Secunda.* Secunda etiam ſententia reiicitur; quia non poteſt conferri gratia, quin daret ius ad gloriam, cùm ipſa gratia ſit ſemen gloriæ: ergo dabat etiam effectus poſitiuos. *Tertia.* Tertia denique reiicitur: quia nulla gratia habitualis eſt, cui non debeantur auxilia talia, cum quibus poſſit homo ſeruare præcepta Legis, licèt non omnino extinguant fomitem: ſicut nec de facto extinguunt illum noſtra Sacramenta. Adde, ſi Circumciſio dabat gratiam habitualem, licet non daret illas copioſas vires ad vincendas tentationes: iam non poſſet dici, quòd noſtra Sacramenta differunt ab illa per hoc, quòd noſtra cauſant gratiam, quam tamen illa non cauſabat.

4. *Duæ celebres ſententiæ. Prima ſententia affirmans.*

His ergo ſententiis omiſſis, duæ ſunt ſententiæ in hoc puncto celebres, in qua Scholaſtici antiqui, & recentiores diuiſi ſunt. Prima affirmat, per Circumciſionem datam fuiſſe gratiam ex opere operato ex infallibili decreto, & promiſſione Diuina. Hanc tenent Alex. Bonauent. Durand. Paludan. Maior, & Marſilius: quos refert Vaſquez dicta *diſp.*184.*n.*12. Eandem tenent Suarez in præſenti *diſp.*5. *ſect.*.. & *diſp.*10.*ſect.*1.*&* 2. Azor.*tom.*1. *lib.*4.*c.*34. Pererra *in c.*4.*epiſt.ad Rom.diſp.*5.*&* 6.Barrad.*tom.*1.in Euangel. *lib.*9.*c.*1.Lorinus in Acta Apoſtol.*c.*7.*verſ.*8.Valentia infra *q.*70.*puncto* 11. & alij multi, quos affert & ſequitur Salas *tom.*2.*in* 1.2 *tract.*13.*diſp.*11.*ſect.*1.*n.*12. & ſequentibus. (Vaſquez. Suarez. Azor. Pererius. Barrad. Lorinus. Valent. Salas.)

5. August. *Fundamentum huius ſententiæ auctoritas Auguſtini.*

Præcipuum fundamentum eſt auctoritas Auguſtini, qui eam apertè tradidit multis in locis, quæ affert Vaſquez vbi ſupra. Præcipua ſunt *lib.*16. de ciuit. Dei *c.*27 *lib.*2.de pecc. origin *c.*30.*&* 31.*lib.*4. De Baptiſm.cont. Donatiſt.*c.*23.*&* 24. *&* 2. de nuptiis *c.*11. (& habetur in cap. *Ex quo*, de Conſecratione *diſtinct.*4.) *&* *lib.*2. cont. litter. Petiliani *c.*77.*&* *lib.*2.cont Iulian.*c.*18.*&* *lib.*5.*c* 9.Pro eadem ſententia videntur eſſe Gregor.4. *Moral.c.*2.*vol.*3.& refertur in cap. *Quod autem* de Conſecrat. *diſt* 4. Ambroſ.*epiſt.*84.(ſeu Proſper, qui creditur auctor illius epiſtolæ) Fulgentius *lib.* de Incarnat. *cap.*15. Beda homil.de Circumciſ.inter hyemales de Sanctis ante med.*tom.*7.*&* *lib.*1.in Lucæ *c* 8. ſuper illa verba: *Poſtquam conſummati ſunt*, &c.Bernard.*epiſt.*77. & *ſerm.*1.de Circumciſ.*&* *ſerm.*2.de Aſſumpt Hugo de S. Victore *quæſt.*113. in Epiſt. ad Rom. *&* 1. *de* Sacrament.*pars* 11.*cap.*2.*&* *p.*11.*cap.*2. *&* 6. Iſidor. *Geneſ.*17. Rupertus *lib.*5.de operib. Trinitat.*cap.*33. & alij. Vnde Ouandus *in* 4.*d.*1. propoſitione 15. ait, eſſe de fide, quòd per Circumciſionem remittebatur peccatum originale: & Durand. *in* 4. *diſt* 1. *quæſt.*5. *n.*9. ait, oppoſitum eſſe contra dicta omnium Sanctorum: & Soto *d.*2 *q.*1.*art.*4. ait, omnes in hoc conuenire, quòd in Circumciſione remittebatur originale: & hanc ſententiam fuiſſe omnibus Patribus receptiſſimam. & Suarez *d.diſp.*5. *ſect.*1. §.*ſecundò dicendum eſt*, aſſerit, non poſſe nunc negari ſine aliqua temeritate propter communem conſenſum Sanctorum Patrum, & Scholaſticorum omnium. (Gregor. Ambroſ. Proſper. Fulgent. Beda. Bernard. Hugo de S Victore. Iſidor. Rupert. Ouand. Durand. Soto.)

6. Innoc. III. *Secundũ fundamentum.*

Secundò, principaliter fundatur hæc ſententia auctoritate Innocentij III. *in c. Maiores*, de Bapiſmo, vbi dicit, Baptiſmum Circumciſioni ſucceſſiſſe: per illam enim originale remittebatur, licèt ad regnum cœlorum non perueniretur. Vbi licèt Pontifex id non definiat, ſed afferat ad probandum principale intentum, ſcilicet, paruulos eſſe baptizandos, magnum tamen præbet huic ſententiæ pondus auctoritatis.

7. *Tertium fundamentum.* Geneſ.17.

Tertiò, probatur ab Auguſtino, Innocentio, & aliis, ex illo Geneſ.17.*Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo*, quæ verba Auguſtinus iuxta lectionem LXX. Interpretum legit hoc modo: *Maſculus, cuius præputij caro octauo die circumciſa non fuerit*,&c. vbi clarè videtur ſermo eſſe de paruulis; hi enim debebant octauo die circumcidi. Cùm ergo his comminetur Deus pœnam, niſi circumcidantur, debet hoc intelligi de pœna, quæ conſequitur peccatum originale; nam actuale perſonale non poterat eſſe in illis: & in hoc ſenſu intelligitur id, quod ſequitur: *Quia pactum meum irritum fecit*; quæ verba loquuntur de pactu inito cum Adamo, quod pactum irritum fecit paruulus, quando in Adamo peccauit.

8. *Solutio horum verborum facilis.*

Sed hæc verba, ſeclusâ auctoritate Auguſtini & Innocentij, facilem habent ſolutionem, cùm vis argumenti ſumatur ex illa particula, *octauo die*, quæ tamen in noſtra vulgata non habetur. Quare locum illum non de pœna æterna, ſed temporali, ſiue mortis, ſiue ſeparationis à populo Iudaïco, quam adultus debebat pati, ob neglectam Circumciſionem, explicant communiter Interpretes, vt notat Vaſq. *d. diſp.* 130. *cap.* 2. & Bellarmin. *lib.* 2. de Sacram. *cap.*22.& ſeqq. & *lib.*1.de Baptiſmo *cap.*4.*ad* 4. Imò iidem, qui tenent, per Circumciſionem fuiſſe remiſſum originale, dicunt, illam expoſitionem Auguſtini non eſſe litteralem, vt fatetur Pererius ſuper illa verba Geneſ. *verſ.*14.& ipſemet Auguſtinus 16. de Ciuit. *cap.*17. dicit, poſſe illum locum aliter exponi. (Vaſquez. Bellarm. Pererius.)

9. Adde, nec in ipſo textu LXX. Interpretum iuxta editionem emendatam iuſſu Sixti V. ita legi, ſed paulo aliter, ſcilicet: *Et, qui non fuerit circumciſus maſculus, cui non circumcidetur caro præputij ſui, octauo die interibit anima illa de genere ſuo*; vbi dies octauus non refertur ad Circumciſionem, ſed ad pœnam infligendam, vnde poteſt, retenta etiam illa particula, intelligi de ſolis adultis, quibus pœna illa imponitur. Pactum autem, quod irritum dicitur fieri, proculdubio eſt pactum Circumciſionis, de quo ſermo erat in verbis præcedentibus: *Statuam pactum meum inter me, & ſemen tuum. Tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te. Hoc eſt pactum meum, quod obſeruabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum*, &c. Hoc ergo pactum irritum faciebat, qui negligebat

Circumci-

Retorqueri poteſt argumentum. Circumciſionem. Vnde argumentum ex his verbis retorqueri poteſt contra hanc ſententiam; quia ſi Circumciſio fuiſſet inſtituta ad tollendum peccatum originale, & ad iuſtificationem ſpiritualem, Deus certè illam inſtituens aperuiſſet eius fructum, ſicut aperuit clarè vſum, & finem, ſcilicet, vt eſſet ſignum fœderis inter Deum, & Abraham, atque poſteros eius de numeroſiſſima plebe, & de poſſeſſione terræ Chanaan illis promiſſa. Quòd autem circumciderentur ad tollendum originale, nec ibi, nec alibi Scriptura inſinuauit: ergo non fuit inſtituta ad eum finem; alioquin debuiſſet declarari, cùm eſſet præcipuus, & hominibus maximè neceſſarius. Denique etiamſi illa particula *octauo die*, retineatur eo modo, quo ab Auguſtino legitur, explicari poteſt totus locus de pœna illa ſeparationis à populo Iudaico, quam debebat ſubire paruulus, qui ob parentum culpam non fuerat octauo die circumciſus; nam cùm Circumciſio eſſet character illius populi, & ianua aliorum Sacramentorum, meritò excludebatur, qui charactere illo carebat.

10. *Aliqui Auguſtinum & Innocentium explicant.* Difficiliùs reſpondent ad Auguſtinum, Innocentium, & alios Patres. Aliqui dicunt, illos ſolùm velle, quod in Circumciſione dabatur gratia, non tamen quod per illam daretur gratia. Verum enim quòd in illa dabatur propter fidem, quæ in illa actione interueniebat, & cuius ſignum erat Circumciſio ipſa externa, non tamen concurrebat Circumciſio ad gratiam tanquam cauſa phyſica, vel moralis. Ita Vaſquez *diſp.* 184. *cap.* 4.

Reiicitur hæc interpretatio. Hæc tamen interpretatio manifeſtè repugnat verbis Patrum, qui non ſolùm dicunt, in Circumciſione datam fuiſſe gratiam, ſeu remiſſum peccatum ſed etiam per Circumciſionem, ipſamque valuiſſe, & conduxiſſe ad illum effectum. Sic loquitur Innocentius in illis verbis: *Quoniam & ſi originalis culpa remittebatur per Circumciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur*, &c. *Innoc. III.* Sic etiam loquitur Auguſtinus paſſim *lib.* 4. de Baptiſmo *c.* 24. vbi dicit: *Ex Circumciſione carnis, quam prior populus accepit, coniicere nos poſſe quid valeat in paruulis Baptiſmi Sacramentum*; *Auguſt.* *lib.* 3. cont. Iulian. *c.* 18. ſic ait: *Reſponde, ſi potes, cur ipſe Iſaac, niſi Baptiſmatis Chriſti ſigno circumciſus octauo die fuiſſet, periiſſet anima eius de populo ſuo? Explica, ſi potes, cur meritò tanta pœna plecteretur, niſi ab hac tanto Sacramento liberaretur?* Eodem modo loquitur *Gregor.* Gregorius 4. Moral. cap. 2. *Quòd autem apud nos valet aqua Baptiſmatis, hoc agit apud Veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij, vel pro iis, qui de Abrahæ ſtirpe prodierunt, myſterium Circumciſionis.* In quibus verbis non minùs dicit datam gratiam *Bernard.* per Circumciſionem, quam per fidem Bernardus *in ſerm.* 2. de Aſſumptione: *In Baptiſmo*, inquit, *ſola gratia lauat hanc maculam, quam olim raſis petra Circumciſionis.* Denique eodem modo loquuntur Beda, & alij ſuprà adducti, qui non ſolùm concomitantiam, ſed concurſum explicant Circumciſionis.

SECTIO II.

Sententia negans, Circumciſionem contuliſſe gratiam; & eius fundamenta.

11. *Secunda ſententia negans.* Sententia contraria eſt etiam ſatis celebris, & habet pro ſe magnum pondus auctoritatis, & rationum. Eam videtur docere S. Thomas in præſenti *q.* 61. *art* 6. *ad* 1. & *q* 70. *art.* 4. Eandem ſequuntur Bellarm. Capreol. Deza, Ledeſma, Ferrarienſ. Cano, *Vaſquez. Coninch.* & alij, quos refert & ſequitur Vaſquez *diſp.* 184. *c.* 3. Coninch in præſenti *q.* 62. *art.* 6. & quamplures Recentiores.

Probatur primò ex Scriptura, quæ videtur expreſſè negare, in Circumciſione vllam fuiſſe efficaciam ad eum effectum, ſed ſolùm fuiſſe merum ſignum illius populi. 12. *Probatur primò ex Scriptura.* Ad Rom. 3. *Quid ergo amplius Iudæo eſt, aut quæ vtilitas Circumciſionis? Multum quidem per omnem modum. Primum, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* *Rom.* 3. Vbi illud *Primum* ſignificat illum eſſe effectum, ſeu fructum præcipuum; non ergo erat alius nobilior, qualis eſſet iuſtificatio. Et paulo pòſt addit: *Quid ergo? Præcellimus eos? Nequaquam. Cauſati enim ſumus, Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe*: quaſi dicat, quod attinet ad negotium iuſtificandi, non excedit Iudæus Gentiles propter Circumciſionem; omnes enim ſub peccato ſunt, niſi aliunde liberentur; quia, vt ſtatim addit: *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo.* Circumciſio autem erat opus legis. Item *c.* 4. probat ex profeſſo, Abrahamum non in Circumciſione fuiſſe iuſtificatum; vt inde probet inefficaciam Circumciſionis. Item 1. ad Cor. 7. *Circumciſio nihil eſt; & præputium nihil eſt.* *1. Cor.* 7. Ad Galat. 4. *Quomodo iterum conuertimini ad infirma, & egena elementa, quibus iterum ſeruire vultis?* *Galat.* 4. Conſtat autem, ſermonem eſſe potiſſimum de Circumciſione. Ad Philip. 3. dicit ſe arbitrari detrimentum iuſtitiam, quæ ex lege eſt. *Philip.* 3. Ad Coloſſ. 2. Sacramenta veteris legis vocat vmbram futurorum; *Coloſſ.* 2. & addit Circumciſionem eſſe carnalem, non ſpiritualem: *Circumciſi*, inquit, *eſtis Circumciſione, non manu facta, in expoliatione corporis carnis, ſed Circumciſione Chriſti, conſepulti ei in Baptiſmo.* Ad Hebr. 2. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem*; *Hebr.* 2. & *cap.* 9. Cæremonias veteres dicit fuiſſe iuſtitiam carnis, & ſanctificaſſe ad emundationem carnis; & *cap.* 10. legem habuiſſe vmbram, nec potuiſſe accedentes perfectos facere, aut auferre peccata, & mundare conſcientias.

Nec poteſt dici, in his locis explicari ſolùm inefficaciam & inutilitatem Sacramentorum legis antiquæ, quam habebant poſt Chriſti mortem, & promulgatum Euangelium. 13. *Malè explicantur hæc loca.* Nam ibi loquitur Paulus de Sacramentis illis etiam pro priori tempore conſideratis, vt conſtat ex illis verbis: *Quæ vtilitas Circumciſionis? Multum per omnem modum*, &c. Si verò loqueretur ſolùm de tempore poſteriori, non poſſet id concedere. Sicuti etiam vmbræ erant, & figuræ ante aduentum Chriſti, non poſtea; & pro illo tempore acceperat Paulus Circumciſionem, qui tamen ad Philip. 3. dicit, ſe non habere fiduciam in carne, hoc eſt, in Circumciſione. Videatur Bellarminus ſuprà *cap.* 14. circa finem, qui eam ſolutionem bene impugnat.

Secundò principaliter probatur hæc ſententia ex Patribus, qui de Circumciſionis inefficacia eodem modo loquuntur. 14. *Secundò probatur ex Patribus.* *Iuſtin.* Iuſtinus Dialog. cum Triphone ante med. ex profeſſo id probat: *Abraham*, inquit, *cùm nondum eſſet circumciſus, propter fidem, qua Deo credidit, iuſtificatus eſt, & benedictionem à Deo accepit. Circumciſionem verò non accepit ad iuſtificationem, ſed tantummodo in ſignum. Quod vel ex eo licet intelligere, cùm fœmineum genus carnalem Circumciſionem aſſumere non queat, ſatis ex eo apparet, eam datam eſſe in ſignum, non autem ad iuſtitiam. quidquid enim ad iuſtitiam, & virtutem pertinet, etiam fœminis Deus dedit, vt ex æquo ſeruare poſſent.* *Irenæus.* Irenæus lib. 4. c. 30. *Circumciſionem*, inquit, *non quaſi iuſtitiæ conſummatricem, ſed in ſigno eam dedit Deus, vt cognoſcibile perſeueret genus Abrahæ. Deus enim Abrahæ dixit:* Circumcidetur omne maſculinum veſtrum, & erit in ſignum teſtamenti inter me, & vos. *Quod etiam dixit de Sabbato per Ezechielem:* Sabbata, *inquit*, mea dedi eis, vt ſint ſigna inter me, & ipſos. *In ſigna ergo data ſunt hæc; nec ſanè otioſa,*

&

& orania erant ſigna, ſed ſuum habebant ſymbolum, &
argumentum, vtpote à ſapiente artifice data; carnalis
enim circumciſio præfigurabat ſpiritualem, de qua Paulus
dixit: Nos circumciſi ſumus circumciſione non
manufacta; *& Propheta quidem ait:* Circumcidite
duritiem cordis veſtri. *Quod autem per hæc non iuſti-*
ficabatur homo, ſed in ſigna data ſunt populo, oſtendit,
quòd ipſe Abraham ſine circumciſione placuit Deo, &
reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus
15\. Epiphan. *eſt.* Epiphan. hæreſi 40. *Prima,* inquit, *illa Circumciſio*
non fuit perfecta, ſed ſigni tantum gratia eſt data & ad
commonitionem ipſorum, & vt figura eſſet magnæ cir-
cumciſionis. Etenim ſi circumciſio illa data fuiſſet ſan-
ctificationis gratia, & vt participes faceret cæleſtis hæ-
reditatis; ergo priuata eſt Sara tanto bono ſanctifica-
tionis, & cæleſtis hæreditatis, & item Rebecca & Lia, &
Rachel, & omnes ſanctæ mulieres, cùm non potuerint cir-
cumciſionem Abrahæ habere. Si verò illæ non ſunt priua-
tæ Regno cælorum, quanquam non fuerint participes cir-
cumciſionis, non ergo illa conducebat hominibus ad compa-
randam ſalutem, & vitam æternam. Et hæreſi 8. *Illic,*
inquit, *circumciſio fuit carnalis, quæ deſeruiit vſque ad*
magnam circumciſionem, hoc eſt, Baptiſmum, quæ cir-
16\. Ambroſ. *cumcidit nos à peccatis.* Ambroſ. in id Rom. 4. *Signum*
accepit circumciſionis, ſignum iuſtitiæ fidei, ſic ait: *Ac-*
cepit Abraham circumciſionem ſignum iuſtitiæ fidei:
credens enim ſe filium habiturum, huius rei, quam credi-
dit, ſignum accepit, vt, quod credens iuſtificatus ſit, cer-
neretur. Non ergo circumciſio aliquid habet dignitatis,
ſed ſignum eſt tantum. Et epiſt. 72. ad Irenæum: *Si-*
gnum, inquit, *circumciſio corporalis, veritas circumciſio*
ſpiritualis; illa membrum amputat, iſta peccatum: vide
eundem *lib* 1. de Abraham *cap* 4. & *lib* 1. de Sacram.
cap. 4. & 6. & *lib.* de iis, qui initiantur myſteriis, *c.* 8.
17\. Chryſoſt. & 9. Chryſoſt. *homil.* 27. in Geneſ. *Attende,* inquit,
quod Deus circumciſionem pro lege ſtatui voluit, non
quod ad animæ ſalutem efficere hoc poſſit aliquid; ſed vt
Iudæi pueri hoc gratitudinis indicium circumferrent,
quaſi ſignum, & ſigillum, & ne liceret eis commiſceri
gentium commixtionibus. Hinc B. Paulus ſignum hoc
vocat dicens: Et ſignum dedit circumciſionis ſigil-
lum; *nam ad iuſtitiam ipſa circumciſio nihil conducit.*
Vide eundem *homil.* 39. & 40. in Geneſ. & homil. de
prodit. Iudæ, & *homil.* 14. in Epiſt. ad Hebræos; &
hom. 6. in id Rom. 2. *Circumciſio quidem prodeſt, ſi le-*
gem obſerues: vbi Theodoretus, Theophylactus, &
18\. Tertul. Oecumenius. Tertul. lib. cont. Iudæos, paulò poſt
principium, ſic ait: *Sed Abraham, inquis, circumciſus*
eſt: ſed ante Deo placuit, quàm circumcideretur. Acce-
perat enim Circumciſionem ſed quæ eſſet in ſignum tem-
poris illius, non in ſalutis prærogatiuam. Sed & filius,
inquis, Moſis tum ab Angelo præfocatus fuiſſet, ſi non
Sephora mater eius calculo præputium infantis circum-
cidiſſet. Vnde, inquit, Circumciſionis maximum peri-
culum eſt, ſi præputium carnis quis non circumciderit.
Sed enim ſi Circumciſio ſalutem omni modo afferet, etiam
Moſes in filio ſuo non intermiſiſſet, quominus octauo die
circumcideret eum, quando conſtet, Sephoram coactam ab
Angelo id feciſſe in itinere. Conſideremus itaque, quod
non potuerit vnius infantis coacta Circumciſio omni po-
pulo præſcribere, & quaſi legem huius præcepti condere in
ſalutem. Nam prouidens Deus, quod hanc Circumciſio-
nem in ſignum, non in ſalutem daturus eſſet populo Iſrael,
idcirco filium Moſis ducis futuri inſtigat circumcidi, vt
cùm cœpiſſet per eum populo dare præceptum Circumci-
ſionis, non aſpernaretur populus, videns exemplum iſtud
Cyprian. *in indicis filio iam celebratum.* Cyprian. *lib.* 1. cont. Iu-
dæos *c.* 8. dicit, Adamum, Henoch, Noë, & Melchi-
ſedech iuſtos fuiſſe ſine Circumciſione, quia *ſignacu-*
lum, inquit, *feminis nihil proficit.* Alios adducit Bel-
larmin. *d. lib.* 2. de Sacram *cap.* 15.

His adiungitur auctoritas negatiua Philonis, & 19.
Ioſephi, qui, cùm curioſiſſimi fuerint indagatores, Philo.
& minutiſſimi ſcriptores rerum Iudaicarum, & ille Ioſeph.
in lib. de Circumciſione cauſas omnes, & vtilitates
Circumciſionis proſequutus fuerit, hic vero *lib.* 1.
Antiquit. *cap.* 12. huius tamen vtilitatis, & cauſæ,
quæ nobiliſſima ſanè erat, nec minimum indicium
inſinuarunt: ignorarunt ergo illam; alioquin eius
notitiam non ita occultaſſent.

Tertio principaliter probatur ex Conciliis, ſcili- 20.
cet ex Florentino ſub Eugenio ſeſſ. vlt. in Decreto Concil. Flor.
fidei ad Armenos in hæc verba: *Nouæ legis Sacra-* *Tertiò proba-*
menta multum differunt à Sacramentis antiquæ legis; *tur ex Conci-*
hæc enim non cauſabant gratiam, ſed ſolùm per paſſionem *liis.*
Chriſti dandam figurabant: noſtra verò Sacramenta &
continent gratiam, & dignè ſuſcipientibus eam conferunt.
Huic conſonat Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 2. damnans eum, qui Conc. Trid.
dixerit: *Sacramenta nouæ legis non differre à Sacra-*
mentis antiquæ, niſi quia ſunt diuerſæ cæremoniæ, & ritus
externi. Si autem antiqua contuliſſent gratiam,
planè non alio modo differrent à noſtris. Fuit autem
editus Canon ille propter errorem Lutheri, qui
(vt refert Bellarm. vbi ſuprà *c.* 12. in lib. de Babylon.
captiuit.) ſic loquitur: *Error eſt, Sacramenta nouæ le-*
gis differre à Sacramentis veteris legis penes efficaciam
ſignificationis, id eſt, quod noſtra efficaciter ſignificent
faciendo quod figurant, non illa. Quare intentum Con-
cilij in illo Canone debuit eſſe, aſſerere differentiam
Sacramentorum noſtrorum, quoad efficaciam, quam
differentiam Lutherus negabat.

Quartò, adducuntur rationes, quas prædicti Pa- 21.
tres attingunt, ſcilicet quod fœminæ in lege veteri *Quartò pro-*
iuſtificabantur ab originali abſque Circumciſione: *batur ratio-*
ergo fatendum eſt, remedium legis naturæ adhuc *nibus.* *Prima.*
poſt præceptum Circumciſionis retinuiſſe priſtinam
efficaciam, & vim. Deinde eos, qui non erant ex *Secunda.*
Abrahamo, non obligabat præceptum Circumci-
ſionis, vt conſtat: ergo illi poterant iuſtificari per
aliud remedium, quod quidem videtur non amiſiſſe
ſuam vim ad iuſtificandos Iudæos. Item Circumci- *Tertia.*
ſio non poterat adhiberi ante octauum diem: pue-
ri ergo, qui ante illum diem moriebantur, non po-
terant iuſtificari, cùm tamen filij Gentilium poſſent
per remedium legis Naturæ. Similiter in caſu ne-
ceſſitatis Circumciſio differebatur in longum tem-
pus; ſic enim in Deſerto per quadraginta annos He-
bræi non ſunt circumciſi ratione itineris, vt aliqui
volunt: ſiue autem ea fuerit cauſa, ſiue quævis alia,
non eſt credibile, pueros omnes manſiſſe in peccato
per totum illud tempus: & ſi qui fortè morieban-
tur, fuiſſe damnatos.

Variæ ſolutiones adhiberi ſolent ad explicanda 22.
hæc loca Conciliorum, & Patrum ab Auctoribus *Variæ ſolutio-*
primæ ſententiæ: & primò dicunt, Circumciſionem *nes locorum.*
non fuiſſe propriè loquendo Sacramentum legis an- *Prima ſolu-*
tiquæ, quia inſtituta fuerat multo tempore ante *tio.*
Moyſen, & præcepta Abrahamo, & eius poſteris:
quare differentia, quam Concilia afferunt inter Sa-
cramenta veteris, & nouæ legis, quoad efficaciam
gratiæ non habet locum in Circumciſione, ſed in
aliis Sacramentis propriis legis ſcriptæ. Sic expli-
cant aliqui, quos affert P. Henriquez in præſenti Henriquez.
lib. 1. *c.* 15. §. 1. lit. F. & §. 6. *lit.* X.

Hæc ſolutio non poteſt ſatisfacere menti, & ver- 23.
bis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum; & in pri- *Nō ſatisfacit.*
mis Patres ſuprà adducti clarè, & disertè loquuntur
de Circumciſione, & illam dicunt, non valuiſſe
quidquam ad iuſtitiam, vt conſtat ex verbis cita-
tis. Deinde Paulus, vbi de inefficacia legis antiquæ
loquitur, maximè, & potiſſimè loquitur de Cir-
cumciſione, vt conſtat etiam ex eius verbis ſuprà
adductis

addoctis; imò ad diſſuadendam Circumciſionem probat inutilitatem totius legis antiquæ in ordine, ad conferendam iuſtitiam. Denique Concilia, licèt non loquantur nominatim de Circumciſione, eam tamen proculdubio comprehendunt in ſuis definitionibus. Primò, quia eam doctrinam acceperunt ex Scriptura & Patribus, vbi, vt vidimus, de Circumciſione potiſſimè ſermo eſt. Deinde, quia licèt Circumciſio non fuerit primò inſtituta in lege Moyſis; in ea tamen lege, & inter eius præcepta, poſitum etiam eſt præceptum Circumciſionis, vt conſtat ex c. 12. Leuitici; & ideo eam Chriſtus dicit eſſe

Ioan. 7. ex lege Moyſis, Ioan. 7. *Si Circumciſionem accipit homo in Sabbato, vt non ſoluatur lex Moyſi, mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato?* Vnde S. Thomas in præſenti *q. 61. art. 6.* ſub nomine Sacramentorum legis veteris, de quibus proponitur titulus articuli, agit de Circumciſione, quia comprehenditur ſub Sacramentis legis veteris, vt notauit ibi P. Vaſquez. Quando ergo Concilia loquuntur de Sacramentis legis veteris, eodem modo loquuntur de Circumciſione, ſicut Scriptura, & Patres illam ſub eo nomine comprehendebant.

24. *Secunda ſolutio.* Alij ſecundò reſpondent, licèt in Circumciſione data fuerit gratia, non fuiſſe tamen cauſam gratiæ, ſicut ſunt noſtra Sacramenta, quia hæc cauſant phyſicè gratiam, vt inſtrumenta Dei: Circumciſio verò ſolùm cauſabat moraliter.

Reijcitur primò. Nec hæc ſolutio ſatisfacit. Primò quia ſupponit falſum, vt ſuprà vidimus, ſcilicet noſtra Sacramenta

Secundò. cauſare phyſicè. Secundò, quia ſi Circumciſio cauſabat moraliter, id ſatis eſt, vt diceretur cauſa gratiæ: ſicut nunc ſæpè noſtra Sacramenta cauſant ſolùm moraliter etiam ſententia contraria, quando ſcilicet cauſant gratiam, recedente fictione, poſtquā iam non exiſtunt, & tamen tunc etiam ſunt cauſa gratiæ, & dicitur homo iuſtificatus per Baptiſmum.

Tertiò. Tertiò, quia Concilium Florentinum omnem prorſus cauſalitatem exclusit etiam moralem, cùm dixit, illa Sacramenta ſolum figuraſſe gratiam dandam poſtea per paſſionem Chriſti. Si enim tunc etiam cauſabant moraliter gratiam, non erant meræ figuræ gratiæ futuræ.

Quartò. Quartò denique, quia ad vtilitatem, vel inutilitatem Sacramentorum parum referret, quòd cauſarent phyſicè, vel moraliter gratiam, ſi tamen eam infallibiliter afferebant; non ergo curaſſent adeò Concilia, & Patres de diſcrimine illo inter vtraque Sacramenta nobis commendando.

25. *Tertia ſolutio.* Ideo tertiò alij negant, Circumciſionem fuiſſe etiam cauſam moralem gratiæ, ſed dicunt fuiſſe conditionem, ſine qua non, ad cuius poſitionem Deus ex ſua miſericordia infallibiliter ſemper conferebat

Declaratur. gratiam. Poſſet autem hoc declarari ex differentia, quam ſuprà explicuimus, inter conditionem, & cauſam moralem: nam ſicut ſeruus habens Domini præceptum de dando pane Paulo, quoties gallus cantet, mouetur quidem à præcepto Domini, tanquam à cauſa morali, à galli verò cantu tanquam à mera conditione, quā poſitā, mouet præceptum domini: ſic Sacramenta noſtra dicuntur cauſæ morales, quia ſunt operationes Chriſti, & quaſi preces ipſius, quæ mouent Deum ad dandam gratiam: Sacramenta verò antiqua non erant Chriſti operationes, nec habebant vim mouendi, ſed erant conditiones, quibus poſitis, Deus mouebatur à meritis Chriſti futuris ad dandam gratiam hominibus; atque ideo non dicebantur cauſare, vel continere gratiam; ſicut nec galli cantus diceretur continere, vel cauſare panem dandum in caſu poſito.

26. *Neque ſatiſfacit.* Hic modus dicendi adhuc non videtur ſatisfacere, ſi attendamus ſincerè ad verba, & ad mentem Conciliorum, & Patrum; aliquid enim plus videntur intendiſſe, quàm negare ſolam cauſalitatem, & relinquere rationem conditionis, ſine quā non. Quia quod attinet ad ſuſcipientium vtilitatem, parum etiam referret, quòd Baptiſmus afferret gratiam, & mundaret à peccato per modum cauſæ, vel per modum conditionis, ſi tamen infallibiliter afferret illum effectum. Vnde Concilium Florentinum non ſolùm excluſit omnem cauſalitatem phyſicam, & moralem ab illis Sacramentis, ſed omnem etiam prorſus vtilitatem, ſeu modum conducendi ad gratiam; hoc enim ſonant illa verba, quòd *ſolùm figurabant gratiam poſtea dandam per Chriſti paſſionem.* Planè, ſi erant conditiones infallibiliter afferentes gratiam, non poſſet abſque eorum iniuria dici, quòd ſolùm erant figuræ gratiæ futuræ, & nobis dandæ. Nec poſſet de illis dici, quòd erant vacua, egena, infirma, inutilia, ſicut appellantur ab Apoſtolo. Denique, argumentum, quo vtuntur Patres paſſim ad probandam inutilitatem Circumciſionis, ex eo, quòd fœminis non prodeſſet ad ſalutem; eodem modo probat, omnino non fuiſſe conditionem infallibilem ad gratiam; quia illo etiam remedio infallibili caruiſſent fœminæ; nec minùs noceret eis carentia conditionis infallibilis ad iuſtificationem, quàm carentia cauſæ moralis. Non ergo fecerunt vim in differentia conditionis, & cauſæ moralis, quando inutilitatem Circumciſionis exaggerarunt.

Eodem modo reijcitur, quod aliqui dicunt, Circumciſionem non continuiſſe gratiam, ſicut nunc 27. *Alia ſolutio.*
etiam Baptiſmus continet, quia tunc pretium gratiæ nondum erat ſolutum à Chriſto, ſed nunc eſt iam ſolutum, & continetur in Sacramentis noſtris. Quod explicant hoc exemplo; nam ſi conſtituamus *Explicatur exemplo.*
hominem, qui ad obtinendam mercedem offerat teſtimonia operum quæ iam fecit, alium verò oſtendentem ſolùm Scripturam promiſſionis, qua promittit opera, dicemus iure optimo, prius inſtrumentum continere præmium, & mouere efficaciter ad illud; poſterius verò eſſe de ſe inefficax. Hoc autem modo ſe habent Baptiſmus, & Circumciſio.

Contra hunc etiam modum militant eadem argumenta, vt dixi: nam licet Circumciſio non con- 28. *Refellitur.*
duceret tunc, vt cauſa, cōduceret ſaltem vt conditio afferens infallibiliter gratiam ex promiſſione Dei, quod tamen Patres, & Concilia videntur negare. Adde, illam differentiam pretij iam ſoluti, vel ſoluendi, parum referre ad rationem cauſæ moralis; nam, ſi Circumciſio contineret merita Chriſti vt ponenda, proculdubio eſſet cauſa moralis, ſicut ipſa merita Chriſti nondum poſita, ſed ponenda, erant vera cauſa moralis gratiæ, quæ dabatur Patribus antiquis. Re tamen vera Circumciſio non erat ſolùm ſicut Scriptura continens promiſſionem operū Chriſti, ſed potiùs contineret promiſſionem ipſius Dei dandi gratiam propter opera Chriſti præuiſa.

Vnde reijcitur etiam, quod alij recentiores quartò dicunt, vt explicent, quomodo Circumciſio non 29. *Alia ſolutio.*
fuerit cauſa gratiæ, ſed ſolùm conditio, licèt infallibiliter ſemper in ea iuſtificatio conferretur. Dicunt enim gratiam fuiſſe quidem datam ſemper infantibus circumciſis, & non niſi circumciſis (loquendo de infantibus Hebræorum) non tamen fuiſſe datam propter Circumciſionem, ſed ſolùm propter actum fidei, cuius proteſtatio erat Circumciſio, cui fidei Deus promiſit infallibiliter gratiam, & iuſtificationem infantis. Cùm hoc tamen ſtat, quòd non iuſtificaretur infans abſque Circumciſione, quantumcumque ei applicaretur alijs modis fides parentum, vel aliorum, quia Deus præuidens priùs omnes paruulos de facto circumcidendos, illis ſolis

promiſit

promiſit iuſtificationem pro tali inſtanti, pro quo præuiderat eos Deus circumcidẽdos, ſi cum fide offerrentur, ita tamen vt promiſſio non fuerit facta Circumciſioni, ſed talibus actibus fidei huius, & illius miniſtri in particulari; nam licèt alij actus fidei aliorum non circumciſorum eſſent æquales, & fortaſſe meliores, atque adeò poſſent magis mouere Deum; ipſe tamen pro ſua libertate voluit promittere his, & non alijs. Itaque Deus non promiſit gratiam pueris, ſi cum fide circumciderentur, ſed poſt inſtitutam, & præceptam Circumciſionem; & prævidens iam qui eſſent circumcidendi de facto, promiſit iis omnibus gratiam, ſi cum fide Mediatoris offerrentur Deo; ita vt non Circumciſio iam præuiſa, ſed fides eſſet conditio, ſub qua, & cuius intuitu promittebatur gratia. Porrò potuiſſe à Deo præuideri omnes infantes circumcidendos de facto nondum præuiſa fide miniſtri, licèt de facto Circumciſio oriretur ex fide eiuſdem miniſtri, explicant per diuerſos ordines intentionis, & exequutionis: nam potuit Deus ordine intentionis poſt latam legem Circumciſionis præfinire intentione abſoluta Circumciſionem talium paruulorum, non determinando pro eo ſigno media in particulari; atque adeò iam præuidebat illos omnes circumcidendos; & tunc illis omnibus, & non aliis promiſit gratiam, ſi cum fide Mediatoris offerrentur Deo. Si autem hoc totum fuit poſſibile, videtur affirmandum fuiſſe de facto; quia hoc modo conciliantur omnia, quæ de Circumciſione dicuntur, ſcilicet eam non fuiſſe cauſam gratiæ, & tamen fuiſſe neceſſariam ad iuſtificationem paruuli, ita vt ſine illa filij Hebræorum non iuſtificarentur.

30. Reijcitur. Primò. Contra hunc modum explicandi procedunt, vt dixi, argumenta ſuprà facta, & alia magis ſpecialia. In primis enim non fit ſatis loquutionibus Patrum, qui (vt vidimus) non ſolùm dicunt, pueris circumciſis datam fuiſſe gratiam, ſed etiam datam fuiſſe per Circumciſionem, ipſámque Circumciſionem influxum habuiſſe, qui cùm non fuerit phyſicus, debuit eſſe moralis, quatenus mouebat Deum ad iuſtificandum infantem: alioquin non apparet, quomodo per Circumciſionem iuſtificarentur, & ſaluarentur.

31. Secundò. Secundò, quia ſi promiſſio gratiæ non eſt facta omnibus paruulis, ſed iis ſolùm, quos Deus prævidebat de facto circumcidendos; ergo de illis aliis, qui circumciſi non fuerunt, poſſumus dicere, quòd ſi circumciderentur, fuiſſent iuſtificati; imò debemus dicere, quòd ea vi præſentis Decreti, & præſentis inſtitutionis non fuiſſent iuſtificati, quia Deus non promiſit generaliter iuſtificationem explicitè, aut implicitè omnibus paruulis, qui circumciderentur, ſed his ſolis in particulari, in quorum numero non erat ille alius. Sicut ſi Deus ſolùm promiſiſſet gloriam his, quos de facto præuidit morituros in gratia, aut obſeruaturos legem, & nullo modo explicitè, vel implicitè aliis, non poſſemus dicere, quòd ex vi præſentis Decreti, aut promiſſionis Dei, Iudas obtinuiſſet gloriam, ſi ſeruaſſet legem: nulla enim extaret talis promiſſio Dei de danda gloria Iudæ, ſi legem ſeruaſſet. Conſequens autem videtur omnino contra mentem Auguſtini, & aliorum Patrum, qui planè, dum dicunt, Circumciſionem valuiſſe infantibus ad iuſtificationem, dicunt, eam fuiſſe remedium idem, & commune omnibus paruulis maſculis, ſicut nunc eſt Baptiſmus, atque adeò nullum fuiſſe paruulum, qui, ſi fuiſſet circumciſus debito modo, non fuiſſet iuſtificatus.

32. Confirmatur. Confirmatur, quia ſi ea explicatio ſufficeret ad verificandas eiuſmodi propoſitiones vniuerſales, poſſet aliquis ſimiliter dicere, de facto non eſſe promiſſam gratiam omnibus hoſtiis conſecratis, ſed Chriſtum præuidiſſe, quæ hoſtiæ conſecratæ ſumendæ erant de facto, & illis ſolis promiſiſſe gratiam, ſi debita diſpoſitione ſumerentur; hoc enim ſufficit ad verificanda verba illa generalia Chriſti: *Qui manducat me, viuet propter me*, & alia ſimilia; ſicut illa alia promiſſio limitata ſufficit ad verificandam propoſitionem vniuerſalem, quòd omnibus pueris Circumciſio afferebat remedium. Conſequens autem nemo admittet; fatendum ergo eſt, eiuſmodi promiſſiones vniuerſales non terminatas fuiſſe ad eos ſolùm, qui de facto vſuri erant tali remedio, ſed ad omnes eos etiam, qui vti poterant, licèt de facto non eſſent vſuri.

Tertiò, quia ſi ea promiſſio non extendebatur ad eos, qui de facto non erant circumcidendi; ergo iis paruulis non fuerat prouiſum de remedio aliquo ad iuſtificationem, & ſalutem. Suppono enim, eos paruulos, qui circumcidi poterant, non habuiſſe aliud Sacramentum, quo iuſtificarentur, vt volunt ij Auctores. Si ergo Circumciſio non erat inſtituta à Deo pro illis vt remedium ad iuſtificationem, de nullo prorſus remedio illis erat prouiſum. 33. Tertia ratio.

Reſpondent primò, illis etiam paruulis prouiſum fuiſſe de remedio, non quidem infallibili, & efficaci, ſed ſufficienti, & apto ad ſalutem obtinendam, ſcilicet per fidem mediatoris: quam ſi haberent parentes, & cum ea offerrent paruulum, poſſet Deus ab ea fide moueri ad ſaluandum puerum. Sed contra hoc eſt, quia hoc non eſt prouidiſſe de remedio, non enim prouidetur de remedio, quando remedium eſt tale, quod applicatum fortaſſe iuuabit, & fortaſſe non iuuabit. Adde, multos paruulos de facto fuiſſe ita oblatos Deo abſque Circumciſione, de quibus non poteſt dici, quòd aliqui ſalui facti ſint, alij damnati cum eodem remedio: ergo remedium illud debuit eſſe vniuerſale ea lege Dei pro omnibus, quibus applicaretur. 34. Reſpondent. Impugnatur.

Reſpondent ſecundò, omnibus fuiſſe prouiſum; quia ſicut nunc de facto iis, qui non baptizantur, prouiſum eſt de remedio, quatenus dat Deus parentibus cogitationem ad aliquem actum, quem ſi faciant, decreuit Deus filium perducere ad Baptiſmum, vel ad vſum rationis: ſic prouiſum erat filiis Hebræorum, quia ſi parentes aliquid agerent, Deus decreuerat filios perducere ad vſum rationis, in quo poſſent propria diſpoſitione iuſtificari. 35. Dicunt ſecundò.

Hæc reſponſio omnino eneruat argumentum illud, quo vtitur Innocentius III. in c. *Maiores*, de Baptiſmo, vt infrà videbimus, ad probandum, Baptiſmum paruulis prodeſſe: ex quo etiam argumento ſuprà probauimus, in lege naturæ debuiſſe inſtitui aliquod Sacramentum, vel remedium ad iuſtificandos paruulos; quia nimirum credibile non eſt, Deum tantam multitudinem paruulorum abſque remedio reliquiſſe. Hoc autem argumentum inutile iam erit ad id probandum; quia ſicut hi Auctores dicunt, illis omnibus pueris, qui non circumcidebantur de facto, Deum prouidiſſe de ſufficienti remedio, non quidem per Circumciſionem (quia hæc non fuerat pro illis inſtituta, ſed pro iis ſolùm, qui circumcidendi erant) ſed quatenus ſi parentes aliquid egiſſent, filij perducti fuiſſent ad vſum rationis: eodem modo dici poſſet, licèt Baptiſmus non prodeſſet paruulis, Deum non reliquiſſe eos abſque remedio, ſed decreuiſſe eos omnes ad vſum rationis perducere, quo ea propria diſpoſitione poſſint iuſtificari, vel baptizari, ſi eorum parentes aliquid egiſſent, quod Deus illis interiùs inſpirat. Quî tamen credibile non eſt, prouidentiam Dei ordinariam pro tanta paruulorum multitudine per illa media 36. Reſponſio impugnatur.

eatenus

extraordinaria remedium ordinaſſe; ideo Innocentius dixit, Baptiſmum pro omnibus paruulis fuiſſe inſtitutum, ne tanta paruulorum multitudo abſque remedio ordinario relicta crederetur. Similiter ergo credendum non eſt, totam illam paruulorum multitudinem, qui de facto circumcidendi non erant, Deum reliquiſſe abſque remedio aliquo ordinario; ſed fatendum erit, pro illis etiam Circumciſionem fuiſſe inſtitutam in remedium, vel aliquod aliud remedium generale efficax, & infallibile pro omnibus fuiſſe inſtitutum, vt mox dicemus.

37. *Nec obſtat exemplū puerorum qui ſine Baptiſmo moriuntur.* Neque obſtat exemplum eorum paruulorum, qui de facto abſque Baptiſmo moriuntur. Nam pro iis etiam dicimus Baptiſmum inſtitutum fuiſſe in remedium, atque ideo Deum prouidiſſe illis de remedio poſſibili, quantum eſt ex parte Dei, licèt ob defectum parentum, vel progenitorum eis non applicetur, qui vel non procurant Baptiſmum pro ſuis paruulis, vel nolunt inueſtigare de via ſalutis, & vera religione pro ſe, & ſuis filiis & poſteris; quod ſi feciſſent, inuenirent remediū efficax pro illis, quod pro omnibus à Deo prouiſum eſt. Iis verò, qui in vtero materno moriuntur antequam baptizari poſſint, non eſt mirum, ſi aliqua extraordinaria prouidentia Dei remediū extraordinarium præparauerit; ij enim pauci ſunt, & extra communem ordinem rerum: quare potuit etiam extraordinario modo prouideri illis de remedio ſufficienti per illas inſpirationes parentibus immiſſas; qui modus prouidentiæ pro multitudine puerorum aliorum aptus non erat, vt ex Innocentio Papa apertè colligitur.

38. *Quinta ſolutio.* Alij ergo quintò dicunt, in Circumciſione datam fuiſſe gratiam, non tamen ex opere operato, ſed ex opere operantis, quia ſcilicet Circumciſio ſola abſque fide interna miniſtri nihil proderat, gratia autem, quæ datur intuitu actus meritorij, ſaltem de congruo, non datur ex opere operato, ſed operantis, vt quando homo iuſtificatur extra Sacramentum per contritionem, per quam accipit gratiam, tanquam per diſpoſitionem, & meritum de congruo, non dicitur accipere gratiam ex opere operato. Sacramenta autem noſtra conferant gratiam ex opere operato, vt conſtat.

Reiicitur. Sed hic modus loquendi rem adhuc non explicat; quia ſi per gratiam ex opere operato intelligatur ea, quæ datur abſque intuitu alicuius meriti, falſum eſſet, noſtra Sacramenta dare gratiam ex opere operato; nam in Sacramento Pœnitentiæ debet interuenire contritio, vel attritio interna, cuius intuitu ſaltem partialiter detur gratia illius Sacramenti. Si verò per gratiam ex opere operato intelligatur illa, quæ datur non ſolùm intuitu actus meritorij, ſed etiam alienius operis, quod ex ſe non meretur gratiam; in hoc ſenſu gratia Circumciſionis erat ex opere operato; nam licet requireretur fides interna, gratia tamen non dabatur ſolùm intuitu illius fidei, ſed etiam intuitu Circũciſionis; alioquin fides ſola abſque Circumciſione iuſtificaret; quæ eſt ſententia P. Vaſquez, quam hi auctores impugnant. Adde nec ita fuiſſe requiſitam fidem ad Circumciſionem, vt eſſet actus meritorius etiam de congruo: nam etiamſi vitiaretur ex aliqua circumſtantia, ac per conſequens non fuiſſet meritorius, Circumciſio haberet ſuum effectum, vt diximus ſuprà *diſp.* 3. *ſect.* 1. in ſimili agentes de remedio legis naturæ.

39. *Sexta ſolutio.* Alij denique ſextò dicunt, Circumciſionem ex primaria intentione non fuiſſe inſtitutam ad eandem gratiam, vel tollendum peccatum, ſed vt eſſet ſignum, & nota illius populi, ac propter alios fines, ſecundariò tamen, & conſequenter voluiſſe Deum, vt apud filios Abrahæ ſuccederet loco remedij, quod priùs vſurpabatur ad tollendum originale. Hoc tamen benè impugnat Vaſquez *d. diſp.* 134. *n.* 43. quia ſiue primariò, ſiue ſecundariò eſſet ad hoc inſtituta, verè haberet tam vim ad illum effectum; atque adeò falsò negaretur apud Concilia, & Patres valuiſſe aliquid iuſtificandum, & conferendam ſalutem, & falsò diceretur, figuraſſe ſolùm gratiam nobis poſtea dandam per Chriſtum. *Hanc bene Vaſquez impugnat.* Et quidem loquendo de noſtris Sacramentis, nemo negabit, ea continere, & cauſare effectus ſuos ſecundarios, v. g. Extrema-Vnctio, quæ primariò ordinatur ad ſanitatem animæ, ſecundariò autem ad corporis ſanitatem conferendam, non minùs dicitur cauſa huius, quàm illius; nec minùs dicetur hanc continere, quàm illam.

SECTIO III.

Reſolutio quæſtionis.

40. *Vtraque ſententia quoad fieri poteſt conciliatur.* Vtraque ſententia eo nititur auctoritatis pondere, vt nefas ſit ab earum altera diſcedere; atque adeò cogimur vtramque aliquo modo amplecti, & Patres, qui pro illis aſſeruntur, in concordiam adducere: non quòd Theologos etiam Scholaſticos in hoc puncto non diſſentire dicamus (eorum enim plures proculdubio inter ſe conciliari non poſſunt) ſed Patres, & Concilia, quæ pro vtraque parte afferuntur, conabimur in vnam, & eandem ſententiam reuocare.

Concluſio. Circumciſio ex ſua inſtitutione nullā vim habet. Aſſerimus itaque, Circumciſionem ex ſua inſtitutione nullam vim habuiſſe iuſtificandi, vel tollendi peccatum originale, ſed ſolùm fuiſſe datam in ſignum, & characterem populi Iudaici, ac fidelis, vt docet ſecunda ſententia, quam auctoritas Scripturæ, Conciliorum, & Patrum videtur omnino confirmare: cum hoc tamen ſtat, quod in Circumciſione, & per Circumciſionem paruuli regulariter iuſtificarentur, quia remedium legis naturæ, quod applicari debebat aliquo ſigno externo, quod eſſet proteſtatio fidei internæ de Chriſto venturo, vt diximus ſuprà *diſp.* 4. *ſect.* 2. regulariter etiam applicabatur per ipſam Circumciſionem, vt vnà, & eadem actione duplici præcepto ſatisfieret. *Explicatur concluſio.* Debebant enim parentes ex vno capite ſuis paruulis applicare remedium, ſeu Sacramentum legis naturæ ad expiandos illos à culpa originali; quod fieri debebat applicando illis fidem Chriſti venturi aliqua actione externa: debebant aliunde ex Diuino præcepto Abrahæ intimato, & renouato in lege Moyſis, paruulum octauo die circumcidere: vtrique ergo obligationi ſimul, & ſemel ſatisfacere volentes, Circũciſionem ipſam aſſumebant ad applicandam fidem Chriſti venturi ſuis paruulis, & ad mundandos illos à macula originali: *Quid de fœminis, quid de maſculis periclitantibus.* fœminis autem idem remedium præſtabant aliqua alia actione externa circa ipſas exhibita; ſicut & maſculis etiam, qui ante octauum diem periclitabantur, vel qui die octauo propter morbū, vel aliud impedimentum circumcidi non poterant. Cùm enim vtrumque illud Sacramentum Circumciſionis, & remedij legis naturæ grauiſſimum eſſet, & ſolemniter deberet celebrari, coniungebant in vnam, & eandem ſolemnitatem, vtrumque ritum, quod cedebat in maiorem honorem ipſius Circumciſionis, quam ea ratione vtiliorem reddebant, & in notitiam magis publicam, & certam expiati paruuli; cui, mediā Circumciſione, & ſigillo permanenti ac impreſſo, remedium peccati applicabatur. Sic etenim duobus aliis præceptis diuerſis vna actione ſolebant ſatisfacere ad vitandas ſuas ſolemnitates. 41. *Primum præceptum.* Vnum enim erat præceptum purgationis

fœminæ poſt puerperium ; quod quidem nato maſ-
culo expleri debeat die quadrageſimo ; natâ verò
fœminâ, die octogeſimo; vt conſtat ex *c.* 12. Leuitici.
Alterum erat præceptum offerendi primogenitum
Deo, & redimendi illum quinque ſiclis, vt conſtat
ex *c.* 13. Exodi ; & licèt hoc ſecundum præceptum
non haberet tempus præfixum, vtrique tamen ſimul,
& ſemel ſatisfaciebant ; vt conſtat ex *c.* 2. Lucæ.
Sic etiam vtrumque illud Sacramentum in eandem
42. actionem coniungebant maioris ſolemnitatis, &
commoditatis gratiâ ; licet vni ſoli, nempe Cir-
cumciſioni, præfixus eſſet dies in lege. Sicut nunc
etiam fideles vtrique præcepto, Confeſſionis ſcili-
cet, & Communionis annuæ, eodem tempore ſatiſ-
faciunt ; licèt Communioni ſoli præfixum ſit tem-
pus Paſchale in præcepto, non verò Confeſſioni,
quæ fieri poſſet qualibet anni die; ſed commoditatis
gratia vtrumque præceptum eodem tempore adim-
plent ; ſic etiam faciebant Iudæi. Vnde meritò Pa-
tres ſupponebant, in Circumciſione, ac per Circum-
ciſionem iuſtificatos primùm paruulos à culpa ori-
ginali. Nec poterat aptior inueniri actio ad ſignifi-
candam fidem Chriſti venturi, quàm illa, quæ ex ſua
inſtitutione ad hoc data fuerat Abrahæ, & eius po-
ſteris, vt haberent in carne ſua impreſſum ſigillum
eius fidei, quo perpetuò profiterentur Chriſtum
venturum ex ſemine Abrahæ ; ideo enim, teſte Ru-
perto *lib.* . in Geneſ. *c.* 31. in illa corporis parte fieri
præcipiebatur, quæ inſtrumentum erat generatio-
nis ; quia nimirum fides Abrahæ fuerat de promiſ-
ſione ſeminis, in quo benedicentur omnes gentes:
Rectè, inquit, *Abraha, quia crediderat dicenti Deo quòd
in ſemine eius benedicerentur omnes gentes in loco ſemi-
nis ſignum eiuſdem fidei poſitum eſt.* Non ergo poterat
melius ſignum circa paruulum exerceri, ad prote-
ſtandam in ipſo, & applicandam illi fidem Chriſti
venturi, quàm illud, quod à Deo ad hanc ipſam fi-
dem ſignificandam fuerat inſtitutum.

Secundum præceptum.

Circumciſio erat aptiſſima ad ſignificandam fidem Chriſti venturi.

43. Poſſumus hoc ipſum colligere ex ritu, & vſu Iu-
dæorum, qui paruulis in ipſa Circumciſione nomi-
na ſolebant imponere, vt conſtat ex *c.* 1. *&* 2. Lucæ.
Quod quidem magnum argumentum eſt, vſos ipſos
fuiſſe Circumciſione ad ſanctificandos infantes, ac
proinde coniunxiſſe vtrumque Sacramentum in
eandem actionem, vt diximus. Hoc enim ſolemne
fuit omnibus ferè nationibus, vt nomina tunc
paruulis imponerent, cùm primùm eos Deo conſe-
crabant, ſanctificabant, & luſtrabant : ſicut nunc
etiam Chriſtiani non niſi in Baptiſmatis fonte im-
ponunt nomina filiis, quos tunc ab originali macula
purgant. Sic de Athenienſibus teſtatur Suidas, quòd
decimo natiuitatis die, oblatis ſacrificiis, quibus di-
cabant puerum Deo, ei nomen ſolemniter impone-
bant, conuocatis cognatis, & amicis. Sic etiam de
Romanis conſtat ex Feſto, quo octauo die puellis,
& nono pueris nomina imponebant, quos priùs lu-
ſtrabant, & ideo appellabant dies illos *luſtricos* ; de
quo videri poteſt Macrob. *lib.* 1 Saturnal. *c.* 16. & Sal-
meron *Prolegom.* 9. Vnde Tertul. de Idololatria *c.* 16.
appellat feſta illa *Nominalia* ; quibus dicit, licitè in-
tereſſe potuiſſe Chriſtianos, quia licèt interuenirent
ſemper ſacrificia Diis oblata ; actio tamen ipſa im-
ponendi nomen, cui Chriſtianus aderat, de ſe erat
indifferens : ſicut nuptiæ, & alia eiuſmodi, quibus
licitè aderant, licèt miſcerentur ſemper ritus aliqui
Gentilium in Deorum cultum.

Vnde hoc colligatur.

Quod fuerit ſolemne omnibus nationibus.

44. Hinc conſtat, quo ſenſu verum ſit, per circumci-
ſionem fuiſſe paruulos iuſtificatos, non quidem
quaſi circumciſio ex ſe, aut ex ſua inſtitutione hanc
habuerit vim, ſed quia parentes illam actionem
vſurpant ad eum finem loco illius, quam priùs fa-
ciliorem adhibebant ad remedium peccati, & ad
proteſtandam fidem Chriſti venturi. Conſtat etiam,
quo ſenſu alij verè negent, Circumciſionem quid-
quam valuiſſe, aut fuiſſe vtilem ad ſalutem & iuſti-
tiam : loquuntur enim de Circumciſione formaliter
ſumpta, & ſecundùm id, quod ex ſua inſtitutione
habebat : cùm illi alij loquantur de Circumciſione
ſolùm materialiter ſumpta, quatenus illa actio ma-
terialis ex voluntate parentum aſſumebatur pro
materia illius Sacramenti iuſtificantis ex vi, non
quidem inſtitutionis ipſius Circumciſionis, ſed in-
ſtitutionis Sacramenti iuſtificantis, quod ab initio
legis naturæ fuerat inſtitutum. Vtrique ergo verè
loquuntur, ſi alij in ſenſu formali intelligantur, alij
verò in ſenſu ſolùm materiali.

Quo ſenſu paruuli per Circumciſionem iuſtificarentur.

Quo ſenſu etiam non iuſtificarentur.

Dices, quòd Circumciſio determinatè non exige-
retur ad iuſtificationem paruuli, non ſufficit ad hoc, 45.
vt abſolutè negetur illam valuiſſe, aut fuiſſe vtilem
ad iuſtificationem, vel fuiſſe cauſam iuſtificationis,
prout à Conciliis & Patribus negatur, quia propo-
ſitio negatiua videtur negare in omni ſenſu, & om-
nem vtilitatem Circũciſionis quomodocunque con-
ſideratæ, ſiue materialiter, ſiue formaliter. Sicut de
facto non requiruntur verba, aut voces determina-
tè ad Sacramentum Matrimonij, poteſt enim nuti-
bus etiam perfici : & tamen nemo dicet, verba con-
trahentium non valere quidquam ad conferendam
gratiam illius Sacramenti. Similiter ex Chriſti inſti-
tutione non requiritur determinatè ad Sacramentũ
Ordinis perficiendum porrectio panis & vini; Græ-
ci enim ſine illis ordinantur de facto, vt vidimus
ſuprà diſp. 2 ſect. 1. & tamen nemo dicet, hanc por-
rectionem panis, & vini inutilem eſſe ad illum fi-
nem, aut non habere vim, nec valere quidquam ad
conferendam gratiam illius Sacramenti : ergo eo-
dem modo, licèt non requireretur determinatè Cir-
cumciſio ad remedium contra originale, ſed ſolùm
in genere aliqua actio externa, quæ eſſet profeſſio
fidei Chriſti, & applicatio illius pro paruulo, non
poteſt tamen negari, quod hæc actio Circumciſio-
nis, quando ad eum finem adhibebatur, haberet
vim, & eſſet vtilis : quare propoſitiones illæ nega-
tiuæ, in toto rigore, & proprietate erunt falſæ.

Inſtantia.

Reſpondetur in primis, negari non poſſe, quod
aliquando propoſitiones negatiuæ in hac materia 46.
ſimpliciter prolatæ ſint veræ, propter ſenſum for-
malem, quem faciunt, licèt in ſenſu materiali eſſent
falſæ, v. g. ſi aliquis cantet formam Baptiſmi, verum
erit dicere : *Muſicam inutilem eſſe ad conferendum
effectum illius Sacramenti* : quæ tamen propoſitio ſo-
lùm eſt vera in ſenſu formali, non in ſenſu mate-
riali ; nam muſica realiter loquendo ſunt illæ voces
prolatæ tali modo, qui modus non diſtinguitur ab
ipſis vocibus ; eſt enim ille ſonus per ſuam entita-
tem acutus, & ille alius per ſuam entitatem grauis,
&c. In quo conſiſtit formaliter muſica, illæ autem
voces re ipſa conferunt gratiam ; eſt ergo vera illa
propoſitio ſolùm in ſenſu formali, quatenus ſignifi-
cat parum referre ad effectum Sacramenti, quod
fuerint voces acutæ, vel graues, aut muſicè prolatæ;
ſufficeret enim eſſe voces humanas abſque vllo mu-
ſico artificio. Sic etiam dicitur, Circũciſionem inuti-
lem fuiſſe ad conferendam gratiam ; quia licèt illa
actio per ſuam entitatem fuerit Circumciſio, & illa
actio de facto conduxerit ad conferendam gra-
tiam, parum tamen referret ad hunc finem, quod illa
actio eſſet Circumciſio, cum ſufficeret quævis actio,
& ſimplex proteſtatio externa fidei Chriſti, qua ea-
dem fides applicaretur paruulo ad eum finem.

Reſponſio.

Pro ſolutione tamen argumenti, & eorum, quæ 47.
ibi adducuntur in exemplum, notandum eſt, dupli-
citer

Pro noſtra ſolutione notandum.

citer poſſe contingere, vt aliquid quod indeterminatè exigitur ad aliquem effectū, determinetur per poſitionem alicuius. Primò ita vt id, quod ponitur, non addat; ſed ſolùm quaſi intra idem genus determinet indifferentiam illius, quod in communi exigebatur. Sic ad Matrimonium requiruntur verba, vel nutus; qui autem ponit verba, non addit, ſed ſolùm determinat intra idem genus manifeſtationis illam manifeſtationem conſenſus, quæ indifferenter exigitur; & in hoc caſu propoſitiones illæ ſolent accipi regulariter in ſenſu materiali, & non formali, aut reduplicatiuo; quia non cenſetur velle reduplicare in eo caſu, qui nihil, aut ferè nihil addit, moraliter loquendo, ſupra ſubiectum materiale. Secundo poteſt determinari ita, vt id, quod ponitur, non ſolùm determinet vtcumque; ſed addat notabiliter ſupra id, quod indifferenter exigebatur; quod ſolet communiter contingere, quando extrahit ad aliud genus phyſicum, vel morale. Sic ſe habet propoſitio illa: *Muſica eſt inutilis ad iuſtificationem*; quæ eſt vera in ſenſu formali, nam voces muſicè prolatæ non ſolùm determinant voces requiſitas ad formam Baptiſmi, ſed addunt notabiliter, & extrahunt illas ex genere ſignificandi, in quo requirebantur, ad genus delectandi aures, in quo non requirebantur, nec conſiderabantur ad illum effectum: & huiuſmodi propoſitiones ſimpliciter prolatæ ſolent communiter intelligi in ſenſu formali, quia additur aliquid tale, ſupra quod poſſit præſumi loquens velle reduplicare.

48. Exemplum habemus in moralibus. Si aliquis, v.g. ſit ſimul Archiepiſcopus Neapolitanus & Viceréx, poterit quidem ille, qui eſt Vicerex imponere præcepta, & concedere ſtatuta in materia ſpirituali, & tamen verum erit dicere, Vice-regem non habere auctoritatem condendi leges in materia ſpirituali; hoc enim intelligitur in ſenſu formali, licèt materialiter Vice rex habeat verè talem auctoritatem; per nomen tamen *Vice regis* non ſolùm determinatur vtcumque dignitas Archiepiſcopi ad hunc numero Archiepiſcopum, ſed extrahitur ad aliud genus dignitatis temporalis, quæ vt ſic impertinens eſt ad talem auctoritatem. Sic Sacramentum Circumciſionis ex ſua propria inſtitutione habebat quidem rationem Sacramenti, ſed ex illo genere Sacramentorum, quæ ſolùm figurabant, & promittebant gratiam nobis dandam: contingebat autem eandem circumciſionem vſurpari pro materia alterius Sacramenti iuſtificantis, quod erat Sacramentum diuerſi generis. Loquendo itaque de circumciſione ſub hoc nomine, explicabatur ſolùm formaliter ratio Sacramenti prioris generis, quæ ſola competebat ei ex propria inſtitutione; atque adeò vt ſic verum erat dicere, circumciſionem (hoc eſt illud Sacramentum prout tale) non habere vim iuſtificandi; nam vt tale Sacramentum illam non habebat, licèt prout eadem actio aliunde accipiebatur pro materia alterius Sacramenti, eam poſſet habere.

49. *Declaratur exemplo.* Poſſumus autem ad hoc magis declarandum afferre exemplum magis ſimile ex hac eadem materia de Sacramentis. Nam communiter Theologi loquentes de effectibus Euchariſtiæ, dicunt, illam non auferre ex opere operato reatū pœnæ temporalis in eo, qui communicat. Quæ quidem propoſitio, vt ſit vniuerſaliter vera, debet intelligi in ſenſu formali de Euchariſtia, vt tale Sacramentum eſt, & ex propria inſtitutione; nam materialiter & realiter loquendo contingere poteſt, quod ſumptio Euchariſtiæ etiam extra ſacrificium tollat ex opere operato reatum pœnæ, quando alicui, v.g. imponitur à Confeſſario pro pœnitentia quòd ſemel, aut his ſumat Euchariſtiam: tunc enim ipſa ſumptio Euchariſtiæ erit pars Sacramenti Pœnitentiæ, ſcilicet ſatiſfactio Sacramentalis; atque adeò ex opere operato auferet aliquem reatum pœnæ temporalis, non tamen formaliter vt Sacramentum Euchariſtiæ eſt, ſed vt eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ; quod exemplum poni poteſt in alijs Sacramentis. Nam eodem modo poſſet dari à Confeſſario pro pœnitentia, accipere Confirmationem, Ordinem, vel Matrimonium; & tunc illa etiam Sacramenta materialiter tollerent reatum pœnæ temporalis; quia pertineret illa actio ad duo Sacramenta diuerſa: & propoſitio negatiua eſſet vera, quia intelligeretur in ſenſu formali, quòd Sacramentum Confirmationis, Ordinis, &c. non tolleret reatum pœnæ temporalis. Sic dicitur verè, quòd Sacramentum Circumciſionis non conferebat gratiam: quia ſi illam conferebat, non erat vt Sacramentum Circumciſionis, ſed vt materia Sacramenti inſtituti in lege naturæ ad remedium peccati originalis.

50. *Hinc facilè ad obiectionem reſpondetur.* Hinc iam ad obiectionem reſpondetur facilè, propoſitiones illas negatiuas de efficacia Circumciſionis eſſe veras, quia intelliguntur de Sacramento Circumciſionis formaliter, quod quidem non determinat vtcumque actionem requiſitam ad Sacramentum remedij originalis, ſed addit, & extrahit illam actionem ad aliud Sacramentum diuerſi generis, quale erat Sacramentum Circumciſionis: quare loquendo de Circumciſione, ſub nomine *Circumciſionis*, intelligitur reduplicari ſupra id, quod addit, & vt ſic veriſſimè dicitur, Circumciſionem fuiſſe inutilem, & inefficacem ad iuſtificandū: quia illud totum, quod Sacramentum Circumciſionis addebat, nec requirebatur, nec erat vtile ad eandem gratiam. Sicut in aliqua Republica ij, qui contrahunt matrimonium; vt oſtendant feruorem amoris mutui, & promptitudinem animi ad ponendam vitam pro coniuge, ſolerent exprimere conſenſum aliquando abſciſſione vnius digiti, quem ſibi mutuò quaſi in amoris pignus darent, contraheretur quidem verum matrimonium per illam actionem, quippe quæ aſſumeretur etiam ad exprimendum conſenſum, ſed tamen veriſſimè diceretur, illam cæremoniam inutilem eſſe, & vacuam; quia reduplicatiuè ſumpta, & ſecundùm id quod addit ſuprà ſimplicem expreſſionem conſenſus, nullum habebat effectum bonum: ſic etiam circumciſio dicitur egena, inutilis, & vacua; quia ſecundùm, id quod addit ſupra ſimplicem fidei proteſtationem, & applicationem pro paruulo, nihil operabatur in ordine ad internam iuſtificationem. Hoc tamen non 51.
procedit in exemplo illo de verbis contrahentium in matrimonio, aut de porrectione panis, & vini in collatione Ordinis: verba enim coniugis, non addunt, ſed merè determinant actionem manifeſtationis requiſitam ad valorem matrimonij, nec extrahũt ad aliud genus; ſicut nec porrectio panis, & vini addit, moraliter loquendo, ſed ſolùm determinat id, quod requiritur ad Sacramentum Ordinis, ſcilicet actionem externam ſignificatiuam traditionis poteſtatis, vnde, quando dicimus illa verba coniugum, vel illam traditionem materiæ eſſe aliquid efficax ad conferendam gratiam, non intelligimur reduplicare, niſi ſupra verba, vt ſignificant conſenſum, vel ſupra actionem illam, vt ſignificat traditionem poteſtatis; nihil enim aliud ſignificant illa actio, vel illa verba; & ideo hæ propoſitiones communiter vſurpantur, non autem illæ aliæ; nam ſenſus formalis & reduplicatiuus propoſitionis pendet potiſſimùm ex vſu, & ex materia, de qua loquimur; vt conſtat in materia de Trinitate, vbi hæ propoſitiones communiter conceduntur: *Paternitas non eſt aliquid*

abſolutum? Eſſentia non eſt aliquid relatiuum, ſed abſolutum; quia nimirum in illa materia ex vſu omnium intelliguntur facere ſenſum formalem, & reduplicatiuum, in quo ſenſu ſunt veræ, licèt in ſenſu reali, & identico eſſent falſæ; imò etiam in Logica communiter concedi ſolent hæ propoſitiones: *Homo animalitate non diſcurrit; rationalitate non ſentit; voluntate non intelligit; intellectu non amat*; quamſi potentiæ non diſtinguantur realiter ab anima, quia nimirum ex communi vſu faciunt ſenſum formalem; non eſt ergo mirum, ſi dicamus, ſimiles propoſitiones apud Patres & Concilia verificari ſimpliciter prolatas de circumciſione ſub nomine Sacramentorum legis antiquæ, vel ſub nomine circumciſionis, quia ſub iis nominibus intelliguntur facere ſenſum formalem; in quo ſenſu ſunt veræ, licèt in ſenſu materiali, & identico eſſent falſæ.

52. *In quo ſenſu Patres ſint loquuti.* Denique Patres illi, qui pro alia ſententia adducti ſunt, dicentes, Circumciſionem valuiſſe ad iuſtificationem paruulorum, ſicut nobis valet Baptiſmus, loquuti ſunt non in ſenſu formali, & reduplicatiuo, ſed in ſenſu materiali, & ſpecificatiuo: in quo ſenſu verum eſt, quia communiter (vt dixi) illa eadem Circumciſionis actio fiebat pro vtroque Sacramento. Fateor tamen, Auguſtinum aliquid plus voluiſſe: nam efficaciam Circumciſionis colligere voluit ex illo loco Gen 17. *Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit octauo die, delebitur anima illa de populo ſuo.* Ex quo loco probabat, Circumciſionem ex propria inſtitutione habuiſſe, quòd deleret maculam originalem, & quòd Iudæis eſſet ad eum finem omnino neceſſaria. Sed cùm Auguſtini argumentum fundetur in illis vocibus, *octauo die*; quas tamen Latina Biblia aut Hebræa non habent, nec etiam editio L X X. Interpretum correcta, ſaltem cum illo ſenſu, non eſt mirum, ſi intentum Auguſtini in hac parte non amplectamur: præſertim cùm ipſe Auguſtinus 16. *de Ciuit. c.* 17. fateatur, etiam retentis illis verbis *octauo die*, poſſe illum locum exponi de diſſipatione pacti, non quidem cum primo parente, ſed initi cum Abrahamo circa ipſam Circumciſionem. Alios autem Patres, qui ſolùm dixerunt, Circumciſione iuſtificatos fuiſſe paruulos, amplectimur, & intelligimus in ſenſu vero, ſed materiali, & identico, qui ſufficit ad veritatem rigoroſam propoſitionis ſimpliciter prolatæ. De ſenſu autem Innocentij in d. c. *Maiores*, dicemus ſect. ſequenti.

53. *Obijcitur primò contra hunc dicendi modum.* Contra hunc modum dicendi, quem, paucis mutatis, propoſuerat breuiter Suarez *dicta diſp.* 10. *ſect.* 2. §. *poteſt verò aliter*, & poſtea impugnat, poteſt ex eo argui, primò, quia ſub Sacramentis legis antiquæ, quando dicuntur egena, & inefficacia, non minùs comprehenditur Sacramentum illud legis naturæ, quo pueri iuſtificabantur, quàm circumciſio, & alia Sacramenta legis veteris: quia Concilia potiſſimum intendunt oſtendere excellentiam noſtrorum Sacramentorum ſupra Sacramenta antiqua: ergo non ſolùm præferunt noſtra Sacramentis Moſaïcis, ſed *Reſpondetur.* multò magis quibuſlibet antiquioribus. Reſpondetur, Concilia loqui in eodem ſenſu, in quo loquebatur Paulus, à quo illud dogma hauſerunt. Paulus autem loquutus eſt de Sacramentis, & cæremoniis legis veteris, cuius inutilitatem, & debilitatem volebat prædicare, vt Iudæos ad fidem conuerſos ab eius veneratione, & retentione amoueret: non ergo eſt, cur eius doctrinam extendamus ad Sacramentum legis naturæ, de quo nulla fuerat controuerſia, nec opus erat ab illius obſeruantia Neophytos ſeparare: cùm enim eſſet proteſtatio Chriſti venturi, eo ipſo, quod credebant Chriſtum iam veniſſe, abſtinere debebant à tali proteſtatione: nec erat periculum, quod ſimul cum Baptiſmo vellent illud Sacramentum retinere, cùm ipſe Baptiſmus eſſet etiam cæremonia, & actiu externa proteſtatiua fidei: & applicatio illius paruulo baptizato.

Arguit ſecundò idem Suarez, quia ſtatus legis naturæ ſecundùm id, quod proprium erat eius, erat imperfectior, quàm ſtatus legis ſcriptæ. Deus enim paulatim deducebat hominem ab imperfecto ad perfectum: ergo ſi Sacramenta legis ſcriptæ non habebant vim iuſtificandi, multò minùs Sacramentum legis naturæ eam habebat. Reſpondetur, ſtatum legis ſcriptæ fuiſſe perfectiorem, quoad magis expreſſam notitiam Chriſti venturi, quia hæc notitia, & lux quaſi à diluculo auroræ procedebat; & creſcebat paulatim vſque ad perfectum diem legis Euangelicæ: quoad alia; fuiſſe fortaſſe imperfectiorem, quatenus ſcilicet infinitis, & grauiſſimis oneribus, ac præceptis hominem onerabat: quoad efficaciam autem iuſtificandi, vtrumque ſtatum fuiſſe æqualem: quia in neutro dabatur gratia ex opere operato, niſi præciſè, quatenus erat neceſſarium, ſcilicet paruulis ad iuſtificationem, qui aliter non poterant ſuis actibus ſe diſponere. Hoc autem paruulorum remedium commune fuit vtrique ſtatui, licèt quoad alia ſeſe inuicem excederent. 54. *Obijcitur ſecundò.* *Reſponſio.*

Tertiò arguit, quia ſi ſemel admittitur, in lege naturæ fuiſſe Sacramentum aliquod cauſans gratiam: poſſet etiam dici, fuiſſe plura, & diuerſa. Reſpondetur, hoc argumentum debere ſolui ab eodem Suarez: nam licèt ipſe nolit appellari illud Sacramentum cauſam gratiæ, concedit tamen in illo datam fuiſſe gratiam paruulis infallibiliter ex miſericordia Dei: nec hoc eſſe contra Conciliorum definitiones, quæ ſolùm negant Sacramenta antiqua cauſaſſe gratiam: ergo ſimiliter poterat dici, fuiſſe in illo ſtatu plura alia Sacramenta, in quibus Deus infallibiliter ex ſua miſericordia daret gratiam, nec hoc etiam erit contra dicta Conciliorum. Omnes itaque debemus negare ſequelam: quia in illo ſtatu (vt diximus) ponenda ſunt in ordine ad gratiam ex opere operato conferendam: illa ſolùm, quæ neceſſaria erant, nec ſine ſufficienti fundamento debemus multiplicare talia Sacramenta. Sicut autem non eſt fundamentum ad ponendum aliud Sacramentum, in quo Deus daret infallibiliter gratiam: ſic nec ad ponendum aliud quod haberet vim conferendi gratiam ex opere operato. 55. *Tertia obiectio.* *Reſpondetur.*

Quartò arguit, quia Paulus negans legem iuſtificaſſe, non ſolùm debet intelligi de lege ſcripta, ſed etiam de lege naturæ: quod enim dicit ad Galat. 2. *Si ex lege iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*, potuiſſet dicere de lege naturæ: quia ſi lex naturæ habuit vim iuſtificandi: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt ad iuſtificandos homines. Rationes ergo Pauli de vtriuſque ſtatus Sacramentis debent æqualiter intelligi. 56. *Quarto obiectio.* *Galat. 2.*

Reſpondetur, omiſſis aliis interpretationibus, Paulum ibi non negare, quod ex operibus legalibus data fuerit iuſtitia: certum enim eſt, per opera etiam bona, & legis obſeruantiam fuiſſe olim iuſtificatos Patres antiquos; ſed loquitur de operibus legis prout intelliguntur ſine ſpiritu fidei, quem Chriſtus communicabat. Et quidem non loquebatur ibi de ſolis operibus cæremonialibus, ſed etiam de moralibus; vt optimè notauit P. Vaſquez in Paraphraſi eiuſdem epiſtolæ ad Galat. in argumento c. 3. Nam licet intentum Apoſtuli ſit remouere Galatas à Circumciſione, & aliis cæremoniis legalibus: hoc tamen ipſum probat ex inſufficientia operum moralium ſine ſpiritu fidei, tamen dicat, ſi ipſa obſeruatio legis, qua homines iuſtificati ſunt, non oriebatur *Reſponſio.* *Vaſquez.*

tur ex legis notitia (nam ſi hoc eſſet, fruſtra Chriſtus veniſſet) ſed ex ſpiritu fidei, qui propter Chriſti merita communicabatur; ergo cæremoniæ illius legis, quæ vmbra erant, & figuræ eiuſdem Chriſti, debuerunt eius aduentu ceſſare; figura enim ceſſat ſtatim poſitâ veritate figuratâ. Admittimus ergo, quod nec ipſa lex naturæ ſecundùm ſe habebat vim iuſtificandi, ſed prout includebat ſpiritum, & fidem Chriſti. Ex hoc tamen, quòd Chriſtus gratis non fuerit mortuus, non probatur inutilitas illius remedij in lege naturæ ad iuſtificandum; imo neque ipſius Circumciſionis: huius enim inutilitas probatur ex aliis locis Scripturæ ſuprà adductis, quibus egena, & vacua appellatur, & merum ſignaculum iuſtitiæ abſque alia efficacitate, &c.

SECTIO IV.

Infertur Reſolutio aliquorum Dubiorum.

57. *Primum dubium, an neceſſaria eſſet fides ad hunc effectum.*

EX dictis inferri poteſt deciſio plurium dubiorum, quæ circa Circumciſionem ſolent agitari; & procedunt ſuppoſito eo, quod in aliquo ſenſu conceſſum eſt, ſcilicet Circumciſionem aliquo modo habuiſſe vim iuſtificandi, & tollendi peccatum originale. Dubitatur ergo primò, an ad hunc effectum, & ad valorem Sacramenti neceſſaria eſſet fides in eo, qui miniſtrabat illud Sacramentum paruulis. Partem negantem tenent Paludan. *d.* 1. *q.* 5. *art.* 5. Antoninus 3. *part. tit.* 14. §. 1. Maior *in* 4. *d.* 1. *q.* 4. in fine. Ouandus *propoſit.* 15. de Circumciſ. *ad* 4 quos ſequitur Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 1. §. *Dico* 2. quod probant exemplo noſtri Baptiſmi, qui collatus abſque vlla fide miniſtri dat gratiam, & habet ſuum effectum in baptizato.

Paludan. Antonin. Ouand. Suarez.

58. *Vera ſententia.*

Contraria ſententia verior videtur, quam tenet Bellarm. *lib.* 2. de Sacramentis, *cap.* 15. qui affert pro ſe S. Thomam, Capreolum, Sotum, Ledeſmam, & alios Thomiſtas. Idem tenent Baſſolis *in* 4. *d.* 1. *q.* 4. Palatios *quæſt.* 5. Cano de Sacrament. *p.* 5. Contarenus 1. *de Sacram.* vbi Henriquez *cap.* 17. §. 6 in fine, qui alios affert. Probatur primò, quia ad Rom. 4. Circumciſio dicitur *ſignaculum iuſtitiæ fidei*; atque ideo Auguſtinus *lib.* 2 de nuptiis, *cap.* 12. illam appellat *Sacramentum iuſtificationis ex fide*; vnde dicebantur ſaluari tunc paruuli in fide parentum. Secundò probatur, quia multi etiam infideles vtebantur Circumciſione, vt latè refert Epiphanius *Hæreſ.* 30. Ambroſius *epiſt.* 77. Origen. 2. *in cap.* 3. epiſt. ad Rom. in fine; & *lib.* 5. cont. Celſum poſt med Hamerus *Geneſ.* 17. & alij: & tamen eorum filij non cenſentur fuiſſe iuſtificati. Denique ratio ſumitur ex dictis: quia cùm Circumciſio ex propria inſtitutione non eſſet Sacramentum iuſtificans, ſed ſolùm poſſet conducere, quatenus aſſumebatur pro materia Sacramenti legis naturæ: illud autem Sacramentum legis naturæ non iuſtificaret, niſi quatenus erat proteſtatio fidei internæ, quæ paruulo applicabatur, vt diximus ſuprà *diſp.* 4. *ſect.* 2. conſequens eſt, quòd nec Circumciſio poſſet iuſtificare abſque illa fide. Qualis autem deberet eſſe ea fides, diximus ibi, vbi etiam diſſoluimus argumenta, quæ contra hanc partem fieri poſſunt: nec oportet illa in præſenti iterum repetere.

Bellarm. D. Thom. Baſſolis. Palatios. Cano. Contaren. Henriq.

Epiphan. Ambroſ. Origen. Hamerus. Probatur ratione.

59. *Secundum dubium.*

Secundum dubium eſt, an eo modo quo operabatur gratiam, dici poſſet gratiam illam fuiſſe datam ex opere operato, an ex opere operantis. Hoc, ſuppoſitis iis quæ dicta ſunt, pertinet ad ſolum modum loquendi. Et quidem P. Suarez *d. diſp.* 10. *ſect.* 2. §. *Quocirca*, dicit non fuiſſe quidem datam gratiam ex opere operato, neque ex opere operantis, ſed ex ſpeciali prouidentia Dei, propter neceſſitatem vrgentem datam præter opus operantis: quod licèt explicare conetur, difficilè intelligi poteſt. Quare magis placet modus loquendi communis, quòd data fuerit gratia ex opere operato: per hoc enim ſolùm ſignificatur excluſio operis operantis, ſeu meriti, hoc eſt, non eſſe datam intuitu ſolùm alicuius meriti condigni, vel congrui; nam licèt regulariter intercederet fides, quæ eſſet meritoria de congruo, aliquando tamen poterat interuenire fides non meritoria, vt diximus *dicta ſect.* 2. agentes de Sacramento legis naturæ: & quando interueniebat fides meritoria, adhuc gratia non conferebatur intuitu ſolius fidei, ſed intuitu etiam ipſius operis externi, ſine quo non conferretur illa gratia. Hoc autem ſufficit, vt dicatur gratia conferri ex opere operato, vt conſtat in gratia, quæ datur in Sacramento Pœnitentiæ, quæ datur quidem ex opere operato, licèt detur partialiter intuitu pœnitentiæ internæ; quæ eſt meritoria de congruo: non enim datur ſolo intuitu illius, ſed intuitu etiam operis externi, ſine quo non daretur.

Solutio.

60. *Tertium dubium.*

Tertium dubium ſimile huic eſſe poteſt, an Circumciſio eo modo, quo conducebat ad iuſtificationem paruuli, dicenda ſit cauſa illius gratiæ, an ſolùm conditio requiſita ad iuſtificationem & gratiam (Suarez enim vbi ſuprà videtur etiam fugere appellationem cauſæ) nam cùm Circumciſio non contineret pretium redemptionis ſolutum, non videbatur continere moraliter effectum, & gratiam; vnde Concilia dicunt, illa Sacramenta non continuiſſe, nec cauſaſſe gratiam, & Paulus, quando loquitur de iuſtitia, quæ dabatur in lege, dicit illam non fuiſſe ex lege: quia non continebatur in lege, ſed ex promiſſione. Sed quod attinet ad loquutiones Pauli & Conciliorum, iam diximus ſuprà, poſſe meliùs in alio ſenſu explicari de Sacramento Circumciſionis in ſenſu formali, qua ratione nec erat cauſa, nec etiam conditio ad conferendam gratiam.

Suarez fugit appellationem cauſæ.

Loquendo in ſenſu formali patet.

61. *In ſenſu materiali potius dici debet conditio.*

Aliunde tamen loquendo de circumciſione etiam in ſenſu materiali, poſſumus illam conditionem potiùs dicere, quàm cauſam, (quia vt ſuprà diximus) cùm circumciſio non eſſet actio Chriſti (quod idem dicendũ eſt de Sacramento legis naturæ ante inſtitutam circumciſionem) non habebat vim ad mouendum Deum, qualem habent noſtra Sacramenta; eò quod ſint operationes Chriſti, factæ ſcilicet à miniſtro immediato, tanquam à miniſtro Chriſti, & per quem Chriſtus loquitur & operatur. Habebat ergo ſe actio circumciſionis, ſicut galli cantus, quando dominus præcepit famulo dare pecuniam Petro, quoties gallus cantat: tunc enim, vt diximus, galli cantus non eſt cauſa moralis, ſed conditio; quâ poſitâ, præceptum domini mouet ſeruum ad dandam pecuniam: ſic circumciſio erat conditio quædam, quâ poſitâ mouebatur Deus ad dandam gratiam, non propter circumciſionem, ſed propter ſuam promiſſionem, & propter merita Chriſti futura, quæ erant cauſa moralis illius gratiæ.

62. *Inſtantia.*

Dices, ipſa circumciſio inſtituta fuerat in ſignum fœderis inter Deum, & Iudæos: ergo ipſa erat quaſi chirographus promiſſionis Diuinæ, chirographus autem videtur eſſe cauſa moralis mouens debitorem ad ſoluendum quod promiſit: habet enim in ſe quaſi implicitam, & contentam promiſſionem: imò eſt ipſamet promiſſio permanens, & ſcripta: ergo nõ erat ſolùm conditio, ſed cauſa moralis exigens rem promiſſam. Confirmarique poteſt, quia ideo diximus ſupra diſp. 1. ſect. 2. Sacramenta legis antiquæ fuiſſe vera Sacramenta: quia licèt non cauſarent gratiam in ſuſcipiente, cauſabant

Confirmatur.

tamen gratiam noſtram, quatenus erant promiſſiones noſtræ gratiæ: ergo ſimiliter debet circumciſio appellari cauſæ gratiæ tunc datæ, cùm non minùs contineret promiſſionem illius gratiæ, quàm gratiæ poſtea nobis dandæ.

63. *Reſpondetur primò.*

Reſponderi tamen poteſt, circumciſionem in primis non fuiſſe inſtitutam in ſignum fœderis, ſeu promiſſionis de danda gratia, ſed ſolùm de danda terra Chanaam, quæ propter hoc dicitur terra promiſſionis, & de multiplicanda progenie Abrahæ, atque etiam fortaſſe de Chriſto illi in filium dando: quare ex ſua inſtitutione non erat ſignum fœderis in ordine ad iuſtificationem circumciſi. *Secundò.* Deinde non eſt idem, eſſe ſignum fœderis, ac eſſe chirographum, ſeu cauſam moralem mouentem ad dandum, quod promittitur: nam *Geneſ.* 9. (Geneſ. 9.) conſtituit Deus Iridem pro ſigno fœderis cum Noë, vt non deſtrueret vlterius terrarum orbem per inundationem; non tamen erat ipſa Iris promiſſio, aut chirographum, ſed merum ſignum promiſſionis, quo poſito recordaretur Deus ſuæ promiſſionis, & daret ſerenitatem: *Hoc eſt*, inquit, *ſignum fœderis, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum in generationem ſempiternam: Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Cùmque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuerſam carnem. Eritque arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni*, &c. In quibus verbis clarè apparet diſcrimen inter merum ſignum memoratiuum, & inter promiſſionem, ſeu chirographum: arcus enim non eſt promiſſio, ſed eſt ſignum, quo poſito Deus recordetur ſuæ promiſſionis. Sic etiam circumciſio poſita fuit in ſignum fœderis eiſdem verbis Geneſ. 17. (Geneſ. 17.) *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.* Circumciſio ergo non erat promiſſio, ſed ſignum, quo viſo recordaretur Deus ſuæ promiſſionis, & moueretur ab ipſa tanquam à cauſa morali; à Circumciſione verò tanquam à conditione.

64. *Reſpondetur ad confirmationem.*

Vnde ad confirmationem dicimus, diuerſo modo fuiſſe Sacramenta antiqua cauſas gratiæ nobis dandæ; nam in ordine ad hanc comparabantur tanquam promiſſiones, & non ſolùm vt ſignum fœderis: ipſæ enim cæremoniæ antiquæ, & ipſamet ſacrificia erant figuræ, & vmbræ, ſub quibus implicitè, & ſymbolicè loquebatur Deus, & promittebat filium ſuum Chriſtum Redemptorem. Ideo nimirum legis ritus appellantur ad Coloſſ. 1. (Coloſſ. 1.) *Vmbra corporis*, quod eſt Chriſtus; & ad Hebræos 10. (Hebr. 10.) *Vmbra futurorum bonorum*; & 1. ad Corinth. 10. (1. Cor. 10.) *Figura & typus.* Vnde illæ actiones, & cæremoniæ erant quaſi promiſſiones propheticæ Chriſti venturi; ob hoc enim omnes illi, qui ſub lege erant, appellantur prophetæ ab Auguſtino (Auguſtin.) *lib.* 22. contra Fauſtum, his verbis: *Dico, illorum hominum non tantum linguam, ſed etiam vitam fuiſſe propheticam, totumque illud regnum gentis Hebrææ magnum quendam, quia & magni cuiuſdam, fuiſſe Prophetam. Quocirca, quod ad eos quidem attinet, qui illic erant eruditi corde in ſapientia Dei, non ſolùm in ijs, quæ dicebant, ſed etiam in ijs, quæ faciebant: quod autem ad cæteros, ac ſimul omnes illius gentis homines, in ijs, quæ in illis, vel de illis diuinitus fiebant, prophetia venturi Chriſti, & Eccleſiæ perſcrutanda eſt. Omnia enim illa, ſicut dicit Apoſtolus, figura noſtra fuerunt.* Hæc Auguſtinus, qui ſatis ſignificat, Sacramenta, & ritus veteris legis non fuiſſe mera ſigna memoratiua, ſed promiſſiones Chriſti. Vide quæ diximus ſuprà *diſp.* 1. *ſect.* 1. At verò arcus non erat promiſſio, aut prophetia, ſed ſignum, quo viſo recordaretur Deus ſuæ promiſſionis. Sicut etiam Circumciſio erat ſignum, quo viſo recordaretur Deus ſuæ promiſſionis de danda terra Chanaam filiis Abrahæ; non verò erat promiſſio, aut prophetia illius rei; vnde non diceretur cauſa, ſed conditio ad illum effectum ponendum. *Quomodo Circumciſio eſſet cauſa gratiæ.* Aduerte tamen circumciſionem, & remedium legis naturæ, licèt non eſſent cauſæ gratiæ, quæ in ipſis dabatur, debuiſſe eſſe cauſam gratiæ noſtræ dandæ, quam promittebant, quia alioquin non conueniret illis definitio Sacramenti; ſed reſpectu gratiæ tunc datæ in ipſis erant meræ conditiones; & in eo ſenſu loquitur S. Thomas (D. Thom.) in præſenti *quæſt.* 62. *art.* 6. in corp. *& ad* 3. *&* 1. *q.* 70. *art.* 4. vbi dicit, circumciſionem non fuiſſe cauſam inſtrumentalem gratiæ, quia nondum erat poſita Chriſti paſſio, hoc eſt, non poterat habere eum valorem, quem habent noſtra Sacramenta, ex eo quòd ſunt actiones Chriſti.

65. *Quartum dubium.* *Viſum ex præcepto Circumciſio eſſet neceſſaria.* *Suarez.*

Quartum dubium eſſe poteſt, vtrùm Circumciſio poſt eius inſtitutionem fuerit ſaltem ex præcepto Diuino neceſſaria ad iuſtificationem paruulorum pro Abrahæ poſteris? Affirmat Suarez *diſp.* 5. *ſect.* 1. *§. Propter hanc ergo*, quia hoc videtur apertè de mente Auguſtini, qui neceſſitatem Circumciſionis ad delendum Originale colligit ex illis verbis: *Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit*, &c. Vnde addit idem Suarez, aliud remedium paruulo applicatum non ſolùm non fuiſſe licitum, ſed neque etiam validum: niſi in certis caſibus, vt puta, quando vita infantis periclitaretur ante diem octauum, vel quando propter periculum etiam, aut aliud impedimentum non poſſet puer debito tempore circumcidi.

66. *Noſtra ſententia.*

Nobis iuxta ſuperiùs dicta dicendum omnino eſt, Circumciſionem fuiſſe quidem neceſſariam ex præcepto diuino, non tamen fuiſſe neceſſariam ad finem iuſtificationis, ſed potuiſſe paruulis applicari remedium aliud ante, vel poſt octauum diem, ſicut poterat ante Circumciſionem inſtitutam: quia alioquin iam haberet Circumciſio ex ſua inſtitutione conferre gratiam, & iuſtificare, contra id, quod ex Scriptura, & Conciliis ſupra probatum eſt. Fatemur, Auguſtinum illa verba Geneſis intellexiſſe quaſi inducentia neceſſitatem Circumciſionis ad illum effectum: ſed fundatur (vt diximus) in falſa lectione illius textus, additis illis vocibus: *octauo die*; quæ tamen in vera littera non reperiuntur.

67. *Probatur ex Innocentio.* *Innoc. III.*

Adducitur etiam pro illa ſententia auctoritas Innocentij III. in illo c. *Maiores*, de Baptiſmo; vbi illa Geneſis verba in eodem ſenſu videtur intelligere, & approbare explicationem illam, ac per conſequens videtur ſentire, fuiſſe ita neceſſariam Circumciſionem ad eum effectum, ſicut nunc eſt Baptiſmus. *Sed hoc nimis probaret.* Hoc tamen videtur nimium probare, nimirum, quòd Circumciſio dederit etiam adultis illum effectum, cuius oppoſitum docet ipſe Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 1. *§. Dico tertiò* Nam Innocentius dicit, Circumciſioni ſucceſſiſſe Baptiſmum; atque ideò non debere Baptiſmum eſſe remedium minùs vniuerſale, quàm fuerit olim Circumciſio: quare ſicut hæc conferebatur adultis, & paruulis, vt conſtat ex verbis illis: *Maſculus, cuius præputij caro*, &c. in quibus de omnibus maſculis abſque ætatis differentia ſermo habetur: ſic etiam Baptiſmum dandum non ſolùm adultis, ſed etiã paruulis propter ſimilem loquutionem vniuerſalem Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum.* *Explicantur argumenta Innocentij.* Omnes ergo debemus ad illum textum reſpondere; in quo quidem Pontifex conſultus, & rogatus,

an

an paruuli vtiliter poſſent baptizari, reſpondet affirmatiue. Ad hoc autem confirmandum tria argumenta adducit.

Primum. Primum eſt, quia Baptiſmus ſucceſſit Circumciſioni, quæ ex Dei præcepto paruulis, & adultis conferebatur: ergo cùm Baptiſmus ſit vniuerſalior, quippe qui ſe extendit etiam ad fœminas, ad quas non ſe extendebat Circumciſio, debet etiam ad paruulos extendi, ne videatur eius effectus magis limitatus, quàm effectus Circumciſionis.

Secundum. Secundum argumentum eſt, quia propter illa Geneſis verba, quæ vniuerſalia erant, Circumciſio omnes comprehendebat paruulos, & adultos: ergo propter ſimilia verba Euangelij, quæ non ſunt minùs vniuerſalia, Baptiſmus debet etiam paruulis conferri.

Tertium. Tertium denique eſt, quia non eſt credendum de Dei miſericordia, quòd vniuerſi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, abſque eo, quod miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod ipſis remedium prouiderit ad ſalutem.

68\. Hæ rationes in primis non oportet quod omnes habeant eandem certitudinem, quam habet concluſio, quæ principaliter intenditur, & de qua conſulebatur Pontifex. Deinde ſigillatim de illis dicimus.

Tertia ratio eſt certa. Tertiam eſſe omnino firmam & ſufficientem;

Secunda concludit clarè à ſimili. ſecunda etiam clarè concludit ex vniuerſalitate verborum Chriſti, & à ſimili ex verbis æquè vniuerſalibus, quibus Circumciſio præcipiebatur, & in quibus propter eorum vniuerſalitatem comprehendi cenſebantur omnes, tam paruuli, quam adulti; in quo argumento non oportet intelligi quod propter vniuerſalitatem illorum verborum Circumciſio omnibus proderat ad iuſtificationem, paruulis, & adultis; hoc enim eſſet etiam contra ipſum Suarez, vt vidimus, & eſſet impertinens ad vim argumenti; ad quam ſufficit, ſi procedat ex obligatione Circumciſionis, quaſi dicat: quia præceptum Circumciſionis datum fuit ſub illis verbis vniuerſalibus, intelligitur comprehendere paruulos, & adultos; ergo præceptum etiam Baptiſmi, quod ſub verbis æquè vniuerſalibus datum reperitur, non debet limitari ad ſolos adultos.

69\. *Prima eodem modo.* Denique in primo argumento Pontifex ſolùm aſſumit, Circumciſionis effectum non fuiſſe limitatum ad adultos, cùm ex præcepto deberet etiam paruulis conferri: non tamen explicat, an hic vniuerſalis effectus debuerit eſſe iuſtificatio, ſed ſolùm in communi ex præcepto vniuerſali colligit effectū aliquem vniuerſalem, vt ex ſimili vniuerſali præcepto Baptiſmi colligat effectum vniuerſalem, & communem etiam paruulis, atque adeò non eſſe inutilem eorum Baptiſmum, vt volebant hæretici. Quòd ſi velis, Innocentium loqui ibi de effectu iuſtificandi determinatè, dici poterit, hoc ex aliorum ſententia aſſumpſiſſe, non definiendo, nec aſſerendo, quaſi diceret, cùm Circumciſioni ſucceſſerit Baptiſmus, & ex multorum ſententia Circumciſio prodeſſet ad iuſtificationem, non ſolùm adultis, ſed etiam paruulis, non debemus Baptiſmo, qui nobilior, & vniuerſalior eſt, hanc efficaciam negare, ne detur anſa præferendi Baptiſmo Circumciſionem iuxta illorum ſententiam; nec aliqua ſit ſpecies, aut occaſio id aſſerendi. Hoc enim videntur innuere verba illa: *Ne Baptiſmus, qui ſucceſſit loco ipſius, & generalior exiſtit, minoris videatur effectus.* Illud enim *videatur* ſignificat omnem etiam ſpeciem, aut occaſionem auferendam præferendi Baptiſmo Circumciſionem.

70\. *Vrgeri adhuc poteſt.* Poſſet adhuc vrgeri; quia in verbis ſequentibus Innocentius videtur cum Auguſtino illa verba Geneſis intelligere de neceſſitate Circumciſionis ad iuſtificationem. Sic enim ait: *Cautè tamen notandum eſt, quantum plus Baptiſmus conferat Chriſtianis, quàm quondam Iudæis Circumciſio contuliſſet, dictum eſt in fine prædictæ auctoritatis inductæ ex veteri lege* (ſcilicet ex illo loco Geneſis) *peribit in populo ſuo: in Euangelica verò veritate ſubiunctum eſt: non intrabit in regnum Dei; quoniam etſi originalis culpa remittebatur per Circumciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad Regnum cælorum, quod vſque ad mortem Chriſti fuit omnibus obſeruatum; ſed per Sacramentum Baptiſmi Chriſti ſanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad Regnum cælorum etiam peruenitur*, &c. Hinc autem ſequitur, ex ſententia Innocentij, Circumciſionem fuiſſe determinatè præſcriptam ad illum effectum; alioquin non periret ſpiritualiter anima incircumciſi. Vnde apparet, non ſatisfieri ſolutione P. Vaſq. *d. diſp.* 184. Vaſquez. de legib. *c.* 5. in fine, qui dicit, Innocentium ſolùm aſſumpſiſſe, quod in Circumciſione dabatur gratia non diſputando de modo, quo dabatur, an ſcilicet vt cauſa per ſe, quod Vaſquez negat; contra hoc tamen videtur, quòd ipſe Innocentius, vt vidimus, videtur approbare explicationem Auguſtini, & per conſequens, quod Circumciſio ex vi ſuæ inſtitutionis fuerit ordinata, ad dandam gratiam.

71\. *Alij reſp. illam rationem fuiſſe tantum adductam in confirmationem à Pontifice.* Alij ergo apud ipſum Vaſq. *ibi* n. 47. reſpondent, totam illam rationem non fuiſſe ab Innocentio definitam, ſed ſolùm adductam ad confirmationem concluſionis principalis, quam tamen alijs rationibus efficacioribus confirmauit.

Aliter reſpondemus. Aliter reſpondere poſſumus, illam explicationem verborum Geneſis non ſolùm non fuiſſe definitam ab Innocentio, ſed neque affirmatam, ſed ſolùm ex aliorum ſententia permiſſam, vt oſtenderet, etiam illâ doctrina, & expoſitione admiſſa, adhuc effectum Baptiſmi eſſe nobiliorem multò, & excellentiorem, quàm effectum Circumciſionis, quia licet illa verba intelligantur de morte ſpirituali, quam Circumciſio vitabat, adhuc Baptiſmus addit, quod baptizatus perueniat abſque vllo impedimento in Regnum cœlorum.

72\. *Quintum dubium, an prodeſſet adultis.* Quintum dubium eſt, vtrùm Circumciſio eo modo quo proderat ad iuſtificationem, prodeſſet etiam adultis; an ſolùm paruulis? Affirmant multi, profuiſſe etiam adultis. Rayner. verbo *Circumciſio*, *c.* 7. Raynerius. Riccard. *in* 4. *d.* 1. *art.* 0. *q.* 3. Riccardus. Palud. *q.* 1. *art.* 4. & *q.* 5. Paludan. *art.* 5. Scot. *q.* 4. Durand. *q.* 7. *ad* 2. Soto *d.* 1. *q.* 1. *art.* 4. Scot. *ad* 5. Henriq. *lib.* 1. de Sacram. *c.* 5. §. 5. & *c.* 7. §. 1. qui- Durand. bus videtur fauere S. Thom. infrà *q.* 10. *art.* 4. & alijs Henriq. in locis. S. Thom.

73\. *Sententia negans videtur verior.* Contraria ſententia nobis amplectenda eſt conſequenter ad ea, quæ in ſimili dubio diximus de Sacramento legis naturæ ſuprà *diſp.* 3. *ſect.* 2. Si enim illud non conferebat adultis gratiam vltra id, quod afferre poterat contritio, quam habebant, idem dicendum eſt de Circumciſione, quam diximus, non habuiſſe ex ſua inſtitutione nouam efficaciam, aut aliam, quàm eam, quam poterat participare ex illo Sacramento legis naturæ. Hanc ſententiam tenent Cano, & Soto, quos refert & ſequitur Suarez *diſp.* 10. Cano. *ſect.* 1. §. *Dico tertiò* Barthol. de Ledeſma *difficult.* & Soto. fauent Viguer. *cap.* 16. §. 1. *verſ.* 13. & Alenſis 4. *p.* *q.* 7. Suarez. *memb.* 7. §. 1. *ad* 4. dicentes, Circumciſionem non re- Ledeſma. miſiſſe peccata actualia. Viguer. Alenſis.

74\. *Probatur primò ex Paulo.* Probatur primò ex Paulo ad Rom. 4. vbi dicit, Abrahamum non fuiſſe iuſtificatum in Circumciſione, ſed ex fide; ergo neque alijs adultis dabatur gratia in Circumciſione. Reſpondent aliqui, Paulum non negare gratiam datam Abrahæ in Circumciſione, ſed iuſtificationem; quia nimirum tunc non accepit primam gratiam, ſed augmentum, cùm iam antea eſſet iuſtus, & ſanctus. Sed hæc reſponſio manifeſtè reiicitur ex textu; nam Apoſtolus ibi dicit, Abra-

ham fuiſſe iuſtificatum ex fide, idque probat ex illo Geneſ. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Per fidem autem illam Abraham non accepit primam gratiam, ſed augmentum; nam antea erat iam iuſtus, tum per Sacramentum legis naturæ, quod ei fuerat à parentibus applicatum, tum per opera ſanctiſſima, quæ priùs per multos annos, quos in Dei obſequio exegerat, operatus fuerat; ergo Paulus nomine iuſtificationis ibi non intelligit primam gratiam, ſed ſanctificationem abſtrahentem à prima gratia, & augmento ipſius. *Geneſ. 15.*

75. *Probatur ratione.* Ratio deinde eſt, quam ſæpe inſinuauimus, quia ſcilicet in illo ſtatu legis naturæ, vel ſcriptæ, non debemus ponere collationem gratiæ ex opere operato abſque vrgenti neceſſitate, qualis erat in paruulis, qui per propriam diſpoſitionem iuſtificari non poterant; cùm ergo adulti poſſent per contritionem, vel dilectionem Dei ſe ad iuſtitiam diſponere, non eſt, cur illis fuerit prouiſum per Sacramenta; hæc enim prouidentia, & liberalitas magis ſpectabat ad legem gratiæ, quàm ad ſtatum illum ſeruitutis.

76. *Innoc. III. Obiectio.* Obiici poteſt primò, Innocentius in dicto cap. *Maiores* vbi videtur concedere Circumciſionem fuiſſe remedium vniuerſale, tam pro adultis, quàm pro paruulis, vt inde colligat, Baptiſmum, qui Circumciſioni ſucceſſit, poſſe etiam vtriſque vtiliter adhiberi. *Reſponſio.* Ad hoc iam diximus in ſuperiori dubio, Innocentium id non affirmare, ſed ſolùm ſupponere, quòd Circumciſio in adultis, & paruulis habuerit aliquem effectum, & quod ad vtroſque extendatur præceptum illius.

77. *S. Thom. Obiicitur ſecundò. Reſpondetur.* Secundò obiicitur S. Thomas *q.* 70. loco citato, dicens: *Adulti, quando circumcidebantur, conſequebantur remiſſionem, non ſolum originalis peccati, ſed etiam actualium peccatorum.* Reſpondetur, id poſſe intelligi, ſuppoſitis terminis habilibus, hoc eſt, ſi accedebant cum contritione, vel diſpoſitione debita; dicuntur autem tunc fuiſſe iuſtificati, quando circumcidebantur: quia fortaſſe requirebatur in illis aliqua fidei profeſſio exterior, qualis fieri poterat per ſacrificium, aut per aliquam aliam actionem, atque adeò etiam per Circumciſionem; quæ actio concurrebat ſimul vt conditio ad iuſtificationem per ſe loquendo, ſicut nunc iuxta communem ſententiam requiritur actus doloris formalis per ſe loquendo; licet, ſicut nunc per accidens poteſt iuſtificari aliquis per ſolum actum dilectionis Dei abſque dolore formali; ſic etiam tunc poſſet abſque Circumciſione, vel alia actione externa. Hinc autem non fit, quòd ratione ipſius Circumciſionis daretur maior gratia, quàm ratione ſolius actus boni interni, cui reſpondebat gratia ex opere operantis, tanquam merito Dei congruo, vt diximus.

78. *Sextum dubium.* Sextum dubium eſſe poteſt, vtrùm illud remedium Circumciſionis poſſet in paruulis applicari ex cauſa ante octauum diem: & an ſic applicatum ex cauſa, vel ſine cauſa, licitè, vel illicitè, eſſet validum, & haberet ſuum effectum in puero Circumciſo? *In quo omnes conſentiunt.* Conſentiunt omnes in hoc, quod ex cauſa licuerit aliquando vltra octauum diem Circumciſionem differre; quod probant aliqui exemplo filiorum Iſraël, qui itineris cauſa per quadraginta annos, vel ferè, in deſerto Circumciſionem omiſerunt, poſteaque ex Dei præcepto fuerunt circumciſi, vt habetur *in c.* 5. Ioſue. Cæterùm illam omiſſionem non ratione itineris, ſed alia de cauſa factam fuiſſe, probat bene cum aliis Vaſquez infrà *diſput.* 164. nempe propter præceptum Dei volentis in pœnam incredulitatis parentum relinquere eorum filios incircumciſos per totum illud tempus. *Certum eſt primò.* Quidquid tamen de hoc ſit, certum videtur, non debuiſſe circumcidi infantem octauo die grauiter ægrotantem: hoc enim eſſet manifeſtè eum occidere: nec eſt credibile, Deum ad hoc voluiſſe obligari.

Conſtat ſecundò, vltra octauum diem potuiſſe validè Circumciſionem adhiberi, quando octauo die facta non fuerat; quia ſicut proſelyti adulti venientes ad Iudaïſmum circumcidebantur in ætate adulta: ſic Iudæus ipſe adultus, vel poſt octauum diem, poſſet, & deberet. 79. *Certum eſt ſecundò.*

Duplex reſtat difficultas; prima, an ante octauum diem poſſet licitè; ſecunda, an poſſet validè dari illud Sacramentum. Circa primam Altiſiodorenſis quarto ſummæ capite de dignitate Circumciſionis, dicit, ob neceſſitatem licuiſſe præuenire: quod etiam videtur ſentire Magiſter *in* 4. *d.* 1. *cap. ſi verò quæritur.* Contraria tamen ſententia communis eſt, & verior, quam docet S. Thomas ibi, & infrà *q.* 70. *art.* 3. in fine. Hugo 1. de Sacram. *part.* 12. *cap.* 2. Alex. Alenſis 4 *p. q.* 4. *memb.* 6. *art.* 2. Bonauent. *d.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. Maior *quæſt.* 5. & alij, quos ſequuntur Suarez *d. q* 70. *art.* 3. & Vaſquez ibi *diſput.* 163. *num.* 17. 80. *Duplex difficultas.* *Altiſiod.* *Magiſter.* *S. Thom.* *Hugo* *Alex. Alenſ.* *Bonauent.* *Maior.* *Suarez.* *Vaſquez.*

Probant communiter; quia nulla neceſſitas poterat occurrere, quæ id requireret: nam ægritudo infantis cum mortis periculo potiùs redderet illicitam Circumciſionem; eſſet enim euidens mortis acceleratio. Hæc tamen ratio non videtur vniuerſalis, quia poſſet mortis periculum eſſe non ex morbo, ſed ex cauſa extrinſeca, vt ex incendio, vel inundatione, aut alia ſimili occaſione, in qua Circumciſio non acceleraret, nec cauſaret vllo modo mortem infantis. Meliùs ergo probatur ex doctrina ſuprà tradita, quia abſque Circumciſione poterat alia via infans iuſtificari per Sacramentum legis naturæ; nec ad hoc Circumciſio formaliter erat vtilior: ergo non erat, cur liceret præuenire diem à Deo præſcriptam abſque eiuſdem Dei peculiari diſpenſatione: ſicut nec modo ad dandum Viaticum moribundo liceret celebrare, & conſecrare vnicam ſolam ſpeciem, quia nimirum fieret contra inſtitutionem Diuinam abſque eiuſdem Dei diſpenſatione. 81. *Meliùs probatur.*

Quod verò attinet ad ſecundum de valore illius Sacramenti licitè vel illicitè dati ante diem octauũ, duæ ſunt ſententiæ. Prima affirmat futurum validum: quam tenet Richardus *d.* 1. in fine circa litteram. Ouandus *propoſit.* 53. Maior *in* 4. *d.* 1. *q.* 5. §. *iſtis notatis, concl.* 5. Palud. *q* 5. *art* 3. quod etiam probabile dicit Suarez vbi ſuprà: quibus fauere videtur Auguſt. *in epiſt.* 503. poſt medium. Secunda ſententia negat: quam tenent Alenſis, Bonauent. ſuprà. Rayner. verbo *Circumciſio, c.* 6. & ex profeſſo Palat. *d.* 1 *q.* 4. Marſil. *q* 2. *art.* 1. Soto *d.* 2. *q.* 1. *art.* 3. Ledeſma 1. 4. *q* 11. *art.* 3. Angles de Præparatoriis ad Baptiſmum *art. vlt. difficult.* 4. Suarez, & Vaſquez vbi ſuprà. Quid autem faciendum eſſet illi ita inualidè circumciſo? Suarez dicit, illi ſubueniendum per remedium legis naturæ, & Circumciſionem iam factam per nouam acceptationem ordinandam in debitum finem. Vaſquez verò, potuiſſe, & debuiſſe illum iterum circumcidi, non ad iuſtificationem, ad quam ipſe cenſet, non profuiſſe Circumciſionem, ſed ad recipiendum validè illud Sacramentum: potuiſſe autem iterum circumcidi in eadem parte, probat ex Epiphanio. 82. *Secunda difficultas.* *Richardus.* *Ouand.* *Maior.* *Paludan.* *Suarez.* *Auguſt.* *Alenſis* *Bonauent.* *Raynerius.* *Palatinus.* *Marſilius.* *Soto.* *Ledeſma.* *Angles.*

Vtraque ſententia nobis ex parte amplectenda erit iuxta principia noſtra. Poſſumus enim de Circũciſione loqui, vel quatenus erat Sacramentum proprium legis ſcriptæ ex propria inſtitutione, vel quatenus poterat deſeruire ad iuſtificationem paruuli; tanquam materia Sacramenti legis naturæ. Si primo modo 83. *Quid dicendũ ſit iuxta principia ſuprà poſita.* *Vno modo conſideratur Circumciſio.*

modo conſideretur, placet ſecunda ſententia dicens, illam non fuiſſe validum Sacramentum ante diem octauum; quia cùm ex propria inſtitutione eſſet ſignum fœderis, & pacti inter Deum, & Abrahamum; ſignum autem non poſſit ſignificare, niſi iuxta intentionem eorum, qui illud inſtituunt; non poterat circumciſio ante octauum diem habere ſuam ſignificationem. Deus enim ſolùm inſtituerat Circumciſionem factam die octauo, vel poſtea: ergo non habebat id, quod requiritur ad rationem talis Sacramenti, nempe vim ſignificandi ex Diuina inſtitutione.

84. *Altero modo accipitur.* Si verò conſideretur Circumciſio ſecundo modo, quatenus per ipſam exhiberi poterat Sacramentum legis naturæ ad iuſtificationem paruuli, probabilius videtur, habituram fuiſſe ſuum effectum, & futurum fuiſſe validum Sacramentum in ordine ad iuſtificationem paruuli, etiam ante diem octauum; nam ad illud Sacramentum legis naturæ ſolùm requirebatur aliqua actio externa, qua ſignificaretur fides in Chriſtum, & applicaretur paruulo: poſſet autem homo per Circumciſionem quocunque die factam velle ſignificare ſuam fidem in Chriſtum, & illam paruulo applicare, quamvis Circumciſio cum illa temporis circumſtantia non eſſet à Deo inſtituta, ſicut Baptiſmus datus ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Chriſti*, vel cum aqua roſacea, non eſt inſtitutus à Deo; per illum tamen homo poſſet ſignificare ſuam fidem in Chriſtum; ſic per Circumciſionem, in qua non ſeruaretur plenè ritus à Deo inſtitutus, poſſet adhuc homo ſignificare ſuam fidem in Chriſtum; cùm autem ad valorem illius Sacramenti legis naturæ ſolùm requireretur fides interna in Chriſtum ſignificata exteriùs per aliquam actionem exercitam circa paruulum; conſequens eſt, quòd per illam circumciſionem, quantumvis illicitam, & ſacrilegam, poſſet conſtare illud Sacramentum, licèt non fieret Sacramentum Circumciſionis inſtitutum poſtea, & renouatum in lege Moyſis.

85. *Inſtantia.* Dices, omne Sacramentum debet ſignificare ex inſtitutione Diuina; ſed illa Circumciſio non ſignificaret ex Diuina inſtitutione; eſſet enim contra *Diluitur.* inſtitutum Dei; ergo non eſſet Sacramentum. Reſpondeo diſtinguendo minorem: non ſignificaret ex inſtitutione Dei inſtituentis Circumciſionem, concedo, atque adeò non fieret Sacramentum Circumciſionis: non ſignificaret ex inſtitutione Diuina, qua inſtitutum fuerat priùs Sacramentum legis naturæ, nego; tunc enim Deus inſtituit illud Sacramentum in quacumque actione humana exercita circa puerum, qua ſignificaretur ſufficienter fides interna in Chriſtum.

86. *Vltimum dubium.* Dubitari denique ſolet de aliis circumſtantiis, ſcilicet de miniſtro, à quo fieri debebat: & an poſſet aliquis circumcidere ſe ipſum? De inſtrumento, an deberet eſſe lapideum, vel ferreum? De loco, in quo debebat fieri? De quibus videri poſſunt Suarez dicta q. 70. art. 3. & Vaſquez ibi *diſp.* 163. qui *diſp.* 162. agit etiam de perſonis, quæ poterant, vel debebant recipere illud Sacramentum Circumciſionis. *Videantur Suarez & Vaſquez.*

87. *Colligitur ex dictis excellentia Baptiſmi ſupra Circumciſionem.* Poſſumus autem ex his omnibus, quæ dicta ſunt vltimo loco, colligere breuiter excellentiam noſtri Baptiſmi ſupra Circumciſionem: hæc enim erat in primis medium duriſſimum, & acerbiſſimum: deinde, licèt aliqua ratione conferret, ſed imperfectiſſimè, tum quia multò minorem gratiam dabat quàm Baptiſmus, vt dicit S. Thomas dicta q. 70. art. 4. & alij communiter: tum etiam, quia non aperiebat *S. Thom.* regnum cœlorum, niſi fortè poſt paſſionem Chriſti eo tempore, quo nondum erat mortifera, & tunc quidem vt continens votum Baptiſmi. Baptiſmus autem, ex quo cœpit obligare poſt Chriſti paſſionẽ, aperit per ſe regnum cœlorum: item Circumciſio, etiam retentâ ſententiâ eorum, qui volunt, quòd adultis conferret gratiam ex opere operato, non tamen remittebat totam pœnam Purgatorij, vt fatetur Soto *diſp.* 2. *q.* 1 *art.* 4. *ad* 5. & Palud. *d.* 1. *q.* 5. *art.* 4. nec dabat gratiam independenter à fide miniſtri, vt diximus, ſicut dat Baptiſmus: nec poterat licitè adhiberi ante octauum diem: nec validè vt Sacramentum ſaltem legis ſcriptæ: quæ omnes imperfectiones non reperiuntur in Sacramento Baptiſmi, vt conſtat. Et hæc ſint ſatis de Sacramentis antiquis. Nunc iam agendum eſt de alio effectu noſtrorum Sacramentorum, qui dicitur Character.

DISPVTATIO VI.

De Charactere, qui eſt effectus Sacramentalis.

SECTIO I. *An, & ex quibus Sacramentis maneat Character.*
SECTIO II. *Quid ſit Character Sacramentalis.*
SECTIO III. *Ad quam ſpeciem qualitatis pertineat Character, & quam ſupernaturalitatem habeat.*
SECTIO IV. *In quo ſubiecto ſit Character; & de aliis eius proprietatibus.*

CHARACTER eſt alius Sacramentorum effectus, licèt non omnium: de quo videndum eſt, an ſit: deinde, quid, & qualis ſit.

SECTIO I.

An, & ex quibus Sacramentis maneat Character.

NEgant Characterem Hæretici omnes noſtri temporis, quos latè refert, & impugnat Card. Bellarm. *lib.* 1. de Sacram. *c.* 18 & ſeqq. Negauit etiam Vvicleſus, teſte Vvaldenſi *tom.* 2. de Sacram. *c.* 109. quia Character nullum habet fundamentum in Scriptura, & Patribus. Addit Kemnitius, Innoc. III. fuiſſe primum excogitatorem, & inuentorem huiuſmodi Characteris. 1. *Bellarm. Vvaldenſ.*

Veritas Catholica eſt, tria Sacramenta imprimere Characterem, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem. Sic definitum eſt ab Eugenio in Concilio Florentino, in Decreto Vnionis, & à Tridentino *ſeſſ.* 7. *can.* 9 & ab Innocentio III in cap. *Maiores*, §. vltimo, de Baptiſmo. Non tamen fuit ipſe Innocentius inuentor primus Characteris, vt Kemnitius mentitur: nam ibi refertur ſententia dicentium eos, qui inuiti baptizantur, recipere tantùm characterem; iam ergo ſupponebant pro certo Doctores, in Baptiſmo imprimi Characterem; nec de hoc erat quæſtio, ſed ſolùm an imprimeretur Character in Baptiſmo per violentiam ſuſcepto. 2. *Veritas Catholica, tria Sacramenta imprimunt characterem. Conc. Flor. Concil. Trid. Error Kemnitij.*

Hanc veritatem per traditionem ab initio Eccleſiæ acceptam inſinuant aliqua Scripturæ loca. 2. Cor. 1. *Qui vnxit nos Deus, & ſignificauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Ad Epheſ. 1. *In quo & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis, qui eſt pignus hereditatis.* Ad Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Quæ loca licèt habeant alias explicationes, adiuncta tamen Eccleſiæ traditione, meliùs intelliguntur de ſigillatione, quæ fit per Characterem. 3. *2. Cor. 1. Epheſ. 1. Epheſ. 4.*

Clariùs

4. *Characterem probatur ex Patribus.* Cyrill. Baſil. Nazianz. Chryſoſt. Ambroſ. Auguſt.

Clariùs hoc ipſum tradiderunt Patres, qui aliquando illud appellant ſigillum, vel ſignum, aliquando Characterem. Cyrillus Hieroſolymit. in Præfat. Catecheſeon, & Catecheſi 4. 16. & 17. Baſilius Orat. 13. Nazianzen. Orat in ſanctum lauacrum. Chryſoſtom. homil. 2. in Epiſt. ad Epheſ. & hom. 14. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto *cap.* 6. & de iis, qui initiantur myſteriis *cap.* 7. Auguſt *lib.* 6. de Baptiſmo *cap.* 1. & Epiſt. 23. 50. & 204. tract. 5. & 6. in Ioann. *lib.* 1. cont. Epiſt Parmeniani *cap.* 13. *lib.* 2. cont. litteras Petil. *c. vlt. lib.* 1. contra Creſconium *cap.* 30. & tract. 5. in Epiſt. Ioannis; quorum verba vide apud Bellarminum, vbi ſuprà, *cap.* 21.

5. *Probatur ratione.*

Ratione probatur hoc ipſum communiter; quia illa tria Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, non poſſunt reiterari: hoc autem non prouenit aliunde, niſi quia imprimunt characterem in anima.

Conc. Trid. *Quæ ratio nõ videtur eſſicax.*

Hanc enim rationem Concilium Tridentinum ſignificauit *ſeſſ.* 7. *can.* 9. vbi ex charactere, quem imprimunt, infert, ea iterari non poſſe. Hæc tamen ratio non videtur ſatis efficax; quia licèt ex impreſſione Characteris argoatur bene, non poſſe iterari illa Sacramenta, prout intulit Tridentinum, non tamen videtur è contra argui bene ex eo, quòd iterari non poſſint, quòd imprimant characterem: nam conſecratio calicis, vel Eccleſiæ, ac etiam prima Tonſura iterari non poſſunt; & tamen non imprimunt Characterem, vt conſtat.

6. *Inſtantia.*

Dices, hæc poſſe iterari, ſi Eccleſia vellet; quia cùm ſint de iure humano, poſſet Pontifex Clericum aliquem primæ Tonſuræ ita deponere, vt rediret ad primum ſtatum, & fieret laicus, atque adeò indigeret noua Ordinatione, vt iterum fieret Clericus; ſicut etiam de Sacerdotibus antiquæ legis dicit P. Vaſquez in præſenti *num.* 58. non habuiſſe ſacerdotium omnino indelebile, poterat enim deponi Sacerdos, ita vt nec licitè, nec validè poſſet vlteriùs exercere officium Sacerdotale abſque noua Ordinatione, & ideo non recipiebant Characterem; quod idem de conſecratione calicis vel Eccleſiæ dici poteſt: nam poſſet ſimiliter Pontifex calicem conſecratum ita reducere ad priorem ſtatum rei profanæ, vt indigeret noua conſecratione.

7. *Diluitur.*

Sed contra hoc eſt: quia in primis non repugnat, quòd ſicut Eccleſia de facto ſtatuit, hominem ſemel accipientem primam Tonſuram, ſemper manere Clericum, licèt non habeat Characterem: vnde fit, quòd de facto prima Tonſura nunquam poſſit reiterari: ſic Deus ſtatuiſſet decreto immutabili, quòd ille, qui ſemel accepiſſet poteſtatem ſacerdotalem, nunquam eam perderet: vnde fieret, quòd illa poteſtas reiterari non poſſet, etiamſi non imprimeret characterem.

Probatur vlterius.

Deinde Eccleſia non poteſt de facto facere, quòd oleum ſemel benedictum ab Epiſcopo ad Sacramentum Extremæ-Vnctionis: aut chriſma ab eodem benedictum ad Confirmationem, non maneat vlteriùs benedictum, aut non ſit materia ſufficiens, & valida Sacramenti Vnctionis, vel Confirmationis, in quibus requiritur oleum, vel chriſma benedictum; & tamen per benedictionem non imprimitur character, vel quidquam in oleo, aut chriſmate, licèt in neutro poſſit reiterari benedictio; ergo ex eo, quòd Eccleſia non poſſit vnquam iterare ordinationem Sacerdotis, aut illum, qui ſemel eſt Sacerdos, reddere laicum, non arguitur benè impreſſio characteris in anima Sacerdotis.

8. *Alij rationem aliam addũt.*

Alij addunt aliam rationem ex eo, quòd per hæc tria Sacramenta datur poteſtas ad aliquid ſpirituale; nempe per Baptiſmum poteſtas paſſiua ad recipienda alia Sacramenta: per Confirmationem potentia ad actum confeſſionis fidei: per Ordinem poteſtas ad actus Ordinis: per alia autem Sacramenta talis poteſtas non datur.

Sed illa ratio non ſufficit.

Hæc etiam ratio non videtur ſufficiens: quia per Sacramentum Confirmationis non datur poteſtas confirmato ad aliquid, ad quod non eſſet etiam poteſtas in non confirmato: vterque enim poteſt credere, & profiteri ſuam fidem coram tyranno: solùm ergo accipit homo per Confirmationem gratiam, & ius ad auxilia peculiaria, vt meliùs poſſit exercere illos actus: hoc autem ius etiam accipit homo per Sacramentum Matrimonij, ſcilicet ius ad auxilia, quibus melius poſſit exercere actus bonos pertinentes ad illum ſtatum, ſicut etiam per Sacramentum Euchariſtiæ accipit ius ad auxilia, quibus faciliùs poſſit vitare peccata, &c. Deinde in ordinatione Diaconi, vel Subdiaconi, non datur poteſtas ad aliquem actum, quem non poſſet in rigore, & validè exercere non Ordinatus; licèt id non poſſet facere licitè propter Eccleſiæ prohibitionem; datur ergo ius ad auxilia, quibus illos actus meliùs, & ſanctiùs poſſit exercere. Denique etiamſi daretur peculiaris poteſtas in iis Sacramentis, hoc non probaret characterem; nam poſſet Deus dare talem poteſtatem abſque charactere, ſicut omnes homines habent de facto poteſtatem in lege gratiæ ex inſtitutione Chriſti ad conferendum validè Sacramentum Baptiſmi, quam poteſtatem priùs non habebant, & tamen hæc poteſtas habetur abſque vllo charactere: ergo ſimiliter poſſet dari poteſtas ad conſecrandam Euchariſtiam, vel abſoluendum à peccatis abſque vllo charactere.

9. *Tertia ratio vnde petatur.*

Tota ergo ratio, ſuppoſitâ inſtitutione Chriſti, (quæ auctoritate magis quàm ratione probanda eſt) reduci debet ad congruentiam deſumptam ex iis, quæ fiunt in exercitu, vel familia Principis, vbi ij, qui deſignantur ad peculiaria officia, vel obſequia, deſignari etiam ſolent peculiaribus ſignis, & notis, quibus à cæteris diſcernantur. Sic olim milites notabantur charactere impreſſo, vt diſcernerentur ab aliis, ſic Magiſtratus, ſic famuli peculiaribus ſignis diſcernuntur. Congruum ergo fuit, vt in familia etiam Summi Principis Chriſti, eius famuli, milites, & miniſtri, peculiaribus ſignis notarentur.

VValdenſ.

Notat autem VValdenſis cum aliis *tom.* 2. de Sacram. *cap.* 110. verſùs finem, in exercitu benè ordinato dari diſtinctionem totius exercitus ab aliis, & diſtinctionem equitum à peditibus, & denique ducum à cæteris: ſic, inquit, per characterem Baptiſmalem diſtinguitur totus exercitus totius Eccleſiæ ab exercitu Diaboli: per characterem Confirmationis diſtinguuntur deſtinati ad certamen ſpirituale contra fidei perſequutores, à communi populo: per characterem Ordinis diſtinguuntur duces à reliquis, quia ordinati ad miniſtrandum Sacramenta, deputantur, vt ſint duces in populo. Hæc ille; qui benè præmiſerat, ſola illa Sacramenta debere characterem imprimere, quæ notanter diſtinguunt familiam in comparatione ad Dominum: id eſt, quæ peculiariter conſtituunt aliquem in officio, vel miniſterio familiæ Chriſti.

Character Baptiſmi quid deſignet. Quid Confirmationis. Quid Ordinis.

In Baptiſmo, v.g. datur character, quo baptizatus deſignatur tanquam ſeruus, & domeſticus Chriſti, pertinens ad eius familiam; in Confirmatione datur character militaris, quo deſignatur homo tanquam miles Chriſti; in Ordine denique datur character, quo deſignatur homo tanquam miniſter Chriſti ad diuerſa miniſteria iuxta diuerſitatem Ordinis, quem recipit.

10. *Quid dicendũ ſit de Sacramentis antiquæ legis.* S. Thom.

Hinc infero primò, quid dicendum ſit de Sacramentis antiquæ legis, an imprimerent characterem. Dubium autem potiſſimè eſt de Circumciſione. S. Thomas in præſenti *art.* 1. *ad* 3. negat in vniuerſum; quia Sacramenta illa non habebant in ſe ſpiri-

tualem

tualem virtutem ad aliquem ſpiritualem effectum: & ideo ſufficiebat ibi corporalis Circumciſio abſque vllo ſpirituali charactere. *Scot. 2.* Scotus tamen dicit, concedi poſſe de Circumciſione *in 4. d. 6. queſt. 6.* quod idem poſſet dici de Sacramento legis naturæ, quo tollebatur peccatum originale. *Verior ſententia.* Sed ex iis, quæ diximus, verior videtur pars negatiua; quia per illa Sacramenta aliquis non fiebat ex familia Chriſti: nec eius miniſter, aut miles, non ergo oportebat eum deſignari charactere Chriſti: cui rationi addi poteſt ratio S. Thomæ, quod ſcilicet per illa Sacramenta non deſignabatur homo ad aliquid ſpirituale operandum: nam licèt per aliqua eorum daretur gratia, non tamen conſtituebant hominem in officio, cui annexa eſſet operatio ſpiritualis; nec aliter ſe habebat gratia, quàm ſi data fuiſſet propter opera meritoria, vel alio modo.

11. *Cur alia Sacramenta præter hæc tria non imprimant characterem. Ratio communis. Reijcitur.* Infero ſecundò, cur alia Sacramenta præter hæc tria non imprimant characterem. Ratio communis eſt, quia reiterari poſſunt; quam rationem videtur indicare Tridentinum, vbi ſuprà, dum infert, hæc tria reiterari non poſſe, quia imprimunt characterem; ergo ſi alia eum imprimerent, non poſſent etiam reiterari. Sed hæc ratio non caret difficultate; quia matrimonium, licèt poſſit reiterari cum alio coniuge, non tamen cum eodem; ergo poſſet imprimere characterem limitatum, ſcilicet reſpectu illius coniugis. Sicut Ordo Subdiaconatus imprimit characterem Ordinis; & tamen adhuc Subdiaconus poteſt iterum recipere Sacramentũ Ordinis in Diaconatu & Presbyteratu, & alium nouum characterem; quia illi characteres non ſunt homogenei, ſed heterogenei, ſcilicet in ordine ad diuerſas functiones. Similiter ergo poſſet in primo matrimonio dari character in ordine ad vitam coniugalem cum hoc coniuge, & in ſecundo matrimonio alius character non omnino homogeneus, ſed heterogeneus in ordine ad vitam coniugalem cum tali coniuge; ſicut Logici dicunt, in patre dari relationem paternitatis ad primum filium, & poſtea nato ſecundo filio aduenire ſecundam relationem paternitatis ad ipſum, quia illæ paternitates ſunt heterogeneæ propter diuerſos terminos, quos reſpiciunt.

12. *Ratio verior.* Ratio ergo magis vniuerſalis, & à priori, cur non imprimant characterem, eſt, quia per illa Sacramenta homo non deſignatur, & deputatur tanquam miniſter, vel famulus Chriſti, ſed ſolùm accipit gratiam Sacramentalem ad aliquas neceſſitates peculiares; *Confirmatur ratio inductione.* ſcilicet, in Sacramento Pœnitentiæ accipit gratiam reconciliationis, vt mundetur à peccatis; in Euchariſtia, vt nutriatur, & creſcat ſpiritualiter; in Extrema-Vnctione, vt purgetur à reliquiis peccatorum, & reſiſtat Diabolo in vltimo agone tentanti; denique in Matrimonio, ad bene portanda onera coniugij: quæ omnia non ſunt officia, aut munera, quibus homo fungatur in ordine ad Chriſti familiam, ſeu vt Chriſti familiaris aut officialis: ideo non accipit in iis Sacramentis Chriſti characterem, ſed ius ad auxilia, quibus prouideatur ipſius neceſſitatibus. At verò in aliis tribus Sacramentis deputatur homo, & conſtituitur miles, miniſter, ſeruus Chriſti peculiariter, & vt talis ſignatur, vt diſcernatur ab aliis, qui hæc officia non habent. *Cur matrimonium non imprimat characterem.* Quamvis ergo Matrimonium non poſſit iterari cum eodem coniuge, adhuc non imprimit characterem: imò quamvis non poſſet vllo modo iterari, adhuc eum non imprimeret, ex defectu alterius *Caſus, in quo matrimonium cum eodem coniuge poſſet iterari.* conditionis; quia ſcilicet non conſtituit hominem in aliquo officio vel miniſterio pertinente ad Chriſtum, ratione cuius oporteat hominem peculiari nota Chriſti inſignire. Addo tamen, Matrimonium de facto non ſolùm poſſe iterari cum alio coniuge, mortuo primo, ſed etiam cum eodem: ſi v. g. moreretur vir, & poſtea miraculosè reſurgeret, quo caſu vterque coniux manet ſolutus, & liber à primo matrimonio, cuius vinculum durabat ſolùm vſque ad mortem, iuxta illud Pauli 1. ad Cor. 7. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit: quòd ſi dormierit vir eius, libera eſt: cui vult, nubat*: vt obſeruat cum *1. Cor. 7.* aliis Henriquez *lib. 1. de Sacram. in genere, cap. 13. num. 4.* in margine littera F. *Henriquez.* Vnde reſurgens vir non poſſet iam priori vxori licitè copulari abſque nouo contractu matrimonij: poſſet ergo reiterari inter eoſdem coniuges Sacramentum Matrimonij. Quod *Alius caſus ſimilis.* idem abſque miraculo accidere poſſet, ſi poſt Matrimonium ratum, & non conſummatum alter coniux fieret Religioſus, in quo caſu per profeſſionem diſſolueretur prius Matrimonium; poſtea verò ſi per diſpenſationem Pontificis ille profeſſus rediret ad ſæculum, & contraheret Matrimonium, poſſet iterum cum priori coniuge contrahere ſecundum Matrimonium: eſt igitur Matrimonium iterabile etiam inter eoſdem coniuges; vnde non bene arguitur, quòd poſſet ex hoc capite imprimere characterem, quod iterabile non ſit, reſpectu eiuſdem.

13. *Quæſtio ſoluitur.* Petes tamen, an, ſi Matrimonium imprimeret characterem indelebilem, poſſet reiterari? Reſpondeo, non poſſet imprimis inter eoſdem coniuges, quia ſicut nunc Sacerdos mortuus, & reſurgens iterum, non indiget noua Ordinatione, eò quod retineat characterem Sacerdotalem: ſic tunc coniux retinens characterem Matrimonij contracti, non indigeret nouo contractu Matrimonij. nam ſuppono, characterem illum non fuiſſe deletum, ſed fore talem, qualem conferunt tria Sacramenta de facto, ſcilicet *ſignum ſpirituale, & indelebile*. *Dubium.* Magis dubium eſt, an poſſet reiterari inter diuerſos coniuges, ſcilicet, mortuo primo, cum coniuge altero? Hoc enim non videtur eſſe contra rationem characteris: nam ſicut qui habet characterem vnius Ordinis, poteſt accipere characterem alterius Ordinis, ſic qui haberet characterem Matrimonij ad vnum coniugem, poſſet accipere characterem ad alium, vt ſupra arguebamus. Quando verò Tridentinum ex charactere colligit Sacramentum non poſſe iterari, explicari poſſet, ita vt argumentum valeat iuxta ſubiectam materiam, ſcilicet quòd in illis tribus Sacramentis probetur bene ex impreſſione characteris, illa non poſſe reiterari: quia dum manet character Sacerdotij, ille homo eſt verè Sacerdos: ad quid ergo deſeruiret ſecunda Ordinatio, cùm non poſset accipere poteſtatem Sacerdotij ad aliquos alios effectus, ad quos eam iam non habebat? Quod idem apparet in Baptiſmo, & Confirmatione: quare in illis arguitur bene, non poſse reiterari, ex eo quòd homo retineat characterem. At verò in Matrimonio, cùm prius Sacramentum ſolùm dederit ſuos effectus in ordine ad talem coniugem, non eſset otioſus ſecundus character, quo conferretur poteſtas, & ius in ordine ad alium coniugem.

14. *Reſpondetur.* Cæterùm adhuc verius videtur, quod ſi matrimonium imprimeret characterem, non eſset reiterabile etiam cum alio coniuge. Imprimis enim, ſi poſt matrimonium ratum coniux emitteret profeſſionem in Religione, adhuc retineret characterem, & per conſequens maneret verè coniux alterius: vnde ſi poſtea ex diſpenſatione rediret ad ſæculum, & contraheret cum alio, iam eſſet ſimul coniux duorum: ergo ex impreſſione characteris ſequeretur, non poſse validè contrahi tunc ſecundũ matrimonium. Deinde hinc ſequitur, quòd nec etiam mortuo priori coniuge, poſset; nam ſi vxor, v.g. retineret adhuc

priorem

priorem characterem ex vi illius eſſet vxor prioris viri; ita vt, reſurgente illo, deberet illi cupulari: ſi autem iam nupſiſſet alteri, ſequeretur, quòd eſſet ſimul vxor duorũ, quod repugnat valido matrimonio; ergo ex retentione characterũ ſequeretur, quod non poſſet matrimonium reiterari etiam cum alio.

Petes iterum, vtrùm character in ſua entitate ſit ſignum Chriſti, & dicens ordinem ad Chriſtum? De hoc dicemus poſtea agentes de eſſentia characteris.

SECTIO II.

Quid ſit Character Sacramentalis.

15. MVlta ſub hoc titulo comprehendunt ſingillatim examinanda. Primò dubitatur de charactere, an ſit aliquid reale, & phyſicum intrinſecum: an verò aliquid rationis, & morale. Durandus *in 4. d. 4. quæſt. 1.* dicit, eſſe aliquid morale ſeu rationis: ſicut in Doctoratu, vel in collatione primæ Tonſuræ; hoc enim ſufficit ad explicanda omnia, quæ Patres dicunt de charactere, & aliunde oportet myſteria noſtræ fidei reddere clatiura, & minus difficilia, quoad fieri poſſit.

Durand. Sententia Durandi.

16. Hanc Durandi ſententiam P. Suarez in præſenti *diſp. 11. ſect. 2.* dicit, non poſſe iam ab errore in fide vindicari, propter definitionem Concilij Florentini, & Tridentini. Bellarmin. *lib. 2.* de effectu Sacramentor. *c. 19. § Secunda propoſitio*, dicit, vix diſtingui ab hæreſi huius temporis, & videri expreſsè damnatam in Conciliis, quæ ſi Durandus videre potuiſſet, ſine dubio aliter docuiſſet. P. Coninch in præſenti *art. 2.* dicit, eam iam aſſeri non poſſe, neque in illa poſſe defendi Conciliorum doctrinam.

Suarez. Suarez eã quam cenſura indicat. Bellarmin. Coninch.

17. P. Vaſquez in præſenti *diſp. 134. cap. 2.* licèt teneat characterem eſſe aliquid phyſicum, conatur tamen liberare Durandi ſententiam ab omni cenſura: cui ex parte fauet Sotus *in 4. d. 1. quæſt. 4. art. 2. § Hac.* Nam Eccleſia damnat Hæreticos negantes characterem indelebilem trium Sacramentorum, Durandus autem id non negat; & licèt ſit aliquid morale, poteſt dici imprimi in anima; ſicut etiam peccatum dicitur imprimere animæ maculam, quæ eſt aliquid morale.

Vaſquez. Vaſquez illum à cenſura vindicat. Sotus.

18. Ego ſententiam Durandi non ſolùm minùs veram iudico, ſed contra mentem Conciliorum, quod quidem ad hominem contra P. Vaſquez probo; quia ſi non eſſet contra mentem Concilij, nec Concilium intendiſſet adſtruere characterem phyſicum, non eſſet minùs probabilis illa ſententia, prout eam Vaſquez appellat: ſecluſâ enim Eccleſiæ auctoritate, nihil cogit ad multiplicanda entia, & ponendam illam qualitatem phyſicam, quam non ponimus in Doctore, Prætore, & aliis, ſed entitatem moralem, ſicut etiam in Clerico primæ Tonſuræ. Si ergo propter modum loquendi Conciliorum, & Patrum, quos Concilia ſequuntur, ponimus characterem eſſe entitatem phyſicam, fateri debemus, mentem Conciliorum fuiſſe adſtruere characterem non vtcumque, ſed qui eſſet aliquid phyſicum in anima receptum: quod quidem verba ipſa ſatis videntur ſignificare, dum dicunt characterem imprimi in anima per Sacramentalem operationem, *eſſe ſignum ſpirituale & indelebile*; quæ omnia ſonant aliquid phyſicum: nam ſi denominatio extrinſeca, vel ens morale relictum ex Sacramento præterito diceretur character impreſſus animæ, ſequeretur, quod de aliis etiam Sacramentis dici poſſet ſimpliciter, quod conferant characterem; nam ex illis manet aliquid morale ex denominatione extrinſeca, ſcilicet ex Matrimonio manet in anima ius ad habenda Diuina auxilia in ordine ad ſtatum coniugalem: ſicut etiam ex Sacramento Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ-Vnctionis manet ius ad talem vel talem gratiam, & auxilia: quod eſt aliquid morale fundatum in receptione Sacramenti. Nec obſtat, quod illud ius non ſit indelebile, ſicut eſt character Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis; ad rationem enim characteris in communi non pertinet, quod ſit omnino indelebilis; ſic enim ſerui in ſtatu ſeruitutis habere ſolent characterem domini, qui tamen adueniente ſtatu libertatis, deleri poteſt; ſic etiam Apocalypſis 13. & 19. dicuntur peccatores accipere characterem beſtiæ, quem tamen per Dei gratiam in multis deleri conſtat. Quamvis ergo illa quatuor Sacramenta non dicerentur imprimere talem characterem indelebilem, qualem alia tria, dici tamen poſſent verè, & ſimpliciter imprimere characterem verum, & proprium; quod tamen nemo concedet: ergo per characterem ſimpliciter, & propriè non intelligunt Concilia aliquid ſolùm morale, & phyſicum, & phyſicè in anima impreſſum. Quia tamen de facto nullus character imprimitur in anima, qui non ſit indelebilis, ideo de facto per characterem intelligunt ſignum indelebile: licèt de poſſibili, vt dixi, poſſet dari character abſque omnimoda indelebilitate.

Cenſura Durandi probatur.

Hoc ipſum videtur colligi ex definitione characteris à Concilio tradita, ſcilicet *ſignum ſpirituale, & indelebile in anima impreſſum*; quæ definitio difficile poteſt conuenire enti morali, ſeu denominationi extrinſecæ; nam extrinſeca denominatio non eſt propriè ſignum, per quod diſcernantur hi ab aliis, & cognoſcantur eſſe baptizati, vel ordinati, nam denominatio extrinſeca, cùm non habeat aliam entitatem præter formã præteritam, à qua prouenit, non poſſet videri in ſe, niſi quatenus videtur ipſa forma præterita, atque adeò non poſſet ipſa denominatio in ſe ducere nos ad cognitionem Sacramenti ſuſcepti, ſed potiùs è contra Sacramentum ſuſceptum cognitum daret occaſionem concipiendi aliquid morale permanens in hoc homine. Non ergo diceretur bene character relictus ex Baptiſmo oſtendens, & diſcernens hunc hominem baptizatum à non baptizatis. Denique hoc ipſum ſonat verbum illud *imprimendi*, quo vtuntur Concilia: quod in hac materia videtur omnino ſignificare actionem phyſicam, & realem. 19.

Hoc colligitur ex definitione characteris.

Dicunt, peccatum etiam apud Concilia dici *ineſſe* paruulis, vnicuique proprium; quod tamen non debet intelligi de inhæſione phyſica: ergo nec impreſſio characteris debet intelligi de impreſſione phyſica. Similiter Prætor dicitur accipere, ſeu recipere poteſtatem: & Sacerdos etiam dicitur recipere poteſtatem conſecrandi, & tamen multi negant, characterem ipſum eſſe poteſtatem, aut potentiam, & per conſequens debet intelligi de poteſtate ſolùm morali: ergo ſimiliter poſſet intelligi recipi, & imprimi character non phyſicus, ſed moralis. 20.

Inſtantia.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia ſignificatio propria vocum, & verborum debet colligi ex ſubiecta materia: quæ ſi fuerit talis, vt non ſit capax niſi ſignificationis tranſlatitiæ, vel analogicæ, in ea debent intelligi verba ſimpliciter prolata: vt cùm dicitur: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*; illud verbum, *erant*, accipi debet in ſenſu analogico de exiſtentia impropria, quia tenebræ non ſunt capaces exiſtentiæ propriæ. Quando verò materia eſt capax ſignificationis propriæ, verba ſimpliciter prolata debent accipi, quoad fieri poſſit, in ſenſu proprio, vt cùm dicitur vxor Loth conuerſa in ſtatuam ſalis, debet intelligi de vera & phyſica conuerſione, & de vero & phyſico ſale: quando ergo 21.

Diluitur.

ſermo

ſermo eſt de peccato habituali, quod eſt ens morale, vt ſuppono, & dicitur ineſſe vnicuique proprium, debet id intelligi de inhæſione morali, quia ens morale non eſt capax inhæſionis phyſicæ, & non poteſt dari peccatum habituale, quod non ſit ens morale. Quando verò agitur de charactere, & dicitur, quòd per tria Sacramenta imprimitur character in anima, debet intelligi de vero & phyſico charactere, qui phyſicè imprimatur; nam verus & proprius character eſt phyſicus, & aliunde ex eo quod ſpiritualis ſit, non minus eſſe poteſt phyſicus; non ergo debemus transferre illa verba ad ſignificationem impropriam de charactere aliquo analogico, & morali. Sicut quando dicitur anima in Purgatorio, vel in Inferno pati dolorem non intelligimus id de dolore morali, ſed de phyſico ſpirituali: imò quando dicitur torqueri igne Inferni, non intelligitur de igne morali, aut metaphorico, ſed vero, & phyſico; quia ſaltem de potentia abſoluta non repugnat, animam ſpiritualem torqueri igne phyſico, & corporeo, licèt alibi non intelligatur de igne phyſico, vt cùm dicitur: *Ignem veni mittere in terram*, &c quia ille non poterat eſſe phyſicus, ſed moralis. Conſtat ergo, non valere conſequentiam ex inhæſione morali, qua peccatum habituale intelligitur inhærere, ad impreſſionem characteris: hæc enim debet eſſe phyſica, cùm ſermo ſit de charactere, qui in rigore ſignificat aliquod ſignum phyſicum.

22. *Doctoratus non imprimit characterem.*

Hinc etiam conſtat, cur Doctoratus, vel Pretura non imprimant propriè characterem; nam licèt relinquant aliquid morale permanens, illud tamen non eſt propriè character; ſicut nec Sacerdotium antiquum, vel circumciſio, aut etiam prima Tonſura nunc, vel conſecratio Eccleſiæ, vel calicis, imprimunt propriè characterem, ſed impropriè; quod idem dicendum eſt de Ordinibus minoribus, ſi non ſint Sacramenta, propter eandem rationem.

23. *Sententia Scoti. Scotus. Suarez.*

Dubitatur ſecundò, vtrùm character ſit relatio, vel aliquid abſolutum? Scotus *in 4. d. 6. q. 10.* indicat, eſſe relationem. Hanc ſententiam latè impugnat Suarez *ſect. 2.* qui tamen videtur ſupponere, quod character non ſit ſignum naturale, ſed ad placitum ex mera inſtitutione Diuina; quod mihi non probatur, vt poſtea dicam. In hoc puncto, ſi Scotus loquatur de relatione reali, & non conuenit cum Durando docente, characterem non eſſe aliquid phyſicum permanens, ſed morale, vel rationis (prout P. Vaſquez exiſtimat, Scotum re ipſa ſentire) nulla eſt difficultas; nam vel loquimur de relatione tranſcendentali, vel de prædicamentali. Si de hac ſecunda ſermo ſit, nullum eſt fundamentum ad id aſſerendum de charactere, præſertim in mea ſententia. Suppono enim ex iis, quæ dixi in Metaphyſica, & in tractatu de Trinitate, relationem prædicamentalem non eſſe modum intrinſecum ſuperadditum, ſed entitatem fundamenti cum termino, qui in obliquo intrat ad componendam denominationem relatiuam; quare character Sacramentalis, cùm ſit aliquid intrinſecum ſuperadditum, non eſt relatio prædicamentalis. Omnes enim cum Ariſtotele ſupponunt, ad relationem prædicamentalem non dari per ſe motum, ſed reſultare ex poſitione alterius; character autem non reſultat ex poſitione alterius, producitur enim primariò, & per ſe, etiam quando non producitur gratia, nec alius effectus Sacramentalis. Deinde relatio prædicamentalis eſt, cuius totũ eſſe eſt ad aliud, hoc eſt, quæ nihil aliud confert ſubiecto, quod refertur, niſi connectere illud cum alio, ſeu cum termino ad quem refertur; quia ſcilicet denominatio relatiua prædicamentalis ſupra id, quod ſubiectum habebat, nihil addit intrinſecum, ſed denominationem extrinſecam, qua ſubiectum denominatur ad aliud; ſic hoc album abſque noua perfectione denominatur ſimile alteri albo de nouo producto, per ſolam poſitionem termini, per quem habet ſolùm denominari ad aliud, & nihil recipit perfectionis in ſe. Character autem perficit, & decorat ſubiectum, in quo ponitur; quare non dat illi ſolum dici ad aliud, ſed etiam dici in ſe perfectum, & inſignitum illa forma ſplendidiſſima.

Ex noſtra ſententia non eſt relatio prædicamentalis.

24. *Poteſt tamen eſſe relatio tranſcendentalis.*

Si verò ſermo ſit de relatione tranſcendentali, concedendum videtur characterem eſſe ordinem tranſcendentalem, tum ad operationes, ad quas vel recipiendas, vel exercendas deſtinatur ſubiectum; tum ad auxilia, quæ debentur ratione Sacramenti; tum ad Chriſtum, cuius characterem accipit homo, tanquam ſeruus, miles, vel miniſter: ad hæc enim omnia dicit ordinem intrinſecum & quidditatiuum per ſuam entitatem, vt poſtea dicemus; qui ordo cùm ſit imbibitus in ipſa eſſentia characteris, eſt omnino tranſcendentalis.

25. *Obiicitur pro Scoto. Reſpondetur.*

Obiici ſolet pro Scoto, quia character eſt in genere ſigni; ſignum autem conſtituitur formaliter per relationem ad rem ſignificatam. Reſpondetur facilè, non conſtitui omne ſignum per relationem prædicamentalem: tum quia hæc debet eſſe ad terminum actu exiſtentem; ſignum autem aliquando ſignificat res non exiſtentes, ſed futuras, vel præteritas, tum etiam, quia illa relatio in ſigno ſæpe eſt tranſcendentalis, & identificata cum ipſo ſigno, ſicut viſio obiecti eſt ſignum formale ipſius, non per relationem prædicamentalem, ſed tranſcendentalem. & fumus eſt ſignum naturale ignis per ordinem etiam tranſcendentalem.

26. *Inſtantia.*

Dices, relatio ſerui ad dominum eſt prædicamentalis; ſed per characterem Baptiſmi, v. g. refertur baptizatus tanquam ſeruus ad Chriſtum: ergo illa erit relatio prædicamentalis. Reſpondeo, illam non eſſe relationem prædicamentalem; primò, quia non eſt ad terminum actu exiſtentem: nam in triduo mortis Chriſti, non erat Chriſtus: & tamen in Apoſtolis erat character Baptiſmi, & Ordinis, quo deſignati erant tanquam miniſtri Chriſti, ergo non referuntur prædicamentaliter per characterem. Secundò, quia in rigore loquendo, character non conſtituit ſeruum Chriſti, ſed ſignat; ſicut etiam ſeruus in humanis deſignatur charactere aliquo in facie impreſſo, qui character non facit ſeruum ſed oſtendit illum eſſe ſeruum; ſic character baptiſmalis non facit formaliter, ſed deſignat eum, qui eſt ſeruus, vel domeſticus Chriſti, atque adeò, licèt relatio ſerui ſit prædicamentalis, non oportet, quòd ex hoc capite character ſit reſpectus prædicamentalis ad Chriſtum.

Reſponſio. Confirmatur.

27. *Dubium tertium. Soto. Sententia quæ vult eſſe modum. Contraria ſententia verior eſt. Suarez. Fundamentum ſententiæ.*

Dubitatur tertiò vtrùm character ſit entitas realis, vel ſolùm modalis diſtincta ex natura rei à ſubiecto. Soto *in 4. d. 1. q. 4. art. 2.* probabile exiſtimat, quòd ſit entitas modalis. Contraria tamen ſententia communis eſt, quam probat Suarez *ſect. 2. in fine*, multis argumentis parùm efficacibus, quæ impugnare non vacat. Vnicum fundamentum debet eſſe, quod non debemus ponere accidentia modalia, niſi vbi aliqua peculiaris ratio probat inſeparabilitatem mutuam, ſeu non poſſe formam illam eſſe etiam diuinitus, abſque tali ſubiecto: nam inſeparabilitas eſſentialis eſt, quod Deus non poſſit illa duo inuicem ſeparare; potentiæ autem Diuinæ non debemus aliquid negare, niſi adſit ratio aliqua probans contradictionem propter abſurdum aliquod, quod ſequeretur, quia ad Dei dominium perfectiſſimum ſpectat, quòd poſſit de creaturis omnibus, & ſingulis diſponere ſimul, vel ſeorſim, prout voluerit.

I[illegible]o gratiam, habitus ſupernaturales, & alia ſimilia dicimus, non eſſe modos, ſed entitates reales, quia non eſt ſpecialis ratio ad id magis negandum de iis, quàm de aliis accidentibus, quæ tamen ſcimus ſeparari poſſe à ſubiecto, ſicut ſeparantur de facto accidentia panis, & vini in Euchariſtia: actionem verò, vnionem, & ſimilia dicimus eſſe modos; quia ſi vnio, v.g. non eſſet modus, indigeret alia vnione, qua vniretur, & hæc indigeret alia, & ſic in infinitum: & actio, ſi non eſſet modus, ſeu ipſum fieri, indigeret alia actione, per quam fieret, & hæc per aliam. & ſic in infinitum, quod inconueniens vt vitetur, oportet, eſſe aliquas entitates modales, quæ ſe ipſis fiant, vel vniantur, & in quibus ſiſtamus: vbi autem non vrget hæc ratio, debemus omnia alia entia ponere realia, & cum ſeparabilitate mutua: ergò cùm in charactere non ſit ſpecialis ratio magis, quàm in gratia, & aliis habitibus ſupernaturalibus, non eſt cur dicamus, illam eſſe entitatem modalem. Cùm ergo ſit accidens abſolutum & reale, & non ſit vbicatio, duratio, ſitus, habitus, ſeu veſtitus, nec actio, aut paſſio, & denique multò minùs ſit quantitas, reliquum eſt, vt pertineat ad prædicamentum qualitatis. Reſtat igitur examinandum, in qua ſpecie qualitatis ſit, & an ſit ſupernaturalis.

Concluditur characterem eſſe qualitatem.

SECTIO III.

Ad quam ſpeciem qualitatis pertineat Character, & qualem ſupernaturalitatem habeat.

28. *Quarta ſpecies qualitatis. Controuerſia eſt ad quam character pertineat.*

QVatuor ſpecies qualitatis numerantur à Logicis cum Ariſtotele in illo Prædicamento: Habitus, & diſpoſitio; Potentia, & impotentia; Paſſio, & paſſibilis qualitas; Forma, & figura. Eſt ergo controuerſia, ad quam harum ſpecierum pertineat character, vnde etiam pendet perfecta eius definitio, quæ tradi non poteſt, niſi ſciamus, quem effectum formalem confert ſubiecto, in quo recipitur.

29. *Prima ſententia ponit characterem in ſecunda ſpecie.* Salas. Henriquez. S. Thom. Valent.

Prima ſententia docet, pertinere ad ſecundam ſpeciem, quia eſt potentia, vel perfecta, vel ſaltem imperfecta ad agendum vel recipiendum. Hanc tenent Thomiſtæ communiter. Caiet. Soto, Martin. & Barthol. de Ledeſma, Viguet. Capreol. Antonin. Palud. Heruæus, & alij plures, quos refert Salas 1. *tom. in* 1.2. *tract.* 2 *diſp.* 8 *ſect.* 3. *n.* 57. quos ſequuntur Henriq. in præſenti *lib.* 1. *cap* 13. §. 3. *&* 4. Valentia, & alij; & videtur eſſe S. Thomæ *in præſenti art.* 2.

30. *Secunda in prima.* Suarez. Vaſquez. Bellarm. *Tertia aliu dicas tertia.*

Secunda ſententia docet, pertinere ad primam ſpeciem, in qua ſunt Habitus, & diſpoſitio. Hanc tenent Suarez, & Vaſquez in præſenti. Bellarm. *cap.* 19. Alenſis & alij, quos affert Salas vbi ſuprà *n.* 57.

Tertia ſententia dicit, pertinere ad tertiam ſpeciem, in qua ſunt Paſſio, & paſſibilis qualitas. Pro hac afferuntur Anti[illegible]dorenſis, Okam, Alenſis, & Bonauentura, ab eodem Salas *n.* 5[illegible].

Quarta quarta.

Quarta ſententia ponit characterem in quarta ſpecie, quia eſt figura quædam ſpiritualis. Pro hac afferuntur Marſ[illegible], R[illegible]hardus, & Annibal, quos refert Salas ibi, & ipſe [illegible]am ſententiam tandem amplectitur, & latè probat, ac explicat.

31. *Quinta in nulla ex his quatuor.*

Quintò al[illegible] di[illegible]nt, ad nullam ſpeciem ex illis quatuor pertinere, [illegible], denique dicunt, pertinere ad omnes ſub di[illegible] rationibus, & conſiderationibus. Adeo ſunt diuerſa hominum ingenia, vt omnes dicendi modos poſſibiles in hoc puncto excogitauerint & aſſeruerint. In quo aliqua dubia ſunt de nomine, alia vero de re. De nomine eſt, quid ſignificetur per nomina ſingularum ſpecierum qualitatis, quas Ariſtoteles numerauit; in eorum enim ſignificatione non conueniunt Dialectici, & Philoſophi. De re vero erit, an in charactere reperiantur re ipſa aliqua prædicata realia, ſcilicet eſſe potentiam principalem. vel inſtrumentalem, phyſicam, vel moralem in ordine ad aliquas operationes, vel in ordine ad recipiendum: item eſſe figuram, vel ſigillum ſpirituale ex natura ſua aliquid repræſentans. Oportebit ergo de his priùs decernere, vt poſtea eligamus modum loquendi.

Hac quæſtio partim de nomine, partim de re.

Dico ergo primo, characterem debere eſſe propriè, & in rigore in aliqua qualitatis ſpecie, cùm ipſe ſit vera, & propria qualitas, repugnat enim, aliquod indiuiduum completum pertinere ad aliquod prædicamentum, & non eſſe ſub aliquo genere, & ſpecie propria illius prædicamenti, cùm ſemper deducatur in ſerie prædicamentali aliqua linea recta à ſupremo genere vſque ad indiuidua per genera, & ſpecies intermedias, & nihil poſſit eſſe in rerum natura, quod non habeat veram differentiam ſpecificam, per quam differat ab aliis rebus Fateor, aliquas eſſe entitates, quæ propter ſuum incomplementum non dicuntur conſtitui per ſe, ſed cum aliis in prædicamento, ſicut inhærentia qualitatis, & vnio formæ ſubſtantialis. In quo ſenſu S. Thom *art.* 2. dixit, characterem propter ſuum incomplementum ſpectare reductiuè ad ſecundam ſpeciem qualitatis. 32. *Prima concluſio.*

Dico ſecundò, Character non videtur eſſe potentia phyſica receptiua, vel actiua. Hanc probant latè Suarez, & Vaſquez: & quidem quoad receptionem videtur clara; nam gratia habitualis, vel gratia Sacramentalis auxiliorum, aut characteres aliorum Sacramentorum non recipiuntur in charactere, ſed vel in eſſentia animæ, vel in eius potentiis. Neque etiam poteſt dici potentia actiua phyſica, quia vel hoc eſſet in ordine ad auxilia, & gratiam Sacramentalem, vel in ordine ad Sacramenta conficienda, vel in ordine ad eorum effectum communicandum, ſcilicet gratiam habitualem, & characterem. Ad nihil autem horum character eſt potentia actiua phyſica; non quidem ad auxilia, & gratias Sacramentales; nam auxilia, quæ dantur ratione Baptiſmi, vel Confirmationis, v.g. ſunt actus intellectus, & voluntatis ad ſeruanda præcepta, vel profitendam fidem; qui actus producuntur ab habitibus infuſis ſimul cum potentiis, & omne aliud principium impertinens eſt. Neque etiam character concurrit efficienter ad producenda Sacramenta in aliis: nam Sacerdos abſoluens, v.g. pœnitentem, profert quidem verba abſolutionis, quæ quoad totam ſuam entitatem poſſent produci à laïco, in ratione verò Sacramenti ſolùm addunt denominationem extrinſecam ab inſtitutione Diuina, quæ denominatio non poteſt phyſicè produci, vt patet; quod idem eſt in Epiſcopo Ordinante, vel Confirmante, &c. Solùm poſſet eſſe dubium de Sacramento Euchariſtiæ, quod conficitur à Sacerdote. Sed neque ad illud poteſt concurrere actiuè character Sacerdotalis; nam vel concurreret per virtutem obedientialem, vt inſtrumentum eleuatum: & quidem hoc modo poſſet ſimiliter concurrere albedo; nec hic modus operandi facit, quòd character in ſua entitate ſit potentia phyſica magis, quàm aliæ entitates: vel concurrere per virtutem connaturalem ſuam; & hoc dici non poteſt, quia conuerſio Euchariſtica, vt infrà videbimus, includit actionem creatiuam, qua accidentia conſeruantur ſine ſubiecto: repugnat autem, quòd aliqua creatura habeat virtutem connaturalem ad creandum, vt fatentur omnes Theologi; repugnat ergo, quòd character habeat connaturalem virtutem ad illam conuerſionem faciendam. 33. *Secunda concluſio.* *Probatur.*

Denique

14. *Confirmatur.* Denique, de gratia habituali eodem argumento probatur, non poſſe fieri à virtute connaturali characteri; quia gratia ex natura ſua exigit fieri à ſolo Deo abſque alia cauſa ſecunda, cùm ſit prima radix in ordine ſupernaturali; non poteſt ergo eſſe in eodem ordine aliqua qualitas ex ſe ordinata connaturaliter ad producendam gratiam; nam ſi ea qualitas daretur, eſſet ſupra exigentiam ipſius ordinis ſupernaturalis, atque adeò, quidquid ſit de eius poſſibilitate in ordine ad potentiam abſolutam, eſſet tamen valde miraculoſa, & per conſequens non eſt ponenda abſque neceſſitate contra exigentiam ipſius gratiæ; ſed potiùs dicendum eſt, characterem eſſe qualitatem connaturalem ordini gratiæ, & ipſi gratiæ habituali. *Vnde ſecundò concluditur.* Vnde rurſus arguitur, nec vnum characterem eſſe potentiam phyſicam ad producendum alium characterem: neque enim magis character dat virtutem ad conferendum Sacramentum Ordinis, quàm ad conferendum Sacramentum Pœnitentiæ, vel Extremæ-Vnctionis, quæ neque etiam valida ſunt abſque charactere Sacerdotali; cùm ergo hæc non fiant phyſicè à charactere miniſtri, non eſt cur ponamus efficientiam phyſicam in charactere Epiſcopi, reſpectu characteris Sacerdotis, vel Diaconi: ſi enim ſemel intelliguntur, quæ à Patribus, & Conciliis de Charactere dicuntur, abſque illa potentia actiua phyſica ipſius, non eſt, cur illam abſque neceſſitate fingamus. Adde, aliquos eſſe characteres, quibus nullus actus poſſit aſſignari indigens characteris influxu; nam omiſſis characteribus Baptiſmi, & Confirmationis, qui, vt diximus, nihil efficienter producunt, character etiam Diaconi, & Subdiaconi nihil tale producit, omnes enim actiones, quas hi miniſtri operantur, poſſent eædem, licèt non licitè, validè tamen à quolibet laico exerceri.

35. *Concluſio tertia. Explicatur. Primò.* Dico tertiò, vnum ex potiſſimis prædicatis characteris videtur eſſe, quòd ſit ſigillum, & ſignum ſpirituale deſignans ſubiectum, & ſegregans ab aliis, qui illud ſignum non habent. Quod conſtat primò ex nomine ipſo characteris, quo hæc qualitas à Conciliis, & Patribus appellatur; nam character apud Græcos idem eſt, quod apud Latinos ſignum, inſigne, forma, figura, ſeu ſigillum, quo aliqua deſignantur, ſicut quadrupedia deſignari dicuntur, vt cognoſcantur, & milites olim charactere Principis ipſis impreſſo notabantur, teſte Vegetio *lib.* 1. de re militari *cap.* 8. *Conſtat primò.* Conſtat etiam ex definitione tradita in Tridentino dicente, eſſe *ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile.* *Conſtat ſecundò.* Conſtat tertiò ex Patribus ita de Charactere loquentibus, & per hoc eius naturam, & munus explicantibus. Sic loquitur Baſilius *Orat.* 13.
36. *Baſilius.* quæ eſt exhortatio ad Baptiſmum: *Teſſeram*, inquit, *Duces ſub ſe militantibus dant, vt amici facilius ſe inuicem noſcentes exhortentur, &, ſi cum hoſtibus commiſceantur, eo facilius diſcerni, ac ſeparari poſſint. Quòd ſi fortè commilitonum ſeparatio fiat, nemo te quarũ, noſtrarum, an aduerſarij, partium ſis, nouerit, niſi myſticis ſignis familiaritatem præ te feras, niſi ſignatum ſit ſuper te lumen vultus Domini, niſi characterem in te agnoſcat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabis? Quomodo, inquam, dices, Dei ſum, ſigna non oſtendens? An ignoras, quemadmodum ſignatas domos in Ægypto exterminator præterijt; in non ſignatis verò primogenita peremit? Theſaurus non obſignatus, furibus facilè patebit. Ouis item abſque nota inſidijs protinus eſt obnoxia.* Hæc Baſilius: in quibus verbis naturam, & munus characteris Baptiſmi optimè explicat. *Nazianz.* Nazianzenus item in Oratione in ſanctum lauacrum dicit, Baptiſmum eſſe ſigillum, quo conſeruantur fideles, & dignoſcuntur tanquam ſigno vt Dei poſſeſſio. *Chryſoſt.* Chryſoſtomus *homil.* 2. in epiſt. ad Epheſ. *Porrò idem*, inquit, *charactere Spiritus ſancti nos inſigniuit.* Eodem modo loquuntur Cyrillus Hieroſolym. Epiphanius, Ambroſius, Auguſtinus, & alij, quos affert Bellarminus *lib.* 2. de effectu Sacramentorum, *cap.* 21. qui omnes de charactere dicunt, *Bellarm.* eſſe ſignum, ſigillum, imaginem, & in eodem ſenſu Paulus ad Galat. 3. dixit de omnibus baptizatis in *Galat. 3.* vniuerſum: *Omnes, qui in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis* ſcilicet, recepiſti ſimilitudinem, & ſignum illius: quod de omnibus verificatur, licèt peccatores remanſerint, & ideo vocatur character Chriſti, quia eſt quoddam ſpirituale ſignum deſignans domeſticos Chriſti per Baptiſmum, milites Chriſti per Confirmationem, & miniſtros Chriſti per Ordinem. Conſtat denique quartò, quia propter hanc etiam rationem character ſolet appellari lumen apud Dionyſium, Ambroſium, & Damaſcenum, quos affert Salas vbi ſuprà *num.* 62. *Salas.* Non eſt autem lumen, quaſi formale illuminans illum, in quo eſt, quatenus eius intellectiones producat: erit ergo lumen obiectiuum, quatenus repræſentat, & manifeſtat per modum ſigni, facitque illum hominem cognoſci vt ſeruum, vel militem Chriſti, &c.

Circa hoc tamen characteris prædicatum dubitari poteſt verùm character ſit ſignum, aut ſigillum 37. *Dubium circa concluſionem.* ſignificans naturaliter, vel ſolùm ad placitum, & ex inſtitutione Diuina? P. Suarez in præſenti *ſect.* 2. *Suarez.* poſt med. *& ſect.* 3. § *Quartò ex his conſtat*, ſupponit, non ſignificare naturaliter, ſed ex inſtitutione, & ordinatione Diuina; quod etiam dixerat Gabr. *in* 4. *Gabriel.* *d.* 6. *quaſt.* 1. *not.* 2 & Okam *in* 4. *quaſt.* 1. quibus videtur accedere etiam Vaſquez in præſenti *num.* 61. *Okam. Vaſquez.* vbi ait, characterem eſſe diſpoſitionem ex ordinatione Dei ſtatuentis, vt ſine tali charactere nullum Sacramentum verè recipiatur.

Contrarium tamen verius puto cum Salas vbi ſuprà *n.* 61. quod videtur eſſe iuxta mentem Patrum, 38. *Salas. Soluitur.* & Theologorum, qui per illam rationem ſigni, & ſigilli explicant naturam characteris. Nam ſi ex ſola Dei inſtitutione habet ſignificare, oportet illam *Prima ratio.* qualitatem ex ſe aliam habere naturam, & munus; quare non bene explicaretur eius natura per ſignificationem, quam accidentaliter, & extrinſecè habet: imò ad id munus ſignificandi potuiſſet eodem modo aſſumi quælibet alia qualitas, vel habitus: nam ex inſtitutione quælibet res poſſet eſſe ſignum poteſtatis, vel Sacramenti accepti. Præterea abſque *Secunda ratio.* vllo fundamento aſſereretur character eſſe qualitas ſupernaturalis. Si enim non ſignificat gratiam, vel poteſtatem illam ex natura ſua, ſed ex inſtitutione; non minùs poſſet id habere qualitas naturalis; ſicut Tonſura naturalis in ſua entitate ſignificat ex inſtitutione poteſtatem Sacerdotalem; vel Epiſcopalem; non enim ſignificat ex natura ſua, ſed ad placitum. Denique non repugnat, dari talem qualitatem, quæ *Tertia ratio.* ex natura ſua ſignificet, & deſignet domeſticos, vel milites, vel miniſtros Chriſti: ſi autem talis ponatur de facto, explicatur optimè effectus formalis characteris, qui eſt forma de ſe formaliter ſignans, & ſigillans tale ſubiectum, cum tali reſpectu ad Chriſtum, & ad Sacramenta, &c.

Dices, non poſſe intelligi figuram, & ſigillum merè ſpirituale naturaliter repræſentans: quia figura corporalis in tantum repræſentat naturaliter, in 39. *Inſtantia.* quantum in ſua entitate eſt ſimilis rei repræſentatæ, quia habet ſimilem proportionem partium ſaltem externam: character autem Sacramentalis non habet in ſua entitate ſimilitudinem cum Chriſto, niſi in ratione entis, cùm ſit accidens diuerſum ſecundùm omnia alia prædicata: non poteſt

ergo eſſe eius imago, & ſimilitudo, niſi intentionalis, & tunc vel erit imago intentionalis formalis, & erit cognitio: vel virtualis, & erit ſpecies impreſſa, quæ concurrit per modum principij ad cognitionem formalem; character autem nec eſt cognitio Chriſti, nec eius ſpecies, vt conſtat: ergo non eſt eius imago, nec poteſt eum repræſentare.

40. *Diluitur.* Reſpondetur, characterem non eſſe repræſentationem formalem, qualis eſt cognitio; nec virtualem, qualis eſt ſpecies: ſed obiectiuam, quatenus ipſa cognita ducit in cognitionem rei repræſentatæ, non propter ſimilitudinem, aut conuenientiam entitatiuam, quam habeat cum re repræſentata, ſed propter ordinem intrinſecum, quem habet ad ipſam ſignificandam. Sic enim videmus, aliqua eſſe ſigna *Aliqua ſunt ſigna naturalia obiectiua.* naturalia obiectiua, quæ abſque ſimilitudine repræſentant naturaliter: tales ſunt gemitus, & lachrymæ, quæ abſque vlla ſimilitudine entitatiua cum dolore interno, eum naturaliter ſignificant: quia ex natura ſua inſtituta ſunt ad illum ſignificandum: ſic etiam riſus abſque vlla ſimilitudine cum gaudio interno, illum naturaliter, & obiectiuè ſignificat: quia ſicut voces propter inſtitutionem liberam hominum ducunt ad cognitionem rerum, eò quòd ſciamus, talem vocem liberè poni, ad hoc, vt audientes veniant in cognitionem talis rei: ſic gemitus, v. g. ex natura ſua ducit ad cognitionem doloris, quia naturaliter omnes ſciunt abſque vlla prorſus diſciplina, vel experientia, quòd gemitus ſunt à natura inſtituti ad promendum, & repræſentandum dolorem internum. Quare ſicut bruta habent ſigna ob- *Explicatur à ſimili.* iectiua naturaliter inſtituta ad ſignificandos ſuos affectus internos abſque vlla prorſus ſimilitudine entitatiua, vel intentionali inter ſignum, & rem ſignificatam: ſic homines habent aliqua eiuſmodi ſigna naturalia obiectiua, vt gemitum, riſum, vultum placidum, ferocem, & ſimilia. Non ergo repugnabit, quòd dentur aliqua etiam ſigna obiectiua ſpiritualia, quæ hoc modo repræſentent, vt ſicut gemitus ducit nos ſtatim ad cognitionem doloris interni, quem gemens volt exprimere: ſic character viſus ducat in cognitionem militiæ Chriſti, v.g. quam auctor characteris voluit per eius impreſſionem ſignificari in illo homine. Quòd ſi hæc qualitas poſſibilis eſt, prout re vera videtur poſſibilis, non poteſt negari, quòd ſit magis iuxta doctrinam Patrum, & Theologorum, ſi dicatur character de facto talis eſſe, atque ideo eius effectus formalia eſſe ſignare, prout Patres dicunt, & ſigillare animam, ad hoc vt ſeparetur, & dignoſcatur, ac diſcernatur ab aliis, qui characterem non habent.

41. *Quid repræſentet character.* Quid autem repræſentet ex natura ſua character, conſequenter dicendum videtur, repræſentare Chriſtum tanquam eum, cuius homo deſignatur domeſticus, miles, vel miniſter; deinde repræſentat ipſum munus, ſcilicet militiam, miniſterium, vel ſeruitutem; item repræſentat aliquo modo auxilia diuina, quæ debentur homini ratione Sacramenti recepti ad tales, vel tales actiones bene exercendas. Denique videtur etiam, quòd repræſentet alia Sacramenta, ad quæ recipienda, vel conferenda dat ius, v.g. character Baptiſmi cætera Sacramenta, quorum homo baptizatus fit capax per Baptiſmum; character Diaconi ordinem Sacerdotij, ad quem diſponit; character etiam Sacerdotis Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ-Vnctionis, quæ Sacerdos poteſt conficere, &c. Itaque vno verbo character Baptiſmi, v.g. repræſentat, hunc hominem eſſe domeſticum Chriſti, & habentem ius ad auxilia, & vires ſpirituales, quibus facilè poſſit eius legem ſeruare, capacémque eſſe aliorum Sacramentorum à Chriſto inſtitutorum. Similiter character Ordinis repræſentat, hunc hominem miniſtrum eſſe Chriſti ad talia munera exercenda, ad talia Sacramenta conficienda, &c. Cùm enim ſit poſſibilis qualitas characteris, quæ hunc ordinem intrinſecum habeat, non eſt cur negemus hanc eſſe naturam huius characteris, qui de facto datur. Vnde conſequenter dicendum videtur, non potuiſſe dari hunc characterem Ordinis, v.g. niſi inſtituto etiam Sacramento Pœnitentiæ, Vnctionis, Euchariſtiæ, &c. ad quæ dicit ordinem intrinſecum.

Dico quartò; character ita eſt in ſua entitate ſignum, & ſigillum, vt habeat etiam aliquod prædicatum potentiæ intrinſecum, & phyſicum. Non dico, characterem eſſe potentiam phyſicam actiuam, vel receptiuam, ſed eſſe in ſua entitate phyſica, & ex natura ſua intrinſeca potentiam aliquo modo ordinatam ad aliquos effectus aliquo modo cauſandos. Hæc videtur eſſe contra P. Vaſquez, qui *n.* 94. & 95. vult, characterem eſſe merum ſignum abſque vlla prorſus actiuitate, aut potentia cauſandi. Probari autem poteſt concluſio, primò ex modo loquendi Patrum, qui in charactere aliquam virtutem indicant eſſe ad operandos effectus. Nazianzenus oratione in ſanctum lauacrum, dicit, Baptiſmum eſſe ſigillum, quo conſeruantur fideles: *conſeruatio* autem cauſalitatem, & operationem ſignificat ipſius ſigilli. Ambroſ. *lib.* 1. de Spiritu ſancto *cap.* 6. *Spiritu*, inquit, *ſignamur, vt ſplendorem, atque imaginem eius, & gratiam tenere poſſimus, quod eſt vtique ſpiritale ſignaculum*; vbi aliquam poteſtatem indicat oriri ad operandū ex ſignaculo, ſeu charactere. Catechiſmus etiam Romanus de Sacramentis in genere, §. pen. ſic ait: *Charactere Confirmationis veluti Chriſti milites ad eius nominis publicam confeſſionem, & propugnationem, ac contra inſitum nobis hoſtem, & ſpiritualia nequitia in cœleſtibus armamur, atque inſtruimur.* Armari autem charactere, efficacitatem ſignificat characteris ad agendum, vel reſiſtendum. 42. *Prima concluſio. Explicatur.* *Vaſquez.* *Probatur concluſio.* *Nazianz.* *Ambroſ.*

Ratione probant, & explicant aliqui; quia ſicut character ſenſibilis, & materialis ſeruis, vel militibus impreſſus deſeruit, vt ipſi characterem aſpicientes recordentur ſui ſtatus, & officij, ac excitentur ad debitum ſuum exequendum; ſic character Sacramentalis Baptiſmi, v.g. cenſetur excitare habitus infuſos, & ſpecies, ad memoriam obligationis contractæ, & ad ſatisfaciendum debito Chriſtianæ ſeruitutis. Hoc tamen munus non videtur arguere actiuitatem characteris, cùm ipſe in hoc vitæ ſtatu inſenſibilis, & inuiſibilis ſit, atque adeò fruſtrà daretur ad eum effectum excitandi hominem ad memoriam muneris, & officij ſui, vt conſtat. 43. *Aliquorum ratio.* *Reiicitur.*

Meliùs explicatur hæc actiuitas in ordine ad illos, quibus character perſpicuus, & manifeſtus eſt, videlicet Deum, & Angelos: deſeruit enim character in ordine ad Angelos, vt, viſo charactere, ſpecialem curam habeant illuminandi, protegendi, & gubernandi, quos vident habere ſignum Dei in frontibus ſuis. Sic enim dixit Baſilius ſuprà adductus de charactere Baptiſmi: *Niſi characterem in te agnoſcat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit?* &c. Mouetur etiam Deus ab eo charactere viſo ad conferenda auxilia, & gratias in ordine ad actiones illas, ad quas per tale Sacramentum deſtinatur ſpecialiter homo; & in hoc ſenſu dicitur homo armari, & inſtrui charactere, ſcilicet mediatè, quatenus character exigit à Deo, & mouet ipſum ad dandam illuminationem, & arma ſpiritualia; in quo etiā ſenſu appellatur paſſim à Patribus nomine *luminis*, vt ſuprà vidimus; quia nimirum exigit illuſtrationem, & lumen internum. Denique poteſt etiam dici 44. *Explicatur melius hæc actiuitas.* *Baſilius.*

potentia

potentia in ordine ad reſiſtendum, quia exigit, quòd tentationes internæ, & externæ vel impediantur, vel certè debiliores ſint, & minùs moleſtæ, vt docet ex aliis Salas vbi ſuprà *num.* 65. Quos effectus, licèt non operetur phyſice, tanquam cauſa efficiens phyſica, operatur tamen per exigentiam phyſicam, qua illos exigit; atque ideo poteſt appellari potentia aliquo modo in ordine ad illos.

Salas. Operatur character per exigentiam phyſicam.

45. *Obiicitur.* Contra hanc concluſionem obiici poteſt, quia ſi character eſt ſignum poteſtatis, vt in concluſione præcedenti poſuimus, non poteſt ipſe character eſſe poteſtas, ſed habebit ſe ſicut ſceptrum, vel corona in Rege, quæ ſolùm ſignificant, non tamen dant vllam poteſtatem. Et in caſu noſtro videtur id omnino dicendum; nam ſi aliquis ritè baptizaretur, & Deus impediret productionem characteris in illos; adhuc ille eſſet Chriſtianus, & Chriſto incorporatus per Sacramentum Baptiſmi; & cùm verum Sacramentū recepiſſet, haberet ius ad auxilia, & gratias, quæ baptizatis debentur, ac eſſet capax aliorum Sacramentorum. Item ſi ritè eſſet ordinatus Sacerdos, licèt characterem Deus impediret; adhuc eſſet verus Chriſti Sacerdos, & per conſequens poſſet validè conſecrare; ergo haberet etiam ius ad auxilia Sacerdotibus debita, & per conſequens character non affert vllam poteſtatem, ſed merum ſignum poteſtatis: ſicut inſignia doctoratus non dant Doctoribus poteſtatem, ſed ſunt mera inſignia dignitatis.

46. *Reſponſio.* Reſpondetur, characterem ita eſſe inſigne poteſtatis, vt ſimul ſit quaſi ſcriptura, & inſtrumentum poteſtatis traditæ; quare ſicut de illo, qui obtinuit à Pontifice aliquam gratiam, dicunt multi, habere iam facultatem, qua poſſit vti etiam ante Bullæ expeditionem in foro conſcientiæ, ipſa tamen expeditio Bullæ dat nouum titulum & nouum ius; ſicut etiam ſcriptura venditionis confirmat ius, quod emptor ex ipſo contractu acquiſierat; ſic character eſt quaſi Bulla aurea, ſeu ſigillum Diuinum, quo Deus teſtificatur, & profitetur poteſtatem, & ius, quod homo per Sacramentum acquiſiuit. Quare licèt antecedenter ad impreſſionem huius ſigilli iam homo ritè ordinatus ſit Sacerdos quaſi intrinſecè, non tamen eſt intrinſecè ſigillatus, nec habet Bullam expeditam ſuæ poteſtatis; ipſa autem impreſſio ſigilli dat nouum ius ad exigenda ea omnia, quæ ex Sacramento ſuſcepto debebantur: & hoc ſufficit, vt character aliquo modo dicatur eſſe potentia, & habere actiuitatem per modum exigentiæ, qua exigit ea, quæ debentur ratione Sacramenti ſuſcepti, & concurſum Dei ad operandos effectus ſpirituales, ad quos accepit poteſtatem Sacerdos, v.g. in ſua ordinatione, & Epiſcopus in ſua conſecratione.

47. *Quæritur ad quam qualitatis ſpeciem pertineat. Suppoſitio. Quid ponatur in prima ſpecie qualitatis.* His ergo ſuppoſitis circa rem ipſam, reſtat controuerſia, quam dicimus eſſe de vocibus, ad quam ſpeciem qualitatis dicendus ſit pertinere character? Pro cuius reſolutione ſuppono breuiter id, quod dixi in Metaphyſica, dum explicarem ſpecies illas in Prædicamento qualitatis, vbi dixi, in prima ſpecie poſſe intelligi ſub nomine *habitus* eas omnes qualitates, quæ cùm ſolum ordinentur ad operandum, ſupponunt potentiam in ratione potentiæ, quales ſunt habitus intellectus, & voluntatis: per *diſpoſitionem* verò poſſe intelligi eoſdem habitus, quando ſunt remiſſi; tunc enim ſunt facilè mobiles à ſubiecto, & nondum appellantur ſimpliciter habitus, quia hoc nomen tribui ſolet iis, quæ ſunt difficilè mobilia à ſubiecto, qua ratione ſolemus appellare ſebrem habitualem, quæ eſt nimis radicata in ſubiecto. *Quid in ſecunda.* In ſecunda ſpecie ſub nomine *potentia* intelligi potentias omnes quæ ſolùm dantur ad operandum; nomine autem *impotentia* vel intelligitur potentia debilis, quæ comparatione robuſtæ videtur quodammodo eſſe impotentia; vel fortaſſe diſpoſitio ſubiecti impediens operationem; vt ægrotus dicitur habere impotentiam ad currendum. *Quid in tertia.* In tertia ſpecie ſub nomine *paſſionis*, & *paſſibilis qualitatis* intelligi poſſunt aliæ qualitates, quæ dantur ad perficiendam ſubſtantiam, quæ licèt aliquæ ſint etiam operatiuæ, quando tamen non dantur potiſſimè ad operandum, imò magis notæ nobis ſunt ex ſe ipſis, quàm ex operatione, vt calor, albedo, &c. Meritò ponuntur in hac tertia ſpecie: nomine autem *paſſionis* intelligi poſſunt qualitates citò tranſeuntes, vt rubor ex verecundia, calor ex iracundia proueniens, &c. *Paſſibiles* verò *qualitates* dicuntur, quæ diu permanent, vt color natiuus, febris diuturna, &c. *Quid in quarta.* Denique in quarta ſpecie eſt pulchritudo & deformitas ſumpta pro temperamento quatuor qualitatum; quæ cùm ſit aggregatum ex pluribus qualitatibus, non eſt propriè vna ſpecies prædicamenti, ſed impropriè, & iuxta vulgi ſenſum.

48. *Character eſt in tertia ſpecie. Vaſquez.* Hoc ergo ſuppoſito, poſſumus facilè conſtituere Characterem in tertia ſpecie, quia eſt paſſibilis qualitas; nec enim in ea ſpecie conſtitui debent ſolùm qualitates corporeæ, vt fatetur Vaſquez in præſenti, *num.* 54. & aliunde character datur, non ſolùm nec præcipuè ad operandum, ſed ad perficiendum, & deſignandum ſubiectum. *Suarez.* Vnde P. Suarez, qui in præſenti, vt vidimus, characterem ponit in prima ſpecie, poſtea in Metaphyſica *tom* 2. *diſp* 42. *ſect.* 4. *n.* 23. dicit, gratiam pertinere ad tertiam ſpeciem qualitatis, eo quod per ſe primò non ſit operatiua; & *ſect.* 5. *n.* 11. *&* 12. aduertit, in tertia ſpecie conſtituendas eas qualitates ſpirituales, quas Deus diuinitus ponit in ſubſtantia ſpirituali ad illam perficiendam; atque adeò id, quod S. Thom. 5. *Metaph. ſect.* 16. dicit, qualitates tertiæ, & quartæ ſpeciei in ſolis rebus corporalibus reperiri, debere intelligi ex natura rei; quia iuxta naturalem ordinem non reperiuntur in ſubiecto ſpirituali tales qualitates: non tamen id intelligi in ordine ad potentiam abſolutam, & ordinem ſupernaturalem.

49. *Impropriè ponitur in aliis ſpeciebus. Quomodo in prima.* Poteſt etiam character impropriè collocari in aliis ſpeciebus, ſcilicet in prima ſpecie, quatenus eſt qualitas ſupponens potentiam, & ordinata ad hoc, vt ſubiectum faciliùs, & meliùs operetur, in quantum exigit auxilia Diuina ad tales operationes, vt vidimus. *Quomodo in ſecunda.* In ſecunda etiam ſpecie potentiæ, & impotentiæ poteſt aliquo modo conſtitui, quatenus datur aliquo modo ad operandum effectus ſupernaturales. *Quomodo in quarta.* In quarta denique conſtitui poteſt, quatenus eſt figura quædam ſpiritualis, quæ figurat, & ſigillat ſubiectum, quod eſt potiſſimum munus characteris; non tamen eſt propriè figura, quia hæc in rigore non conuenit, niſi rebus materialibus, & habentibus diuerſam partium poſitionem, & ordinem inter ſe.

50. *Hinc colligitur ſupernaturalitas characteris, quæ aliquibus difficilè explicatur.* Hinc poſſumus colligere iam characteris ſupernaturalitatem, quam quidem difficilè poſſunt explicare, aut probare, vt vidimus, qui dicunt, characterem eſſe ſignum ad placitum ex inſtitutione Diuina: prout videtur ſentire P. Suarez *d. ſect.* 2. poſt med. & *ſect.* 3. §. *Quartò, ex his conſtat*; vbi dicit, eſſe ex Diuina ordinatione ad hoc deſtinatum; ſicut character etiam externus Circumciſionis fuit ſignum ex Diuina ordinatione impoſitum. *Ex doctrina Suarez duo ſequuntur difficilia. Primum eſt, cur potius dicatur hæc qualitas ſupernaturalis quàm naturalis.* Ex qua doctrina duo videntur ſequi valde difficilia: primum, non eſſe cur potiùs hæc qualitas dicatur ſupernaturalis, quàm naturalis. Cùm enim ex natura ſua non habeat ſignificare effectus Sacramentorum, aut poteſtatē & munera, &c. Eodem modo poſſet ad id ſignificandum imponi aliqua qualitas naturalis, vel

Secundum eſt, non poſſe explicari effectum formalem illius.

vel quælibet alia entitas. Secundum eſt, non poſſe iam explicari, qualis ſit effectus formalis, quem hæc qualitas confert ſubiecto; cùm enim ex natura ſua non ſignet, aot ſigillet animam, debet dare alium effectum formalem, qui difficilè poterit aſſignari. Cùm ergo omnes conſentiant in hoc, quòd hæc ſit qualitas ſupernaturalis, conſequenter debemus aſſerere eam ex natura ſua eſſe ſignum, & characterem, provt nomen ipſius ſignificat, & ſuprà latè probaoimus; quo ſuppoſito conſtat, eſſe ſupernaturalem propter connexionem, quam haber cum gratia & cum Sacramentis, & aliis effectibus ſupernaturalibus, & beatitudine ipſa ſupernaturali, ad quam ordinatur, qoæ connexio ſuperat certè totum ordinem naturæ.

SECTIO IV.

In quo ſubiecto ſit Character, & de aliis eius proprietatibus.

51. *Non eſt difficilias de cauſa efficiente characteris.*

DE cauſa efficiente Characteris non eſt ſpecialis difficultas; eadem enim eſt ratio de illo, ac de gratia habituali; quare ſi Sacramenta efficiant phyſicè gratiam, efficient etiam phyſicè characterem; ſi verò gratiam cauſant ſolùm moraliter, provt ſuprà diximus, idem dicendum erir reſpectu characteris. De cauſa etiam materiali remota, ſeu vltima, certum eſt eſſe hominem: de proxima, ſeu immediata eſt controuerſia inter Theologos.

Quæſtio eſt de cauſa materiali proxima.

52. *Prima ſententia vult eſſe corpus. Durand. Impugnatur.*

Prima ſententia poteſt eſſe, quòd ſubiectum immediatum characteris ſit corpus, quam Soto tribuit Durando; ſed Suarez, & Vaſquez in præſenti notarunt, Sotum in hoc lapſum fuiſſe, tribuendo Durando quaſi eius ſententiam id, quòd Durandus inferebat ſolùm tanquam abſurdum contra ſententiam S. Thomæ, quam impugnabat. Cæterùm P. Suarez dicit, ex alio capite potuiſſe illam ſententiam Durando tribui; quia cùm Durandus ponat, characterem non eſſe qualitarem phyſicè inhærentem, vt ſuprà vidimus, ſed aliquid morale ex Sacramenro præterito, conſequens eſt, quòd idem ſit ſubiectum characteris, quod fuit ſubiectum Sacramenti, à quo ipſe character realirer non diſtinguitur, quare cùm Sacramentum in corpore recipiatur, quando exiſtit, idem corpus debet eſſe ſubiectum characteris in eius ſententia. Sed re vera nec hoc modo id ſequitur ex Durandi ſententia; nam licèr ens morale non differat realiter ab illo ente phyſico, in quo fundatur; eo tamen modo, quo moraliter exiſtit, intelligi poteſt habere moraliter aliquod aliud ſubiectum: ſic enim intelligitur in puero peccatum originale, quod quidem, vt ſuppono, eſt aliquid morale intrinſecum, cuius fundamentum fuit peccatum Adæ vt capitis moralis: & quidem illud peccatum habuit pro ſubiecto phyſico voluntatem, vel animam Adæ: hoc autem peccatum morale haber pro ſubiecto puerum; quia nimirum hoc, quod eſt Adamum conſtitutum capur poſterorum peccaſſe, æquiualenter, ſeu moraliter eſt hunc puerum peccaſſe, & perinde ſe habere in ordine ad odium Diuinum, ac ſi nunc haberet phyſicè peccatum. Sic ergo poſſet dicere Durandus, Sacramentum præteritum tale receptum in corpore reputari moraliter characterem phyſicum impreſſum, & receptum phyſicè in anima, atqne adeo moraliter nunc eſſe characterem in anima ratione Sacramenti præteriri.

Vindicatur Durandus ob hac ſententia.

53. *Secunda ſententia vult eſſe voluntatem.*

Secunda ergo ſententia docet, characterem recipi immediatè in ſola voluntate. Hanc tenent Scotus & Baſſolis, quibus fauent Okam, & alij, quos affert Salas vbi ſuprà *ſect.* 3. *num.* 68. Fundamentum eſt, tum quia character diſponit ad gratiam, quæ recipitur in voluntare, eo quod non diſtinguatur à charitate; tum etiam, quia character eſt ſignum obligationis hominis ad Deum, quæ obligatio eſt in voluntate; denique, quia inclinat ad colendum Deum, & ad actus religionis, qui ſunt in voluntate.

Scot. Baſſolis. Okam. Salas. Fundamentum huius ſententiæ.

54. *S. Thom. Tertia vult eſſe intellectũ. Vaſquez. Salas.*

Tertia ſententia docet, recipi in ſolo intellectu: hanc tenent S. Thom. in præſenti, *art.* 4. quem ſequuntur communiter Thomiſtæ, cum aliis, quos refert Vaſquez in præſenti, *num.* 79. Eandem ſequitur Salas vbi ſupra, *n.* 70. cum aliis mulris, quos ibi affert: fundamenta huius ſententiæ poſtea referemus.

Quarta in vtroque. Bonauent. Alexan. Vaſquez. Malè à Vaſquez impugnatur.

Quarta ſententia ponit characterem in intellectu ſimul, & voluntate: hanc tenent Bonauentura, & Alexander apud Vaſquez *num.* 80. qui *num.* 85. eam impugnat ex eo, quòd non poſſit vnum accidens ſimplex recipi immediatè in duplici ſubiecto. Hoc tamen fundamentum inefficax eſt, vt dixi in Philoſophia, vbi oſtendi vnionem recipi in vtroque extremo, & actus vitales materiales cognoſcendi, & amandi recipi in corpore, & anima: nec poteſt afferri aliquod argumentum efficax ad probandum illud principium P. Vaſquez.

55. *Quinta vult eſſe eſſentiam animæ. Marſilius. Gabriel. Suarez. Vaſquez. Bellarm. Palatius. Conc. Trid. Concil. Flor.*

Quinta ſententia verior dicit, recipi characterem immediatè in eſſentia animæ: hanc tenent Marſilius, & Gabriel: quos afferunt & ſequuntur Suarez, & Vaſquez in præſenti. Eandem renet Card. Bellarm. 1. de Sacram. *cap.* 19. *concl.* 4. Palatius *in* 4. *d.* 4. *q.* 1. *concl.* 3. & alij: hanc aliqui colligunt ex Tridentino, & Florentino dicentibus, characterem imprimi in anima. Cæterùm id non probat, animam eſſe ſubiectum immediatum; ſufficeret enim ad id verificandum, ſi recipiatur in potentiis animæ.

56. *Probatur primò ratione, eo quod potentiæ non diſtinguantur. Secundò probatur exemplo accidentium materialium.*

Ratione ergo probari poteſt primò in ſententia, quam in Philoſophia probabilem reputaui, docente, potentias realiter non diſtingui ab anima: hoc enim poſito, ceſſat omnino quæſtio. Secundò ex alio principio Philoſophico, quòd Philoſophi aliqui probabiliter docent, accidentia ſcilicet materialia recipi immediatè in materia prima, & non mediante quantitate tanquam ſubiecto recipiente: quia vbi non fuerit peculiaris neceſſitas, connaturalius eſt, quod accidentia recipiantur in ſubſtantia, cuius entia ſunt, & ad cuius perfectionem ordinantur, quàm in alio accidenti. Cùm ergo character ordinetur ad perficiendam, decorandam, & ſignandam animam, magis congruit, quòd in ipſamet recipiatur, eamque afficiat, quàm in alio ſubiecto. Tertiò probari poteſt, quia etiamſi habitus acquiſiti, vel infuſi non recipiantur immediatè in anima, ſed in potentiis (quod fortaſſe non caret difficultate) non debet id de charactere affirmari: nam habitus dantur ad cooperandum cum tali potentia determinata: Character verò cùm non ſit qualitas operatiua, ſed data potiſſimum ad perficiendum, & ornandum ſubiectum, non procedit in illo eadem ratio, quæ in habitibus acquiſitis, vel infuſis.

Tertiò probatur eo quòd non ſit qualitas operatiua vt habitus.

57. *Inſtantia. Diluitur.*

Dicunt, characterem eſſe ſaltem potentiam moralem ad aliquos actus, ad quos exigit auxilia, vel concurſum &c. Sed contra, quia imprimis, ſi hæc ratio aliqoid probat, probat vtique characterem debere recipi in intellectu ſimul, & voluntate; quia character petit auxilia ad actus vtriuſque potentiæ, quæ auxilia partim ſunr illuſtrationes pertinentes ad intellectum, partim affectiones pertinentes ad voluntatem. Deinde non arguitur bene ex eo, quòd character afferat ius ad aliquas operationes, quòd debeat recipi in illa potentia: nam gratia habitualis affert ius ad viſionem beatã: & tamen non recipitur in intellectu, ſed in anima: & ipſa viſio beata affert ſecũ ius ad dotes gloriæ, quæ recipiuntur in corpore glorioſo,

Malè arguitur, eo quod character afferat ius ad aliquas operationes, quod debeat recipi in illa potentia, exemplo gratiæ habitualis.

Retro. glorioſo. Ratio autem eſt, quia ius ad hoc morale eſt dignitas ſuppoſiti ad aliquid; hæc autem dignitas magis ſe habet ex parte eſſentiæ; & non eſt inconueniens, quòd dignitas orta ex vna potentia det ius ad præmium, ſeu ad aliquod bonum alterius potentiæ, vt operationes bonæ, quæ ſunt in voluntate, dant ius, vt detur præmium beatitudinis intellectui, & aliis potentiis.

58. *Inſtantia.* Dicunt alij ſecundò, characterem ex natura ſua habere vim ſaltem ad excitandas ſpecies intellectuales deſeruientes ad tales operationes propter ſympathiam occultam, quam habet cum illis, ſicut aliqui humores habent vim propter ſimilem ſympathiam ad excitandas ſpecies aliquorum obiectorum; quare ex hoc ſaltem capite petit recipi in intellectu, in quo ſunt ſpecies illæ, quæ ab ipſo debent excitari. *Diluitur.* Sed contra hoc eſt, primò poſſe retorqueri idem argumentum: nam humores, qui habent vim propter illam ſympathiam excitandi ſpecies, non ſunt in eodem ſubiecto, aut in eadem potentia, in qua ſunt ſpecies excitandæ; ſed ad hoc ſufficit approximatio localis, vt conſtat: ergo propter hoc munus non debet character ſubiectari in intellectu. Secundo, ſpecies ipſæ in mea ſententia & lib. de Anima recipiuntur in ipſa anima: ergo multò magis ipſe character. Tertiò, ſi character excitaret illas ſpecies, ſemper excitaret illas: ſicut humores, quando adſunt, excitant ſemper ſpecies, cum quibus habent ſympathiam. Cùm ergo character ſemper adſit æquè applicatus, ſemper & aſſiduè excitabit ſpecies; quod tamen eſt contra experientiam. Quartò denique, hæc proprietas nullo modo poteſt colligi ex nomine, vel natura characteris: nam character vt character eſt ad ſignandum ſubiectum, non ad excitandas ſpecies.

Quidquid excitat ſpecies intellectuales non debet eſſe in intellectu. Secundò, ſpecies ipſæ in ipſa anima recipiuntur. Tertiò, character non illas excitat, aliòquin ſemper illas excitaret, cùm ſemper ſit præſens.

59. *Inſtantia.* Dicunt, imò hoc eſſe proprium munus characteris: nam character ad hoc imprimitur ſeruo, vt militi, vt memorem eum reddat officij ſui: ergo ſimiliter character Chriſtiani, vel Sacerdotis, ordinabitur ad eundem finem, vt reducat in eius memoriam frequenter ſtatum & debitum ſuum. *Reſoluitur.* Sed contrà, quia character materialis non aliter id præſtat, niſi in quantum ipſe character viſus, & cognitus ducit in notitiam rei ſignificatæ, atque adeò, non habet illud munus, niſi vt ſignum inſtrumentale eſt, quod eſt proprium characteris, vt character eſt: excitare autem ſpecies rei ſignificatæ abſque eo; quod cognoſcatur ipſe character, longè abeſt à natura characteris materialis: nec id vllo modo poteſt fundari in nomine, aut conditionibus characteris, ſed potiùs oppoſitum, quod ſcilicet non ducat in cognitionem alterius, niſi media cognitione ſui ipſius.

Non poteſt character excitare ſpecies niſi prius cognoſcitur, eſt enim ſignum inſtrumentale quod non niſi cognitum ducit in cognitionem ſui ipſius.

60. *Inſtantia tertia.* Alij tertiò dicunt, debere recipi in intellectu, quia eſt lumen ſpirituale, vt conſtat ex modo loquendi Patrum, & Theologorum, quos congerit Salas vbi ſuprà *num.* 71. lumen autem debet eſſe in intellectu, vt illum illuminet. *Diluitur.* Sed contrà; quia iam ſupponimus characterem non eſſe ſicut lumen gloriæ, nec concurrere vt principium phyſicum ad actus ſupernaturales, vt ſentit etiam ipſe Salas; erit ergo lumen ſolùm, vel quatenus ſigillando illud ſubiectum manifeſtat illud eſſe deputatum domeſticum, aut militem, vel miniſtrum Chriſti; vel ad ſummum quatenus affert titulum moralem ad illuſtrationes Diuinas in ordine ad exequendum tale, vel tale munus. Neutro autem modo eſt tale lumen, quod debeat eſſe in intellectu; nam in primis, ſignū, quod aliis manifeſtat ſtatum meum, non debet recipi in meo intellectu: non enim eſt tam lumen ad me, quàm ad alios illuminandos, vt meliùs me cognoſcant. Sic etenim character ſerui illuminat alios, vt ſciant illum eſſe ſeruum; non tamen recipitur in intellectu ſerui. Neque etiam in ſecundo ſenſu debet recipi in intellectu, eo quòd afferat titulum moralem ad habendas illuſtrationes, quia, vt ſuprà diximus, id quod eſt in eſſentia, vel in vna potentia, affert ſæpe ius morale ad operationes alterius potentiæ.

Character nō eſt ſicut lumē gloriæ, nec concurrit vt principium phyſicum ad actus.

Non eſt tam lumen ad ſe ipſum omnis quàm ad alios quibus manifeſtat.

61. *Hæc ſimilis ratio ſoluitur.* Hinc ſoluitur alia ſimilis ratio, quam affert Salas vbi ſuprà, quòd ſcilicet omnis imago, figura, & ſimilitudo ſpiritualis pertinet ad intellectum; talis autem eſt character. Reſpondetur imaginem intentionalem expreſſam, qualis eſt intellectio, vel ad ſummum, impreſſam, quæ eſt ſpecies, & principium expreſſæ, poſſe pertinere ad intellectum, quia vel eſt cognitio, vel principium cognitionis; non verò imaginem obiectiuam, quæ ſolùm eſt ſignum inſtrumentale obiecti, & repræſentat, quando ipſa cognoſcitur.

Imago obiectiua non debet eſſe in intellectu.

62. *Sotus. Sotus aliter arguit.* Sotus arguit ex eo, quod character ordinatur ad efficiendam fidei profeſſionem per ſuſceptionem, vel adminiſtrationem Sacramentorum, vel confeſſionem fidei coram infidelibus: ergo debet eſſe in eodem ſubiecto, in quo eſt fides, nempe in intellectu. *Impugnatur facile.* Reſpondetur, propter hanc rationem magis debuiſſe poni in voluntate, à quâ oritur voluntas credendi, & profitendi fidem; quâ voluntate poſita, ſequitur neceſſariò aſſenſus, vel profeſſio externa fidei: ſed re vera in neutra potentia debet ob id poni, præſertim cùm non ſit principium phyſicum illorum actuum, ſed ad ſummum afferat ius aliquod ad habenda auxilia opportuna, quibus fiant.

63. *Fundamenta ſupra inſinuata euertuntur.* Deniique, fundamenta ſuprà inſinuata pro ſecunda ſententia ad probandum, quod eſſet in voluntate, facilè ex dictis ſoluuntur. Ad primū enim negamus, gratiam eſſe in voluntate, vel eſſe idem cum charitate, vel characterem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, & licèt eſſet diſpoſitio, poſſet eſſe in diuerſo ſubiecto; vt actus fidei diſponit ad actum charitatis, qui eſt in voluntate: & actus ſupernaturales diſponunt ad gratiam, quæ eſt in eſſentia animæ.

Ad primum negatur gratiam eſſe in voluntate.

64. *Ad ſecundum, nō debet ſemper ſignū obligationis poni in voluntate.* Ad ſecundum, non oportet ſignum obligationis poni ſemper in voluntate, ſed ibi, vbi videri poſſit; vt contingit in ſigno ſeruis impoſito; quod magis habet locum in charactere Sacramentali, qui non ſemper ſuſcipitur liberè, vt conſtat in infantibus baptizatis, & confirmatis, & qui poſſent etiam ordinari ante rationis vſum. Ad tertium denique iam diximus, licèt character afferat auxilia ad actus religionis, non ideo debere eſſe in voluntate: ſicut neque in intellectu, licèt afferat auxilia ad actus fidei. Fundamenta, quæ pro aliis ſententiis adduci poſſunt, non indigent ſolutione.

65. *Infertur Angelos eſſe capaces characteris.* Ex dictis infertur primò, Angelos eſſe etiam capaces characteris alicuius ſpiritualis, non quidem huius, quem nos habemus (quia non poſſunt recipere hæc Sacramenta, quæ hîc character ſignificat) ſed alterius poſſibilis, qui ſignificaret eos deputatus ad tale, vel tale miniſterium Diuinum, vel etiam circa obſequium, & familiam Chriſti. Infertur ſecundò, Chriſtum Dominum non fuiſſe capacem huius noſtri characteris, quia ipſe non poterat deſignari, vt domeſticus Chriſti, nec vt Miles aut miniſter ipſius, cùm eſſet ipſe Dominus, cui alij deſignantur per hos characteres.

Chriſtus non fuit capax characteris.

De Characteris indelebilitate.

66. *Character nō eſt delebilis in hac vita.* Reſtat ergo, vt dicamus de alia characteris proprietate, quæ eſt eius indelebilitas: de qua primò certum eſt, non eſſe indelebilem in ordine ad po-

Eſt tamen de potentia abſoluta. *Colligitur ex eo quòd illa Sacramenta non poſſint iterari.*

tentiam abſolutam. Secundò certum eſt, non deleri de facto in hac vita. Hoc enim ad minus ſignificant Concil. Florent & Trident. dum docent, eſſe indelebilem. Colligitur autem ex eo, quòd illa Sacramenta reiterari nunquam poſſunt: ergo character ſemper manet; quia alioquin vel ille homo deberet iterum baptizari, aut ordinari, vel certè eſſet Chriſtianus, vel Sacerdos abſque charactere: & per conſequens à principio potuiſſet eſſe talis ſine illo.

67. *Inſtantia.* *Diluitur.* *Negando paritatem.*

Dices; gratia eſt qualitas perfectior, quàm character, & tamen deletur per peccatum mortale: ergo poterit etiam character deleri per actum malum. Reſpondetur negando conſequentiam: quia gratia etiam in primo fieri poſtulat carentiam peccati actualis mortalis; quare non mirum, quòd etiam in ſua conſeruatione eandem carentiam exigat: character verò producitur etiam in peccatore ſuſcipiente in peccato actuali Baptiſmum, aut Ordinem: non ergo requirit carentiam peccati, vt conſeruetur; plura enim requiri ſolent ad primam rei productionem, quàm ad conſeruationem.

68. *Inſtantia.* *Diluitur.* *Etiamſi eſſet voluntas non recipiendi characterē, adhuc reciperetur.*

Sed contrà vrgebis, quia character in primo fieri requirit voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum: ergo poterit ſaltem perire, adueniente voluntate contraria, ſicut gratia deſtruitur adueniente peccato. Reſpondetur negando conſequentiam, quia voluntas illa in primo fieri non requiritur ratione characteris, ſed ratione Sacramenti, quod ſuſcipi non poteſt ab adulto, niſi volente. Ad receptionem autem Sacramenti, ſequitur neceſſariò character independenter ab omni actu voluntatis, imò licèt eſſet voluntas contraria non recipiendi characterem, adhuc reciperetur, ſi adeſſet voluntas recipiendi Sacramentum: quare nec poſtea poterit voluntas immediatè expellere characterem, quem immediatè non introduxit; mediatè autem minus poterit eum expellere, cùm non poſſit expellere Sacramentum, quo mediante inductus eſt character. Alia differentia aſſignari poteſt inter characterem & gratiam: quòd ſcilicet gratia eſt amicitia cum Deo; amicitia autem petit incipere, & conſeruari voluntariè, quare expellitur per peccatum mortale, quo peccator voluntariè recedit à Deo: Character verò eſt ſignum ſeruitutis, vel militiæ, &c. quod quidem qui ſemel voluntariè recepit, non poteſt poſtea pro libito abiicere.

Alia differentia inter gratiam & characterem.

69. *Manet etiam character poſt mortem.* *Probatur à poſteriori.*

Dubitatur, vtrùm character maneat etiam poſt mortem? Communis ſententia Theologorum affirmat, quæ licèt non ſit à Conciliis definita, eſt tamen verior. Probatur primò à poſteriori: quia Chriſtianus, vel Sacerdos, qui poſt mortem miraculosè reſurgit, non baptizatur, aut ordinatur iterum: ergo manet in eo prior character.

70. *Inſtantia.* *Diluitur.*

Dices, reproduci characterem in illo, quando reſurgit, vel certè Deum conſeruare illum poſt mortem, quando ſcit, aliquem ad vitam reuocandum. Sed contrà: quia ſi character ex natura ſua perit poſt mortem, non deberemus illa miracula præſumere, ſed potiùs, periiſſe iuxta ſuam naturam, & reiteranda eſſe Sacramenta. Si ergo non reiterantur, ideo eſt quia putamus, characterem ex natura ſua non debuiſſe perire poſt mortem.

71. *Inſtantia.* *Diluitur.*

Dices ſecundo: habitus fidei perit per ingreſſum in beatitudinem; & tamen ſi reſurgeret aliquis beatus, & rediret ad ſtatum viatoris, reciperet de nouo habitum fidei amiſſum: ergo etiam character amiſſus recuperaretur. Reſpondetur, eſſe diſcrimen, quòd habitus fidei connaturaliter dimanat ex gratia habituali, quæ in via exigit fidem, & in patria lumen gloriæ, tanquam paſſiones, & potentias, licèt diuerſas, iuxta diuerſum ſtatum; quare cùm perſeueraſſet gratia, ex illa repullularet habitus fidei; character verò non eſt paſſio gratiæ, vt conſtat: quare ſi ſemel periiſſet, non rediret connaturaliter.

72. *Inſtantia.* *Diluitur.*

Vrgebis tertiò: calix conſecratus, vel Eccleſia, ſi ſemel deſtruatur, amittit conſecrationem; atque adeò, ſi iterum fiat ex eadem materia, indiget noua conſecratione: ergo & homo ſemel conſecratus, ſi pereat, & reproducatur, indigebit noua conſecratione, & nouo charactere. Reſpondetur negando conſequentiam; quia conſecratio calicis, vel Eccleſiæ eſt entitas moralis adhærens toti compoſito, vt tale compoſitum artificiale eſt: character verò imprimitur in ſola anima, quare, manente anima, manet in ea idem character, qui fortaſſe non maneret, ſi anima ipſa annihilaretur, & poſtea reproduceretur, vt argumentum videtur probare.

73. *Character manet per totam æternitatem.* *Ratio eſt, quia eſt ſpiritualis & incorruptibilis.*

Hinc infertur, characterem non ſolùm manere poſt mortem, ſed in æternum etiam; quia ſi ex natura ſua indelebilis eſt, non eſt maior ratio, cur maneat per tot annos, quàm per totam æternitatem. Ratio autem à priori videtur eſſe ſpiritualitas & incorruptibilitas characteris, cùm enim pendeat à ſolo Deo, nec habeat qualitatem contrariam, non eſt cur aliquando debeat corrumpi.

74. *Dices fruſtra erit poſt mortem.* *Reſpondeo honore eſſe vt remaneat ſignū poteſtatis acceptæ.*

Dices, character Sacerdotis, v. g. ad nihil deſeruiet in patria: nam anima ſeparata, imò nec beatus in corpore glorioſo ſaltem poſt diem iudicij, nō poteſt validè conſecrare, aut abſoluere, &c. Fruſtra autem eſt potentia, quæ non poteſt reduci ad actū; idcirco enim habitus fidei corrumpitur in patria, quia iam non poteſt ampliùs habere aliquem actum. Reſpondetur, non dari characterem potiſſimum ad operandum, vt diximus, ſed tanquam inſigne poteſtatis acceptæ. Sæpe autem honoris gratia retinet aliquis domi ſuæ inſignia, & ſcripturas dignitatis, quam habuit, etiam poſtquam officio functus eſt: pertinet enim ad maiorem beati gloriam retinere inſignia muneris, quod exercuit in familia Chriſti: ſicut etiam conducit ad maiorem damnati confuſionem.

75. *Character habet ex natura ſua vt ſit indelebilis, quid enim impedit, neque ſunt multiplicādā miracula.*

Infertur item deciſio alterius dubij; an character ſit indelebilis ex natura ſua, an ſolùm ex libera Dei ordinatione? Ex dictis enim colligo, omnino hoc habere ex natura ſua; primò, quia non debemus fingere miracula abſque neceſſitate: cùm ergo de facto non corrumpatur, debemus credere, hanc eſſe eius naturam. Secundò, quia potuit dari talis qualitas ex natura ſua incorruptibilis: ergo debuit talis produci de facto: debuit enim eſſe talis character, qui non corrumperetur ſtatim poſt mortem in iis, qui ad vitam redeunt: qualitas autem, quæ ex natura ſua haberet tunc non corrumpi, habebit etiam nunquam corrumpi; nam reſurrectio poſſet fieri poſt mille, & plures annos abſque termino: ſi ergo petebat ex natura ſua durare toto illo tempore, non petit corrumpi poſt alios plures annos; nam poſt illos etiam potuiſſet ille homo redire ad vitam.

Poſſet peti, quomodo character, cùm ſit qualitas ſupernaturalis, poſſit in inferno videri: & cognoſci à damnatis, qui carent omni habitu, & actu ſupernaturali? De hoc tamen dixi in tractatu de viſione Dei, vbi egimus de conceptu communi entis ſupernaturalis.

An ſit qualitas indiuiſibilis.

76. *P. Suarez.* *Character eſt indiuiſibilis.*

Reſtat alia characteris proprietas examinanda, an ſcilicet ſit qualitas diuiſibilis, vel indiuiſibilis? P. Suarez in præſenti *art.* 5. in fine, dicit, debere eſſe de facto æqualem in omnibus, atque adeo eſſe indiuiſibilem, & incapacem intentionis; quia congruebat talem produci qualitatem de facto, quæ ex natura

natura ſua eſſat accommodata ad finem, ad quem ordinabatur. An verò character Ordinis inferioris intendatur per characterem Ordinis ſuperioris, reliquit alibi definiendum. P. Vaſquez c. 5. in fine dicit, de facto eſſe quidem æqualem in omnibus; an verò ex natura ſua ſit capax intenſionis, non poſſe nobis conſtare.

77. *In Sacramēto Ordinis Character Ordinis ſuperioris non intenditur per characterem Ordinis inferioris. Prima ratio.*

Ego imprimis exiſtimo, characterem Ordinis inferioris non intendi per characterem Ordinis ſuperioris. Quod dupliciter probatur; primò, quia intenſionis gradus, ſiue ſint homogenei, ſiue heterogenei, omnes tamen ſunt in ordine ad idem obiectum, vt conſtat in actu voluntatis, vel intellectus intenſo; in quo non ſunt aliqui gradus inferiores repræſentantes vnum obiectum, & alij ſuperiores repræſentantes aliud; ſed omnes repræſentant idem obiectum: quod ideo repræſentatur intensè, quia repræſentatur per omnes illos gradus, nec poteſt vna cognitio remiſſa vnius obiecti vniri cum cognitione alterius obiecti ad faciendam intenſionem, ſicut nec vna ſpecies impreſſa vnius obiecti cum alia ſpecie impreſſa alterius: intenſio enim tota eſt ad idem ſubiectum, & ad eum effectum formalem, non ad diuerſum: ergo character ſignificans munus Diaconi, v.g. non poteſt vniri intenſiuè cum charactere Presbyteri: ſinguli enim habent ſignificationem valdè diuerſam, & non ſignificarent poſtea aliquid intensè, ſed duo ſignificata remiſsè.

78. *Secunda ratio.*

Secunda ratio eſt, quia ſi hi characteres vnirentur intenſiuè inter ſe, eſſet ordo inter illos: omnes enim, qui ponunt gradus intenſionis heterogeneos, ponunt ordinem inter illos, ita vt hic petat eſſe primus, & ille ſecundus, & ſic de aliis: peteret ergo character Subdiaconi vniri immediatè cum charactere Diaconi, & mediatè ſolùm cum charactere Presbyteri: ſi ergò Subdiaconus fieret Sacerdos per ſaltum ante Diaconatum, illi duo characteres non poſſent inter ſe vniri immediatè, nec facere intenſionem: ergo ſicut tunc ille homo habet vtrumque characterem, tanquam duas formas totales dantes duos effectus formales, ſic etiam quando haberet etiam Diaconatum, haberet tres characteres non vnitos intenſiuè.

79. *Idem potiori iure dicitur de charactere Baptiſmi in Ordine ad characterem Confirmationis.*

Hoc ipſum dici à fortiori debet de charactere Baptiſmi in ordine ad characterem Confirmationis, & Ordinis, ſcilicet non vniri inuicem ad faciendam intenſionem: nam contra illam vnionem procederent eadem argumenta, vt conſideranti patebit. Item eadem ferè ratione probari poteſt, eos characteres non vniri extenſiuè inter ſe: quia ſi ita vnirentur, deberent etiam vniri cum aliquo ordine, ſcilicèt character Subdiaconatus cum charactere Diaconi immediatè & mediatè cum charactere Presbyteri: quare in Presbytero, non Diacono non poſſent vniri illi duo characteres Subdiaconi & Presbyteri: ſic etiam baptizatus non confirmatus, vel non Diaconus ſi eſſet Sacerdos, non vnirentur illi duo characteres Baptiſmi, & Ordinis, quia deeſſet character Confirmationis, vel Diaconi, qui deberet mediare.

80. *Singuli characteres ſi æquales ſint in omnibus, videtur veriſimile eſſe ex natura ſua illos ſecundùm ſe non poſſe intendi.*

Difficultas poteſt eſſe, an ſinguli characteres ſecundùm ſe, v.g. character Baptiſmi, poſſint eſſe magis, vel minùs intenſi. Et quidem loquendo de poſſibili, veriſimile eſt, quòd ſi de facto character in omnibus æqualis ſit, & poſſibilis ſit aliqua qualitas tertiæ ſpeciei, quæ non ſit capax intenſionis, character noſter ſit talis ex natura ſua, vt intendi non poſſit. Cur enim ſi poſſibilis eſt talis qualitas, non fuiſſet de facto producta? An verò poſſibilis ſit talis qualitas, Suarez in præſenti affirmat: at verò *in 2. tom. Metaph. diſp. 46. ſect. 2. n. 15.* dubitare videtur.

Quod verò de facto ſit æqualis in omnibus ſubiectis character, poſſet in dubium reuocari ex eo, quòd character eſt quaſi moralis potentia in Ordine ad auxilia, & gratias, quas exigit ratione Sacramenti præteriti, vt ſuprà diximus. Hæc autem exigentia non eſt æqualis in omnibus ſubiectis; nam cùm hæc exigentia oriatur à gratia habituali Sacramentali, quæ datur in Ordine ad tales effectus, vt diximus ſuprà *diſp. 4. ſect. 3.* Gratia autem habitualis Sacramentalis non ſit in omnibus æqualis, ſed inæqualis iuxta diuerſas ſingulorum diſpoſitiones, conſequens eſt, vt ille, qui maiorem gratiam recepit in Sacramento, habeat ius ad maiora, & vberiora auxilia, vt conſtat in eo, qui cum maiori deuotione recepit Euchariſtiam; nam proculdubio habet ex vi Sacramenti titulum ad maiora, & vberiora auxilia. Si ergo character eſt titulus moralis ad illa auxilia, ille erit maior titulus, qui fuerit ad maiora auxilia; & per conſequens non erit æqualis character in omnibus, qui recipiunt idem Sacramentum.

Adhuc tamen retinenda eſt communis ſententia, quòd character ſit in omnibus æqualis. Ad difficultatem verò propoſitam dici poteſt, characterem non eſſe titulum abſolutum ad auxilia ſpecialia, ſed ſolùm ſub conditionem, ſi maneat gratia habitualis collata ex Sacramento. Diximus enim *d. diſp. 4.* vbi ſuprà ius ad illas gratias, & auxilia non durare, niſi quandiu durat gratia habitualis, quam quidem gratiam character non ſignificat abſolutè, & multò minùs hanc, aut illam gratiam determinatè; recipitur enim à peccatore nullam gratiam habitualem recipiente. Non ergo ſignificant inæqualiter, aut inæquales gratias characteres in diuerſis hominibus; ſed eodem modo; quia omnes ſub conditione ſignificant ius ad auxilia iuxta menſuram gratiæ habitualis, quæ collata fuerit ex vi Sacramenti, quæcumque illa ſit, cùm character de ſe non petat determinare vllam, nec etiam in communi, ſed poſſit conferri abſque vlla gratia habituali: quare neque ex hoc capite oportet in illis ponere vllam inæqualitatem. Et hæc ſufficiant de Charactere. 81. *Communis ſententia vult characterem eſſe in omnibus æqualem. Reſpondetur ad difficultatem propoſitam.*

DISPVTATIO VII.

De Cauſa inſtituente Sacramentum.

Sectio I. *Vtrùm de facto Chriſtus immediatè inſtituerit Sacramenta legis nouæ.*

Sectio II. *An potuerit homini, vel Angelo communicari poteſtas inſtituendi Sacramenta.*

De cauſa materiali & formali, ex quibus componitur intrinſecè Sacramentum, dictum eſt ſuprà diſput. 1. de cauſa materiali extrinſeca, ſeu de ſubiecto conſtituente Sacramentum, dicemus diſp. 9. de cauſa finali conſtat ex dictis, ad quem finem fuerint inſtituta. Reſtat dicere de cauſa efficiente: hæc autem eſt duplex, altera inſtituens, altera exequens, ſeu operans Sacramentum. Nunc dicemus de cauſa illud inſtituente, & diſputatione ſequenti, de miniſtro, ſeu de cauſa per quam Sacramentum executioni mandatur.

SECTIO I.

Vtrùm de facto Chriſtus immediatè inſtituerit Sacramenta Legis nouæ.

Sermo eſt de Sacramentis legis nouæ: obiter tamen conſtabit quid dicendum ſit de Sacramentis antiquis, 1.

antiquis. In hac autem controuerſia id, quod attinet ad factum, eſt facilius, quàm quod attinet ad poſſibilitatem: ideo prius expediemus illud primum, vt poſtea agamus de puncto difficiliori.

Certum eſt Deum eſſe cauſam primariam. Conſtat in primis apud omnes, Deum eſſe primariam cauſam inſtitutionis Sacramentorum: nam cùm Deus ſolus ſit primarius, & principalis auctor gratiæ, quæ per Sacramenta ſignificatur, & cauſatur: nemo poteſt inſtituere ſigna practica, & efficacia infallibiliter gratiæ, niſi Deus eam vim, & certitudinem communicet. Vnde conſtat, Sacramenta noſtra inſtituta fuiſſe omnia à Chriſto, vt Deo ſecundùm poteſtatem auctoritatis, & primariam, quæ eſt propria Dei. Difficultas eſt, an fuerint inſtituta à Chriſto vt homine? Rurſus, an fuerint à Chriſto inſtituta omnia immediatè, an ſolùm mediatè, quatenus ea eius commiſſione Apoſtoli aliqua inſtituerunt. De primo puncto dicendum erit ſectione ſequenti, vbi agemus, an poſſit alicui creaturæ communicari poteſtas inſtituendi Sacramenta? Eadem enim eſt ratio de humanitate Chriſti, quoad hoc, ac de aliis hominibus. Si autem poteſt alicui communicari, certum eſt etiam, in gradu excellentiſſimo fuiſſe communicatam Chriſto vt homini.

2\. *Quorundam opinio.* Quod ergo attinet ad ſecundum punctum, non defuerunt, qui dicerent, Chriſtum inſtituiſſe per ſe aliqua Sacramenta, aliqua tamen ſolùm mediatè per Apoſtolos, vel Eccleſiam, quibus eam facultatem conceſſit. *Hugo de S. Victore. Magiſter.* Sic videtur ſentire Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacramentis, p. 15. c. 2.* Magiſter *in 4. d. 23. cap. 2.* qui dicunt, Extremam-Vnctionem fuiſſe inſtitutam ab Apoſtolo Iacob *c. 5. ſua Epiſtola canonica*, *Alex. Alenſ.* & Alexander Alenſ. *4. p. quæſt. 24. memb. 1.* aſſerit, Confirmationem inſtitutam in Concilio Meldenſi; *Bonauent.* & vtraque ſententia non videtur diſplicuiſſe Bonauenturæ.

3\. *Concluſio.* *Conc. Trid.* Certum tamen eſt iam apud omnes, Sacramenta omnia fuiſſe inſtituta à Chriſto Domino immediatè; quod videtur apertè tradi in Concilio Tridentino ſeſſione 7. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto inſtituta, anathema ſit.* *Sotus.* Sotus *in 4. diſt. 1. q. 5. art. 2.* qui ſcripſit paulò ante hanc definitionem Tridentini, dixit, oppoſitam ſententiam fore temerariam. *Suarez.* Suarez verò ſuprà *diſp. 12. §. dico primò*, ait, rem eſſe omnino certam, non tamen audet dicere, quod ſit de fide, eo quod in Concilio non inueniantur illæ particulæ, *Vaſquez.* *immediatè*, aut, *per ſe ipſum*. Cæterum P. Vaſquez hîc *diſp. 135. c. 1.* dicit, eſſe omnino de fide, quia Concilium planè loquitur de inſtitutione immediata. Nam ſi de aliquo Sacramento poſſet dubitari, maximè de Extrema-Vnctione; & tamen de hac idem Concilium *ſeſſ. 14. can. 1. de Extrema Vnctione*, damnat dicentes, ipſam non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, & à B. Iacobo promulgatum: vbi Apoſtolo ſola promulgatio tribuitur.

4\. Probat etiam, quia ille canon editus eſt contra hæreticos noſtri temporis, quorum aliqui dixerunt, Ordinem eſſe ſolum ritum quendam Eccleſiaſticum eligendi miniſtros; & hi quidem non negarent, eſſe mediatè à Chriſto inſtitutum, ſicut omnes alij ritus, quos Eccleſia legitimè inſtituit ex poteſtate ſibi à Chriſto tradita, & tamen illa etiam hæreſis damnatur *ſeſſ. 23. can. 3.* Ergo aliquid plus vult Concilium, ſcilicet immediatam Chriſti inſtitutionem. *Quid poſſet reſponderi rationi Vaſquez.* Hoc tamen non videtur omnino efficax, quia poſſet aliquis dicere, Ordinem non eſſe ſolum ritum Eccleſiaſticum, ſed verum Sacramentum conferens gratiam, non tamen à Chriſto immediatè inſtitutum, ſed ab Apoſtolis per poteſtatem ſibi à Chriſto traditam ad Sacramenta inſtituenda, quæ eſſet diuerſa à poteſtate data ad alios ritus inſtituendos, vt conſtat; & contra hunc non vrgeret definitio Concilij in illo *can. 3. ſeſſ. 23.*

Melius probat tertiò, quia illa inſtitutio mediata Chriſti eodem modo poſſet verificari de omnibus cæremoniis, quas poſtea Eccleſia præcipit: quas inſtituit per poteſtatem à Chriſto acceptam. Et tamen nunquam Concilium dixiſſet eas fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutas; ergo per inſtitutionem ibi intelligit omnino immediatam inſtitutionem. Confirmari poteſt *ex ſeſſ. 21. c. 2.* vbi dicitur: *Poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Agnoſcit ergo Eccleſia in ſe poteſtatem circa ritus, & cæremonias, non circa ſubſtantiam Sacramentorum. 5. *Melius probatur.* *Confirmatur.*

Deinde probatur ex Patribus Ambroſio *lib. 4. de Sacramentis, c. 4. Auctor* (inquit) *Sacramentorum quis eſt niſi Dominus Ieſus.* Auguſtino *lib. 3. de doctrina Chriſtiana, c. 9. & aliis.* Denique hæc traditio fundatur in Scriptura, in qua aliqua Sacramenta reperiuntur à Chriſto immediatè inſtituta: de Baptiſmo ſcilicet *Matth. 28.* de Euchariſtia *Matth. 26.* de Pœnitentia *Ioan. 20.* de Ordine inſinuatur *Matth. 26.* in illis verbis, *hoc facite*, &c. de aliis verò à paritate rationis, & ea traditione idem creditum eſt in Eccleſia. Quod etiam ſignificauit Paulus 1. *ad Corinth* 4. in illis verbis; *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; hoc eſt, eius Sacramentorum. 6. *Probatur ex PP. & Scriptura.* *Ambroſ. Auguſt.* 1. *Cor. 4.*

Rationes congruentiæ plures afferuntur. Prima, propter Chriſti poteſtatis excellentiam. Secunda, propter noſtram vtilitatem, ne in alio ſpem noſtram collocaremus ſi Sacramenta in aliorum nomine miniſtrarentur: ſicut propter eandem rationem noluit Deus, redemptionem noſtram per alium fieri, quàm per ſe ipſum. Tertia vt eſſet magis ſtabilis, & firma vnitas, non manente poteſtate in Eccleſia ad mutanda Sacramenta quoad ſubſtantiam. Quarta, quia Chriſtus caput Eccleſiæ debebat potiſſima ſaltem Eccleſiæ fundamenta per ſe ipſum ponere, quæ ſunt Sacramenta. His poſſumus aliam addere. Quintam, propter Sacramentorum dignitatem, & reuerentiam; nam proculdubio non tanti fierent, ſi eſſent hominum inuenta, quanti nunc fiunt, eo quod ſint tradita immediatè ab ipſo Chriſto, vt indicat Paulus, cùm dicit; *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, &c. Sextam, quia Sacramenta ſuam potiſſimam dignitatem habent ex eo quod ſint operationes Chriſti, qui ea operatur per ſuos miniſtros vt vidimus. Ad hoc autem oportuit, ipſum Chriſtum committere, & dare miniſtris mandatum operandi ſuo nomine. Septimam, quia gratiam, & gloriam dabit Dominus: quare ſicut noluit, vnum hominem poſſe communicare alteri ſuam gratiam, licèt poſſit communicare ſuam ſatisfactionem; ſic noluit. Sacramenta per quæ datur ipſa gratia, ab alio inſtitui, niſi à ſe ipſo, qui reſeruauit ſibi gratiæ diſtributionem. Octauam, vt melius diſcernerentur Sacramenta à Sacramentalibus: ſi enim vtraque ab Eccleſia inſtituerentur, vix poſſent dignoſci. Alias ſimiles congruentias poterit quilibet facilè inuenire. 7. *Prima congruentia, eſt Chriſti excellentia.* *Secunda, noſtra vtilitas.* *Tertia, ſtabilitas.* *Quarta quia Chriſtus eſt caput.* *Quinta, dignitas Sacramentorum.* *Sexta, quia Sacramenta ſunt Chriſti operationes.* *Septima, quia Deus ſibi reſeruauit gratiæ diſtributionem.*

Aduerte, cum dicimus, Chriſtum inſtituiſſe per ſe omnia, & ſingula Sacramenta, non intendere nos, ſingulorum materias fuiſſe omnino determinatas à Chriſto, nam vt vidimus *diſp. 2. ſect. 5.* Chriſtus 8. *Notandum.*

Chriſtus in quibuſdam ſolam materiam in genere determinauit.

ſtus in aliquibus Sacramentis ſolùm determinauit materiam in genere, verbi gratia, in ordine ad actionem externam, quæ ſufficienter ſignificet traditionem poteſtatis. Vnde idem Ordo Sacerdoti apud Latinos confertur per porrectionem hoſtiæ & vini, &c. Apud Græcos verò per ſolam manuum impoſitionem cum verbis ſignificantibus traditionem poteſtatis. Vtraque autem materia fuit à Chriſto inſtituta non determinatè, ſed diſiunctim, vt ſuprà diximus.

9. *Obiicitur Auguſt.*

Contra hanc certam concluſionem obiici ſolet Auguſtinus *epiſt. 118. cap. 1.* his verbis: *Primum tenere te volo, Dominum noſtrum Ieſum Chriſt. leni iugo ſuo nos ſubdidiſſe, & ſarcinæ leui. Vnde Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit: ſicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, Communicatio corporis, & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in canonicis ſcripturis commendatur, exceptis iis quæ ſeruitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, & prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moyſis leguntur. Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas commendata, atque inſtituta retineri.* Ex quibus verbis videtur colligi, tum ſolùm Baptiſmi, & Euchariſtiæ Sacramentum fuiſſe à Chriſto inſtitutum, tum etiam Sacramenta, quæ in Sacris litteris non habentur à Chriſto inſtituta, fuiſſe poſtea inſtituta ab Apoſtolis, vel Conciliis generalibus.

10. Suarez. Vaſquez. *Suarez explicat Auguſtinum.* Vaſq. etiam.

P. Suar. *ſect. 1. §. Tertiò ex Patribus*, ſolùm dicit, verba Auguſt. eſſe cum moderatione intelligenda. P. Vaſq. *n. 9.* addit, potius ex illo loco probari clarè concluſionem poſitam; nam ibi Auguſt. non dicit ſola ea Sacramenta Chriſtum inſtituiſſe, quorum inſtitutio clarè habetur in Sacris litteris; nec etiam dixit è contra, omnia præcepta, quæ in Scriptura non ſunt, eſſe merè Eccleſiaſtica: ſed dixit duo, primum eſt, Sacramenta quæ Chriſtus inſtituit, eſſe Baptiſmum, Euchariſtiam, & illa quæ in Sacris litteris commendantur. Secundum eſt, præcepta alia, quæ traditione habentur, & ſunt de rebus, quæ in Scriptura non commendantur, eſſe præcepta ſolum Eccleſiaſtica. Primum dictum verum eſt, quia omnia Sacramenta commendantur in Scriptura, licèt eorum inſtitutio ibi non ponatur: nam Baptiſmus, Euchariſtia, & Pœnitentia clarè habentur in Euangeliis: de Ordine etiam intelligitur illud Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* De matrimonio, Matth. 19. & ad Epheſ. 5. de Confirmatione in Actibus Apoſtolorum, & denique de Extrema-Vnctione Iacobi 5. Omnia ergo commendantur ſaltem in Sacris litteris. Secundum autem dictum verum etiam inuenitur, quia nullum reperietur Chriſti præceptum, quod non ſit de iis rebus quæ in Scriptura eo modo commendantur.

Lucæ 22. Matth. 19. Epheſ. 5. Iacob. 5.

11. *Interpretatio non ſatisfacit.*

Hæc interpretatio non videtur ſatisfacere, primò, quia Auguſtinus non dicit ſolùm quod Sacramenta omnia commendantur in Scriptura, ſed etiam, quod Chriſtus inſtituit Baptiſmum, Euchariſtiam & omne aliud, quod in Sacris litteris commendatur. Certum eſt autem, quod eo modo, quo commendatur Matrimonium, alia multa commendantur in Euangeliis quæ non ſunt Sacramenta inſtituta à Chriſto; nam vel nomine *commendationis* intelligit Vaſquez, quod ſolum fiat honorifica mentio illius, & hoc modo commendatur etiam eleemoſyna, virginitas, paupertas, & alia multa, quæ non ſunt Sacramenta. Vel per *commendationem* intelligit, quod extollatur eius virtus, & efficacia ad cauſandam gratiam; & hoc modo non commendatur Matrimonium, nec Ordo Diaconatus, vel Subdiaconatus. Ergo verba Auguſtini alium habent ſenſum. Secundò, illa regula videretur eſſe nimis à diſparatis in eo ſenſu, quod illa ſolùm Sacramenta eſſent à Chriſto inſtituta, quorum fit mentio in Scriptura, licèt non vt Sacramentorum, vel eorum inſtitutionis, ſed ſaltem materialiter, & ſpecificatiuè. Quid enim refert mentio illius rei ad aliud propoſitum facta, vt inde argueretur, fuiſſe à Chriſto in Sacramentum inſtitutam? Tertiò, denique ſecunda regula videtur omnino inutilis ad cognoſcenda quæ ſint præcepta Eccleſiaſtica. Plura enim ſunt, quæ in Scripturis etiam commendantur, de quibus ſunt multa Eccleſiæ præcepta, ſcilicet de ipſis Sacramentis, & aliis ſimilibus; non ergo ſciremus, per illam regulam quod eſſet præceptum Eccleſiaſticum, quod verò ipſius Chriſti.

12. *Explicatur melius.*

Alia ergo videtur eſſe mens Auguſtini, qui ſanè ibi ſolùm intendit oſtendere ſuauitatem legis Euangelicæ, in qua Chriſtus, ſublatis grauiſſimis præceptis legis antiquæ, pauciſſima, & ſuauiſſima impoſuit, ſcilicet Baptiſmi, Euchariſtiæ, & ſi quid aliud in Sacris litteris præcipitur, nam quæ alia præcepta vniuerſalia ſunt in Eccleſia, & in Sacris litteris non contenta, ea omnia intelliguntur eſſe ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia ſuperaddita, quæ regula veriſſima eſt, nam præcepta Chriſti ſolùm ſunt illa Baptiſmi & Euchariſtiæ, & ſi quid aliud in Euangeliis habetur, vel in Teſtamento nouo, verbi gratia, præceptum confeſſionis contentum in illis verbis Ioan. 20. *Quorum retinueritis*, &c. præceptum etiam confeſſionis ante communionem in illis verbis Pauli: *Probet autem ſe ipſum homo* &c. præceptum etiam indiſſolubilitatis Matrimonij à Chriſto propoſitum. Circa alia verò Sacramenta licèt fuerint à Chriſto inſtituta, non tamen fuerunt ab ipſo impoſita aliqua præcepta.

Ioan 20. 1. Cor 11.

13. *Inſtantia.*

Dices, etiam circa Confirmationem, & Extremam-Vnctionem, v.g. eſſe præceptum diuinum non vtendi oleo non conſecrato, & circa Sacramentum Ordinis, non vtendi alia materia, & circa Miſſæ ſacrificium non conſecrandi vnam ſpeciem abſque alia. Reſpondeo, hæc, & alia ſimilia non eſſe propriè tam præcepta poſitiua, quàm naturalia, quia ſequuntur ex natura rei ex ipſa inſtitutione, nam eo ipſo, quod Sacramentum inſtitutum eſt ſub tali materia, ex natura rei eſt illicitum vti alia materia ad conficiendum illud, & eo ipſo quod inſtitutum eſt ſacrificium Miſſæ ſub tali ritu, erit illicitum tentare idem ſacrificium ſub diuerſo ritu.

Diluitur.

Confirmatur.

Addo deinde verba Auguſtini intelligi de præceptis affirmatiuis, quæ grauia videri poſſent, non de præceptis negatiuis, quæ non tam redderent grauem legem Euangelicam, quale eſt præceptum prohibens Circumciſionem, & ritus Iudaïcos, & præceptum prohibens alia ſacrificia præter Euchariſtiam, & ſi quæ ſunt alia ſimilia.

14. Auguſt. *Secundò obiicitur idem.*

Obiici etiam poteſt ſecundò. Idem Auguſtinus *lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 9.* vbi de Sacramentis legis nouæ ſic ait: *Quædam pauca pro multis, eademque factu facillima & intellectu auguſtiſſima, & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus, & Apoſtolica tradidit diſciplina:* vbi Apoſtolos etiam videtur facere auctores Sacramentorum. Hoc tamen facilè explicatur de promulgatione facta per Apoſtolos, quam videtur ſignificare illud nomen, *diſciplina*: quod non inſtitutionem ſignificat, ſed magiſterium docentis, & explicantis aliquid, quod munus ſolùm Apoſtoli præſtiterunt.

Explicatur.

15. Tertiò obiici ſolet Auctor ſermonis de ablutione

Alius ab eo. Cyprian. ne fedum nomine Cypriani (non tamen eſt Cypriani) non longè à princ. de Euchariſtia, ſic loquens : *Ipſe Summus Sacerdos ſui eſt Sacramenti inſtitutor, & auctor, in cæteris homines Spiritum ſanctum habuère Doctorem.* P. Vaſquez hæc verba ad bonum *Vaſquez. Soluitur, ro iecta auctoritate illius Auctoris.* ſenſum conatur reducere : ſed non oportet multum de ipſo curare, habet enim alia difficiliora in eodem ſermone : & quidem hæc verba etiam eſſent contra hæreticos, concedentes Baptiſmum ſolum fuiſſe à Chriſto inſtitutum : quare ab omnibus debet vel reiici, vel explicari, quod per, *cætera*. ibi non intelligat alia Sacramenta, ſed vel alios ritus Sacramentales, vel præcepta alia diuina, quæ Spiritu ſancto dictante magis explicitè Apoſtoli propoſuerunt.

Ex dictis colligitur, quid dicendum ſit de Sacramentis antiquis, de quibus omnes conueniunt,
16. *Colligitur quid ſit dicendum de antiquis Sacramentis.* quod fuerint à ſolo Deo inſtituta, vt patet de Circumciſione, & de Sacramento legis naturæ. Certum eſt enim non fuiſſe ab alio inſtitutum : nemo enim poterat remittere peccatum in illo ſtatu, niſi ſolus Deus. Denique cætera Sacramenta legis ſcriptæ fuerunt à Deo, ſicut & ipſa lex, quæ licèt appelletur Moyſis, id ſolùm intelligitur de promulgatione facta à Moyſe : & licet Paulus dicat *ad Galatas* 3. *Galat. 3.* legem illam fuiſſe ordinatam per Angelos : hoc tamen intelligitur tanquam per interpretes, & nuntios diuinæ ordinationis.

Contra hanc tamen communem, & veriſſimam
17. *Obiectio.* doctrinam obiici poteſt, quia ille dicitur inſtituere aliquod Sacramentum, qui facit quod ſignum illud ſenſibile, quod de ſe non habebat ſignificare ſanctitatem, vel illam conferre, poſſit iam illam ſignificare & conferre; hæc enim eſt eſſentia Sacramenti, vt diximus *diſp.* 1. vbi etiam notauimus, Sacramenta illa legis ſcriptæ in tantum fuiſſe vera Sacramenta, in quantum ſignificabant practicè noſtram gratiam futuram, & ſimul tunc ſuſcipienti conferebant aliquam ſanctitatem legalem, & imperfectam; nam illud primum ſine hoc ſecundo non ſufficiebat ad rationem Sacramenti. Et quidem licèt Eccleſia populi Iſraëlitici non poſſet propria auctoritate dare illis ſignis, & cæremoniis virtutem ſignificandi practicè noſtram gratiam futuram; poterat tamen eadem ſigna, quæ à Deo erant inſtituta ad ſignificandam practicè noſtram gratiam futuram, aſſumere ad conferendam per illa aliquam ſanctitatem legalem, v. g. aliquod ſacrificium, quod eſſet à Deo inſtitutum ad ſignificandum ſacrificium Chriſti, & redemptionem noſtram, poſſet aſſumere ad conferendam ſanctitatem legalem, & purgandum hominem per illam cæremoniam ab aliqua irregularitate legali, quæ per homines fuiſſet impoſita : hoc autem ipſo, illud ſacrificium haberet omnia requiſita, vt eſſet Sacramentum, cùm ex vno capite ſignificaret practicè gratiam futuram per modum promiſſionis diuinæ, & ex alio conferret ſuo vſu aliquam ſanctitatem ſaltem imperfectam & legalem : ergo homines dantes hanc ſecundam virtutem illi Sacrificio, dicerentur inſtituere illud in ratione Sacramenti; nam facerent quòd illud, quod priùs non erat Sacramentum ex defectu huius requiſiti, iam eſſet Sacramentum : ergo eſſent cauſæ, quod illud ſignum eſſet Sacramentum, & per conſequens poterant tunc homines propria auctoritate inſtituere aliqua Sacramenta, præter illa, quæ Deus inſtituiſſet.

Reſpondeo, in eo caſu actionem illam, vel Sacri-
18. *Reſpondetur.* ficium non fuiſſe appellandum propriè Sacramentalem, quia licèt ſignificaret vtrumque, non tamen ex vna, & eadem inſtitutione, ſed ex diuerſis, & diſparatis : quare licèt actio, vel rei ſenſibilis eſſet materialiter vna & eadem, in ratione tamē ſigni eſſet formaliter duplex propter duas ſignificationes, quas haberet ex duabus diuerſis inſtitutionibus, quatenus à Deo eſſet inſtituta ad ſignificandum vnum, ſcilicet gratiam futuram; & ab Eccleſia ad ſignificandum aliud, ſcilicet illam imperfectam ſanctitatem legalem: ad rationem autem Sacramenti requiritur, quod ex eadem inſtitutione, & reſpectu eiuſdem quaſi loquentis per illud ſignum ſignificet vtrumque; nam alioquin non ſignificat coniunctionem vnius cum alio, ſed quaſi æquiuocè, & per modum plurium ſignorum ſignificat vnum, & aliud, ſicut ſi hæ duæ voces, *vnus liber*, proferrentur ſimul à duobus hominibus intendentibus ſignificare diuerſos libros, adhuc non ſignificarent quod ſignificant hæ voces, *duo libri*, quia hæ ſignificant coniunctionem duorum librorum, quos idem proferens intendit ſignificare. Sacramentum ergo non eſt, quod reſpectu vnius vtentis illo ſigno ſignificat gratiam futuram, & reſpectu alterius ſignificat ſanctificationem præſentem, ſed eſt ſignum, per quod idem qui illo ſigno vtitur, intendit ſignificare vtrumque ſimul, & ſanctificationem præſentem, & gratiam inhærentem præſentem, vel futuram, ideo enim ſupra *diſp.* 1. *ſect.* 2. in definitione Sacramenti diximus, eſſe cæremoniam ſenſibilem, quæ ſuo vſu ſanctificando ſubiectum, ſignificat gratiam, &c. vt indicaremus, illa duo munera non debere coniungi per accidens in Sacramento, ſed per ſe, & ex vi eiuſdem inſtitutionis, qua imponitur ad ſignificandum vtrumque prout eſt ſignum eiuſdem vtentis tali ſigno, non reſpectu diuerſorum.

SECTIO II.

An potuerit homini, vel Angelo communicari poteſtas inſtituendi Sacramenta.

NOn eſt quæſtio de poteſtate illa principali, & excellenti, quæ conuenit Deo ratione Deitatis; hæc enim eo modo, & cum ea independentia, & 19.
ſuperioritate, quæ eſt in Deo, nullò modo poteſt creaturæ communicari; ſed quæſtio eſt de poteſtate ex commiſſione, ſeu participata : & quidem quoad hoc, eadem eſt difficultas de humanitate Chriſti, nulla enim ratio repugnantiæ afferri poteſt in Ordine ad alias naturas creatas, quæ non procedat etiam reſpectu humanitatis Chriſti.

Duæ ergo ſunt ſententiæ oppoſitæ in hoc puncto; prima negatiua, quam defendit Scotus *in 4. diſt.* 1. *q.* 3. §. *de ſecundo dico.* Gabr. & Durand. quos affert, & ſequitur P. Vaſquez *diſp.* 115. *c.* 2. Altera eſt affirmatiua communis, quam videtur tenere S. Thomas *hac q.* 64. *art.* 4. & alij, quos refert & ſequitur P. Suarez hîc *diſp.* 12 *ſect.* 1. cui fauere videtur Auguſt. *tract.* 5. *in Ioan.* Controuerſia inter vtramque ſententiam videtur magis de nomine, quàm de re; nam vtrique conſentiunt in hoc, quod potuerit aliquis ex delegatione Dei deſignare materias, & formas validas Sacramentorum, ita vt Deus dixerit, ſi tu volueris, quod aliqua ſigna ſenſibilia ſignificent, & conferant gratiam infallibiliter; ergo id totum pono in tua voluntate, & poteſtate, & volo quòd dent gratiam. Diſſentiunt autem in eo, an hic homo ratione huius poteſtatis diceretur ſimpliciter inſtituere Sacramenta; quod prima ſententia negat, & ſecunda affirmat, & in hoc puncto, vt dixi, videtur eſſe differentia ſolùm circa ſignificationem, & proprietatem vocis: nimirum, quid ſignificetur per *inſtitutorem, & auctorem Sacramentorum.*

Prima ſententia negans. Scotus. Gabriel. Durand. Vaſquez. S. Thom. Suarez. Auguſt. Secunda affirmans. Quæſtio ferè de nomine.

Cum Durando tamen videtur eſſe magis de re; 20.
ipſe

ipſe enim *in 4. diſt. 2. q. 1. n. 4.* licèt concedat poſſe communicari creaturæ aliquam poteſtatem inſtituendi ſigna per determinationem aliquam rerum ad ſignificandum, non verò per applicationem virtutis, & efficacitatis: addit tamen, illam poteſtatem inſtituendi Sacramenta, ita poſſe creaturæ communicari, vt non poſſit poſtea pro ſua voluntate mutare id, quod ſemel inſtituitur, neque diſpenſare in iis ſignis. Quod quidem, vt dixi, eſt magis de re, ſed videtur inconſequenter poſitum, non enim repugnat magis reuocare in totum, vel in partem inſtitutionem factam, quam eam ſemel facere; quare ſi ex delegatione Dei poſſet hoc poſterius creatura, non eſt, cur non poſſet etiam & illud prius.

21\. *Vaſquez. Fundamentũ Vaſquez.*

P. Vaſquez, licèt dicat, ſe amplecti ſententiam Scoti; ſed re vera longè diſtat à fundamento Scoti: nam Vaſquez probat ſuam ſententiam ex eo quod inſtituere, eſt aliquã rem inchoare, & quaſi ab initio ſtatuere: quod quidem non poteſt competere creaturæ, iam enim debuit priùs præcedere decretum Dei committentis, & dantis talem facultatem creaturæ: quare ab hoc Dei decreto ſumerent ſuum primum exordium Sacramenta. Scotus vero *diſp. 2. q. 1. §. ex his*: innititur potiſſimè huic argumento, quod ſi creatura haberet illam poteſtatem, ſequeretur Deum determinari à creatura ad conferendam gratiam, & per conſequens Deum eſſe cauſam ſecundam reſpectu creaturæ in productione illius gratiæ. Quod quidem fundamentum debile eſt. In primis, quia hæc cauſalitas creaturæ eſſet ſolum moralis, & licèt eſſet phyſica, non argueret, Deum eſſe cauſam ſecundam: nunc enim determinatur Deus à voluntate noſtra ad concurrendum ad amorem potiùs quàm ad odium; & tamen Deus eſt cauſa prima, quia de ratione cauſe primæ eſt, quod ſit vniuerſaliſſima ad omnes effectus, quod ſine illa nulla cauſa poſſit operari, quod ipſa det omnibus virtutem ad operandum, quod ipſa applicet omnes cauſas ſecundas ad operandum; non tamen quod ipſa determinet omnes, poteſt enim applicare aliquam cauſam ſecundam indifferenter, à qua rurſus determinetur concurſus Dei ad hunc potiùs, quàm illum effectum, vt ſuppono ex materia de gratia & voluntate Dei.

22\. *Notandus eſt duplex ſenſus quæſtionis.*

Pro reſolutione igitur notandum eſt, quæſtionem hanc duos habere poſſe ſenſus. Primus eſt, an Chriſtus communicare potuerit alteri poteſtatem, quam ipſe habuit. Et hæc videtur eſſe quæſtio, quam tractat S. Thomas hîc. Secundus eſt, an ea poteſtas, quam Deus poſſet communicare creaturæ, ſatis ſit, vt illa creatura dicatur ſimpliciter inſtituere Sacramenta? Et hæc videtur eſſe quæſtio, quæ controuertitur à Theologis recentioribus.

Chriſtus non potuit cõmunicare creaturæ poteſtatẽ quam habuit vt Deus.

Hoc ſuppoſito, quod attinet ad primum ſenſum quæſtionis, certum eſt, poteſtatem, quam Chriſtus, vt Deus, habuit, non potuiſſe eo modo communicari alicui creaturæ, imo nec ipſi humanitati Chriſti, vt diximus; loquendo verò de poteſtate, quam habuit vt homo, conſiderari poſſunt in Chriſto quatuor excellentiæ, ſeu prærogatiuæ, quam Chriſtus habuit circa Sacramenta, quas recenſet S. Thomas *art. 4.* Prima eſt, quod propter merita Chriſti in Sacramentis applicata remittitur peccatum, & confertur gratia. Secunda, quòd Sacramenta in nomine Chriſti ſanctificant. Tertia, quod Chriſtus inſtituit Sacramenta. Quarta denique, quod Chriſtus potuit etiam extra Sacramenta gratiam conferre. Circa ſecundam dubitari poteſt, quid intelligatur per illam.

Quatuor Chriſti excellentiæ. S. Thom.

Durand.

Durand. *in 4. d. 5. q. 3.* dicit, Sacramenta ſanctificari in nomine Chriſti, intelligi de more illo antiquo, quando Apoſtoli baptizant in nomine Chriſti, ſed cum S. Thomas loquatur vniuerſaliter, & de facto, faciliùs explicatur de inuocatione implicita Chriſti, quatenus miniſter operatur ſemper vice ipſius Chriſti, & nomine ipſius.

De his igitur quatuor prærogatiuis vniuerſalius S. Thom *art. 4.* docet planè potuiſſe aliis miniſtris communicari, & quidem de tribus vltimis non videtur eſſe controuerſia. De prima videtur eſſe difficultas, quia quæcunque gratia habitualis, ſine gratia vnionis non ſufficeret ad hoc, vt vnus homo mereatur de condigno alteri gratiam. Quare P. Vaſq. *n. 16.* Explicat S. Thomam de ſolo merito congruo, quod poſſet eſſe in puro homine & communicari Sacramentis ab eo inſtitutis, ad hoc tamen ſufficeret quæcumque gratia habitualis, nec requireretur illa tanta gratiæ plenitudo, quam ibi exigit S. Thomas. Meliùs ergo poſſumus illud intelligere vt ſonat de valore condigno, nam, vt diximus in tractatu de Incarnatione *diſp. 5. ſect. 8.* poſſet aliquis de potentia abſoluta accipere plenitudinem gratiæ habitualis, ita vt nõ poſſet iam per propria merita augere ſuam gratiam, & tunc poſſet alius de condigno mereri gratiam, & per conſequens poſſet Deus dare illi poteſtatem inſtituendi Sacramenta, quæ conferrent gratiam propter merita condigna ipſius. Cæterùm in duobus differret à Chriſto Domino. Primò, quia licet poſſet mereri de condigno gratiam, non tamen remiſſionem peccati mortalis, nec iuſtificationem peccatoris; vt diximus loco citato, atque adeo non poſſet his Sacramentis conferre per valorem condignam ſuorum meritorum virtutem ad iuſtificandum, qualem habent alia Chriſti Sacramenta. Secundò, quia cùm totus valor illorum meritorum eſſet finitus, non poſſet inſtituere Sacramenta, quæ abſque vllo termino haberent virtutem communicandi gratiam pluribus, & pluribus ſuſcipientibus, ſed ſolùm vſque ad talem terminum, qui tamen terminus non oportet quod ſit in Sacramentis Chriſti, cuius merita habent valorem infinitum.

23\. *Quæ prærogatiua Chriſti poſſint creaturis communicari.* *Vaſquez.*

24\. *Quæſtio in ſecundo ſenſu. Reſolutio quæſtionis pro parte affirmante. Probatur ex Patribus.*

Reſtat ergo controuerſia in ſecundo ſenſu; an ſcilicet ea poteſtas quæcumque eſſet, quæ poſſet creaturæ communicari, ſufficiat, vt diceretur inſtituere propriè Sacramenta, & auctor Sacramentorũ. In quo placet magis ſecunda ſententia ſupra relata: quia communis eſt & conformis modo loquendi Theologorum, & Patrum, cùm enim quæſtio ſit de nomine, vt dixi, debemus obſeruare modum loquendi à pluribus receptum; conſtat autem ita loqui Patres & Eccleſiam ipſam, quando dicunt ſimpliciter, Chriſtum inſtituiſſe omnia Sacramenta nouæ legis; loquuntur enim de Chriſto vt homine; alioquin enim non oportebat nominare Chriſtum; ſed omnes perſonas Trinitatis; & conſtat ex ipſo modo loquendi; nam eo modo tribuunt Chriſto Sacramentorum inſtitutionem, quo tribuunt illi actiones humanas, per quas Sacramenta inſtituit. Sic enim loquitur Eccleſia de inſtitutione Euchariſtiæ, in hymno feſti corporis Chriſti: *Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & triſtibus ſanguinis poculum, dicens: Accipite, quod trado vaſculum, omnes ex eo bibite. Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cuius officium committi voluit ſolis Presbyteris quibus ſic congruit, vt ſumant, & dent cæteris.* Vbi idem quis protulit illa verba: *Accipite, & bibite*; dicitur inſtituiſſe ſacrificium, & Sacramentum. Certum autem eſt, quod illa verba protulit, vt homo, ergo natura, quæ loquebatur, & voluntas eadem inſtituit Sacramentum: imo ſacrificium vt ſacrificium debuit ab ipſo offerri vt homine, nam vt Deus non poterat illud offerre; ergo vt homo etiam debuit inſtituere illud, quia per ſuam inſtitutionem ordinauit eiſdem verbis Apoſtolos in Sacerdotes,

vt eius vice offerrent, quæ omnia fecit vt homo, vt ſic enim eſt Sacerdos in æternum offerens per alios miniſtros; ergo ſi per eadem verba inſtituit Sacramentum, oportet quod Sacramentum inſtituerit vt homo. Eodem modo loquitur Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 1. & 5. dicens, Redemptorem noſtrum diſceſſurum ex hoc mundo, ſuis verbis inſtituiſſe Sacramentum illud: quod quidem de Chriſto vt homine debet intelligi, qui & diſceſſurus erat vt homo, & loquebatur vt homo; ſicut & de Sacramento Pœnitentiæ, §. 14. *c.* 1. dicitur inſtitutum à Chriſto poſt reſurrectionem ſuam per illa verba; *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. quæ etiam verba à Chriſto Domino vt homine dicta fuiſſe manifeſtum eſt: nec de hoc loquendi modo dubitari poteſt, quia apud omnes vſitatiſſimos ſit: ergo eſt propriè & in rigore inſtitutio, cùm ab omnibus nomine *inſtitutionis* ſimpliciter dictæ ſemper intelligatur.

Ex Tridentino. Concil. Trid.

25. *Probatur ratione.* Ratione autem probatur, quia ad hoc, vt aliquis ſimpliciter, & abſoluiè dicatur aliquid inſtituere, non requiritur, quod nullo modo acceperit poteſtatem ab alio id faciendi, nec quod alius ſaltem in communi non habuerit decretum aliquod circa rem illam: ſic enim communiter S. Benedictus dicitur inſtitutor, & auctor ſui Ordinis, ac regulæ, licèt Deus priùs auctor fuerit eius conſilij, & S. Franciſcus, vel S. Ignatius dicuntur auctores ſuarum regularum, licèt vterque ad eas regulas ſtabiliendas poteſtatem acceperit à Summo Pontifice; quod idem in alijs mille exemplis reperitur. Potuiſſet ergo aliquis dici auctor, & inſtitutor Sacramentorum, licèt à Deo poteſtatem accepiſſet id faciendi. Sufficit enim ad hanc appellationem ſi ipſe fuerit primus determinans, vel reducens ad exequutionem facultatem, & poteſtatem illam, quæ de ſe erat indifferens, vt haberet, vel non haberet effectum, nam qui hoc modo inſtituit, dicitur in rigore auctor, multò magis quàm is, qui ſolum concurrit indifferenter: ſicut qui producit calorem, dicitur cauſa, & auctor calidi, quia licèt iam inueniat productum ſubiectum; hoc tamen erat indifferens ad calidum, & frigidum. Non nego tamen, quod potuiſſet etiam Deus dici tunc auctor Sacramenti ab illo homine inſtituti, nam licèt quatenus præcisè daret poteſtatem, videretur concurrere ſolum indifferenter: quatenus tamen dediſſet illam facultatem, & poteſtatem ex præſcientia futuri vſus, & ex affectu ad vſus illos, cenſeretur cauſa determinata, & diceretur auctor illios effectus ſecundi, ſicut nunc dicitur cauſa, & auctor noſtrorum operum bonorum propter eandem rationem.

Quod requiratur ad hoc vt aliquis dicatur in rigore inſtitutor Sacramenti.

26. *Arguitur contra Vaſquez.* Vnde arguere poſſumus ſecundò ad hominem contra P. Vaſquez, qui *c.* 1. latè probat, vt vidimus, ex verbis Tridentini, eſſe omnino de fide, quod omnia Sacramenta fuerint à Chriſto immediatè inſtituta; quia licèt Concilium non vtatur illa voce *immediatè*, verbum tamen *inſtituendi*, ſimpliciter prolatum ſignificat inſtitutionem immediatam, non mediatam: neque enim dicitur Chriſtus ſimpliciter inſtituiſſe ea omnia quæ Eccleſia præcipit, & inſtituit ex poteſtate ſibi à Chriſto tradita; nemo enim dicet ſimpliciter, & abſolutè, cæremonias omnes Eccleſiaſticas eſſe ex Chriſti inſtitutione. Hoc autem argumentum videtur manifeſtè probare, quod hanc denominationem non impediat acceptio poteſtatis ab alio: ſi enim Eccleſia dicitur in rigore, & cum proprietate inſtituere cæremonias, & ritus, licèt id non faciat, niſi ex poteſtate, quam à Chriſto accepit: cur ille homo non poſſet ſimiliter dici inſtituere Sacramenta, licèt id faceret ex poteſtate ſibi à Deo priùs tradita? Dicis, quia iam ea poteſtas pendere

Licet Eccleſia acceperit poteſtatem inſtituendi quoſdam ritus, ipſa tamen verè dicitur inſtituere.

Inſtat Vaſquez.

deberet ex primo Dei decreto circa Sacramenta, & ex illo exordium ducere, ac proinde ab ipſo decreto Dei ſolùm propriè dicerentur inſtituti. Hæc ſunt verba P. Vaſquez *n.* 15. Sed contra: poteſtas etiam inſtituendi cæremonias pendet ex primo Chriſti decreto circa cæremonias, quo ſcilicet dedit Eccleſiæ hanc poteſtatem cæremonias ordinandi, ac proinde ab illo decreto exordium ducit: ergo nec cæremoniæ poterunt dici ab Eccleſia inſtitutæ, ſed à Chriſto, vel ſi hoc admittitur, illud etiam debet conſequenter admitti, cùm ſit eadem omnino ratio. *Reſpondetur.*

Dices: Sacramentum inſtituitur per poteſtatem & efficaciam, quam habet ad cauſandam gratiam; ergo ille ſolum dici poteſt inſtituere Sacramentum in ratione Sacramenti, qui dat illi talem efficaciam: hanc autem ſolus Deus poteſt dare, & non homo; ergo ſolus Deus poteſt inſtituere Sacramentum. Reſpondeo, in prædicto caſu homo etiam communicaret Sacramento illam efficaciam; ſupponimus enim, quod Deus dediſſet auctoritatem homini, vt ſua voluntate poſſet obligare Deum ad hoc, vt Deus ſua lege ſe obligaret ad dandam gratiam cum talibus ſignis: hæc autem obligatio Dei eſt efficacia, quam habet Sacramentum, atque ideo homo; qui poſſet cauſare hanc Dei obligationem, poſſet cauſare Sacramentum in ratione efficacis. 27. *Inſtantia.* *Diluitur.*

Sed contra vrgebis, quia in lege naturæ materia illius Sacramenti quo paruuli iuſtificabantur ex inſtitutione diuina, non erat determinata, ſed determinari poterat à ſingulis pro eorum arbitrio, qui poterant huic actioni externæ connectere poteſtatem, & efficaciam ad ſignificandam, & cauſandam gratiam: & tamen ipſi non dicebantur inſtituere illud Sacramentum. 28. *Vrgebis.*

Reſpondeo, dupliciter poſſe Deum ſe habere in delegatione facienda; primò, applicando efficaciam ſigno, quod homo deſignauerit; ſecundò, dando homini poteſtatem, vt ipſe faciat illud ſignum efficax. In primo caſu non communicat poteſtatem, ſed relinquit homini meram deſignationem, qui non eſt actus poteſtatis; in ſecundo communicat poteſtatem. Primus modus non ſufficit, vt homo dicatur inſtituere Sacramentum. Sic enim de facto Sacramentum Eucharistiæ inſtitutum eſt in vino albo, vel rubro: Sacerdos autem deſignans rubrum, non dat illi ſigno poteſtatem; hãc enim Chriſtus dedit, ſed ſolùm eligit hanc potiùs materiam ex duabus, quibus Chriſtus ſub disiunctione ſignificationem impoſuit. Sic in Sacramento legis naturæ iam erant plures materiæ, ſeu actiones humanæ ſub disiunctione impoſitæ à Deo ad ſignificandam gratiam; quare qui vnam ex illis exercebat, non imponebat illi ſignificationem, ſed eligebat vnam ex actionibus habentibus iam ex Dei inſtitutione vim ſignificandi. Quod à poſteriori conſtat: quia non poſſet tunc aliquis apponere illam materiam cum omnibus requiſitis, & cum intentione faciendi totum id, ad quod inſtitutum erat à Deo, & tamen nolle cauſare gratiam: ſicut nec poteſt nunc aliquis velle facere contractum legitimum matrimonij, & non efficere Sacramentum. At verò in ſecundo caſu relinqueretur homini non ſolùm electio materiæ, ſed etiam communicatio efficaciæ. 29. *Dupliciter ſe Deus habet in delegatione facienda. Primò, communicat deſignationem. Secundò poteſtatem. Primus modus non ſufficit vt homo dicatur inſtituere; ſecus verò ſecundus.*

Poſſumus hanc differentiam multis exemplis declarare. Primò, Epiſcopus poteſt præcipere alicui ſub excommunicatione, vt faciat quod illi Petrus præceperit: tunc autem non dat Petro facultatem præcipiendi ſub excommunicatione; quid enim ſi Petrus laicus ſit, & incapax iuriſdictionis Eccleſiaſticæ? Sed ipſe Epiſcopus imponit excommunicationem ſubdito non facienti quod Petrus deſignauerit. 30. *Confirmatur Exemplis.*

Alio

Aliud eſt præcipere alicui ſub excommunicatione, vt Petro præcipienti pareat; aliud verò dare facultatem Petro præcipiendi ſub excommunicatione.

Alio autem modo ſe habet Epiſcopus, quando dat alicui facultatem præcipiendi ſub excommunicatione; tunc enim hic delegatus non ſolùm poteſt deſignare materiam præcepti, ſed imponere cenſuram, quæ adhuc non erat impoſita. Sic etiam Confeſſarius poteſt alicui in pœnitentiam imponere, vt faciat id, quod eius mater deſignauerit; tunc autem matri non dat poteſtatem imponendi pœnitentiam, nec mater illam imponit; ſed materialiter deſignat opus, quod opus, vt ſic ab ipſa deſignatum, fuit ab ipſo Confeſſario impoſitum pro pœnitentia ſacramentali; itaque deſignatio illa, quam facit mater, nullo modo eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis. Denique, in materia iuſtitiæ poteſt aliquis præcipere ſeruo ſuo, vt faciat quidquid ei Petrus dixerit: ad hoc autem non oportet, quod Petro det ius, aut poteſtatem vllam ſupra ſeruum; ſed ſolùm ſit Petrus deſignans materiam, in qua ſeruus debet domino ſuo obedire: quare Petrus tunc præcipiens non exercet actum dominij, aut ſuperioritatis, ſed ſolùm deſignat materiam: & ſeruus non exequens, quod Petrus dicit, non peccat peccato iniuſtitiæ, vel inobedientiæ contra Petrum, ſed ſolùm contra dominum; peccaret autem contra Petrum, ſi dominus dediſſet etiam Petro poteſtatem, & ius ad præcipiendum, ſicut in illo exemplo ſuprà poſito ſubditus, cui Epiſcopus ſub excommunicatione præcepit facere quidquid Petrus illi diceret, non peccaret peccato inobedientiæ contra Petrum, ſi eius iuſſa non acceptaret, ſed eſſet inobediens contra Epiſcopum: eſſet autem inobediens etiam contra ipſum Petrum, ſi Epiſcopus dediſſet Petro poteſtatem etiam præcipiendi, & imponendi cenſuras. His ergo exemplis, & aliis multis explicari poteſt diſcrimen, quod eſt inter illos duos modos, quibus Deus poſſet creaturæ committere determinationem Sacramentorum: nam ſi Deus ipſe imponat ſignificationem, & efficaciam illis ſignis, quæ homo elegerit, non inſtituit Sacramenta ipſe homo, ſed ſolùm deſignat materiam, quam Deus ſub diſiunctione iam inſtituit: ſi verò Deus det homini facultatem imponendi ſignificationem, & efficaciam aliquibus ſignis, tunc homo exercet actum poteſtatis, & inſtituit verè illa Sacramenta ex delegatione Dei. Poteſt enim Deus vtroque modo reddere Sacramentum dependens à voluntate hominis. Sic de facto Chriſtus inſtituit Sacramentum Matrimonij imponendo ſignificationem Sacramentalem conſenſui, quem coniuges exprimunt; coniuges autem exprimentes illum conſenſum nutibus, vel vocibus, non imponunt illi ſigno ſignificationem ſacramentalem, nec illud Sacramentum inſtituunt, quia ipſi non habent auctoritatem imponendi ſignificationem. Econtrà autem quando Adamus fuit creatus, dedit illi Deus auctoritatem imponendi nomina cunctis animantibus, & imponendi ſignificationem illis vocibus, quam ſignificationem imponebat ipſe Adam per poteſtatem & auctoritatem, quam habebat: & hoc modo poſſet Deus dare auctoritatem homini imponendi aliquibus ſignis vim ad ſignificandam infallibilem gratiam, quæ impoſitio fieret ab homine per poteſtatem ſibi à Deo traditam.

Confirmatur alio exemplo.

Aliud eſt determinare, aliud inſtituere.

31. Petes, in quo differat poteſtas data ad deſignandam materiam, cùm Deus impoſuerit iam ſignificationem, à poteſtate imponendi ſignificationem ex conceſſione, & approbatione Dei? Nam in vtroque caſu res videtur eodem omnino modo ſe habere; ſiquidem in vtroque caſu interuenit voluntas Dei volentis, quod illa res ſignificet infallibiliter gratiam: in vtroque interuenit voluntas hominis coniungentis hanc rem cum vi, & poteſtate ſignificandi; in vtroque illud ſignum deducit videntem illud ad cognitionem gratiæ, ex eoque concipit auctoritatem Dei interpoſitam: ergo in re idem eſt, dare Deũ alicui poteſtatem imponendi ſignificationem ex commiſſione Dei, & Deum imponere ſignificationem illi rei, quam homo deſignauerit, ac per conſequens, ſi in illo primo caſu homo diceretur inſtituere Sacramentum, idem deberet dici in hoc ſecundo.

Explicatur quomodo differat poteſtas deſignandi materiam à poteſtate imponendi ſignificationem.

Reſpondeo, quoad effectum quidem ſignificandi efficaciter, & infallibiliter gratiam, nullam eſſe differentiam; eſſe tamen quoad modum cauſandi illum effectum. Nam in primo caſu homo non eſſet auctor poteſtatis, & efficaciæ, quam ſignum illud haberet ad ſignificandam infallibiliter gratiam; cùm enim hæc efficacia tota proueniat à voluntate qua Deus ſe obligat ad dandam gratiam poſito illo ſigno, ille ſolus eſt cauſa illius efficaciæ, qui eſt cauſa, quòd Deus ſe taliter obliget, homo autem in illo caſu deſignans materiam, non eſt vllo modo cauſa, quod Deus ſe obliget, iam enim præceſſerat tota obligatio ex parte Dei; nec poſt deſignationem materiæ factam ab homine, ſed obligat de nouo, ſed ex vi ſola prioris obligationis concurrit cum hoc ſigno ad dandam gratiam, atque ideo ſolus Deus eſt cauſa efficaciæ, & infallibilitatis, quam habet illud ſignum. At verò in ſecundo caſu homo ex auctoritate ſibi conceſſa imponens ſignum, eſt cauſa efficaciæ, quam habet illud ſignum ad ſignificandam infallibiliter gratiam; nam eſt cauſa, quòd Deus ſe obliget, & quaſi liget de nouo ad dandam gratiam cum hoc ſigno: hoc enim eſt dare homini auctoritatem ad inſtituenda Sacramenta; date ſcilicet ei ius, & auctoritatem, qua pro ſua voluntate poſſit obligare, ſeu facere, quòd Deus ſe obliget ad aſſiſtendum infallibiliter cum talibus ſignis: nec ſufficit obligatio prior, qua Deus ſe iam obligauerat, quando conceſſit homini auctoritatem inſtituendi Sacramenta; illa enim fuit obligatio quaſi remota, quia proximè non ſe obligauerat ad dandam gratiam, ſed ad obligandum ſe ad dandam gratiam, poſita hominis voluntate obligandi Deum, atque adeò homo eſt cauſa, quòd Deus ſe obliget ad dandam gratiam: ad hoc enim vtitur auctoritate, quam à Deo accepit, obligandi ipſum Deum, & per conſequens eſt cauſa infallibilis efficaciæ, quam illud Sacramentum habet, quæ oritur ex ſecunda obligatione Dei. Quod ſi Deus non dediſſet auctoritatem homini obligandi ipſum, ſed antecedenter ſe obligat ad dandam gratiam, poſito ſigno quod ſtatuerit homo: tunc dicimus, hominem non inſtituere, nec imponere illud in ratione ſigni infallibilis, ſed eius deſignationem eſſe conditionem, ſub qua ſe Deus obligauerat, & inſtituerat iam illud Sacramentum; atque adeò pertinebit ad primum caſum, non ad ſecundum; quia inſtitutio eſt cauſatio illius efficaciæ & obligationis Diuinæ, vt diximus.

Deſignatio illa eſt tantum conditio.

33. Dices, ad hoc, vt aliquis dicatur auctor, & cauſa compoſiti, non requiritur, quòd producat eius formam: ſatis eſt, ſi producat vnionem formæ cum ſubiecto; ſic enim vnus homo dicitur generare, & producere aliũ hominem: quia licèt non producat eius formam, quæ eſt anima, & fit à ſolo Deo, producit tamen vnionem formæ, cum materia, per quam reſultat totum compoſitum. Sed in primo caſu, in quo homo deſignat materiam Sacramenti, licèt ipſe non cauſet efficaciam, & obligationem Dei ad hanc materiam, iam enim Deus poſuerat totam obligationem: vnit tamen huic materiæ illam Dei obligationem, quæ poſita fuerat quaſi in abſtracto, & indifferens ad hanc vel illam materiam: ergo poterit etiam homo tunc dici auctor huius Sacramenti;

quia eſt cauſa, quòd obligatio Dei vniatur cum hac re à ſe deſignata.

34. *Reſpondetur.* Reſpondeo; in eo caſu homo nec cauſaret obligationem Dei, nec etiam vnionem obligationis propriè loquendo, ſed ſolùm poneret materiam, cui iam ex Dei decreto fuerat vnita obligatio. Sed quicquid ſit de hoc, argumentum in hac materia non procedit; quia Sacramentum in ratione Sacramenti non ſolùm dicitur cauſari ab eo, qui illud producit in ratione exiſtentis actu, ſed etiam ab eo, qui illud ponit in eſſe conditionato: imo ille ſolus dicitur auctor Sacramenti, qui eſt cauſa, quòd ſit vera conditionalis illa, ſi homo baptizetur cum talibus verbis, accipiet gratiam: cùm enim Sacramentum ſonet principaliter efficaciam, hæc autem verificetur, etiamſi Sacramentum actu non applicetur, quia adhuc eſt verum, quòd iam Sacramenta habeant efficaciam: ille dicitur auctor Sacramenti, qui in actu primo eſt cauſa huius efficaciæ, quam quidem habent Sacramenta ex ſola Dei voluntate, antequam homo ponat hanc, vel illam materiam. Quamvis ergo homo ponendo hanc materiam poſſit dici cauſare, & producere hoc Sacramentum ſecundùm eſſe exiſtentiæ, non tamen dicetur auctor huius Sacramenti, quia ille ſolus eſt auctor, qui facit (vt diximus) quòd illa conditionalis, quæ priùs non erat vera, ſit iam vera: num licèt nullum Sacramentum applicaretur, poſſet iam dici Chriſtus auctor Sacramentorum legis nouæ. Quando verè homo dicitur producere hominem, vel auctor hominis ratione vnionis, agitur de effectu, qui ſolùm dicitur habere eſſe, quando ponitur actu à parte rei, & cuius non poteſt alius eſſe auctor, niſi qui illum ponit à parte rei. Quare ad argumentum poſitum diſtinguenda erit maior ex doctrina tradita iuxta diuerſitatem effectus, de quo fuerit ſermo; & tunc neganda erit conſequentia.

Aliud eſt cauſare Sacramentū in ratione exiſtentiæ, & aliud inſtituere.

35. *Inſtantia.* Sed contra ſolutionem vrgabit aliquis: ergo ſi Deus ita inſtitueret Sacramentum, vt etiam in actu primo, & ante actualem operationem & miniſtrationem Sacramenti, relinqueret homini faciendam deſignationem materiæ, hoc ſufficeret, vt homo diceretur auctor, & inſtitutor Sacramenti, v. g. Deus inſtitueret, quòd daretur gratia per ablutionem tali liquore, quem Pontifex deſignaret; tunc Pontifex deſignando pro materia ablutionis vinum, faceret quòd eſſet iam vera hæc conditionalis, quæ priùs non erat vera, ſi homo tali ritu abluatur vino, accipiet gratiam; ergo tunc Pontifex diceretur inſtituere illud Sacramentum.

36. *Reſponſio.* Reſpondeo; tunc non diceretur Pontifex cauſa illius Sacramenti ſecundùm ſpeciem: quia ante eius deſignationem eſſet iam completè inſtitutum ſecundùm ſpeciem talis Sacramenti; ſed poſſet dici cauſa, & auctor fortaſſe illius Sacramenti ſecundùm indiuiduationem, ſeu contractionem ad talem materiam: homo autem dicitur cauſa, & auctor hominis ſimpliciter, quia nec ſecundùm indiuiduationem, nec ſecundùm ſpeciem illum inuenit productum. Deinde addo, tunc Pontificem non dicendum inſtituiſſe illud Sacramentum, quia *inſtituere* plus dicit quàm *cauſare*: ſcilicet ſtatuere, & condere legem, & obligationem illius Sacramenti; ad hoc enim non ſufficit deſignare materiam, nam ſi ſit lex imponens gabellam omnibus euntibus in talem locum, ille qui conſulit amico ire illuc, licèt ſit verè cauſa, & auctor, quòd amicus ſoluat illam gabellam; non tamen dicetur inſtitutor illius gabellæ ab amico ſoluendæ: quia nimirom ipſe ſolùm applicat materiam, non tamen condit ſtatutum, vel legem obligantem ad ſolutionem gabellæ. Sic etiam ſi teſtator inſtituat hæredem illum, quem Petrus nominauerit ex ſuis filiis; Petrus poſtea nominans, non inſtituit propriè hæredem, ſed deſignat quem teſtator iam inſtituerat: poteſt enim contingere, quòd Petrus ipſe ſit incapax inſtituendi hæredem: vt ſi Epiſcopus inſtituat Parochum eum, quem aliquis laicus deſignauerit, laicus nullo modo inſtituit, quia nec inſtituere poteſt. Inſtituere ergo eſt, non ſolùm deſignare materiam, ſed ſtatuere, & condere obligationem: quod tamen Pontifex in illo caſu non faceret, cùm iam tota obligatio, & lex poſita eſſet ex parte Dei, vt ſupponitur. Si tamen Deus daret poteſtatem Pontifici deſignandi materiam non vtcumque, ſed ita vt cauſaret nouam obligationem Dei ad dandam gratiam cum illa materia; iam tunc diceretur Pontifex non ſolùm cauſa, & auctor illius Sacramenti in talibus indiuiduis, & in tali materia, ſed etiam inſtitutor eiuſdem, non ſecundùm ſpeciem, ſed ſecundùm talem indiuiduitatem, vt dictum eſt.

Inſtituere non ſolùm eſt cauſare, ſed plus dicit quàm cauſare.

Inſtituere non tantum deſignare materiam, ſed ſtatuere obligationem.

Ex dictis infertur iam, quid dicendum ſit in hoc puncto de Sacramentis legis antiquæ, quæ non conferebant gratiam ſuſcipientibus ipſa. De illis enim, & in vniuerſum de omnibus Sacramentis dicendum eſt, non potuiſſe inſtitui, niſi à Deo, vel ſaltem ex facultate à Deo conceſſa ad id faciendum. Cùm enim dixerimus, omne Sacramentum debere eſſe ſignum practicum, & efficax gratiæ præſentis, vel ſaltem futuræ; atque ideo Sacramenta antiquæ legis participaſſe rationem Sacramenti, quia erant promiſſiones gratiæ noſtræ, ac per conſequens aliquo modo cauſant gratiam noſtram; conſequens eſt, quòd nullum Sacramentum poſſit hanc efficaciam in ordine ad gratiam accipere, niſi vel à Deo, vel ab alio ex poteſtate ſibi à Deo tradita. Sicut autem diximus; potuiſſe ex facultate Dei noſtra Sacramenta inſtitui immediatè ab aliquo homine; ſic de Sacramentis illis à fortiori dicendum eſt, potuiſſe ab homine inſtitui ex poteſtate, quam accepiſſet à Deo ad inſtituenda aliqua ſigna, quæ ſimul haberent cauſare ſanctitatem aliquam imperfectam in ſuſcipiente, & promittere ex parte Dei gratiam ſanctificantem tempore futuro aliquibus conferendam: tunc enim imponendo illa ſigna ex poteſtate ſibi tradita, ad hoc, vt eſſent ſigna promiſſiua nomine Dei, eo ipſo imponeret Deo nouam obligationem, qua teneretur ratione illius tituli noui, & promiſſionis nouæ, conferre nobis poſtea gratiam, ex qua noua obligatione Dei haberent illa ſigna efficaciam infallibilem ad ponendum effectum illum, quem ſignificabant: & per conſequens ab illo homine accepiſſent efficaciam Sacramentalem, & dicerentur propriè ab ipſo inſtituta in ratione Sacramenti.

37. *Infertur quid dicendum ſit de Sacramentis legis antiquæ.*

DISPVTATIO VIII.

De Miniſtro Sacramentorum.

Sectio I. *Supponuntur aliqua faciliora de Miniſtro Sacramenti.*

Sectio II. *De intentione requiſita in Miniſtro ad valorem Sacramenti.*

Sectio III. *Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedentem.*

Sectio IV. *De mente S. Thomæ circa neceſſitatem intentionis.*

Sectio V. *Qualis debeat eſſe intentio virtualis ad valorem Sacramenti.*

Sectio VI. *De intentione habituali, & de voluntate*

tate indirecta , an ſufficiant ad valorem Sacramenti.

SECTIO VII. *An intentio Miniſtri debeat eſſe circa materiam determinatam.*

SECTIO VIII. *Quid dicendum ſit quando fuerunt duæ intentiones contrariæ ; quæ illarum prævalere debeat.*

SECTIO IX. *De obligationibus Miniſtri Sacramentorum.*

SECTIO X. *De obligatione Miniſtri non miniſtrandi Sacramentum indigno, vbi peculiariter de peccatore occulto in publico petente.*

SECTIO XI. *obiectiones contra ſuperiorem doctrinam , & alia dubia circa idem Sacramentum Euchariſtiæ.*

SECTIO XII. *Quid circa hoc dicendum ſit de aliis Sacramentis.*

SECTIO XIII. *Vtrùm in Sacramento Matrimonij ſit eadem obligatio Parochi, non miniſtrandi illud indigno.*

SECTIO XIV. *Vtrùm coniux ipſe , quatenus Miniſter Sacramenti , peccet mortaliter contrahens matrimonium cum peccatore : vbi , an ex hoc etiam capite peccet grauiter Catholicus ducens vxorem hæreticam.*

DE Miniſtro ſingulorum Sacramentorum in particulari pertinet ad Tractatus de ſingulis etiam in particulari : nunc ſolùm dicemus aliqua communia Miniſtris omnium Sacramentorum.

SECTIO I.

Supponuntur aliqua faciliora de Miniſtro Sacramenti.

1. *Solus homo eſt miniſter Sacramenti ex vi præſentis decreti.*

SVpponendum primò , ſolos homines eſſe poſſe ex vi præſentis inſtitutionis Miniſtros Sacramentorum nouæ legis. Hoc eſt certum apud omnes, & colligitur ex Sacramentorum inſtitutione , ex vi cuius hominibus ſolis data eſt poteſtas ea miniſtrandi , vt patet in Euchariſtia , de qua Apoſtolis dictum eſt : *Hoc facite in meam commemorationem*; & de Baptiſmo : *Baptizate omnes gentes* ; & de Extrema-Vnctione : *Inducat Preſbyteros Eccleſiæ , & orent ſuper eum , vngentes eum*; & de Pœnitentia : *Quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis* ; de Ordine , & Confirmatione , conſtat Miniſtrum regulariter debere eſſe Epiſcopum ; denique de Matrimonio conſtat , non poſſe fieri niſi inter homines, qui ſimul ſunt contrahentes & miniſtri. Cum hoc tamen ſtat , quod ex priuilegio , & diſpenſatione Diuina aliquando Angeli Sacramenta miniſtrauerint ; vt de S. Amphilochio narrat Nicephorus lib. 11. Hiſtor. cap. 20. fuiſſe ab Angelis conſecratum Epiſcopum , quam conſecrationem alij Epiſcopi poſtea ratam habuerunt. Cæterùm in eo caſu, & ſimilibus, ſi qui eſſent , vtitur Deus poteſtate ſua, dans eundem effectum , quem daret Sacramentis abſque vera & rigoroſa poſitione eiuſdem omnino Sacramenti. Cùm enim Sacramentum noſtrum includat verba humana , & actiones humanas , imò actiones hominis habentis talem poteſtatem , Sacerdotalem , v.g. vel Epiſcopalem , quales non ſunt actiones Angelicæ , fatendum eſt , non fieri tunc Sacramentum omnino eiuſdem rationis cum noſtris , ſed poni eundem effectum per aliud medium aliquantulum diuerſum. Imò ſi attentè legatur illa hiſtoria de S. Amphilochio , fortaſſe nec interuenit

Niceph.

illa conſecratio Sacramentalis ; hæc enim debet eſſe actio ſenſibilis , vt conſtat ex definitione Sacramenti : illa autem conſecratio non videtur fuiſſe ſenſibilis , ſed tota intellectualis & ſpiritualis , ſeu in ordine ad mentem , non ad ſenſus externos. Sic enim indicat Nicephorus loco citato , cùm dicit : *Angeles Deus miſit, qui myſticâ & arcanâ benedictione, & Epiſcopali arrogatione eum dignati, intellectuali modo conſecrarunt.* Si ergo fuit intellectualis ſolùm conſecratio , non fuit ſenſibilis , atque adeò nec propriè Sacramentalis.

2. *Dubium eſt de non viatore.* *Suarez.* *S. Thom.* *Ratio dubitandi.*

Magis poſſet dubitari de hominibus non viatoribus , ſed glorioſis , & comprehenſoribus , an ex vi præſentis inſtitutionis poſſent validè Sacramenta miniſtrare. Affirmat enim Suarez *hic diſp.* . . *ſect.* 1. cum aliis, quibus fauere videtur S. Thomas *hac q.* 64. *art.* 7 *ad* 2. Et ratio videtur eſſe , quia concurrunt ex parte Miniſtri omnia neceſſaria, cùm ſit verus homo, & potens exercere actiones humanas , & proferre verba humana.

Certum eſt animam ſeparatam, non poſſe miniſtrare. *Idem infertur de homine in ſtatu comprehenſoris.* *Probatur ex Sacramento Euchariſtiæ.*

In hoc puncto certum eſt apud omnes , animam ſeparatam , licèt retineat characterem , non tamen poſſe miniſtrare Sacramenta valida, ſicut nec poſſunt Angeli ; quia nec etiam anima eſt homo. Ex hoc videtur inferri, nec hominem glorioſum in ſtatu comprehenſoris, licèt retineat characterem, poſſe eſſe validum miniſtrum noſtrorum Sacramentorum. Non enim arguitur bene ex retentione characteris ad poteſtatem miniſtrandi Sacramenta pro illo ſtatu. Nam in primis poſt diem iudicij omnes Sacerdotes retinebunt characterem ſuum , & tamen nunc non poterunt conſecrare Euchariſtiam , non ſolùm ex defectu materiæ panis , & vini , ſed etiam ex defectu poteſtatis , quam ſcilicet acceperunt ſolùm ad conſecrandum in hoc mundo ante diem iudicij , vt videtur colligi ex Paulo 1. ad Cor. 11. in illis verbis : *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis , mortem Domini annuntiabitis , donec veniat* ; vbi iuxta communem interpretationem explicatur inſtitutio ſacrificij Euchariſtici facta ſolùm pro tempore huius mundi , duratura vſque ad conſummationem. *1. Cor. 11.*

3. *Probatur ex Sacramento Extremæ-Vnctionis.*

Secundò, de Extrema-Vnctione, quantum ex verbis Iacobi colligi poteſt, quibus eius Sacramenti eſſentiam declarat, videtur à Sacerdote viatore debere miniſtrari : *Inducat* , inquit, *Preſbyteros Eccleſiæ , & orent ſuper eum ; vngentes eum oleo in nomine Domini : & oratio fidei ſaluabit infirmum* , &c. vbi inprimis pro miniſtro petitur *Preſbyter Eccleſiæ* : ille autem , qui non eſt viator, iam non eſt intra hanc Eccleſiam : neque eſt Preſbyter Eccleſiæ , ſed fuit. Requiritur etiam *oratio fidei*, id eſt, quæ procedere poſſit ex fide, qualis planè non eſſet oratio hominis beati , quæ non procederet ex fide , ſed ex viſione clara. De Matrimonio item certum eſt, non poſſe ſuſcipi , aut miniſtrari, niſi à viatoribus , cùm eius vinculum non duret niſi vſque ad mortem coniugis , & per conſequens ſit proprium huius vitæ. Vnde credi poteſt , idem requiri in omnibus Sacramentis. Ratio autem à priori videtur eſſe , quòd Sacramenta data ſunt Eccleſiæ , vt miniſtrentur iis , quæ ſunt intra Eccleſiam ab ipſa Eccleſia viſibili militante per ſuos Miniſtros , quales non ſunt ij , qui iam ſunt extra hunc mundum, & qui nullo modo ſubiacent directè, vel indirectè Eccleſiæ. Denique , qui credat Epiſcopum damnatum , qui ſit in inferno cum anima , & corpore , habere poteſtatem ad conferendum Ordinem , vel Sacramentum Confirmationis alteri damnato, qui ibi eſſet cum corpore, & anima ? Certè, ſi id poſſet facere , faceret vtique ex odio in Deum , ad irrogandam iniuriam Sacramentis Chriſtianis. Dicere

Ratio à priori. *Confirmatur, nec quis dicat Epiſcopū damnatum poſſe conferre Ordines.*

Neque eſt recurrendum ad miracula.

autem, quòd poteſt quidem id facere, ſed impediens à Deo, ne faciat. Videtur voluntariè dictum, & recurri ad miracula continua; cùm facilior fuiſſet, & ſuauior prouidentia, ſi ab initio Sacramenta inſtituta ſint ita, vt requirant ad ſui valorem ex parte miniſtri ſtatum viatoris; atque ideo, licèt character maneat in anima, non tamen poteſtas ad operandum pro eo ſtatu. Fatemur, ſi illa anima redeat ad corpus mortale, miniſtraturam validè Sacramenta, ſicut priùs: ſi tamen vniatur ſolùm cum corpore glorioſo, non videtur id ſufficiens ad valorem Sacramenti. Nec S. Thom. ſuprà adductus id aſſeruit, ſed permiſit in ſolutione illius argumenti, quia ad propoſitum parum referebat id admittere, cùm adhuc, eo admiſſo, negari poſſet conſequentia de Angelis, de quibus contendebat argumentum, poſſe miniſtrare vera Sacramenta.

Secus eſt dicendum ſi anima redeat ad corpus mortale.

4\. *Stapleton.* *Obijciuntur quædam hiſtoria.*

Obiici poſſet id, quod ex aliis Auctoribus refert Thomas Stapletonus *in Collectaneo de S. Thoma Apoſtolo*, ſcilicet anno 1120. Patriarcham quendam Indorum, Ioannem nomine, Romam veniſſe, ibique Calixto II. Papæ & Cardinalibus in Conſiſtorio teſtatum eſſe S. Thomam Apoſtolum omni anno communicare ſolitum populum ſuum manu propriâ dignis porrectâ, & retractâ ab indignis. In qua narratione videtur ſupponi, quòd idem Apoſtolus celebraret, & conſecraret Euchariſtiam ad communicandum populú, & per conſequens, quod retineat adhuc poteſtatem conſecrandi, quam in hac vita mortali habebat. Reſpondeo, quidquid ſit de veritate illius hiſtoriæ, in primis ex verbis illorum Auctorum non haberi, quod Apoſtolus conſecraret Euchariſtiam, ſed ſolùm quòd illam diſtribueret dignis, & negaret indignis, ſicut & Angeli hoc ipſum munus exercuerunt cum B. Staniſlao Ordinis noſtri, & cum aliis Sanctis, non conſecrando hoſtiam, ſed adducendo hoſtiam à Sacerdote conſecratam; quod ipſum (ſi hiſtoria illa vera eſt) credibile eſt, feciſſe Apoſtolum Thomam; alioquin non tacuiſſent Hiſtorici præcipuam actionem celebrandi & ſacrificandi, magiſque inauditam & ſingularem, vt eâ omiſsâ, referrent id, quod non ita rarum erat, miniſtrandi Euchariſtiam fidelibus. Imò cùm B. Petrus Apoſtolus Anno Chriſti 610 mirabiliter in Anglia apparuiſſet, & conſecraſſet ritu Pontificio Eccleſiam ſuo nomini dicatam, quam die ſequenti Epiſcopus conſecraturus erat, per nuntium admonuit Epiſcopum, ne iterum Eccleſiam conſecraret, ſed *ſuppleat*, inquit, *quod omiſimus, Dominici corporis, & ſanguinis ſacro ſancta myſteria*; quæ ſcilicet celebrari & conſecrari à S. Petro Deus non voluit; vt ex antiquis Hiſtoricis refert Cardinalis Baronius, tom. 8. anno 610. Adde, ſi Apoſtolus vtrumque fecit, id non ex communi lege, ſed ex ſingulari Dei conceſſione feciſſe; quod ab omnibus fortaſſe fatendum erit, cùm conſtare non poſſit Apoſtolum cum ſuo vero corpore ſingulis annis comparuiſſe, toties que repetito miraculo reſurrexiſſe, & iterum mortuum fuiſſe. Quare credibilius eſt, animam ſolam cum corpore aëreo adfuiſſe. Si autem ſola anima erat, iam omnes fateri debent, id non feciſſe ſolùm ex communi poteſtate, quam haberet, ſed ex ſpeciali conceſſione Dei; ſicut ſi Angelus id ex ſimili Dei conceſſione faceret. Concedimus enim cum S. Thoma, & aliis, ſi Angelus bonus, vel anima beata, ſiue extra corpus, ſiue in corpore glorioſo aliquod Sacramentum miniſtraret, habendum eſſe pro Sacramento valido; quia credi omnino debet, id ex peculiari Dei diſpenſatione factum eſſe, qui cùm Dominus gratiæ, & Sacramentorum ſit, poteſt gratiam ſuam hoc, vel illo modo communicare, prout ſibi placitum fuerit; ſicut in exemplo

Respondetur.

Baron.

Si Angelus aliquod Sacramentum miniſtraret habendum eſſet pro valido.

ſuprà relato S. Petrus, licèt iam nunc Pontifex aut Epiſcopus non ſit abſque corpore, ex diſpenſatione tamen Diuina functus fuit munere Epiſcopali in conſecratione Eccleſiæ, vt vidimus.

Secundò ergo principaliter ſupponendum eſt, Miniſtrum Sacramenti eſſe cauſam gratiæ, quæ per Sacramentum confertur, non quidem cauſam principalem, ſed miniſterialem. Miniſtris enim conceſſa eſt vera poteſtas remittendi peccata per illa verba: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; ergo Miniſter eſt vera cauſa ablationis peccati, & per conſequens infuſionis gratiæ, per quam peccatum deletur. 5.

Supponendum eſt miniſtrum eſſe cauſam gratiæ.

De hac miniſtri cauſatione, & influxu dubitari ſolet, an ſit immediatus, an ſolum mediatus, quatenus ponit Sacramentum, à quo immediatè cauſatur gratia. Aliqui enim volunt, effectum Sacramentalem produci immediatè, tum ab ipſo Sacramento, tum ab ipſo Miniſtro operante per characterem, quem dicunt eſſe potentiam actiuam phyſicè. Vnde nonnulli, quoád hanc cauſationem, diſtinguunt inter miniſtrum conſecratum ad talem effectum, & non conſecratum, qualis eſt laicus baptizans in caſu neceſſitatis; & de illo affirmant concurrere immediatè, hunc autem ſolùm mediatè per Sacramentum. Denique aliqui hanc doctrinam extendunt ad Sacramentum Euchariſtiæ, vt quando eam miniſtrat Sacerdos, ipſe miniſter ſit etiam cauſa gratiæ ſimul cum Sacramento, quod non eſſet, ſi miniſtraretur à laico. Ita Soto *in 4. d. 5. q. 1. art. 1.* Alioquin enim non ſolùm infidelis, ſed infans, & ſimia eſſet cauſa gratiæ, porrigens hoſtiam conſecratam. 6.

Sotus.

In noſtra ſententia ponente ſolùm cauſalitatem moralem Sacramentorum, facilis eſt deciſio huius dubij. Illa enim ſola eſt cauſa moralis, à qua ſaltem partialiter mouetur Deus ad producendam gratiam. Deus autem immediatè ſolùm mouetur ab ipſo Sacramento, & ab iis, quæ Sacramentum includit in ratione Sacramenti: nec eſt neceſſe, quod Sacramentum includat intrinſecè perſonam ipſam miniſtri, ſed ad ſummum poteſtatem ipſius; quare licèt perſona miniſtri requiratur, vt ponatur actio Sacramentalis, ſolum tamen Sacramentum mouet immediatè Deum ad producendam gratiam; & miniſter non aliter concurrit, niſi per ipſum Sacramentum, quod ponit. 7.

Miniſter eſt tantum cauſa mediata.

Dices, poſitis aliis omnibus, & ablata perſona, non moueretur Deus, nec fieret Sacramentum: ergo perſona etiam intrat ad componendum Sacramentum, & ad mouendum immediatè Deum; antecedens probatur, quia anima ſeparata cum charactere poſſet exercere actionem conſecrandi, vel baptizandi: & tamen non fieret Sacramentum ex mero defectu perſonæ humanæ. Reſpondeo, in illo caſu non fore eandem actionem baptizandi, & loquendi, quæ nunc eſt; nam hæc actio per ſuam entitatem reſpicit hoc principium humanum completum: illa autem reſpiceret ſolam animam; non ergo manerent omnia, quæ componunt Sacramentum, neque ex hoc capite neceſſe eſt, quod perſona ipſa intret; ſatis eſt, ſi intret actio talis humana, quæ per ſuam entitatem reſpiciat intrinſecè tale principium humanum. Cæterùm, cùm diximus ſuprà, ſtatum viatoris requiri eſſentialiter ex vi præſentis inſtitutionis ex parte miniſtri ad valorem Sacramenti, atque ideo hæc verba, & hanc ablutionem factam ab hoc Beato, non fore Sacramentum validum; conſequenter fatendum eſt, illum ſtatum intrare partialiter ad mouendum Deum, & concurrere partialiter ad gratiam, quatenus ex illo partialiter integratur poteſtas requiſita in miniſtro ad conferendum validè 8.

Inſtantia.

Diluitur.

Sacramentum, quæ poteſtas eſt vnum ex iis, quæ integrant cauſam moralem gratiæ conferendæ per Sacramentum. Hoc tamen quidquid eſt, non includit perſonam ipſam; nam ſtatus viatoris, licèt ſupponat perſonam, eſt tamen accidens ab illa diſtinctum, nec illam includens, vt conſtat.

9\. *Paulò aliter dicendum eſt de Euchariſtia.*

De Sacramento Euchariſtiæ paulò aliter dicendum eſt; nam miniſter illius eſt quidem cauſa moralis conficiens illud, hoc eſt, concurrens moraliter ad hoc, vt corpus, & ſanguis Chriſti ponantur ſub ſpeciebus panis & vini, ad quem effectum concurrit, non immediatè, ſed mediis verbis, quæ profert. Ad gratiam verò Sacramentalem, quæ datur ſuſcipienti Euchariſtiam, concurrit ſolùm remotè, quatenus conficit Sacramentum, quod poſtea mouet Deum ad producendam illam gratiam. Vnde nec etiam ſtatus viatoris ipſius miniſtri mouet immediatè Deum ad conferendam gratiam, nec intrat ad componendum immediatè illud Sacramentum. Si enim cætera ponantur ex diſpenſatione Dei per verba Sacerdotis Beati, erit idem omnino Sacramentum Euchariſtiæ: intrat quidem de facto ille ſtatus viatoris ad integrandam poteſtatem miniſtri in ordine ad conſecrandam Euchariſtiam, & mouet partialiter immediatè Deum ad ponendum corpus Chriſti ſub ſpeciebus: non tamen mouet immediatè ad cauſandam gratiam, nec intrat ad componendum Sacramentum in ratione Sacramenti.

10\. *Porrigens Euchariſtiã non eſt cauſa moralis gratiæ.*

Denique, ſi ſermo ſit de miniſtro, non conficiente, ſed porrigente Euchariſtiam, dicendum eſt, illum non eſſe cauſam moralem gratiæ, intelligendo nomine *cauſa moralis* id, quod in hac materia intelligi ſolet, ſcilicet quòd mouet Deum moraliter ad conferendam gratiam: Deus enim non confert gratiam intuitu illius, à quo porrigitur hoſtia, ſed intuitu ipſius Sacramenti, & in hoc pares ſunt, miniſter conſecratus, & non conſecratus, ſiue laicus, imo & infans, aut animal brutum; ſolùm enim concurrunt applicando phyſicè Sacramentum ſubiecto, in quo ipſum Sacramentum operetur gratiam. Poteſt tamen in alio ſenſu, qui porrigit hoſtiam, dici cauſa moralis gratiæ, quam Sacramentum confert, quatenus omnis, qui cooperatur ad aliquem finem ex intentione illius finis, dici ſolet cauſa moralis illius effectus. Sic enim qui adducit Confeſſarium ad ægrotum, vel Parochum, vt eum vngat, dici etiam ſolet cauſa moralis concurrens aliquo modo ad hoc, vt ſubiectum recipiat effectum illorum Sacramentorum: & in eodem ſenſu qui tribuit Euchariſtiam, dicetur aliquo modo cauſa moralis illius refectionis ſpiritualis, quam intendit ſubiecto communicare. Hæc etiam cauſalitas, quæcumque eſt, æqualis eſt in Sacerdote, & laico porrigente hoſtiam, non tamen extenditur ad infantem, aut ad brutum, quibus deeſt intentio finis requiſita ad cauſam moralem in hac ſignificatione.

Dicitur tamẽ cauſa in alio ſenſu.

Confirmatur exemplo.

11\. *In aliis Sacramentis nulla eſt quoad hoc differẽtia inter miniſtrum conſecratum, & non conſecratum.*

In aliis etiam Sacramentis, vbi non eſt duplex miniſter, alter conficiens, alter tribuens Sacramentum, nulla eſt differentia prorſus inter miniſtrum conſecratum, & non conſecratum; ſed vterque æqualiter eſt cauſa gratiæ, ſi verè miniſtrat validum Sacramentum, prout Baptiſmus, & Matrimonium, de facto validè miniſtrantur à miniſtro non conſecrato. Cùm enim Deus moueatur ad dandam gratiam immediatè à ſolo Sacramento, vt diximus; & hoc idem ſit, quando Sacerdos baptizat vel laicus; non eſt vnde magis dicatur cauſare moraliter gratiam illam vnus, quàm alter; neque eſt fundamentum vllum ad id veriſimiliter affirmandum.

12\. *Bonitas miniſtri non requiritur eſſentialiter ad valorem.*

Tertiò ſupponendum eſt, bonitatem aut fidem miniſtri non requiri eſſentialiter ad valorem Sacramenti. De hoc magna fuit olim controuerſia in Eccleſia propter Cyprianum, & alios Patres Africanos, qui putabant baptiſmum ab hæreticis collatum, irritum eſſe. Sed oppoſitum definitum fuit ſæpè in Eccleſia, & in Africa etiam in Concilio Carthaginenſi 1. can. 1. Cæterùm, quia totum hoc pertinet ad meram Controuerſiam cum Hæreticis, & quia de hoc optimè agunt Card. Bellarminus *tom. 2. lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 26.* Suarez *diſp. 13. ſect. 4.* & Vaſquez *diſp. 135.* quibus nihil addendum occurrit, ad alia magis controuerſa tranſeamus.

Conc. Carth.

Bellarm.

Suarez.

Vaſquez.

SECTIO II.

De intentione requiſita in Miniſtro ad valorem Sacramenti.

13\. *Hæretici noſtri tollũt omnem intentionẽ miniſtri.*

Controuerſia eſt cum Hæreticis noſtri temporis, qui primi, nullam prorſus intentionem dixerunt neceſſariam eſſe ad valorem Sacramentorum, contra quos doctrina Catholica definita eſt in Concil. Trident. *ſeſſ. 7. can. 11.* his verbis: *Si quis dixerit, in miniſtris dum Sacramenta conficiũt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit, & ſeſſ. 14. can. 6.* vbi definitur: *Si Sacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſoluendi deſit,* pœnitentem non manere verè abſolutum. Et in Concil. Florentino in Decreto fidei ab Eugenio IV. poſt vltimã ſeſſionem his verbis: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia,* Denique Leo X contrarium errorem damnauerat etiam in Bulla contra Lutherum, cuius error 12. erat, Sacramentum validum eſſe, etiamſi verba à miniſtro irriſoriè, & iocosè dicantur.

Conc. Trid.

Conc. Flor. Eugen. IV.

Leo X.

14\. *Sententia Catharini.*

Ab hac ſententia Hæreticorum abſunt quidem, ſed non multùm Catharinus *in opuſculo de intentione miniſtri*, & quidam alij docti viri eius coætanei, qui intentionem illam requiſitam faciendi quod facit Eccleſia, ita videntur explicare, vt nullam aliam internam intentionem exigant, niſi faciendi actum illum externum, abluendi v.g. & loquendi, prout exteriùs fit ab Eccleſia. Cui ſententiæ ex antiquioribus fauet Syluester in ſumma, verbo *Baptiſmus 3. quæſt. 12.* & ex parte Paludanus *in 4. diſt. 6. q. 2. art. 3.* & denique eam iam abolitam, & ſepultam nouiſſimè excitare, & tueri conatus eſt Ioannes Marius Scribonius Gillus in *Pantaliſbia, ſeu ſumma Theologia, diſput. 1. de Sacrament. in genere, quæſt. 6. & 7.* vbi pro ea plures veteres, nouaſque rationes, & argumenta congeſſit.

Syluester.

Paludan.

Scribonius.

15\. *Iudicium huius ſententiæ.*

Ego quidem fateor, hanc ſententiam, cuiuſcunque ſit, non ita apertè comprehenſam eſſe definitionibus Conciliorum adductis, ſicut comprehenditur Lutheri, & aliorum Hæreticorum error. Nam Hæretici nullam prorſus intentionem exigebant faciendi quod facit Eccleſia, ſed dicebant, validum eſſe Sacramentum, quantumvis Miniſter affirmaret, ſe non ſeriò, ſed iocosè, & irriſoriè operari. Hi autem Auctores exigunt, non ſolùm intentionem faciendi illum actum externum, & proferendi illa verba, (quæ intentio neque etiam ab hæreticis excludi poterat,) ſed etiam intentionem faciendi illum actum, & proferendi illa verba eo modo, quo ab Eccleſia fieri, & proferri ſolent, hoc eſt, cum tali modo externo oſtendente, rem ſeriò agi, & non iocandi gratia; qua intentione poſitâ, dicunt, licèt interiùs habeat intentionem illudendi, & non conficiendi verum Sacramentum, eam intentionem mente conceptam, & exteriùs non proditam non

 vitiare,

vitiare, aut obeſſe quidquam valori Sacramenti: iam enim habetur intentio faciendi, quod facit Eccleſia. Cæterùm, licèt hæc ſententia differat (vt dixi) ab errore Hæreticorum, adhuc tamen ex mente Conciliorum, & ex fundamentis, quibus contra Hæreticorum dogma iſtud definitum eſt, ita clarè colligi poteſt falſitas etiam huius alterius ſententiæ, vt meritò cenſeatur ab errore damnato non multùm diſtare, & ideo meritiſſimè ab omnibus Theologis reiecta ſit. Proponamus ergo breuiter argumenta, quæ contra Hæreticos vrgent, & indicabimus obiter, quomodo illam etiam aliam ſententiam oppugnent.

16. *Veritas Catholica, intentio miniſtri requiritur.* *Ioan. 20.* *Probatur de Pœnitentia & de Extrema-Vnctione.* *Iacob. 5.* *De Euchariſtia* *Luc. 22.* *De Ordine.* *De Matrimonio.*

In primis ergo veritas Catholica colligitur ex Scriptura, in qua ita ſupponuntur Sacramenta inſtituta à Chriſto, vt voluerit ea fieri dependenter ab intentione miniſtri. Sic enim de Sacramento Pœnitentiæ conſtat Ioann. 20. in illis verbis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. & de Extrema-Vnctione Iacob. 5. *Inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum*, &c. de Euchariſtia *Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem.* De Ordine conſtat ea forma illa: *Accipe poteſtatem*, &c. De Matrimonio conſtat, non poſſe fieri ſine intentione contrahentium: fictio enim etiam interna vitiat contractum. Et eodem modo remiſſio valida non poteſt eſſe, ſi quis non habet animum remittendi debitum: ſi ergo Sacerdos remittit peccata in Sacramento Pœnitentiæ, debet habere intentionem internam remittendi. Oratio etiam non eſt, ſi quis proferat verba abſque animo orandi: ergo ſi forma Sacramenti Extremæ-Vnctionis debet eſſe deprecatoria, & miniſter debet orare, oportet quòd habeat animum orandi. Euchariſtia etiam debet conſecrari faciendo, quod fecit Chriſtus; ipſe autem non dixit verba ſolùm materialiter, ſed affirmando, illud eſſe Corpus ſuum: ergo & Sacerdos nomine Chriſti debet habere animum loquendi, & affirmandi illud ipſum per illa verba. Epiſcopus etiam conferens Ordinem dat poteſtatem conſecrandi, vel abſoluendi, &c. Non poteſt autem aliquis verè dare poteſtatem alicui, ſi fingat voluntatem, quam non habet. Vnde

De Baptiſmo & Confirmatione.

in Sacramento etiam Baptiſmi, & Confirmationis videtur eodem modo requiri intentio miniſtri, tum propter exemplum aliorum Sacramentorum, tum quia per illa etiam Sacramenta miniſter eligit Baptizatum, vel Confirmatum, in membrum, vel in militem Chriſti, ad quam electionem non minùs requiritur intentio eligentis, quàm ad dandam po-

Colligitur ex Paulo. *1. Cor. 4.*

teſtatem. Denique hoc ipſum videtur colligi ex Paulo 1. ad Cor. 4. in illis verbis: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Diſpenſator autem non diſpenſat abſque animo interno diſpenſandi, & transferendi: ſi enim diſpenſator deponeret rem domini ſui apud aliquem, non cenſeretur diſpenſaſſe, niſi habeat animum, non ſolùm deponendi, ſed dandi rem.

17. *Hoc argumentum vrget etiam contra ſententiam Catharini.*

Hoc autem totum argumentum vrget etiam contra illam aliam ſententiam; quia ad remittendum etiam debitum validè, non eſt ſatis velle proferre verba cum modo externo ſeriò, ſi deſit internus animus; ſicut neque conſenſus fictè præſtitus facit verum Matrimonium, nec preces ore recitatæ abſque interna voluntate orandi, faciunt orationem veram; nec poteſtatis traditio externa abſque animo interno illam communicandi: & ſic de aliis. Ergo ſi ex Scriptura colligitur neceſſitas aliqua intentionis internæ, proculdubio debuit eſſe illius intentionis, quæ non ſit ſolùm proferendi verba cum ſimulatione voluntatis, ſed abſque vlla fictione interna.

Reſpondet Scribonius dicta quæſt. 7. in ſolutione 3. obiectionis; ſi iudex proprius proferat exterius ſententiam abſolutionis, reum eſſe verè abſolutum, quantumcumque interiùs aliud intendat, dummodò exteriùs illam fictionem non prodat. 18. *Inſtantia.*

Hæc tamen reſponſio eſt imprimis contra Theologos omnes, qui nullum actum legitimum validum iudicant, quando fit abſque interno conſenſu. Sic profeſſionem fictam dicunt, non eſſe validam in foro interno, licèt in externo apud omnes valida exiſtimetur. Sic matrimonium animo ficto celebratum, ſic ſponſalia, ſic contractus omnes valorem non habent, ſi interiùs deſit animus obligandi ſe, quantumvis velit quis proferre verba exteriùs ad decipiendum. Vnde quoties poſtea conſtat de fictione interna, matrimonium, vel profeſſio, vel quidquid id eſt, declaratur nullius valoris, prout Summi Pontifices de facto declararunt; neque in hoc eſt controuerſia aliqua apud Theologos, vel Iuriſtas. Videatur Thomas Sanchez *lib. 1. de Matrimonio, diſput. 9. 10. & 11.* Nec vllus ab hac communi regula excepit ſententiam abſolutoriam, vt hæc abſque interno animo prolata ſit etiam valida. Deinde, quidquid ſit de ſententia, certum tamen eſt, remiſſionem debiti abſque animo remittendi exteriùs prolatam validam non eſſe, ſicut & alios contractus. Sacerdos autem non ſolùm abſoluit vt iudex, ſed remittit etiam debita nomine creditoris, nempe Dei; atque ideo ex hac parte remiſſio illa valida eſſe non poteſt, ſi non ex vero animo procedat, ſed ex fictione & animo ſimulandi. *Diluitur.* *Contractus omnes ficto animo initi non habent valorem.* *Sanchez.* *Confirmatur.*

19. *Secundò probatur ex Conciliis.*

Secundum argumentum, quod deſumitur ex definitionibus Conciliorum ſuprà adductis, vrget etiam contra prædictam ſententiam. Requirunt enim ad valorem Sacramenti intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; quæ intentio non habetur ab eo, qui non intendit conferre verum Sacramentum.

Inſtantia.

Scio, eos Auctores reſpondere poſſe, miniſtrum in noſtro caſu velle facere totum, quod Eccleſia exteriùs facit, ſcilicet ablutionem, v. g. & prolationem verborum, grauiter & abſque ioco externo, prout Eccleſia facit: quod non eſſet, ſi vellet proferre ea verba cum irriſione & ioco externo; tunc enim non faceret, nec vellet facere, quod facit Eccleſia. Sed contra hoc reſponſum argui poteſt primò ex eodem Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 6.* vbi de abſolutione dicitur expreſsè non eſſe validam, *ſi Sacerdoti animus ſeriò agendi, & abſoluendi deſit.* Certum eſt enim, Sacerdotem, qui ad decipiendum, & irridendum poſtea fingit ſe habere animum abſoluendi, quem non habet; hunc, inquam, non habere animum ſeriò agendi, & abſoluendi. Habet quidem animum oſtendendi, & ſimulandi, ſe ſeriò agere, & abſoluere; non tamen vult ſeriò agere, & abſoluere, ſed ludere, & illudere, nullóque modo abſoluere. *Diluitur.* *Trident.*

20. *Confirmatur vlteriùs.*

Deinde, ſi voluntas requiſita faciendi, quod facit Eccleſia, eſt voluntas faciendi exteriùs rem ſeriò, quia hoc eſt, quod exteriùs facit Eccleſia; ergo ſi quis è contra haberet verum animum baptizandi infantem moribundum, ſed ne agnoſceretur Chriſtianus à circumſtantibus, fingeret exteriùs ſe ioco proferre verba, & diceret: *Hoc modo faciunt Chriſtiani, abluunt hoc pacto, & dicunt: Ego te baptizo*, &c. hic, inquam, licèt haberet verum animum internum conferendi paruulo verum Baptiſmum, non tamen id faceret; quia non faceret actum externum, quem facit Eccleſia, & quem per ſe deberet velle, ſcilicet ablutionem, & prolationem verborum ſeriò exteriùs poſitam. Conſequens autem videtur durum; quia ſicut in aliis materiis poſſumus verba æquiuoca proferre in alio ſenſu diuerſo ab eo, quem audientes concipiunt, *Qui fingeret exteriùs ſe baptizare ioco, cum intentione interna verè baptizaret.*

piunt ; ſic formam illam Sacramentalem, quæ capax eſt vtriuſque ſenſus, poſſumus pruferre in vno ſenſu diuerſo ab eo, quem auditores concipiunt.

21. *Confirmatur eodem exemplo, ſed in alio caſu.* Poſſumus adhuc vrgere in alio ſimili caſu, ſi quis v. g. in eiſdem circumſtantiis paruulum moribundum baptizaret prolatâ ſecretò formâ, & abluendo exteriùs puerum, quaſi aliud agens, vel quaſi aquam artificialem medicinæ cauſa ei applicaret, vel ſimulans, ſe puerum lauare ob alium finem, proculdubio Sacramentum illud fuiſſet validum, & ferè hoc modo ſæpe ab iis, qui inter infideles verſantur, paruulis moribundis miniſtratur: & tamen tunc miniſter non habet intentionem faciendi actum externum, qualem Eccleſia ſolet facere; nam Eccleſia ſolet exhibere actionem quandam externam, quæ etiam exteriùs apparet ſacra, & Sacramentalis: ille autem vult ponere actionem externam, quæ exteriùs appareat profana, & naturalis: ergo voluntas requiſita ad valorem Sacramenti, non eſt faciendi actionem, qualem facit Eccleſia regulariter quoad conditiones externas, ſed eſt intentio actionis ordinatæ ad eundem finem, ad quem ordinatur ab Eccleſia. Quando ergo Concilium exigit animum ſeriò agendi non loquitur de actione, quæ exteriùs ſit ſeria, ſed de voluntate ſeria agendi, & obtinendi finem, quem Eccleſia intẽdit: alioquin debemus etiam velle ponere actionem, quæ exteriùs non ſit ſimulata; quod tamen ex prædictis exemplis falſum apparet.

22. *Tertiò probatur ab inconuenientibus.* Tertium argumentum deſumi ſolet ab inconuenientibus; nam ex oppoſita ſententia ſequitur, ſi mater lauando filium dicat deuotionis cauſa: *Ego te lauo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, conficere verum Sacramentum Baptiſmi: item, ſi Sacerdos legendo Epiſtolam Pauli proferat illa verba: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, eo ipſo hoſtiam & calicem manere conſecratum, cùm non requiratur alia intentio interna: quæ inconuenientia procedunt etiam contra illam aliam ſententiam ſuprà adductam, vt conſtat.

23. *Reſpondet Sorbonicus.* Reſpondet ille Auctor *d. q. 7.* miniſtrum in eo caſu non habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; imò nec habere intentionem externam faciendi actum conſecrationis externum; verba enim non ſunt prolata ſuper determinatam materiam, nec procedit eo modo, quo Eccleſia inſtituit. Hæc tamen reſponſio nullo modo ſatisfacit; ſed quia plures habet partes, oportet ſingulas examinare.

Examinatur hæc reſponſio. Et in primis, ad valorem conſecrationis non requiritur, quòd proferantur verba eo modo, quod Eccleſia inſtituit, ſcilicet præuio Canone, & aliis orationibus: ergo ex defectu illius modi, ſi aliud non deſit, non redditur inualida conſecratio. Deinde, quando dicunt, miniſtrum non intendere tunc facere, quod facit Eccleſia, peto, quid ſit illud, quod facit Eccleſia, quòd tunc miniſter non intendit facere? Si enim id ſit proferre verba ad finem Sacramenti conficiendi, fateor id non intendi à miniſtro, & ideo non confici Sacramentum, quia requiritur intentio interna conficiendi Sacramenti, quæ tunc deeſt. Præter hoc autem vnum, omnia alia vult facere tunc miniſter, ſcilicet proferre illa eadem verba, quæ proferri ſolent in conſecratione.

24. *Inſtantia. Sed contra.* Dicunt, non habet intentionem externam faciendi actum conſecrationis externum. Sed contrà, quia ad valorem Sacramenti non requiritur intentio externa, hoc eſt, quæ manifeſta ſit circumſtantibus; nam poſſet Sacerdos quaſi aliud agens accipere panem in menſa, & dicere ſecretò, *Hoc eſt corpus meũ*, cum intentione conſecrandi, & tunc proculdubio maneret conſecratus, licèt intentio non fuiſſet externa, nec potuiſſet deprehendi: vnde conſtat, nec etiam requiri ad valorem, quòd velit facere actum conſecrationis externum, hoc eſt, qui manifeſtus ſit circumſtantibus, quod ſit conſecratio, ſed ſolùm requiritur, quòd faciat illum actum externum proferendi verba cum animo interno conſecrandi: ergo neque ex eo defectu minùs erit conſecratio valida in caſu argumẽti, ſi non requiritur intentio interna.

25. *Inſtantia. Diluitur.* Dicunt denique, in eo caſu non prolata eſſe verba ſuper determinatam materiam. Sed contrà, quia vel ſermo eſt de determinatione externa: & hæc proculdubio non deeſt; non enim requiritur alia determinatio externa ex parte materiæ, niſi præſentia ſenſibilis: & eo ipſo, quantum eſt ex ſe, eſt capax conſecrationis recipiendæ; vel ſermo eſt de determinatione interna, ſeu mentali, quæ fiat per intentionem conſecrantis volentis applicare formam huic materiæ, & non illi. Et hoc quidem veriſſimum eſt; & hoc eſt, quod intendimus, requiri intentionem internam applicandi formam huic materiæ; quæ intentio interna non poteſt eſſe in eo, qui interiùs habet animum non conſecrandi, licèt eum animum exteriùs non prodat.

26. *Aliud inconueniens.* Simile eſt aliud argumentum, quod fieri ſolet: ſi enim ſint decem hoſtiæ, & Sacerdos velit conſecrare ſolas nouem, nec determinat per intentionem, quam ex illis excludat, nulla manebit conſecrata: ergo requiritur intentio interna ad determinandam materiam.

Reſpondet Sorbonicus. Reſpondet prædictus auctor, defectum in eo caſu non tam prouenire ex defectu intentionis, quàm ex materia indeterminata & vaga; agens enim non poteſt introducere formam in materiam vagam, & indeterminatam & non debitè applicatam, prout eſt in illo caſu, atque ideo forma, *hoc eſt*, &c. eſt falſa; quia ibi nulla eſt materia determinata, de qua poſſit dicere: *Hoc*, ergo ex defectu materiæ deficit valor conſecrationis. Fateor tamen, in re tanti ponderis vellem rem clariùs explicari, prout neceſſe eſſet ad inducendum iterum in ſcholam ſententiam illam ab omnibus iam excluſam. *Reijcitur.* Vndecumque enim proueniat ille defectus, certum eſt, reducendum vltimò eſſe ad defectum intentionis; nam applicatio externa materiæ certæ non deeſt, cum omnes decem hoſtiæ ſint coram Sacerdote: deficit ergo ſola applicatio materiæ per intentionem internam: & hoc eſt, *Sic vnius intentionis defectu reperitur.* quod dicimus, præter applicationem externam requiri adhuc intentionem internam ad applicandam completè materiam, ſiue ad determinandam formam, ſiue ad aliquid aliud. Nam peto, quid eſt re ipſa, tunc non eſſe materiam determinatam, ſed vagam? Planè nihil aliud aſſignabis, niſi non eſſe determinatam per intentionem Sacerdotis volentis applicare formam his hoſtiis, & non illi. Requiritur ergo ad valorem Sacramenti talis determinatio facta per intentionem internam Sacerdotis, quæ quidem eſſe non poteſt, vbi adeſt animus internus contrarius nullam conſecrandi, quantumvis velit proferre exteriùs verba in præſentia omnium illarum hoſtiarum. Et quidem ſicut in illo caſu non fit Sacramentum ex defectu determinationis materiæ; ſic quando Sacerdos habet ſolam vnam hoſtiam præſentem, non fiet conſecratio, licèt fingat ſe illam conſecrare; quia potuit interiùs habere animum conſecrandi ſolam dimidiam partem, non determinando, quam dimidiam, quo caſu iam eſſet inualida conſecratio. Item quando baptizat, vel abſoluit, poſſet per illud *te*, velle ſignificare aliquem ex præſentibus, non determinando quem: & ſic de aliis Sacramentis; quare iam ex mero defectu interno eſſet re ipſam inualidum Sacramentum.

27. Addere poſſumus argumentum aliud deſumptum

ex

Tertiò probatur ex communi Theologorum doctrina.

ex communi doctrina Theologorum, qui docent, Sacramenta aliquando poſſe, & debere conferri ſub conditione mentaliter concepta: vt, ſi Sacerdos dubitat de abſolutione à ſe ritè collata, vel de capacitate pœnitentis, & in aliis ſimilibus caſibus. Hæc autem communis doctrina corrueret omnino, ſi intentio interna contraria non vitiat valorem Sacramenti. Si enim miniſter apponit exteriùs formam, nullo exhibito ſigno intentionis internæ conditionatæ, Sacramentum erit validum abſolutè, & non ſolùm ſub conditione; nam ſicut intentio mentalis omnino contraria non vitiaret Sacramentum, in quo exteriùs non prodirur illa intentio contraria: ſic intentio interna conditionata, quæ eſt ſemicontraria, & quæ exteriùs non prodirur, quoad illum defectum conſenſus abſoluti, multò minùs vitiabit valorem abſolutum Sacramenti; atque ideo Sacramentum erit validum, ſi cætera requiſita adſint, licèt conditio re ipſa non ſubſiſtat; quod tamen à nullo Theologo conceditur.

28\. *Etiam à priori, quia miniſter operatur nomine Chriſti.*

Denique, ratio à priori eſſe poteſt, quòd miniſter operatur in Sacramentis vt miniſter Chriſti: non poteſt autem miniſter operari vt miniſter alterius, niſi habeat animum operandi nomine illius: nam ſi ego poſſum emere librum mihi, vel etiam Petro, cuius procurator, & miniſter ſum, non emo validè Petro, niſi habeam animum emendi nomine Petri, & vt miniſter ipſius. Cùm ergo homo poſſit verba illa, vel actiones lauandi, vngendi, &c. ponere vel nomine ſuo proprio, vel nomine Chriſti, cuius miniſter eſt; oportet omnino, quòd habeat animum determinatum operandi, non nomine ſuo, ſed Chriſti, ad hoc vt illa actio procedat ab ipſo, vt à miniſtro Chriſti, & ſit verè actio Sacramentalis.

29\. *Inſtantia.*

Dices, imò poſſe retorqueri argumentum contra nos: quia ſi ego velim exteriùs emere librum vt procurator Petri, & Petro, licèt interiùs habeam animum emendi, non Petro, ſed mihi, emptio tamen facta cenſebitur pro Petro: ergo qui vult exteriùs operari vt miniſter Chriſti, licet interiùs contradicat, re tamen vera operabitur nomine Chriſti, niſi oppoſitum exteriùs manifeſtet.

Diluitur.

Reſpondeo negando aſſumptum; nam in eo caſu liber non acquireretur Petro. Poſſet fortaſſe dici, neutri acquirendum, nec mihi, nec Petro: non Petro, quia non habui verum animum comparandi illi librum; non mihi, quia venditor non habuit animum transferendi dominium in me, ſed in Petrum, cui ego dixi, me velle emere. Sed quidquid ſit de hoc, ſi non loquamur de emptione, ſed de donatione, certum videtur, quòd licèt ego dicam alicui, me donare illi eleemoſynam, vel quidquam aliud nomine Petri, cùm tamen reuera habeam animum internum donandi, non ex pecuniis Petri, ſed ex meis, & meo nomine, tunc, inquam, donatarius verè acquiret dominium, & res erit donata, non nomine Petri, ſed meo, quantumcumque exteriùs appareat oppoſitum. Similiter ergo in actione Sacramentali, ſi quis dicat, ſe vngere, v. g. nomine Chriſti, habeat tamen animum non vngendi niſi nomine ſuo, reuera non operatur vt miniſter Chriſti, ſed ſuo nomine, licèt exteriùs oppoſitum præſumatur.

Quid intendat, qui vult facere, quod facit Eccleſia.

30\. *Hîc quæritur quid velit miniſter præter actionem externam.*

Petes, quid velit ex parte obiecti, qui vult facere, quod facit Eccleſia? Si enim non vult præcisè actionem externam, & modum externum, quo operari ſolet Eccleſia; ergo debet velle alium modum internum: hic autem non apparet, quis ſit, quia non eſt neceſſe, quòd miniſter velit, & intendat finem, quem intendit Eccleſia; nam finis, ad quem ordinatur Sacramentum, eſt gratia ſanctificans, quæ per Sacramentum confertur; poſſet autem aliquis validè conferre Sacramentum, etiamſi vellet non conferre gratiam per illud; ſtat enim velle cauſam, nempe Sacramentum, & ſimul deſiderare, & velle, quòd non conferat gratiam: ergo voluntas requiſita ad valorem Sacramenti, non eſt velle finem Sacramenti, quem intendit Eccleſia. Quid ergo eſt, quod debet velle miniſter præter actionem externam, & modum externum?

31\. *Vaſquez. Richardus. Varia ſententia.*

Aliqui dicunt, miniſtrum debère velle finem ſeu effectum Sacramenti. Pro qua ſententia P. Vaſquez hîc *diſp. 138. num. 35.* affert Richardum. Alij volunt, quòd ſaltem intendatur finis proximus Sacramenti, licèt non remotus: qui baptizat, v. g. licèt non intendat iuſtificationem paruuli; debet tamen velle eum facere Chriſtianum. Alij communiter dicunt, ſufficere intentionem faciendi Sacramentum, etiamſi aliquis poſitiuè vellet non conferre effectum Sacramenti; quod probat Suarez *lib... diſp. 13. ſect. 2. paulo ante finem*. Vnde idem Suarez *in Comment. art. 8. ante med.* dixit, ſolùm debere intendi conſtitutionem Sacramenti. Vaſquez verò loco citato explicat hoc ipſum aliis verbis: ſcilicet, debere miniſtrum intendere illam actionem & verba, non tantùm vt res naturales ſunt, ſed etiam vt ſunt cæremonia quædam religioſa alicuius gentis, aut nationis.

Communiter dicitur velle facere Sacramentum. Suarez.

32\. *Non requiritur intentio effectus proximi vel remoti.*

Ego admitto libenter, non requiri intentionem finis, ſeu effectus remoti, vel proximi, quem confert Sacramentum; imò poſſe validè conferri Sacramentum, cum voluntate non ponendi effectum: ſi, v. g. Hæreticus credat, Sacramentum non conferre gratiam, vel characterem, & idcirco nolit eos effectus conferre, poteſt tamen velle conficere verum Sacramentum, quantum ſatis eſt ad illud de facto conferendum. Cæterùm, obiectum illius voluntatis videtur adhuc magis explicandum: dicere enim, quòd volumus conſtitutionem Sacramenti, non explicat ſatis illud obiectum: petimus enim, quid includat conſtitutio Sacramenti, quam volumus? An ſolam actionem, & modum externum? Et hoc eſſe incidere in ſententiam ſuprà impugnatam. An aliquid etiam internum? Et hoc vel eſt ipſamet intentio, & hæc non poteſt eſſe obiectum intentionis debitæ; nam eſſet obiectum ſui ipſius; vel eſt aliquid diſtinctum ab ipſa intentione, & de hoc quærimus, quid ſit?

33\. *Explicatur præſens difficultas.*

Eodem modo argui poteſt contra illum alium modum explicandi, debere ſcilicet intendi rem illam, & verba, quatenus ſunt cæremonia religioſa alicuius gentis, vel nationis: nam, vel quatenus eſt cæremonia aliqua religioſa, nihil addit ſupra actionem, & modum externum; & hoc eſſet incidere in ſententiam contrariam ſuprà impugnatam: vel addit aliquid, quod velimus: & reſtat explicandum, quid hoc ſit, an intentio noſtra? Et hoc non: quia intentio vellet ſeipſam: an denique aliquid præter intentionem?

34\. *Sententia quorundam reijcitur.*

Dices, illam actionem prout cæremoniam ſacram, addere inſtitutionem, qua inſtituta eſt ad ſignificandam, & augendam ſanctitatem. Sed contra: quia miniſter, dum confert Sacramentum, non debet, nec poteſt, intendere inſtitutionem Sacramenti; illud enim poteſt intendere, quod ipſe poteſt cauſare: ipſe autem nullo modo poteſt ponere, aut cauſare inſtitutionem iam factam Sacramenti; hoc enim non pendet vllo modo à miniſtro: ergo ſi actio illa, prout eſt cæremonia religioſa, ſolùm addit ſupra actionem naturalem inſtitutionem, quam

miniſter

miniſter nec debet, nec poteſt intendere, conſequens eſt, vt nec debeat, nec poſſit intendere illam actionem, prout eſt cæremonia religioſa & ſacra.

35. *Faciliùs explicatur ſi dicamus miniſtrum velle tantum operari nomine Christi. Declaratur exemplo.*

Aliter videtur hoc ipſum faciliùs poſſe explicari, ſi dicamus, miniſtrum, dum vult facere quod facit Eccleſia, non velle ſolùm actionem externam, & verba, neque etiam ſolum modum externum loquendi, & agendi ſeriò in externa ſpecie, vt dictum eſt, ſed aliquid aliud; ſcilicet, loqui & operari, non nomine proprio, ſed Christi, & vt miniſtrum Christi. Quid autem ſit ex parte obiecti voliti agere, & loqui nomine Christi, declarari poteſt ex humanis: quando enim ego volo emere librum, non meo nomine, ſed Petri, cuius procurator ſum, volo non ſolùm actionem externam emptionis, ſed volo etiam operari, vt procurator Petri & nomine ipſius. Quid autem velim ex parte obiecti volendo operari nomine Petri, intelligi poteſt ex iis, quæ latiùs diximus tomo ſuperiori, diſp. 3. de Incarnat. ſect. 5. vbi latè explicuimus obiectum earum voluntatum, iuxta quam doctrinam dicendum eſt, me operari, & emere nomine Petri, eſſe velle per velleitatem, ſeu voluntatem inefficacem ſecundùm modum tendendi, quod ex actione mea non oriretur ius mihi, ſed Petro, ſicut ſi eſſet actio Petri; quæ velleitas mea, ſuppoſita altera ſimili voluntate in Petro, qua per velleitatem voluit ex meis actionibus manere obligatus, & acquirere iura, ſicut ex ſuis, qua voluntate conſtituit me procuratorem ſuum: hac, inquam, duplici velleitate poſita, vtraque, quoad effectum, reputatur efficax; quia prudentes exiſtimant, Petrum re vera obligatum manere, & lucrum habere debere ex meis actionibus, ſicut ex ſuis; quæ omnia loco citato latiùs declarata ſunt. Similiter ergo in præſenti materia, me operari nomine Christi, & vt miniſtrum ipſius, eſt quòd Chriſtus deputauerit me miniſtrum ſuum per talem voluntatem, ſeu velleitatem, qua, quantum eſt ex ſe, vellet meas actiones in tali, vel tali genere eſſe æquivalenter ſuas in ordine ad tales vel tales effectus: qua Chriſti voluntate poſita, ego habeo aliam velleitatem, qua hîc, & nunc vellem hanc actionem meam reputari ab omnibus, non vt meam, ſed vt actionem Chriſti; & per hanc voluntatem actio mea denominatur formaliter facta à me, non meo nomine, ſed nomine Chriſti, & me operatum eſſe vt miniſtrum Chriſti; quia in iudicio prudentum illa mea velleitas acceptatur pro voluntate efficaci. Itaque ex parte obiecti non ſolùm volo actionem, & verba externa, ſed volo velleitate quadam, quòd illa mea loquutio, & actio accipiatur, & æſtimetur pro loquutione, & actione, non mea, ſed Chriſti. Quomodo autem illa mea intentio, aut voluntas non habeat ſeipſam pro obiecto, explicuimus etiam loco citato in aliis voluntatibus ſimilibus, & dicemus etiam in tomo ſequenti de Pœnitentia agentes de voluntate Diuina condonante extrinſecè peccatum: eadem enim prorſus eſt doctrina vtriuſque difficultatis, & ideo non oportebit eam ſæpius repetere.

Exemplum applicatur.

Vide tom. 1. de Incarnat. diſp. 3 ſect. 5.

36. *Velle operari nomine Chriſti implicitè ſatis eſt.*

Notandum tamen eſt, non requiri ad valorem Sacramenti, quòd miniſter velit explicitè operari nomine Chriſti, aut vt miniſter ipſius; ſufficit enim id implicitè velle, quod multis modis contingere poteſt, v.g. ſi quis velit facere, quod facit Eccleſia, ſeu vti illius verbis, & rebus eo modo, quo Eccleſia iis vtitur, vel etiam, non cogitando de Eccleſia vniuerſali, velit facere quod facit talis Eccleſia particularis, vel quod facit talis Parochus, vel quod faciunt aliqui, apud quos audiuit illa ſigna adhiberi, tanquam cæremonias religioſas: his enim omnibus modis apprehendit, aliquid latere ſub illis ſignis, quod, quidquid illud ſit, in confuſo intendit, vt bene explicat Vaſquez *vbi ſuprà, num. 51. & ſequentibus*. Nunc diſſoluamus argumenta contraria. Vaſquez.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedentem.

PRimò obiicitur factum Athanaſij, qui cùm puer 37.
eſſet, alios pueros ludens baptizauit; quem Baptiſmum validum fuiſſe declarauit, Alexander Patriarcha Alexandrinus. Similem aliam hiſtoriam refert Nicephorus *lib. 1. hiſt. cap vlt.* de puero Iudæo ab aliis pueris per ludum baptizato; quem etiam Baptiſmum Eccleſia Conſtantinopolitana approbauit: non ergo requiritur intentio. Reſpondeo, aliud eſſe fictionem, aliud ludum: poteſt enim cum ludo eſſe intentio ſufficiens ad faciendum actum validum. Sic pueri, quorum ætas æmulatrix eſt actionum, quas in ſenioribus vident, ſolent etiam per ludum Regem creare, quibus alij per diem, vel horam obedire teneantur; & quidem non ſolùm volunt fingere, quaſi in ſcena id, quod adulti ſeriò agunt, ſed etiam verè intendunt, quantum poſſunt, tribuere illi puero auctoritatem imperandi, & ſeipſos volunt obligare ad obediendum per totum illum diem. Sic etiam potuerunt pueri illi velle non ſolùm repræſentare, & fingere, quod factum fuerat in Eccleſia à Sacerdote baptizante pueros, ſed etiam imitari, & facere, quod illi faciebant. Cùm ergo diligenter fuerint interrogati circa intentionem ſuam, &, præuio examine, fuerit declaratus Baptiſmus validus, credi debet, inueniſſe Præſules illos intentionem non ſolùm faciendi actum externum, ſed faciendi actum validum, quantum poſſent, præſertim cùm nollent baptizare eos, qui iam baptizati erant, ſed ſolùm Catechumenos, vel non baptizatos; quod quidem ſignum erat voluntatis conferendi verum Baptiſmum, & non fictum; hunc enim poſſent etiam circa baptizatos æquè bene fingere.

Obiectio prima.

Nicephor.

Soluitur, aliud eſt fictio, aliud ludus.

Quod confirmari rurſus poteſt ex hiſtoria illa, quæ refertur in Prato Spirituali *cap. 196.* de pueris, qui per ludum voluerunt Miſſam celebrare, elegeruntque vnum in Preſbyterum, & alios duos in miniſtros; cùm verò ad conſecrationem ventum eſſet, & verbis prolatis, communicare vellent, igne de cœlo miſſo territi, & ſemimortui iacuerunt. Nam illi etiam tentaſſe videntur, non fingere, ſed Miſſam facere, quantum poſſent. Dixerunt enim; *Celebremus Miſſam, & offeramus Sacrificium, & communicemus, ſicut ſemper in ſancta Eccleſia Preſbyter facit.* Sic ergo de Baptiſmo fieri potuit, vt verum etiam Baptiſmum conferre voluerint, & quod in Miſſa defectu poteſtatis non potuerunt, in Baptiſmo reipſa fuerint conſequuti. 38.

Prat. Spirit.

Secundò obiicitur ſimile argumentum ex facto S. Geneſij Martyris, qui cùm mimus eſſet, & in ſcena, vt Imperatori placeret, & irrideret Sacramenta Chriſtiana, baptizari ſe faceret, repente mutatus, & ab Angelo monitus de efficacia illius aquæ ad remiſſionem præteritorum peccatorum, ſi ex corde vellet ad Chriſtum tranſire, baptiſmo illo iuſtificatus eſt, & ſtatim fidem publicè profeſſus, pro ipſa conſtantiſſimè mortuus, martyrio coronatus eſt. 39.
Aliqui volunt, baptizatum fuiſſe, non à ſodalibus, ſed à vero Sacerdote Chriſtiano ad hoc in ſcenam vocato. Hoc tamen incredibile eſt; quomodo enim Sacerdos Chriſtianus veniret abſque ingenti ſacrilegio ad cooperandum ludicro ſpectaculo, quod totum ad irriſionem legis Euangelicæ ordinabatur? 40.

Obiectio ſecunda.

Variæ reſponſiones reiiciuntur.

Quomodo

Quomodo item auderet in publica luce coram Imperatore Chriſti perſequutore acerrimo ſeſe Sacerdotem Chriſtianum manifeſtare? Denique, quomodo impunè id fecit, & pacificè, peracto Baptiſ-
41. mo, domum redire permiſſus eſt? Nec multò credibilius eſt, quod alij dicunt, mimum illum, qui Sacerdotis perſonam agebat, licèt irriſionis cauſa id faceret, habuiſſe tamen intentionem faciendi, quod faciebant Chriſtiani, & ideo contuliſſe verum Baptiſmum. Hoc, inquam, difficilè etiam creditu eſt; nam nec Chriſtiani ipſi, quando in ſcena agunt perſonam Sacerdotis baptizantis, haberēt veram intentionem baptizandi, aut faciendi quod facit Eccleſia, ſed ſolùm repræſentandi, & fingendi illud: quantò minus Paganus, qui Eccleſiam irridebat, exiſtimabitur habuiſſe talem intentionem faciendi verum Sacramentum.

42. Faciliùs fortaſſe dicetur, licèt Baptiſmus ille non
Melius reſpondetur. habuerit omnia, quæ re vera exiguntur ad valorem noſtri Baptiſmi, Deum tamen priùs excitaſſe Geneſium ad veram conuerſionem, & amorem ſui, & deſiderium ſalutis: quod indicat Vincentius Beluacenſis *in ſpeculo Hiſtor. lib.* 12. *cap.* 104. dum referens hanc Geneſij hiſtoriam, dicit, quòd Sacerdoti ad ſe venienti, & interroganti: *Quid ad nos miſiſti, filiole? Ille non iam ſimulatè, & fictè, ſed ex puro corde reſpondit: Quia gratiam Chriſti conſequi cupio, per quam renatus liberer à ruina iniquitatum mearum.* Potuit ergo diuina gratia adiutus ante Baptiſmum concipere veram contritionem, qua effectus Baptiſmi conferretur. Solum videtur obſtare, quòd Angelus ante ablutionem illi apparens promiſerit, media illa aqua, remiſſionem omnium ſuorum delictorum, quæ in libro omnia, & ſingula ſcripta legebantur: *Aqua,* inquit, *hæc delet omnia iſta, quæ te feciſſe cognoſcis. Cùm autem aqua perfuſus eſſet, ſimul & liber ille perfuſus niue candidior effectus eſt; ita etiam vt ſignum*
43. *Scriptura præterita non demonſtraret.* Fatendum ergo eſt, aquam illam valuiſſe ad remiſſionem peccatorum. Reſponderi tamen poteſt, potuiſſe quidem valere ad expiationem reatus pœnæ, qui adhuc ſupererat, quam pœnæ remiſſionem potuit Deus per modum Indulgentiæ alligare illi apparenti Baptiſmo, vt illam imaginem veri Baptiſmi honoraret. Porro illa remiſſio reatus pœnæ ſufficit, vt diceretur aqua delere peccata. Sic enim *Act.* 22. dictum eſt ab Anania Paulo, qui iam, per contritionem fuerat iuſtificatus: *Exſurge, & baptizare, & ablue peccata tua*; quia nimirum adhuc poterat habere reatum pœnæ temporalis; quem Baptiſmatis aqua deleret. Nec nouum eſt, quòd intuitu baptiſmi inualidi in ratione baptiſmi, Deus concedat gratiam aliquam propter imaginem veri Baptiſmi. Sic enim legimus etiam in Prato Spirituali *cap.* 176. Iudæum quendam moribundum in deſerto petiiſſe enixè ab itineris comitibus baptiſmum; cumque aqua nulla poſſet haberi, baptizatum ab illis arena loco aquæ, & ſtatim ab omni prorſus ægritudine liberum iter cum eiſdem fuiſſe proſequutum. Potuit ergo ſimiliter Deus honorare illam imaginem veri Baptiſmi in Geneſio propter effectum ſuſcipientis, donando eidem indulgentiam plenam peccatorum etiam quoad pœnam.

Vincent. Beluacenſ.

Act. 22.

Prat. Spirit.

44. Tertiò, obiicitur Auguſtinus *lib.* 7. *de Baptiſmo*
Auguſt. *contra Donatiſtas. cap.* 53. & refertur in cap. *ſolet,* de
Tertia obiectio ex Aug. conſecratione, *diſt.* 4. vbi Auguſtinus de baptiſmo etiam abſque intentione miniſtri collato ſentire videtur eſſe validum: *Nequaquam,* inquit, *dubitarem habere eos baptiſma, qui vbicumque & à quibuſcunque illud verbis Euangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione & cum aliqua fide accepiſſent.* Quæ verba, licèt vniuerſalia ſint, poſſent tamen explicari, vt ſermo ſit ſolùm, quantum eſt ex parte ſuſcipientis baptiſmum, in quo ad eius valorem requiritur ſola intentio, ſemper tamen in conferente ſupponitur poteſtas, & voluntas baptizandi, quæ ibi non excluditur. Cæterùm P. Vaſquez *diſp.* 138. *num.* 48. *& ſequentibus* Vaſquez.
obſeruat, Auguſtinum eo capite loqui de vtroque, ſcilicet de recipiente & de miniſtro, vt ex contextu conſtat. Vnde concludit, Auguſtinum ibi dubitaſſe de baptiſmo abſque intentione miniſtri collato; & propendiſſe in eam partem, vt ſimulatio miniſtri non noceret, ſaltem quando ex parte recipientis fides aliqua, & intentio eſſet: quia nimirum Auguſtino perſpecta non fuerit ea veritas de neceſſitate intentionis in miniſtro, quæ nondum fuerat apertè à Conciliis definita.

Ego ſanè fateor, Auguſtinum in eo capite de mul- 45.
tis dubitaſſe, de quibus modò propter clariorem *De multis in eo capite dubitauit Aug.*
Conciliorum lucem nobis exhibitam ampliùs non dubitamus. Video etiam (id quod in aliis materiis ipſi Auguſtino, & aliis Patribus accidit) pro zelo in Hæreſin, quam impugnabant, in partem aduerſam acriter inclinaſſe: quia nimirum Donatiſtæ negabant, validum eſſe baptiſmum ab hæreticis collatum, Auguſtinum adeò in baptiſmi valorem inclinaſſe, vt de baptiſmo etiam mimicè & per iocum collato, & ſuſcepto dubitarit, an validus reputandus eſſet, nec ne? Cæterùm, adhuc in iis, quæ ea pro- *Reſpondetur obiectioni, & explicatur mens Aug.*
pria ſententia in toto eo capite aſſeuerat, non video, quid cogat ad fatendum, quòd Auguſtinus dixerit, validum eſſe baptiſmum abſque miniſtri intentione collatum. Nam ſi totum caput attentè legatur, apparebit, Auguſtinum nomine, *fallaciter dantis, vel ſuſcipientis,* non intellexiſſe dantem; vel ſuſcipientem abſque intentione, ſed abſque fide, aut exiſtimatione requiſita de veritate Sacramenti, vel cum ſimulatione, fingendo ſe aliter ſentire, quàm reuera ſentiat. In primis enim comparat eum, qui in Eccleſia Catholica fallaciter, hoc eſt, cum ſimulatione baptizatur, cum eo, qui apud hæreticos abſque fallacia, hoc eſt, abſque ſimulatione: vbi nomine *ſimulationis* intelligit fingere ſe Catholicum apud Catholicos, cùm ille alius non ſe fingat alium apud hæreticos ab eo, qui reuera apparet. Rurſus eodem modo comparat ibi eum, qui in hæreſi fallaciter, cum eo qui in mimo cum fide, repentina pietate mutatus ſuſcipit: vbi vides, opponi fallaciam ſuſcipientis in hæreſi, fidei ſuſcipientis in mimo; fallacia ergo illa eſt defectus exiſtimationis debitæ de illo baptiſmo, quem exteriùs ſuſcipit, fingendo ſe illud magni facere. Quod idem poſtea explicat comparans iterum eum, qui fallaciter inter Catholicos miniſtrat, vel ſuſcipit, cum illo, qui in mimo conuerſus ſuſcipit, de quibus quærit: *An quantum ad ipſos quidem attinet homines, plurimum diſtet inter credentem in mimo, & irridentem in Eccleſia, ad ipſius autem Sacramenti integritatem nihil intereſt.* Vbi etiam opponit fallaciæ illi fidem credentis: nomine ergo *fallacia* intelligit ſimulationem, ſeu alium ſenſum internum de Sacramento, quod ſuſcipit. Vnde paulò poſt de iis, qui fallaciter ſuſcipiunt, dicit, non ſolere vnquam, re comperta, baptizari de nouo, ſed puniri: *Si poſtea* (inquit) *prodatur, nemo repetit, ſed aut excommunicando punitur illa ſimulatio, aut pœnitendo ſanatur.* Non eſt autem credibile, in Eccleſia fuiſſe vnquam talem vſum, vt qui abſque ſua intentione baptizati eſſent, non baptizarentur, ſed excommunicarentur; non ergo intelligit per eiuſmodi fallaces, eos, qui intentionem non haberent ſuſcipiendi baptiſmi, ſed eos qui fallebant fingendo ſe eiuſdem religionis, in qua baptizabantur. Ad eun-

dem

dem autem vſum & praxim Eccleſiæ alludere videtur paulò inferius in illis verbis; *Sicut iam, præteritis maiorum ſtatutis, non dubito etiam illos habere Baptiſmum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel vbi putatur eſſe Eccleſia ab iis, in quorum ſocietate id accipitur.* Erant ergo ſtatuta de non rebaptizandis iis, qui fallaciter in Eccleſia baptizabantur, quæ, vt dixi, credibile non eſt prohibuiſſe Baptiſmum eius, qui abſque intentione ſe Baptizare permiſit, ſed eius qui fingens ſe Catholicum apud Catholicos, vel hæreticum apud hæreticos, Baptizatus fuerat; nam licèt ipſe irridere voluiſſet, & ad lucrandum, vel aliquem alium finem id feciſſet, verè tamen Baptizatus erat: ſicut Iudæi, qui ob metum ſinunt ſe baptizari. Tota autem hæc explicatio, & doctrina videtur optimè reſpondere intento Auguſtini in illo capite, in cuius initio quæſtionem propoſuit de eo, qui non erat Chriſtianus, ſed curioſitate didicit ritum Baptiſmi, an re vera validè baptizaret? Cui quæſtioni ſubnectit alia dubia ſub ea contenta de iis, qui ſimulant fidem, quam non habent, an validè baptizent, vel baptizentur? Cùm ergo principalis quæſtio oriretur ex defectu credulitatis, de hoc eodem defectu, & non de defectu intentionis accipiendus eſt Auguſtinus, in reliquo capitis contextu, ne tanto Doctori craſſiſſimam ignorantiæ labem concedamus. Quod verò idem Auguſtinus *Tractatu 5. in Ioannem*, dicit, Baptiſmum ab ebrioſo collatum, validum eſſe, hoc, inquam, difficultatem non habet, nam ibi non eſt ſermo de ebrio, in quo non datur ſufficiens intentio tempore ebrietatis, ſed de ebrioſo, id eſt, qui ſolet inebriari, quod vitium non tollit valorem, & intentionem debitam, quo tempore ſobrius eſt.

Tota hæc explicatio optimè reſpondet menti Auguſtini.

46. Quartò, obiicitur reſponſum Nicolai Papæ I. ad conſulta Bulgarorum, quod refertur *in 3. tom. Concil.* & in cap. *A quodam Iudæo*, de Conſecrat. *diſt.* 2. vbi Papa interrogatus de iis, qui baptizati fuerant à quodam Iudæo, de quo dubitabatur, an eſſet Chriſtianus, vel Paganus; reſpondit Pontifex: ſi debita forma baptizati erant, non eſſe rebaptizandos: non ergo curabat de intẽtione interna, ſed de ritu externo. Reſpondeo facilè, argumentum eſſe negatiuum. Pontifex enim nihil dixit de intentione, ſed ad dubium propoſitum, quod ſolùm proueniebat ex eo, quòd miniſter non erat baptizatus, reſpondit, id non obſtare, ſi debitum ritum in Sacramento ſeruauit.

Quarta obiectio. Nicol. I.

Soluitur.

47. Quintò, arguitur ratione; quia in contractibus, & rebus humanis non requiritur talis intentio in nuntio, & miniſtro, ſed exequutio operis ſibi à domino iniuncti: ergo cùm in Sacramentis Chriſtus ſit, qui per miniſtros operatur, non eſt requirenda ad valorem intentio miniſtri, ſed Chriſti, dum miniſter rem ſibi iniunctam ritè exequatur. Reſpondeo imprimis, in ipſo nuntio & miniſtro requiri intentionem aliquam internam præter exequutionem externam. Nam ſi verba, exempli gratia, ſint ex ſe indifferentia, vt dicantur vel ſuo ipſius nomine, vel Domini, procul dubio non erunt prolata nomine Domini, niſi miniſter, vel nuntius habeat interiùs intentionem loquendi, non ſuo, ſed Domini nomine. Talia autem ſunt verba Sacramentalia, nam voces illæ: *Hoc eſt corpus meum; ego te abſoluo.* &c. indifferentes ſunt ex ſe ad hoc, vt ſignificent Sacerdotem de ſe ſolo loquentem, vel etiam loquentem nomine alterius, nempe Chriſti: ergo ſicut quælibet aliæ voces æquiuocæ, ſic etiam hæ, neceſſe eſt, quòd determinentur per intentionem loquentis ad talem ſignificationem potiùs, quàm ad aliam. Non ergo ſufficit, quòd nuntius vel miniſter proferat exteriùs tales voces à Domino impoſitas ad valorem actus, niſi velit loqui, vt nuntius & miniſter; alioquin voces non ſignificabunt, vt conſtat. Adde, in Sacramentis miniſtrum non eſſe merum nuntium, ſed quaſi œconomum, qui ex præſcripto Domini emit aut vendit triticum, vel vinum: ad quod non ſufficit externa actio, niſi habeat intentionem emendi aut vendendi, hoc eſt, transferendi reuera dominium pecuniæ, vel tritici: & hoc non ſibi, ſed Domino; ſine qua intentione actus non eſt validus, ſed apparens. Porrò miniſtros Sacramentorum hoc pacto eſſe deputatos, probatum eſt ſuprà ex ſingulorum formis, & eſſentiis.

Quinta obiectio.

Reſponditur.

In Sacramentis miniſter non eſt merus nuntius, ſed quaſi œconomus.

Sextò obiicitur, quia Sacramenta ſunt ſigna à Chriſto inſtituta: ſignum autem non habet ſuam ſignificationem dependenter ab eo, qui ſigno vtitur, ſed ab eo, qui impoſuit; quantumcumque enim ego nolim, hanc vocem *homo* ſignificare hominem; nihil aliud ſignificabit niſi hominem: ergo nec miniſter adhibens actionem Sacramentalem, poteſt impedire, quòd ſignificet id, ad quod ſignificandum à Chriſto eſt inſtituta. Reſpondeo, quando ponitur actio externa ſola, non poni totum, quod Chriſtus inſtituit ad ſignificandam gratiam: Chriſtus enim non inſtituit in ſigno ſolam actionem externam ſecundùm ſe, ſed vt factam ex intentione miniſtri; vt ſuprà probatum eſt. 48.

Sexta obiectio.

Reſponſio.

Septimò obiicitur, licèt miniſter nolit cauſare effectum Sacramenti, non poteſt Sacramenti efficaciam impedire: ergo nec poterit impedire ſignificationem, licèt non habeat intentionem ſignificandi. Reſpondeo eodem modo: ſicut poſito Sacramento, non poteſt miniſter impedire eius effectum, ſic nec poteſt impedire eius ſignificationem, ſi ponatur Sacramentum: cæterùm ſicut poteſt impedire effectum nolendo ponere Sacramentum, ſic poteſt impedire ſignificationem. Diſcrimen tamen eſt, quòd ſignificatio eſt ipſa eſſentia Sacramenti, atque adeò non poteſt velle Sacramentum, quin velit ſignificationem: effectus verò, ſeu res ſignificata non eſt eſſentia Sacramenti, & ideo poſſet miniſter aliquo modo velle Sacramentum, quin velit effectum; licèt reuera volendo Sacramentum, implicitè, & in cauſa, velit aliquo modo eius effectum. 49.

Septima obiectio.

Soluitur.

Significatio eſt de eſſentia Sacramenti, non verò effectus.

Petes, quid ſi explicitè nolit effectum Sacramenti? Tunc enim non videtur poſſe velle Sacramentum, cùm hoc non poſſit poni ſine ſuo effectu, ſi non detur obex. De hoc dicemus ſeorſim ſect. ſexta, vbi etiam de intendente facere contractum Matrimonij, non vero Sacramentum.

Octauò obiicitur; quia Chriſtus potuit inſtituere Sacramenta abſque neceſſitate talis intentionis ad eorum valorem: & hic modus vtilior eſſet ad tollenda dubia, & pacandos animos fidelium: ergo ita credendum eſt inſtituiſſe, præſertim cùm non deceat, alienam culpam nolentis facere Sacramentum validum nocere ſuſcipienti, qui bona fide accedit, & accipit, nec ampliùs de repetendo illo Sacramento ſollicitus eſt. Reſpondeo, pericula ex malitia miniſtri eadem ferè eſſe præſcindendo ab intentione: poteſt enim ſubticere aliquod verbum formæ, mutare, adiungere, præſertim apud imperitos, & indoctos. Aliunde verò congruum erat, Sacramentales actiones eſſe actiones religioſas, & cæremonias ſacras, quibus Deus ab hominibus coleretur: atque adeo oportebat fieri ex intentione exercendi cultum illum, cultus enim non eſt ſola actio externa, niſi oriatur ex intentione interna colendi, & ſignificandi. Nec ex hoc naſcitur maius fundamentum dubitandi de valore Sacramenti; qui enim dubitat de miniſtro, an habuerit intentionem, pariter poterit dubitare, an protulerit omnia verba, 50.

Octaua obiectio, quia Chriſtus poterat inſtituere Sacramenta abſque intentione miniſtri.

Reſponditur.

vel adhibuerit materiam neceſſariam: quare ſicut de his non dubitamus moraliter, ſic nec de intentione habemus tale dubium morale.

51. *Obiectio nona.* *Reſponſio.*
Nonò obiiciunt; quia Sacramentum eſt ſignum ſenſibile; illa autem intentio interna eſt inſenſibilis, & in hominis mente delitescit: ergo non poteſt eſſe pars Sacramenri. Hoc argumentum nihil probat: cùm conſtet, contritionem internam, quæ etiam in homine delitescit, eſſe partem intrinſecam Sacramenti Pœnitentiæ. Sufficit enim, ſi ſenſibilis fiat per aliud exterius ſignum, provt contritio manifeſtatur per externos actus pœnitentis: & hoc etiam modo intentin miniſtri manifeſtatur per actiones externas, & fit ſanſibilis per illas. Non eſt autem pars Sacramenti ſola manifeſtario ipſa externa, ſed etiam res interna manifeſtata, provt conſtat in contritione.

52. *Decima obiectio.*
Decimò obiiciunt; ſi neceſſaria eſt intentio in miniſtro, quomodo poteſt hæc eſſe in Hæreticis, qui vel Sacramenta, vel eorum effectum negant, & deteſtantur? Et tamen Eccleſia ratum ſemper habet Baptiſmum ab hæretico collatum. Reſpondeo, errorem priuatum non nocere Sacramento, ſi miniſter velit facere quod Chriſtus inſtituit, quod de omnibus Hæreticis præſumitur: nemo enim eſt tam inſanus, vt nolit facere validum actum, quem reuera vult facere. Omitto alia leuiora argumenta, quæ afferunt, quia nullius ſunt ponderis: nunc videamus potiſſima ex iis, quæ affert Scribonius, vbi ſuprà pro ſua ſententia.
Reſponſio. Error priuatus non nocet Sacramento.

53. *Vndecima obiectio.*
Obiicit ergo vndecimò, quia miniſter perſonam, & vices gerit Eccleſiæ; ſed Eccleſia verè iudicat eſſe baptizatum, quem exteriùs vidit ritè baptizari; ergo miniſter per intentionem internam Eccleſiæ non conformem, ſi habeat externam illi conformem & faciat, quod ipſa facit, Sacramentum irritare non poteſt. Reſpondeo, miniſtrum propriè loquendo, in Sacramentis conficiendis magis eſſe miniſtrum Chriſti, quàm Eccleſiæ: ipſúmque Chriſtum agnoſcere optimè defectum intentionis, & quod homo tunc non vult agere nomine Chriſti; atque adeò Chriſtus non habet ratum Baptiſmum, v. g. tanquam ſuo nomine collatum. Adde, licèt operaretur nomine ſolius Eccleſiæ, adhuc actum fore inualidum ex defectu intentionis, provt accidere poteſt in abſolutione ab excommunicatione, quæ datur à Sacerdote nomine Eccleſiæ: & tamen ſi non habeat verè intentionem abſoluendi, abſolutio erit inualida, licèt exteriùs ob errorem exiſtimetur valida. Sicut ſi œconomus habens à domino facultatem condonandi debita, fingeret ſe alicui condonare abſque intentione condonandi, condonatio reuera eſſet inualida ex defectu conſenſus, licèt exteriùs præſumeretur valida, quandiu non conſtaret de defectu intentionis; idem ergo eſt de abſolutione à cenſura, cùm ſequatur conditiones condonationum, & contractuum humanorum.
Reſpondeo. Miniſter potius eſt Chriſti quàm Eccleſiæ.

54. *Duodecima obiectio.*
Obiicit 12. Actio ſemper ſe tenet ex parte potioris agentis: & quoties agens debitè applicatum eſt paſſo ad ſuſcipiendam actionem diſpoſito, ſequitur effectus. Sed Deus eſt præcipuum agens in Sacramento, miniſter verò eſt inſtrumentum: ergo ſi paſſum, nempe ſuſcipiens, eſt debitè applicatum agenti Deo, ſcilicet per miniſtrum operantem exteriùs in perſona Eccleſiæ, & facientem quod ipſa facit, ſubſequetur verè effectus, licèt deſit intentio interna. Reſpondeo retorquendo argumentum: nam agens, quod non agit ſe ſolo, ſed medio inſtrumento, licèt agens ſit applicatum paſſo, ſi tamen inſtrumentum non ſit debitè applicatum, non producitur effectus. Sic enim Faber applicatus ligno, vel ferro, nihil operatur, ſi inſtrumenta eius artis, ſcilicet ſerra, vel malleus, non ſint etiam applicata. Quamvis ergo Deus, qui eſt principale agens, ſit paſſo applicatus, non operabitur effectum Sacramentalem, quandiu inſtrumentum, qui eſt miniſter, non fuerit debitè applicatum: quæ applicatio potiſſimè fit per intentionem, cùm ſit inſtrumentum morale, & actiuum, ſicut etiam Deus per intentionem applicatur.
Reſpondetur retorquendo argumentum.

55. *Decima tertia obiectio.*
Obiicit 13. inter duo pugnantia, agens cum prædominio, licet illud aliud repugnet, ſuum ſortitur effectum: ergo licet intentio interior, & exterior pugnent, exterior obtinebit effectum, quæ fortior eſt, quia Deus cum ipſa concurrit: & ſi deficeret, defectum ſuppleret; & præterea procedit ad opus, quod non facit interior: & in perſona Eccleſiæ videtur Sacramentum adminiſtrare.

Reſponſio. intentio interna comparatur cum externa tanquam comprincipium.
Reſpondeo, intentionem internam contrariam non ſolùm comparari cum externa, tanquam agens contrarium, ſed etiam tanquam comprincipium requiſitum, ſine quo intentio externa nihil poteſt facere. Nam ſicut ad videndum requiritur oculus, & ſpecies obiecti, ex quibus ſi deſit ſpecies, quæ ignobilior eſt, non ſequetur effectus: ſic ad actus humanos requiritur actio externa, & intentio interna; quarum ſi deſit interna, nihil fit: vt contingit in contrahente Matrimonium fictè abſque conſenſu interno: & eodem modo ad Sacramentum validum requiruntur illa duo comprincipia, quorum ſi vnum deſit, nihil fit. Quod autem addit ille Auctor, externam intentionem talem eſſe, vt ſi deficeret, Deus suppleret defectum; ſi, vt ſonat, accipiatur, non poteſt vllo modo admitti: certum quippe iam eſt inter Theologos, quòd intentio ſola baptizandi abſque actione externa non ſufficit, vt de facto paruulus non baptizatus ſaluetur.

56. *Decima quarta obiectio.*
Obiicit 14. opus potiùs ſequitur praxim, quàm ſpeculationem; quia illa, & non hæc, tendit ad opus: ſed intentio miniſtri, qua procedit ad opus, eſt practica, interna verò contraria eſt ſpeculatiua: ergo opus quod ſequitur, quoad actum externum, debet potiùs pendere ab intentione practica quàm à ſpeculatiua. Reſpondeo, in opere Sacramentali poſſe conſiderari, & actionem meram externam, & valorem ipſius: & quidem in ordine ad ſolam actionem externam intentio proferendi verba, & lauandi puerum eſt practica, & ponit ſuum effectum: verè enim proferuntur verba, & infans abluitur. At verò in ordine ad valorem actus, illa alia interior intentio eſt etiam practica: vult enim, vel non vult valorem, & ponit, vel tollit illum: quia cùm valor ſit effectus moralis, poteſt illa intentio eſſe operatiua, vel deſtructiua illius: vt conſtat ex omnibus humanis contractibus, quorum valor dependet ab illa intentione: &, illâ ablatâ, contractus non eſt validus, ſed fictus.
Reſpondeo.
In ordine ad valorem actus externus intentio interna eſt etiam practica.

57. *Decima quinta obiectio.*
Obiicit 15. Si quis interius adorationem idolorum deteſtaretur, & tamen exteriùs ſponte procederet ad illa colenda, verus eſſet idololatra: ergo ſi ſponte accedat ad Sacramenta conferenda, & per ſigna, ac verba exteriora, actumque ritè exactum oſtendat, ſe velle conferre Sacramentum, verè, & validè conferet, licèt interior intentio praua ſit. Reſpondeo retorquendo argumentum: nam licèt aliquis exteriùs offerat thus idolis: ſi tamen interiùs non habet animum colendi, non erit verus idololatra, aut cultor Deorum, ſed fictus, & apparens: vt cum communi docet Thomas Sanchez *lib. 2. de præceptis Decalogi, cap. 37. n. 23.* ſicut è contra non eſſet vera adoratio Dei: ſed ficta, quando, ne agnoſcatur, aliquis genuflectit coram Euchariſtia, ſine animo tamen eam adorandi: de quo diximus latè *tom. 1.*
Retorquetur argumentum.
Th. Sanch.

agentes

agentes de eſſentia Adorationis: ergo ſimiliter non miniſtrat verum Sacramentum, qui fictè ponit actum externum ſine vllo animo colendi Deum per talem actionem. Fatemur ergo paritatem: nam ſicut ille, qui metu adorat idola, poteſt habere verum animum adorandi, licèt idola ei diſpliceant, & interiùs deteſtetur eorum cultum, & tunc erit verus cultus: ſic qui deteſtatur Sacramenta, poſſet metu coactus habere animum illa conferendi; & erit Sacramentum validum. Cæterùm, ſicut in primo caſu poſſet ille fictè ponere actionem externam abſque vllo animo colendi, & tunc non eſt verus cultus, ſed fictus: ſic poſſet miniſter non habere animum conficiendi Sacramentum, & tunc licèt ponat totam actionem externam, non erit verum Sacramentum, ſed fictum.

58. *Decima ſexta obiectio.* Obiicit 16. Quod dare non poteſt miniſter, nec poteſt auferre: ſed non poteſt conferre Sacramentum, per ſolam intentionem internam: ergo nec per ſolam internam poteſt auferre. *Simile eiuſdem auctoris argumentum.* Simile eſt aliud argumentum eiuſdem: ſicut ſe habet bona intentio ad conſtituendum Sacramentum, ſic mala ad deſtruendum; ſed bona intentio in intimis recluſa præcordiis, non conſtituit Sacramentum, ſi contrarium exerceatur exteriùs: ergo mala intentio in intimis latebris concluſa irritare non debet Sacramentum, ſi exteriùs omnia debitè fiant. *Reiicitur vtrumque.* Argumenta ſanè Theologo non digna ad perſuadendam doctrinam adeò ſingularem. Sicut ſi argueres: miniſter non poteſt per ſola verba abſque ablutione conferre baptiſmum; ergo nec per ſolum ſilentium poteſt illud auferre, ſi cætera adſint.

59. *Decima ſeptima obiectio.* Obiicit 17. vnaquæque res, ſicut habet determinatum modum eſſendi, ſic & operandi, vltra quem progredi non poteſt: ſed miniſter Sacramenti ſuam virtutem exerere non poteſt vltra actum exteriorem, quia characterem, & gratiam internam dat ſolus Deus: ergo non poteſt quidquam vltra actum exteriorem. Sed actu externo oſtendit, ſe velle verum Sacramentum conficere: ergo per intentionem internam actum internum Dei impedire non poteſt. *Soluitur.* Reſpondeo in primis, falſum eſſe, quod miniſter ſolùm influat in actum externum: influit enim vlteriùs tum in valorem eiuſdem actus, qui eſt effectus moralis, vt diximus: tum etiam in characterem, & gratiam, quos effectus cauſat ſimul cum Deo, vel phyſicè, vel ſaltem moraliter. Sed licèt miniſter non eſſet cauſa eorum effectuum interiorum, quia tamen Deus non cauſat illos, niſi poſitis talibus ſignis ex tali intentione, conſequens eſt, vt ea intentione deficiente, non cauſarentur à Deo.

60. *Decima octaua obiectio.* Obiicit 18. intentio cauſæ ſecundæ non poteſt impedire actionem cauſæ primæ, quando materia, & forma, & actus eſt legitimè exercitus: ſed miniſter ſe habet vt cauſa ſecunda in Sacramentis conferendis, & Deus vt cauſa prima: ergo ſi materia *Reſponſio.* fuerit debitæ formæ applicata, & actus ſecundùm ritum Eccleſiæ legitimè exercitus, non poterit miniſter effectum primæ cauſæ impedire. Reſpondeo concedendo totum; in noſtro autem caſu, materia non eſt applicata debitæ formæ, ſcilicet ablutio, v.g. cum intentione poſita, & verba cum debita intentione prolata.

61. *Decima nona obiectio.* Obiicit 19. Chriſtus mittens ſuos ad baptizandum, & promittens ſalutem baptizatis, nullam mentionem fecit de intentione: & Concilia ſolùm exigunt intentionem faciendi quod facit Eccleſia: quæ etiam reperitur, quoties miniſter vult ponere totum actum externum legitimum, quem ponit Eccleſia. *Retorquetur.* Reſpondeo retorquendo argumentum. Nam Chriſtus nec fecit mentionem de intentione faciendi quod facit Eccleſia: ergo abſque fundamento à Conciliis exigitur hæc intentio vltra id, quod Chriſtus exigit. Omnes ergo debemus fateri, Chriſtum non ſolùm exigere nudam intentionem externam, ſed eo ipſo quòd miſit diſcipulos tanquam miniſtros ad baptizandum, voluiſſe, quòd operarentur vt miniſtri, ſcilicet ex intentione faciendi id, quod faciunt, non ſuo nomine, ſed eius qui eos mittit; quæ eſt intentio ſufficiens ad valorem Sacramenti, vt ſuprà explicuimus. *Hæc omnia argumenta non habent me nimvim ad inducendam in ſcholam illam doctrinam ab omnibus Theologis excluſam.* Hæc argumenta illius Auctoris referre volui, non quia apud doctos indigerent ſolutione, ſed ne aliquis multitudine argumentorum obrutus exiſtimaret non induci iterum in ſcholam abſque magno fundamento doctrinam illam iam ab omnibus Theologis omnino excluſam, & derelictam.

SECTIO IV.

De mente ſancti Thomæ circa neceſſitatem intentionis.

REſtat, vt aliquid dicamus de mente S. Thomæ, quem multi volunt, hac in parte in contrariam ſententiam propendiſſe, quia *in 4 diſt. 6. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula* 1. *ad* 2. & in præſenti *art* 8. *ad* 2. cùm contra neceſſitatem intentionis obieciſſet ſibi, eo pacto reddi nobis incerta Sacramenta, quia intentio interna eſt nobis occulta: atque adeò qui recipit Sacramentum, ſemper maneret dubius: huic argumento affert duas ſolutiones, primam eorum, qui dicebant, deficiente intentione, ſupplere eius defectum deuotionem, & fidem in adulto, in pueris verò poſſe piè credi, quòd Deus ſua clementia ſuppleat, vt detur effectus iuſtificationis; ſecundam verò, quam ipſe ſanctus Doctor videtur approbare, quòd in Sacramentis iis, quæ habent in forma actum exercitum, qualia ſunt Baptiſmus, & alia quædam, *non requiritur mentalis intentio, ſed ſufficit expreſſio intentionis per verba ab Eccleſia inſtituta: & ideo ſi forma ſeruatur, nec aliquid exteriùs dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus eſt. Non enim ſine cauſa in Sacramentis neceſſitatis, ſcilicet Baptiſmo & quibuſdam aliis actus baptizantis tam ſollicitè expreſſus eſt ad intentionis expreſſionem.* Hæc ſunt verba S. Thomæ *in 4. ſent.* quam doctrinam, paucis mutatis, videtur repetere in præſenti *dicto art.* 8. his verbis: *Alij meliùs dicunt, quod miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cuius eſt miniſter. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exteriùs exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis Sacramentum.* 62. *S. Thom.*

Propter hæc verba non pauci cenſent, S. Thomam in vtroque loco in illam ſententiam inclinaſſe, quòd ſufficeret intentio faciendi exteriùs quod facit Eccleſia; quod mirum non eſt ante definitionem Concilij Florentini & Tridentini. Alij fatentur, in primo loco ita ſenſiſſe, ſed in præſenti mutaſſe ſententiam. Cæterùm P. Vaſquez putat eandem doctrinam in vtroque loco traditam eſſe, & difficilè poſſe in bonum ſenſum deduci. Caietanus tamen cum Thomiſtis aliis, quos ſequitur Suarez *in commentario illius artic.* 8. & recentiores communiter, non poſſunt ſibi perſuadere, S. Thomam in illa fuiſſe ſententia, atque ideo ita explicant, vt ſolùm voluerit, ſuſcipientem Sacramenta non debere eſſe anxium de eius valore: niſi enim contrarium miniſter exteriùs expreſſerit, ſemper cenſetur habere intentionem Eccleſiæ, quam verba ſignificant, & hoc ſufficere ad pacem, & ſecuritatem ſuſcipientis, de qua ſolùm procedebat argumentum 63. *Quidam cenſent D. Thomam in illam ſententiam inclinaſſe. Alij di. eum mutaſſe. Vaſquez. Caietan. Suarez.*

propoſitum: cui ibi S. Thomas reſpondet. Itaque non loquitur de valore, & perfectione Sacramenti in ſeipſo, ſed in exiſtimatione, & certitudine humana, quantum ſufficit, vt de eius valore non poſſimus rationabiliter dubitare.

64. *Incredibile ſanctum Doctorem in ea fuiſſe opinione. Prima ratio. Secunda ratio.*

Mihi certè incredibile eſt, S. Thomam ſenſiſſe, poſſe Sacramentum validè conferri abſque intentione interna miniſtri, vel etiam cum intentione contraria. Primò, quia in vtroque loco citato concluſio, & rationes docent, & probant ex profeſſo contrarium. Secundò, quia idem expreſsè vbique docet: nam ſtatim *artic.* 10. huius quæſtionis 64. vbi concedit quidem, intentionem peruerſam, qua quis ex prauo fine baptizat, vel conſecrat, non vitiare Sacramentum, negat tamen id de intentione, qua aliquis non intendit Sacramentum conferre. Et ne poſſit dubitari, an loquatur de intentione ſola, quæ exteriùs manifeſtatur, & non de merè interna, addidit, intentionem illam peruerſam miniſtri tollere veritatem Sacramenti, *præcipuè quando intentionem ſuam exteriùs manifeſtat*; vbi particula, *præcipuè*, apertè oſtendit, etiamſi non manifeſtetur exteriùs, adhuc tolli veritatem Sacramenti. *Tertia ratio.* Tertiò, quia in præſenti *in dicto articulo* 8. eodem modo loquitur de intentione miniſtri, & recipientis Sacramentum: concludit enim illam reſponſionem *ad* 2. hoc modo: *In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exteriùs exprimatur ex parte miniſtri, vel ſuſcipientis Sacramentum.* Vbi æquè videtur inſinuare defectum merè internum intentionis in recipiente, vel in miniſtrante Sacramentum, non tollere eius valorem, quando exteriùs non exprimitur. Cùm tamen ipſe S. Thomas infrà *quæſt.* 68. *art.* 7. *ad* 2. expreſsè fateatur, eſſe rebaptizandum adultum, cui defuit intentio ſuſcipiendi Sacramentum. Et licèt P. Vaſquez in præſenti *diſp.* 138. *num.* 44. dicat, hoc non vrgere, eò quòd poſſet aliquis contendere, S. Thomam aliter ſenſiſſe de neceſſitate intentionis in recipiente, vel in conferente Sacramentum: hoc tamen dici non poteſt, vt vidimus, cùm *hoc art.* 8. eodem modo loquatur de defectu vtriuſque intentionis non exteriùs manifeſtato. Hæc igitur me cogunt ad non credendum, quòd S. Thomas ſui immemor contrariam doctrinam adeò abſurdam in paucis illis verbis docuerit.

65. *Non tamen omnino ſatisfacit explicatio Caietani.*

Aliunde verò explicatio illa Caietani, & Thomiſtarum non omnino ſatisfacit, quia S. Thomas *hoc art.* 8. non ſolùm videtur loqui de Sacramento valido in exiſtimatione, ſed de eius valore intrinſeco; quem probat ex eo, quòd *in verbis, quæ profert miniſter, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur*, &c non dixit, quæ ſufficit ad exiſtimandum, quòd ſit perfectum, ſed *quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti*; quæ verba videntur poſſe ad perfectionem ſolùm exiſtimatam limitari, cùm contrarium omnino ſenſum ſignificent.

66. *Melius explicatur.*

Faciliùs fortaſſe dici poſſet, S. Thomam non agere in his duobus locis de vero defectu intentionis internæ, nec concedere Sacramentum validum, quando verè deeſſet omnis intentio interna, & multo minùs, quando eſſet contraria intentio interna, ſed ſolùm agere de neceſſitate intentionis internæ expreſſæ, & explicitæ; quæ ſi requireretur, videretur poſſe reddi dubium valorem Sacramentorum, ſaltem apud alios, qui ignorarent, an miniſter talem intentionem ſpecialem habuerit. Ad hoc argumentum S. Thomas duas reſponſiones adhibet; primam eorum, qui dicebant, defectum eius intentionis ſuppleri per fidem, & deuotionem ſuſcipientis in adultis, vel per Dei clementiam in paruulis, conferentis etiam tunc effectum Sacramenti. Secunda reſponſio, quam ipſe approbat, eſt, *quòd miniſter Sacramenti agit in perſona Eccleſiæ, cuius eſt miniſter: in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis Sacramentum.* Quæ verba videntur poſſe habere hunc ſenſum, *Senſus verborum S. Thomæ.* ſcilicet, quamvis miniſter non recordetur alicuius intentionis habendæ, qua intendat facere Sacramentum; eo tamen ipſo, quòd accedit ad operandum vt miniſter Eccleſiæ, iam vult implicitè id, quod vult Eccleſia, quod ſufficit abſque omni alio ad valorem Sacramenti; nam licèt non velit conferre Sacramentum, nec eius effectum, ſi tamen vult operari iuxta intentionem Eccleſiæ, confert verum Sacramentum; & hæc intentio ſemper eſt in miniſtro accedente vt miniſtro, & operatur, niſi fortè addat aliquid in verbis, vel in actione, per quod deſtruat intentionem Eccleſiæ; tunc enim licèt velit operari vt miniſter Eccleſiæ, non operabitur; vt ſi v.g. dicat per errorem, vel ignorantiam: *Ego non te baptizo*, &c. Tunc enim intentio Eccleſiæ à miniſtro habita non ſufficit, quia deſtruitur per verba contrarium exprimentia.

In hoc ſenſu fortaſſe intellexerunt S. Thomam illi, qui in littera S. Thomæ in illa reſponſione *ad* 2. loco, *mentalis intentionis*, legebant, *ſpecialis intentionis*, vt refert Soto *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 5. *art.* 8. §. *in ſecundo argumento*. Nam ſi dubium ſolùm procedit de neceſſitate ſpecialis intentionis, reſponſio S. Thomæ non habet vllam difficultatem. Poteſt autem ſuaderi hic ſenſus; primò, quia nunquam S. Thomas loquitur de habente intentionem contrariam internam, nec dixit, tunc etiam ſufficere intentionem Eccleſiæ. Si autem ſenſiſſet, ſufficere intentionem faciendi exteriùs, quod facit Eccleſia, idem diceret, quando eſſet intentio contraria, prout re vera idem concedunt tunc auctores illius ſententiæ: ergo S. Thomas non agit de caſu, in quo deeſt omnis intentio interna, ſed ſolùm quando deeſt ſpecialis intentio faciendi Sacramentum. 67. *Soto. Suadetur hic ſenſus primò.*

Secundò, quia hoc pacto conciliatur, quòd dicit in præſenti cum eo, quod dicit infra *d. art.* 10. vbi vniuerſaliter docet, non confici Sacramentum; quoties miniſter non habet intentionem conferendi Sacramentum; quæ duo aliter inter ſe non videntur poſſe cohærere. Hoc etiam pacto intelliguntur benè omnia alia, quæ doctrinæ huius articuli in S. Thoma contraria reperiuntur. 68. *Secundò.*

Tertiò, quia in ſolutione *ad* 3. concedit etiam Sacramentum validum eſſe abſque vlla intentione actuali, propter ſolam habitualem, ſeu præteritam, vbi ſenſus eſt, quòd nulla ſit intentio actualis explicita, ſed adeò confuſa, vt nec percipiatur. Nam, vt videbimus ſectione ſequenti, tunc debet etiam eſſe aliqua intentio actualis; ergo in eodem ſenſu, & non in alio, concedit in ſolutione *ad* 2. poſſe fieri Sacramentum abſque intentione miniſtri, ſcilicet abſque alia intentione explicita, & cum ſola intentione confuſa faciendi illud, quod ſolet fieri in Eccleſia. 69. *Tertiò.*

Quartò, iuxta hunc ſenſum intelligitur quid ſibi velit S. Thomas *in* 4. *d. art.* 2. vbi adductâ eâdem ferè reſponſione, eam aliis verbis explicat, quòd ſcilicet in Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, ſufficit expreſſio intentionis per verba; & addit: *Non enim ſine cauſa in Sacramentis neceſſitatis, ſcilicet Baptiſmo & quibuſdam aliis, actus baptizantis tam ſollicitè expreſſus eſt ad intentionis expreſſionem.* Quorum verborum ſenſus videtur hic eſſe, quòd in Baptiſmo, & aliis Sacramentis ſimilibus verba ipſa formæ expreſsè ſignificant actum conficiendi Sacramentum; 70. *Quartò.*

vnde

vnde difficilius eſt, quòd in iis Sacramentis miniſter non habeat debitam intentionem, quia cùm vtatur illis verbis,& per conſequens velit loqui,& ſignificare per illa verba id, quod ipſa verba in rigore ſermonis ſignificant: verba autem illa in rigore ſermonis ſignificent idem, quod Eccleſia intendit, conſequens eſt, vt miniſter proferens illa verba, niſi aliquid illis addat, velit ſignificare idem, quod Eccleſia intendit. Nam qui dicit, v. g. *Ego te abſoluo*,&c. eo ipſo vult ſignificare, quod illa verba ſignificant, ſcilicet, condonationem peccatorum à ſe præſtitam, & per conſequens habet intentionem iuxta id, quod Eccleſia intendit. Dixit autem S. Thomas ideo formam in Sacramentis neceſſitatis eſſe tam expreſſiuam actus miniſtri, vt ſcilicet eſſet minus pericu-
71. lum defectus intentionis requiſitæ. Nam in aliis Sacramentis verba non ita ſignificant actum miniſtri, v. g. in Euchariſtia verba illa: *Hoc eſt corpus meum*, videntur ſignificare ſpeculatiuè, non verò operationem Sacerdotis, qua conuertit panem in corpus Chriſti. Item in Matrimonio verba illa: *Accipio te in meam*, non videntur ex ſe exprimere effectum Sacramentalem; ideòque minùs difficile videretur, quòd miniſter vtens verbis illis, non haberet intentionem debitam, quàm in aliis verbis, quæ ex ſe exprimunt actum ipſius miniſtri. Cæterùm hoc diſcrimen inter Sacramenta neceſſitatis, & alia omiſit idem S. Thomas in præſenti *dicto art.* 8. & meritò: quia ſiue verba formæ exprimant actum miniſtri, ſiue non exprimant, ſemper militat ratio vniuerſalis ſuprà explicata, quam meliùs explicuit *hoc art.* 8. quod ſcilicet vult operari vt miniſter, & per conſequens iam vult implicitè operari iuxta intentionem Eccleſiæ, quæ intentio implicitè volita ſufficit ad perfectionem Sacramenti, etiam abſque omni alia intentione ſpeciali, dummodo non excludatur intentio, qua velit operari vt miniſter: quæ intentio non excluditur à S. Thoma, ſed includitur eo ipſo, quòd velit eum operari vt miniſtrum Eccleſiæ, quod fieri non poteſt, niſi velit ſaltem agere vt miniſter; & hæc ſufficiant pro explicatione S. Thomæ.

SECTIO V.

Qualis debeat eſſe intentio virtualis ad valorem Sacramenti.

72. Diximus, neceſſariam eſſe intentionem: nunc quærimus, qualis, vel quanta debeat eſſe ea intentio. Supponimus, intentionem aliam dici actualem, aliam habitualem, aliam virtualem, aliam indi-
Intentio actualis. rectam, ſeu interpretatiuam. Intentio actualis eſt, qua ego actu intendo baptizare, quando profero verba,& effundo aquam;& de hac non eſt dubium,
Habitualis. quin ſufficiat ad valorem Sacramenti. Intentio habitualis eſt intentio merè præterita non retractata; vt cùm heri volui, quòd ſacrum hodiernum applicaretur, & prodeſſet Petro defuncto, hodie immemor illius applicationis facio ſacrum: dicunt plures, prodeſſe illi defuncto ex vi intentionis habitualis, hoc eſt, voluntatis præteritæ non retractatæ, quæ ideo dicitur habitualiter permanere. Vbi nota S. Thomam in alio ſenſu vſurpare nomen hoc, *intentionis habitualis*, *illa art.* 8. *ad* 3. ſcilicet pro intentione illa, quam nos *virtualem* appellamus: quia nimirum *intentio habitualis* videtur eſſe quid commune ad virtualem,& non virtualem: ſed Theologi communiter reliquerunt iam illud nomen ad ſignificandam ſpeciem minùs perfectam, ſcilicet intentionem
73. *Virtualis.* habitualem non virtualem. Alia ergo eſt intentio

virtualis, quæ non ſolùm eſt præterita non retractata, ſed manens in virtute, & influens in opus; quod nunc fit: vt cùm operarius manè exit domo ad laborandum pro mercede, qua alere poſſit familiam; poſtea dum actu laborat, non ſemper actu recordatur familiæ alendæ, ſed tamen intentio illa virtute manet, & influit, ac mouet ad operandum: vnde ſi ſciret, non eſſe ampliùs alendam familiam, deſiſteret ab opere: illa itaque dicitur intentio virtualis; quid autem ſit illud, ratione cuius dicitur virtute manere, & an ſit re vera aliquid phyſicè præſens, poſtea explicabimus. Intentio indirecta, *Indirecta, vel interpretatiua.*
vel interpretatiua dicitur, quando aliquis vult cauſam, ex qua præuidet ſequi talem effectum. vt ſi velit ſe inebriare præuidens pollutionem, vel homicidium ſequuturum tunc dicitur indirectè,& interpretatiuè velle effectum, quem præuidet ex tali cauſa volita ſequuturum.

His ſuppoſitis, certum eſt apud omnes, ſufficere 74. *Certum eſt ad valorem ſufficere virtualem.*
ad valorem Sacramenti intentionem virtualem ſuprà explicatam: alioquin de omnium Sacramentorum valore poſſet dubitari: nam communis modus agendi in hominibus hic eſt, & hoc modo validi ſunt contractus omnes, teſtamenta, donationes, & actus omnes humani. Hic etiam modus ſufficit ad orationem vocalem, quæ ſit vera oratio; ſicut & ad loquendum cum aliis hominibus: nam ſi ego ex ſcripto alloquar Principem, ſufficit intentio, qua ſcripturam legendam ſuſcipio, & incipio legere ad hoc, vt dicar verè loqui cum Principe. De hac ergo intentione non eſt dubium, quòd valeat.

Dubium ergo primum eſt, quid ſit reuera hæc in- 75. *Dubium eſt quid ſit hæc intentio, & quid dicat ſuprà habitualem.*
tentio virtualis, & quid addat ſupra meram habitualem: nam vtraque videtur eſſe voluntas præterita: & in vtroque caſu non recordor actu voluntatis præteritæ, cùm operor. P. Suarez in præſenti *diſput* 11. *ſect.* 3. *poſt* 2. *concluſ.* concludit, hanc intentionem virtualem eſſe, quòd potentiæ externæ applicatæ fuerint priùs ad operandum à voluntate, quæ quidem non pendent in continuatione ab actuali intentione, ſed poſtquam miniſter per debitam intentionem applicuit ſuas potentias exteriores ad actionem Sacramentalem, quamvis interrumpatur intentio interna, potentiæ ipſæ manent applicatæ, & continuant motus ſuos: & quandiu motio illa durat ex vi prioris applicationis, dicitur virtualiter manere à priori intentione. Hæc Suarez: à quo parum differt Vaſquez in præſenti *diſput.* 138. *cap.* 6. *num* 78. explicans voluntatem virtualem per hoc, quòd intentio præterita ſit cauſa remota huius actionis, quæ modo fit, quatenus fuit cauſa proxima alicuius, cum quo Sacramenti adminiſtratio connexa eſt. Non tamen explicat, quæ connexio ſit illa inter primam actionem, v. g. quam intentio proximè cauſauit, & inter actiones ſubſequentes. Nam aperire librum v. g. ſecundùm ſe non videtur habere connexionem ſufficientem ad inferendam actionem legendi duo folia, cùm poſſem vel minus, vel nihil legere: & ſic de aliis.

Suarez. Sententia Suarez vult eſſe applicationem potentiarum exteriorum.

Vaſquez. Ab eo parum differt Vaſquez.

P. Coninch in præſenti *quæſt.* 64. *art.* 8. *dub.* 2. ad- 76.
dit aliquid præſens actu ſaltem in imaginatione relictum ex intentione præterita, quæ dicitur virtualiter manere ratione impreſſionis in imaginatione relictæ ex primo propoſito, quo quis humano modo ad agendum ſe applicuit, qua excitatur potentia motiua, vt actus initio propoſitos (qui primum actum immediatè ſequuntur, aut cum eo ſaltem mediatè connexi ſunt) perficiat, homine interim alia omnia cogitante, donec actu aliquo contrario interturbetur, v. g. Incipit quis ſacrum intendens celebrare, & poſtea totum ſacrum omnino

Coninch. P. Coninch vult aliquid actu in imaginatione relictum ex intentione præterita.

diſtractus ordine ſuo perficit: in qua ſerie omnes actiones à prima illa intentione verè ſecundùm modum agendi humanum procedunt ratione imaginationis, quam prima illa voluntas applicauit, & quæ ratione habitus acquiſiti dirigit externos actus, etiam cùm diſtracti id vix, vel etiam nullo modo aduertimus. Hæc Coninch vbi ſuprà.

77. *Hæ omnes explicationes habent ſuas difficultates. Prima eſt contra applicationem ſuarez.*

In his omnibus explicandi modis difficultates ſunt, vt conſideranti patebit. Nam in primis applicatio illa merè præterita, qua miniſter voluit legere illa duo folia, vel proferre tales orationes, ſi nihil prorſus poſtea phyſicum remanet, non videtur ſufficere, vt nunc os aperiatur, & lingua proferat talem vocem potiùs quàm aliam: lingua enim non percepit imperium voluntatis, cùm ipſa non ſit cognoſcitiua; nec, etiamſi percepiſſet, recordatur ampliùs illius imperij, cùm nullam habeat memoriam: quid ergo eſt, quod nunc determinet magis linguam ad hunc motum, quàm ad alium? Dices, determinari ab actione, ſeu voce immediata; poſt illam enim ſolita eſt proferri hæc ſubſequens, & ideo voluntas applicans linguam ad primum operationem, eſt cauſa aliarum ſequentium, quæ ex illa ſequuntur. Sed contra; quia vnum verbum ſolitum eſſe dici poſt aliud, deſeruire poteſt medio habitu relicto, à quo excitatur potentia ad operandum; habitus autem acquiſiti non influunt immediatè in actus potentiæ externæ, ſed mediantibus actibus internis elicitis, ad quos immediatè inclinant; ergo interuenit etiam tunc actus internus elicitus ab illo habitu, qui quidem partim erit actus cognitionis, quo cognoſcimus poſt talem vocem ſolere dici ſemper illam aliam, atque ideo bonum, & neceſſarium eſſe, quod ita fiat, cùm id ſemper factum fuerit; partim erit actus appetendi, quo propter illud bonum, quod ſæpè approbatum eſt, & propter quod ſemper hæc coniunctio volita fuit, nunc etiam approbatur. Non ergo fit illa coniunctio vnius verbi, vel vnius operationis cum alia abſque omni actu interno præſenti.

Neque videtur res poſſe explicari niſi interueniat aliquis actus internus.

78. *Si forma Sacramenti cãtetur debet eſſe aliquid interius linguam dirigens.*

Rurſus, ſi forma Sacramenti cantanda ſit, licèt miniſter habeat ab initio intentionem, & applicet potentiam & linguam ad cantandum, negari non poteſt, quòd ſemper debeat eſſe aliquis actus interior dirigens linguam, nam cantus fit ex arte, atque ideo ſi tolleretur à miniſtro ars muſicæ, quam habet, non poſſet progredi in cantu figurato & artificioſo; ergo ars concurrit ad ſingulas voces actu proferendas. Ars autem eſt habitus acquiſitus, vt conſtat, qui non poteſt dirigere vocem, niſi mediis actibus elicitis; ergo ſemper influit medio aliquo actu, quo dictat, tali, vel tali modo eſſe inflectendam, vel extollendam vocem hîc & nunc; qui actus licèt non percipiatur, eo quod habitus intenſus facit, quod cum tenuiſſima, & imperceptibili attentione fiat, verè tamen exiſtit præſens. Similiter ergo, licèt verba non cantentur, ſed legantur, fatendum eſt, actum aliquem adeſſe ſemper ad dirigendam linguam, nam ſicut eſt ars cantandi, eſt ars legendi, quæ ars, ſi à miniſtro tolleretur, in media lectione ſubſiſteret: influebat ergo non ſola intentio præterita, ſed etiam ars præſens, medio aliquo actu elicito interno; alioquin habitus ille nihil conduceret ad dirigendam linguam; nunquam ergo eſt homo ita diſtractus ad alia, vt non habeat actum aliquem internum præſentem circa id, quod legit, licèt propter diſtractionem non percipiatur.

79. *Contra id quod addebat Coninch arguitur primò.*

Quod verò addebat Coninch illam operationem externam continuari propter imaginationem, quæ ratione habitus acquiſiti dirigit externos actus, videtur adhuc difficile. Primò, quia ad legendum, vt videmus, debet concurrere actu ars legendi; hæc autem non eſt habitus imaginatiuæ, ſed intellectus, qui ſolus poteſt percipere ſignificationem characterum, & inſtitutionem hominum, qua ſignificant: ſicut ſolus intellectus percipit etiam vim, quam habent ſigna muſica ad ſignificandum elationem, vel depreſſionem vocis. Secundò, ille habitus, quicumque ſit, debet dirigere mediis actibus elicitis, vt vidimus; ergo ſicut admittuntur ij actus præſentes in homine ad alia omnino diſtracto; ſic poſſent admitti actus intellectus, & voluntatis, non obſtante diſtractione: nam experientia contraria tam eſt contra actus præſentes imaginatiuæ, & appetitus, quàm contra actus præſentes intellectus & voluntatis. *Secundò.*

80. *Primò ergo requiritur aliquis actus præſens ſaltē in imaginatiua.*

Ego in primis exiſtimo, non ſolùm ad inchoandam, ſed etiam ad proſequendam, & continuandam actionem Sacramentalem requiri ſemper in miniſtro aliquem actum præſentem, ſaltem in imaginatiua, & appetitu. Quod mihi probant rationes ſuprà adductæ ex indifferentia potentiæ externæ: quæ abſque aliquo determinatiuo præſenti non poſſet ſe magis determinare ad hunc motum, quàm ad illum: nec poteſt aſſignari aliquod aliud determinatiuum præſens, niſi actus cognoſcendi, & appetendi, quibus dirigatur potentia externa. Nec obſtat experientia, quam Suarez affert pro ſe, quòd quando homo ambulat ex vi prioris applicationis, omnino poſtea diſtractus, & nihil prorſus de ambulatione cogitans, proſequitur adhuc ſuam ambulationem. Hoc, inquam, non obſtat: quia etiam diſtractus, vel ira correptus, vehementiùs ambulat, & aliquando ſiſtit, aliquando celeriùs agitatur, manum mouet, & ipſarum geſtibus res, quas dicit, exprimit: cùm tamen initio ſolùm ſe ad ambulandum, vel loquendum applicuiſſe videatur, non ad illam motuum, vel geſtuum diuerſitatem, quam negare non poſſumus prouenire etiam ab aliquo actu interno imperante, ſicut & ſuſpiria ex ſubito dolore non oriuntur, niſi medio actu imperante tales voces, licèt ij actus propter eorum tenuitatem non percipiantur. A poſteriori autem conſtat ea dependentia motuum ab actu interno præſenti: quia ſi homo inter ambulandum dormiat, ita vt ab omni operatione interna ceſſet, ſtatim ceſſat motus ambulationis; quia nimirum potentia externa non poteſt determinari ſufficienter à ſola applicatione præterita.

Quod probatur ex indifferentia potentiæ externæ.

Nec obſtat experientia ambulationis.

Probatur à poſteriori.

81. *Inſtantia.*

Dices: Imò aliquando in eodem ſitu dormire ſolemus, in quo nos antea liberè conſtitimus: vnde aliqui ſedendo, alij ſtando, alij flexis genibus dormiunt: ergo retinetur ille ſitus à membris ex ſola applicatione præterita, quem tamen ſitum non poſſent membra ex ſe ipſis acquirere abſque imperio appetitus. Reſpondeo, ſomnum non ſemper excludere omnem operationem internam: experiuntur enim eiuſmodi dormitantes, ſe adhuc audire, vel ſubaudire, quæ ab aliis dicuntur: vnde faciliùs adhuc poteſt perſeuerare tenuis ille actus internus, quo membra determinantur ad retinendum talem ſitum. Aliquando verò ſomnus profundus eſt, & tunc membra labuntur, & deperdunt ſitum illum violentum: ideò enim ille lapidem manu tenebat, dum dormiret, ne ſcilicet grauiori ſomno opprimeretur, ſed leuiter ſolùm dormitaret, alioquin lapidis caſu excitandus. Retinet tamen homo aliquando ſitum, quem liberè ſibi imperauit, etiã abſque vlla actuali intentione, quando nimirum talis eſt ille ſitus, qui ad ſui conſeruationem non indigeat influxu potentiæ loco motiuæ, qualem etiam ſitum retineret, ſi non ſolùm dormiret, ſed moreretur: prout de facto aliqui ſedentes mortui reperiuntur. *Diluitur.*

82. *Inſtantia.*

Dices iterum: Contingit, aliquem propter merum

habitum

habitum legere, vel recitare aliquid contra voluntatem; volebat enim, v. g. legere Pſalmum abſque *Gloria Patri*: & quia aſſuefactus eſt ad dicendum vtrumque ſimul, nunc etiam illud dicit; qui motus non oritur ab actu præſenti, cùm potiùs habeat voluntatem contrariam.

Retorquetur. Reſpondeo retorquendo argumentum; tunc enim neque habuit ab initio applicationem ad vtrumque dicendum: ergo dicit illud non ſolùm abſque actu præſenti, ſed etiam abſque applicatione præterita. Omnes ergo debemus dicere, in illo caſu non recitari illam partem abſque vllo actu, ſed dicimus propter habitum dari actum præſentem, quo propter verba immediatè ante dicta volumus dicere illa alia, quia ſemper ita facere ſolemus, & cognoſcimus confusè illud idem motiuum, quaſi nunc eſſet, & propter illud volumus recitare eadem verba.

83. *Maior eſt difficultas, an hi actus toti debeant eſſe intellectus.* Maior eſt difficultas, an hi actus cognoſcendi, & amandi requiſiti etiam ad continuandam actionem Sacramentalem debeant eſſe actus intellectus, & voluntatis; an verò ſufficiat actus imaginariuæ, & appetitus ſenſitiui: dici enim poſſet, licèt in inceptione requiratur debita intentio voluntatis; hanc tamen manere virtualiter, dum poſtea imaginatiua, & appetitus applicati à voluntate præcedenti proſequuntur dirigendo potentias exrernas ad faciendum totum illud opus, cuius ſpecies connexas habet imaginatiua. Nam videmus pſittacum recitare ſuo ordine multa verba, vnum poſt aliud, propter ſpecies, quas habet connexas eorum verborum: ergo poterit etiam voluntas applicare imaginatiuam ad cogitandum de illis verbis, quæ ſunt in memoria, & appetitum ad imperandum potantiæ externæ, ſeu linguæ eorum prolationem ſuo ordine; nam hoc non videtur excedere facultatem imaginatiuæ & appetitus, vt apparet in pſittaco: nec etiam videtur excedere dominium voluntatis ſupra illas potentias, quòd eas applicet ad totum hoc faciendum. Quare huic parti videtur adhærere P. Coninch loco ſuprà citato, dum eam intentionem virtualem declarat per virtutem impreſſam in imaginatiua ad dirigendam potentiam externam.

84. *Videtur non ſufficere actus imaginatiuæ.* Mihi tamen dubium eſt, quòd huiuſmodi operationes Sacramentales mandentur exequutioni per ſolam directionem, & imperium imaginatiuæ, & appetitus materialis. Nam in primis dubium eſt, an poſſit in homine fieri motus progreſſiuus, vel aliæ ſimiles operationes ex ſolo imperio appetitus abſque imperio voluntatis conſentientis ſaltem ſecundùm portionem inferiorem; quod quidem negat

S. Thom. S. Thom. 1. *part.* q. 81. *art.* 3. eò quò in omnibus potentiis motiuis ordinatis ſecundum mouens non mouet, niſi virtute primi mouentis.

Probatur. Deinde aliquæ ſunt operationes, ad quas non videtur ſufficere directio ſolius imaginatiuæ, prout ſuprà dicebamus de cantu, qui fit ex arte, quæ quidem videtur eſſe habitus intellectualis, cùm requirat notitiam muſicorum characterum, & ſoni ſignificati per illos; ſic etiam dicebamus de actione legendi, ad quam non videtur ſufficere imaginatiua: debet ergo, quandiu legitur tota Miſſa, concurrere habitus intellectualis, & ars legendi mediis actibus, quibus dirigat linguam ad proferenda talia, vel talia verba.

85. *Confirmatur.* De omnibus verò actionibus Sacramentalibus, quæ non ſunt cantare, aut legere, ſed recitare memoriter, effundere aquam, &c. addi poteſt ratio vniuerſalis, quia licèt appetitus abſque voluntate poſſet imperare aliquem motum localem potentiæ externæ, id tamen non pôteſt facere, niſi illud proponatur ſibi, vt bonum ſibi proportionatum. Sic poterit fortaſſe imperare manui fugam ab igne propter dolorem vitandum; ſic pſittacus imperat ſibi recitationem, ſeu prolationem vocum, expertus dari ſibi cibum, quando profert illas voces. At verò voluntas applicans appetitum ad imperanda talia verba Sacramentalia, non poteſt proponere finem Sacramenti, quem ipſa voluntas intendit, nec applicare imaginatiuam, vt proponat in actione Sacramentali rationem boni, quæ moueat appetitum ad illud imperium: quam enim rationem boni apprehendit imaginatiua in prolatione verborum Sacramentalium? Non honeſtum, cuius capax non eſt illa potentia materialis; non vtile, cùm non referat vnum ad aliud; non delectabile, cùm nulla ibi ſit delectatio; nec, ſi eſſet, proueniret hoc ex applicatione voluntatis, quæ non refert illa verba ad talem finem.

Denique, licèt imaginatiua ex conſenſu cum intellectu cognoſcat aliquod obiectum materiale correſpondens illi, quod intellectus cognoſcit, & quod imaginatiua non poteſt cognoſcere; illud tamen obiectum non videtur verum bonum Sacramenti, v. g. nec videtur ab imaginatiua repræſentari, niſi propter meram neceſſitatem comitandi intellectum, ne hic abſque illa operetur; vnde quando intellectus ceſſat à ſuo actu, non apparet quorſum imaginatiua perſeueret cognoſcendo illud obiectum materiale ſimile, ſeu correſpondens obiecto ſpirituali, vel ſuperiori, quod intellectui obiicitur. 86. *Confirmatur vlterius.*

Probatur experientia. Experientia item tam videtur probare, ſi quidquam probat, nullum prorſus perſeuerare actum in imaginatiua & appetitu ſenſitiuo, quando Sacramentalis actio continuatur, quàm non perſeuerare actum intellectus, & voluntatis; neque enim magis exprimunt actum imaginatiuæ, aut appetitus, quàm intellectus, & voluntatis, quando cum maxima diſtractione proſequimur: ergo ſi contra experientiam confiremur, dari tunc aliquem actum imaginatiuæ, & appetitus; quem propter tenuitatem non experimur, idem poſſumus concedere de actu intellectus & voluntatis.

87. *Sufficienter tamen indicaretur intentio virtualis cum ſolis actibus imaginatiuæ.* Cæterùm, ſi aliquis contendat, continuari actionem Sacramentalem cum ſolis actibus imaginatiuæ, & appetitus materialis, non eſt quod in hoc immoremur: hoc enim ſufficiet ad declarandum, quomodo intentio, & voluntas præterita maneat virtualiter, & influat in actionem præſentem; nam vel manet in aliquo actu voluntatis præſenti remiſſiſſimo, & confuſo, quo volumus recitare vel operari: & hic actus, cùm non poſſit tendere ad illud obiectum, niſi ſub ratione boni; neceſſe eſt, vt ſaltem in confuſo velit hanc operationem præſentem vt bonam, & vtilem ad illum finem priùs volitum, qui nunc etiam confuſiſſimè proponitur: ſicut operarius laborans in vinea per totum diem propter mercedem ad alendam familiam, ſemper habet præ oculis illum finem quem initio ſibi præfixit, licèt propter confuſionem, & tenuitatem actuum non aduertat, ſemper tamen vult illum laborem propter vtilitatem ad illum finem confusè propoſitum, cùm non inueniat in eo obiecto aliam rationem boni propter ſe appetibilis. Si verò dicatur non perſeuerare vllum actum voluntatis præſentem, quando actio Sacramentalis continuatur, ſed ſolum actum imaginatiuæ & appetitus materialis; in ipſis actibus manet virtualiter voluntas prior; tùm quia per illam applicatæ fuerunt potentiæ materiales ad repræſentandum, & imperandum illud opus: tùm etiam, quia licèt appetitus materialis non feratur in eundem omnino finem, & in eandem rationem boni, quam intendit voluntas in actione Sacramentali, ferri tamen debet in aliquod bonum

ſibi propoſitum in illa actione, correſpondens aliquo modo illi alteri bonitati ſuperiori, quam concipit intellectus, ſiue hoc bonum ſit delectatio aliqua, vel commodum, quod apprehenditur in genere, vel quæ oriatur ex conſenſu cum potentia ſuperiori, vel quidquid illud ſit; id tamen ſufficit, vt homo dicatur continuare actionem illam ex intentione, & voluntate præterita, quæ ideo dicitur virtualiter manere, quia adeſt præſens aliqua virtus ab ea relicta, ſcilicet, vel actus voluntatis confuſus, vel certè actus in appetitu imperans proſequutionem actionis cũ ordine, & reſpectu ad priorem intentionem. Habemus ergo iam, quid addat intentio virtualis ſupra meram habitualem, ſcilicet influxum in opus, quem influxum mera habitualis non habet.

Infertur primò ex dictis aliqua interuenire in adminiſtratione Sacramentorum, ad quæ non ſemper requiratur hæc intentio virtualis.

88. Ex dictis infero, in adminiſtratione Sacramentorum aliqua interuenire etiam ex parte miniſtri, ad quæ non ſemper requiratur intentio eo modo virtualis, hoc eſt, manens in aliquo actu interno præſenti, qui nunc influat phyſicè. Exemplum eſſe poteſt in Sacramento Ordinis, in quo interuenit, v.g. porrectio materiæ, quam Epiſcopus exhibet tangendam iis, qui Ordinem accipiunt: illa autem actio porrigendi fit ab Epiſcopo ab initio quidem per voluntatem, qua accipit calicem cum vino & aqua, & patinam cum hoſtia, vt eam futuris Presbyteris tradat, & ita illa actio fit tunc à voluntate præſenti Epiſcopi; poſtea verò poteſt teneri calix ab Epiſcopo abſque nouo conatu, vel actione, ſed ſolùm habendo manum ſupra pedem calicis, ad quod non requiritur noua actio, ſed ſolùm non auferre manum; quia ipſa manus ſuo pondere naturaliter iacet ſupra pedem calicis, & eodem modo maneret ibi manus, licèt tunc dormiret, vel moreretur Epiſcopus: quando ergo accedentibus, & tangentibus porrigitur materia, non eſt neceſſaria noua voluntas, aut aliquis actus præſens in Epiſcopo, quia ipſe non exercet actionem aliquam phyſicam, quam oporteat tunc imperari per aliquem actum præſentem, ſed ex vi actionis, & voluntatis præteritæ habet materiam applicatam ex parte ſua, vt tangatur, & accipiatur ab iis, qui Ordinem recipiunt.

Idem oſtenditur in alio exemplo.

89. Idem dici poteſt de manuum impoſitione: nam ſi Epiſcopus ante verborum prolationem manum imponit capiti Ordinandi, & manus ita perſeuerat, quando verba proferuntur, contactus ille præſens eſt pars Sacramenti, & conducit ad effectum, imò ita procurant, vt duret contactus, & coëxiſtat verborum prolationi; & tamen aliquando continget, non requiri actionem, vel influxum Epiſcopi ad tenendam manum in eo ſitu, ſed manum ſemel applicatam ſuo pondere naturaliter ſuſtineri à capite ſubiecto; atque adeò non requiretur voluntas, aut actus præſens, à quo imperetur ille contactus præſens, ſed ſufficit applicatam fuiſſe manum ex voluntate præcedenti non reuocata, vt ille contactus ſit ſufficienter Sacramentalis. In iis ergo, & ſimilibus caſibus non requiritur voluntas virtualiter manens eo modo virtualitatis, quatenus importat aliquem actum præſentem, per quem nunc influat, deriuatum ab illa prima voluntate, ſed ſufficit voluntas prima virtualiter manens, quatenus manet in effectu à ſe producto: & verum eſt dicere, quod hic effectus præſens ortum habet ab illa prima voluntate; in quo differt à voluntate merè habituali, quæ ita eſt præterita, vt nullum influxum habuerit in effectum præſentem, v.g ſi hodie applicem ſacrum craſtinum pro tali defuncto; quæ voluntas nullo modo eſt cauſa, quòd ego cras faciam ſacrum, & ideo dicitur intentio merè habitualis.

SECTIO VI.

De intentione habituali, & de voluntate indirecta; an ſufficiant ad valorem Sacramenti.

De intentione merè habituali, an ſufficiat in Sacramentorum adminiſtratione? Negant omnes. 90.
Ratio eſſe videtur, quia illa non ſufficit, vt actio illa dicatur fieri ex tali fine: cùm ergo miniſter debeat operari, vt miniſter Chriſti, ſeu nomine Chriſti, neceſſaria eſt talis intentio, quæ poſſit denominare actionem factam eſſe à miniſtro nomine Chriſti. Ad hoc autem oportet, quòd intentio influat in opus: alioquin ſicut non poteſt denominare illam actionem bonam, & malam, ita nec poterit denominare factam nomine huius vel illius.

Intentio habitualis merè non ſufficit, probatur.

Quæ intentio ſufficiat ad applicandum fructum ſacrificij.

Obiici ſolet, quia ad applicandum ſacrificium ſufficit intentio habitualis; ſi ego enim hodie applico ſacra à me facienda per totum annum pro anima Petri, licèt hæc voluntas non ſit cauſa, quòd ego poſtea faciam ſacrum, dum tamen non reuocatur, efficax eſt, & tribuit Petro fructum illorum ſacrificiorum; ergo ſimilis voluntas habitualis, dum non reuocatur, ſufficiet ad valorem Sacramenti, licèt non ſit cauſa ponendi poſtea talem actionem. 91.

Obiicitur intentio per quam applicatur ſacrificium, ſufficit habitualis.

P. Vaſquez *in præſenti diſp. 38. c. 6. n. 74.* negat antecedens; quia applicare ſacrificium alicui, eſt offerre pro illo ſacrificium: non dicitur autem quis offerre ſacrificiũ per voluntatem, quæ nullo modo eſt cauſa offerendi ſacrificij; nam ſacrificium eſt opus humanum atque ita ex voluntate miniſtri pendet, & per illam offertur: non ergo poterit offerri per voluntatem à qua non pendet; ſicut ergo non offertur ſacrificium, niſi per voluntatem, à qua pendet, & procedit oblatio: ſic nec offertur pro aliquo niſi per ſimilem voluntatem, à qua procedat oblatio: offerre enim pro aliquo includit hoc, quod eſt offerre. Huic ſententiæ videntur accedere, qui docent, Sacerdotem in *Memento* debere applicare fructum ſacrificij iis, pro quibus offert. Pro qua afferuntur Beraducc. *in ſum. coron. p. 4. c. 5 n. 9.* Beja *p. 1. caſ. 23.* & Fraxinel. *de obligat. Sacerdot. ſect. 4. concl. 4. §. 7. n. 1.* 92.

Vaſquez. Vaſquez negat.

Beraducc. Beja. Fraxinell.

Alij tamen communiter concedunt antecedens. Suarez *in præſenti diſp. 13. ſect. 3. concl. 1.* Bonacina *de Sacram. diſp. 1 q. 3. punct. 1. §. 3. num. 11.* Molfeſius *in ſum. tom. 1 tract. 3. c. 4. n. 13.* quos ſequitur Antonin. Diana *tom. 1. reſol. moral. tract. de celebratione Miſſarum, reſol. 47.* & alij recentiores; quod mihi etiam magis probatur, quia videtur eſſe magis iuxta ſenſum, & praxim omnium, qui putant, ſe ſatis validè applicare fructum ſacrificij, ſi præcedenti die applicent, licèt poſtea non recordentur, dum tamen illam voluntatem non retractent. Nam ſicut poſſunt aliqua ex nunc donari ſub conditione, ſi craſtina die venerint in meam poteſtatem; qua conditione cras poſita, voluntas præterita tranſit in abſolutum, & habet effectum: ſic dicendum videtur de fructu ſacrificij, cuius Sacerdos eſt quaſi dominus, vel diſpenſator ex Chriſti commiſſione: poterit ergo donare, vel diſpenſare illum fructum ſub conditione, ſi ponatur ſacrificium, quæ voluntas habebit effectum poſita conditione, cùm ſit legitimi diſpenſatoris, & non retractata. 93.

Suarez. Bonacina. Molfeſ. Diana.

Conceditur tamen communiter.

Ad fundamentum verò P. Vaſquez reſponderi poteſt, explicandam & diſtinguendam eſſe propoſitionem 94.

Reſpondetur ad fundamentum Vaſquez.

tionem illam: *Sacerdotem applicare ſacrificium alicui, eſt afferre ſacrificium pro illo*; eſt enim æquiuoca: duplex quippe eſt oblatio ſacrificij: prima eſt actio ipſa ſacrificandi, quæ eſſentialiter eſt oblatio ſacrificij; quia ipſummet ſacrificare eſt offerre; & loquendo de hac oblatione, neganda eſt propoſitio: ſenſus enim eſt, applicare ſacrificium Petro, eſt exercere illam actionem ſacrificandi ad hunc finem, vt proſit Petro; qui ſenſus eſt falſus. Sicut in ieiunio non eſt idem applicare ieiunium Petro, ac exercere illam abſtinentiam ad eum finem: ſic dicendum videtur de actione ſacrificandi. Secunda oblatio eſt reflexa, & communis aliis operibus; offertur enim ieiunium pro Petro, non quando volo ieiunare, ſed quando per voluntatem reflexam abſolutè, vel ſub conditione, ſi voluero ieiunare, applico ex nunc fructum illius ieiunij pro Petro; quæ voluntas reflexa dicitur oblatio ieiunij, quia per illam repræſentamus Deo illud opus aliquando faciendum à nobis, & petimus, vt acceptet illud pro Petro; ſeu oſtendimus Deo deſiderium noſtrum, quod fructus illius operis tranſeat ad Petrum; quæ voluntas non eſt efficax, nec cauſa reſpectu ieiunij, ſed reſpectu fructus, &

Diſtinguenda eſt oblatio directa à reflexione.

emolumenti moralis ipſius ieiunij. Sic ergo ipſamet oblatio ſacrificij poteſt per aliam voluntatem reflexam offerri, qua repræſentamus Deo abſolutè, vel ſub conditione illam oblationem ſacrificij craſtini à nobis faciendam, ſi fiat; & petimus quod acceptet illam pro Petro: quæ voluntas licèt ſit oblatio reflexa ſacrificij, non eſt neceſſe, quòd ſit efficax, & cauſa ſacrificij, ſed applicationis fructus illius. In hoc ergo ſenſu fatemur, quòd applicare ſacrificium, eſt offerre illud pro Petro oblatione reflexa: hoc tamen non eſt ſacrificare; quia ſacrificatio eſt oblatio directa, ſeu actio, qua fit ſacrificium, quæ etiam eſſentialiter eſt oblatio, vt vidimus.

95. *Inſtantia.* Obiicies adhuc: Sacerdos non poteſt applicare ſacrificium, niſi vt miniſter Chriſti, cui Chriſtus hanc facultatem communicauit: non eſt autem miniſter Chriſti, niſi dum offert ſacrificium, & in ipſamet actione ſacrificandi; ergo tunc neceſſe eſt, quòd habeat voluntatem actualem, vel virtualem applicandi; atque adeò voluntas merè præterita, quæ nec virtualiter manet, non erit ſufficiens ad applicandum alicui.

Diluitur primò. Reſponderi poteſt, primò, Sacerdotem non ſolùm eſſe miniſtrum Chriſti: dum actu ſacrificat in altari, ſed etiam quando extra altare applicat fructum ſacrificij futuri: dedit enim Chriſtus illi poteſtatem ſacrificandi nomine ipſius Chriſti, & hac poteſtate vtitur in altari; dedit etiam ei poteſtatem applicandi, & diſpenſandi fructum ſacrificij, vt rem propriam, cui voluerit; & hac poteſtate vti poterit etiam extra altare ante actionem ſacrificandi, atque adeò tunc etiam operabitur vt miniſter Chriſti, cuius nomine exercet tunc illam actionem, non ſacrificandi, ſed applicandi, & diſpenſandi fructum ſacrificij futuri.

96. *Diluitur ſecundò.* Secundò reſponderi poteſt diſtinguendo maiorem: Nam ſi ſenſus ſit, Sacerdotem non poſſe habere voluntatem, qua applicet ſacrificium, niſi hæc ipſa voluntas oriatur ex poteſtate accepta à Chriſto, eſt falſa propoſitio: ſi verò ſenſus ſit, illam voluntatem non fore efficacem, niſi hæc efficacia oriatur à poteſtate accepta à Chriſto, vera eſt propoſitio. Chriſtus itaque non dedit poteſtatem Sacerdoti, vt habeat voluntatem applicandi, ſed vt voluntas, quam habuerit, ſit efficax, & ſortiatur effectum. Exemplis res fiet manifeſta: Petrus, antequàm fiat dominus libri alicuius, dicit Ioanni: Si ille liber venerit ad meum dominium, ex nunc volo,

Chriſtus non dat miniſtro quod habeat voluntatem applicandi, ſed quod hæc voluntas ſit efficax.

quòd poſt mortem meam, vel poſt annum ſit tuus. Hæc voluntas Petri non oritur ex poteſtate, & dominio libri; non enim eſt dominus libri, quando habet hanc voluntatem; efficacia tamen huius voluntatis debet procedere ex dominio libri acquirendo; non enim erit efficax, niſi fiat dominus libri. Erit ergo verum in aliquo ſenſu, quòd Petrus non diſponit de libro, niſi vt dominus, hoc eſt, quoad effectum diſpoſitionis; erit tamen falſum in alio ſenſu, ſcilicet quòd voluntas ipſa, qua diſponit, oriatur ex dominio libri. Sic ergo in præſenti dicimus de voluntate, qua Sacerdos applicat fructum ſacrificij; hæc enim voluntas non debet ipſa, ſed eius efficacia procedere à poteſtate accepta à Chriſto, à qua prouenit, vt dum fit poſtea ſacrificium, voluntas præterita non retractata habeat effectum, ſicut ſi eſſet præſens. Vnde, licèt voluntas illa haberetur, quando 97.
miniſter adhuc Sacerdos non eſt, poſſet poſtea non retractata habere effectum, v.g. ſi cras conſecrandus Presbyter hodie dicat: ex nunc applico ſacrificium craſtinum pro meo patre, hæc voluntas hodie non procedit ex poteſtate accepta à Chriſto, cùm nondum ſit Sacerdos; habebit tamen cras effectum, ſi nõ retractetur. Quod in aliis materiis videtur æquè procedere: nam ſi cras ſis eligendus in meum Prælatum, poteris hodie dicere: ex nunc pro die craſtino concedo tibi talem, vel talem licentiam; quæ voluntas hodie non procedit ex poteſtate, quam iam habeas ſed eius efficacia procedet cras ex illa poteſtate. Item magis ad propoſitum poteſt eſſe exemplum in eo, qui accepturus cras à Pontifice facultatem deſignandi centum imagines cum certis Indulgentiis, hodie communicat mihi viginti ex nunc de illis centum, quas cras poterit deſignare: quæ voluntas hodierna non erit, vt conſtat, ex facultate iam accepta; ſed cras eius efficacia oritur ex facultate, quam iam tùc accepit. Similiter ergo poterit hodie Sacerdos futurus applicare fructum ſacrificij craſtini, cuius diſpenſationis efficacis cras habebit facultatem.

Dices, ergo poterit ille, qui hodie non eſt capax, 98. *Inſtantia.*
v.g. contrahendi matrimonium propter impedimentum, ex nunc præſtare conſenſum ad tempus craſtinum, quo Pontifex diſpenſauerit, ita vt cras, poſitâ ſolùm diſpenſatione, abſque noua voluntate contrahentis, ſolùm ex vi hodiernæ non retractatæ, ſit factum verum matrimonium. Reſpondeo, negando ſequelam: quia in hoc caſu voluntas hodierna *Reſpondeo.*
non ſolùm non eſt efficax, ſed neque eſt valida in ratione voluntatis propter incapacitatem ſubiecti, quod iura reddunt incapax ad habendam illam voluntatem, atque adeò perinde exiſtimatur, ac ſi hodie nullam prorſus haberet voluntatem, eò quòd iura poſitiuè irritam, ac nullam eam reddunt. Vnde cras poſitâ conditione, non ſubſiſtit matrimonium abſque noua voluntate; quia ad hoc vt cras eſſet conſenſus abſolutus ex poſitione conditionis, debet conſiderari cõſenſus hodiernus hodie præſtitus, & nondum cras retractatus, & conditio poſita, ex quibus tribus reſultat cras conſenſus abſolutus præſens habitualiter exiſtens. Primum autem horum deeſt in eo caſu, ſcilicet conſenſus hodiernus, quia propter hodiernam incapacitatem poſitiuam ſubiecti voluntas hodierna eſt omnino nulla in ſe, atque ideo cenſetur ac ſi hodie nullam prorſus habuiſſet voluntatem. Sicut ſi aliquis hodie incapax condendi teſtamentum propter incapacitatem à iure impoſitam, hodie condat teſtamentum de bonis poſtea habendis, teſtamentum non conualeſcit, etiam ſi poſtea fiat capax, niſi poſtea habeat nouam voluntatem, qua ratum illud habeat; nec iuuat volũtas præterita habitualiter perſeuerãs, dum non retractatur,

quia

quia non poteſt habitualiter perſeuerare, quod nunquam extitit, qualis eſt voluntas illa prima, quæ propter incapacitatem ſubiecti cenſetur in iure nulla. Aliud verò eſt, quando voluntas prima non fuerat ab initio nulla, ſed inefficax, propter defectum poteſtatis; illa enim voluntas perſeuerat habitualiter, quandiu non retractatur in ratione voluntatis; & poſtea, adueniente poteſtate, incipit eſſe efficax; vt vidimus in illo, qui diſponit de rebus, antequam ſint ſuæ: & de concedente facultatem, antequam ſit Prælatus, & aliis ſimilibus, in quibus voluntas prima non erat poſitiuè annullata à iure, & ita poterat manere habitualis in ratione voluntatis; quod idē dici poſſet de illo, qui, antequā fiat Sacerdos, applicat ſacrū à ſe faciendū poſt Sacerdotium.

Oſtenditur diſparitas.

99. Nunc iam ad argumentum, cuius occaſione hæc dicta ſunt, conceſſo antecedenti de applicatione valida ſacrificij per voluntatem habitualem, negamus conſequentiam de ſufficientia ſimilis voluntatis ad valorem Sacramenti; quia in applicatione ſacrificij non procedit ratio eadem, cùm ſit quaſi donatio & diſpenſatio emolumenti, atque ideo ſequitur naturam donationum & diſpenſationum, ad quarum valorem in humanis ſufficit voluntas habitualis. At vero Sacramentum eſt actio ſacra, quæ dum fit, debet fieri ex intentione ſaltem implicita operandi nomine Chriſti, vt vidimus; atque ideo debet procedere ex tali intentione, vt ſit actio humana: non poteſt argui ex vno ad aliud.

Reſpondetur ſuperiori obiectioni.

De voluntate in cauſa; an ſufficiat ad valorem Sacramenti.

100. Secundò dubitatur, an ſufficiat ad valorem Sacramenti voluntas illius in cauſa, v.g. Aliquis ſcit, ſe in ebrietate, vel ſomno proferre verba conſecrationis; vult ergo, quando eſt ſui compos, per verba tunc poſtea prolata validè conſecrare. Aduerto voluntatem dupliciter poſſe ſe habere. Primò, ſi præuidens, in ſomno me ita ſolere loqui, velim dare valorem iis verbis, non tamen volo ea verba proferre, nec hæc mea voluntas eſt cauſa proferendi illa verba. Secundò, ſi præuidens id, velim ex hoc fine dormire, vel inebriari, vt verba illa proferam, quæ ex nunc volo eſſe valida, & tunc voluntas hæc eſt cauſa proferendi poſtea illa verba: & in eo caſu ego magis vocarem voluntarium directum, quàm indirectum illum effectum; nam licèt ſit mediatum, & in cauſa, non videtur repugnare, quòd ſit remotum, & directum: ſicut nepos directè procedit ex auo, licèt mediatè, & remotè. Vnde auctores agentes de hoc caſu, quo quis præuidet verba in ſomno, vel ebrietate à ſe proferri, videntur mihi immeritò omiſiſſe hunc alium modum volendi directè in cauſa illam actionem. Solùm enim diſtinguunt, & explicant, poſſe id contingere, quando quis præuidet ſe in ebrietate proferre verba, & habere intentionem conſecrandi; in vtroque caſu dicunt non ſufficere, licèt homo velit ſomnum, & licet velit quòd verba tunc prolata ſint valida; quia nimirum verba illa non procedunt vt effectus ab illa voluntate, tanquam à cauſa morali, ſed ab ebrietate vt à cauſa phyſica. Et quidem in hoc nulla videtur eſſe difficultas; quia vt verba ſignificent, non ſatis eſt velle me ſignificare, ſi ea protulero; ſed requiritur, quòd ad hunc finem velim ea proferre: atque ideo quòd velim ipſam prolationem verborum, & hæc oriatur ex intentione ſignificandi per verba; ſi ergo non habeo voluntatem loquendi, non loquor humano modo; & idem eſt de aliis actionibus Sacramentalibus.

Dubitatur vtrum voluntas in cauſa ſufficiat.

Hæc poteſt dupliciter ſe habere.

Non eſt difficultas in primo ſenſu.

Maior difficultas eſt in alio caſu, qui videtur omiſſus à Recentioribus, quando ſcilicet ex intentione proferendi illa verba, & ad hunc finem vult ſe inebriare, vel dormire; tunc enim verba oriuntur mediatè ex illa intentione priori, & ſunt volita in cauſa, ſed directè & formaliter ſecundùm ſe ipſa. Confirmarique poteſt: quia non omnes actiones Sacramentales ſunt volitæ immediatè in ſeipſis; ſed aliquæ videntur eſſe volitæ in cauſa: vt cùm quia effundit aquam in puerum, videtur velle ablutionem in cauſa, ſcilicet volendo effuſionem aquæ ex amphora: ex qua effuſione conſequitur, quòd aqua deſcendat, & abluat puerum. Item ſi aliquis in matrimonio contrahendo exprimeret conſenſum ſcriptura, quam ad coniugem per centum paſſus diſtantem proiiciat ſagittæ affixam, & coniux rurſus ad ipſum ſuum conſenſum ſcriptum ſimiliter ſagittæ affixum remittat: tunc conſenſus expreſſio videretur volita in cauſa, ſcilicet in proiectione ſagittæ, ad quam conſequitur, quòd conſenſus mutuò exprimatur. Cur ergo ſimiliter aliquis ſciens, ſe in ſomno, vel ebrietate talia verba ſolere proferre, non poterit ad hunc finem velle dormire, vel inebriari, vt per verba tunc prolata manifeſtet coniugi ſuum conſenſum: quem iam nunc vigilans, & ſobrius habet? Propter hæc fortaſſe non deſunt, qui dicant illud Sacramentum fore validum per verba in ſomno, vel ebrietate prolata, quos, tacito nomine, refert Petrus Cabrera *in præſenti quæſt. 68. art. 7. in comment. art. 1.* vbi eam ſententiam probabilem cenſet, *præſertim* (inquit) *ſi illa actio, quam dormiens exſequitur, ortum habet ex efficaci voluntate conferendi Baptiſmum, quam in vigilia habuit.* Vnde in tali caſu dicit, baptiſmum eſſe iterandum ſub conditione.

101. *In ſecundo maior eſt quando ſcilicet ponitur cauſa, vt ponatur effectus.*

Ratio difficultatis.

Oſtenditur alio exemplo.

Petr. Cabr.

Quidam affirmant talem intentionem ſufficere.

Communiter tamen Theologi omnes id negant, & meritò. Videatur Thomas Sanchez *lib. 1. de Matrimonio, diſp. 8. à n. 15.* Nec diſſentit Auguſtin. *tract. 5. in Ioannem*, vbi ait, baptiſmum ab ebrioſo collatum, eſſe validum. Non enim loquitur de ebrio, ſed de ebrioſo, hoc eſt, qui vſum habet inebriandi ſe, quòd vitium, & peccatum dicit non nocere Sacramento: ſicut nec alia peccata homicidij, raptoris, &c. de ebrio itaque aut dormiente negamus poſſe validè conficere Sacramentum. Fatemur quidem poſſe illum in ſomno, vel ebrietate loqui, operari, abluere, &c. Sic enim ſcimus aliquos in ſomno ſolitos ſurgere ex lecto, tabernam aperire, & adornare, & mox lectum repetere: imo Pariſienſem quendam gladio cinctum Sequanam tranaſſe, dormientemque adhuc interfeciſſe illum, quem vigilans occidere conſtituerat, &. ſcelere patrato, domum in lectum rediiſſe: quæ & ſimilia legi poſſunt in Theatro humanæ vitæ, *vol. 1. lib. 2.* ſub titulo, *De paſſionibus corporis.* Vnde poſſet etiam reperiri, qui dormiens proferret verba Sacramentalia, ablueret, vngeret, &c. Cæterùm illæ actiones in ſomno, vel ebrietate exercitæ, etiamſi præuiſæ, & volitæ fuiſſent in vigilia, non eſſent aptæ ad conſtituendum Sacramentum; hoc enim debet conſtare ex loquutione humana, & ex actionibus humanis, quales non ſunt, quæ fiunt in ſomno vel ebrietate. Vnde periurium ebrij vel dormientis, etiam præuiſum, non habet malitiam periurij: nec erit peccatum reſeruatum, vbi reſeruatur periurium, vt cum Suarez, & aliis obſeruat Th. Sanchez *lib. 16. num. 1. in Decalog. cap. 16. num. 47.* & licèt ipſe *num. 44.* exiſtimet blaſphemias in ebrietate prolatas, & præuiſas eſſe peccata: meliùs tamen Vaſquez *1. 2. diſp. 127. cap. 3.* id negat: ſicut enim contumeliæ ab ebrio prolatæ non ſunt contumeliæ, ſic nec blaſphemiæ: quia non ſunt loquutiones humanæ. Similiter ergo verba Conſecrationis ab ebrio

102. *Melius tamen negatur.*

Th. Sanch.

Auguſt.

Theatrum humanæ vitæ.

Probatur concluſio, quia actiones Sacramentales.

Th. Sanch.

Vaſquez.

ebrio prolata non ſunt loquutio humana: quod idem de actionibus dicendum eſt; nam ablutio, vel vnctio non erunt actiones humanæ: ſicut nec cultus à dormiente, vel ebrio præſtitus erit cultus humanus; & per conſequens non eſſet idololatria, etiamſi fuiſſet præuiſa illa actio. Cùm ergo actiones Sacramentales debeant eſſe actiones humanæ, non erunt Sacramenta valida, quæ per tales actiones, vel loquutiones non humanas conficiantur.

103. Petes, quid deſit illi loquutioni vel actioni, vt ſit loquutio, vel actio humana, quando fuit præuiſa, & volita ante ſomnum vel ebrietatem? Quod enim, quando fit, non adſit libertas actualis, parum refert, quia ad actionem humanam ſufficit libertas præcedens, cùm ſæpe contingat, miniſtrum, quando actu conſecrat, aut recitat, non habere actualem libertatem, ſed denominari actionem illam liberam à libertate præcedenti, quæ imperauit eam, quæ voluntas manet poſtea virtualiter, vt ſuprà explicatum eſt. Reſpondeo, in primis loquutionem dormientis, vel ebrij non eſſe loquutionem humanam; quia licèt ſit libera denominatiuè, non poteſt tamen ſignificare more humano, & exprimere mentem loquentis. Loquutio enim humana impoſita eſt ad ſignificandam, & exprimendam mentem loquentis, mentem, inquam præſentem; hoc eſt, quid ſentiat tunc de rebus, ſiue præſentibus, ſiue præteritis, ſiue futuris: omnis ergo, qui loquitur, intendit exprimere, quid tunc ſentiat de obiecto, quod loquitur. Poteſt quidem contingere, quòd tunc non habeat libertatem actualem, ſed virtualem, vt cùm quis recitat ex voluntate præterita abſque libertate actuali; ſed tamen tunc per illam loquutionem exprimit mentem, quam vel actualiter, vel virtualiter habet, id eſt, deriuatam humano modo ex priori mente magis explicita. At verò verba, quæ profert ebrius, vel dormiens, non ſunt apta ad exprimendam mentem humanam, quam tunc habeat, cùm nullam talem habeat in eo ſtatu; mentem autem humanam merè præteritam non ſignificant, quia non ſunt impoſita ad hoc ſignificandum; neque ex natura rei eam poſſunt ſignificare, quia ſicut verba à pſittaco prolata non poſſunt ſignificare ex natura rei, quam mentem habuerit, qui mouet eum ad eas voces proferendas: ſic nec verba prolata à dormiente, vel ebrio poſſunt mentem humanam præteritam prudenter ſignificare, cum poſſit ex aliis cauſis prouenire, quòd ex voces proferantur ab ebrio vel dormiente. Non ſunt ergo illa verba humana, hoc eſt, non habent modum ſignificandi humanum, prout deberent habere ad conſtituendum Sacramentum, quod eſſentialiter conſtituitur per ſigna humana.

Quid deſit iſtis actionibus vt ſint humanæ.

Illa verba nõ ſunt humana quæ nõ habẽt modũ ſignificandi humanum.

104. Hæc eadem ratio, quæ probat de verbis, procedit ſimiliter de aliis actionibus Sacramentalibus, vt ablutione, vnctione, &c. nam licèt non ſint loquutiones, omnes tamen ſunt ſigna ſenſibilia, & aſſumi debent à miniſtro ad ſignificandam ſenſibiliter, & humano modo id, quod per Sacramenta ſignificatur. Omnia autem ſigna humana debent ſignificare, & exprimere mentem humanam præſentem, ſicut de verbis diximus; quare licèt ablutio eſſet præuiſa, & volita ante ſomnum, vel ebrietatem, non poſſet poſtea exercita ſignificare debito modo, cùm non poſſet neque ex inſtitutione, neque ex natura rei ſignificare mentem humanam præſentem, nec præteritam. Adde, licèt poſſent eiuſmodi verba, vel actiones ſignificare ex natura rei mentem humanam præteritam, id non ſufficeret, quia Chriſtus non inſtituit in Sacramentis verba, vel actiones quæ ſignificarent mentem præteritam, ſed præſentem, quia inſtituit ea, prout ſunt ſigna humana, & prout ſignificant humano modo, & directè ex inſtitutione id, ad quod ſunt inſtituta; non prout indirectè, & à poſteriori poſſunt arguere aliquam cauſam, quam habuerunt; ad hoc enim ſignificandum non ſunt inſtitutæ ab hominibus voces, vt conſtat.

Idem dicitur de aliis actionibus quæ nõ ſunt verba.

Ad id verò, quod opponebatur, non requiri libertatem actualem, quando fit actio aliqua, vel loquutio humana; concedimus, id ita eſſe; tunc tamen datur ſaltem virtualiter libertas voluntatis præcedentis, quæ humano modo influit in actionem præſentem; quod non datur in loquutione, vel actione ebrij, aut dormientis. Quid autem plus habeat operatio, quam exercet ſobrius, & vigilans etiam abſque libertate actuali, quod non habeat, quam exercet ebrius, aut dormiens, faciliùs experimur, quàm explicamus. Vtraque enim exercetur abſque libertate actuali; vtraque procedit ex libera applicatione voluntatis præterita, & ex imperio, quo applicuit potentias ad totam illam actionem proſequendam. Nam ſicut recitans Officium ex applicatione præterita, habet ſolùm præſentem actum quendam tenuiſſimum & confuſum, quo vult proferre hæc verba: quia ita iudicatum eſt bonum, & conueniens, abſque alia notitia actuali magis explicita de conuenientia illa in particulari; ita qui ſui compos iter aggreditur, vt domum reuertatur, ſi medio itinere incipiat vſum rationis amittere propter vinum antea bibitum, adhuc proſequitur, & ambulat per aliquod tempus; quod quidem facere non poteſt abſque aliquo actu præſenti tenui, & confuſo, quo velit ambulare; quia ambulatio iudicata eſt conueniens. Habet ergo ſe eodem modo in vtroque caſu, vt ſit, vel non ſit operatio humana. 105.

Obiectioni reſpondetur.

Adhuc tamen experientia ipſa teſtatur, nos diuerſitatem experiri inter recitationem, v.g. cum ſola intentione virtuali in vigilia, & illam, quæ fit in ſomno, vel quam dormientes proſequimur. Videtur autem differentia hæc non tam conſiſtere ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ: nam in vtroque caſu volumus actu tenuiſſimo, & confuſo illam conuenientiam, cuius confusè recordamur. In primo autem caſu, quando homo eſt ſui compos, potentia eſt integra, & ſoluta; cum tamen in ſecundo caſu potentia non ſit integra, & ſoluta, ſed ligata ſomno, vel ebrietate. In primo ergo caſu potentia, licèt confusè, & tenuiſſimo actu, tota tamen cogitat, & vult illud obiectum, non totaliter propter diſtractionem ad alia, ſed tota; in ſecundo autem caſu non eſt iam tota potentia, quæ volt, ſed ſemipotentia, eò quòd diminuta & ligata ſit ex parte principij ſomno, vel humore vini prædominantis. Non enim eſt iam tota anima, ſeu anima vigilans, quæ operatur, ſed anima dormiens, obtenebrata, & obcæcata; ex qua principij diuerſitate refunditur in operationem ipſam diuerſitas illa, quam experimur, & ratione cuius illa prior, & non hæc poſterior dicitur operatio humana; quia ſcilicet ad hanc non attendit homo, vt homo, ſed homo ligatus, & obcæcatus ex parte potentiæ, ſimiliſque brutis in modo operandi. Poteſt ergo in primo caſu eſſe operatio humana ſine libertate actuali, quando exercetur; quia illa tenuis attentio, quæcumque ſit, eſt animæ vigilantis & expeditæ: è contrà verò in amente, vel ebrio poteſt fortaſſe reperiri aliqua libertas actualis in aliqua operatione, quæ tamen non ſufficit, vt dicatur operatio humana; quia illa non eſt animæ vigilantis, & expeditæ, ſed conſopitæ, & ligatæ, vt dictum eſt. 106.

Oſtenditur differentia libertatis virtualis in ſomno, & extra ſomnum.

In ſomno potentia eſt ligata.

Obiici ſolet iterum, quia in recipiente, ſufficit voluntas præterita, vt validè recipiat Sacramentum 107.

Obiectio.

to

Soluitur. in ſomno, vel ebrietate; ergo etiam in miniſtro Reſpondeo tamen facilè negando conſequentiam; quia miniſter, vt diximus, debet operari nomine Chriſti, & ſignificare per ſuas actiones, ad quod requiritur illas eſſe humanas, & procedere humano modo ab intentione humana: recipiens autem nec operatur nomine Chriſti, nec ſignificat, nec oportet quòd agat humano modo, ſed quòd recipiat, quæ receptio non debet procedere ab intentione, ſed ad ſummum in adultis debet ſupponere intentionem recipiendi. Qualis verò intentio requiratur in ſuſcipiente, dicemus poſtea diſp. 9. ſect. 7.

108. *Infertur aliquando Sacramentum perfici quando miniſter non eſt compos ſui.* Hinc infero primò, poſſe aliquando Sacramentum perfici, quando miniſter non eſt compos ſui, v. g. in matrimonio per procuratorem; poteſt enim contingere, vt quando procurator nomine mandantis conſentit; mandans dormiat, vel ſit ebrius, & tunc perficitur Sacramentum in virtute prioris conſenſus non retractati, qui tunc virtualiter manet, & influit in conſenſum à procuratore præſtitum: eſt enim procurator, quaſi organum vitale, per quod coniux ſuum conſenſum manifeſtat, ſed tale, vt eodem modo operetur, & moueatur ab influxu mandantis, ſiue mandans nunc vigilet, ſiue dormiat. Si verò mandans poſt mandatum incidiſſet in amentiam, P. Th. Sanch. *lib. 2. de Matrimonio, diſp.* 11. *num.* 18. (Sanchez.) dicit, validum eſſe Matrimonium, etiamſi, quando procurator conſentit, mandans ſit amens effectus, quia in aliis contractibus ita ſeruatur; quam ſententiam tradit etiam Henriquez *lib* 11. *num.* 4. *cap.* 4. (Henriq.) & Bonacina *de Matrimonio, q.* 2. *punct.* 5. *num.* 13. (Bonacina.) Sed ex aliis contractibus argumentum potiùs deſumi poteſt contra valorem Matrimonij: quia regula generalis eſt, quòd mandatum, ſicut expirat morte mandantis, ſic etiam expiret mandante facto furioſo, vel amente, vt habetur in leg. *Qui ſeruum ſuum, num.* 47. & in leg. *ſi quis alicui* 48. ff. de acquirenda hæreditate; & obſeruat P. Molina *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 552. *in fine*; (Molina.) quia nimirum iam ab eo tempore videtur expiraſſe voluntas mandantis, cùm iam non cenſeatur capax, celebrandi contractus; quod idem de profeſſione Religioſa facta per procuratorem dicendum videtur caſu, quo profeſſurus poſt datum mandatum incidiſſet in amentiam: nam regula vniuerſalis iuris, quam adduximus, in his potiſſimum contractibus Matrimonij, & profeſſionis locum habere debet. Quare meritò Matrimonium illud validum non eſſe, obſeruauit etiam Baſilius Pontius *de Matrim. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 14. (Baſil. Pont.) licèt rationes ipſius ſatis efficaces non ſint.

109. *Infertur ſecundò.* Infero ſecundò, etiamſi miniſter non eſſet iam ſui compos, quando eius vox auditur à ſuſcipiente Sacramentum: ſi tamen erat ſui compos, quando eam vocem protulit validum eſſe Sacramentum. Cùm enim auditus non percipiat ſonum eo inſtanti, quo fit, ſed poſt aliquam morulam, & tardiùs quàm viſus, vt experientia conſtat: contingere poſſet, quod intra illud breuiſſimum tempus miniſter amitteret vſum rationis, hoc tamen non noceret valori Sacramenti: quia tota illa actio, prout à miniſtro, fuerat humana; nec debet attendi, quomodo ſe habeat miniſter, quando auditur vox, ſed ſolùm quando fit ab ipſo. Quæ doctrina in Sacramento etiam Matrimonij locum habere poteſt: nam licet in illo non perficiatur Sacramentum, quando coniux profert verba, antequam ab altero coniuge audiantur & percipiantur, eò quòd obligatio non oritur ex ſola promiſſione ante ſufficientem intimationem, vt alteri nota ſit promiſſio; ſi tamen contingeret, vt poſtquam primus coniux conſenſum præſtitit, & expreſſit, alter ſuum conſenſum exprimeret, & ſtatim amitteret rationis vſum, antequam eius conſenſus à primo coniuge perciperetur, validum eſſet Sacramentum, & perfectum, cùm primùm coniux prior verba poſterioris, & eius conſenſum perciperet. Nam ſicut donatio facta, & per litteras vel nuntium ad donatarium miſſa poteſt eſſe valida, & acceptari etiamſi interim donans moriatur, antequam epiſtola, vel nuntius, ad donatarium perueniat; vt cum multis docet Th. Sanchez (Sanchez) *lib.* 1. *de Matrimonio, diſp.* 6. *num.* 5. ſic promiſſio coniugis valida eſſe poterit, & acceptari, licèt, antequam percipiatur ab altero, amiſerit rationis vſum; & tunc perficietur Sacramentum, quando iam miniſter, qui vltima verba protulit, non eſſet compos ſui; quod faciliùs poſſet contingere, ſi mutuos conſenſus per epiſtolas ſibi inuicem coniuges tranſmitterent: prout aliquando fieri poſſe fatentur Doctores, quos affert, & ſequitur idem Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 18.

Infero tertiò, licèt ad contrahendam malitiam periurij, blaſphemiæ, &c. non ſufficiat voluntas præcedens, ſi eo tempore, quo proferuntur, non ſit homo iam rationis compos: quia eæ actiones debent eſſe humanæ, vt diximus: alioquin non erunt periuria, blaſphemiæ, aut loquutiones humanæ: alia tamen eſſe peccata, ad quæ hoc non requiritur, v. g. homicidium, furtum, & ſimilia, atque adeò, vbi hæc eſſent peccata reſeruata, vel haberent cenſuram annexam, contrahent reſeruationem, vel cenſuram, ſi fuerunt antea præuiſa, & volita, etiamſi mandantur exequutioni in ſomno, vel ebrietate; vt ſi quis voluntariè ſe inebriat volens furore vini occidere inimicum, vel eius bona diripere, aut domum comburere. Ratio autem eſt, quia iuſtitia, cui ea peccata aduerſantur, non ſolùm prohibet occidere, furari, &c. Sed etiam cauſam apponere, ex qua eiuſmodi damna proximo inferantur, atque ideo tam erit contra præceptum iuſtitiæ ponere tales actiones, quàm abſque illis ponere effectum ipſum; at verò præceptum religionis, v. g. ſolùm prohibet periurium; non eſt autem periurium adducere Deum in teſtem mendacij per verba materialia, ſed per verba formalia, quæ ſola poſſunt eſſe vera adductio Dei in teſtem mendacij, qualia non ſunt verba prolata ab ebrio vel dormiente. 110. *Infertur tertiò quanam contrahant malitiam ex voluntate præcedente.* *Ratio eſt, quia iuſtitia non tantùm prohibet actum, ſed etiã cauſam actus.*

SECTIO VII.

An intentio miniſtri debeat eſſe circa materiam determinatam.

Conclusio communis, & certa eſt affirmatiua, & conſtat ex verbis formarum: *Ego te baptizo, Ego te abſoluo; indulgeat tibi Deus*, &c. quæ non poſſunt ſignificare, niſi ex intentione loquentis determinentur ad perſonam determinatam; quod idem apparet in forma Euchariſtiæ: *Hoc eſt Corpus meum*; vbi deſignantur determinata accidentia panis; & ſic de aliis. Hinc oritur quæſtio, an error miniſtri reddat irritum Sacramentum, ſi, verbi gratia, cogitabat baptizare Petrum, cùm eſſet alius, vel ſi putabat eſſe puerum, cùm eſſet puella? Syluester *in Summa*, verbo *Baptiſmus*, 3. *quæſt.* 15. cum Hoſtienſi videtur docere eſſe inualidum. Alij communiter dicunt, eſſe validum, & in vniuerſum aſſignant eam regulam, vt quoties error eſt in ſubſtantia, reddatur Sacramentum irritum, quando eſt in circumſtantiis vel qualitatibus, ſit validum. Contra hanc tamen regulam videtur eſſe, quòd iuxta illam potiùs dicendus eſſet inualidus Baptiſmus in prædicto caſu; nam perſona, quæ baptizatur, vel abſoluitur, videtur 111. *Concluſio certa eſt affirmatiua.* *Quæritur, an error miniſtri reddat Sacramentum irritum.* Syluester. Hoſtienſ. *Error in ſubſtantia reddit inualidum, non in circumſtantiis.* *Contra hanc regulam obijcitur.*

tur maximè pertinere ad ſubſtantiam, & non ad circumſtantias, vel qualitates. Quod magis confirmatur ex Sacramento Matrimonij, in quo error circa perſonam eſt ſubſtantialis, & irritum reddit Matrimonium, non ſolùm iure poſitiuo, ſed ipſo iure naturali, licèt error circa qualitates, aut alias circumſtantias non reddat illud inualidum: idem ergo dicendum erit de Baptiſmo, abſolutione, & aliis.

112. *Reſpondet Vaſquez.* P. Vaſquez *diſp.* 148. *c.* 7. *n.* 91. impugnatis aliorum ſolutionibus, reſpondet, circumſtantiam perſonæ non eſſe ſubſtantialem in Baptiſmo, & aliis Sacramentis, præter Matrimonium; nam ad eſſentiam Sacramenti ſolùm requiritur, quòd conferatur homini, vel ſi ſint alia à Baptiſmo, quòd conferantur homini baptizato; in Matrimonio autem error circa perſonam eſt ſubſtantialis: quia, vt ipſe dixerat *in* 1.2. *diſp.* 40. *c.* 4. in Matrimonio ipſæ perſonæ contrahentium ſunt materia, circa quam verſatur contractus.

113. *Nõ ſatisfacit hæc reſponſio primò* Hæc tamen reſponſio, niſi ampliùs explicetur, non videtur ſatisfacere. Primò quia in conſecratione Euchariſtiæ ſpecies panis ſunt materia, circa quam verſatur: & tamen, ſi ego accipiam vnam hoſtiam, exiſtimans eſſe aliam, quam priùs ibi repoſueram, adhuc conſecratio erit valida. *Secundò.* Secundò, non minùs videtur pertinere ad ſubſtantiam perſona, cui confertur abſolutio, quàm peccata: nam ſi non eſt hæc perſona, non erunt hæc peccata, ſed alia alterius perſonæ; ergo ſi ego erro in perſona, erro in peccatis, & per conſequens in ſubſtantia materiæ. *Tertiò.* Denique quòd dicit, Baptiſmum ſolùm requirere ad ſuam eſſentiam, quòd conferatur homini, eodem modo videtur procedere in Matrimonio, quod ad ſuam eſſentiam ſolùm requirit, quòd fiat inter marem & fœminam: ſicut autem hoc Matrimonium in particulari exigit hos coniuges determinatos; ſic hic Baptiſmus exigit determinatè hoc ſubiectum: alioquin enim non eſſet hæc ablutio, ſed alia, & aliud Sacramentum, vt conſtat.

114. *Communis reſponſio.* Alij ergo communiter reſpondent, idem omnino procedere in rigore, formaliter loquendo, in omnibus Sacramentis; in omnibus enim ſi miniſter alligat ſuam intentionem ad talem perſonam, & reuera fuerit alia, non erit validum Sacramentum: de facto tamen id non facit miniſter, in aliis Sacramentis præter Matrimonium, in quo contrahentes propter magnum onus quod ſuſcipiunt, meritò limitant ſuam intentionem ad talem perſonam, excludendo omnes alias: in aliis verò Sacramentis regulariter id non poſſunt facere, ſed debent habere intentionem conferendi Sacramentum huic, qui præſens eſt, quicumque ille ſit, nec ſine graui cauſa debent ſe exponere periculo faciendi Sacramentum irritum. Ita Suarez *in præſenti diſp.* 13. *ſect.* 3. *in fine*, cum aliis communiter. *Suarez.*

115. *Reſtat tamen adhuc difficultas pro Matrimonio.* Hæc reſponſio continet veram doctrinam: ſed reſtat difficultas circa id, quod dicitur de Matrimonio, quod in eo contrahentes alligant intentionem ad talem perſonam; ita vt ſi alia ſit, contractus non valet: hoc, inquam, non videtur dicendum etiam in Matrimonio ex eo, quòd contractus ſit; nam in aliis contractibus humanis non ita alligatur voluntas contrahentium. Alligatur quidem quoad ſpeciem, ita vt ſi intendas emere oleum, & detur vinum loco olei, contractus ſit nullus propter defectum intentionis: ſi tamen intendis emere menſam, vel veſtem, quæ tibi placuit heri, & venditor, qui iam illam diſtraxerat, oſtendat tibi aliam ſimilem, dicens eſſe illam, adhuc emptio erit valida, & iuſta, ſi ſit æquè bona; quia licèt non ſit eadem, eſt tamen æquè vtilis: ergo ſimiliter, ſi Titius videns filiam Caij, eam petat in vxorem, quia ſibi placuit, Caius verò, qui illam fortaſſe alteri promiſerat, aliam æquè pulchram, & bonam Titio afferat dicens: hanc eſſe, quam viderat, & petierat, validus erit eodem modo contractus propter eandem rationem, ſicut valida eſſet emptio. Explicatur; quia ſi emens veſtem non limitat ſuam voluntatem ad hanc numero, ſed ad hanc, vel aliam ſimilem: ergo nec qui emit ſeruum, limitat ad hunc numero, ſed ad hunc, vel alium ſimilem, atque adeò emptio erit valida, licèt vnus æquè bonus pro alio ſupponatur, ſicut eſt valida emptio veſtis. Si autem emptio ſerui eſt valida, non apparet, cur non ſit idem dicendum de Matrimonio: cùm tam emptio ſerui, quàm Matrimonium habeat pro obiecto perſonam: & tam ſit error circa perſonam in vno caſu, quàm in alio.

Adhoc tamen ſuſtinendum eſt, Matrimonium in eo caſu nullum eſſe: quod quidem in Matrimonio prouenit ex eo, quod talis contractus ſit: imò ex eo quod, contractus ſit; nam licèt ſit aliqua differentia materialis, ſi tamen formaliter & cum proportione applicetur regula vniuerſalis aliorum contractuum, reperiemus nihil eſſe ſpeciale, quoad hoc in Matrimonio. Regula enim vniuerſalis eſt, quòd quoties datur error in ſubſtantia, contractus ſit nullus; qualis autem ſit error in ſubſtantia, pendet ex diuerſa natura & fine vniuſcuiuſque contractus. Qui enim vendit aurichalcum putanti eſſe verum aurum, non facit validam venditionem, vt habetur in leg. *In venditionibus*, ff. de contrahenda emptione: & ratio eſt, quia emptor ita alligat ſuam voluntatem ad emendum aurum, vt nolit quidquam aliud emere, atque ideò emptio aurichalci eſt illi inuoluntaria, quod non ita eſt, quando loco vnius veſtis ſubrogatur alia ſimilis æquè bona: de hoc enim, cùm parum referat ad eius intentum, non videtur curare, nec alligauit voluntatem ſuam ad illam veſtem numero; quorſum enim alligaret, ſi non curat de illa potiùs, quàm alia habenda? In Matrimonio autem, quælibet variatio vxoris, licèt illæ phyſicè loquendo differant ſolo numero, cenſetur variatio in ſpecie; quia ad intentum Matrimonij, & vitam communem perpetuam, reſultat diuerſitas maxima ex variatione vxoris: & ideo coniux cenſetur obligare ſuam voluntatem ad hanc, quam elegit, multo magis quàm qui emit aurum, alligat voluntatem ad aurum. Nec ſufficit, ſi detur alia vxor æquè bona, quia cùm hæc æqualitas non poſſit certò ab hominibus agnoſci & præuideri, & pendeat ex tot circumſtantiis, quod placeat coniugi, vel diſpliceat, meritò contrahentes alligant ſuam voluntatem ad talem perſonam determinatam; quia nolunt alieno iudicio fidere, ſed ſuo in re tanti momenti. Omnis ergo diuerſitas ſubſtantialis in eo contractu eſt inuoluntaria, imò in venditione ſerui, vel ancillæ, propter eandem rationem error in perſona efficit emptionem inualidam, vt obſeruat P. Molina 2. *tom de Iuſtit. diſp.* 340. *num.* 2 c. quia variatio perſonæ in hominibus æquiualet variationi ſpeciei in aliis rebus propter rationem traditam. 116. *In Matrimonio id prouenire dicimus ex ratione tãti contractus. Regula vniuerſalis.* 117. *Omnis diuerſitas ſubſtantialis in Matrimonio eſt inuoluntaria. Molina.*

118. *Infertur primò pro aliis Sacramentis:* Hinc infero primò, in aliis etiam Sacramentis, ſi conſtat de alligatione voluntatis ad certam perſonam, vel materiam, non poſſe circa aliam habere valorem. Vnde qui vult conſecrare hanc hoſtiam ſolam, non conſecrat alias, licèt in altari ab aliquo poſitæ fuerint. In quo tamen aduerte, Antonin. Dianam 1. *tom. Reſolut. moral. tract.* 17. *reſolut.* 19. proposito hoc dubio, an particulæ, quas aliquis inſcio Sacerdote, appoſuit in corporali, maneant *Diana.*

conſecratæ, reſpondere quidem cum communi, & vera Theologorum ſententia negatiuè: addit tamen, quod Didacus Nugnus Dominicanus 3. *part. q* 74. *art.* 1. *difficult. vlt.* in ea ſit ſententia, quòd illæ particulæ conſecratæ maneant propter intentionem, quam Sacerdos habere debet conſecrandi id, quod coram ſe habet in altari. Sed reuera Nugnus id non dicit: loquitur enim in alio diuerſo caſu; ſcilicet quando Sacerdos aliquam hoſtiam præparauit, poſtea verò alia à Sacriſta, v. g. vel alio, loco illius hoſtiæ ponitur, inſcio Sacerdote, vel ſunt duæ loco vnius: in quo caſu dicit, illam etiam manere conſecratam: quia non ita alligauit Sacerdos intentionem ſuam ad conſecrationem illius hoſtiæ, quam præparauit, vt excluderet aliam, quam poſtea in altari acciperet conſecrandam: ſemper enim intendit conſecrare id, quod in altari ad hoc inuenit, & accipit conſecrandum: quæ doctrina vera eſt; illa autem, quam et Auctori tribuit Diana, eſſet omnino falſa, & improbabilis.

Did. Nugn.

Infero ſecundò, quid dicendum ſit de proteſtatione, qua aliqui Epiſcoporum Officiales ſolent ante Ordinum collationem publicè proteſtari, Epiſcopum non habere intentionem ordinandi eos, qui cum aliquo legitimo impedimento ad Ordines accedunt, v. g. irregulares, aut carentes patrimonio, & beneficio, vel legitimis litteris dimiſſoriis, &c. Nam ſi reuera Epiſcopus habeat talem intentionem, proculdubio qui illis impedimentis fuerint ligati, non recipient verum Ordinem. Aliqui tamen exiſtimant, proteſtationem illam fieri ſolùm ad terrendum; Epiſcopum autem habere ſolutum animum ordinandi eum, qui accedit, quicumque ille ſit. Ego quidem vſum talis proteſtationis nullo modo probo, tùm quia in ritibus Eccleſiaſticis fundamentum non habet: nam licèt in Pontificalibus antiquis, & modernis apponatur formula, qua ordinandi moneantur ex parte Epiſcopi, ne vllus accedat irregularis, abſque ætate vel facultate legitima, &c. in nullo tamen Pontificali inuenitur talis proteſtatio defectu intentiònis; quare Officiales Epiſcopi, dum illam proteſtationem addunt, id de ſuo addunt, & non iuxta formulã in Pontificali conſtitutam: tùm etiam, quia licèt, exiſtente grauiſſima cauſa, poſſet aliquando Epiſcopus habere intentionem ſub conditione, vt fatetur Vaſquez *d. c.* 7. *n.* 86. de miniſtro abſolutionis, ſi v. g. aliquis ſimulans ſe alium, petat ordinari, cùm multùm referat, hunc non ordinari: cæterùm eiuſmodi voluntas conditionata vniuerſalis cum omnibus haberi non poteſt abſque grauiſſimis inconuenientibus propter dubia, quæ inde oriuntur circa valòrem Ordinis. Poteſt enim contingere in primis, quòd aliquis tale impedimentum habeat, illudque vel ignoret, vel eius actu non recordetur: poteſt item ſuboriri dubium, an reuera habuerit aliquod ex iis impedimentis; denique, dato, quòd illud habuerit, & cognouerit, dubitabitur meritò de intentione Epiſcopi, an fuerit conditionata, vt verba priora ſonabant; an abſoluta, prout debebit eſſe. Non debet autem res adeò grauis his dubiis exponi. Vnde, ſi caſus acciderer, ego Sacerdoti eo modo Ordinato cum tali impedimento conſulerem, vt, ſi commodè poteſt, adeat eundem Epiſcopum, eiuſque intentionem exploret, qualis fuerit. Quòd ſi hoc fieri non poſſit, recipiat iterum ſub conditione Ordinem, ne maneat in illo dubio cum periculo inualiditatis aliorum Sacramentorum, quæ ex Sacerdotio dependent.

119\. *Infertur ſecundò quid dicendum ſit de proteſtatione Epiſcopi ante ordinationem.*

Vaſquez.

SECTIO VIII.

Quid dicendum ſit, quando fuerunt duæ intentiones contrariæ, quæ illarum præualere debeat.

VVlt aliquis, v. g. conſecrare Euchariſtiam, ſed vult non offerre ſacrificium, quia ex errore putat, in Miſſa non fieri verum ſacrificium. Item vult conferre Baptiſmum à Chriſto inſtitutum, non tamen quem tribuit Eccleſia Romana: vult contrahere verum Matrimonium, non tamen celebrare Sacramentum; quæ etiam ſunt voluntates contrariæ, ſi Matrimonium inter baptizatos non poſſit ſeparari à ratione Sacramenti. Hæ, & ſimiles voluntates reperiri poſſunt per accidens propter ignorantiam, errorem, vel obliuionem. Regula communis, & vera Theologorum eſt, vt voluntas, quæ præualet ex iis, ſortiatur effectum. Nam licèt vtraque videatur abſoluta, & efficax, re tamen vera altera eſt minùs, altera magis efficax, & abſoluta: vult enim abſolutè, & omnino dare verum Baptiſmum à Chriſto inſtitutum, vult omnino conſecrare veram Euchariſtiam, vult autem non dare Baptiſmum, quem dat Eccleſia Romana, quia putat illum non eſſe à Chriſto inſtitutum, aliuquin illum etiam dare vult; ſimiliter vult non offerre ſacrificium, quia exiſtimat, in Miſſa non eſſe ſacrificium, alioquin ſacrificium etiam vellet; quia nimirum magis vult conficere verum Sacramentum Baptiſmi & Euchariſtiæ, quàm excludere Baptiſmum Eccleſiæ Romanæ, vel ſacrificium. 120.

Regula communis pro reſolutione quæſtionis.

Petes, in quo conſiſtat ille modus volendi magis vnum quàm aliud; nam ſingulæ illæ voluntates ſecundùm ſe videntur abſolutæ, nec vna reſpicit vllo modo ad obiectum alterius, ſed ſingulæ habentur ſenſim & ſine alterius memoria. Reſpondeo, à poſteriori colligi, & explicari illam diuerſitatem per hoc, quòd ſi ſciret Euchariſtiam non poſſe ſeparari à ſacrificio, non excluderet ſacrificium; per hoc enim apparet, affectum diuerſo modo tendere ad Euchariſtiam, ad excluſionem verò ſacrificij ſolùm quatenus putat poſſe ſacrificium ſeparari ab Euchariſtia, atque adeò aliquo modo conditionatè. Sic explicat Coninch *in præſenti q.* 64. *art.* 8. *dub.* 3. & in ſimili Leſſius *lib.* 2. *de Iuſtit. c.* 40. *dub.* 10. *n.* 76. Re tamen ipſa eſt modus intrinſecus diuerſus, tenens ſe ex parte ipſius actus voluntatis: nam altera volitio habet in ſe modũ volendi magis vniuerſalem, altera magis limitatum, & coarctatum. Quod poteſt multis exemplis declarari. Primò, ſi hodie velis ſacrum craſtinum omnino applicari pro Petro, ita vt hæc applicatio ex nunc præferatur cuilibet ex obliuione huius faciendæ; cras verò applices ſacrum pro alio, non cenſebitur reuocata applicatio hodierna, quia fuit magis vniuerſalis, & reuocatoria craſtinæ. Secundò, deſumi poteſt exemplũ ex leg. *Si quis, in princ.* ff. de legatis 1. Nam ſi quis in priori teſtamento adhibeat clauſulam reuocatoriam cuiuſcumque poſterioris, teſtamentum poſterius non erit validum, niſi in eo reuocetur expreſsè illa clauſula prioris teſtamenti; vt cum communi Doctorum obſeruat Molina *tom.* 1. *de Iuſtit. diſp.* 153 §. *Quod dictũ eſt*; quia nimirum voluntas prior habuit maiorem vniuerſalitatem ex parte obiecti, quàm poſterior. Tertiò, ſi quis facit votum non vouendi niſi conſulto Confeſſario, & ex nunc vult non vouere validè, niſi ea conditione poſita; poſtea ſi immemor huius voluntatis voueat, votũ non valet, niſi eo eſſet affectu, vt etiam, ſi recordaretur, vellet valere: vt notat Leſſius loco proximè citato; quia nimirum prior voluntas fuit magis vniuerſalis. Ex quibus omnibus conſtat,

121\.

Oſtenditur quomodo vna voluntas ſit magis abſoluta quàm alia.

Coninch. Leſſius.

Confirmatur multis exemplis.

122\.

Molina.

concur

a

concurrente duplici voluntate contraria illam præualere, quæ explicitè, vel implicitè continet reuocationem alterius, ſiue hæc ſit prior, ſiue poſterior, ſiue ſimul ex ignorantia habeatur. Conſiſtit autem

123. *In quo conſiſtat hæc maior vniuerſalitas voluntatis.* hæc maior vniuerſalitas in reflexione quadam formali, vel virtuali, quam vna voluntas habet ſupra alteram ad reuocandam illam, & non è contrà, vt in exemplis adductis; nam prius teſtamentũ cum reflexione ſupra poſterius reuocauit illud; poſterius verò non habuit reflexionem ſupra reflexionem prioris; ideo non potuit illud reuocare. Sic ergo voluntas faciendi verum Sacramentum propter ſuam maiorem efficaciam, & vniuerſalitatem habere videtur reflexionem quandam virtualem ſupra alias voluntates contrarias, vt reuocet illas: hoc enim ſignificat ille modus dicendi: *Omnino volo*, id eſt, non obſtantibus quibuſcumque contrariis. *Confirmatur exemplo Pontificis.* Sicut etiam Summus Pontifex per illum modum loquendi facit reflexionem ſupra volũtates præteritas, & illas reuocat, aliquando tamen illa voluntas prior fuit magis vniuerſalis, & reflexiua reuocando omnes futuras generales, & hanc etiam, quare ſi illa prior reuocanda eſt, oportet, quòd hæc poſterior ſit magis vniuerſalis, & reflexiua reuocando volũtates primas reuocatorias, &c. Hoc ipſum contingit in noſtro modo operandi per intentiones contrarias, ex quibus illa præualet, quæ ex ſuo modo tenendi explicitè, vel implicitè ſit magis vniuerſalis, & reflexiua ſupra alias.

Petes; quid ſi vtraque voluntas eſſet æqualis?

124. *Si voluntates ſint æquales præualet poſterior.* Reſpondeo, præualeret poſterior: nam ſicut poſterius teſtamentum ſemper præualet priori, etiamſi, quando fit poſterius, non recordetur homo prioria à ſe facti; ſic ſi heri applicaſti ſacrum hodiernũ pro Petro, & hodie immemor illius voluntatis, applices pro Paulo per voluntatem æquè abſolutam, & efficacem, videtur præferenda hæc poſterior, non enim apparet differentia inter teſtamentũ poſterius, & hanc poſteriorem applicationem; quod tamen intelligendum eſt cum limitatione ſtatim apponenda. *Si vtraque eſſet ſimul, Sacramentum eſſet nullum.* Denique, ſi vtraque illa voluntas eſſet ſimul, ſi v.g. propter errorem vellet ſimul conſecrare Euchariſtiam, & non offerre ſacrificium, & vtrumque æqualiter vellet, & æquè affectus ad vtrumque, putarem non fieri Sacramentum, quia voluntas ſimul vult ponere aliquod impoſſibile: quare ſicut ſi eadem intentione vellet illa duo contraria, ſcilicet conſecrare Euchariſtiam ſine ſacrificio, nihil efficeret, quia includeret aliquid impoſſibile, ſic dicendũ videtur de volente ſimul per duplicem voluntatem æqualem. Imò idem etiam videtur dicendum, etiamſi voluntas vna eſſet poſt aliam, ſi tamen vtraque influeret in actum: tunc enim non procedit regula ſuprà poſita, quòd voluntas poſterior præualeret: nam ſi vtraque facit, quòd nunc exerceam hanc actionem, vtraque eſt virtualiter præſens, & propter vtriuſque finem cenſeor operari: tunc ergo poſterior voluntas præualet, quando prior ſolùm manebat habitualiter; vt in exemplo applicationis ſacri craſtini, quæ cras reuocatur per aliam applicationem contrariam æqualem, vt dictum eſt.

125. *Hinc infertur deciſio dubij circa Abiſſinorum.* Ex doctrina ſupra tradita inferri poteſt deciſio dubij, de quo non multò ante Romæ controuerſum fuit circa diſſoluenda, vel retinenda Matrimonia Abiſſinorum, quæ in ſchiſmate facta fuerant. Quod quidem libet in exemplum, & applicationem doctrinæ traditæ ſubiicere; quia in hoc exemplo ad praxim reducitur regula illa Theologorum cum omnibus ſuis circumſtantiis.

126. *Pro quo ſciendum eſt.* Sciendum ergo eſt, quòd Æthiopes Abiſſini inter alios errores, quos retinent circa Sacramenta, exiſtimant, licitum eſſe repudium in certis caſibus, ita vt poſſit diſſolui etiam quoad vinculum Matrimonium conſummatum: imò maiori ex parte quando Matrimonium contrahunt, ſolent dare quoſdam fideiuſſores, ad quos pertineat vxorem, ſi fortè malè à viro tractetur, ex viri poteſtate educere, & alteri viro in Matrimonium dare. Hoc ſuppoſito, quæritur, an, quando hi reducuntur ad fidem Catholicam, abiurato ſchiſmate, & aliis erroribus, cogendi ſint redire ad priorem coniugem, à qua iam fortè per diuortium receſſerunt, & aliud Matrimonium inierunt? *Status quæſtionis.* Ratio autem dubitandi erat, quia Matrimonium eſſentialiter dicit indiſſolubilitatem perpetuam attento iure diuino: ergo qui non vult facere contractum indiſſolubilem, ſicut illi non videntur velle, ſed contractum, qui certis caſibus poſſit diſſolui, non videtur velle facere verum, & legitimum Matrimonium, & per conſequens non debet cogi ad retinendum illud primum, tanquam verum, & validum coniugium. *Ratio dubitandi.*

Suppono, animum obligandi ſe ad indiſſolubilitatem, ſeu perpetuitatem eſſe de eſſentia Matrimonij; vt cum communi docet Thom. Sanchez *lib. 1. de Matrim. diſp. 29. n. 11.* ex quo benè infert non eſſe Matrimonium, ſi aliquis animum habeat contrahendi non niſi ad tempus. Et ratio clara eſt, quia, attento iure Diuino, perpetuitas, ſeu obligatio ad perpetuitatem eſt de eſſentia Matrimonij; non poteſt autem aliquis ſe obligare, niſi velit ſe obligare: ergo voluntas obligandi ſe ad perpetuitatem eſſentialiter requiritur ad Matrimonium. 127. *Suppoſitio. Th. Sanch. Qui habet tantum animum contrahendi ad tempus, non facit Matrimonium.*

Hoc ſuppoſito, dico primò: Quando hi Schiſmatici contrahunt cum pacto expreſſo, vt poſſint vti repudio in caſibus ſibi permiſſis, Matrimonium eſt nullum, & per conſequens non debent cogi ad illud obſeruandum. Hanc ſub his terminis docuit breuiter Sanchez *lib. 5. de Matrimonio, diſp. 12.* cum aliis, quos refert, vbi licèt agat de Iudæis, parum refert; quia quod attinet ad hoc, eadem omnino eſt ratio, quæ ſolùm deſumitur ex eſſentia Matrimonij, cui opponitur diſſolubilitas illa; & confirmatur ex cap. fin. de conditionibus appoſitis, vbi deciditur, Matrimonium eſſe nullum, ſi fiat ſub conditione, quæ ſit contra eius ſubſtantiam, vt ſi dicat, contraho tecum, donec aliam inueniam ditiorem: & idem eſt, ſi dicat, contraho tecum; ſi autem dotem non dederis, vel adulterium commiſeris, volo te poſſe relinquere; vt notat benè idem Sanchez *d. lib. 5. diſp. 7. n. 8.* quia licèt iſta non ſit conditio ſuſpendens, ſed reſoluens, eodem modo conditio reſoluens vitiat Matrimonium, quando eſt contra ipſius ſubſtantiam. Confirmatur, quia non poteſt eſſe Matrimonium validum, niſi aliquis exteriùs exprimat verbis vel aliis ſignis ſufficienter conſenſum internum: in prædicto autem caſu nullo modo videtur exteriùs exprimi conſenſus ad vinculum perpetuum, cùm potiùs ſignificetur oppoſitum; ergo non poteſt eſſe Matrimonium validum. 128. *Concluſio prima. Sanchez. Probatur ratione. Confirmatur.*

Dico ſecundò, ſi eum animum internum habeat, & eo animo contrahat, vt liceat ſibi vti repudio, licèt id non deducat in pactum externum, Matrimonium etiam eſt nullum. Ita Sanch. *d. diſp. 12. n. 5.* quia ſi non vult aliter contrahere, niſi diſſolubiliter, non habet voluntatem vllam obligandi ſe ad perpetuitatem, & per conſequens deficit voluntas neceſſaria ad valorem Matrimonij. 129. *Concluſio ſecunda.*

Hinc infero, quàm plures ex his ſchiſmaticis inualidè contrahere; quia plures, vt dicunt, deducunt hoc in pactum expreſſum tempore contrahendi, & habent fideiuſſorem: alij habebunt ad minus eum animum internum non aliter contrahendi, quod ſufficit, quod ſi hic animus fuit in vtroque 130. *Inferiur hîc [illegible]*

coniuge, ex vtriuſque confeſſione conſtabit ſufficienter, vt matrimonium poſſit declarari nullum etiam in foro externo; vt docet Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 45. *n.* 12. niſi eſſet colluſionis præſumptio. Si autem fuit in ſolo vno, ſufficiet ipſi in foro interno, imò ſufficiet etiam alteri coniugi, ſi concurrant rationes probabiles ad exiſtimandum, ipſum non mentiri; vt docet ibidem Sanchez *num.* 4. *& ſeqq.*

131. Difficultas eſt, quando coniuges ſciebant quidem, licere repudium in ſua Republica; ſed tamen tempore contractus non addiderunt illam limitationem ſe non aliter obligandi, niſi ſub eo ritu repudij. Et in hoc caſu

Concluſio tertia. Dico tertiò, ſi ea ſcientia, quam habebant de vſu repudij, ſe habuit antecedenter, hoc eſt, ideo contraxerunt, quia ſciebant, licere repudium; & aliter non contraherent, iam videntur ſe implicitè nolle obligare ad perpetuitatem.

132. *Concluſio quarta.* Dico quartò, ſi contrahentes ignorabant omnino, an vinculum iſtud eſſet perpetuum, vel ſi credebant etiam diſſolubile; ſed non limitarunt ſuam intentionem tempore contractus ad eam exiſtimationem, ſed habuerunt voluntatem generalem contrahendi matrimonium validum, ita vt illa ignorantia, vel exiſtimatio ſe habeat concomitanter, cùm etiam ſine illa æquè contraherent; tunc matrimonium videtur validum & obſeruandum.

133. *Probatur primò à poſteriori.* Hoc probatur primò à poſteriori; quia in Eccleſia primitiua ſupponebatur omnino, matrimonium contractum inter infideles fuiſſe validum, & ideo Paulus Apoſtolus 1. Cor. 7. permittit, & conſulit *1. Cor. 7.* coniugi fideli, ne diſcedat ab infideli ſi ab eo permittitur habitare cum illo; ergo ſupponit, verum fuiſſe coniugium initum, & tamen ſcimus licuiſſe tunc temporis ex legibus Romanis repudium, & fuiſſe valdè vſitatum; ergo adhuc illi, qui ſciebant, & exiſtimabant, permitti repudium, poterant validum matrimonium contrahere; alioqui Paulus non conſuleret, vt perſeueraret coniux fidelis factus in eo matrimonio. Paulus enim non conſulit, vt de nouo contrahat matrimonium, ſed vt perſeueret in illo; & quidem ſi matrimonium fuiſſet ab initio inualidum, non poterat tunc validari ſine conſenſu vtriuſque coniugis, quo vterque conſentiret de nouo ad indiſſolubilitatem perpetuam; & tamen Paulus abſolutè conſulit coniugi conuerſo, quod perſeueret quandiu permittitur ab infideli: nihil addens de reualidando contractu, aut petendo nouo conſenſu à coniuge infideli; ergo ſupponit, fuiſſe ab initio valida illa matrimonia; quia nimirum, licèt errarent exiſtimantes, licere repudium, poterat tamen ille error habere ſe concomitanter ad contractum, & dari conſenſus ſufficiens ex voluntate generali, qua volebant matrimonium facere validum, qualecunque id eſſet; ergo eodem modo apud Abiſſinos, non obſtante ſimili errore ſpeculatiuo circa diſſolubilitatem matrimonij, poſſunt reperiri multa matrimonia valida, & legitima.

134. *Probatur ſecundò.* Probatur ſecundò ex c. *Gaudemus*, verſiculo *Qui autem*, de diuortijs; vbi Pontifex declarat, eum, qui in infidelitate iuxta ſuum ritum repudiauerat primã vxorem legitimam, & aliam duxerat, cogendum eſſe poſt Baptiſmum redire ad priorem, ſi ab ea permittatur fideliter, & piè viuere: ergo ſupponitur fuiſſe primum matrimonium validum, etiam quando contrahentes ſciebant, vel exiſtimabant, licere ſibi repudium iuxta ritum, & leges ſuas: ergo etiam in Abiſſinis non poſſumus arguere nullitatem matrimonij præcisè ex eo, quod apud ipſos ſeruetur ritus repudij; nulla enim differentia apparet inter ipſos, & illos, de quibus agebat Pontifex in ea Decretali.

Probatur tertiò, quia nunc etiam de facto inter noſtros Catholicos poteſt contingere, vt aliquis contrahat matrimonium cum aliqua ignorantia ſpeculatiua circa valorem ipſius: fortaſſe enim aliquis cenſebit eſſe veram, vel probabilem doctrinam Caietani, & Catharini, quòd matrimonium poſſit ex cauſa adulterij diſſolui, etiam quoad vinculum, & cum hoc errore ſpeculatiuo contrahit matrimonium validum & indiſſolubile; quia error priuatus non tollit, quod habeat aliam voluntatem generalem, & efficacem contrahendi verum, & legitimum matrimonium: per quam vult iam implicitè contrahere matrimonium omnino indiſſolubile, cùm hæc indiſſolubilitas ſit de eſſentia veri matrimonij, quod ipſe vult omnino contrahere: ergo ſimiliter Abiſſini, dum expreſsè non limitant ſuam intentionem ad matrimonium diſſolubile, ſed volunt contrahere verum matrimonium, illud contrahunt, non obſtante errore ſpeculatiuo, quo exiſtimant illud vinculum eſſe diſſolubile; quia ille eſt tunc error concomitans, & impertinens ad operandum; quæ videtur eſſe doctrina P. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract.* 6. *de voto, lib.* 1. c. 5. *n.* 9. vbi dicit, eum, qui vult contrahere matrimonium ignorans vinculum illud eſſe perpetuum, adhuc contrahere validè, quia habet intentionem generalem faciendi illum contractum eo modo, quo tenetur illum facere, vbi iam implicitè vult obligationem, & vinculum perpetuum. 135. *Probatur tertiò.* Suarez.

Concludo ergo breuiter ex dictis, errorem illum tunc vitiare matrimonium, quando ex illo contrahens limitat ſuam intentionem, ſiue per pactum exterius, quo dicit ſe illa lege contrahere, vel ſaltem interiùs nolendo, niſi eo modo, & ritu obligari; ad quod ſufficit, vel ſaltem alterum coniugem limitare ſuam intentionem, vt matrimonium ſit nullum iuxta ſupradicta. Quando verò error ille eſt concomitans, nec ideo contrahitur matrimonium, quia exiſtimatur diſſolubile, vel denique contrahens habet voluntatem aliquam generalẽ efficiendi contractum validum omnibus modis, error erit concomitans, & non vitiabit contractum, ſed ſeruandus erit cum priori coniuge. Hæc autem voluntas generalis debet eſſe actualis, neque enim ſufficit, quòd homo, ſi ſciret matrimonium eſſe indiſſolubile, vellet etiam illud indiſſolubiliter contrahere; quia hæc non eſt voluntas actualis, ſed quæ foret conditionaliter in eo caſu, quòd non ſufficit ad effectum præſentẽ; vt in ſimili de voto obſeruat bene P. Suarez *lib.* 1. *de voto, c.* 12. *n.* 6. Requiritur Suarez. ergo voluntas actualis, qua velit contrahere matrimonium validum omnibus modis, & cum omnibus obligationibus illi annexis, quæcumque illæ ſint. Hęc voluntas ſi adſit, adeſt conſenſus ſufficiens, licèt ex priuato errore velit retinere ius ad repudium; quia illa prima voluntas, ſi eſt efficax, deſtruit ſecundam, quæ eſt minùs efficax, & ſubordinatur illi. Si autem deſit illa voluntas generalis, & efficax, tunc ſecunda voluntas limitat contractũ ad matrimonium diſſolubile, quod eo ipſo eſt inualidum. Denique in dubio, an aliquis habuerit illam voluntatem efficacem faciendi matrimonium omnino validum, cenſeo iudicandum in fauorem contractus, vt valeat; quia vnuſquiſque præſumitur velle exercere contractum validum, niſi oppoſitum probetur; iuxta communem doctrinam Iuriſtarum, quod à fortiori habebit locum in cauſa matrimonij, quæ eſt magis fauorabilis. 136. *Ex dictis concluditur.*

Hîc ſolent etiam aliqui tractare de intentione conditionata, an ſufficiat ad valorem Sacramenti: placet tamen conſilium P. Vaſq. *in præſenti diſp.* 138. Vaſquez. *c.* 7. *n.* 84. qui hoc ad materiam de Pœnitentia reijcit, vbi nos etiam eam quæſtionem in ordine ad omnia Sacramenta examinabimus.

SECTIO

SECTIO IX.

De obligationibus miniſtri Sacramentorum.

137. *Prima obligatio eſt non miniſtrãdi ſine poteſtate.*

PRima obligatio eſt non miniſtrandi Sacramentum abſque poteſtate, & auctoritate ſufficienti, hoc eſt, abſque poteſtate Ordinis requiſita ad valorem Sacramenti, qualis eſt ordo Sacerdotalis ad conſecrationem Euchariſtiæ, vel Extremã-Vnctionem, &c. Epiſcopatus ad conferendum Ordinem ſacrum, &c. atque etiam iuriſdictio, ſeu auctoritas, quæ aliquando requiritur ad valorem Sacramenti, vt in abſolutione Sacramentali, aliquando ad licitam adminiſtrationem, vt in Baptiſmo, Confirmatione, Extrema-Vnctione, &c. Quæ autem, & qualis ſit poteſtas requiſita in quolibet Sacramento ad validam, vel licitam adminiſtrationem illius, pertinet ad ſingula Sacramenta in particulari.

138. *Dubium.*

Dubitari ſolet, an poſſit licitè miniſter cum poteſtate non certa, ſed dubia, vel probabili, miniſtrare Sacramentum? In quo duæ ſunt ſententiæ. Prima negat, id licere; ſit enim contra reuerentiam Sacramenti, ſi exponat ſe miniſter periculo reddendi illud irritum; nam licèt in aliis materiis iudicium probabile ſufficiat ad operandum: non tamen in hac, in qua ſi reuera opinio illa probabilis falſa ſit, Sacramentum erit re ipſa inualidum: vnde nec etiam ſi opinio illa ſit probabilior, poſſumus illam ſequi, ſed ſemper illam quæ tutior eſt, & non exponit periculo Sacramenti valorem. Hanc tenent Petr. de Soto, Suarez, & alij, quos refert Thom. Sanch. *lib. 1. in Decal. c. 9. n. 15.* Secunda ſententia affirmat, dum tamen non fiat contra præceptum aliquod Eccleſiæ præſcribentis certũ ritum in Sacramentis miniſtrandis, nec ex eo ſequatur graue detrimentum illius, cui Sacramentũ confertur; tunc enim eſſet peccatum contra charitatem. Ita Vaſquez *in 1. 2. diſp. 53.* Salon. Sayrus, & alij, quos refert, & ſequitur Antonin. Diana *in Reſolut. moral. tom. 1. tract. de opinione probabili, reſol. 1.*

Petr. de Soto. Suarez. Th. Sanch. Vaſquez. Salon. Sayrus. Diana.

139. *Sententia Auctoris.*

Ego claritatis gratia diſtinguendum cenſeo; nam vel ſermo eſt de dubio proprio, quod appellari ſolet dubium negatiuum, quando ſcilicet non eſt fundamentum ad aſſenſum præbendum alicui parti: vel de dubio probabili, ſeu poſitiuo, quando vtrinque eſt fundamentum ad aſſenſum probabilem. De primo caſu non loquuntur Doctores; quare videntur omnes ſupponere, quòd tunc non liceat id facere, ſaltem regulariter loquendo. Ratio autem eſſe videtur, quia ex ipſa inſtitutione talis Sacramenti ſequi videtur præceptum non conficiendi illud, niſi cum tali materia, & forma, v. g. & circa tale ſubiectum, & tali poteſtate ex parte miniſtri: requiritur ergo ad licitè operandum iudicium aliquod ſaltem probabile, quo iudicem, hanc eſſe talem materiam, & hoc eſſe tale ſubiectum, & me eſſe talem miniſtrum. Nam ſicut, quia datur præceptum naturale non accedendi ad fœminam non ſuam, requiritur ad copulam licitam, iudicium poſitiuum, quo quis iudicet ſaltem probabiliter, hanc eſſe ſuam, nec poteſt cum mero dubio accedere: ſic cùm detur præceptum non baptizandi. V. g. niſi cum aqua naturali (quod idem eſt de poteſtate miniſtri) prærequiritur aſſenſus ſaltem probabilis, quòd hæc ſit aqua naturalis, nec poterit quis operari cum mero dubio negatiuo.

140. *In aqua reſo poteſt licitè quis vti materia dubia.*

Dixi tamen, *ſaltem regulariter* id procedere; quia aliquando propter indigentiam ſubiecti poſſet id licitè fieri, vt in extrema neceſſitate, non inuenta aqua certa, ſed liquore aliquo, de quo dubium eſſet, an eſſet aqua, nec poſſet id examinari, pone enim eſſe locum obſcurum, nec odore, aut guſtu poſſe id percipi; tunc, inquam, propter neceſſitatem proximi poſſet ſub conditione baptizari. Ratio autem eſt, quia cùm præceptum illud non baptizandi abſque tali materia, oriatur ex reuerentia Sacramenti, ne ſcilicet aliquis velit baptizare, niſi quando ſaltem probabiliter ſperat poſitiuè, & iudicat ponendum eſſe verum Baptiſmum, hinc fit, vt in prædicto caſu non obliget tale præceptum, eò, quòd ſumma indigentia proximi, cui aliter ſubuenire non poſſumus, præponderat illi reuerentiæ, & reddit licitam talem operationem propter neceſſitatem. Sicut licèt ad honeſtatem copulæ requiratur regulariter iudicium probabile, quòd illa fœmina ſit ſua, aliquando tamẽ, orto dubio de valore Matrimonij poſt illud contractum, coniux dubius, licet non poſſit petere debitũ, poteſt tamen reddere alteri coniugi habenti adhuc bonam fidem circa valorem: vt colligitur ex cap. *Inquiſitioni.*, de ſententia excommunicationis: quia nimirum præponderat illud aliud inconueniens, & neceſſitas non priuandi poſſeſſorem bonæ fidei abſque ſufficienti probatione, propter quod ſuſtinetur illa redditio abſque iudicio, & aſſenſu vllo quòd illa fœmina ſit vxor viri reddentis.

Alter coniugum dubitans de valore Matrimonij non poteſt petere debitum, ſed reddere.

141. *Poteſt licitè miniſtrari Sacramentũ quãdo vtrinque ſunt rationes probabiles.*

In ſecundo autem caſu, ſcilicet, quando eſt dubiũ poſitiuum circa poteſtatem, hoc eſt, ſunt rationes probabiles ex vtraque parte, aſſentior ſecundæ ſententiæ, & exiſtimo, ſecluſis illis duobus caſibus ibi exceptis, poſſe licitè Sacramentum miniſtrari: quia ſicut in aliis materiis ad operandum honeſtè ſufficit iudicium probabile de honeſtate obiecti, ſic in hac materia videtur ſufficere; nam ſicut lex dictat, non miniſtrandũ Sacramentum, niſi à legitimo miniſtro: ſic etiam lex naturalis dictat, non alienandam, vel deſtruendam rem, niſi à legitimo domino, non eſſe accipiendam Euchariſtiam, niſi in ſtatu gratiæ. & ſic de aliis. & tamen qui probabiliter iudicat ſe eſſe dominum, poteſt alienare rem, vel illa vti, & qui probabiliter iudicat, ſe eſſe abſolutũ, & iuſtificatum, poteſt licitè accipere Euchariſtiam; iam enim iudicat ſe dominum, vel iuſtum: ergo ſimiliter, qui probabiliter iudicat, ſe eſſe miniſtrum legitimum, poterit miniſtrare Sacramentũ: iam enim iudicat ſe habere, quod lex exigit ad illud miniſtrandum. Quando tamen eſt præceptum Eccleſiæ obligans ad ritum talem, vel ne fiat Sacramentum, niſi à tali miniſtro, aut quando ex tali Sacramento incerto proximus exponitur periculo grauis detrimenti, & aliunde poteſt illi per Sacramentum certum ſubueniri, tunc non poterit miniſtrari iuxta opinionem ſolùm probabilem, vt expreſſè fatentur prædicti Auctores, qui videri poſſũt. An verò poſſit Sacerdos audire licitè Confeſſionem cum iuriſdictione ſolum probabili, dicendum erit infrà in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.

Caſus in quo non valet ſupradicta ſententia.

De ſtatu gratiæ requiſito ad actiones ſacras exercendas.

142. *Secunda obligatio eſt quòd ſit in ſtatu gratiæ.*

Secunda obligatio miniſtri eſt, quòd ſit in ſtatu gratiæ, quoties conficit aliquod Sacramentum; circa quam obligationem non conueniunt Doctores. Nam aliqui in primis volunt, non ſolùm peccare mortaliter omnes, qui aliquod Sacramentum miniſtrant in ſtatu peccati, ſed etiam qui aliquod munus cuiuſcumque Ordinis exercent: vnde Acolythi, qui ſolemniter cereos ferunt in eo ſtatu, peccant mortaliter; quod docuit Philippus Faber *de Sacramento Ordinis, in 4. ſent. diſt. 24. q. 1. diſp. 1. cap. 3. num. 80.* & Nauartus *in Manuali, cap. 27. n. 163.* & *de horis Canonicis, cap. 7. n. 41.* qui alios afferunt, & extendunt ad canentem Capitulum, & orationem ſolemniter in Choro: quia id facit vti Sacerdos.

Philipp. Faber. Nauartus.

145. Caietan. Diana. Alij dicunt, concionantem in peccato mortali
peccare grauiter. Caietan. 2.2.q 187. *art.* 3. *& in præ-
ſenti q.* 64. *art.* 6. & alij, qoos affert Diana 2. *tom.
Reſolut. moral. tract.* 4. *de Sacramentis, reſolut* 19;. Alij
dicunt, Diaconum, & Subdiaconum miniſtrantes
Syluester. Nauar. Nugnus. Tolet. in mortali, peccare mortaliter. Ita Syluester,
Nauarrus, Nugnus, Toletus, & alij plures, quos
affert idem Diana ibi *reſol.* 195. Alij hoc limitant
ad eum caſum, quo frequenter ſaltem ita miniſtra-
Filliuc. rent in ſtatu peccati. Sic docet Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1.
cap. 7. *n.* 87.

144. Medina. *Varia ſententia.* Alij dicunt, Epiſcopum conficientem Chriſma,
aut benedicentem oleum, aut conſecrantem, ſeu
benedicentem Eccleſiam in ſtatu peccati, peccare
mortaliter. Ita Ioan Medina *Cod. de Pœnitentia, tr.* 1.
q. 6. *§. Eſſet etiam dubium.* Alij hoc ſolùm reſtringunt
ad eos, qui in ſtatu peccati miniſtrant aliquod Sa-
cramentum; vnde inferunt, Sacerdotem miniſtran-
tem Euchariſtiam étiam extra Miſſæ Sacrificium
peccare mortaliter. Ita Filliucius, & alij multi, quos
congerit idem Diana *tom.* 1. *tract. de celebrat. Miſſ.
reſol.* 25. Alij dicunt, conficientem ſaltem Sacramen-
tum quodlibet in ſtatu peccati, peccare mortaliter:
hoc tamen alij communiter limitant ad eum, qui id
facit tanquam miniſter ad id conſecratus, non verò
laicus, qui baptizat in caſu neceſſitatis, aut contra-
hit Matrimonium, licèt hic ex alio capite peccet,
quatenus in ſtatu peccati recipit Sacramentum.
Quos etiam Auctores affert, & approbat idem Diana
tom. 2. *tract.* 4. *de Sacrament. reſol.* 119.

145. *Suppoſitio.* Supponendum eſt, ad miniſtrandum, vel confi-
ciendum quodlibet Sacramentum præter Euchari-
ſtiam non requiri, vt, qui erat in ſtatu peccati, præ-
mittat Confeſſionem, ſed ſufficere contritionem.
Hoc contra Marſilium, & Adrianum probat cum
Vaſquez. communi Theologorum Vaſquez *in præſenti diſp.* 136,
c. 1. *n.* 1. *& ſeqq* quia præceptum præmittendi Con-
feſſionem ante Communionem eſt poſitiuum, non
naturæ, nec reperitur tale præceptum, Diuinum, vel
humanum in ordine ad alia Sacramenta ſuſcipien-
da vel miniſtranda. Sufficiet ergo vel confiteri, vel
conteri diſiunctim.

146. *Aſſert.* Hoc ſuppoſito, certa, & communis aſſertio eſt,
prærequiri ſtatum gratiæ in eo ſaltem, qui ex officio
conficit Sacramentum, ad quod ſpecialiter eſt con-
Probatur. ſecratus miniſter. Probatur communiter ex multis
locis Dionyſij, Gelaſij, & Gregorij, quæ tamen ſin-
Vaſquez. gula latè perpendit Vaſquez loco citato, & fatetur,
non eſſe ſatis efficacia. Ipſe verò probat ex cap. vlt.
Gregor. IX. de temporibus ordinationum; vbi Gregor. IX. (non
S. Gregor. vt falsò citat P. Coninch *in præſenti art.* 6.
dub. 1. *n.* 41.) loquens de Sacerdotibus adulteris, per-
iuris, homicidis, vel falſi teſtimonij reis, dicit, niſi ea
crimina notoria ſint, vel in iudicio comprobata,
non poſſe poſt pœnitentiam impedire, ne in ſuo
ordine miniſtrent: *Quod ſi non pœnituerint* (inquit)
*monendi ſunt, & ſub interminatione Diuini iudicij ob e-
ſtandi, vt in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis
etiam Ordinibus non miniſtrent.* Quod idem probat ex
capitulo vltimo de cohabitatione Clericorum, vbi
idem Pontifex dicit, quemlibet pro quolibet pec-
cato mortali, quoad ſeipſum, eſſe ſuſpenſum: hoc
eſt, licèt alij non debeant eum vitare, ipſum tamen
147. non poſſe in eo ſtatu miniſtrare. Sed vterque ille
textus pariter probat contra ipſum Vaſquez. Lo-
quitur enim non ſolùm de Sacerdotibus, ſed de
omnibus Clericis expreſsè; cùm tamen ipſe Vaſq.
cap. 4. doceat, Diaconum & Subdiaconum in ſtatu
peccati miniſtrantes, & exercentes actus ſuorum
Ordinum, non peccare mortaliter. Omnes ergo de-
bemus explicare illos textus, & dicere, vel non de-
cerni ibi, quòd in ſingulis actionibus ſingulorum
Ordinum factis in ſtatu peccati ſit nouum peccatū
mortale, ſed quòd ſit aliquod peccatum, & quidem
graue ex genere ſuo, quod ob timorem iudicij Diui-
ni vitandum ſit; ſaltem, quia qui eiuſmodi functio-
nes in eo ſtatu exercent, videntur in teſtimoniū ſuæ
damnationis id facere, hoc eſt, dum in ſuo miniſterio
profitentur ſanctitatem, quam debent habere, &
non habent, eo ipſo teſtantur ſe dignos eſſe con-
demnatione, ſicut reprehendens in alio vitia, quæ in
ſe habet, id videtur facere in teſtimonium ſuæ con-
demnationis, licèt in ea reprehenſione non peccet:
vel fortaſſe in illis textibus ſermonem eſſe, non de
ſingulis actionibus eorum Ordinum, ſed de toto
officio, & exercitio; quod totum abſque peccato
graui eſſe non poterat; quia iuxta antiquos Cano-
nes, qui nunc etiam ex parte obſeruantur, miniſtri
ſaltem Altaris communicabant in Miſſa ſolemni de
manu celebrantis: vt ex Canone 9. Apoſtolorum, &
decreto Anacleti Papæ, & multis Auctoribus ob-
ſeruat Suarez *diſp.* 59. *de Euchariſtia, ſect.* 3. *§. Ad ſe-* Suarez.
cundum, in quo ſenſu verum eſt, quod per quodlibet
peccatum mortale ſuſpenſi erant Diaconi etiam, vel
Subdiaconi ab exercitio ſuorum Ordinum, ſcilicet
completo, & integro.

Probari poteſt etiam ex Aug. *lib.* 2. *contra Epiſt.* 148.
Parmeniani, c. 10. *poſt medium*; vbi vniuerſaliter de *Probatur ex*
omnibus Sacramentis, & eorum collatione dicit: *Auguſtino.*
Omnia Sacramenta, cùm obſint indignè tractanti-
bus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus. Et ex
decretis Nicolai I. *in* 3. *tom. Concil tit.* 11. *c.* 5. vbi ait, Nicol. I.
Sacramenta non coinquinari à malo Sacerdote, &
ſubdit: *Idcirco ab eo, qui in iudicio Epiſcoporum repro-
batur, communio percipienda eſt; quoniam mali bona ad-
miniſtrando, ſe tantummodo lædunt:* quæ loca, licèt non
explicent malitiam peccati mortalis, ſed ſolam ma-
litiam, & culpam, ex hoc tamen infertur, hanc poſſe
eſſe culpam grauem, quando materia eſt grauis, qua-
lis videtur eſſe collatio Sacramentorum, quæ eſt res
omnium ſanctiſſima, & grauiſſima.

Hinc deſumi poteſt ratio, omiſſis aliis multis, 149.
quas refert, & refellit Vaſquez *vbi ſupra c.* 2. Ratio *Ratio eſt, quia*
itaque tota deſumi videtur ex grauitate, & ſancti- *cum miniſter*
tate illius actionis, qua Sacramenta conficiuntur, *operatur vt*
quam miniſter operatur in perſona ipſius Christi, *miniſter Chri-*
& qua media operatur ſanctitatem, & gratiam ha- *ſti, maxima*
bitualem, qua ſanctificat eos, quibus Sacramenta *indecentia eſt,*
conferūtur. Cùm enim in ordine ſupernaturali gra- *in ſtatu pec-*
tia habitualis, qua homo redditur conſors Diuinæ *cati operari.*
naturæ, & filius Dei adoptiuus, ac Princeps hæres
beatitudinis æternæ, ſupremū locum teneat, ſi vnio-
nem hypoſtaticam excipias, negari non poteſt, quòd
grauiſſimam contineat indecentiam ad eiuſmodi
actiones exercendas accedere, qua miniſter, Dei vi-
ces gerens, alios ſanctificat, gratos reddit & Filios
Dei, in ſordidiſſimo illo ſtatu peccati, & inimicitia
Dei. Sicut ſi fœmina aliqua ex Diuino beneficio
conceptura in vtero ſuo Deum hominem, auderet in
ſtatu peccati, & inimicitiæ Dei illum concipere, quis
auderet temeritatem illam à culpa graui excuſare?
Et tamen actio illius terminaretur ad ſolam huma-
nitatem generandam, non ad vnionem hypoſtati-
cam, miniſter autem Sacramenti actione ſua tendit
ad ipſam filiationem Dei producendam, & ad con-
iungendas animas ſtrictiſſimo illo gratiæ, & ado-
ptionis vinculo cum Deo. Vnde veriſſimum vide-
tur illud, quod ex Dionyſio Areopagita de Eccle- Dionyſ.
ſiaſtica Hierarchia referri ſolet: *Omnium diuinorum* Areopagita.
diuiniſſimum eſſe, cooperari Deo in ſalutem animarum.
Ideo enim Chriſtus concedens hanc poteſtatem diſ-
cipulis ſanctificandi, & iuſtificandi animas, dicit
verba

Ioan. 20. verba illa Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*, &c. quaſi neceſſarium eſſe ſignificans Spiritum ſanctum habitantem in eo, qui alios iuſtificat, & ſanctificat. Quod cum omnibus Sacramentis commune ſit (omnia ſiquidem gratiam iuſtificantem conferunt) in ſingulis conficiendis oportebit miniſtrum iuſtum, & gratum Deo eſſe, ne ſacroſanctæ actioni, quam exercet, iniuria, & irreuerentia irrogetur.

150\. *Inferitur primò hanc doctrinam locũ habere in quocũque Sacramenti miniſtro.* Hinc infero primò cum P. Vaſquez, doctrinam hanc locum habere in quocumque Sacramenti miniſtro, ſiue ſit ad hunc conſecratus, ſiue non ſit: vterque enim verè ſua actione ſanctificat animam illius, cui Sacramentum confert, & in vtroque actio habet æqualem ſanctitatem, & æquale fundamentum reuerentiæ. Neque hoc durum videri debet pro iis, qui Matrimonium celebrant: ij enim ex alio etiam capite debent eſſe in ſtatu gratiæ; quatenus ſimul Sacramentum illud ſuſcipiunt; vnde parum grauantur ex eo, quòd dicamus, eos duplici titulo debere eſſe à peccato immunes, ſcilicet vt miniſtros, & ſuſcipientes Sacramentum: ſicut & Sacerdos, dum celebrat, ex duplici etiam titulo ad id tenetur, ſcilicet, vt miniſter conficiens Sacramentum in conſecratione, & vt ſuſcipiens idem Sacramentum in ſumptione. Quare de Matrimonio ita ſentiunt Vaſquez loco citato; Baſilius Pontius *de Matrim. lib. 1. c. 8. n. 11.* Ledeſma *de Matrim. q. 42. art. 1. ad vlt. argum.* Nauarrus *in c. 1. § Sacerdos, n. 10. de Pœnitent. diſtinct. 6. & alij.* *Vaſquez. Baſil. Ponc. Ledeſma. Nauar.*

151\. *Quis excipiatur ab hac regula.* Ab hac tamen communi regula excipio illum, qui vrgente neceſſitate, Sacramentum confert, nec poteſt moraliter in eo neceſſitatis articulo, & breuiſſima morula diſponere ſe ad iuſtificationem per actum contritionis, ne interim moriatur, v.g. infans, qui iam animam agit, abſque Baptiſmo; vt fatetur Vaſquez *vbi ſuprà, c. 5. n. 40. & ſequentibus*; quia cùm Sacramenta inſtituta ſint in remedium animarum, non videtur irreuerentia, ſi in extrema illa neceſſitate, vt ſubueniatur proximo, miniſtrentur à peccatore: nam ſicut ſuprà dicebamus, poſſe in eo caſu miniſtrari cum materia, vel poteſtate dubia, quia præponderat neceſſitas præſens præcepto non conficiendi cum dubio; ſic dicendum videtur, neceſſitatem illam præponderare præcepto non conficiendi, niſi in ſtatu gratiæ, ſic enim videmus, multa fieri circa perſonam Regis, vel Principis in caſu neceſſitatis, quæ ſi extra illam neceſſitatem fierent, grauiſſimam irreuerentiam continerent. Hæc autem ratio non ſolùm probat de Baptiſmo, ſed etiam de abſolutione Sacramentali, quæ aliquando poteſt exiſtimari neceſſaria homini ad ſalutem; nec poteſt ſe Sacerdos in illa temporis anguſtia præparare per actum contritionis; & frequentius poteſt caſus in abſolutione euenire, quàm in Baptiſmo.

152\. *Diaconus miniſtrans in ſtatu peccati non peccat.* Infero ſecundò cum multis, quos refert & ſequitur idem Vaſquez, Diaconum, & Subdiaconum miniſtrantes in ſtatu peccati (quod idem eſt à fortiori de Clericis minorum Ordinum) vel Sacerdotem cantantem orationes, aut capitulum ſolemniter in Choro; aut Epiſcopum conſecrantem Eccleſiam, vel Calices, aut benedicentem Corporalia, & ornamenta ſacra; aut concionatorem prædicantem etiam ſolemniter, non peccare mortaliter: quia licèt hæ omnes ſint actiones ſacræ, atque ideo ſit aliqua irreuerentia illas exercere in ſtatu peccati, non tamen tam grauis, vt ad culpam lethalem perueniat. Aliquæ tamen ex ipſis videntur continere culpam ſaltem venialem, quidquid repugnet P. Vaſquez *num. 45.* imò legimus, aliquando grauiter Deum puniſſe eiuſmodi audaciam, prout narratur de Diacono, qui

153\. *Poteſt tamen eſſe aliqua culpa venialis.*

Specul. exempl. diſt. 9. exem. 110.

in quadam feſtiuitate coram Carolo Magno ſolemni ſacro miniſtrans, poſtquam præcedenti nocte mulierculæ impudicis amplexibus fœdatus fuerat, cum Euangelium cantare præſumeret, & poſtea manibus impuris myſteriis ſacris iuxta ſui miniſterij Ordinem miniſtrare, dum verba ſacra proferret, aranea deſuper à laquearibus Oratorij ſe per filum ſuum ſemel, ſecundo, & tertio ſuper caput eius demittens, tertia demum vice caput obſcœnum pupugit, ac ſine mora miſerum extinxit. Cuius pœnæ grauitas videtur non ſolùm arguere culpam aliquam, ſed grauem etiam in illa actione. Poteſt tamen dici, in primis Deum ſæpè punire culpam non mortalem pœna aliqua graui temporali: deinde illa potuit eſſe pœna peccati præcedentis luxuriæ, quam tamen Deus non intuliſſet, niſi adiuncta fuiſſet impudentia illa, per quam ſaltem demeruit Diaconus remiſſionem, vel dilationem ſupplicij, quod iam meruerat.

Obiicit Vaſquez; quia ſi illa actio eſt peccatum veniale, erit contra aliquod præceptum: eo autem ipſo erit peccatum mortale, nam materia de ſe grauis eſt, vt conſtat in eo, qui ſuſpenſus, vel irregularis cantat ſolemniter Euangelium, qui ſine dubio peccat mortaliter. 154. *Obiectio.* Reſpondeo tamen, peccati huius malitiam conſiſtere in exercitio actionis ſacræ irreuerenti: hæc autem irreuerentia eſt maior, vel minor, pro maiori, vel minori ſanctitate actionis ſacræ; quæ exercetur. *Soluitur.* Poteſt ergo eſſe actio aliqua in ſe grauis, & quæ grauiter poſſit prohiberi per ſuſpenſionem, vel irregularitatem: & tamen quæ in ordine ad præceptum naturale ſupradictum non ſit grauis tranſgreſſio, quia non habet in ſe tantam ſanctitatem, vt ſit grauis irreuerentia eam in peccato exercere. Sicut etiam diſtractio voluntaria per longum tempus in recitatione Officij non præcepta eſt ſolùm culpa venialis, quia continet irreuerentiam leuem contra ſanctitatem illius actionis orandi, & tamen accedente præcepto, illa diſtractio fit materia grauis, ſufficiens ad peccatum mortale.

Infero tertiò, non eſſe peccatum mortale, ſi Parochus in ſtatu peccati aſſiſtat Matrimonio: ipſe enim non conficit illud Sacramentum, ſed aſſiſtit tanquam teſtis publicus eſſentialiter requiſitus, vt contrahentes poſſint validè conficere Sacramentum. 155. *Parochus in ſtatu peccati aſſiſtens Matrimonio non peccat mortaliter.* Sic etiam videtur non eſſe peccatum mortale, ſi Sacerdos Euchariſtiam aliis miniſtret: ita Vaſquez *n. 38.* cum aliis multis, quos refert, & ſequitur Diana *tom. 1. tract. de celebr. Miſſ. reſol. 23.* *Nec Sacerdos miniſtrans Euchariſtiam in eodẽ ſtatu. Diana.* Quia tunc Sacerdos non conficit Sacramentum, nec ſanctificat, aut dat gratiam, ſed applicat localiter Sacramentum, quod ſolùm dat gratiam eodem prorſus modo, quo eam daret, ſi applicatum fuiſſet à laico, vel ab amente; aut, ſi ipſemet laicus illud acciperet de altari: & licèt actio illa porrigendi Sacramentum ſit aliquo modo ſancta, & exigat aliquo modo ſanctitatem miniſtri, non tamen ita grauiter, vt actio, qua conficitur Sacramentum, per quam miniſter ſanctificat, & cauſat gratiam, vt dictum eſt.

Infero quartò, Epiſcopum conſecrantem Chriſma, & benedicentem oleum infirmorum in ſtatu peccati, peccare mortaliter. 156. *Epiſcopus conſecrans Chriſma in ſtatu peccati peccat mortaliter.* Hoc eſt contra Vaſquez *cap. 4. n. 48.* qui eodem modo loquitur de conſecratione Eccleſiæ, ac de conſecratione Chriſmatis. Ego tamen iuxta ſuprà dicta magnum diſcrimen inuenio; nam conſecratio Eccleſiæ, vel aræ, aut calicis (& idem eſt de benedictione Corporalium, veſtium ſacrarum, &c.) non ſunt actiones verè Sacramentales, quibus vllo modo conficiatur Sacramentum, quales ſunt conſecratio Chriſmatis, & benedictio olei; per quas licèt non perficiantur Sacra-

menta Confirmationis, vel Extremæ-Vnctionis incipiunt tamen fieri per illas. Suppono enim, materiam Confirmationis eſſe chriſma ab Epiſcopo conſecratum, & materiā Extremæ-Vnctionis eſſe oleum benedictum: ipſa ergo conſecratio, vel benedictiò conſtituit materiam illam in ratione materiæ; atque adeò, ſicut forma aquæ conſtituit aquam in ratione materiæ Baptiſmi, ſic conſecratio illa conſtituit materiam illorum Sacramentorum in ratione materiæ validæ. Sicut ergo conſecratio Euchariſtiæ requirit in omnium ſententia ſtatum gratiæ, quando fit, licèt tunc non applicetur Sacramentum, quia nimirum tunc Sacerdos ponit materiam proximam Sacramenti Euchariſtiæ, quæ poſtea, quando applicatur, dat gratiam; ſic videtur dicendum de conſecratione Chriſmatis, per quam Epiſcopus ponit materiam Sacramenti, quæ poſtea dat gratiam. Nam ſi res attentè conſideretur, poſtea non datur gratia ſolùm intuitu verborum; vel actionis Epiſcopi, aut Preſbyteri vngentis, ſed etiam intuitu Chriſmatis, vel olei, vt benedicti ab Epiſcopo; atque adeò intuitu benedictionis præteritæ; ergo illa actio Epiſcopi benedicentis partialiter concurrit ad gratiam, quæ nunc non datur intuitu ſolùm olei ſecundùm ſe, ſed olei vt benedicti, hoc eſt, olei, & benedictionis: ergo Epiſcopus benedicens non minùs ſua actione concurrit ad ſanctificationem eorum, qui vnguntur, quàm Epiſcopus, vel Preſbyter vngens; atque ideo non minùs requiretur gratia in illo, quàm in his, ſed eò magis, quò illa vnica actio benedictionis eſt cauſa vniuerſalior extendens ſe ad ſanctificationem plurium; cùm hæc actio vngendi non ſe extendat niſi ad ſanctificationem vnius in particulari.

Probatur à pari.

157. *An ſacerdos debeat eſſe in gratia, ſolùm quando abſoluit, vel etiā cum audit peccata.* Infero quintò, quid dicendum ſit de Sacerdote audiente Confeſſionem, an ſcilicet debeat eſſe in gratia, ſolùm quando abſoluit, an etiam dum audit peccata? Videtur enim vtroque tempore requiri ſtatum gratiæ, quia vtraque eſt actio Sacramentalis, cùm non minùs Sacerdos conſecretur ad audiendam Confeſſionem, quàm ad abſoluendum: vtrumque enim facit vt iudex, & audire, & iudicare; & Sacramentum non ſolùm fit, quando profertur abſolutio, ſed etiam quādo fit confeſſio, quæ eſt pars intrinſeca Sacramenti; ergo ſacerdos audiendo peccata ponit aliquam partem Sacramenti. Et confirmatur, quia ſi illa auditio non eſſet actio ſacerdotis, vt ſacerdos eſt, poſſet aliquis Diaconus audire confeſſionem, & eâdem die accepto ſacerdotio, dare abſolutionem illi pœnitenti abſque vlla prorſus confeſſione noua, aut repetitione peccatorum illorum: quod tamen nemo concedet; quia nimirum auditio etiam, vt ſit valida, requirit poteſtatem ſacerdotis audientis. Ideo hanc ſententiam docent aliqui, quos affert Diana *tom.* 1. *tract. de Circumſtantiis aggrauantibus*, *reſolut.* 47. quibus addi poteſt P. Ludouicus de Ponte *tom.* 4. *de Chriſtiana perfectione*, *tract.* 5. *c.* 3.

Diana. Ludouicus de Ponte.

158. *Sententia Authoris.* Verius tamen exiſtimo, non eſſe peccatum mortale audire præcisè confeſſionem in peccato, dummodo quis habeat propoſitum confitendi, vel habendi actum contritionis, antequam proferat verba abſolutionis; vt docet Henriquez *lib.* 6. *c.* 18. *n.* 6. *in Gloſſa littera V.* & Diana *loco citato*, qui id probat ex eo, quòd tunc ſacerdos non adminiſtrat Sacramentum, ſed ſolùm quando abſoluit. Verùm de hoc ipſo reddenda eſt ratio; nam aduerſarij dicunt Sacramentum non ſolùm adminiſtrari, quando profertur forma, ſed etiam quando apponitur materia, vt conſtat in Baptiſmo, Vnctione, & aliis: quæ non ſolùm miniſtrantur, quando proferuntur verba, ſed etiam quando fit ablutio, vnctio, &c. ergo in Sacramento Pœnitentiæ idem dicendum erit.

Henriq. Diana.

Ratio ergo à priori, ex qua oritur diſcrimen ab aliis Sacramentis, hæc eſſe videtur, quòd ſacerdos audiendo confeſſionem, non agit, ſed habet ſe paſſiuè; cuius ſignum eſt, quòd etiamſi ſacerdos præter intentionem audiret peccata alicuius ſubitò accuſantis ſe apud ipſum, & petentis abſolutionem, poſſet proculdubio illum abſoluere: auditio ergo, licèt ſit aliquo modo actus iudicialis latè ſumpto nomine *actus*, non eſt actio tamen ſtrictè Confeſſarij, ſed effectus actionis pœnitentis terminata ad Confeſſarium iudicem, qui habet ſe paſſiuè, & ideo non prærequiritur intentio Confeſſarij, ſed pœnitentis, cuius eſt illa actio: & propter eandem rationem non requiritur ſtatus gratiæ in ſacerdote, quia tunc non agit, ſed patitur à pœnitente, vt poſſit poſtea agere, & abſoluere ipſum. Ex quo patet reſponſio ad argumentum ſuprà adductum pro contraria ſententia. Fatemur enim, requiri poteſtatem in Confeſſario, vt auditio illa ſit valida, & pars Sacramenti Pœnitentiæ: quia debet confeſſio fieri iudici, & ab eo audiri: hoc tamen non probat, illam eſſe actionem iudicis, per quam ſacerdos agat, & operetur gratiam. Sicut etiam nunc vt Sacramentum Matrimonij ſit validum, debet fieri apud Parochum, vel eius locum habentem: ipſe tamen Parochus non agit, aut operatur gratiam illius Sacramenti, ſed habet ſe paſſiuè, vt teſtis audiens conſenſum vtriuſque coniugis, qui non erit validus, niſi exprimatur apud Parochum. Sic confeſſio non erit valida, niſi fiat apud iudicem: iudex tamen non agit, nec operatur gratiam, quatenus audit, ſed quatenus operatur proferens ſententiam abſolutionis. 159. *Ratio à priori.*

Magis dubitari poteſt, an debeat ſacerdos eſſe in ſtatu gratiæ tunc etiam, cùm imponit pœnitentiam Sacramentalem, ſed ſatisfactionem: tunc enim iam incipit proferre ſententiam, & agere vt iudex, ac ponere partem aliquam illius Sacramenti. Et quidem, ſi vera eſſet ſententia, quæ docet pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem etiam Sacramentalem, quando impletur, operari ex opere operato non ſolùm remiſſionem pœnæ temporalis, ſed etiam augmentum gratiæ habitualis; conſequenter dicerem, illa verba Sacerdotis imponentis pœnitentiam concurrere ad conficiendum Sacramentum in ratione ſanctificantis, & producentis gratiam, atque ideo requirere in miniſtro ſtatum gratiæ, vt debitè proferantur, nec poſſe abſque graui culpa proferri in ſtatu peccati. Si verò ſupponatur, ſatisfactionem Sacramentalem conferre ex opere operato ſolùm ad remiſſionem pœnæ temporalis, non ad augmentum gratiæ, tunc probabilior eſſet pars oppoſita: non enim manet illa actio tam ſancta, & excellens, ſicut ſunt actiones aliæ, quibus confertur gratia habitualis, licèt ponat aliquam partem integrantem Sacramenti: quare ſicut Pontifex vel Epiſcopus concedens Indulgentiam, non debet ſub culpa mortali eſſe priùs in ſtatu gratiæ, quia per illam actionem, & conceſſionem ſolùm liberat à reatu pœnæ; ſic de Sacerdote, quando imponit ſatisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ, videtur dicendum propter eandem rationem. Quæ autem ex illis duabus ſententiis verior ſit, dicemus agentes de ſatisfactione Sacramentali. 160. *Dubium.*

Infero ſextò, Sacerdotem celebrantem in peccato mortali, non ſatisfacere dicendo in Confeſſione, ſe accepiſſe Sacramentum in ſtatu peccati: habet enim illud peccatum non quidem tres malitias, vt volunt aliqui relati à Diana 1. *tom. tract. de celebrat. Miſſ. reſolut.* 24. nec ſolùm vnam, vt ipſe cum aliis inſinuat, ſed duas; alteram ſuſcipiendi Sacramentum, alteram conficiendi, in ſtatu peccati; in quibus includitur malitia offerendi, cùm oblatio non diſtinguatur 161. *Sacerdos celebrans in peccato mortali non ſatisfacit dicendo ſe accepiſſe Sacramentū in ſtatu peccati.*

à

à conſecratione & ſumptione, vt ſuppono. Oportet ergo explicare vtramque illam malitiam, dicendo, ſe celebraſſe Miſſam in ſtatu peccati. An verò audiens in peccato plures confeſſiones ſucceſſiuè vnam poſt aliam, committat plura peccata, ita vt debeat explicare, ſe audiſſe tot confeſſiones; an verò ſufficiat dicere, ſe miniſtraſſe illud Sacramentum in ſtatu peccati, pertinet ad quæſtionem de vnitate, & diſtinctione numerica peccatorum. Videri poteſt idem Diana plures ſententias referens *tom. 1. tract. de circumſtantiis aggrauantibus, reſol. 43.*

Tertia obligatio miniſtri eſt, non mutandi formam, aut materiam debitam Sacramenti, de qua diximus ſufficienter ſuprà *diſp. 2. ſect. vlt.* vbi vidimus, quæ mutatio eſſet ſubſtantialis, quæ ſolùm accidentalis; & quomodo poſſit in tali mutatione interuenire peccatum graue, &c.

SECTIO X.

De obligatione Miniſtri non miniſtrandi Sacramentum indigno; vbi peculiariter de peccatore occulto in publico petente.

162. *Status quæſtionis.* NOmine *indigni* non intelligimus eum, qui non eſt capax Sacramenti: nam huic certum eſt, nullo caſu poſſe conferri; v.g. ordinare non baptizatum, vel abſoluere non diſpoſitum. Hoc enim eſſet, ſicut ſi aliquis conſecrare vellet in aqua loco vini; vel baptizare cum oleo loco aquæ, quod ſemper eſt intrinſecè malum. Nunc ergo per *indignum* ſolùm intelligimus eum, qui recipit quidem verum Sacramentum, ſed non gratiam ſacramenti. Quæſtio hæc tractari ſolet inferiùs de Sacramento Euchariſtiæ, an peccatori publico, vel occultò danda ſit, vel neganda Euchariſtia in publico, vel in occulto. Sed re vera communis eſt difficultas de omnibus Sacramentis; quare magis opportunum videtur, ſi in hoc loco de omnibus ſemel examinetur.

163. *Primum quod ſupponitur.* Supponenda ſunt aliqua facilia. Primum eſt, miniſtrum, quando ſaltem commodè poteſt, debere vitare peccatum indignæ ſumptionis, atque ideo vitare, quòd alius indignè accipiat Sacramentum. Hæc enim eſt lex generalis, qua obligamur ad vitanda, & impedienda peccata proximorum, ſi commodè poſſumus. Hæc autem obligatio præciſa non vrgeret ad impediendum, ne ille alius impediat Sacramentum cum indignitate materiali; vt cùm inuincibiliter ignorat, ſe eſſe indignum, vel ſe peccare accipiendo Sacramentum in eo ſtatu, tunc enim non eſt periculum peccati in accipiente, quod me obliget ad impediendum illud. Dixi tamen, hanc obligationem præciſam ad hoc non ſufficere: aliunde enim poterit eſſe obligatio id procurandi, ſcilicet ex eo, quòd debeat miniſter ob reuerentiam Sacramenti illud non conferre ſubiecto incapaci fructus ipſius Sacramenti, vt ſtatim dicemus.

164. *Secunda ſuppoſitio.* *Suarez.* Secundò ergo ſupponimus, miniſtros Sacramentorum regulariter, & per ſe loquendo, obligari ad non miniſtrandum indignis. Ita Suarez cum aliis *in præſenti diſp. 18. ſect. 1.* quia cùm ſint diſpenſatores Sacramentorum, eo ipſo debent procurare, vt fideliter, & iuxta eorum exigentiam diſpenſentur. Exigunt autem Sacramenta non fruſtrari, nec defraudari ſuo effectu, atque adeò non ſuſcipi ab iis, qui non poſſunt conſequi gratiam Sacramentalem. Dixi tamen, *per ſe, & regulariter*; quia de Sacramento Matrimonij eſt ſpecialis difficultas inferiùs tractanda; & quia per accidens aliquando excuſatur miniſter dando Sacramentum indigno propter neceſſitatem, vel alias rationes ſtatim explicandas.

165. *Tertia ſuppoſitio.* Tertiò ſupponimus, nunquam licere miniſtro inuitare, aut ſuadere alicui poſitiuè, vt accipiat Sacramentum, quando is abſque nouo peccato id accipere non poteſt: hoc enim eſſet directè inuitare, & mouere ad peccandum, quod nunquam licèt. Obiici ſolet, Chriſtũ inuitaſſe omnes Apoſtolos ad Euchariſtiam accipiendam verbis illis: *Accipite, & comedite. Bibite ex eo omnes*; inter quos erat Iudas in ſtatu peccati. Varias ſolutiones affert Suarez *diſp. 67. de Euchariſt. ſect. 1.* quæ adhiberi ſolent, quæ omnes difficiles ſunt. Faciliùs dici poteſt, Chriſtum non inuitaſſe Iudam ad actionem aliquam, quam ille abſque peccato facere non poterat, ſed ad actionem ex ſe bonam, & quam ipſe Iudas tunc bene exercere poterat diſponendo ſe per veram pœnitentiam, & dolorem de peccato: tunc enim nondum inſtituto Sacramento Pœnitentiæ, non prærequirebatur alia diſpoſitio ad Euchariſtiam, niſi interna pœnitentia. Non ergo obſtat factum illud Chriſti doctrinæ noſtræ, quod nunquam liceat inuitare ad recipiendum Sacramentum, quod hic, & nunc abſque nouo peccato recipere non poteſt ille, quem inuitamus.

166. *Primum dubium.* His ſuppoſitis, multa ſunt dubia, & difficilia. Primum eſt, vtrùm publico peccatori petenti Sacramentum negandum, vel conferendum ſit? Hoc dubium tractari ſolet de Sacramento Euchariſtiæ cum S. Thoma infrà *q. 80. art. 6.* vbi communis ſententia Theologorum omnium docet, eſſe negandum, ſiue publicè petat, ſiue ſecretò. Tunc enim potiſſimùm procedit præceptum Chriſti Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus*: & reuerentia circa Sacramentum, ac debitum fideliter, & prudenter miniſtrandi hoc exigit, cùm abſque noua infamia illius publici peccatoris poſſit miniſter conſulere reuerentiæ, ac fini ipſius Sacramenti. Teſtimonia Conciliorum, & Patrum, quæ hoc probant, videri poſſunt apud Suarez loco citato, & alios recentiores ibidem. Quis autem ſit cenſendus publicus peccator, explicat latè idem Suarez. *S. Thom.* *Communis ſolutio.* *Matth. 7.*

167. *Idem dicendum eſt de aliis Sacramentis.* Hæc doctrina, quæ de Euchariſtia ab omnibus traditur, eodem modo aliis Sacramentis applicari debet, de quibus procedit eadem ratio, & in aliquibus maior: nam abſolutio Sacramentalis non ſolùm in publico, ſed etiam in occulto neganda eſt indigno, vt conſtat. Sacramentum etiam Ordinis à fortiori negari debet magis, quàm Euchariſtia; nam hoc non eſt debitum omnibus, ſicut Euchariſtia, ſed datur iis, quos Prælati dignos inueniunt, & eligere volunt: ad quam electionem non ſolùm vti poſſunt notitia publica, ſed etiam ſecreta, & inquirere occultè de moribus, & vita Ordinandorum: ſicut ad alia munera, & officia humana, & politica, quæ minoris momenti ſunt, fieri conſueuit. In Matrimonio autem, quia irregulare eſt, alia procedit ratio inferiùs explicanda.

168. *Dubium ſecundum de peccatore occulto.* Dubitatur ſecundò, vtrùm peccatori occulto publicè petenti conferendum ſit, vel negandum Sacramentum? Hoc etiam dubium latè tractatur circa Sacramentum Euchariſtiæ, de quo aliqui dicunt, non poſſe quidem negari à Parocho, vel eius Vicario, à quo ille alius habet ius petendi, debere tamen negari à non Parocho, qui non habet obligationem miniſtrandi Sacramentum. Ita Angelus verbo *Euchariſtia 3. num. 19.* Alij addunt, idem eſſe quando peteret à Parocho, ſed non in tempore, quo Parochus debeat dare Euchariſtiam. Affertur Paludanus *in 4. d. 9.* Durandus, Gabriel, Richardus, Adrian. *quodlib. 3. punct. 3.* Sylueſter verbo *Euchariſtia 3. num. 7. particula 5.* vbi id refert ex Palud. & non impugnat *Angelus.* *Paludan.* *Durand.* *Gabriel.* *Richard.* *Adrian.* *Syluester.*

N. 167. Communis Reſponſio.

impugnat. Nauarr. *in Manuali, c.* 21. & aliqui alij. Cæteri tamen abſolutè & abſque diſtinctione dicunt, cuicumque peccatori occulto petenti publicè non eſſe negandam Euchariſtiam; quam etiam ſententiam docent Suarez, & Vaſquez locis citatis, & alij Recentiores communiter; & colligitur ſaltem à ſimili ex Concil. Africano *can.* 99. relato in cap. *placuit* 6. *q.* 2. vbi præcipitur communicatio cum eo, cum quo Epiſcopus ſuus non vult communicare propter delictum ſibi ſoli cognitum.

Suarez. Vaſquez. Conc. Afric.

Rationes reſponſionis.

Rationes autem plures afferri ſolent, quæ difficilè id probant. Prima eſt, quia ex negatione Euchariſtiæ ſequeretur ſcandalum in populo. Hæc tamen ratio parum probat; quia ſi nomine *ſcandali* intelligas verum ſcandalum, ſeu occaſionem peccandi, hæc certè non oritur ex eo, quod videant alij, hunc expelli ob ſua peccata à communione. Si verò eo nomine intelligas admirationem populi, hoc non eſt tanti faciendum, vt idcirco permitti debeat irreuerentia tanti Sacramenti. Adde, poſſe ſæpè obuiari illis ſcandalis; quo ſaltem caſu deberet Sacramentum in publico negari.

169. *Secunda ratio.* Secunda ratio eſt, quia quilibet baptizatus habet ius ad illud Sacramentum, quo iure priuari non debet, quandiu delictum eſt occultum. Sed contra; quia peccator in ſtatu peccati nullum habet ius ad illud Sacramentum; ergo neque ad petendum illud; ergo ſi ego ſcio, illum nullum habere ius, non infero iniuriam negando id, ad quod non habet ius.

Suarez. Ideo P. Suarez *loco citato ſect.* 4. cum aliis addit, illum; qui eſt publicus diſtributor bonorum communium in Republica, non poſſe in eorum diſtributione publica vti ſcientia priuata, ſed publica, propter multa, & grauia inconuenientia, quæ ſequerentur, ſi poſſet vti ſcientia priuata: poſſent enim miniſtri facilè infamare, quos vellent, fingendo eorum delicta, poſſent fideles formidare, & ob metum illius periculi abſtinere ab alia menſa: quare licèt peccator non habeat ius ad Sacramentum, habet tamen ius, ne repellatur, niſi ob peccatum publicum. Sed illud vniuerſale principium, quod hæc ratio aſſumit, non videtur verum. Nam alij, quibus ex ſuo munere in Republica incumbit diſtribuere bona vel officia, ius habent ad repellendos eos, quos ex ſcientia priuata norunt indignos. Sic Epiſcopus poteſt negare ordinationem, vel beneficium ei, quem certò cognoſcit indignum, licèt ea indignitas antea non eſſet publica, ſibi enim imputet, qui, cùm indignus eſſet, acceſſit ad petendum.

Destruitur principium Suarez.

170. Propter hæc non deſunt recentiores aliqui, qui hoc ius agnoſcunt etiam in Sacerdote miniſtrante Euchariſtiam, quoties indignitas, licèt ſit occulta, talis tamen eſt, de qua Sacerdoti conſtat per duos, vel tres teſtes irrefragabiles: tunc enim ſiue ſecretò, ſiue publicè petat peccator, debet Sacerdos negare; is enim ſemper operatur vt iudex, & miniſter publicus: quare ſicut iudici ſufficit notitia talis ad repellendum iniuſtè petentem rem non ſuam, ſic ſufficit Sacerdoti, vt debeat repellere petentem Sacramentum indignè, ad quod nullum habet ius. Vnde è contra, licèt indignus occultè petat Euchariſtiam, Sacerdos non poteſt occultè eam negare, niſi notitiam talem habeat de delicto per teſtes irrefragabiles ſufficientes ad probationem iuridicam: quia vbicumque Sacerdos miniſtrat, ſiue in publico, ſiue in ſecreto, ſemper ſe gerit vt publicus miniſter, & iudex, quia ex ſcientia iuridica poteſt, & debet procedere, non ex priuata. Denique addunt, hoc debere intelligi de Parocho, vel Viceparocho miniſtrante ex debito ſuo. Alij verò miniſtri non proprij, ſed liberi, licèt peccatum non ſciant notitia illa iuridica, ſed alia quacumque certa, (dum ſit extra Confeſſionem) poterunt, imò & debebunt ſaltem ſecretò petenti negare: quod etiam probabile exiſtimant in publicò: quia tunc non fit contra ius aliquod petentis, cùm non habeat ius petendi, niſi à Parocho, qui ex officio debet miniſtrare. Deberet tamen Sacerdos, quantum poſſet, vitare infamiam illius, etiam cum aliquo ſui detrimento, v.g. nolendo tunc alicui communionem dare, fingendo ſe fatigatum, aut occupatum: licèt idcirco durior fortaſſe æſtimaretur. Quod ſi id fieri non poſſet, neganda eſſet Euchariſtia, licèt ex eo infamia petentis ſequeretur: magis enim tenetur Sacerdos ad defendendum Sacramentum, & eius reuerentiam, quàm ad vitandam infamiam iniuſtè petentis, qui ſibi imputet, cùm petat indignè.

Hæc ſententia procedit quidem conſequenter; ſed adhuc regula illa, quam ſtatuit, difficilis eſt, & contra communem Theologorum ſenſum. Primò, quia ſi Sacerdos in eo actu debet procedere vt iudex, & per notitiam iuridicam: ergo poterit, & debebit inquirere, maximè quando eſt ratio dubitandi: quod quidem magnam difficultatem, & perplexionem afferret Sacerdoti. Dicunt non teneri ad hoc: quia cùm in eo caſu ſolùm agatur de actu poſſeſſorio, non eſt deturbandus aliquis à poſſeſſione iuris ad communionem, in qua eſt, niſi ſit plenè conuictus, ſed contra: quia de hoc ipſo deberet inquirere, an hic ſit in poſſeſſione illius iuris. Supponimus enim, per peccatum deperdi ius petendi Euchariſtiam: idem ergo eſt dubitare de ſtatu peccati, & dubitare an perdiderit poſſeſſionem illius iuris petendi: quare ſi eſt iudex, debebit inquirere ſaltem de poſſeſſione illius iuris. 171. *Regula illa recentiorum difficilis eſt.*

Secundò ſequitur ex illa regula: ſi Sacerdos certò ſcit, aliquem dignum eſſe, debere tamen negare etiam in publico, vel occulto Euchariſtiam, ſi duo, vel tres falſi teſtes affirment de illo aliquod delictum occultum: magis enim debet ſequi notitiam illam iuridicam, ſi operatur vt iudex, quàm propriam. Vnde tertiò ſequitur, ſi ex duobus teſtibus notum ſit Sacerdoti delictum in alio regno, vel prouincia ab hoc homine patratum, licèt id in hoc loco ſit omnino occultum, debere negare communionem publicè petenti; iam enim habet notitiam iuridicam ſufficientem ad iudicandum: quæ tamen omnia ſunt contra communem ſenſum Theologorum, vt conſtat. 172.

P. Vaſquez *diſp.* 209. *de Euchariſt. c.* 3. rationem huius communis doctrinæ explicat ex eo, quòd Sacramentum inſtitutum ſit in vtilitatem hominum: atque ideo præferenda eſt vtilitas ſumentis, & conſeruatio eius famæ obligationi religionis de dignè tractando Sacramento: ſicut ſuprà diximus; poſſe aliquem licitè in caſu neceſſitatis baptizare infantem moribundum in ſtatu peccati, quia non cenſetur indignè miniſtrare Sacramentum ob inſtantem neceſſitatem paruuli periclitantis, in cuius remedium baptiſmus inſtitutus eſt à Chriſto. Quamvis ergo maius ſit religionis præceptum, quàm iuſtitiæ, & ideo videretur minor ratio habenda de fama proximi conſeruanda, quàm de tractando indignè Sacramento: illa tamen regula hic non habet locum, quia re vera non concurrunt duo præcepta, ſed vnum ſolum de non infamando proximo: Præceptum enim religionis non eſt non dandi Sacramentum indigno, ſed ſolùm non dandi indigno abſque iuſta neceſſitate, qualis interuenit in hoc caſu. 173. *Vaſquez.*

Hæc ratio, niſi magis explicetur, adhuc videtur relinquere rem difficilem. Primò, quia ſi ego ſciam aliquem petere Euchariſtiam ad conculcandum 174. *Hæc ratio relinquit adhuc rem difficilem.*

illud

illud Sacramentum, non poſſum etiam in publico miniſtrare; & licèt Sacramentum inſtitutum ſit in vtilitatem hominum; debeo tamen præferre reuerentiam Sacramenti famæ petentis, & non curare de infamia illius, dum Sacramenti reuerentiam defendam: ergo & in noſtro caſu debeo præferre reuerentiam Sacramenti, quod indignè tractatur ab indignè petente, licèt id fieri non poſſit abſque iactura famæ; vel reddenda eſt alia ratio magis ſpecialis, cur vtilitas petentis in hoc caſu præferenda ſit.

175\. *Nec ſatisfacit id quod dicebat Vaſquez.* Similiter non videtur ſatisfacere id, quod dicebat P. Vaſquez, in hoc caſu non concurrere duo præcepta, eò quòd præceptum religionis non ſit vniuerſale non dandi indigno, ſed non dandi abſque neceſſitate rationabili: hoc, inquam, non ſatisfacit, quia ea ratione dici poteſt, nunquam poſſe concurrere duo præcepta duarum virtutum. Nam ſi in aliquo caſu id poſſet fieri, maximè in illo, quem ipſe ibi affert, cum aliquis dubitat de Matrimonio cum aliqua à ſe inito, an validum ſit, quo caſu debet petenti reddere debitum coniugale: concurrunt enim duo præcepta; alterum caſtitatis, non accedendi ad non ſuam, alterum iuſtitiæ, non lædendi ius alterius petentis, quod ſuum eſt, quæ iuſtitiæ virtus, quia dignior eſt, præferri debet præcepto ex caſtitate: vtrumque tamen præceptum videtur tunc concurrere. Cæterùm neque in eo caſu videntur magis concurrere præcepta illa, quàm in noſtro: nam ſicut in noſtro dicit P. Vaſquez, non concurrere præceptum religionis, quia hoc non eſt vniuerſale non miniſtrandi vnquam Sacramentum indigno, ſed ſolùm non miniſtrandi, abſque vrgente cauſa, & neceſſitate, &c. ſic in illo alio caſu dici poteſt, non concurrere præceptum caſtitatis; hoc enim non eſt vniuerſale nunquam accedendi ad illam, quam non ſcit eſſe ſuam, ſed ſolùm eſt non accedendi, niſi vrgeat ratio fortior propter periculum lædendi ius alienum: certum enim eſt, quòd virtus caſtitatis non obligat in illo caſu, & per conſequens, quòd eius præceptum non erat vniuerſale ad omnes caſus, ſed limitatum, ita vt non comprehenderet illum: ergo tunc non magis concurrit præceptum caſtitatis, quàm in noſtro caſu concurrat præceptum religionis.

176\. *Hæc igitur ratio deſumpta ex obligatione non lædendi famam, omnium eſt optima, & melius explicatur.* Ego quidem fateor, nullam eſſe meliorem rationem huius communis doctrinæ, quàm illam, quæ deſumitur ex obligatione non lædendi famam proximi, cuius delictum occultum eſt; ſed hæc ratio videtur magis explicanda, vt vim aliquam habeat. Et quidem priùs dicemus, quomodo conducat ad miniſtrandum Sacramentum Euchariſtiæ, de quo, vt diximus, ſolet communiter diſputari; poſtea videbimus, an eadem doctrina in cæteris Sacramentis locum habeat. *Vnde oriatur præcipua difficultas.* Præcipua autem difficultas oritur ex ſuprà adducto exemplo, quando ſcio intentionem ſecretam alicuius petentis in publico Euchariſtiam, ad conculcandam, & comburendam illam; in quo caſu etiam cum eius infamia poſſum, & debeo negare Sacramentum; cur ergo idem non dicitur, quando ſcio indignitatem ſecretam illius, qui publicè petit, cùm non ſit minùs indecens mittere Sacramentum illud in cor ſordidum, & peccatis pollutum, quàm in ſterquilinium vel ignem? Confirmarique poteſt, quia ad tuendam vitam, vel famam innocentis, poſſum aperire crimen occultum volentis illi inferre iniuriam, quando alio modo non poſſum illam iniuriam impedire: ergo à fortiori ad tuendum honorem, & cultum Euchariſtiæ, cuius iniuriam alio modo impedire non poſſum, licebit repellere volentem indignè ſumere, etiam cum eius infamia.

177\. *Pro ſolutione aduertendum.* Pro huius difficultatis ſolutione aduertendum eſt, legem charitatis erga Deum, vel religionis, ſeu reuerentiæ erga ipſum aliquando quidem obligare ſpecialiter ad tuendum honorem illius; tunc ſcilicet, quando ex facto alicuius patitur detrimentum notabile; vt ſi aliquis, v.g. publicè irrideat, & blaſphemet contra Chriſtianam Religionem, atque ea de cauſa apud auditores detrimentum notabile ſubeat, ac contemptui ſubiaceat Diuina fides, eiuſque cultus: tunc enim pro viribus debet vnuſquiſque Dei cauſam ſuſcipere, eiuſque honorem tueri ex obligatione charitatis, & religionis. Hæc tamen obligatio non inuenitur, quoties aliquod peccatum mortale ab alio committitur; tum quia non omne peccatum mortale fortaſſe continet iniuriam, & contumeliam grauem Dei, licèt ſemper habeat rationem offenſæ grauis, vt notaui *tom. præcedent. de Incarnat diſp. 3. ſect. 7.* tum etiam, quia licet aliquibus peccatis grauiter peccetur contra Dei reuerentiam, non tamen eſt tam irreuerentia poſitiua, vt ita dicam, quàm negatiua, ſeu defectus reuerentiæ debitæ, in quo eſt magna differentia: *Alia eſt irreuerentia poſitiua, alia negatiua.* aliud enim eſt, non exhibere totum cultum debitum alicui; aliud verò poſitiuè illi contumeliam inferre. Per illud prius non reddimus, quod debemus: per hoc poſterius auferimus, quod ille habet; volumus enim inhonorare, ſeu tollere honorem, quem habebat. Certum autem eſt, maximam eſſe differentiam in materia iuſtitiæ inter eum, qui non ſoluit quod debet, & eum, qui poſitiuè vult auferre quod habeo: illum enim primum non poſſum auctoritate priuata compellere per vim ad ſoluendum, hunc verò ſecundum poſſum vi repellere, etiamſi opus fuerit aliquando vulnerando, vel occidendo. Grauior ergo multò eſt inhonoratio poſitiua, quàm negatiua, ſeu quæ non exhibet totum honorem debitum: grauiùs offendit Regem, qui ei alapam daret, quàm qui non genuflexus, ſed ſolùm ſtans ſalutaret: hic enim non inhonoraret poſitiuè, ſed non honoraret quantum deberet; ille verò poſitiuè inhonoraret, & contumelia grauiſſima afficeret. Fateor quidem, poſſe aliquando illas eaſdem actiones negatiuas exerceri, & aſſumi ad poſitiuè inhonorandum, & ad contumeliam; vt cùm quis ex induſtria non aperit caput, vel titulum inferiorem tribuit, aut verbis communibus ſalutat eum, cui ſuperiorem titulum, vel aliis verbis ſalutationem debuiſſet, & hoc ad inhonorandum illum: hæc enim tunc eſſet inhonoratio poſitiua: quando tamen hæ actiones non fiunt ad hunc finem, tunc non ſunt inhonoratio poſitiua, ſed negatiua: quæ licèt ſit iniuria, eſt tamen inferioris rationis, vt diximus.

178\. *Ratio à priori.* Ratio autem à priori eſt, quia ſicut actio externa cultus, & honoris habet hoc ex voluntate interna, qua volumus per illam actionem ſignificare noſtram ſummiſſionem internam, vt diximus tomo de Incarnatione agentes de eſſentia adorationis; ſic actio externa inhonorandi debet procedere ex voluntate interna ſignificandi contemptum internum: aut certè debet eſſe actio ex ſe ordinata ad hoc ſignificandum, vt ſit ſaltem inhonoratio poſitiua externa. Hinc fit, vt alapa, vel conculcatio ſit inhonoratio poſitiua, quia ſignificant contemptum internum: negatio autem totius honoris debiti non ſemper ſignificat contemptum; imò ſi aliquem honorem exhibemus, ſignificamus ſummiſſionem internam, non tamen ſignificamus totam ſummiſſionem, quam deberemus ſignificare; & in hoc conſiſtit iniuria, quòd non exhibeamus tantam ſignificationem ſummiſſionis, quantam deberemus exhibere; aliquando verò illam negationem aſſumi-

mus ad ſignificandum contemptum ; vt quando ſalutamus verbis communibus perſonam ſuperiorem ad oſtendendos nos ei æquales ; & tunc illa actio non ſolùm habet malitiam negationis honoris debiti, ſed etiam inhonorationis poſitiuæ, per quam intendimus lædere honorem illius.

179. *Hinc iam colligitur Reſponſio.* Hinc iam ad noſtrum propoſitum apparet differentia inter illum, qui peteret Euchariſtiam ad conculcandum, & illum, qui ſolùm peteret indignè : ille enim prior eſſet inhonoratio poſitiua ; qua ille poſitiuè vellet auferre honorem Sacramenti, atque adeò debet repelli etiam cum infamia, tanquam iniuſtus aggreſſor ; qui autem petit indignè, non vult poſitiuè inhonorare, ſed potiùs exhibere actionem cultus, & honoris : nam ipſa ſumptione religioſa ſignificat ſummiſſionem internam, & colit Sacramentum : peccat quidem, quia non exhibet tantum cultum, quantum deberet, nempe dignè ſumendo : hæc tamen magis eſt negatio honoris debiti, quàm inhonoratio : ſicut qui ponit Euchariſtiam in capſula chartacea, vel in linteo, aut corporali ſordido, non eſt contumelioſus poſitiuè, ſicut qui proiiceret in lutum, vel conculcaret, licèt peccet non reddendo totum cultum debitum tanto Sacramento. Non ergo mirum, quòd hic non ſit repellendus, quando petit indignè, cum infamia publica ; hic enim non aggreditur ad lædendum, & auferendum honorem, licèt peccet non ſoluendo totum honorem, quem debet. Aliud fortaſſe eſſet, ſi vellet indignè ſumere ad inhonorandum poſitiuè Sacramentum, & ſignificandum contemptum per illam indignam ſumptionem : tunc enim iam videretur ſimilis ei, qui acciperet ad conculcandum, vel proiiciendum in ignem ; atque ideo poſſet fortaſſe repelli etiam cum infamia : hoc tamen iam eſſet alius caſus diuerſus à noſtro, in quo ſolùm agimus de peccatore occulto indignè ſumente, abſque eo, quòd interueniat aliud peccatum inhonorationis poſitiuæ.

SECTIO XI.

Obiectiones contra ſuperiorem doctrinam, & alia dubia circa idem Sacramentum Euchariſtiæ.

180. *Obiectio prima.* Obiici ſolet prætereà contra eandem concluſionem, quia tunc Sacerdos cooperatur peccato ſumentis indignè Euchariſtiam : nunquam verò licitum eſt cooperari peccato alterius. Variæ ſolutiones huic argumento reddi ſolent ; de quo multa videri poſſunt apud Thomam Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp. 6 n. 1*, & ſequentibus ; quibus omiſſis, quia non videntur omnino ſatisfacere. Reſpondeo, ea hoc capite non peccare miniſtrum in caſu noſtro ; quia nec eſt cauſa peccati alieni, nec propriè cooperatur illi. Ad hoc enim requiritur, quòd vel ſit cauſa determinans, vt qui ſuadet, petit, imperat ; quæ omnia tendunt determinatè ad illam actionem, quæ hic & nunc abſque peccato fieri non poteſt, & ideo qui eo modo concurrit, dicitur cauſa peccati alieni ; vel certè requiritur, quòd ex modo, quo præſtat concurſum non habeat indifferentiam, ſed concurrat determinatè ad talem actionem, quæ hic, & nunc abſque peccato alterius fieri non poſſit ; ita vt non poſſit poni cooperatio huius, quin ſequatur peccatum alterius. Ideo enim Deus concurrens ad omnes actiones humanas non eſt cauſa peccati, nec cooperatur peccato, quia concurſus ille, prout præſtatur, & offertur à Deo, eſt omnino indifferens, nec infert omnino peccatum hominis ex hac voluntate, qua Deus concurrit ; poſſet enim ſtante illa voluntate Dei, non ſequi peccatum, ſed alia actio bona hominis, vt ſuo loco videbimus.

Sanchez. *Reſponſio.* *Tunc enim non eſt cauſa determinans, ſed ita indifferens, vt poſſit non ſequi peccatum alterius, etiam poſita hac cooperatione.*

181. In noſtro ergo caſu Sacerdos neutro modo concurrit : non enim ſuadet, petit, vel imperat. Deinde nec concurrit, aut cooperatur ex ſe ad actionem malam : totum enim, quod Sacerdos ex ſe facit, non eſt tale, vt non poſſit eſſe hic, & nunc abſque peccato alterius, vel vt ex eo ſequatur neceſſariò peccatum alterius. Nam actio Sacerdotis vel ſupponit iam poſitam malitiam totam ex parte petentis Euchariſtiam ; vel non ſupponit eam totam, ſed partem, & alia pars ſubſequitur. Et quidem illius malitiæ, quæ iam ſupponitur, non eſt cauſa Sacerdos, vt conſtat, cum illa iam ſit poſita independenter ab ipſo : illius verò malitiæ, quæ poſtea ſubſequitur, neque etiam eſt cauſa ; quia hæc ita ſequitur, vt poſita adhuc actione Sacerdotis, poſſit illa non ſequi. Pro cuius explicatione diſtinguamus clariùs malitiam, & culpam indignè communicantis ; quæ partim conſiſtit in petitione indigna, in acceſſu ad altare, in præparatione, & promptitudine, quam oſtendit ad accipiendum Sacramentum ; & totum hoc non pendet à ſacerdote, vt conſtat. Poſtea verò ſubſequitur ſumptio indigna, qua aperit os, & deglutit Euchariſtiam ; & hæc etiam non ſequuntur neceſſariò ex actione ſacerdotis : nam licèt Sacerdos offerat Euchariſtiam, non cogit ad aperiendum os ; poteſt enim ipſe recedere ; item, licèt Sacerdos ponat Euchariſtiam in ore, poteſt ipſe conſcius ſuæ indignitatis non deglutire, ſed aperire ſuam conſcientiam ſacerdoti. Quod ſi non poteſt hæc tunc facere propter infamiam, iam ſequitur, illas actiones excuſari à peccato in ipſo ſumente, & per conſequens multo minùs Sacerdotem concurrentem aliquo modo ad illas, eſſe cauſam peccati, cùm ea ſe ſolùm concurrat ad actiones hic, & nunc licitas iam ipſi petenti propter periculum infamiæ : non ergo cooperatur determinatè ad culpam, & peccatum petentis, ſed ſemper ad actionem licitam, vel certè tali modo, vt ex ſua cooperatione non ſequatur neceſſariò actio peccaminoſa in petente ; ſed contingenter ex noua culpa petentis, cuius Sacerdos non eſt cauſa determinata. *Tota haec ratio explicatur.*

Hoc eodem modo excuſandas exiſtimo à cooperatione illicita eas actiones, quas affert Thomas Sanchez *loco citato*, ſcilicet coniugem reddentem debitum coniugale coniugi petenti obſtricto voto caſtitatis, ratione cuius non poteſt abſque peccato exigere : item debitorem reddentem mutuam pecuniam creditori exigenti, qui tamen vouerat priùs Deo, eam pecuniam ampliùs non repetere, aut recipere, atque adeò peccanti in ipſa petitione, & acceptione pecuniæ. Hi, inquam, & alij ſimiles non videntur excuſandi ratione ſolius neceſſitatis, qua adſtringuntur ad reddendum, vel ſoluendum debitum : nulla enim neceſſitas poteſt reddere licitum id, quod èſt intrinsecè malum : quale eſt cooperari determinatè ad peccatum, velle peccatum, eſſe cauſam peccati. Sed hi omnes excuſantur modo ſuprà explicato ; quatenus ex ſe non cauſant, nec cooperantur determinatè ad peccatum, nec faciunt quidquam, ex quo neceſſariò ſequatur peccatum. Nam malitiam petitionis iam ſupponunt poſitam ; illam autem, quæ poſtea ſubſequitur in receptione debiti, non inferunt neceſſariò : debitor enim ſoluens pecuniam, ex ſe non obligat creditorem ad eam accipiendam, nec ponit aliquid, ex quo neceſſariò ſequatur, quòd creditor eam accipiat ; nam poſtquam debitor eam ſoluit, poteſt creditor nolle eam accipere. Quod idem de actione coniugis reddentis debitum 182. *Quæ aliæ actiones à cooperatione illicita eodem modo excuſentur.*

coniugale

coniugale dici poteſt; nam quæcumque illa actio ſit, non eſt cauſa voluntatis antecedentis, qua coniux malè petiit debitum: voluntatis verò conſequentis, qua poſtquam videt alterum annuere, & velle reddere, vult etiam accipere, non eſt cauſa determinatè, & neceſſariò eam inferens, cùm poſſit tunc coniux à ſuo malo propoſito deſiſtere; quòd ſi non poteſt deſiſtere, iam non erit peccaminoſa illa proſequutio, ſaltem malitia noua, ſed denominatiuè, & in cauſa, ad quam non eſt peccatum cooperari, dum non ſit cooperatio ad malitiam; ſic enim Deus, poſtquam videt voluntatem hominis furandi, cauſat, & vult determinatè actionem externam, quæ neceſſariò oritur ex tali voluntate interna. Nulla ergo eſt malitia in coniuge malè petente, ad quam determinatè concurrat coniux reddens: nam omnis malitia petentis, vt diximus, vel eſt antecedens, vel conſequens redditionem; antecedens autem non poteſt dependere à redditione; conſequentem verò non infert neceſſariò voluntas reddendi, ſed indifferenter: Concomitans denique eſſe non poteſt; quia malitia eſt in actu interno voluntatis, ad quem non poteſt reddens concurrere concomitanter, licèt concurrat ad externum: ergo tota malitia petentis vel eſt antecedens, vel ſi eſt conſequens, non ſequitur neceſſariò ex voluntate reddentis; & hæc videtur eſſe planior via ad excuſandam malitiam reddentis in eiuſmodi caſibus: ſicut & in caſu noſtro ſacerdotis dantis Euchariſtiam indignè petenti. Fatemur ergo, cooperationem ad peccatum habentem neceſſitatem connexam cum peccato alterius, vel ex intentione cooperantis tendentem ad eum finem, nunquam poſſe eſſe licitam; ſicut neque etiam ſuaſionem, conſilium, imperium, &c. Ea enim non eſſet permiſſio peccati, neque ille diceretur ſolùm permiſſiuè ſe habere, ſed cauſare & cooperari in tuto rigore. Actiones verò, quæ ex ſe non inferunt malitiam alterius, nec ad hoc tendunt, non ſemper ſunt illicitæ, ſed aliquando erunt licitæ, vt apparet in Chriſtiano remigante ſub pirata Turca contra alios Chriſtianos, cum actionem multi excuſant propter indifferentiam, quam ex ſe habet, quod ſufficit, vt in tali neceſſitate licita ſit;
Sanchez. quos refert & ſequitur Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 7. num.* 18. vbi alia plura exempla adducit de iis, qui aliquando excuſantur ob aliqualem indifferentiam cooperationis.

183. *Sed contra vrgetur ex alio exemplo.* Sed contra vrgeri poteſt ex alio exemplo; nam volenti ſe occidere, vel aliquem alium, non poſſum ego licitè reddere gladium ſuum apud me depoſitum, licèt illa redditio ex ſe indifferens ſit: ſed debeo negare gladium, & hoc modo impedire illud damnum: maius autem detrimentum ſibi infert indignè recipiens Euchariſtiam, quàm auferens ſibi vitam temporalem: ergo debeo negare Euchariſtiam ad impediendum illud damnum, etiam cum eius infamia, ſicut deberem negare gladium, etiam cum eius infamia. Huic argumento multæ ſunt ſolutiones, quas Suarez. & alij tradunt, & latè refert, & refellit Vaſquez *loco citato, c. 4.* qui tandem diſcrimen reducit ad hoc, quod præceptum de conſeruanda vita alterius obligat magis, quàm obligatio conſeruandi famam, vel reddendi gladium, at verò præceptum non miniſtrandi Sacramentum indigno, non obligat cum iactura famæ, cùm non ſit præceptum abſolutum, ſed limitatum, ſcilicet, niſi aliqua rationabilis cauſa proſpiciendi, & conſulendi famæ proximi excuſet, vt dixerat *c. præcedenti*: quam reſponſionem nos etiam ſuprà impugnauimus.

184. *Inſtantia.* Ad obiectionem ergo reſpondeo, in primis poſſe etiam aliquando reddi gladium volenti ſe, vel alium occidere, quando ſcilicet abſque grauiſſimo detrimento negari non poteſt, vt cum aliis docet Thom. Sanchez *vbi ſuprà d. n.* 18. Minor tamen cauſa ſufficit ad dandum Sacramentum peccatori occulto publicè petenti. Ratio autem diſcriminis deſumitur ex doctrina generali, quam latè cùm aliis probat idem Sanchez *ibi n.* 12. ſcilicet obligationem non ponendi actionem indifferentem, ex qua ſequatur peccatum alienum, non eſſe æqualem in omnibus materiis, ſed menſurandam ex multis capitibus & circumſtantiis: inter quas conſideratur ſpes vtilitatis proximi ex negatione noſtra rei indifferentis, quæ quidem in caſu noſtro ferè nulla eſt, vel tenuiſſima, tùm quia ille, qui paratus eſt ad ſuſcipiendũ Sacramentum indignè, tantum abeſt, quod ex correctione noſtra cum infamia publica meliorabitur, vt potiùs credibile ſit, illum, quantum eſt de ſe, permanſurum in affectu malo interno, & inſuper irritatum, & exaſperatum correctione & infamia, in alia peccata odij, & vindictæ prolapſurum: tum etiam, quia licèt quodlibet peccatum mortale, imò & quodlibet veniale in ordine ad ipſum, qui illud committit, ſit magis vitandum, quàm quodlibet aliud damnum: in ordine tamen ad permittentem non eſt tanta obligatio non permittendi, ſeu impediendi peccatum aliquod veniale proximi, quanta impediendi cuiuslibet alterius damni temporalis maximi: quia cùm certum ſit, illum hominem alia peccata venialia commiſſurum, non tanti facimus, quòd inter alia committat etiam hoc vnum, quod in tanta multitudine pro nihilo reputatur. Quod idem cum proportione de aliqua duratione maiori peccati mortalis dicendum eſt. Cùm enim ſcimus, aliquem per horam durare in affectu peccati mortalis, non tanti æſtimamus, quòd permittatur durare vlteriùs per vnum inſtans, vt propter illam durationem impediendam debeamus facere, quæ faceremus ad impediendam eius mortem temporalem. Minoris enim fiunt ea mala, quæ ſimul cum aliis multis eiuſdem generis adueniunt, vt ſi aliquis exigat à te ſuum gladium, quo Petro vel ſibi ipſi decem vulnera infligat, quem ſi non dederis, habebit ſtatim alium, quo infliget nouem vulnera, certè propter illud vnum vulnus decimum vitandum non debes cum graui inconuenienti gladium negare. Cùm ergo in noſtro caſu peccator habeat affectum illum malum toto tempore antecedenti, non debet Sacerdos negare Euchariſtiam ad impediendam malitiam illam pro morula illa exigua temporis reſtantis cum tanto detrimento infamiæ, & aliis periculis. Fateor, ſi damnum eſſet irreparabile, ſicut in morte, vt ſi neceſſaria eſſet infamia illa ad impediendam eius damnationem æternam, tunc non deberet haberi ratio infamiæ, ſed neganda eſſet Euchariſtia etiam in publico: quia tunc fortiores rationes vrgerent, quàm in negatione gladij cũ infamia ad impediendam mortem temporalem, vt conſtat. De facto tamen, cùm non prouideatur tale detrimentum, imò nec maius ferè periculum damnationis, quàm priùs, non poteſt Sacerdos aſſumere medium illud infamiæ ad impediendum illud detrimentum ſpirituale, vt diximus. Sanchez.

Dices: imò nec poſſet, etiamſi ſequeretur detrimentum damnationis æternæ. Nam ſicut non poſſum alicui auferre vitam, vel abſcindere membrum præciſè, vt vitem eius damnationem æternam: ſic nec potero auferre illi poſitiuè famam ob eundem finem: tam enim eſt contra iuſtitiam auferre famam, quàm vitam, vel membra. Adde, ſi aliquis ſciret ex reuelatione Petrũ damnandum, ſi ſit diues, non ideò poſſet furari, vel auferre ei inuito diuitias ad impediendum illud detrimentum ſpirituale: ergo minùs 185. *Inſtantia.*

liceret auferre famam inuito, quæ maius bonum eſt, quàm diuitiæ multæ.

186. *Diluitur.* Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, quòd qui aufert famam in noſtro caſu, non ſe habet ſicut qui aufert poſitiuè pecunias, ſed ſicut qui pecunias apud ſe depoſitas non cuſtodit. Habemus enim delicta aliorum occulta, quaſi depoſita in noſtra ſcientia, quæ cuſtodire debemus, ne proximus amittat ſuam famam: depoſitarius autem cum graui detrimento non debet ſeruare depoſitum, ſed poteſt illud à ſe proiicere: ſic poſſumus aliquando delictum occultum proximi manifeſtare ad vitandum detrimentum: ſic poteſt aliquis reuelare delictum occultum alicuius ad vitanda grauiſſima tormenta, quibus ab eo extorquetur; vt obſeruauit benè Leſſius *lib. 2. de Iuſtit. cap.* 11. *dub.* 8. quia non obligatur ad cuſtodiendum depoſitum cum tanto detrimento. Non ergo eſt aliquis ita plenè dominus ſuæ famæ, ſicut ſuæ pecuniæ: famam enim ſolùm habet apud alios, qui ſunt quaſi cuſtodes illius, atque adeo poſſunt ex graui cauſa eam non ſeruare: pecuniam verò habet apud ſe, quam nemo ab ipſo inuito poſitiuè poteſt auferre. In noſtro autem caſu non deberet Sacerdos cum tanto detrimento certiſſimæ damnationis illius, qui petit Sacramentum, cuſtodire eius famam, quæ non eſt tam plenè ſub dominio noſtro, cùm poſſint ſæpè ex rationabili cauſa manifeſtari delicta noſtra occulta ad vitandum damnum magnum publicum vel priuatum. *Leſſius.*

187. *Obiectio.* Vltimò obiici ſolet contra concluſionem, quia poſſet Sacerdos abſque detrimento famæ negare Euchariſtiam in publico peccatori occulto, ſcilicet dando illi hoſtiam non conſecratam loco conſecratæ, quo pacto & famam alienam, & reuerentiam debitam Sacramento ſeruaret. Alioqui dicunt id fieri poſſe, conſcio ipſo qui accipit: alij autem omnes negant: quia daretur occaſio idololatriæ populo. P. Vaſquez *loco citato, cap. 4. num* 41. hanc rationem reiicit, quia reuera tunc omnes adorarent verum Deum, & verum Chriſtum, quem apprehenderent ibi latêre, licèt re ipſa non latêret. Sed hanc ſententiam reiecimus agentes de adoratione Euchariſtiæ tomo præcedenti de Incarnat. *diſp.* 37. *ſect.* 2. vbi probauimus, verè adorari, quidquid eſt, quod latet ſub illis ſpeciebus, quæ oſtenduntur, atque ideo verè committi idololatriam materialem, licèt inculpabilem propter ignorantiam eorũ, qui adorant, & propter illud periculum idololatriæ non poſſe exhiberi, vel oſtendi hoſtiã non conſecratam pro conſecrata. *Vaſquez.* *Aliqua reſponſiones reijciuntur.*

188. Aliqui volunt, huic periculo poſſe iri obuiam, ſi Sacerdos oſtendat quidem adorandam hoſtiam conſecratam, ſed ſimul cum ea habeat aliam non conſecratam à tergo, quam ſolam det peccatori conſcio priùs, & conſentiẽti ad ſeruandam eius famam. Sed hoc etiam communiter reiicitur. Primò, quia vix vnquam poteſt id pactum fieri cum peccatore. Secundò, quia neque hoc modo vitatur periculum idololatriæ; nam in ipſomet actu ſumendi hoſtiam, aliqui adorabunt illam hoſtiam, quam ſumit peccator, etiamſi non videant illam. Tertiò, quia ipſemet actus ſumendi illam reuerenter, eſt actus religioſus, & cultus quidem externus, qui non ſolet nec debet exhiberi niſi veræ Euchariſtiæ: quare erit quædam adoratio & reuerentia ſaltem externa, quam ſumens exhibet exteriùs illi hoſtiæ, quam ſumit, & Sacerdos etiam, dum eam religioſè miniſtrat, videtur ſaltem exteriùs exhibere illi cultum ſacrum debitum veræ Euchariſtiæ, quæ etiam actiones externæ reuerentiæ, & cultus circa hoſtiam non conſecratam vitari debent. Vnde videtur applicari poſſe ad hunc caſum id, quod in alio ſimili dixit Innocentius III. *Innoc. III.* de quodam Sacerdote, qui celebrabat abſque intentione conſecrandi, eò quòd eſſet in ſtatu peccati, de quo tamen dixi in cap. *de homine*, de celebratione Miſſarum, grauiùs peccaſſe, quàm ſi in peccato verè celebraſſet, & concludit: *Falſa ſunt abyicienda remedia, quæ veris ſunt periculis grauiora.* Grauius enim eſt peccatum idololatriæ, etiam externæ, & fictæ, quàm indignæ ſumptionis: quia hæc, vt diximus, eſt ſolùm irreuerentia negatiua, quatenus non exhibetur totus cultus debitus Sacramento, ſed partialis.

Hinc iam dubitatur tertiò de eodem Sacramento Euchariſtiæ, an peccatori occulto petenti in occulto dandum ſit? Sotus *in 4. diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 6. dicit negari non poſſe à proprio Paſtore petenti in Paſchate, vel in neceſſitate, in qua habet ius petendi; quia nemo iure ſuo priuari debet abſque ſufficienti probatione, & notorietate delicti. Vnde aliqui Recentiores eandem ſententiam amplectuntur, quoties Parochus, qui de iure hîc, & nunc debet miniſtrare, non habet ſaltem ſufficientem probationem plenam delicti. Alij tamen Theologi communiter dicunt, negandam eſſe Euchariſtiam in occulto; quos ſequitur Suarez loco citato *ſect.* 2. & Vaſquez *c.* 5. & colligitur ex Concilio Vaſenſi *can.* 7. relato in cap. *Si tamen* 6. q. 2. Ratio autem eſt, quia ſi in publico non negatur peccatori occulto, ſolùm eſt, vt vitetur infamia; ergo in occulto, vbi ea ratio omnino ceſſat, neque eſt periculum infamiæ, negandũ eſt Sacramẽtum: ad hoc enim obligat lex vniuerſalis non conferendi indignis Sacramẽta, niſi rationabilis neceſſitas aliud exigat. Neque obſtat ius petentis, quia ille, dũ eſt in peccato, nullũ habet ius ad hoc Sacramentũ & licèt in publico habeat ius ad ſuam famam retinendã, in occulto tamen hæc ratio omnino ceſſat. 189. *Secundum dubium.* *Sotus.* *Suarez.* *Vaſquez.* *Côc. Vaſenſ.*

Obiiciunt aliqui, Sacerdos in huius Sacramenti adminiſtratione eſt miniſter publicus, vbicunque illud miniſtret: ergo debet procedere vt iudex, qui quidem non poteſt operari niſi ex ſcientia iuridica, qualis eſt, quæ habetur per probationem plenam. Reſpondeo, Sacerdotem in hoc Sacramento miniſtrando non eſſe iudicem, ſed paſtorem: alioquin deberet inquirere de dignitate petentis, vt ſuprà notauimus: & deberet excludere etiam in occulto, quem ſcit dignum: ſi tamen duo, vel tres falſi teſtes dicunt eſſe indignum, & alia eiuſmodi. Eſt quidem miniſter publicus, hoc eſt, publicè inſtitutus; non tamen publicus, id eſt, ordine publico procedens: ſicut & in Sacramento Pœnitentiæ eſt quidem miniſter publicus, id eſt, publica auctoritate inſtitutus, & deſignatus; non tamen publicè procedens, ſed ſecretò, & ex notitia ſecreta, licèt ſit iudex. Multò magis in Sacramento Euchariſtiæ, in quo non eſt iudex, vt dixi, ſed Paſtor diſtribuens paſtum omnibus petentibus, quæ non eſt actio iudicialis, ſed gubernatiua: gubernator autem, & paſtor in ſuo munere non debet ſemper procedere ex ſcientia iuridica, ſed ex æquo, & bono, prout pater procedit in gubernandis filiis, & paterfamilias in regenda familia. 190. *Obiectio.* *Reſponſio.*

Secundò obiici poteſt, quia vxor poteſt reddere debitum coniugale in occulto viro petenti, & peccanti in ipſa petitione propter votum caſtitatis, quod habet: ergo & Sacerdos poterit miniſtrare Euchariſtiam petenti in occulto, & peccanti in ipſa petitione propter indignitatem. Reſpondeo negando conſequentiam: hæc enim obligatio in Sacerdote non oritur ſolùm ex debito non cooperandi peccato alterius, (quoad hoc enim poſſet fortaſſe aliqua rationabili cauſa excuſari) ſed ex debito non miniſtrandi Sacramentum indignis: ſed cum debita reuerentia; quam obligationem vxor non habet in reddendo debito coniugali, vt conſtat. *Obijcitur ſecundò.*

191. Duo ſuperſunt dubia. Primum eſt, an ex ſcientia peccati habita in Confeſſione Sacramentali poſſit, vel debeat Sacerdos negare Euchariſtiam, quando nullus adeſt teſtis, nec eſt aliud periculum reuelationis. Aliqui enim affirmant, alij negant. Sed id pertinet omnino ad quæſtionem de ſigillo Confeſſionis inferiùs tractandam, vbi id definiemus. Secundum dubium eſt, quis cenſendus ſit peccator occultus, vel manifeſtus, & publicus, vt in publico poſſit, vel non poſſit ei negari Euchariſtia. Sed cùm tota illa obligatio dandi in publico peccatori occulto, oriatur ex debito non infamandi illum; quæſtio erit generalis, quando crimen alicuius dicitur occultum vel publicū, vt non poſſimus, vel poſſimus hîc abſque peccato illud dicere aliis; de quo tractari ſolet communiter in materia de Iuſtitia, & Iure; nec habet hîc ſpecialē difficultatem, licèt plures in materia de Euchariſtia etiam illam ſoleant examinare.

Aliud dubium.

Vltimum dubium.

SECTIO XII.

Quid circa hoc dicendum ſit de aliis Sacramentis.

192. RESTAT iam ex dictis de Sacramento Euchariſtiæ doctrinam ad reliqua Sacramenta deriuare. Non eſt autem ſermo de Matrimonio, de quo poſtea ſeorſim dicemus. Reliqua ergo Sacramenta non ſunt omnia eiuſdem rationis, nec quod ad præſens attinet, poteſt vna, & eadem regula pro illis omnibus aſſignari. In omnibus quidem procedit doctrina illa communis, quòd, quoties commodè poſſumus, debemus impedire peccatum proximi indignè ſumentis Sacramentum; hoc tamen debitum commune eſt aliis materiis, & non multum vrgeret miniſtros Sacramentorum. Sæpè enim occurret neceſſitas, vel incommodum, ratione cuius non obligentur ex hoc capite ad impediendum peccatum alicuius indignè recipientis Sacramentum. Diximus autem ſuprà actionem illam miniſtri habere ſemper ex ſe aliquam indifferentiam, ratione cuius non ſit miniſter cauſa peccati alterius, ſed indirectè, & permiſſiuè concurrat ad illud, qui concurſus poteſt ex aliquibus circumſtantiis reddi licitus, vt explicuimus. Excipe tamen Sacramentum Pœnitentiæ, in quo nunquam licet miniſtro concurrere etiam per cooperationem indifferentem cum eo, qui indignè ſuſciperet: quia diſpoſitio requiſita ad dignè recipiendum eſt etiam pars eſſentialis ad Sacramentum validum, ſaltem regulariter loquendò: & licèt aliquando admittatur Sacramentum illud validum, & informe, tunc etiam Sacerdos, cui indignitas conſtaret, non poſſet diſſimulare; quia cùm eſſet iudex, deberet inquirere, & iudicare de illa diſpoſitione, vt ſtatim dicemus.

193. Loquendo igitur de debito miniſtri, non præcisè propter cooperationem ad peccatum alterius, ſed propter obligationem non conferendi indignis; dicendum erit de aliis Sacramentis in particulari. Et in primis miniſter in Sacramento Pœnitentiæ habet hoc debitum magis ſtrictum, quàm in vllu alio Sacramento: tum quia, vt dicebamus, valor Sacramenti dependet regulariter à dignitate pœnitentis, qui, ſi non eſt diſpoſitus per dolorem debitum, Sacramentum erit nullum: tum etiam, quia miniſter in eo Sacramento eſt iudex, qui debet examinare conſcientiam pœnitentis, & eius dignitatem, vel indignitatem, vt debitè poſſit proferre ſententiam. Vnde licèt poſſit contingere, vt in aliquo caſu detur illud Sacramentum validum, & informe, vt dicemus agentes de illo Sacramento, tunc ſcilicet, quando pœnitens habet dolorem alicuius peccati, quod confitetur, non tamen omnium, vel aliorum, quorum inuincibiliter oblitus eſt, & ſimul habet propoſitum vniuerſale non peccandi: tunc tamen Sacerdos vel nouit illum defectum, vel non nouit: ſi non nouit, iam non confert Sacramentum ſcienter indigno, ſed ei, quem credit eſſe dignum, & benè diſpoſitum; ſi verò nouit illum defectum, debet pro munere ſuo reuocare in memoriam pœnitenti tale peccatum, vel interrogare de illo, vt confeſſio fiat integra: debet denique, ſi aduertit defectum doloris, excitare, & mouere illum ad dolorem de omnibus peccatis mortalibus, ne proferat ſententiam iniuſtam contra merita cauſæ.

Miniſter in Sacramento Pœnitentiæ habet hoc debitum magis ſtrictū quàm in vllo alio Sacramento.

In Sacramento Ordinis eſt etiam maior obligatio miniſtri non conferendi illud indigno, quàm in aliis, præter Pœnitentiam; quia ad alia Sacramenta omnes habent, regulariter loquendo, ius, & poſſunt ea petere, quaſi debita ſibi à Paſtore. At verò ad Ordinem non habent tale ius: neque enim quiſquam ſumit ſibi honorem ſacerdotij, niſi qui vocatur, tanquam Aaron. Vnde Prælati Eccleſiæ ex officio ſuo debent inquirere de meritis, & dignitate eorum, quos volunt ordinare, ſicut & de dignitate eorum, quos ad beneficia, & alia munera Eccleſiaſtica eligunt. Debet itaque Prælatus negare Ordinem indigno, ſiue in occulto, ſiue in publico petat: quia collatio Ordinis non eſt merus actus paſcendi, ſicut alia Sacramenta, ſed eſt actio iuridica, vel ſaltem gubernatoris, & principis, ad quem ſpectat eligere idoneos miniſtros: & ad hunc finem poteſt, & debet inquirere, & ſi non poteſt alia via impedire, poteſt etiam cum infamia repellere indignos, qui ſibi debent imputare, cùm ingerant ſe contra publicam vtilitatem in ea munera, & officia, ad quæ non ſunt idonei. Ad quod videtur attendiſſe Lucius Papa relatus in cap. *Ad aures*, de temporibus Ordinationum, vbi dicit, Epiſcopum debere non ordinare Religioſos, eorum Prælato contradicente, & reddit rationem: *Quoniam eſſe poteſt, quòd Prælati eorum commiſſa ſecreta nouerint, ex quibus conſtat eis, quòd ſaluâ conſcientiâ nequeunt ſublimari.* Negatur ergo Ordo publicè petenti, propter indignitatem ſecretò cognitam à Prælato. Hoc tamē non procederet, quando ſubditus peteret publicè ordinari à Prælato debente eū ordinare: tunc enim, ſi indignitas, vel impedimentum occultum probari non poteſt, debet Epiſcopus eum ordinare; quia non poteſt priuari iure ſuo abſque ſufficienti probatione: in quo caſu videtur loqui Alexander III. relatus in cap. *Ex tenore*, eodem titulo, de temporibus Ordination. vbi de Clerico habente crimen occultum, & remediis aliis tentatis, nolente deſiſtere ſic concludit: *Verumtamen, quia peccatum occultum eſt, ſi promoueri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.* Vbi Gl. ſſa finalis explicat, id procedere, quando Clericus habebat ius petendi Ordines, nempe ratione beneficij, vel dignitatis, quam habet. Et in eodem ſenſu & caſu id affirmant Antoninus 3. *parte tit.* 14. *c.* 16. §. 11. & Syluester verbo *Ordo*, 3 *q.* 9. quorum ſententiam approbat Thom. Sanch. *lib* 3. *de Matrim. diſp.* 15. *n.* 8. & 12. An verò idem dicendum ſit de Parocho, vel Ordinario, vel propter impedimentum occultum à ſe cognitum debeat, vel non debeat repellere eos, qui volunt contrahere Matrimonium, dicemus poſtea agentes de Matrimonio.

194. *In Sacramento Ordinis quid dicendum ſit.*

Antoninus.
Syluester.
Sanchez.

195. De aliis Sacramentis, ſcilicet Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema Vnctione, quod ad præſens attinet, credo dicendum ſicut de Euchariſtia. Ad hæc enim Sacramenta habent ius omnes, vt petant ea à Paſtore, tanquam paſcua ſibi debita: vnde non videtur habere maius ius repellendi eos cum infamia

De aliis tribus Sacramentis idem dicendum eſt quod de Euchariſtia.

propter delictum occultum ab his Sacramentis, quàm ab Euchariſtia. Verum quidem eſt, quòd ad miniſtrandum Baptiſmum non ſufficit, quòd Paſtores negatiuè ſe habeant, non ſcientes indignitatem petentis; ſed requiritur poſitiuè inquirere, & examinare fidem, & diſpoſitionem illius, qui vult baptizari; neque enim debent abſque examine, & tumultuariò introducere in Eccleſiam omnes, qui petunt; atque adeò debent inquirere de dolore peccatorum, per quem diſponuntur ad effectum Baptiſmi. Cæterùm, ſi aliquis communiter exiſtimaretur diſpoſitus, & Prælatus, à quo iure petitur Baptiſmus, noſſet crimen eius occultum, nec poſſet eum aliis mediis remouere à propoſito, non video, cur magis poſſet eum in publico cum infamia reiicere à Baptiſmo, quàm ab Euchariſtia, & aliis Sacramentis; eadem enim videtur eſſe ratio, nec proceditur magis ordine iuridico ad baptizandum, quàm ad conferenda alia Sacramenta.

196. *Deciſio alterius dubij.* Ex dictis infertur deciſio cuiuſdam dubioli, quod eſſe ſolet, an hæc malitia miniſtrantis indigno ita ſit diuerſa à malitia recipientis indignè, vt Sacerdos miniſtrans ſibi Euchariſtiam contrahat duplicem malitiam ſpecie diuerſam; alteram miniſtrantis indigno, alteram recipientis indignè. *Suarez.* P. Suarez *dicta diſp.* 67. *sect.* 1. dicit, eſſe diuerſas in ſpecie, atque adeò Sacerdotem etiam extra Miſſam ſibimet dantem Euchariſtiam in peccato mortali, duplicem malitiam contrahere ſpecie diuerſam explicandam in Confeſſione, non enim ſufficeret dicere, miniſtraſſe indigno, vel ſolùm dicere, communicaſſe in peccato, ſed deberet vtrumque explicare, ſcilicet ſe miniſtraſſe indigno ſibi: imò in ſententia, quæ dicit, peccare mortaliter miniſtrantem Euchariſtiam in peccato mortali; quam tenet idem Suarez *in præſenti diſp.* 18 *sect.* 3. & 4. conſequenter dicendum eſt, reperiri ibi tres malitias ſpecie diuerſas, ſcilicet miniſtrantis indignè, miniſtrantis indigno, & ſuſcipientis indignè, non tamen oporteret in Confeſſione explicare illam primam; quia dicendo, ſe ſuſcepiſſe à ſeipſo Euchariſtiam in ſtatu peccati, explicat ſatis ſe illam miniſtraſſe ſibi in ſtatu peccati.

197. *Vaſquez.* P. Vaſquez *dicta diſp.* 209. *de Euchariſtia. c.* 1. docet, malitiam miniſtrantis indigno, & ſuſcipientis indignè, non differre ſpecie; quia vtraque conſiſtit in eo, quòd Sacramentum careat ſuo effectu gratiæ propter obicem ſuſcipientis. Eodem ergo modo peccat ſuſcipiens cum illo obice, & miniſter cooperans, vt ſuſcipiatur cum tali obice, & impedimento; vnde infert, etiamſi Sacerdos poſitiuè ſuaderet, & moueret alium ad ſuſcipiendum indignè, non reperiri ibi aliam malitiam ſpecie diuerſam, ſed eandem, ſcilicet cooperationis ad falſam ſignificationem Sacramenti, ſeu quòd illud careat ſuo effectu. Denique infert, Sacerdotem de manu ſua ſuſcipientem Euchariſtiam non contrahere duas malitias ſpecie diuerſas in Confeſſione explicandas, cùm tota illa ſit malitia eadem priuandi Sacramentum ſuo effectu, vt dictum eſt.

198. *Soluitur.* Ego in primis fateor, Sacerdotem ſuſcipientem de manu ſua Euchariſtiam in peccato, non contrahere tres illas malitias; quia, vt ſuprà diximus, miniſtrare præciſè Euchariſtiam in peccato, non eſt peccatum mortale; quia non eſt conficere Sacramentum; ſi tamen eſſet peccatum, conſequenter dicendum eſſet, in illo caſu contrahi duas malitias ſpecie diuerſas, ſcilicet ſuſcipiendi indignè, & miniſtrandi indignè, quæ ſunt omnino diuerſæ; nam prior deſumitur ex eo, quod Sacramentum priuetur ſuo effectu; poſterior verò non ſumitur ex hoc capite: non enim priuatur vllo modo Euchariſtia ſuo effectu, quando Sacerdos peccator eam tribuit alicui iuſto: ſed ſumitur ex irreuerentia contra illud Sacramentum, quod indignè tractatur à ſordido, & polluto miniſtro; quare dum ſibimet miniſtraret, vtramque malitiam contraheret, & deberet in Confeſſione explicare, ſi ſententia illa vera eſſet.

Secundò addo, malitiam miniſtrantis indigno, & malitiam ſuſcipientis indignè eſſe ſpecie diuerſas. 199. Fateor quidem, Sacerdotem miniſtrantem indigno non contrahere ex hoc præciſo capite duas malitias, alteram ex eo quòd cooperetur peccato indignè ſuſcipientis, alteram ex eo, quòd indignè tractet Sacramentum, ſicut ſi proiiceret illud in locum ſordidum; idque benè probat P. Vaſquez loco citato, quia tota hæc indigna tractatio Sacramenti conſiſtit in eo, quod detur indigno, & accipienti abſque fructu; hoc autem non poteſt præſcindere à cooperatione illa ad peccatum ſuſcipientis, ſaltem per ſe loquendo, niſi alter excuſetur per ignorantiam à peccato indignæ ſuſceptionis; ergo illa indigna tractatio Sacramenti non eſt malitia diſtincta à cooperatione cum peccato alterius, atque ideo non eſt in miniſtro duplex malitia, altera indignæ tractationis Sacramenti, altera cooperationis ad peccatum alterius.

Addidi tamen, malitiam illam miniſtrandi indigno differre ſpecie à peccato, & malitia ſuſcipientis indignè: quia licèt vna ſubordinetur alteri, & vtraque deſumatur vltimò à falſa ſignificatione Sacramenti, quod priuatur ſuo effectu: diuerſo tamen modo: ſicut virtus temperantiæ prohibet eſum carnium prohibitum in Quadrageſima: diuerſo tamen modo obligat me ad abſtinendum à carnibus, quàm ad non ſuadendum alteri eſum carnium. Sicut caſtitas diuerſo modo obligat me ad abſtinendum ab illicitis, quàm ad non ſuadenda alteri ea illicita: non enim peccaret contra ſuum votum caſtitatis, qui alteri ſuaderet nuptias, vel etiam fornicationem: ſicut nec peccaret contra ſuum votum obedientiæ, qui Religioſo alterius Ordinis ſuaderet non obedire ſuis Prælatis: ſed peccarent indirectè contra caſtitatem vel obedientiam. Non eſt ergo peccatum eiuſdem ſpeciei intemperantia in ſe, & cooperari ad intemperantiam alterius. In materia quidem iuſtitiæ cooperatio participat eandem malitiam directam iniuſtitiæ, quia iuſtitia obligat me ad non lædendum ius alterius; ille autem habet ius contra me, ne ego furer, & ne ſim cauſa furti contra ipſum; vnde in vtroque caſu teneor ad reſtitutionem, & pecco peccato iniuſtitiæ directo; in temperantia verò, & aliis ſimilibus non procedit ea ratio, & ideo videntur differre ſpecie cooperatio præciſa, vel ſuaſio à peccatis directis contra eam virtutem. Neque enim dæmones ſunt propriè laſciui, guloſi, fornicarij, adulteri, &c. licèt ſuadeant, & cooperentur ad eiuſmodi peccata; ſicut neque è contra ſancti Angeli ſunt propriè abſtinentes, ſobrij, caſti, vigilantes, &c. licèt ſuadeant, & moueant nos ad eiuſmodi virtutes amplectendas.

200. *Malitia miniſtrandi indigno differt ſpecie à malitia ſuſcipientis indignè.*

Similiter ergo diuerſa eſt malitia ſuſcipientis indignè Sacramentum à malitia cooperantis ad ſuſceptionem indignam alterius. Nam diuerſa eſt obligatio, qua vnuſquiſque debet curare, ne in ſeipſo Sacramentum inutile ſit, & abſque effectu, ab ea, qua debet impedire, ne id in aliis contingat. Nam ſicut alia eſt obligatio, qua debeo curare, ne gratia Dei in me ipſo vacua ſit, & ne Diuinæ inſpirationes in me maneant abſque fructu, ab ea, qua debeo impedire hoc ipſum in aliis: ſic videtur dicendum de Sacramẽtis, quæ alio titulo debeo curare, ne in me vacua ſint, & abſque fructu: & alio titulo debeo hoc 201.

curare

curare in aliis: alioquin qui in peccato communicat, ſufficeret, ſi in Confeſſione poſtea diceret, ſe fuiſſe cauſam, quòd Sacramentum ab aliquo indignè ſuſciperetur, nec deberet explicare, ſeipſum indignè communicaſſe: quod (ni fallor) nemo concedet. Sicut non eſſet eiuſdem ſpeciei peccatum ingratitudinis aduersùs meum benefactorem, cum eo, quod committerem, ſi alicui auctor eſſem, vt eſſet ingratus aduersùs ſuum benefactorem: imò non crederem, ſatisfacturum in Confeſſione eum, qui abſque cauſa miniſtrauit Sacramentum indigno, ſi ſolùm diceret: Cooperatus ſum ad hoc, vt alius indignè reciperet Sacramentum: nam cooperatio illa miniſtri videtur differre ſpecie à cooperatione alterius propter ſpecialem obligationem, quam miniſter habet diſpenſandi prudenter, & fideliter Sacramenta, quæ obligatio ex hoc ſpeciali titulo non eſt in aliis, qui licèt peccarent contra reuerentiam debitam Sacramento, & vt cooperantes peccatu indignè ſuſcipientis, non tamen contra fidelitatem muneris ſui in adminiſtratione debita Sacramenti. Porrò, ſi miniſter habet ſpecialem obligationem, quam non habent alij, multò magis ſpecialem titulum, ac obligationem peculiarem habere videtur ipſe ſuſcipiens Sacramentum, ad quem ſpecialiter pertinet diſponere animam ſuam ad eius effectum multò magis, quàm pertineat ad miniſtrum, & per conſequens malitia ipſius ſuſcipientis indignè differet ſpecie à malitia cooperantis ad eam ſuſceptionem.

202. *Sacerdos accipiens manu ſua Euchariſtiam in ſtatu peccati, contrahit maliſtiam aliquo modo diuerſā ab ea, quam contrahit, qui merè ſuſcipit indignè.*

Tertiò, & vltimò exiſtimo, Sacerdotem accipientem de manu ſua Euchariſtiam in ſtatu peccati, non contrahere quidem malitiam eandem, quam contrahit, qui miniſtrat indigno Euchariſtiam; contrahere tamen aliquam malitiam diuerſam ab ea, quam contrahit qui merè ſuſcipit indignè. Prima pars probatur, quia quando Sacerdos dat Euchariſtiam indigno, contrahit etiam malitiam cooperantis indignè ſuſcipienti, quam diximus eſſe diuerſam à malitia indignæ ſuſceptionis: hanc autem malitiam non contrahit, quando ipſe accipit ſibi Euchariſtiam: nam cooperatio ſemper eſt in ordine ad alium, cui cooperamur, atque ideo ſpecialis malitia cooperationis conſiſtit in eo, quod aliquis particeps ſit peccati alieni, & concurrat ad illud; quare ſemper videtur imbibere ſcandalum, & cauſalitatem alieni peccati: Sacerdos autem ſumens ſibi Euchariſtiam, nullo modo concurrit ad peccatum alterius, neque ponit ſcandalum alteri: ergo malitia illa cooperationis, & participationis peccati alieni non inuenitur in eo, qui ſibi ſumit Euchariſtiam. Secunda verò pars, quòd ſcilicet contrahat aliquam malitiam diuerſam ab ea, quam contrahit merus ſuſcipiens, probatur ex dictis: quia peccat, non ſolùm contra obligationem dignè ſuſcipiendi, ſed etiam contra peculiarem obligationem miniſtri non diſtribuendi illud Sacramentum, niſi dignis: cùm enim accipiat ſibi indigno, & ad hoc abutatur poteſtate, quam habet diſtribuendi illud Sacramentum, peccat contra fidelitatem debitam in ſuo munere adminiſtrando. Sicut Pontifex non minùs peccaret contra fidelitatem, & debitum ſui officij rectè adminiſtrandi diſpenſans ſecum in voto, vel concedens indulgentias abſque cauſa ſufficienti, quàm ſi diſpenſaret, aut concederet aliis: vterque enim eſt actus indebitè proueniens ex illa poteſtate, quam habet, & contra debitum ſui officij, rectè & fideliter adminiſtrandi. Similiter ergo Sacerdos, qui ex poteſtate publica, quam habet circa Euchariſtiæ diſtributionem, illud Sacramentum ſibi indebitè vſurpat, peccat contra debitum ſui officij: atque adeò contrahit aliquam malitiam, quam non contraheret laicus ſuſcipiens Euchariſtiam in ſtatu peccati; & debebit eam in Confeſſione explicare, ac dicere, ſe accepiſſe ſibi Euchariſtiam in ſtatu peccati: ſi verò id fecit in Miſſa, debet id explicare, quia alia fuit malitia conficiendi Sacramentum in peccato, ſufficietque dicere, ſe in peccato celebraſſe: hoc enim modo explicatur triplex illa malitia, conficiendi, ſumendique Sacramentum indignè, & miniſtrandi indigno.

Dubitari ſolet vltimò, an hoc præceptum non miniſtrandi indigno, niſi in certis caſibus, ſit poſitiuum, vel etiam naturale? Aliqui enim volunt, licèt quoad eam partem non miniſtrandi indigno ſit naturale, quoad aliam tamen partem non negandi peccatori occulto in publico, eſſe poſitiuum à Chriſto Domino propter magna inconuenientia, quæ inde ſequerentur. Ita P. Coninch *infrà q. 80. art. 6. n. 34.* Communis tamen ſententia docet, eſſe naturale quoad vtramque partem ſuppoſita inſtitutione tali Sacramentorum: & rationes ſuprà adductæ id videntur probare, ſi aliquid probant. Nam reuerentia debita Sacramentis ex natura ſua exigit talem ſanctitatem in ſubiecto, vt non fruſtrentur, & careant ſuo fine. Obligatio etiam erga proximi famam exigit, vt quando non infertur poſitiuum detrimentum honori alterius, ſed ſolùm interuenit negatio, ſeu non ſoluere totum cultum debitum, non liceat reuelare occulta crimina, & infamare, ac vi repellere proximum, vt ſuprà oſtenſum eſt. Non eſt ergo, cur dicamus, Chriſtū alteraſſe legem naturalē in hoc puncto, & diſpenſaſſe in cultu, qui ex natura rei debebatur ex præcepto naturali ſuis Sacramētis. 203. *Præceptū non miniſtrandi indigno eſt naturale.* Conin. h.

SECTIO XIII.

Vtrùm in Sacramento Matrimony ſit eadem obligatio Parochi, non miniſtrandi illud indigno.

Dvplex poteſt eſſe quæſtio. Prima, an Parochus aſſiſtens Matrimonio habeat eandem obligationem non aſſiſtendi, quando coniuges indignè ſuſcipiunt illud Sacramentum. Secunda, an ipſimet coniuges, qui non ſolùm ſunt ſuſcipientes, ſed miniſtri illius Sacramenti, quod ſibi inuicem miniſtrant, debeant non ſolùm ſinguli eſſe in ſtatu gratiæ, ne indignè illud ſuſcipiant, & ponant obicē gratiæ Sacramentali, ſed etiam debeant cauere ſinguli, ne coniux alter ſit in peccato; quod ſi ſciant, eum re vera eſſe in ſtatu peccati, an debeant abſtinere, ne miniſtrent Sacramentū indigno. De priori itaque quæſtione dicemus hac ſectione: de poſteriori, ſectione ſequenti. 204.

Circa primum quæſtionem diſtinguendum eſt: nam vel indignitas prouenit ex aliquo impedimento occulto, quod coniux habeat ad Matrimonium contrahendum, vel ex ſtatu peccati, aut cenſura, qua prohibeatur in eo ſtatu Sacramenta recipere. In primo caſu aliqui dicunt, ſi impedimentum ſit occultum, & probari non poſſit, & Matrimonium petatur in publico, nec admoniti velint deſiſtere, debere Parochum aſſiſtere. Ita Veracruz, Vega & Barthol. à Ledeſma, quos affert Thom. Sanchez *lib. 3. de Matrimonio, diſp. 15. num 8.* Ipſe tamen *num. 12.* cum communi docet, debere Parochum non aſſiſtere, ſed manifeſtare rem totam Ordinario, qui iam ex denuntiatione Parochi poterit negare Matrimonium. Quòd ſi ipſe Ordinarius impedimentum occultum ſciret, nec poſſet probare, deberet Matrimoniū publicè petentibus non negare; cùm ipſe non poſſet ſimul eſſe iudex, & teſtis. Alij tamen fortaſſe meliùs dicunt, Ordinarium etiam debere tunc negare, & denuntiare ſuperiori, v. g. Nuntio Apoſtolico: imò 205. *Quando indignitas prouenit ex impedimento occulto, Parochus debet negare aſſiſtentiam.* Veracruz. Vega Bartholom. à Ledeſma Sanchez

ipſe ſolus poſſet iudex, & teſtis eſſe in hac cauſa, ſicut & Parochus eſt ſimul accuſator & teſtis: tam enim videtur eſſe contra regulam aliorum iudiciorum eſſe ſimul accuſatorem, & teſtem, quàm eſſe iudicem, & teſtem. Ita Coninch. *diſput. 27. de Matrimon. dub. 7. num. 67.*

Coninch

206. *Quando indignitas promanat ex peccato, vel occulto, vel publico, Parochum nõ poſſe negare, cõmuniter dicunt Theologi.*

In ſecundo autem caſu fatentur communiter Theologi, Parochum non poſſe negare Matrimonium in publico propter peccatum illud occultum. Ita Coninch *vbi ſupra, n. 68.* qui nihil dicit, quando eſſet peccatum publicum. Alij tamen dicunt, poſſe aſſiſtere, etiam quando peccatum eſſet publicum. Ita Ioannes Præpoſitus *in 3. p. q. 7. de impedimentis Matrimon. dub. 24.* & Paulus Layman *tom. 1. lib. 5. tract. 10. p. 2. c. 4.* Vnde & poſſe aſſiſtere Matrimonio inter hæreticos, vel excõmunicatos non denuntiatos, nec Clerici percuſſores notorios. Reddunt autem rationem; quia Parochus non eſt miniſter Sacramenti huius, ſed teſtis aſſiſtens. Quid autem dicendum ſit de coniuge ipſo, qui eſt miniſter, ſtatim videbimus.

207. *Duplex eſt difficultas in hac ſententia. Prima.*

In hac communi ſententia duplex eſt difficultas. Prima eſt, quomodo concilietur prima pars cum ſecunda. Si enim Parochus ſciens impedimentum occultum, v.g. votum caſtitatis emiſſum à petente Matrimonium, non poteſt etiam in publico aſſiſtere, ſed debet manifeſtare Ordinario illud impedimentum; non apparet, quomodo poſſit aſſiſtere, quando nouit peccatum, vel excommunicationem occultam volentis contrahere Matrimonium: neutrum enim ex illis impedimentis reddit Matrimonium irritum; vtrumque verò reddit æquè illicitum, cùm excommunicato non minùs prohibita ſit receptio Sacramenti, quàm habenti votum caſtitatis celebrare Matrimonium: ergo vel in neutro, vel in vtroque caſu poterit Parochus aſſiſtere. Secunda difficultas eſt, quia ſaltem, quando peccatum, vel cenſura publica eſt, non videtur poſſe aſſiſtere Parochus abſque eo, quòd cooperetur peccato coniugis; cùm tunc abſque vlla infamia (res enim eſt iam publica) poſſit eum corripere, & repellere. Sicut ergo alia Sacramenta debet etiã in publico negare publico peccatori, ne cooperetur eius peccato; ſic in Matrimonio videtur dicendũ propter eãdem rationem.

Secunda.

208. *Ad primam reſpõdet Sanchez.*

Ad primam difficultatem reſpondet P. Thom. Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſput. 15. num. 13.* diſcrimen eſſe, quia Eccleſia non habet ius in foro externo ad impediendum Matrimonium ob alia peccata occulta, cùm non iudicet de occultis: quando autem ſunt impedimenta iure ipſo impedientia Matrimonium, habet ius in vtroque foro impediendi, ſi vnius teſtimonio probari poſſint: hoc enim eſt ſpeciale in Matrimonij impedimentis, vt vnico teſte probari poſſint ad negandum Matrimonium, quod in aliis peccatis non procedit.

209. *Impugnatur hæc reſponſio.*

Hæc reſponſio multas patitur difficultates. Primò, quia Eccleſia per excommunicationem ſecretam verè prohibet etiam contrahere Matrimonium, non minùs, quàm votum ſecretum caſtitatis id prohibeat. Secundò, quia de hoc ipſo petitur ratio, cur ob votum caſtitatis vnico teſte probatum poſſit Eccleſia negare Matrimonium, & non propter excommunicationem vno teſte probatam, cùm tam impediat licitam receptionem illius Sacramenti excommunicatio ſecreta, quàm votum caſtitatis ſecretum. Tertiò, quia ad minus ſequeretur, quòd quando excommunicatio, vel peccatum ſecretum poteſt probari duplici teſte, poſſit, & debeat Parochus negare aſſiſtentiam petentibus etiam in publico. Quartò, quia ſaltem quando peccatum, vel excommunicatio petentis eſt publica, licèt non faciat eum vitandum, debebit Parochus negare, cùm iam poſſit pertinere ad iudicium Eccleſiæ; quod tamen eſt contra praxim: nullus enim Parochus negat aſſiſtentiam coniugi, cuius peccatum aliquod graue communiter cognoſcitur.

Alij reſpondent, diſcrimen eſſe, quòd quando contrahens eſt ſolùm in ſtatu peccati, agitur ſolùm de vnico peccato externo vitando indignæ ſuſceptionis Sacramenti, quod quidem iam peccator, quantum potuit, interiùs compleuit, & à quo ſperatur poſtea facilè emendandus. Quando autem ſubeſt impedimentum occultum, agitur de plurimis peccatis vitandis, quæ per totam vitam committet coniux fornicando cum putatitia vxore, vel votum caſtitatis violando, aut etiam de vitando irreparabili damno tertij, cum quo alter tenetur contrahere: quæ omnia magis nos obligant, vt ea impediamus, etiam cum aliorum infamia, quàm illud periculum, ne quis exteriùs Sacramentum indignè ſuſcipiat, quo peccatum iam interiùs, quantum potuit, admiſit. Ita P. Coninch *loco ſuprà citato, num. 69.* 210.

Reſpondent alij.

Sed contra: quia non omnia impedimenta Matrimonij afferunt eiuſmodi inconuenientia poſt ſe; nam votum non ineundi Matrimonium eſt ex impedimentis Matrimonij impedientibus; & tamen non affert ea inconuenientia aliorum peccatorum ſubſequentium; quia ſemel inito Matrimonio, poterit licitè coniux ille reddere, & petere debitum coniugale: quod idem ferè eſt de voto caſtitatis: nam ſemel inito, & conſummato Matrimonio, non eſt periculum certum ſemper aliorum peccatorum ſequentium: & tamen eiuſmodi impedimenta etiam ſecreta faciunt, quòd Parochus debeat repellere volentes contrahere. 211.

Hæc etiam reſponſio euertitur.

Dices, in iis caſibus procedere illud aliud inconueniens de damno irreparabili Dei, cui fides data per votum irreparabiliter frangitur. Sed contrà; quia ſi aliquis vouiſſet non ſumere Euchariſtiam in peccato, non poſſet ſacerdos ei in publico petenti negare Euchariſtiam propter illud peccatum occultum, licèt tunc etiam irreparabiliter læderet ius Deo acquiſitum per tale votum: hoc ergo non ſufficit de ſe, vt repellantur volentes contrahere cum eiuſmodi impedimentis occultis. Adde, poſſe ſæpè contingere, vt eiuſmodi periculum peccatorum ſequentium vitari poſſit; ſi, v.g. Parochus ſciat, ſe poſſe illi coniugi habenti votum caſtitatis impetrare facilè poſtea diſpenſationem voti, aut ſe habere facultatem ad diſpenſandum cum ipſo poſt Matrimonium initum ad petendum debitum, prout aliqui ex priuilegio habent, in quibus caſibus non deberet præcisè propter peccata ſubſequentia repellere illos cum infamia præſenti, ſine qua poſſet faciliùs ea peccata poſtea impedire. 212.

Inſtantia. Diluitur.

Addit aliam rationem diſcriminis idem Auctor ibi, quod ſcilicet ex denuntiatione eorum impedimentorum non ſint ordinariè nata ſequi eadem incommoda, quæ ex repulſa occulti peccatoris, quia ea impedimenta debent coram Ordinario probari: quare non tam facilè poſſunt fingi, nec ex iis ita poteſt naſci ſcandalum, aliorumque turbatio. 213.

Aliam rationem diſcriminis addit Coninch.

Sed contrà; quia non minùs poteſt probari coram Ordinario excommunicatio occulta, quàm votum occultum caſtitatis, imò multò faciliùs; ergo ſi propter debitam correctionem, & vitandum peccatum contrahentis debet Parochus ſuſcipere in ſe onus probandi votum, vel certè denuntiandi, debet etiam ſuſcipere onus probandi, vel denuntiandi excommunicationem. Adde, eiuſmodi impedimenta etiam abſque probatione plena ſufficere, vt Ordinarius repellat; ergo & excommunicatio occulta non plenè probata ſufficere. Denique, ergo quando

Reijcitur.

excommuni

excommunicatio publica eſt, vel peccatum aliud, poterit, & debebit Parochus repellere volentem contrahere Matrimonium: tunc enim facilè probabit, quod omnes norunt, nec ſequuntur illa alia incommoda.

214. Senſit hanc difficultatem P. Th. Sanch. poſtea in alio loco *lib. 7. de Matrim. diſp. 11. n. 11.* quam in ſimili ferè caſu ſibi opponens, fatetur, eſſe fortem: & tamen aſſignare conatur diſcrimen inter contrahentem cum excommunicato non vitando, vel cum habente votũ caſtitatis: quia ſcilicet excommunicatio non eſt impedimentũ ſpeciale Matrimonij, ſed ſicut peccatum mortale impedit omniũ Sacramentorum ſuſceptionem. Cùm ergo non ſit ſpeciale impedimentum Matrimonij; nec illi obſtet, quatenus contractus eſt, ſed ratione Sacramenti, inde eſt, vt id obſtaculum non afficiat vtrumque contrahentem. At votum eſt impedimentum ſpeciale Matrimonij, vt eſt contractus, ac proinde vtrumque contrahentem impedit. Iuſtus enim contractus Matrimonij petit in neutro contrahente eſſe impedimentum impediens, aut dirimens.

Aliquid addit P. Sãchez propter difficultatẽ quam fortem eſſe fatetur.

215. Hæc ratio applicari etiam poteſt ad caſum noſtrũ de obligatione Parochi, & magis fortaſſe attingit punctũ diſcriminis; ſed indiget explicatione. Adhuc enim videtur ſupereſſe difficultas, quid faciat illa maior, vel minor ſpecialitas, vt ideo vnum impedimentum debeat denuntiari, & non alterum. Ponamus, v.g. Petrum obligatum eſſe Ioanni ad nullum prorſus contractum celebrandum abſque eius conſenſu, aut conſilio, vel à ſuperiore poteſtatem habente eiuſmodi præceptum habere: hoc quidem non eſt impedimentum ſpeciale Matrimonij, ſed commune omnium contractuum, & tamen erit ex impedimentis, quæ denuntianda eſſent, & propter quæ Parochus deberet illum repellere; ergo quòd excommunicatio ſit impedimentum commune ad omnia Sacramenta, non facit, quòd non debeat propter eam repelli volens contrahere Matrimonium.

Indicat tamẽ adhuc explicatione.

216. Adhuc exiſtimo, rationem illam explicari poſſe in debito ſenſu, quòd ſcilicet differentia ſit inter ea, quæ impediunt Matrimonium ſub communi ratione Sacramenti, prout impedit excommunicatio, vel peccatum mortale, & inter ea, quæ impediunt illud ſub ratione ſiue communi, ſiue ſpeciali contractus, prout ſunt alia impedimenta dirimentia, vel etiam impedientia Matrimonij. Nam impedimenta prioris generis non magis impediunt circa Matrimoniũ, quàm circa Euchariſtiam, Confirmationem, Extremam-Vnctionem, quæ vidimus non eſſe in publico neganda propter obicem occultum; quæ ratio à fortiori procedit in Matrimonio, prout Sacramentum eſt: imò magis, quàm in aliis Sacramentis; ea enim ſaltem debent negari publico peccatori: non tamen debet Parochus repellere publicum vſurarium, aut concobinatiom à celebrando Matrimonio; quia in hoc Sacramento Parochus non eſt miniſter, nec ipſe confert tanquam paſtor, & diſtributor illud Sacramentum, ſed aſſiſtit quaſi teſtis, vel Notarius publicus, ad quem non ſpectat examinare merita ſuſcipientis, ſed fidem facere, & teſtari quæ videt.

Sunt aliqua quæ impediũt Matrimoniũ ſub ratione communi Sacramenti, alia quæ ſub ratione contractus.

Propter priora Parochus non debet negare aſſiſtentiam, ſecus propter alia.

217. Alia eſt ratio de iis, quæ impediunt Matrimoniũ, prout contractus eſt; nam contractus humani, prout tales ſunt, pertinent ad Principem, ſeu ſuperiorem humanum, vt iudex eſt; iudex autem habet ius examinandi, & inquirendi, an contractus legitimè, & debitè fiat: poteſt ergo vt iudex inquirere de impedimentis legitimis, vt conſtet, an debeat ſuam auctoritatem interponere in tali contractu, an potiùs prohibere, ne fiat. Non tamen debet inquirere de aliis peccatis, quæ aliunde, & extrinſecè poſſunt illi contractui aduenire. Sicut etiam Notarius debet non conficere inſtrumentum publicum ſuper contractu facto contra iuris prohibitionem, & in quo non ſeruantur omnes conditiones legitimæ, tam quæ non reddunt, quàm quæ reddunt irritũ contractum, non tamen debet Notarius inquirere, an contrahentes aliunde peccent in ipſo contractu, vt peccant contrahentes ex fine vitioſo, & mortali. In Sacramentis autem vt Sacramentis hoc non procedit, quia circa ipſa miniſtri non ſunt iudices (excepto Sacramento Pœnitentiæ,) ſed diſpenſatores; & in aliquibus ſunt diſpenſatores eorũ, ad quæ omnes fideles habent ius. Vnde non habent in illis ius inquirendi, ſed debitum miniſtrandi, & dandi medicinam, cibum ſpiritualem, &c. omnibus, qui petunt, & licèt vt paſtores debeant non dare indignis, hoc tamen non debet eſſe cum infamia petentis; quia cùm hoc debitũ procedat ex reuerentia Sacramenti, & hæc reuerentia lædatur, non poſitiuè, ſed negatiuè, per omiſſionem maioris reuerentiæ debitæ in petitiõne indigna, vt ſuprà vidimus; non debet paſtor impedire illud peccatum cum infamia poſitiua petentis.

Adde, Parochum, vt diximus, non eſſe miniſtrum 218.
Sacramenti in Matrimonio, ſed teſtem, vel quaſi iudicem præſtantem auctoritatem contractui ſua præſentia, atque adeo conſiderando Matrimonium, vt Sacramentum eſt, non habet Parochus debitum, aut ius repellendi indignum, ſed ſolùm habet ius repellendi petentem cũ impedimento aliquo contra Matrimonium, vt contractus eſt; quia prout ſic ſubditur ſuperioribus Eccleſiaſticis, vt iudicibus contractuum: & licèt non in omnibus contractibus iudices, & ſuperiores adhibeant hanc inquiſitionem; quia in iis non multum refert, quòd fiant contra aliquam prohibitionem, aut quando ratione alicuius impedimenti non deberent fieri: in Matrimonio tamen propter rei grauitatem, & quia affert ſecum deliberationem de tota vita, vtitur toto iure ſuo Eccleſia, & per publicas denuntiationes, ac monitiones inquirit: ſicut & in profeſſione Religioſa, in alienatione rerum Eccleſiæ, in donationibus exceſſiuis, & aliis ſimilibus prouiſum eſt à iure de certis ſolemnitatibus ad præcauendam omnem fraudem, & vitanda omnia inconuenientia, quæ in his materiis grauioribus grauiores eſſent.

Ex his autem patet iam reſponſio ad ſecundam 219.
obiectionem ſupra propoſitam ex cooperatione, qua Parochus videtur cooperari peccato indignè ſuſcipientis Sacramentum Matrimonij: quod peccatum poſſet facilè Parochus vitare, ſaltem quando peccatum petentis eſt publicũ, atque adeò nulla ſequitur infamia ex negatione ſuæ aſſiſtentiæ. Reſpondetur enim, eam cooperationem eſſe valde materialem, & inculpabilem Parocho, qui non poteſt negare ſuam aſſiſtentiam, quam debet vt miniſter publicus: ſicut nec publicus Notarius, vel iudex poteſt negare auctoritatem ſui muneris contractui alicui legitimo, licèt contrahens ex intentione praua peccet in ipſo contractu; & ſicut vxor non peccat reddendo debitum coniugale viro petenti contra votum caſtitatis, quod habet: ſic nec Parochus peccat aſſiſtendo, quia reddit, quod ex munere ſuo debet, & quod abſque graui inconuenienti negare non poteſt: ſi tamen poſſet facilè petentem admonere, & remouere ab ea indigna receptione Sacramenti, deberet vtique ex lege charitatis id facere; perſiſtenti autem, & valenti contrahere Matrimonium, non poteſt aſſiſtentiam debitam ſubtrahere, iuxta regulas ſupra poſitas; quod à fortiori conſtabit ex dicendis ſectione ſequenti.

Ex his iam patet reſpõſio ad obiectiõnẽ ſupra poſitã.

SECTIO XIV.

Vtrùm coniux ipſe, quatenus miniſter Sacramenti peccet mortaliter contrahens Matrimonium cum peccatore; vbi, an ex hoc etiam capite peccet grauiter Catholicus ducens vxorem hæreticam.

220. Oportet regulam illam de obligatione miniſtri non conferendi Sacramentum indigno examinare in particulari in ordine ad Sacramentum Matrimonij; quia hoc tempore à viris grauiſſimis regula illa generalis oppoſita eſt Principibus viris petentibus ab Apoſtolica Sede facultatem contrahendi ob iuſtas cauſas Matrimonium cum perſonis hæreticis. His, inquam, oppoſitum fuit, peti facultatem ad rem intrinſecè malam, ſcilicet ad conferendum ſcienter indigno Sacramentum Matrimonij, quod cùm coniux Catholicus licitè facere non poſſit, nec Pontifex id licitè indulgere poterit. Supponunt enim, in hoc Sacramento miniſtros eſſe ipſos coniuges, qui ſibi inuicem miniſtrant, & conferunt Sacramentum, non verò Parochum; vt docent communiter Theologi ferè omnes, vnde contrariam ſententiam temeritatis notâ afficere videtur nouiſſimus Index Expurgato-
221. rius Cardinalis ſupremi Inquiſitoris in Hiſpania editus anno 1632. in quo præcipitur apponi cautio in margine in quodam Auctore, qui eam doctrinam tanquam probabilem referebat; vt conſtat in eodem Expurgatorio lit. D. in verbo: *Didacus Nugnus Cabezudus.* Sunt tamen alij ex Recentioribus, qui eam expreſsè docent, & defendunt; vt Franciſcus Syluius *in 3. p. q. 42 Supplementi, art.* 1. ſequutus Guillelmum Eſtium, qui eandem ſententiam ferè amplectitur, & latè probat *in* 5. *diſt.* 26. §. 10. Sed quidquid ſit de hoc, hinc oritur difficultas, quia Catholicus contrahens cum hæretica miniſtrat ſcienter Sacramentum indigno; quod cùm ſit intrinſecè malum, non poteſt à Pontifice concedi, vt fiat.

Franc. Sylu. Guil. Eſtius

222. Non eſt animus agere nunc, an, & quando licitum ſit Matrimonium Catholicorum cum Hæreticis, & quæ pericula prolis educandæ, aut peruerſionis proprię debeant præcaueri, vt careant turpitudine intrinſeca; de quo vltra alius videri poteſt Baſil. Pont. *in Appendice poſt lib.* 12. *de Matrim* vbi latè id tractat: hoc enim non pertinet ad præſentem quæſtionem, ſed ſolùm, an maneat intrinſecè malum, inire eiuſmodi Matrimonia ex hoc præcisè capite, quòd coniux miniſtret Sacramentum indigno: in quo videtur mihi quæſtio communis Catholicis etiam, qui contrahunt ſcienter cum Catholico, qui eſt in peccato mortali, cùm hi etiam miniſtrent Sacramentum indigno: & quamvis Hæreticus habeat aliud impedimentum propter excommunicationem, qua priuatur receptione Sacramentorum, hoc tamen inter Catholicos poteſt inueniri, ſi Matrimonium fiat cum coniuge excommunicato non vitando: & parum difficultatis addit impedimentum excommunicationis in hæretico, in ordine ad noſtrum caſum, vt videbimus.

Baſil. Pont.

Hic ſolùm examinatur, an ſit intrinſecè malum inire Matrimonia cum hæretica ex hoc ſolùm capite quòd miniſtretur Sacramentum indigno.

223. Suppono autem, ſermonem non eſſe de excommunicato vitando, qualis eſt nominatim denuntiatus, aut notorius Clerici percuſſor; cum quibus non poteſt abſque graui culpa communicari in ſacris rebus: qualis eſt miniſtratio, & receptio Sacramenti; vt notat cum aliis Thomas Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 9. *n.* 6. Debet tamen ſubintelligi exceptus caſus neceſſitatis; quæ ſicut excuſat communicationem in aliis rebus, excuſare etiam poteſt hanc; dum tamen ſit neceſſitas proportionata, quæ pro maiori rei grauitate debet vtique eſſe grauior, & proportionata ad reddendam licitam eam communicationem.

Hic non eſt ſermo de excommunicato vitando.

Sanchez

Loquendo itaque de excommunicato tolerato, multi dicunt peccare mortaliter contrahentem Matrimonium cum eiuſmodi excommunicatis; quos latè infert Sanchez *loc. cit. n.* 7. vnde à fortiori idem dicent de contrahente cum hæretico. Fundamentum præcipuum eſt; quia licèt Concilium Conſtantienſe indulſerit aliis communicationem cum excommunicatis toleratis: non tamen intendit in aliquo ipſis excommunicatis fauere: vnde ipſi non minùs peccant nunc in eiuſmodi celebratione Matrimonij, quàm antea; ac per conſequens, qui cooperatur ad Matrimonium, videtur cooperari ad peccatum alterius quod eſt intrinſecè malum: nec quoad hanc culpam potuit à Concilio Conſtantienſi liberari.

Alij tamen dicunt, poſſe licitè cum eiuſmodi excommunicatis contrahi Matrimonium, quam ſententiam cum aliis, quos affert, tenet Sanchez *ibi n.* 8. & alij plures recentiores; quia cùm Concilium intenderit indulgere, & auferre ſcrupulos, qui oriebantur ex communicatione cum iis excommunicatis, id autem fieri non poſſit, vt probat argumentum contrariæ ſententiæ, niſi faciendo licitam eam communicationem ipſis excommunicatis, quando ipſi non ſe ingerunt, ſed inducuntur ab aliis, credendum eſt, id totum feciſſe Concilium in fauorem aliorum qui cum ipſis volunt communicare: alioquin nullum fauorem præſtitiſſet aliis, ſi relinqueret iis adhuc culpabilem, & illicitam communicationem cum iis excommunicatis. 224.

Cæterùm totum hoc non tendit formaliter ad punctum difficultatis noſtræ, quæ ſolùm eſt, an ſit illicitum illud Matrimonium præcisè ex eo, quòd miniſtretur indigno; quidquid ſit de illa alia radice prouenienti ex communicatione, vel cooperatione cum excommunicato. Vt tamen reſolutio ad praxim deduci poſſit, dico breuiter, in primis mihi ſatis probabilem eſſe ſententiam modò relatam, quòd ſcilicet Concilium Conſtantienſe indirectè conceſſerit ſis excommunicatis non denuntiatis licitè communicare cum aliis, quando ab iis inducuntur, & ipſi non ſe ingerunt: & hoc quidem non in eorum excommunicatorum fauorem, ſed illorum, qui cum ipſis communicant. Vnde eodem modo ex hoc capite non erit illicitum Matrimonium Catholicorum cum hæreticis, ſi alia inconuenientia, & pericula vitentur: vt fatetur cum aliis idem Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 72 *n.* 5. & Ioan. Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 7. *de impedimentis Matrimonij, dub* 24. & alij; quia cùm illi non ſint excommunicati denuntiati nominatim, nec Notorij percuſſores Clerici; eadem regula videtur de illis procedere quoad hoc, quæ de aliis excommunicatis. Denique neque ex eo, quòd Sacramentum miniſtretur indigno, dicendum eſt peccare coniugem Catholicum cum hæretico contrahentem: quod multis argumentis probari poteſt. 225.

Punctum præciſe difficultatis eſt, an ſit illicitum illud Matrimonium ex capite ſuprà relato.

Sanchez.

Io. Præpoſit.

Neque peccat Catholicus cũ hæretico contrahens ex eo quod miniſtret indigno.

Primò, ex praxi omnium fidelium. Si enim peccaret coniux miniſtrans Matrimonium hæretico, propter obligationem non miniſtrandi indigno; peccaret etiam miniſtrans idem Sacramentum Catholico, quem ſciret eſſe in ſtatu peccati; cùm hic etiam ſit indignus, & incapax gratiæ Sacramentalis, vt conſtat. Nullus autem iniecit adhuc talem ſcrupulum perſonis Catholicis, vt non poſſint licitè contrahere Matrimonium cum peccatoribus, nec vllus Theologus obligat fœminam ad repellendum ſponſum, & negandum conſenſum Matrimonij 226.

Probatur primò ex praxi fidelium.

monij, quandiu ille eſt in ſtatu peccati, ſed vnuſquiſque tenetur ſe ipſum in gratia conſtituere; conſortem verò relinquit ſuæ conſcientiæ, vt conſtat ex vſu omnium fidelium: ergo non agnoſcunt hanc obligationem non miniſtrandi Sacramentum Matrimonij coniugi indigno.

227. *Secundò, ex praxi Eccleſiæ & Pontificum, qui in hoc diſpenſarunt cùm non poſſint in re intrinſecè mala diſpenſare.* Secundò probatur hoc ipſum ex praxi Eccleſiæ, & ſummorum Pontificum, qui requiſiti diſpenſarunt cum perſonis Catholicis, vt poſſent inire Matrimonia iuſtas ob cauſas cum Hæreticis. Sic diſpenſatum eſt in Chalcedonenſi Concilio *act.* 15. *can.* 14. generaliter, vt fierent ea matrimonia, ſi coniux Hæreticus promitteret conuerſionem, ſicut & in Concilio etiam Laodicenſi *c.* 31. & Agathenſi *c.* 67. Promittere autem conuerſionem, non eſt conuerti; nec per hoc tollitur actualis indignitas, aut excommunicatio. Clemens VIII. anno 1604. ex conſilio Cardinalium, in Congregatione re diſputata, & tractata, ſimilem diſpenſationem conceſſit Catharinæ ſorori Henrici IV. Regis Franciæ, vt cùm eſſet adhuc hæretica, nuberet Duci Barenſi Catholico conſanguineo ſuo, quod Breue datum Romæ 8. Febr. ann. 1604. ego legi, & miſſum fuit ad Innocentium Bubalum Epiſcopum Camerinen. tunc Nuntium Apoſtolicum in Gallia, poſtea Cardinalem: non habuit tamen effectum diſpenſatio, quia prædicta Catharina, antequam Breue ad eius manus veniret, mortua eſt. Quæ omnia, oſtendunt, non eſſe intrinſecè malum eiuſmodi coniugium, ex illo capite miniſtrandi Sacramentum indigno, alioquin diſpenſaſſet Eccleſia, & Pontifices ad rem intrinſecè malam exequendam, quam coniux Catholicus abſque peccato mortali facere non poteſt, quod quidem incredibile videtur; quid enim hoc eſſet, niſi opem præſtare, & fouere peccata, quæ abſque eiuſmodi diſpenſatione Catholicus non committeret.

228. *Tertiò, ex praxi aliquarum Prouinciarum.* Tertiò, probatur hoc ipſum ex praxi aliquarum Prouinciarum, in quibus permixti ſunt Catholici cũ Hæreticis, & ſeſe mutuò in Matrimonio coniungunt, videntibus, & conſentientibus Prælatis. Vnde audio, in Curia Romana in omnibus diſpenſationibus matrimonialibus, quæ expediuntur pro regno Franciæ, ſupprimi clauſulam illam apponi ſolitam: *dummodo orthodoxæ fidei cultores exiſtant*; quæ ſuppreſſio videtur eſſe implicita permiſſio eiuſmodi coniugiorum. Hoc autem non fieret, ſi coniux Catholicus neceſſariò peccaret miniſtrando ſacramentum indigno.

229. *Quartò ratione, ſi Catholicus poteſt recipere licitè Sacramentum ab excommunicato, poterit etiam miniſtrare, cum recipere & miniſtrare ſint idem in Sacramento Matrimonij.* Quartò, probari poteſt, quia coniux non ſolùm miniſtrat, ſed recipit etiam Sacramentum ab altero coniuge: poteſt autem licitè accipere, & petere Sacramentum à miniſtro etiam excommunicato tolerato poſt conceſſionem Concilij Conſtantienſis; ergo & poterit ei miniſtrare. Conſequentia probatur. Primò, quia in Extrauaganti Martini V. quam recitat Soto *in* 4. *diſt.* 22 *q.* 1. *art.* 4 æquè conceditur vtrunque, ſcilicet, quòd in poſterum nemo teneatur eiuſmodi excommunicatos vitare in ſuſceptione aut adminiſtratione Sacramentorum: non ergo minùs licet miniſtrare, quàm accipere, aut petere. Secundò, probatur eadem conſequentia, quia, in Sacramento Matrimonij idem omnino eſt petere, ſeu accipere ab aliquo, ac miniſtrare eandem; ergo, cui licet petere, vel accipere ab excommunicato, licèt miniſtrare eidem, cùm ſit omnino idem. Tertiò denique; quia vel peccat miniſtrans propter communicationem cum excommunicato in re ſacra; & hoc non, cùm permiſſa ſit iam eiuſmodi communicatio cum toleratis: vel peccat propter cooperationem ad peccatum, quod alter committit, dum in excommunicatione miniſtrat, & recipit Sacramentum: & neque ex hoc capite peccat; quia (vt diximus) facultas data aliis petendi Sacramenta ab excommunicato tolerato, dat indirectè facultatem eidem excommunicato tunc ea miniſtrandi licitè, alioquin nullius momenti eſſet talis facultas: non poteſt autem excommunicatus licitè miniſtrare Matrimonium, quin licitè etiam tunc illud accipiat; cùm idem ſit miniſtrare, & accipere; quare ſi datur ei facultas indirectè miniſtrandi, quando alius petit, dabitur etiam eis facultas recipiendi licitè, non obſtante excommunicatione, vel denique peccat propter cooperationem ad peccatum alterius, qui licèt tunc non impediatur excommunicatione, impeditur tamen ſtatu peccati, in quo eſt, ne in eo ſtatu recipiat licitè Sacramentum. Sed neque ex hoc etiam capite peccat, qui petit; poteſt enim ob neceſſitatem, vel vtilitatem notabilem ſuam petere ab alio, non quidem rem intrinſecè malam, ſed rem, quam alius poteſt licitè facere, licèt de facto hic & nunc non ſit abſque peccato facturus: Sic petit quis licitè mutuum ab vſurario, & iuramentum à peieraturo, &c. ſimiliter poteſt petere Matrimonium ob neceſſitatem, vel vtilitatem notabilem ab eo, qui eſt in peccato, quia ipſe poteſt id licitè dare, cùm poſſit per contritionem conſtituere ſe in ſtatu gratiæ, atque ita miniſtrare, & recipere dignè Sacramentum: ex nullo ergo capite redditur illicitum miniſtrare Sacramentum Matrimonij eiuſmodi perſonis.

Dices, eſſe illicitum ex peculiari obligatione, quam omnis miniſter Sacramenti habet non conferendi Sacramenta indignis. Sed contrà, quia miniſter huius Sacramenti, vt vidimus, ſimul miniſtrat, & accipit; quare non videtur debere magis ſequi conditionem miniſtri, quàm petentis; cùm autem in aliis Sacramentis, qui accipit, poſſit petere, & accipere ab indigno; non debet eſſe deterioris conditionis in hoc Sacramento, ex eo, quòd ſimul petat, & miniſtret. 230. *Inſtantia. Diluitur.* Vnde colligi poteſt ratio diſcriminis à miniſtro aliorum Sacramentorum: nam in aliis Sacramentis miniſter eſt Paſtor, & cui ex munere proprio competit diſtributio Sacramentorum, quaſi perſonæ publicæ attendenti ad bonum publicum; atque ideo ad eum ex munere pertinet cognoſcere merita, vel demerita eorum, quibus communia diſtribuit, vt ſatisfaciat debito fidelis diſpenſatoris. Et licèt in caſu neceſſitatis laicus poſſit baptizare, qui eſt homo priuatus; id non refert, quia in eo caſu propter neceſſitatem ſubſtituitur loco miniſtri publici, & conſequenter ſubit eius obligationem, quoad hoc debitum non miniſtrandi indigno. At verò in Sacramento Matrimonij miniſter non eſt paſtor, nec homo publicus, aut diſtributor bonorum communium; qui tanquam œconomus ex munere ſuo, & debito fidelis diſpenſatoris debeat attendere, & examinare merita ſuſcipientium; ſed eſt perſona priuata celebrans contractum, atque adeò ex munere ſuo ſolùm attendit ad vtilitatem, & commodum proprium. Sicut in republica humana alia eſt obligatio vendentis propriam domum, vel fundum, alia œconomi, vel ſuperioris diſtribuentis res communes: hic enim debet attendere ad merita ſuſcipientis; ille verò ad ſuam commoditatem, & vtilitatem contractus. Idem ergo cum proportione dicendum eſt de celebrante Matrimonium, quod ſequitur conditiones aliorum contractuum ciuilium, & fit à contrahente vt perſona non publica, ſed priuata.

231. *Confirmatur.* Confirmarique poteſt, quia propter eandem rationem in aliis Sacramentis non licet vnquam miniſtro fingere; oſtendendo ſe velle conferre aliquod Sacramentum, cùm tamen interiùs habeat intentionem contrariam; quia nimirum reuerentia debita Sacramento exigit, vt actio illa ſacra, quæ inſtituta eſt

ſolùm

ſolùm ad ſanctitatem conferendam, non exerceatur abſque ſuo fine ſanctitatis ponendæ. In Matrimonio tamen poteſt ex iuſta cauſa aliquis fingere externùs conſenſum, quem internùs non habet; vt cum aliis
Th. Sanch. docet Thomas Sanchez *lib. 1. de Matrim. diſp.* 11. *n.* 2. quia nimirum ſequitur conditionem contractuum, in quibus ex iuſta cauſa licet aliquando contrahentibus fingere conſenſum, quem verè non habent; nec debuit propter reuerentiam Sacramenti priuari contrahens hac facultate in contractu matrimonij. Similiter ergo reuerentia Sacramenti, quæ in aliis Sacramentis obligat miniſtrum ad non conferendum indigno, non debuit obligare miniſtrum Matrimonij; quia propter rationem contractus ordinati ad vtilitatem contrahentis non eſt tanta obligatio attendendi ad reuerentiam Sacramenti.

Hinc infero, quid dicendum ſit, quando excom-
232. municatus toleratus inducit alium ad Matrimonium, an poſſit acceptare? In quo caſu P. Sanchez *d. lib. 7. diſp. 9 n. 8. in fin.* dicit, præuentum ab excommunicato ideo poſſe acceptare, quia per hoc non inducit alium ad peccatum indignæ ſuſceptionis, cùm poſſit, ſi velit, abſolutionem obtinere & licitè ſuſcipere, ſi verò excommunicatus abſolutionem obtinere non poſſet, tunc nullo modo liceret cum illo tunc contrahere, quia non poteſt excommunicatus licitè contrahere præueniendo, licèt poſſet quando ab alio præuenitur propter permiſſionem Concil. Conſtantienſ. ſuprà explicatam. Hoc tamen durum mihi videtur, quia poteſt ad minus ille, qui præuenitur ab excommunicato, ipſe denuo petere ab ipſo Matrimonium; non enim priuatur iure, quod habet ad petendum, & inducendum excommunicatum; tunc autem iam excommunicatus poterit licitè contrahere etiam nondum abſolutus, quando abſolutionem obtinere non poteſt: quia in fauorem alterius petentis ipſe poteſt communicare cum eo licitè: ergo etiamſi excommunicatus præueniat, adhuc non excommunicatus poterit acceptare, ſi fiat de inducto inducens, & petens, prout vno verbo fieri poteſt. Quid verò dicendum, quando vterque eſſet excommunicatus, tractat latè idem Sanchez *ibi n.* 11.

Hinc infertur quid dicendum ſit cùm excommunicatus alium inducit ad Matrimonium.

DISPVTATIO IX.

De Suſcipiente Sacramentum.

SECTIO I. *De diſpoſitione requiſita in eo, qui ſuſcipit Sacramentum.*

SECTIO II. *Vtrùm cum æquali diſpoſitione æqualem gratiam ſemper adulti ſuſcipiant ex vſu Sacramentorum.*

SECTIO III. *Vtrùm, qui ſuſcipit Sacramentum indignè, poſtea ablato obice, conſequatur gratiam Sacramentalem; vbi id in primis probatur de Baptiſmo.*

SECTIO IV. *Qualis diſpoſitio requiratur ad tollendum obicem Baptiſmo indignè ſuſcepto.*

SECTIO V. *Reſoluuntur alia dubia circa eandem materiam.*

SECTIO VI. *An alia Sacramenta fictè ſuſcepta cauſent gratiam ablato obice.*

SECTIO VII. *Quæ, & qualis intentio requiratur in ſuſcipiente Sacramentum.*

IN ſuperioribus multa dicta ſunt obiter de ſubiecto ſuſcipiente Sacramentum: pauca quædam reſtant nunc breuiter examinanda.

SECTIO I.

De diſpoſitione requiſita in eo, qui ſuſcipit Sacramentum.

SVpponimus ex dictis, à fortiori obligationem eſſe non ſuſcipiendi indignè Sacramentum. Ad 1.
hoc enim magis obligat reuerentia Sacramẽti, quàm ad dignè miniſtrandum; nam ex indigna ſuſceptione Sacramentum priuatur ſuo principali effectu, ad quem ſignificandum inſtitutum eſt, ſcilicet gratia ſanctificante; quod non prouenit ex indigna adminiſtratione, & per conſequens redditur falſa ſignificatio ipſius Sacramenti, quod inſtitutum eſt principaliter ad ſignificandam gratiam, & ſanctitatem ſuſcipientis; quam tamen in eo caſu non ſignificat practicè propter indiſpoſitionem & obicem ſubiecti. Qualis autem diſpoſitio requiratur in ſubiecto, vt ſit diſpoſitus, pertinet ad ſingula Sacramenta in particulari. Ad aliqua enim prærequiritur ſtatus gratiæ, ſaltem per ſe loquendo, quia ſunt Sacramenta viuorum; ad alia licèt non prærequiratur ſtatus gratiæ, quia ſunt ordinata per ſe ad dandam primam gratiam, requiritur tamen dolor de peccatis, vel motus aliquis æquiualens; vt in Baptiſmo, & Pœnitentia. Sermo autem eſt de ſuſcipiente adulto; nam in infante certum eſt, non prærequiri aliquam diſpoſitionem ad Baptiſmum: ad alia verò Sacramenta, quorum eſt capax, prærequiritur character Baptiſmalis, & nihil aliud. Quod idem intelligendum eſt de amente perpetuo, qui nunquam habuit vſum rationis, & omnino æquiparatus infanti.

Supponitur obligatio non ſuſcipiẽdi indignè Sacramentum.

Vnde ſemper in adulto requiritur aliqua diſpoſitio.

Contra hanc communem, & veram doctrinam, 2.
obiici poteſt primò, quia licèt propter obicem peccati Sacramentum non conferat gratiam, non ideo Sacramenti ſignificatio erit falſa; nam Sacramenta non ſunt inſtituta ad ſignificandam infallibiliter gratiam abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione, ſcilicet, ſi non adſit obex; non enim ſignificant gratiam, niſi eo modo, quo eam poſſunt cauſare: cùm ergo non poſſint cauſare gratiam abſolutè, ſed ſolùm, quando non eſt obex, conſequens eſt, vt non ſignificent gratiam, niſi ſub eadem conditione; non ergo erit falſa eius ſignificatio ex eo, quòd exiſtente obice non ponatur gratia.

Obiicitur.

Reſpondetur, illam communem rationem deſum- 3.
ptam ex falſitate ſignificationis, non eſſe intelligendam in eo ſenſu, quaſi Deus, poſito Sacramento cum obice, reuera ſignificet falſum; id enim non ſequitur, cùm Deus tunc nec cauſet, nec ſignificet gratiam, ſed debet ita intelligi, quòd recipiens Sacramentum cum obice, facit, quòd illud ſignum quod Deus inſtituit ad ſignificandam abſolutè gratiam, ponatur in his circumſtantiis, in quibus Deus non poteſt per illud ſignificare abſolutè gratiam. Nam ſicut Deus inſtituit Sacramenta ad cauſandam abſolutè gratiam, & ideo voluit, quòd ponerentur tunc ſolùm, quando poterant abſolutè operari gratiam, nullo exiſtente obice; ſic ea inſtituit ad hoc, vt ponerentur tunc ſolùm quando per illa poſſet abſolutè ſignificare gratiam. Qui ergo cum obice accipit Sacramentum, ponit illud in iis circumſtantiis, in quibus Deus non poteſt per illud abſolutè ſignificare gratiam, & hæc ipſa eſt irreuerentia grauis; nimirum, ponere ſignum, quod Deus inſtituit ad ſignificandam abſolutè gratiam, in iis circũſtantiis, in quibus Deus non poteſt illũ abſolutè ſignificare. Sicut qui adducit Deum in teſtem rei falſæ, committit irreuerentiam grauem in ipſum: quia licèt non faciat, quòd Deus reuera affirmet falſum; facit tamen de ſe, vt id appareat. Sic qui accipit Sacramentum cum obice, licèt

Reſpondetur.

Qui accipit Sacramentum cum obice ponit illud in iis circumſtantiis, in quibus Deus non poteſt per illud abſolutè ſignificare gratiam.

non

non faciat, vt Deus re ipſa ſignificet falſum, id tamen facit, quantum ex ſe; ponit enim ſignum à Deo inſtitutum ad ſignificandam abſolutè gratiam, quando gratia non eſt abſolutè, & per conſequens oſtendit, Deum hîc, & nunc ſignificare aliquod falſum, & in hoc conſiſtit illa irreuerentia.

4. *Obiicitur ſecundò.* Secundò obiici poteſt, quia non apparet, adhuc quomodo Sacramenti ſignificatio reddatur falſa ex eo, quòd nnn cauſet gratiam, quando ſuſcipitur, poteſt enim eam cauſare poſtea, ablato obice, qnod videtur ſufficere, vt ſignificet verè gratiam, & ſanctitatem: ergo ex eo capite non fiet grauis irreuerentia contra Sacramentum, ſi tunc, quando ſuſcipitur, ſubiectum non ſit diſpoſitum, dum tamen habeat animum diſponendi ſe poſtea ad participandum effectum Sacramenti. *Reſponſio.* Reſpondetur, tunc etiam reddi falſam ſignificationem Sacramenti: quod quidem non ſolùm ſignificat ſanctitatem vtcunque ſubiecti, ſed etiam ſanctitatem actualem, quando confertur: ſunt enim omnia Sacramenta ſanctificationes actuales, quibus conſecratur, & ſanctificatur ſubiectum, cui conferuntur; quare ſicut redderetur falſa conſecratio Eccleſiæ vel calicis, quando applicaretur materiæ pro tunc incapaci; nam illa conſecratio ſignificat ſanctitatem actualem, & præſentem rei conſecratæ: ſic actiones ſacramentales non habent, quòd principaliter ſignificant, quando non conſecrant, & ſanctificant actu ſubiectum; cui applicantur; quia, vt vidimus in ſuperioribus, & videbimus infrà in tract. de Pœnitentia, collatio Sacramenti eſt conſecratio, & benedictio ſolemnis à Chriſto inſtituta ad conſecrandos, & initiandos homines in ordine ad diuerſos fines.

5. *Obiicitur tertiò.* Sed contrà obiicies tertiò: ergo ſi non confert ſuum effectum, Sacramentum tunc, quando miniſtratur, non poterit poſtea, oblato obice, illum conferre. Nam Sacramenta non cauſant, niſi quod ſignificant, ſunt enim ſigna practica: ſi ergo non ſignificant gratiam, & ſanctitatem, niſi per modum actualis conſecrationis, & benedictionis, non poſſunt eam cauſare, niſi eo modo; vel ſi aliter eam poſſunt cauſare: ergo aliter etiam eam ſignificant, & per conſequens retinebunt ſignificationem veram, licèt non cauſent gratiam, quando actu ponuntur.

6. *Reſpondetur.* Reſpondeo, aliqua Sacramenta cauſare gratiam poſtea recedente fictione, de quibus dicemus poſtea *ſect.* 3. ea tamen ex primaria intentione ſignificare gratiam, & ſanctitatem præſentem in ſubiecto, cui conferuntur: ſecundariò autem, & quaſi ſub conditione ſignificare ſanctificationem ſubſequentem, ſi data non fuit ſuo tempore: vnde licèt poſtea habeant effectum, ablato obice, atque ita verificentur quoad id, quod quaſi ſecundariò ſignificant; non tamen verificantur quoad id, quod primariò ſignificant. Sicut ſi dicas: Voueo caſtitatem; & rurſus ſi eam violauero, voueo ieiunia; tunc etiamſi, violata caſtitate, ieiunes, & impleas id, quod ſecundariò promiſiſti, adhuc reus es, & violator voti, quoad id, quod primariò vouiſti. Sic ſe habet promiſſio illius Sacramenti, quod quidem primariò promittit, & ſignificat ſanctitatem actualem in ſubiecto, cui confertur; ſecundariò autem ſanctitatem ſubſequentem, ſi ſuo tempore data non fuit.

7. *Soluitur ſimilis obiectio.* Eodem modo ſolui poteſt ſimilis obiectio, quæ fieri poteſt ex Sacramento Extremæ-Vnctionis, quod quidem videtur ſignificare non ſolùm augmentum gratiæ, ſed etiam primam gratiam, vt colligitur ex verbis Iacobi: *Etſi in peccatis ſit, remittentur ei*; ergo licèt non præſupponat ſtatum gratiæ, adhuc eius ſignificatio erit vera, & per conſequens non erit obligatio procurandi ſtatum gratiæ, antequam recipiatur illud Sacramentū. Ad hoc, inquam, reſpondetur eodem modo, Extremam-Vnctionem numerari etiam inter Sacramenta viuorum; quia licèt poſſit aliquando conferre primam gratiam ex ſua inſtitutione, primariò tamen ordinatur ad confortandum, & roborandum ſpiritualiter infirmum, augendo eius vires ſpirituales, ſecundariò autem, & ſub conditione, ad tollenda peccata, ſi fortè inculpabiliter non fuerit obtenta remiſſio aliis remediis: debet enim homo priùs procurare veniam peccati aliis remediis ad id prinoariò ordinatis, antequam ſuſcipiat hoc Sacramentum, quod ordinatum eſt ad tollendas reliquias peccatorum, hoc eſt, quod ex peccatis remanſit poſt alia remedia adhibita: quare primariò ſignificat hoc Sacramentum ſanitatem contra reliquias peccatorum, hoc eſt, contra id, quod reſiduum eſt ex peccatis, aliis viis, & remediis expulſis. Secundariò ſignificat eorum etiam expulſionem, ſi caſu alieno non fuerunt expulſa; quem finem licèt conſequatur, & habeat veram ſignificationem quoad ſecundam partem, adhuc erit falſum ſignum, quoad primarium ſignificatum, quando non fuerunt priùs alia remedia adhibita contra peccata, prout adhiberi debuerant.

Dubitari poteſt, vtrùm eiuſmodi ſuſceptio Sacramenti in ſtatu peccati ſit adeò illicita, vt nullo caſu licita reddatur. 8. P. Suarez loquens de Sacramento *Suarez.* Euchariſtiæ *infrà diſp.* 62. *ſect.* 5. *in reſponſione ad* 4. *argumentum*, nullum videtur agnoſcere caſum, quo id licitū ſit. Hoc tamen nimis durum videtur, quia reuerentia Sacramenti non videtur ita ſtrictè obligare, vt in nullis circumſtantiis debeat ad alia incommoda attendi. Vnde P. Vaſquez *tom.* 3. *diſp.* 207. *Vaſquez.* *de Euchariſtia, c.* 1. *n.* 3. *&* 4. fatetur aliquando, licèt *In quibuſdam caſibus ſuſceptio Sacramenti in ſtatu peccati eſt licita.* raro, euenire poſſe vt abſque peccato poſſit aliquis ſcienter indiſpoſitus, & in in ſtatu peccati Euchariſtiam ſumere: vt ſi quis in altari recordatur peccati à ſe commiſſi, & ita arctetur anguſtiis temporis, vt non poſſit attendere ad habendam contritionem, niſi ceſſando à ſacrificio inchoato cum ſui honoris diſpendio: tunc enim abſque peccato nouo poſſet ſacrificium conſummare, & Euchariſtiam ſumere, quia reuerentia Sacramenti non obligat cum tanto diſpendio proprij honoris. Vnde conſequenter idem à fortiori dicendum videtur de aliis Sacramentis, in quibus propter eadem inconuenientia, licèt rarò, occurrere poſſet caſus, quo propter anguſtias temporis homo non poſſet ſe ad contritionem præparare, vel excitare, & aliunde non poſſet abſque grauiſſimo detrimento, vel etiam irreuerentia ipſius Sacramenti, illud non ſuſcipere. In quibus caſibus licèt Sacramentum non conferret gratiam propter indiſpoſitionem ſubiecti, non tamen contraheretur nouum peccatum, ſed eſſet acceſſus neuter, hoc eſt, abſque fructu, & abſque peccato.

SECTIO II.

Vtrùm cum æquali diſpoſitione æqualem gratiam ſemper adulti ſuſcipiant ex vſu Sacramentorum.

Diximus, requiri diſpoſitionem aliquam in adultis ad gratiam ſacramentalem recipiendam, quæri ſolet, an diſpoſitio ſit vnica menſura gratiæ ſuſcipiendæ. 9. *Melior miniſter non confert maiorem virtutem Sacramento.* Certum eſt omnibus Catholicis, Baptiſmum (quod idem de aliis Sacramentis dicendum eſt) non eſſe meliorem, aut habere maiorem virtutem ad ſanctificandum ex eo, quòd miniſter, qui Sacramentum confert, melior ſit; vt ex Scriptura probant Patres. Auguſt. *lib.* 4. *de Baptiſmo contra* *Auguſt.* *Donatiſtas,*

*Donatiſtas,cap.*10. *ſub finem*; & *tract.*5.*in Ioan.col.*3. Auctor ſermonis de Baptiſmo Chriſti apud Cypria-num: Nazianzen.*Oratione in ſanctum Bapiſma*,q.4n. & Nicet. *in illam Orationem*,in illa verba: *Nihil pro-greſſum*. Chryſoſt. *in homilia de reditu ſuo de Aſia*, & alij multi. Inter Catholicos Paludan. *in* 4.*diſt* 4.*q*.1. *art*.9.*n*.1. docuit, paruulis aliquando dari inæqua-lem gratiam in Baptiſmo, non propter meliorem miniſtrum, ſed propter voluntatem Dei, qui eos ad talem gradum gloriæ prædeſtinauerat, vt homines beati, qui æquare debent in multitudine Angelos beatos,correſpondeant etiam illis in gradu beatitu-dinis, vt latera ciuitatis illius ſint æqualia. Angeli autem ſunt inæquales inter ſe in beatitudine: ergo & homines ex aduerſo eis correſpondentes debent ſeruare eundem ordinem, & inæqualitatem. Alij probant alia ratione (quam immeritò attribuit ei-dem Paludano, P.Vaſquez *in præſenti diſp*.35.c 4. *in princ.*)quia pueri ſubrogandi ſunt in locum Angelo-rum,qui ceciderunt; hi autem futuri erant inæqua-les in gratia, & gloria: ergo & pueri prædeſtinati ſunt ad inæqualem gloriam.

Auctor ſerm. de Baptiſmo Chriſti. Nazianz. Nicetas. Chryſoſt. Paludan.

50. *Quidam cenſent dari inæqualem gratiam pueris in Baptiſmo.*

Vaſquez.

51. Ab hac ſententia parum diſtat Scotus *in* 4 *diſt*. 4. *q*.7.qui indicat,eos,qui baptizantur cum æquali diſ-poſitione, accipere aliquando inæqualem gratiam, non quidem ita vt exceſſus proueniat à virtute Ba-ptiſmi,ſed ex voluntate Dei,qui hunc hominem ele-gerat ad talem gradum gloriæ,vt contingit in adul-tis; vel propter merita parentum, aut miniſtrorum, vel circumſtantium, in Baptiſmo paruulorum. Sco-tum ſequitur Gabriel *ibi q*. 1. *art*.2. *concl*.7. Nec diſ-ſentit Caietan.*in præſenti q*.64.*art*.5.

Scotus. Gabriel. Caietan.

Alia ſententia per aliud extremum refertur,quòd ſcilicet Sacramenta eiuſdem rationis etiam cum in-æquali diſpoſitione ſemper conferant æqualem effe-ctum;quia Sacramentū,vt det ſuum effectum,ſolùm exigit non inuenire obicem, qui certè æquè tollitur per quemcumque gradum diſpoſitionis. Huius ta-men ſententiæ nullum inuenio Auctorem.

52. His omnibus ſententiis opponi videtur doctrina Concil.Trid. *ſeſſ*.6 *c*.7.vbi de iis,qui per Baptiſmum iuſtificantur, docet,eos accipere iuſtitiam internam: *Vnumquemque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiri-tus ſanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem*,&c. Ex quibus verbis imprimis conſtat contra ſecundam ſententiam, Sa-cramenta non conferre ſemper æqualem gratiam,ſed inæqualem etiam pro inæquali diſpoſitione reci-pientis; vt docuit expreſsè Damaſcen. *lib*. 4. *c*.20. Ratio autem deſumitur ex congruitate prudentis diſpenſationis & retributionis; cùm enim gratia non conſiſtat in indiuiſibili, ſed habeat magis, & minus, & ad eam obtinendam, & impetrandam in Sacramento requiratur diſpoſitio ex parte hominis, conſequens eſt, vt meliori diſpoſitioni abundantior gratia correſpondeat. Nam quando homo iuſtifica-tur extra Sacramentum, certum eſt contritioni, & diſpoſitioni magis feruenti correſpondere maiorem gratiam; ei enim,qui minùs diligit, minus dimitti-tur: ergo cùm attritio in Sacramento ſuppleat lo-cum contritionis debet etiam maiori attritioni ma-ior gratia correſpondere.

Concil.Trid. Sacramenta pro inæquali diſpoſitione ſubiecti cauſant gratiam inæqualiter. Damaſcen. Ratio deſumitur ex congruitate prudentis diſpenſationis.

53. Dicet aliquis, diſpoſitionem bonam, quam homo habet tunc, quando recipit Sacramentum, habere multos gradus intentionis. Et quidem non oportet, quòd ſecundùm omnes illos diſponat ad effectum Sacramenti, ſed ſolùm ſecundùm primum gradum, cuius intuitu Deus confert effectum Sacramenti; reliqui autem gradus illius actus boni dignificantur à gratia data per Sacramentum in eodem inſtanti, & fiunt meritorij de condigno, ad promerendum au-gmentum gratiæ, & gloriæ; nihil enim videtur illis deeſſe, quo minùs ſint meritorij de condigno: nam conſiderando præcisè primum gradum illius diſpo-ſitionis, inuenitur iam totum, quod requiritur, vt Sacramentum conferat gratiam iuſtificationis: & per conſequens, vt homo ille intelligatur iuſtifica-tus independenter ab aliis gradibus eiuſdem actus boni: ergo innenitur titulus ſufficiens, à quo alij gradus dignificentur ad merendum de condigno au-gmentum gratiæ: non ergo dabitur tota illa gratia ex vi Sacramenti, ſed ſolùm id, quod correſpondet primo gradui bonæ diſpoſitionis.

Obiicitur.

Reſpondetur, etiamſi totum id concederetur, ad-huc non ſequeretur, Sacramenta eiuſdem rationis ſemper conferre omnibus æqualem gratiam. Primò, quia licèt diſpoſitio præſens attenderetur ad hunc effectum ſecundùm primum ſolum gradum,& vt ſic eſſet æqualis diſpoſitio præſens in omnibus, non eſ-ſet tamen æqualis diſpoſitio, prout comprehendit diſpoſitionem temporis præcedentis: qui enim per diem integrum ſe exercuit in actibus attritionis, & orationis feruentiſſimæ,vt prepararet ſe ad Baptiſ-mum, proculdubio eſt magis, ac meliùs diſpoſitus, quàm qui paulò ante Baptiſmum ſe præparauit. Et quidem illi actus præcedentes non poſſunt eſſe me-ritorij de condigno, cùm ſupponamus hominem nondum fuiſſe iuſtificatum per contritionem perfe-ctam,nec per Baptiſmum,omnes ergo illi actus con-currunt per modum diſpoſitionis ad gratiam Sacra-mentalem, quæ debet eſſe inæqualis ratione ſaltem illius melioris diſpoſitionis præcedentis. Secundò, etiam in ipſo inſtanti vltimo ille primus gradus diſ-poſitionis non eſt æqualis in omnibus; nam licèt quoad intentionem non eſſet inæqualitas inter duos primos gradus, eſſet tamen maxima inæqualitas, quoad ſubſtantiam, & perfectionem ſubſtantialem ipſorum actuum. Si vnus, v.g. eſſet ex meliori mo-tiuo, vel cum maiori attentione, & libertate,vel ex aliis capitibus; quæ inæqualitas deberet diſponere ad inæqualem gratiam Sacramentalem. 54.

Cæterùm id etiam, quod in argumento aſſumi-tur, falſum eſſe conſtat. Primò ex verbis Tridentini ſuprà adductis, in quibus in vniuerſum dicitur gra-tiam dari inæqualem ſecundùm menſuram propriæ diſpoſitionis, menſura ergo debet eſſe tota diſpoſi-tio ſecundùm totam ſuam perfectionem: alioquin non datur gratia Sacramentalis ſecundùm menſu-ram diſpoſitionis: per hunc enim modum loquendi ſignificatur, Sacramentum conferre maiorem gra-tiam habenti meliorem diſpoſitionem; & è contra, quod in illo caſu non verificaretur; nam ille exceſ-ſus gratiæ non proueniret à Sacramento, ſed à meri-tis condignis. Vnde ſecundò arguere poſſumus, quia qui cum meliori diſpoſitione recipit Sacramentum, non ſolùm accipit maiorem gratiam habitualem, ſed etiam accipit maius ius ad gratiam actualem, & auxilia in ordine ad finem Sacramenti; v.g. qui cum meliori diſpoſitione, & deuotione recipit Sacra-mentum Ordinis, vel Matrimonij, habet maius ius ex vi Sacramenti, ad auxilia, quibus meliùs poſſit exequi munera Ordinis ſuſcepti, vel ſuſtinere onera Matrimonij; ergo accipit etiam maiorem gratiam habitualem, nam gratia illa habitualis, quæ daretur non intuitu Sacramenti, ſed meriti condigni, non dat illud ſpeciale ius ad eum finem proprium Sa-cramenti: ergo illud maius debet fundari in ma-iori gratia habituali data ex vi Sacramenti. Vide quæ diximus ſuprà *diſp*. 4.*ſect* 3.explicantes gratiam Sacramentalem. 55.

Arguitur primò contra illud argumentum. Secundò arguitur.

Tertiò & à priori; quia licèt Deus poſſet atten-dere ſolùm ad primum gradum illius diſpoſitionis, 56.

vt

Tertiò à priori, quia magis congruum eſt, quòd Deus attendat ad diſpoſitionem integram.

vt conferret gratiam Sacramentalem, magis tamen congruum videtur, quòd attendat ad totam diſpoſitionem integram in ordine ad eum effectum. Sic enim licèt ſolus actus dilectionis Dei ſuper omnia, diſponeret ſufficienter peccatorem ad iuſtificationem: quando tamen dantur de facto actus dilectionis Dei, & actus cōtritionis, ſeu doloris de peccatis, vterque actus diſponit, & vtriuſque intuitu, & pro menſura vtriuſque, Deus confert gratiam iuſtificationis. Item quando à Deo petimus aliquid actu intenſo, Deus non mouetetur ſolùm à primo gradu intentionis, qui eſt in petitione, ſed ab omnibus gradibus illius. Similiter ergo dicendum videtur de diſpoſitione ad gratiam Sacramentalem: nam diſpoſitio illa videtur eſſe implicita petitio gratiæ; ideo enim actus pœnitentiæ dicitur in Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 4. impetrare veniam peccati: oportet ergo quod Deus ad concedendum quod petitur, moueatur à toto illo actu ſecundùm totam ſuam intentionem: imo vix poteſt intelligi, quomodo aliter fieri poſſit; cùm enim totus ille actus ſit ſimul in voluntate, & totus ſit independens à gratia Sacramentali: procedit quippe vel ab auxilio, quo Deus eleuat in actu primo hominem, vt ſe diſponat feruenter ad gratiam Sacramenti, vel certè ab habitibus infuſis præexiſtentibus iam antea independenter à Sacramento futuro; conſequens eſt, vt totus ille actus videatur à Deo, qui totus ſecundùm omnes ſui partes habet vim ad mouendum Deum, atque ideo de ſe totus mouet Deum ad dandam gratiam Sacramentalem: cauſa enim habens virtutem, & applicationem ad effectum, non eſt cur non operetur illum.

17. *Nec obſtat quod ulteriores gradus habeant condignitatem ad merendum, prout dignificati à gratia.*

Nec obſtat id, quod obiiciebatur, quòd illi gradus poterant habere condignitatem ad merendum augmentum gratiæ, prout dignificati à gratia Sacramentali data intuitu primi gradus. Reſpondetur enim, id potuiſſe intelligi: ſi gratia Sacramentalis non daretur intuitu eorum omnium graduum: de facto tamen dari, non ſolùm propter primum, ſed propter omnes gradus integrantes diſpoſitionem completam. Sicut potuiſſet etiam Deus dare gratiam Sacramentalem intuitu ſolius diſpoſitionis tempore præcedentis, & tunc tota diſpoſitio præſens dignificata à gratia Sacramentali, poſſet eſſe meritoria de condigno augmenti gratiæ; de facto tamen id non fit, ſed actus etiam præſens eſt diſpoſitio, quæ attenditur ad menſuram gratiæ Sacramentalis. Totum enim hoc redundat in maiorem vtilitatem recipientis Sacramentum: nam plus gratiæ Sacramentalis datur propter illum actum conſideratum vt diſpoſitionem, & meritū de congruo, quàm correſpondeſet illi de condigno, ſi conſideraretur vt meritum condignum dignificatum à gratia Sacramentali data independenter ab ipſomet actu. Sic etiam plus gratiæ Sacramentalis datur intuitu illius diſpoſitionis conſideratæ vt diſpoſitionis ſecundùm omnes ſuos gradus, quàm ſi danda eſſet gratia Sacramentalis intuitu ſolùm primi gradus, & poſtea alij gradus præmiandi eſſent de condigno. Aliunde verò, ſi illa gratia Sacramentalis datur intuitu totius illius diſpoſitionis, non poſſunt iam iidem gradus dignificari ab eadem gratia Sacramentali ad promerendū de condigno aliud augmentum gratiæ, quia nullus actus poteſt dignificari à gratia illa, quæ data eſt in eodem inſtanti intuitu eiuſdem actus tanquam diſpoſitionis, vt diximus latè *diſp.* 6. *de Incarnatione, ſect.* 3.

18. *Hinc infertur non dari gratiam inæqualem æqualiter diſpoſitis.*

Ex eadem doctrina Tridentini ſequitur ſecundò contra primam ſententiam, in Sacramentis non dari gratiam inæqualem habentibus æqualem diſpoſitionem. Hoc enim videntur ſignificare verba illa Concilij: *Secundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem.* Nam ſi diſpoſitio cuiuſque eſt menſura gratiæ accipiendæ, non datur minor gratia habenti meliorem diſpoſitionem: neque è contra.

Probatur ratione, quia Sacramentum non debet dici cauſare illum exceſſum gratiæ, quem nō ſignificat.

Ratione etiam probatur, quia vel ille exceſſus gratiæ aliquo modo prouenit ab ipſo Sacramento, vel non. Si dicatur primum; contra hoc eſt, quòd Sacramentum non cauſat gratiam, niſi ſignificando illam; eſt enim ſignum practicum, cauſans quod ſignificat: nullo autem modo ſignificat illum exceſſum gratiæ in hoc homine, imo quantum eſt de ſe, videbatur ſignificare oppoſitum, nempe illum alium, qui eſt meliùs diſpoſitus, accipere maiorem gratiam, hunc verò minorem. Et quidem, cùm Sacramenta debeant eſſe ſigna ſenſibilia, & humana, debent eſſe inſtituta ad ſignificandum hominibus id, quod ſignificant; certum autem eſt, Baptiſmum non poſſe humano modo ex vi ſuæ inſtitutionis ſignificare illum exceſſum gratiæ, quem in homine minùs diſpoſito cauſat; ergo illum exceſſum non cauſat, quatenus Sacramentum eſt.

Nec ille potendus, eſt ex maiori diſpoſitione miniſtri.

Nec dici poteſt, prouenire illū exceſſum à Sacramento propter meliorem diſpoſitionem, aut maiorem deuotionem miniſtri, vel parentum, aut circumſtantium. Hoc enim eſt contra communem doctrinam Patrum, negantium maiorem efficiam Sacramentis propter maiorem bonitatem miniſtrorum. Chryſoſtomus ſuprà adductus: *Multi*, inquit, *me abſente, baptizati ſunt; & quid tunc? Nihil minus habet gratia: non claudicat donum Dei: abſente me, baptizati ſunt, ſed præſente Chriſto ſunt baptizati.* Videantur Auguſtinus & Nazianzenus locis ſuprà citatis, Ambroſius lib. de Myſteriis, c. 5. S. Thom. in illa verba Pauli 1. ad Cor. 1. *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Et in præſenti *q.* 64. *art.* 1. *ad* 2. qui licèt concedat aliquid poſſe impetrari ſuſcipienti Sacramentum per deuotionem miniſtri: id tamen intelligit de auxilio aliquo, quod miniſter poteſt de congruo impetrare illi, quo ipſe meliùs ſe diſponat ad maiorem gratiam Sacramentalem recipiendam: non tamen ita vt immediatè abſque meliori ſua diſpoſitione Sacramentum plus gratiæ ei conferat. Nam ſicut hoſtia conſecrata à meliori Sacerdote non eſt melius Sacramentum; ſic nec Baptiſmus collatus à meliori miniſtro: omnia enim Sacramenta habent virtutem, & efficacitatem ſuam à Chriſto, non à miniſtris aliis, qui non ſua virtute operantur, ſed vt inſtrumenta vnius Chriſti. Chryſoſt. S.Thom.

Neque ex mera voluntate Dei. 19.

Minùs autem dici poteſt alterum membrum, ſcilicet, illum exceſſum gratiæ non prouenire ab ipſo Sacramento, ſed vel à volūtate Dei, qui hunc hominem prædeſtinauit ad maiorē gloriā, vel à miniſtris, & impetratione miniſtri, vel parentū, &c. Hoc enim repugnat apertè legi communi Dei, qui non vult dare gratiam habitualē, niſi vel propter merita condigna, vel propter Sacramenta applicata, aut contritionem extra Sacramentum. Alioquin poſſemus dicere, quòd propter eandem rationem, quia hic electus eſt à Deo ad maiorem gloriam, Deus præmiat abundantiùs in eo æqualia merita, quàm in alio: item quòd ob eundem finem dat ei gratiam abſque vllo merito, vel Sacramento. Quid enim refert, quod detur in Sacramento, ſi tamen ille exceſſus non datur intuitu Sacramenti, ſed ob meram voluntatem Dei? Planè eodem modo poterat dari illi dormienti, & abſque vllo prorſus Sacramento. Vnde ob eundem finem poſſet dari ei abſque contritione, vel diſpoſitione vlla: nam ſicut hic exceſſus non datur nunc propter diſpoſitionem, vel Sacramentum, potuiſſet dari idem gradus gratiæ abſque vlla diſpoſitione. Vnde probatur ſimiliter, nec poſſe dari eo modo propter orationem, vel deuotionem miniſtri, tum

quia hoc etiam eſt contra mentem, & doctrinam Patrum, qui nullum agnoſcunt exceſſum in eo, qui baptizatur à meliori miniſtro: tum etiam, quia eſſet contra eandem legem ordinariam Dei, & ſequerentur eadem inconuenientia; quod ſcilicet propter orationem, aut deuotionem alterius poſſet de facto dari gratia paruulo etiam abſque Baptiſmo? nam ſicut ille exceſſus datur ſine reſpectu ad Baptiſmum; ita poſſet ſimilis gratia dari abſque Baptiſmo: poſſet item propter deuotionem parentum, vel aliorum augeri gratia paruulo, vel etiam adulto dum dormit, & alia ſimilia: quæ ſunt planè abſurda, & contra ſenſum omnium fidelium; nam ſicut gratia eſt immediata menſura gloriæ, ſic voluit Deus de lege ordinaria ſtatuere menſuram certam, & ſtabilem ipſius gratiæ, ſcilicet merita condigna vniuſcujuſque, vel etiam Chriſti Domini applicata per Sacramenta, tanquam per media omnino neceſſaria ad conſequutionem gratiæ, vel in contritione extra Sacramentum.

20.
Fundamenta illarũ ſententiarum non obſtant.

Nec obſtant fundamenta illarum ſententiarum: quia in primis non eſt, cur dicamus, homines beatos æquales eſſe futuros in numero, & gradu beatitudinis Angelis: & multo minus fundamentum eſt ad dicendum, homines electos eſſe eandem gloriam, & in eodem gradu, qui debebatur Angelis præuaricatoribus: quid enim ſi Angeli non peccaſſent? Ideóne homines non fuiſſent beati? Imò iam Deus decreuerat homines creare, & ad beatitudinem Angelis communem eleuare: idque Angelis ipſis manifeſtauerat, vt ſuppono ex materia de Angelis. Deinde ad quemcumque gradum gloriæ Deus aliquem prædeſtinauerit, poteſt ad illum gradum eum facilè conducere per media ordinaria abſque eo, quòd detur gratia contra communem legem: poteſt enim per Sacramenta, & rurſus per merita condigna illum finem conſequi, prouidente Deo tum auxilia efficacia, tum longitudinem vitæ, donec ad eum gradum gratiæ perueniat.

SECTIO III.

Vtrùm qui ſuſcipit Sacramenta indignè, poſtea ablato obice, conſequatur gratiam Sacramentalem; vbi id in primis probatur de Baptiſmo.

21. IDem quæritur ſub aliis vocibus; an Sacramenta fictè ſuſcepta, ablata fictione, conferant poſtea ſuum effectum: quæ difficultas tractari ſolet ſpecialiter de Baptiſmo, & eius occaſione de aliis Sacramentis infrà *q.69. art.* 10. ſed cùm ſit communis omnibus Sacramentis, magis videtur pertinere ad hunc locum.

Quid hic intelligatur nomine fictionis.

Nomine autem *fictionis*, ſeu *indignitatis*, qua ſuſcipitur Sacramentum, non intelligimus eam, quæ redderet Sacramentum irritum & inualidum, qualis eſſet defectus intentionis requiſitæ; tunc enim etiamſi poſtea auferatur fictio, non habebitur effectus, cùm nullum præceſſerit Sacramentum; ſed ſermo eſt de fictione, cum qua recipitur verum Sacramentum; quæ poteſt contingere culpabilis, vel etiam inculpabilis: poteſt enim aliquis recipere Baptiſmum, v. g. ſcienter abſque debita diſpoſitione, vel à Miniſtro hæretico, à quo deberet abſtinere, & tunc peccat in ipſa ſuſceptione Sacramenti: poteſt etiam accedere abſque diſpoſitione requiſita ad effectum Sacramenti, inuincibiliter tamen ignorans, vel non aduertens ad defectum diſpoſitionis, & tunc non quidem peccat, ſed tamen non accipit effectum gratiæ Sacramentalis; & in vtroque caſu procedit dubium, an poſtea, ablato obice, habeatur effectus Sacramenti.

De Sacramento Baptiſmi Scholaſtici omnes id concedunt cum S. Thom. *d.q.69. art.* 10. propter auctoritatem Auguſtini, qui primus de hoc puncto diſputaſſe videtur. De aliis Sacramentis variè ſentiunt Theologi: aliqui volunt, ſoli Baptiſmo id competere, quos refert, & ſequitur Vaſquez *infrà diſp* 161. Alij id extendunt ad Sacramenta, quæ imprimunt characterem. Alij addunt Sacramentum Pœnitentiæ; alij Matrimonium etiam, & Extremam Vnctionem; alij denique id commune dicunt eſſe omnibus Sacramentis nouæ Legis. 22.

S. Thom.
Auguſt.
Vaſquez.

Vt incipiamus ab iis, quæ magis certa ſunt, de Baptiſmo videtur omnino concedendum, ablatâ fictione, ſeu obice, conferre ſuũ effectum. Præcipuum fundamentum deſumitur ex Auguſtino, qui licèt præcipuam controuerſiam habuerit circa valorem Baptiſmi ab Hæreticis ſuſcepti, & de eo non iterando, quando aliquis ad fidem, & veram Eccleſiam redit: eâ tamen occaſione, & vt reſponderet argumentis Hæreticorum, multa dixit de effectu illius Baptiſmi, vt oſtenderet non ſolùm eſſe validum, ſed habere ſuum effectum, ablato obice, & conferre remiſſionem peccatorum. Sic docet *lib.* 1. *de Baptiſmo contra Donatiſtas, c.* 11. *& lib.* 3 *c.* 14. *& lib.* 5 *c.* 5. & refertur in c. *Tunc valere*, de Conſecrat. *diſt.* 4. idem docet Auctor ſerm. de Paſſione Chriſti, apud Cyprianum, ante finem. Hæc loca Auguſtini aliqui ita explicant, vt quando aufertur obex, & fictio, gratia quidem, & remiſſio peccatorũ quoad culpam, atque adeò quoad debitum pœnæ æternæ, detur intuitu pœnitentiæ; remiſſio verò totius pœnæ temporalis debitæ, & remanentis adhuc propter peccata commiſſa ante Baptiſmum, obtineatur virtute Baptiſmi præteriti: ita vt Baptiſmus deſeruiat ad plenam remiſſionem pœnæ, non verò ad remiſſionem culpæ, vel infuſionem gratiæ. Ita Scotus, Gabriel, & alij, quos refert Vaſq. *vbi ſuprà, c.* 4. qui eorum explicationem probabilem reputat, quam tamen paulù aliter explicat ex eorum mente, vt poſtea videbimus. 23.

De Baptiſmo videtur omnino concedendum.
Præcipuũ fundamentum eſt authoritas Auguſtini.
Auguſt.
Cyprian.
Male explicatur à quibuſdam Auguſtinus.
Scotus.
Gabriel.

Reiicitur tamen ex verbis eiuſdem Auguſtini, qui non ſolùm adſcribit Baptiſmo præterito remiſſionem pœnæ temporalis, ſed etiam ſalutem, remiſſionem peccatorum, & vitam. Sic loquitur *libro illo* 1. *cap.* 2. *Non iterum baptizandus eſt; quia ipſa reconciliatione, ac pace præſtatur, vt ad remiſſionem peccatorum eius in vnitate iam prodeſſe incipiat Sacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat*, & lib. 3. c. 13. *Tunc incipit valere idem Baptiſmus ad dimittenda peccata, cùm ad Eccleſiæ pacem venerint: non vt iam dimiſſa non retineantur, neque vt ille Baptiſmus, quaſi alienus, aut alius improbetur, aut alter tradatur, ſed vt idem ipſe, qui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur ſalutem*, & lib. 6. c. 5. *Et ideo ſi ab illa peruerſitate correctus, & à ſeparatione conuerſus veneris ad Catholicam pacem, ſub eodem Baptiſmate, quod acceperas, etiam peccata dimittuntur propter vinculum charitatis, ſub quo Baptiſmate peccata eius tenebantur propter ſacrilegium diuiſionis; quia illud & in homine iuſto, & in homine iniuſto ſemper ſanctum eſt, quod neque æquitate alicuius augetur, neque alicuius iniquitate minuitur.* Eodem modo loquitur Auctor illius ſerm. de Paſſione apud Cyprian. his verbis: *Et licèt indigni ſint, qui accipiunt, Sacramentorum tamen reuerentia, & propinquiorem ad Deum parat acceſſum, & vbi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum.* Docent itaque, Baptiſmũ poſtea conferre, non ſolam remiſſionem pœnæ temporalis, ſed ſalutem animæ, hoc eſt, vitam. 24.

Auctor ſerm. de Paſſione.

opponunt

opponunt enim ſtatui præcedenti, in quo operabatur mortem; dicunt operari remiſſionem peccatorum, quo nomine ſimpliciter intelligitur remiſſio culpæ; nam ex illis verbis Chriſti: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. colligitur poteſtas remittendi non ſolùm pœnam, ſed culpam. Denique, in vltimis verbis allegatis dicitur ſimpliciter, *redire effectum munerum*, hoc eſt, effectum, quem Sacramentum debeat conferre, qui quidem potiſſimè erat infuſio gratiæ, & remiſſio culpæ.

25. *Si virtus Baptiſmi poteſt ablato obice operari aliquem effectum, cur non omnem.* Ratione item conſtat. Primò, quia ſi virtus Baptiſmi præteriti priùs impedita poteſt poſtea, ablato obice, operari aliquem effectum, non apparet, cur non poſſit alios; neque enim requiritur magis præſens cauſa ad vnum, quàm ad alium. Deinde alia Sacramenta, quæ ordinata ſunt ad conferendam gratiam, & remittenda peccata, licèt poſſint etiam tollere reatum aliquem pœnæ temporalis, non poſſunt tamen eum effectum, niſi ponant effectum priorem gratiæ ſanctificantis. Hoc patet in Sacramento Pœnitentiæ, quæ ordinatur etiam ad tollendum debitum pœnæ temporalis per ſatisfactionem Sacramentalem: id tamen non præſtat, niſi priùs conferat gratiam remiſſiuam peccati, quoad culpam. Item Extrema-Vnctio, quæ ordinatur etiam ad tollendas reliquias peccatorum, & reatum pœnæ, id non facit, niſi conferat etiam gratiam Sacramentalem: ergo multò minùs Baptiſmus, qui ordinatur ad regenerandum, & viuificandum ſpiritualiter hominem, debet præſtare effectum ſecundarium circa pœnam temporalem abſque primario gratiæ ſanctificantis.

26. *Explicatio Scoti.* Propter hæc idem Scotus apud Vaſquez vbi ſuprà, addit aliam explicationem, cui magis videtur fidere ipſe Vaſquez, quòd ſcilicet Baptiſmus præteritus conducat ad ſalutem, ablato obice, duplici titulo. Primus eſt, quatenus reddit ſubiectum capax Sacramenti Pœnitentiæ, quo poſtea iuſtificatur: vel iuſtificatur per contritionem extra Sacramentum, conducit Baptiſmus alio titulo, quatenus ſuſceptio præterita Baptiſmi facit, quod contritio ſit vera contritio, quæ quidem vera eſſe non poteſt, niſi vel ſupponat Baptiſmum ſuſceptum, vel habeat votum ſuſcipiendi Baptiſmum. Cùm ergo in caſu noſtro contritio non habeat eiuſmodi votum, quia non poteſt homo iterum baptizari, conſequens eſt, vt ideo ſit vera contritio; quia præceptum Baptiſmi iam obſeruatum eſt.

27. *Probat eam Vaſquez variis locutionibus Auguſtini.* Probat hanc explicationem Vaſquez ex aliquibus loquutionibus Auguſtini, qui interdum *d. c. 12.* purgationem peccatorum videtur non Baptiſmo, ſed Confeſſioni tribuere, per quam fit, vt Baptiſmus ſuſceptus, quem iterum recipere non eſt neceſſe, incipiat valere, & prodeſſe, modo ſcilicet ſuprà explicato: item *d. lib. 3. cap. 13.* dixit: *Tunc incipit valere idem Baptiſmus ad dimittenda peccata, cùm ad Eccleſiæ pacem venerit, non vt iam dimiſſa non retineantur, neque vt ille Baptiſmus quaſi alienus, aut alius improbetur, & alter tradatur, ſed vt idem ipſe*, &c. Ecce dicit, non valere ad hoc, vt iam dimiſſa peccata (nempe per correctionem, & pacem Eccleſiæ, & reconciliationem cum ea) non retineantur, hoc eſt, remittantur; quia ſcilicet iam dimiſſa per pœnitentiam remittere non poteſt: ergo deſeruit, & prodeſt eo ſolùm modo, quo dictum ex mente Scoti. Denique illo *lib. 6. cap. 5.* ſolùm dicit, quòd *ſub eodem Baptiſmate, quod acceperat, eius peccata dimittuntur propter vinculum charitatis*, &c. non eſt autem idem ſub illo Baptiſmo dimitti, ac per illum dimitti.

28. *Hæc etiam interpretatio reiicitur. Coninch.* Hanc interpretationem eſſe etiam contra Auguſtini mentem, bene probat P. Coninch ſuprà, *q. 62. art. 1. dub. 5.* ex eo, quod Auguſt. in illo *lib. 1. c. 11.* cœpit reſpondere argumento cuidam, quo vtebantur Donatiſtæ petentes, an per Baptiſmum collatum in ſua ſecta remitterentur peccata, & conferretur Spiritus ſanctus? Si enim id concederetur, inferebant apud ipſos eſſe veram Eccleſiam, apud quos accipiebatur Spiritus ſanctus; ſi verò negaretur, vrgebant, debere iterum baptizari eos, qui ab ipſis ad Catholicos diſcedebant. Huic argumento Auguſtinus reſpondet, idem prorſus dicendum, quod dicatur de eo, qui cum odio, vel alio peccato intra Eccleſiam Catholicam baptizatur, de quo ſi dixerint quod tunc quidem quando actu baptizatur, accipit remiſſionem peccatorum, ſed ſtatim propter peccatum perſeuerans redeunt eadem peccata, prout ſeruo illi Euangelico accidiſſe videtur, idem dicendum eſſe de eo, qui apud hæreticos baptizatur. Si verò (quod verum eſt) dixerint, accipere quidem verum Baptiſmum, ſed non gratiam Baptiſmi propter peccatum manens: idem dicendum de eo, qui baptizatur in hæreſi. Auguſtinus ergo diuerſimodè loquitur iuxta illum duplicem modum reſpondendi. Nam iuxta primum dicit, Baptiſmum, quando datus fuit, contuliſſe remiſſionem peccatorum: poſtea verò, quando aufertur obex, non iam Baptiſmo, ſed reconciliationi tribuit effectum. Iuxta ſecundum verò reſpondendi modum, qui verus erat, ſemper dicit, Baptiſmum præteritum ſemper cauſare poſtea remiſſionem peccatorum.

Conſtat hoc. Primò, quia Auguſtinus in vtroque reſpondendi modo conatur oſtendere, quomodo, 29. *Hæc reſolutio conſtat primò.* aut quando Baptiſmus ille operetur remiſſionem peccatorum (quod ſcilicet Donatiſtæ quærebant) & iuxta primum modum conſtat, dari, quando fit Baptiſmus: ergo iuxta ſecundum modum concedit, dare Baptiſmum eum effectum, ablato obice; alioquin non reſpondiſſet ad quæſitum. Secundò, *Secundò.* conſtat hoc ipſum ex diuerſis verbis, quibus vtitur *illo c. 13.* Nam iuxta priorem ſolutionem Auguſt. dicit, debere eos redire ad Eccleſiam & fidem: vt eorum peccatorum, quæ in eos redierant, *Purgationem, charitate operante, mereantur*, non dixit: *Baptiſmo operante*, ſed *charitate operante.* At verò iuxta poſteriorem ſolutionem mutat loquendi modum, & dicit: *Cùm ad Eccleſiæ pacem venerint, tunc incipere valere Baptiſmū ad dimittenda peccata.* Tertiò, quia paſſim Baptiſ- *Tertiò.* mum ipſum nominat cauſam illius remiſſionis peccatorum, quæ poſtea datur, vt conſtat ex verbis omnibus ſuprà relatis, in quibus dicit, ipſum Sacramentum prodeſſe ad remiſſionem peccatorum; operari ſalutem, ſicut priùs operabatur mortem. Certum autem eſt, quòd ipſamet ſuſceptio Sacramenti, cùm eſſet peccatum mortale, operabatur mortem. Adde ex eodem *lib. 1. c. 12.* vbi dicit: *Prodeſſe iam in vnitate Sacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat*; quibus verbis ſignificat, ad id, & eodem modo prodeſſe poſtea, ad quod & quomodo priùs prodeſſe non potuit: debuit autem priùs prodeſſe per operationem gratiæ ex opere operato: ergo eodem modo prodeſſe incipit, ablato obice. Eodem ſenſu dixit *cap. 15.* in fine: *Eos vt ad ſanitatem pacis, atque charitatis veniant, adhortamur, non ſolùm vt aliquid habeant, quod non habuerunt, ſed vt eis etiam illud prodeſſe incipiat, quod habebant.*

Neque obſtant verba in contrarium ſuprà adducta 30. à P. Vaſquez. Ad primum enim locum dicimus, *Non obſtant ea quæ adducit Vaſquez.* non eſſe illum ſenſum eorum verborum, quem Vaſquez iis tribuit, ſed alium diuerſum iuxta intentum Auguſtini de illa duplici reſpondendi via, quam præmiſerat: *Tunc* (inquit) *incipit valere idem Baptiſmus ad dimittēda peccata, cùm ad Eccleſiæ pacem*

ueniebat, *non vt iam dimiſſa non retineantur*. (hoc eſt, non vt dicendum eſſet iuxta priorem reſpondendi modum, in quo diceretur Baptiſmus poſtea prodeſſe vt peccata, quæ iam ſemel per ipſum dimiſſa fuerant, & iterum redierant, iterum ſecundo ſoluantur; hoc, inquam, non eſt dicendum iuxta ſecundum reſpondendi modum ſed prodeſſe Baptiſmũ poſtea, vt peccata primò remittantur per ipſum) *neque vt ille Baptiſmus, quaſi alienus, aut alius improbetur*, &c.

31. *Reſpondetur ad ſecundum locum.*

Ad ſecundum locum reſpondetur, quando Auguſtinus dicit, ſub illo Baptiſmate dimitti peccata, intelligere per ipſum Baptiſma dimitti, tùm quia id ſæpè dixerat vt vidimus: tùm quia ſubiicit immediatè rationem id apertè ſignificantem: *Quia illud*, inquit, *& in homine iuſto, & in homine iniuſto ſemper ſanctum eſt*, hoc eſt, habet vim ſanctificandi. Quæ ratio extra rem eſſet ad probandum, non per Baptiſmum, ſed aliunde peccata dimitti. Quod enim dicit Vaſq. *n.* 50. rationem illam afferri ab Auguſt. non ad probandam efficaciã Baptiſmi, ſed quòd non debeat repeti, quia ſanctus eſt; hoc, inquam non poteſt aptari textui, cùm neque in eo capite, neque in præcedenti verbum fecerit Auguſtinus de repetendo, vel non repetendo Baptiſmo, ſed eius efficacia, & vtilitate: ratio ergo illa eſt ad probandum quod immediatè dixerat de vtilitate illius Baptiſmi; quam probat, quia in quocũque ſit, ſemper ſanctus eſt, &c.

32. *Obiicit Vaſquez.*

Obiicit rurſus Vaſq *n.* 55. quia vt Auguſt. hoc priuilegium, & hanc efficaciam Baptiſmo præterito tribueret, debuiſſet habere fundamentum aliquod traditionis, aut definitionis, aut ſcripturæ, aut rationis: quod tamen ad talem efficaciam Baptiſmo ex opere operato tribuendam, nullum prorſus erat.

Reſp. adueri ſoet.

Reſponderi ſolet Auguſtinum motum, & conuictum fuiſſe ad eam efficaciam Baptiſmo tribuendam, ex eo quòd Baptiſmus in re vel in voto ſit neceſſarius neceſſitate medij ad remiſſionem peccatorum, quæ commiſſa ſunt ante Baptiſmum, & ad expiandum etiam peccatum originale. Cùm ergo Baptiſmus ille reiterari non poſſit, conſequens eſt, vt virtute Baptiſmi præteriti auferantur poſtea peccatum originale, & alia peccata ante Baptiſmum commiſſa.

33. *Hanc rationem impugnat Vaſquez.*

Hanc rationem impugnat Vaſquez *num.* 57. & ſequentibus, quia Baptiſmum eſſe medium neceſſarium in re, vel in voto ad tollenda peccata, non arguit, ipſum Sacramentum concurrere ad gratiam ex opere operato, per quam ea peccata remittuntur. Nam Sacramentum etiam Pœnitentiæ neceſſarium eſt in re, vel in voto ad remiſſionem peccati mortalis poſt Baptiſmum commiſſi: & tamen quando aliquis extra Sacramentum iuſtificatur per actum contritionis, in quo continetur votum implicitum Sacramenti, non concurrit ipſum Sacramentum, aut votum ipſius, tribuens aliquam efficaciam contritioni, quam ipſa non habebat ante Sacramenti inſtitutionem, & quam non haberet, etiamſi Sacramentum inſtitutum non eſſet: ſed dicitur Sacramentum neceſſarium in re, vel in voto, quia niſi de facto fuerit ſuſceptum, neceſſarium eſt ad veram contritionem propoſitum ſuſcipiendi illud; alioquin non erit vera contritio, cùm non includat propoſitum ſeruandi omnia præcepta, quorum vnum eſt de ſuſcipiendo Sacramento. Sic ergo de Baptiſmo etiam dicendum eſt, requiri in re, vel in voto ad tollenda peccata originale, & alia præcedentia, quia niſi fuerit re ipſa poſitus Baptiſmus, non poterit eſſe vera contritio ſine propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum, non tamen ita vt Baptiſmus det efficacitatem contritioni ad tollenda peccata illa ex opere operato.

Hoc argumentum P. Vaſquez conuincit etiam P. Coninch dicto *dub.* 5. *n.* 66. vt fateatur, Auguſtinum ea ratione moueri non potuiſſe; ſolùm enim probat, ſine Baptiſmo aut eius voto non contingere vnquam iuſtificationem: quod etiam & nihil aliud dixit Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 4. nõ verò quòd Baptiſmus, aut eius votum debeant operari iuſtificationem ex opere operato. Cæterùm, ſi ea ratio benè explicetur, non videtur contemnenda. Et in primis, licèt Conc. Trid. non dixerit, Baptiſmum, aut eius votum debere concurrere, ſed ſolùm ſine Baptiſmo aut eius voto non contingere iuſtificationem, ex modo tamen dicendi, & probatione, quam ſubiicit, conſtat, loqui de requiſito per modum cauſæ. Probat enim illud dictum ſtatim ex verbis Chriſti, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*; in quibus Baptiſmus requiritur vt cauſa: hoc enim ſignificat renaſci ex aqua & Spiritu ſancto, ſcilicet ab illis accipere per regenerationem ſpirituale eſſe. Oportet ergo, eum, qui renaſcitur, renaſci omnino vel ex Baptiſmo, vel ex eius voto, & per conſequens non ſufficit præceſſiſſe vtcumque Baptiſmum, niſi ipſe, vel eius votum concurrat ad generationem illam ſpiritualem. Porrò in eo caſu neutrum concurreret; non enim Baptiſmus, vt contendit contraria ſententia; non etiam votum, cùm contritio tunc non includat votum Baptiſmi; ergo fieret iuſtificatio prima abſque Baptiſmo, aut eius voto concurrente ad ipſam. Habuit ergo fundamentum Auguſtinus in Scriptura & ſenſu Eccleſiæ ad affirmandum, illum Baptiſmum conferre poſtea ſuum effectum, ne daretur aliquis, qui mundaretur ab originali ſine Baptiſmo, vel eius voto concurrente ad illam primam iuſtificationem. Illa enim contritio non eſſet tunc verè, & in rigore votum Baptiſmi; nam votum ſignificat deſiderium, ſeu propoſitum: non poteſt autem ille homo deſiderare, aut velle Baptiſmum, niſi per modum gaudij, aut complacentiæ in Baptiſmo præterito: nam ſicut pœnitentia in voto non eſt complacentia de Sacramento Pœnitentiæ præterito, ſed deſiderium, & voluntas in futurum, ſic Baptiſmus in voto propriè, in rigore tunc ſolùm datur, quando eſt deſiderium, aut voluntas ſuſcipiendi illum in futurum.

34. *Coninch.* *Non videtur tamen contemnenda illa ratio.* *Ioan.* 3. *Fundamentum Auguſtini.*

35. *Confirmatur ex Patrib.* *Leo Papa.* *Clemens Papa.*

Accedit modus loquendi Patrum, qui non ſolùm dicunt, requiri Baptiſmum, ſed illum eſſe remedium neceſſarium: remedium autem non eſt, niſi quod influxum habet in ſalutem. Sic loquitur Leo Papa *epiſt* 71. *aliàs* 80. *Qui Baptiſmo*, inquit, *priuantur, neceſſaria liberatione fraudantur*. Clemens Papa *epiſt*. 4. post medium: *Quid confert*, inquit, *aqua Baptiſmus ad Dei cultum? Primò quidem, quia quod Deo placuit, impletur. Secundò quia regeneratio ex aquis, & Deo renato fragilitas prioris natiuitatis, quæ vobis per hominem facta eſt, amputatur; & ita demum peruenire poteritis ad ſalutem: aliter impoſſibile eſt*. Et paulò pòſt: *Confugite ergo ad aquas iſtas, ſola ſunt enim, quæ poſſint vim futuri ignis extinguere*. Non ergo extinguitur ille ignis in aliquo per primam iuſtificationem ſine efficacia illius aquæ. Eodem modo loquuntur alij Patres, de neceſſitate & efficacia Baptiſmi.

36. *Idem dende colligitur.*

Denique, eadem Baptiſmi efficacia colligi poterat ex eo, quòd in ordine ad alios effectus minus principales, quos non poteſt fortaſſe operari, quando actu confertur, habet adhuc efficaciam ſuam, vt poſtea, ablato obice, eos conferat, v. g. ſi aliquis baptizetur cum dolore ſufficienti de peccatis mortalibus, non verò de venialibus omnibus, Baptiſmus quidem confert gratiam, & remiſſionem peccatorum mortalium, non tamen eorum venialium, de quibus non habet dolorem: ſi autem poſtea de

his

his etiam doleat, non dubium, quin hæc etiam remittantur virtute Baptiſmi præteriti, non ſolùm quoad culpam, ſed quoad totam pœnam. Alioquin ſi moreretur abſque alio nouo peccato poſt Baptiſmum commiſſo, deberet pati, & purgari in Purgatorio: quod eſt contra communem fidelium ſenſum ita de baptizatis exiſtimantium, vt ſi ſtatim poſt Baptiſmũ & baptiſmalem gratiam moriantur, abſque purgatione alia, aut mora debeant ire ad cœleſtia gaudia: æquiparatur quippe in hoc Baptiſma martyrio, vt ſicut martyr non indiget Purgatorio, nec pro illo vlla vnquam ſuffragia offeruntur, imò iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre; ſic Baptiſmus plenam conferat remiſſionem culpæ & pœnæ. Poteſt autem contingere, quòd Martyr, quando actu patitur, habeat obicem ad remiſſionem alicuius ſaltem peccati venialis non retractati formaliter, nec virtualiter: poſtea tamen ablato obice per retractationẽ ſaltem in primo inſtanti ſeparationis animæ, ſtatim dimittitur virtute Martyrij præteriti culpa illa, & totum etiam debitum pœnæ. Quod idem de Baptiſmo dicendum eſt, homini ſtatim poſt Baptiſmum mortuo, & cui in inſtanti Baptiſmi non omnia venialia remiſſa ſunt, quia non erant ſufficienter retractata, ſtatim in primo ſaltem inſtanti ſeparationis animæ remitti virtute Baptiſmi præteriti peccata illa omnia venialia quoad culpam, & totum reatum pœnæ. Hinc autem colligitur, efficaciam Baptiſmi non fuiſſe alligatam ad inſtans, quo confertur Sacramentum: non apparet autem ratio, cur ad effectus minùs principales, qualis eſt remiſſio venialium & pœnæ temporalis, poſſit concurrere ex opere operato, poſtea ablato obice: non autem poſſit ad effectus magis principales, qualis eſt ablatio peccati originalis, & remiſſio mortalium, ad quam principaliter ordinatus, & inſtitutus fuit.

In quo Baptiſmus æquiparetur martyrio.

37. Hæc ergo oſtendunt, multo eſſe veriorem Auguſtini interpretationem illam, quam cum S. Thoma dicta *quæſt. 69. art* 10. amplectuntur Theologi Scholaſtici communiter, quòd ſcilicet, ablato obice, concurrat Baptiſmus præteritus ad effectum gratiæ, & remiſſionem omnium peccatorum præcedentium, & omnis pœnæ temporalis; ita vt per ſuſceptionem baptiſmi is, qui baptizatur, acquirat ius ad omnia illa conſequenda, vbi primùm obex ablatus fuerit. Sicut enim Summus Pontifex concedit aliquando tempore Iubilei, vt poſſint omnes abſolui ab omnibus reſeruatis, & commutare vota, &c. quam facultatem ita quidem cenſetur concedere, vt ſi eo tempore pœnitens oblitus fuit peccati reſeruati, vel voti commutandi, poſtea tranſacto tempore Iubilei, poſſit in virtute Iubilei præteriti abſolui ab illo peccato reſeruato, vel totum commutare; quia per Iubileum acquiſiuit ius ad eas gratias conſequendas, vt cum communiori ſententia plurium, quos affert, docet Thom. Sanchez *lib. 4. de voto, c. 54. num.* 39. Sic Chriſtus Dominus ſimilem indulgentiam videtur in Sacramento baptiſmi conceſſiſſe, vt eius virtute pleniſſima remiſſio fiat ſemel in vita omnium debitorum culpæ, & pœnæ, quæ vſque ad illud tempus ſunt; ad quam remiſſionem, & gratiam acquirit ius, qui baptizatur: ita vt ſi tunc ratione alicuius impedimenti effectus non habeatur, poſſit poſtea, ablato impedimento, effectum conſequi ratione iuris, quod ſemel acquiſiuit, vt hæc plenaria indulgentia ab omnibus ſemel poſſit obtineri, niſi per ipſos ſteterit, qui obicem nunquam in hac vita auferre voluerunt

Hæc oſtendunt multò veriorem eſſe interpretationem Auguſtini quàm nos aſſerimus.

38. Huic communi doctrinæ obiicit Vaſquez c. 3. non poſſe explicari, quomodo Baptiſmus concurrat poſtea ſimul cum Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum: cùm enim per Sacramentum Pœnitentiæ peccata aliqua tollantur directè, & alia omnia indirectè, non videtur reſtare peccatum quod per Baptiſmum tunc remittatur, cùm illud ipſum iam ſit ablatum indirectè per Sacramentum Pœnitentiæ, & gratiam illius Sacramenti: è contra verò, non videtur peccatum vllum remitti poſſe directè tunc per Sacramentum Pœnitentiæ: quia illud peccatum remiſſum eſt indirectè per gratiam, quam confert Baptiſmus; & ita nihil reſtat ampliùs remittendum per Sacramentum Pœnitentiæ: nam quod attinet ad ablationem peccati, parum refert, quòd remittatur directè, vel indirectè, cùm vtroque modo auferatur omnino peccatum, & nihil ex ipſo maneat, quod auferri poſſit per alterum Sacramentum.

Obijcit Vaſquez.

39. Ad hoc tamen facilè reſpondetur, vtrumque Sacramentum concurrere ad tollenda peccata, ſed non eodem modo: nam Baptiſmus tendit directè ad tollendum originale, & actualia commiſſa ante Baptiſmum, vel ſimul cum Baptiſmo: indirectè autem tollit etiam cætera, eò quòd gratia opponatur cum omnibus: è contrà Sacramentum Pœnitentiæ confert directè ad tollenda peccata commiſſa poſt Baptiſmum & indirectè tollit originale, & alia actualia peccata, neque eſt inconueniens, quòd ſingula peccata tollantur per illa duo Sacramenta eo duplici modo, & titulo; hoc enim non eſt aliud, niſi quòd Deus dans illam gratiam moueatur ab vtroque Sacramento, quorum alterum petit gratiam ad tollenda hæc peccata, licèt obiter debeant tolli alia, ſine quibus hæc tolli non poſſunt: alterum verò è contra petit gratiam ad remiſſionem aliorum, vtriuſque autem petitioni ſatisfacit Deus, dum infundit eam gratiam.

Reſpondetur. Quid tollat Baptiſmus directè, quid indirectè.

40. Sed contra inſtat idem Vaſquez, *num.* 12. & probat, non poſſe in noſtro caſu vtrumque Sacramentum ſimul concurrere: priùs enim concurrit Pœnitentia, per quam aufertur obex, & fictio, quæ impediebat effectum Baptiſmi: quod videtur docere S. Thomas, dum dicit illo *art.* 10. per Pœnitentiam priùs remoueri impedimentum fictionis. Priùs ergo tollitur per Sacramentum Pœnitentiæ peccatum fictionis, atque adeò indirectè alia omnia, antequam Baptiſmus operetur: non ergo poteſt poſtea Baptiſmus deſeruire ad tollenda peccata, quæ iam inuenit ablata, ſed ad ſummum deſeruiet ad aliquem gradum gratiæ: per quod non defenditur id, quod dicebatur eſſe de mente Auguſtini: nam Auguſtinus non ſolùm dicit, Baptiſmum præteritum deſeruire ad gratiam conferendam, ſed multò magis probare volebat, deſeruire ad remiſſionem peccatorum obtinendam.

Inſtantia.

41. Reſpondemus, vtrumque Sacramentum concurrere in eo caſu ſimul ad effectum gratiæ, & remiſſionis peccatorum, nec vllo modo concurrere Sacramentum Pœnitentiæ ante Baptiſmum. Prærequiritur quidem ablatio obicis ante effectum Baptiſmi; non tamen prærequiritur operatio Sacramenti Pœnitentiæ ante operationem Baptiſmi; nam obex non aufertur per operationem, aut effectum Sacramenti Pœnitentiæ, ſed per aliquid antecedens: obex enim impediens effectum Baptiſmi erat indiſpoſitio, ſeu carentia diſpoſitionis debitæ ad remiſſionem omnium peccatorum mortalium: hæc autem carentia tollitur formaliter per ipſam diſpoſitionem requiſitam, quæ vel eſt contritio extra Sacramentum, vel attritio cum Sacramento Pœnitentiæ. Quare eo ipſo, quod intelligatur poſita attritio cũ Sacramento Pœnitentiæ, intelligitur ſubiectum diſpoſitum ſufficienter ad remiſſionem omnium

Reſpondetur.

peccatorum mortalium, & per conſequens intelligitur iam ablatus obex, qui impediebat effectum Baptiſmi: intelligitur autem totum hoc pro priori ſigno, antequam Sacramentum Pœnitentiæ operetur; prius enim eſt, poni Sacramentum Pœnireotiæ, quàm operari; ergo pro eo ſigno intelligitur iam ablatus obex Baptiſmi, antequam Sacramentum Pœnitentiæ operetur; & pro eodem ſigno intelligitur ablatus per Baptiſmum præteritum, & attritionem

Pro quo ſigno obex tollatur. præſentem obex Sacramento Pœnitentiæ, quod etiam non poſſet remittere peccata commiſſa poſt Baptiſmum, niſi inueniret diſpoſitionem ſufficientem ad ablationem originalis, & aliorum peccatorum commiſſorum ante Baptiſmum, qui obex, ſeu indiſpoſitio aufertur per Baptiſmum præteritum, & attritionem præſentem: intelligitur ergo pro illo ſigno ablatus obex vtrique Sacramento, & poſita diſpoſitio ſufficiens ad remiſſionem omnium peccatorum.

Vtrumque Sacramentum ſimul concurrit. Pro ſigno autem ſubſequenti vtrumque Sacramentum ſimul operatur gratiam, & remiſſionem peccatorum: neutrum enim innenit remiſſa peccata vlla, ſed ſolùm innenit ablatum obicem ad eorum remiſſionem.

42. Quando verò S. Thomas dicit, per Pœnitentiam remoueri fictionem, quâ remotâ, Baptiſmus anfert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium, &c. loquitur de pœnitentia actuali, ſeu retractione, per quam aufertur fictio actualis, ſeu non retractatio, vel etiam, ſi velis, loquitur de Pœnitentia Sacramentali, per quam aufertur fictio, hoc eſt, obex: nam nomine fictionis non intelligitur culpa habitualis, ſed impedimentum, & obex, qui, vt diximus, eſt indiſpoſitio, ſeu carentia diſpoſitionis requiſitæ ad remiſſionem peccatorum, quæ carentia tollitur formaliter per Sacramentum Pœnitentiæ, cum attritione; quâ indiſpoſitione ablatâ, ſtatim Baptiſmus confert remiſſionem peccatorum; nunquam tamen dicit S. Thomas Sacramentum Pœnitentiæ operari remiſſionem peccatorum, prius quàm Baptiſmus eam operetur; vt latiùs videbimus infrà agentes de Sacramento Pœnitentiæ.

43. *Inſtat Vaſq.* Vrget P. Vaſquez *num.* 15. quia quidquid ſit, quando fictio tollitur per attritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ; quando tamen tollitur per contritionem, negari oon poteſt quòd contritio directè auferat omnia peccata, antequam Baptiſmus operetur eorum remiſſionem: nam contritio ſuaprè natura pugnat cum omnibus peccatis; ergo ea omnia directè aufert, ſiue per ſeipſam, ſiue per gratiam, quam ſecum affert; nihil ergo reſtat, quod Baptiſmus præteritus directè auferat, cùm iam inueniat per contritionem directè ablata peccata etiam ante Baptiſmum commiſſa.

44. *Reſpondetur.* Reſpondeo, idem argumentum fieri poſſe, quando habetur contritio illo ipſo inſtanti, quo perficitur Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ: nam tunc etiam ponitur contritio directè pugnans cum peccatis; ergo ſe ſolâ, vel per gratiam, quam ſecum affert, tollet directè ea peccata, ac per conſequens Sacramentum Baptiſmi, vel Pœoitentiæ tunc non conducent ad operandam remiſſionem peccatorum, quæ omnia inneniunt iam directè remiſſa. Nemo tamen dicet (ni fallor) in eo caſu Sacramentum Baptiſmi, aut Pœnitentiæ oon operari remiſſionem peccatorum: & ratio eſt, quia contritio (vt ſuppono ex dicendis infrà de Pœnitentiæ virtute) noo eſt forma ſe ipſa iuſtificans, aut expelleos peccatum, ſed diſpoſitio quædam, quæ ex Dei miſericordia acceptatur ad hoc, vt ipſe Deus dimittat peccata homini contrito. Vnde licèt pro aliquo ſigno priori intelligatur iam poſita contritio, antequam Sacramentum operetur; pro illo tamen ſigno nondum intelligitur remiſſum, vel ablatum peccatum, ſed ſolùm poſita diſpoſitio quædam, quæ ſe ſola etiam ſufficeret ad impetrandam remiſſionem peccati. Pro eodem autem ſigno intelligitur poſitum etiam Sacramentum; ergo effectus remiſſionis peccati, qui ponitur in ſigno ſequenti non minùs poterit prouenire à Sacramento, quàm à contritione, cùm vtraque illa cauſa præintelligatur pro ſigno præcedenti cum actiuitate ad illum effectum; atque ideo non eſt, cur effectus poſtea intelligatur magis procedere à contritione ſola, quàm à Sacramento. Quod idem dicendum eſt in caſu noſtro, quando Sacramentum Baptiſmi tempore præceſſit, & poſtea per contritionem tollitur eius obex: nam tunc etiam non intelligitur priùs poſita contritio, quàm Sacramentum, ablato obice, ſed vtrumque intelligitur ſimul cum per ipſam contritionem formaliter auferatur obex, qui non eſt aliud, quàm carentia diſpoſitionis debitæ ad remiſſionem peccati; non ergo inuenit Baptiſmus remiſſum peccatum, quando operatur, ſed ſolum innenit poſitam contritionem pro eodem ſigno, pro quo poſitus erat iam Baptiſmus ipſe ſine obice, & vtraque cauſa ſimul operatur pro ſigno ſubſequenti remiſſionem peccati, & gratiam iuſtificantem.

Obiicit tandem idem Vaſquez, quia impoſſibile 45.
eſt, Sacramentum Pœnitentiæ concurrere directè ad *Obiicitur.*
remiſſionem aliquorum peccatorum, & ſolùm indirectè ad remiſſionem aliorum, quia non concurrit aliter niſi cauſando gratiam: quilibet autem gradus gratiæ per ſe, & directè opponitur omnibus peccatis mortalibus, tam commiſſis ante, quàm poſt Baptiſmum; ergo directè, & per ſe aufert ea omnia, atque adeò non poteſt diuidi operatio vtriuſque Sacramenti; ita vt Baptiſmus directè tunc remittat ſolùm peccata antecedentia, & Sacramentum Pœnitentiæ remittat directè peccata ſolùm commiſſa poſt Baptiſmum.

Reſpondeo, hoc argumentum ab omnibus ſolui 46.
debere; nam certum eſt apud omnes, Sacramentum *Reſpondetur.*
Pœnitentiæ auferre aliqua peccata directè, ea ſcilicet, quæ pœnitens confeſſus eſt, & ad quæ dimittenda Confeſſarius habet auctoritatem; alia verò ſolùm indirectè, ea ſcilicet, quæ pœnitens propter obliuionem, v.g. non eſt confeſſus; & tamen vtraque peccata auferuntur, mediante gratia, quæ ex natura ſua, & per ſe omnibus, & ſingulis peccatis directè opponitur. Sicut ergo abſolutio, & Sacramentum Pœnitentiæ dicitur directè tollere ſolùm hæc peccata, & non illa, quia ex fine, & intentione remittendi hæc cauſat gratiam, quæ quidem gratia tollit etiam obiter alia; ſed hoc eſt præter intentionem primariam Sacramenti, quòd ſolùm intendebat per ſe dimittere hæc peccata, atque ideo concomitanter ſolùm dimittit cætera: ſic in noſtro caſu concomitanter ſolùm concurrit ad tollenda peccata commiſſa ante Baptiſmum; nam licèt gratia opponatur per ſe cum omnibus, Sacramentum tamen non intendit per ſe illum finem, ſed ſolùm remiſſionem horum, quæ facta ſunt poſt Baptiſmum; quæ quia non poſſunt tolli abſque aliis, conſequenter, & ſecundariò intendit remiſſionem aliorum: Baptiſmus verò è contra primariò intendit remiſſionem originalis, & aliorum præcedentium, ſecundariò autem remiſſionem ſubſequentium, ſine quibus illa remitti non poſſunt. Sicut verba conſecrationis ſub ſpeciebus panis ponunt ſolùm corpus Chriſti, quod ſolum ſignificant; Sanguinem verò per concomitantiam, quia illum non ſignificant, ſed ſolum Corpus, quod tamen ſine ſanguine poni non poteſt: ſic abſolutio Sacramentalis

tollit

tollit directè & ex vi verborum (vt ita loquar)peccata ſola commiſſa poſt Baptiſmum, de quibus ſolis loquitur Sacerdos,& quæ ſola ſignificant illa verba; quia tamen hæc tolli non poſſunt abſque aliis, ideò quaſi per concomitantiam cætera omnia tollunt: Baptiſmus verò è contra abluit directè,& ex vi verborum à peccatis præcedentibus, de quibus ſolis loquitur miniſter, cùm dicit: *Ego abluo te*: reliqua autem,de quibus non loquitur,nec ea ſignificat, aufert ſolùm per concomitantiam, quia ſine illis non poteſt auferre priora peccata.

47. *Inſtantia.* Dices; repugnat, quòd aliquis intendat communicare formam alicui ſubiecto, & non intendat eodem modo totum effectum formalem illius formæ; nam effectus formalis non eſt aliud, niſi talis forma communicata tali ſubiecto; vnde qui vult, quòd talis forma ſit communicata tali ſubiecto,vult eodem modo, quòd reſultet talis effectus formalis: ſed effectus formalis gratiæ cõmunicatæ ſubiecto eſt remiſſio peccati, ſeu quod ſubiectum ſit mundum ab omni peccato; ergo Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt intendere productionem gratiæ in hoc ſubiecto, prout de facto intendit eam primariò, & per ſe, quin intendat eodem modo, & directè effectum formalem gratiæ,ſcilicet, quòd hic homo mundetur ab omni prorſus peccato.

48. *Reſpondetur primò.* Reſpondeo primò, negando maiorem; nam licèt in exiſtentia non poſſit forma vnita ſubiecto ſeparari à toto ſuo effectu formali; poteſt tamen id fieri in intentione, v.g.licèt calor vnitus ſubiecto reddat ſimul ſubiectum calidum in ſe,& calefactiuum aliorum (vtrumque enim præſtat in genere cauſæ formalis, nec poteſt dare effectum formalem calidi, quin det effectum formalem calefactiui) poteſt tamen Deus ponere calorem in aliquo homine, vt ipſe in ſe ſit calidus,& expellatur frigus,non intendendo,quòd ſit calefactiuus aliorum.Sic etiam Deus poteſt dare gratiam alicui, vt ipſe ſit ſanctus in ſe, non intendendo illum alium finem, quòd poſſit ſanctificare alios, licet eadem gratia det formaliter vtrumque,ſcilicet reddere ſubiectum ſanctum in ſe, & vtile etiam ad ſanctificandos alios. Eodem modo Deus per Sacramentum Confirmationis,v.g.dat gratiam, vt ſubiectum poſſit profiteri fidem,quatenus ſcilicet ea gratia,vt forma dat ius ad auxilia habenda in ordine ad talem actum; & licèt omnis gratia det hunc effectum formalem (quia omnis gratia dat ius ad auxilia ſupernaturalia) dicitur tamen illa gratia data ad illum finem ſpecialiter, quia Deus intendebat magis illum finem, quàm alios. Poterit ergo eodem modo gratia dari per Sacramentum Pœnitentiæ ea ſpeciali intentione, vt remittantur talia peccata, licèt eadem gratia formaliter remiſſiua ſit omnium.Ratio eſt,quia ea prædicata, quæ in ſe ſunt realiter identificata,poſſunt per actus intellectus,& voluntatis ſeparari, ita vt ex modo tendendi in tale obiectum perinde ſe habeat intellectus, & voluntas, ac ſi non eſſet tale prædicatum in obiecto. Sic qui vult cibum aliquem ad leuandam famem, non curat de virtute,quam fortaſſe habet ille idem cibus ad refrigerandum iecur, nec id intendit, licèt illa duo in eo cibo non poſſint ſeparari: quia nimirum ex modo volendi perinde ſe habet, ac ſi in eo cibo non eſſet tale prædicatum.Cur ergo ſimiliter Sacramentum non poteſt exigere gratiam,ſolùm ad finem tollendi talia peccata, licèt ea gratia habeat ſimul virtutem tollendi alia.

49. *Reſpondetur ſecundò.* Reſpondeo ſecundò, diſtinguendo eandem maiorem, repugnat intendere formam, & non intendere totum effectum formalem primarium illius, tranſeat; non intendere totum effectum formalem etiam ſecundarium,nego: nam effectus ſecundarius non eſt ita neceſſariò, & eſſentialiter connexus cum forma communicata ſubiecto. Non poteſt,v.g.calor communicari ſubiecto,quin faciat calidum, qui eſt effectus formalis primarius; poteſt tamen calor communicari ſubiecto,quin expellat frigus, qui eſt effectus formalis ſecundarius; nimirum ſi nullum frigus præceſſit in ſubiecto, vel ſi Deus nolit illud expellere adhuc poſito calore. Sic gratia non poteſt communicari ſubiecto, quin faciat gratum ſaltem radicaliter,qui eſt effectus primarius, poteſt tamen non expellere peccatum,ſi peccatum, v.g.non præceſſit,& ſimiliter poteſt expellere hoc peccatum, & non illud; quando ſcilicet hoc ſolum, & non illud præceſſit: non debet ergo neceſſariò omnis cauſa, quæ intendit productionem gratiæ in ſubiecto, intendere expulſionem peccati; neque etiam neceſſe eſt,vt omnis cauſa intendens producere gratiam in ſubiecto ad expellenda talia peccata,intendat introducere gratiam ad expellenda alia; nam expulſio aliorum non eſt neceſſariò connexa cum introductione gratiæ, ſed eſt effectus formalis ſecundarius, vt diximus.

SECTIO IV.

Qualis diſpoſitio requiratur ad tollendum obicem Baptiſmo indignè ſuſcepto?

50. *Duplex ſtatus quæſtionis ſtatuitur.* Diſtinguendum in primis eſt;nam vel homo ille peccauit mortaliter poſt Baptiſmum ſuſceptum, vel non; omitto autem tertium membrum, quando ſcilicet non peccauit quidem poſt Baptiſmum, ſed tamen peccauit in ipſo Baptiſmo indignè illum recipiendo, vel alio peccato alterius generis, quod fortaſſe in ipſo inſtanti Baptiſmi commiſit: hoc,inquam,omitto,quia de hoc peccato in Baptiſmo commiſſo, dicemus latiùs infrà in tract. de Sacramento Pœnitentiæ; vbi dicemus,illud peccatum,ſi fieri poſſet,vt non progrederetur vlteriùs, nec continuaretur poſt characterem Baptiſmi, non futurum materiam Sacramenti Pœnitentiæ, ſed remittendum poſtea virtute eiuſdem Baptiſmi, ſicut alia peccata ante Baptiſmum commiſſa: quare diſpoſitio ſufficiens ad horum remiſſionem ſufficiet etiam ad remiſſionem illius.

51. Si ergo homo non peccauit mortaliter poſt Baptiſmum ſuſceptum, ſed tamen Baptiſmum ipſum accepit ſine effectu gratiæ, etiam inuincibiliter, & immemor habendæ diſpoſitionis acceſſit ad Baptiſmum,poſtea, ablato obice, iuſtificabitur virtute Baptiſmi præteriti: illum autem obicem auferri debere per actum veræ, & perfectæ contritionis, nec ſufficere actum attritionis, docet Vaſquez in præſenti *diſp.*160.*n.*21.quia Auguſtinus nunquam eiuſmodi virtutem conceſſit Baptiſmo, ſed ſolùm quòd valeat ad ſalutem,recedente fictione per veram contritionem, aut confeſſionem: nec potuit cum fundamento id aſſerere. *Vaſquez.*

52. *Sufficit attritio ad tollendum obicē vt virtute Baptiſmi remittantur peccata præterita.* *Suarez.* *Coninch.* Communis ſententia affirmat, in prædicto caſu ſufficere attritionem, vt virtute Baptiſmi remittantur peccata præterita: quam ſequitur Suarez in præſenti *diſput.*28.*ſect.*5. *concl.*1. Coninch. *q.*68. *art.*1. *dub* 6.*n.*92.& alij omnes. *Probatur primò.* Probatur primò,ad hominem: quia idem Vaſquez *ibi n.*10. fatetur, quando homo poſt Baptiſmum peccauit mortaliter, ſufficere attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ ad auferendum obicem, & vt Baptiſmus præteritus poſſit prodeſſe:ex quo caſu argui poteſt ad noſtrum: tunc enim peccata commiſſa ante Baptiſmum non poſſunt remitti virtute Sacramenti Pœnitentiæ vt ma-

teria Confeſſionis, vt conſtat: debent ergo remitti directè per Baptiſmum; ergo Baptiſmus habet vim auferendi illa peccata, poſita attritione ſequenti; ergo eodem modo poſſet tollere, ſi illa ſola inueniret abſque aliis poſt Baptiſmum commiſſis; non enim fiunt melioris conditionis ea peccata; aut facilior redditur eorum remiſſio ex eo quòd acceſſerint alia grauiora peccata poſt Baptiſmum: alioquin vtilius erit homini illi peccare poſt Baptiſmum, vt eo pacto poſſit cum attritione, & Sacramento Pœnitentiæ conſequi ſalutem, quam conſequi non poſſet abſque contritione perfecta, ſi poſt Baptiſmum legem Dei perfectè obſeruaret. Hinc fit ratio à priori; quia efficacia Baptiſmi circa peccata ante ipſum commiſſa non creſcit ex coniunctione cum Sacramento Pœnitentiæ, quod quidem circa ea peccata nihil habet virtutis; ergo ſi Baptiſmus ea peccata tollit cum ſola attritione ſubſequenti, quando concurrit Confeſſio Sacramentalis, poterit etiam eadem peccata ſola tollere cum eadem attritione, quando non ſunt alia peccata, quæ per confeſſionem tollantur?

53. *Inſtantia.* Dices, in prædicto caſu peccata ante Baptiſmum commiſſa tolli non per Baptiſmum præteritum, ſed per Sacramentum Pœnitentiæ indirectè, ſicut peccata etiam oblita. Sed contrà; quia iam hoc non diceretur conſequenter, & iuxta mentem Auguſtini; *Diluitur.* cum quo P. Vaſquez, vbi ſuprà, fatetur, in illo caſu Baptiſmum præteritum cum confeſſione concurrere, & prodeſſe ad remiſſionem peccatorum; ergo non ſolùm tolluntur indirectè per abſolutionem, ſed etiam directè per ipſum Baptiſmum. Et quidem neceſſe eſt aſſignare, per quid directè remittantur: alioquin eodem modo dicere poſſes, nunquam remitti peccata illa per Baptiſmum præteritum, ſed ſemper per confeſſionem ſequentem indirectè, vel per contritionem. Vt ergo conſequenter procedatur, ſi ſemel conceditur, Baptiſmum præteritum concurrere ad remiſſionem peccatorum præteritorum, fatendum eſt, ſemper concurrere, ablato obice, propter eandem rationem.

54. *Ad fundamentum Vaſquez reſpondetur.* Ad fundamentum P. Vaſquez reſpondeo, Auguſtinum neque dixiſſe requiri contritionem determinatè, neque requiri attritionem, ſed requiri pœnitentiam, quæ vtramque comprehendit; aliquando enim requiritur contritio, quando poſt Baptiſmum peccauit homo mortaliter, prout regulariter contingit; & iuſtificatur extra Sacramentum Confeſſionis; aliquando verò ſufficit attritio, vt in caſu noſtro. Ex verbis autem ipſius Auguſtini, & eius fundamento, colligitur, eum non exigere aliam diſpoſitionem tunc ad efficaciam Baptiſmi: fundat enim hanc efficaciam Baptiſmi præteriti ad remittenda peccata, in ſanctitate, & virtute Baptiſmi, quæ ſemper eſt eadem & æqualis; hanc enim rationem reddit illo *lib. 6. c. 5. Quia illud* (ſcilicet Baptiſma) *& in homine iniuſto ſemper ſanctum eſt, quod neque æquitate* *August.* *alicuius augetur, nec alicuius iniquitate minuitur.* Agnoſcit ergo æqualem virtutem in Baptiſmo indignè ſuſcepto, ac in ſuſcepto dignè; atque ideo eandem vim ad remiſſionem peccatorum conferendam, cum eadem diſpoſitione attritionis. Alioquin non ſatis eſſet prouiſum de remedio huic homini, cùm ex vno capite non poſſet iterum baptizari propter Baptiſmum ſemel ſuſceptum; ex alio autem capite; non poſſit vllo Sacramento iuuari, vt cum attritione iuſtificetur, ſed maneat ſicut in lege veteri cum ſolo remedio contritionis perfectæ. Quod videtur eſſe contra mentem Auguſtini, qui volebat ſatisfacere Donatiſtis, & oſtendere, quomodo, licèt Baptiſmus ab hæretico collatus non eſſet reperendus, adhuc nihil ex hoc detrimenti patiebatur baptizatus, ſi vellet ad Catholicam Eccleſiam redire.

Reſtat ergo difficultas de primo caſu, quando homo poſt Baptiſmum peccauit mortaliter, vel continuauit peccatum actuale antea inceptum. In quo caſu certum eſt, peccatum illud poſterius eſſe materiam legitimam Sacramenti Pœnitentiæ, cùm ſit peccatum commiſſum poſt Baptiſmum. Certum etiam eſt, extra Sacramentum ſufficere contritionem vniuerſalem, vt peccata poſteriora remittantur vi contritionis & per votum Sacramenti Pœnitentiæ in ea incluſum: peccata verò anteriora per vim eiuſdem contritionis, & Baptiſmi præteriti. 55. *Proponitur difficultas in alio caſu.*

Palodanus *in 4. diſt. 4. q. 5. n. 24.* probabile exiſtimat, ſufficere attritionem vniuerſalem ſolam etiam extra Sacramentum, vt virtute illius auferatur obex, & Baptiſmus præteritus tollat directè peccata præcedentia, & conſequenter ac indirectè tollat etiam peccata commiſſa poſt Baptiſmum: quam ſententiam probabilem tandem fatetur Suarez *dicta ſect. 5. poſt 2. concluſ.* Verior tamen eſt ſententia, negans id ſufficere, quam tenet ibi cum aliis ipſe Suarez, & Vaſquez vbi ſuprà *c. 2.* Ratio autem eſt, quia peccatum poſt Baptiſmum commiſſum eſt ſubditum clauibus, & per conſequens remitti non poteſt, niſi per abſolutionem Sacramentalem, vt per votum illius incluſum in contritione. 56. Paludan. Suarez. *Sententia verior.* Vaſquez.

Pro ſententia Palodani fit argumentum difficile ex Sacramento Pœnitentiæ, in quo cum attritione vniuerſali remittuntur peccata etiam illa, quæ pœnitens propter obliuionem non eſt confeſſus, quæ quidem ſolùm indirectè, & conſequenter remitti poſſunt, cùm non ſint materia in eo Sacramento; ergo licèt peccata commiſſa poſt Baptiſmum non ſint materia directa Baptiſmi, nec Baptiſmus directè poſſit ea remittere, poterit tamen indirectè, quatenus cum attritione remittit peccata præcedentia, quæ remiſſio fit per gratiam mundantem ab omnibus peccatis etiam ſubſequentibus, ad quod ſufficit attritio, ſicut ſufficit vt abſolutio indirectè tollat peccata omiſſa in Confeſſione propter obliuionem. Confirmatur ex ſententia probabili docente, Sacramenta viuorum conferre aliquando per accidens primam gratiam, quando quis v.g. accedit inculpabiliter ad Euchariſtiam cum ſola attritione: licèt enim Euchariſtia per ſe inſtituta ſit ſolùm ad augendam gratiam; per accidens tamen poteſt tunc expellere peccata: ergo licèt Baptiſmus inſtitutus ſit ſolùm ad remittenda peccata præcedentia, poteſt per accidens expellere alia ſubſequentia. Semper tamen manebit obligatio confitendi ea peccata commiſſa poſt Baptiſmum, quia per ſe debent ſubiici clauibus Eccleſiæ. 57. *Pro ſententia contraria fit argumentum difficile.*

Ad hoc argumentum Soarez in præſenti dicit, in primis antecedens de Sacramento Pœnitentiæ eſſe ſatis dubium, an cum ſola attritione remittantur in ipſo peccata per obliuionem, aut aliter licitè omiſſa; quod fortaſſe dixit propter Ioannem Medina, qui vnus id in dubium vertit Codice de Confeſſ. q. de abſolutione ab oblitis, vbi indicat partem negatiuam. Nullus tamen alius, quem ſciam, id negat ex iis, qui concedunt attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficere ad iuſtificationem: & ipſe Suarez *tom. 4 diſput. 20. ſect. 2. n. 13.* id omnino concedit, & meo iudicio, debet omnino extra controuerſiam eſſe propter verba Concilij Tridentini *ſeſſ. 14. c. 5.* vbi ad oſtendendam facilitatem, & ſuauitatem illius Sacramenti aſſerit, nihil aliud exigi, quàm præmiſſo diligenti examine, ea peccata confiteri, quæ in memoriam venerint: *Reliqua autem*, inquit, *peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in vniuerſum,* 58. Suarez *Reſpondet argumento.* Medina Concil. Trid.

eadem

eâdem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur. Quæ verba enim non poſſint intelligi ita, vt ea peccata intelligantur iam in Confeſſione explicata ad aurem effectum, vt non ſit amplius obligatio ea confitendi (hoc enim eſt apertè falſum) neceſſe eſt, quòd intelligantur in ordine ad eorum remiſſionem per ipſum Sacramentum; alioquin ad nihil prorſus intelligentur incluſa in eadem Confeſſione: habet ergo vim illud Sacramentum remittendi indirectè illa peccata licitè omiſſa, ſi adſit attritio vniuerſalis, quæ ad ipſa extendatur.

59. *Aliter reſpondetur.* Ad obiectionem ergo conceſſo antecedenti de Sacramento Pœnitentiæ, negatur conſequentia; hoc enim peculiare eſt in illo Sacramento, quòd habeat vim indirectam in aliqua peccata, ad quorum remiſſionem non tendit directè, & per ſe. *Probatur reſponſio.* Ratio autem eſt, quia quando aliqua cauſa ordinatur per ſe ad aliquem effectum, quam vim habere non poteſt, niſi ſimul poſſit facere aliquid aliud, tunc cenſetur ad hoc aliud per accidens producendum habere vim. Sic natura, quæ per ſe ordinatur ad producendam prolem ſimilem patri, habet etiam vim ad producendam prolem diſſimilem, vel monſtra per accidens; quia propter coniunctionem aliarum cauſarum virtus ad effectum per ſe intentum debet prodire in hunc alium effectum non intentum. Similiter ergo Sacramentum Pœnitentiæ non potuit habere virtutem ad remittenda peccata manifeſtata in Confeſſione, niſi haberet etiam virtutem ad tollenda per accidens ea, quæ licitè omittuntur; quia alioquin parum vtilis fuiſſet nobis inſtitutio illius Sacramenti; nam regulariter qui habent peccata mortalia, omittunt aliqua, vel propter obliuionem, vel propter impoſſibilitatem dicendi numerum, vel ſpecias, vel propter ignorantiam, qua neſciunt diſtinguere ſpecies vt eas explicent, vel propter alias plures cauſas: vnde ſi ea omnia, quæ omittuntur, indigerent remedio contritionis perfectæ, vt remitterentur, rarò daretur prima gratia per illud Sacramentum, atque ideo eius inſtitutio attuliſſet quidem graue onus confitendi omnia peccata ſine fructu facilioris remedij ad iuſtificationem, qui compenſat illam difficultatem, & obligationem. Non debuit ergo, atque ideo non potuit commodè inſtitui hoc Sacramentum ad remedium, & ad facilitatem iuſtificationis, niſi haberet vim remittendi indirectè, & per accidens peccata etiam licitè omiſſa: quam vim indicauit Tridentinum in verbis ſuprà citatis, & colligere illam potuit ex fine, ac inſtitutione ipſius Sacramenti, & ſenſu communi ac perpetuo omnium fidelium. Hoc autem non procedit in Sacramento Baptiſmi, vt patet: hic enim inſtitutus eſt ad tollendum peccatum originale, & alia commiſſa ante Baptiſmum, quod quidem regulariter facit, neque ad hoc oportuit habere vim remittendi alia poſt ipſum commiſſa: tum quia ipſo tempore, quo confertur, tribuit regulariter ſuum effectum: tum etiam, quia licèt impediatur propter fictionem, vel indiſpoſitionem, poteſt poſtea tribuere eundem effectum, poſita attritione, vel ſi fuerint alia peccata noua, poſita Confeſſione Sacramentali, quæ pro illis peccatis poſterioribus tollendis inſtituta eſt etiam in lege Euangelica.

Diſparitas inter Baptiſmum & Pœnitentiam.

60. *Reſpondetur ad confirmationem.* Ad confirmationem reſponderi poteſt primò, negando antecedens de Sacramentis illis, quæ non ſunt per ſe inſtituta ad remiſſionem peccati, vt diximus agentes de Euchariſtia diſp. 12. ſect. 1. vel ſecundò, admiſſo antecedenti, poteſt negari conſequentia: nam licèt Sacramenta haberent illam virtutem tollendi peccata præterita, ablato obice, quando conferuntur ipſa Sacramenta, non deberent tamen habere vim ad remittenda peccata committenda, poſtquam Sacramenta collata ſunt. Ratio autem eſſe poteſt, quia actio Sacramentalis, vt in ſuperioribus ſæpe diximus, eſt actio Chriſti, & eius petitio, qua à Deo petit gratiam, & remiſſionem peccati pro eo, cui Sacramentum confertur: & licèt ei tunc non detur cum effectu, acquiritur tamen iam nũc ipſi ius ratione Sacramenti ſuſcepti ad gratiam habendam, ablato obice: iam enim applicata ſunt ei Chriſti merita, & ſolutum eſt pretium, cuius quaſi burſa eſt ipſum Sacramentum. Quæ omnia oſtendunt, in ipſa receptione Sacramenti applicari ex parte Dei effectum; tunc enim acceptatur petitio Chriſti, & oblatio pretij, tunc conceditur, quod petitur, licèt executio differatur aliquando propter obicem: non ergo habet vim Sacramentum ad remittenda peccata futura: hæc enim non remittuntur etiam ex parte Dei, antequam committantur: nec applicatur à Chriſto ſolutio pro ipſis, nec homo acquirit ius ad remiſſionem peccati poſtea faciendi. Quamvis ergo daretur, illa Sacramenta poſſe per accidens dare primam gratiam quando recipiuntur: non inde fieret, quòd poſſent per accidens remittere peccata facienda, poſtquam ipſa Sacramenta eſſe defierunt: hoc enim eſt omnino contra inſtitutionem ipſorum Sacramentorum, quæ, vt diximus, ſunt ſanctificationes, & mundationes præſentes, atque adeo remiſſiones ſolùm debitorum præſentium: ſicut qui lucratur Indulgentias, non obtinet remiſſionem pœnæ pro peccatis futuris, ſed ſolùm pro iis, quæ iam commiſit, & pro quibus applicatur nunc pretium ex theſauro Eccleſiæ; nam ſoluere nunc pro futuris, eſſet quaſi dare impunitatem, & licentiam peccandi in futurum.

Reſtat ergo, vt in prædicto caſu requiratur ad iuſtificationem attritio etiam de peccatis commiſsis poſt Baptiſmum cum Sacramento Pœnitentiæ, vel certè contritio extra Sacramentum. Vtroque enim modo aufertur ſufficienter obex, vt Baptiſmus præteritus poſſit conferre ſuum effectum. An verò tunc illa duo Sacramenta concurrant vt duæ cauſæ partiales ad totum effectum gratiæ; an ſingula ad aliquam partem gratiæ? Reſpondendum eſt cum Suarez *ſect. 5. in fine*, vtrumque Sacramentum concurrere ad totum effectum gratiæ tanquam cauſam partialem: quia non eſt maior ratio, cur priores gradus gratiæ fiant ab vno Sacramento quàm ab altero. Vnde vtrumque Sacramentum concurret ad remiſſionem omnium peccatorum: dicetur tamen Baptiſmus concurrere indirectè ſolùm ad remiſſionem eorum, quæ commiſſa ſunt poſt Baptiſmum: quia Deum dare illam gratiam ad finem auferendi eiuſmodi peccata, non prouenit ab exigentia Baptiſmi, ſed Sacramenti Pœnitentiæ: ſicut è contra Deus dat illam gratiam ad finem tollendi peccatum originale, & alia antecedentia Baptiſmum propter exigentiam, non pœnitentiæ, ſed Baptiſmi. Quia tamen tota illa gratia, & quilibet gradus opponitur æquè ex ſe omnibus peccatis mortalibus, vtrumque Sacramentum dicitur concurrere ad ea omnia remittenda, vel directè, vel ſaltem indirectè. 61.

Suarez. Vtrumque Sacramentum concurrit vt cauſa partialis ad remiſſionem omnium peccatorum.

Hoc idem dicendum videtur, quando Baptiſmi obex aufertur poſtea per contritionem: in quo caſu P. Coninch *num.* 101. probabile exiſtimat, contritionem priùs natura cauſare gratiam ſibi correſpondentem, qua omnia peccata remittantur, & poſtea Baptiſmum conferre augmentum eiuſdem gratiæ: quia contritio in ſuo effectu non pendet à Baptiſmo actu ſuſcepto. Hoc tamen fundamentum parum probat; nam independentia vnius cauſæ ab alia non arguit prioritatem in operando, v.g. quando duo lumina ſi 62.

Coninch. Idem dicitur quando per ſolam contritionem tollitur obex.

luminoſa ſimul explicantur eidem paſſo, licèt vnum poſſet operari ſine alio, non ideo priùs alio operatur ſuum effectũ, ſed vtrumque operatur ſimul; quia pro eodem ſigno priori vtrumque eſt applicatum, & neutrius operatio ſupponit operationem alterius. Similiter, cùm pro eodem ſigno, pro quo poſita eſt contritio, intelligatur etiam Baptiſmus ſuſceptus, & abſque obice (nam poni contritionem, & auferri obicem, eſt omnino idem, vt ſuprà vidimus) non eſt, cur pro ſigno poſteriori non intelligatur Baptiſmus etiam operari, niſi eius operatio debeat præſupponere effectum contritionis, ad quod tamen probandum nullum prorſus fundamentum afferri poteſt; quia aliud eſt, effectum Baptiſmi ſupponere contritionem, & ablatum obicem, quod verum eſt: aliud verò, effectum Baptiſmi ſupponere effectum contritionis, quod eſt falſum, & abſque vllo fundamento, & contra mentem Auguſtini, qui vniuerſaliter docuit, Baptiſmum conferre non ſolùm ad augmentum gratiæ, ſed ad remiſſionem peccatorum, quoties poſtea per veram pœnitentiam aufertur fictio.

SECTIO V.

Reſoluuntur alia dubia circa eandem materiam.]

63. *Primum dubium.*

Dubitatur primò: Vtrùm quando aufertur obex Baptiſmi per contritionem ſubſequentem, gratia, quæ confertur, ſit maior, quàm quæ daretur ſoli contritioni abſque concurſu Sacramenti præteriti? Negat P. Vaſq. *diſp.* 159. *n.* 33. Alij verò communiter & veriùs affirmant, quam partem amplectitur etiam Suar. *d. diſp.* 18. *ſect.* 4. §. *Hæc ſententia*; licèt contrarium etiam probabile reputet. Sed ſi conſequenter loquendum ſit, non videtur eſſe dubium. Nam verba Auguſtini, & aliorum, ſi quid probant, hoc vtique probant, Baptiſmum præteritum conducere, & vtilem eſſe poſtea ad remiſſionem peccatorum; non eſt autem vtilis alio modo, nec aliter cauſat remiſſionem peccatorum, niſi mediante gratia: ergo affert gratiam ſuam, qua tollat peccata.

Vaſquez. Suarez. *Reſoluitur iuxta ſenſum verborum Auguſtini.*

64. Nec ſatisfacit dicere, quòd eadem gratia, quæ data fuiſſet ſoli contritioni, datur tunc duplici titulo, ſcilicet propter contritionem, & propter Baptiſmum præteritum. Hoc, inquam, non eſt iuxta ſincerum ſenſum verborum Auguſtini, & aliorum: quid enim vtilitatis affert homini, quòd gratia detur illi duplici titulo, ſi reuera plus gratiæ non habet? Non hoc ſibi voluit Auguſtinus, cùm dixit, illud Sacramentum poſtea prodeſſe: *Quia illud & in homine iuſto, & in homine iniuſto ſemper ſanctum eſt, quod neque æquitate alicuius augetur, neque iniquitate alicuius minuitur.* Minueretur quippe non parum, ſi totus eius fructus reduceretur ad duplicandũ titulum gratiæ, non gratiam, ita vt ratione illius homo ſanctior non eſſet, quàm ſine illo. Non hoc ſibi voluit Auctor illius ſermonis apud Cyprianum, cùm dixit, oblato obice: *Conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum*: non redit effectus munerum, ſi homo non recuperat, quod propter obicis impedimentum perdiderat. Sic enim, quando agitur de reuiuiſcentia meritorum per pœnitentiam, Theologi non agnoſcunt, verè reuiuiſcere merita, ſi gratia non ſit maior, ſed gratia ſolùm noua pœnitentiæ correſpondens detur etiam intuitu meritorum præcedentium: ſic etiam non admittunt pro vera remuneratione actuum remiſſorum illam, quam aliqui ſolùm volebant concedere, quòd gratia, quæ correſpondet actui intenſo ſubſequenti, detur etiam intuitu actuum remiſſorum præcedentium: quia nimirum hæc omnia verbis ponunt remunerationem, & præmium, ſed reipſa titulum vacuum abſque vlla vtilitate, aut fructu. Si ergo Baptiſmus præteritus vtilis eſt, ſi ponitur ſimpliciter cauſare gratiam, & remiſſionem peccatorum, aliquid debet conferre vltra id, quod abſque ipſo haberetur.

August.

Confirmatur primò: nam eo ipſo, quòd Concilia, & Patres dicũt, Sacramenta noſtra cauſare gratiam, intelligunt omnes cauſare aliquam gratiam vltra eam, quam per bona opera abſque ipſis Sacramentis haberemus; nec admitteretur vllo modo explicatio eius, qui diceret, eam ſolùm gratiam, quæ correſpondet meritis, dari de facto duplici titulo, ſcilicet propter merita, & propter Sacramenta; hoc enim eſſet eludere potiùs quàm tueri doctrinam Conciliorum, & Sacramentorum dignitatem, ac efficaciam. Si ergo conceditur, Baptiſmum præteritum, ablato obice, cauſare gratiam, id debet intelligi de gratia diſtincta, non de ſola multiplicatione tituli ad eandem gratiam, quæ ſine illa haberetur. 65.

Confirmatur primò.

Confirmatur ſecundò, ex eo præciſè, quòd abſolutio Sacerdotalis conferat gratiam, & remiſſionem peccatorum, habemus pro comperto maiorem gratiam dare abſolutionem ſimul, & contritionem, quàm ſolam contritionem abſque abſolutione: ergo ex ſimili doctrina Patrum dicentium, Baptiſmum præteritum abluere, ſanctificare, &c. colligere pariter debemus, maiorem gratiam dare Baptiſmum ſimul, & contritionem, quàm daret ſola contritio abſque Baptiſmo præcedenti. 66.

Confirmatur ſecundò.

Confirmatur tertiò, nam ſi obex tollatur per attritionem, Baptiſmus præteritus ſe ſolo cauſat totam illam gratiam, cùm attritio non habeat virtutem ad iuſtificandum ſe ſola, nec tunc ſit pars Sacramenti, ſed mera diſpoſitio ad effectum ſolius Sacramenti: ergo Baptiſmus præteritus habet adhuc vim cauſandi gratiam diuerſam ſupra gratiam aliorum actuum omnium ſequentium; ergo licèt obex tollatur per contritionem, Baptiſmus retinebit eandem vim cauſandi ſe ſolo aliquam gratiam ſupra illam, quæ correſpondet operi bono. 67.

Confirmatur tertiò.

Ratio denique à priori eſt, quia vel Baptiſmus præteritus habet vim ad eandem gratiam, vel non. Si non habet, ergo nec cum contritione illam cauſabit, ſed ſola contritio illam ponet; non enim dicitur dari duplici titulo aliquid, quando ſinguli non habent vim ad illum effectum. Si verò Baptiſmus habet talem vim, prout re vera habet, non debet eadem gratia correſpondere vtrique titulo: nunquam enim Deus, ſtante duplici titulo ad gratiam, dat vtrique eandem gratiam, ſed diuerſam, vt conſtat inductione perpetua: ſic meritis diuerſis dat præmia diuerſa; ſic duobus Sacramentis dat duplicem gratiam diuerſam; ſic Sacramento præſenti cum contritione dat diuerſas gratias, & ſic in aliis: cur ergo in noſtro caſu hæc vniuerſalis regula deficeret? Tam enim applicantur merita Chriſti per Baptiſmũ præteritum ad effectũ illum, quàm per alia Sacramenta: ergo ſicut in aliis Sacramentis non cenſetur Chriſtus applicare ſua merita nobis ad eundem effectum nouo titulo habendum, ſic neque in caſu noſtro; quale enim præmium meritorum Chriſti eſſet dare nobis ex nouo ſolùm motiuo id, quod iam aliunde, nobis deſtinatum, & ex lege Dei debitum erat? 68.

Ratio à priori.

Obiiciunt, ſequi, quòd ille, qui ſacrilegè baptizatur, reportaret commodum ex ſuo ſacrilegio, cùm poſtea maiorem gratiam accipiat ratione contritionis, & Sacramenti præteriti, quam ſi habuiſſet ſolam contritionem, non præcedente ſacrilego Baptiſmo. 69.

Obiectio.

Reſpondetur, idem ſequi in ſententia contraria; nam

Reſponſio.

nam ſi auferatur obex poſtea per ſolam attritionem, accipiet gratiam ratione Baptiſmi præteriti, quam non acciperet cum ſola attritione de peccatis, niſi præceſſiſſet ille Baptiſmus ſacrilegus. Item, qui recipit Euchariſtiam, vel aliud Sacramentum per ſuſceptionem malam venialiter, adhuc accipit gratiam Sacramentalem, atque adeò habet commodum ex ſuo peccato. Item qui incipit implere requiſita ad lucrandam indulgentiam, ita vt primum opus fiat cum peccato etiam mortali, vt ſi viſitet Eccleſiam ex malo fine, vel contra præceptum ſuperioris, adhuc ſi poſtea confiteatur, & ponat alia requiſita, lucrabitur Indulgentiam, & per conſequens reportat commodum ex ſuo peccato: imò per Indulgentiam lucratur remiſſionem eiuſdem peccati, quoad pœnam. Non eſt ergo inconueniens, quòd per accidens ſubſequuta pœnitentia, & retractatione, peccata etiam præterita cooperentur in bonum, & vtilitatem ſpiritualem.

Vtrùm Sacramenta, ablata poſtea obice, conferant ſemper æqualem gratiam.

70. *Dubium ſecundum. Duplex ſententia. Prima.* Dubitatur ſecundò, vtrùm, ablato obice per retractationem ſequentem, Baptiſmus conferat ſemper æqualem gratiam, an verò maiorem iuxta menſuram melioris diſpoſitionis. Duplex eſt ſententia: prima affirmat, ſemper dari æqualem, hoc eſt, infimam, qualem dat paruulis, qui ſine propria diſpoſitione baptizantur. Nam in noſtro etiam caſu gratia datur à ſolo Sacramento, & non ſecundùm diſpoſitionem, cùm nulla fuerit diſpoſitio, quando Baptiſmus datus fuit: attritio verò ſubſequens non poteſt eſſe diſpoſitio ad Baptiſmum, nec ratione illius poteſt dici homo melius diſpoſitus accedere ad Baptiſmum. Hanc ſententiam vt veriorem amplectitur Suarez vbi ſuprà *ſect. 4 poſt medium*: quem ſequitur Coninch vbi ſuprà *dub. 6. num. 102.* Secunda ſententia dicit, gratiam eſſe inæqualem ſecundùm menſuram melioris actus, quo fictio tollitur; hanc tenet Vaſquez *loco citato, c. 5.* ex ſuppoſitione, quòd Baptiſmus, recedente fictione, gratiam conferat ex opere operato.

Suarez. Coninch. Secunda.

Vaſquez.

71. *Concluſio.* Ego in primis exiſtimo, quòd etiamſi in collatione gratiæ non eſſet attendendum ad menſuram actus, quo tollitur fictio, adhuc Baptiſmus non deberet conferre æqualem gratiam omnibus, quando auferatur obex. Deinde addo, debere etiam attendi ad inæqualitatem illius actus, vt iuxta eius menſuram conferatur maior, vel minor gratia, prout ſecunda ſententia volebat.

72. *Probatur prima pars.* Priorem partem probo, quia licèt attritio, qua aufertur poſtea obex, non poſſet deſeruire ad eam inæqualitatem, eò quòd non ſit diſpoſitio: poteſt tamen deſumi inæqualitas ex aliis actibus præcedentibus Baptiſmum, qui eſſent diſpoſitiones. Pro quo aduerto, nomine diſpoſitionis, ſecundùm quam datur gratia Sacramentalis inæqualis, non debere intelligi ſolùm dolorem de peccatis, qui neceſſarius eſt ad effectum Sacramenti, ſed etiam alios actus bonos, quibus homo ſe præparat ad recipiendum Sacramentum. Nam ſi aliquis confeſſurus peccata v. g. pridie ieiunet, det eleemoſynam, & aliis piis operibus ſe præparet, poſtridie verò recogitet peccata, doleat de illis, & recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, gratia Sacramentalis maior erit ratione illius maioris præparationis, quàm ſi ſolum dolorem illum de peccatis haberet; omnia enim illa opera diſponunt ſaltem de congruo ſubiectum ad meliùs accedendum ad Sacramentum. Similiter ergo ſi Catechumenus per dies aliquot ante Baptiſmum ieiunet, & ſe in aliis operibus miſericordiæ, ac pœnitentiæ exerceat, & poſtea ante Baptiſmum doleat de peccatis, non eſt dubium, quin maiorem gratiam Sacramentalem accipiat iuxta meliorem illam præparationem, & diſpoſitionem, quàm ſi ſolum dolorem de peccatis habuiſſet; quia omnes illi actus, & illa opera pia intelliguntur nomine diſpoſitionis, & iis operibus, ac oratione, & meditatione præparant ſe homines pij ad Sacramentum Euchariſtiæ recipiendum. Ergo ſi, poſitis illis operibus, poſtea ille per obliuionem non doleat de peccatis, atque adeo accedat abſque diſpoſitione neceſſaria ad gratiam, poſtea verò recordetur, & doleat, atque auferat obicem Baptiſmo, non poſſumus dicere, hunc hominem acceſſiſſe ad Baptiſmum æquè indiſpoſitum ſeu æquè carentem diſpoſitione, ac alium, qui nullo ſe bono opere præpararat, & ſine dolore etiã de peccatis acceſſerat. Habebit ergo poſtea maiorem gratiam Sacramentalem, ſaltem ratione illius maioris præparationis, & diſpoſitionis antecedentis, ad quam, vt vidimus, debet attendi in collatione gratiæ Sacramentalis, atque adeò ex hoc ſaltem capite Baptiſmus poteſt poſtea ablato obice, dare gratiam inæqualem & maiorem quàm paruulis.

73. *Probatur ſecunda pars concluſionis. Trident.* Secundam verò partem noſtræ ſententiæ, quòd ſcilicet iuxta maiorem perfectionem etiam ipſius actus, quo aufertur obex, datur maior gratia Baptiſmi, colligere mihi videor ex Tridentino *ſeſſ. 4. cap. 4.* vbi de deteſtatione, & retractatione peccatorum, ſic dicitur: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius*; vbi non ſolùm dicitur neceſſaria deteſtatio peccati ad remiſſionem peccatorum, ſed neceſſaria ad eam impetrandam. Concurrit ergo illa deteſtatio ad effectum Baptiſmi, vt meritum de congruo impetrando, ſeu merendo de congruo illum effectum: maiorem autem vim habet ad merendum melior, & perfectior dolor de peccatis, quàm minùs perfectus; ergo effectus inæqualis correſpondebit.

74. *Cùm detur gratia ſecundum cuiuſque diſpoſitionem & cum ille actus per quē obex tollitur ſit diſpoſitio; pro actuum inæqualitate inæqualiter datur gratia.* Rurſus iuxta doctrinam generalem eiuſdem Trident. *ſeſſ. 6. cap. 7.* gratia datur adultis inæqualiter ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem; illum autem actum, quo aufertur obex in caſu noſtro, eſſe veram & propriam diſpoſitionem, probat P. Vaſquez loco citato: tùm quia Baptiſmus præſens non remittit peccata ſine diſpoſitione recipientis; ergo cùm Baptiſmus præteritus non habeat maiorem vim ad remittenda peccata, quàm habeat Baptiſmus præſens, fateri debemus, Baptiſmum etiam præteritum non operari abſque conuenienti diſpoſitione; tum etiam, quia Baptiſmus tunc impeditus fuit ob defectum ſolùm diſpoſitionis debitæ ad ſuum effectum; ergo non poterit expediri ad eum effectum producendum, niſi poſitâ diſpoſitione, ob cuius carentiam impediebatur; ergo actus, qui ponitur, eſt vera, & propria diſpoſitio.

75. *Quid Concilium intelligat nomine diſpoſitionis.* Addere poſſumus ad hoc ipſum probandum, nomine *diſpoſitionis* Concilium intelligere, non quidem eam, quæ diſponit ad Sacramentum, ſed quæ diſponit, & requiritur ad effectum Sacramenti ſuſcipiendum. Primo, quia diſpoſitio dicitur illa, quæ requiritur ad aliquid, vt calor, vel frigus requiritur ad formam generandam; & ideo dicuntur diſpoſitiones, quia ſine illis non fit effectus: dolor autem de peccatis non ita requiritur ad Sacramentum; quod quidem abſque illo validum ponitur, ſed ad effectum Sacramenti; ergo eſt diſpoſitio non tam ad Sacramentum, quàm ad eius effectum. Nec dicas, eſſe diſpoſitionem ad dignè recipiendum Sacramentum: hoc enim ipſum prouenit ex eo, quòd ſit diſpoſitio ad effectum; nam ideo debet præmitti,

&

& ideo indignè accedit abſque illo aliquis, non quia caret diſpoſitione ad dignè accedendum (hæc enim eſſet petitio principij, dum dicis, ideo peccare accedendo ſine illa, quia illa requiritur ad accedendum ſine peccato,) ſed quia caret diſpoſitione ad effectum Sacramenti. Secundò, quia cùm illo loco Trident. contineatur doctrina generalis ad omnes iuſtificationes hominis adulti, non poteſt nomine *diſpoſitionis* intelligi diſpoſitio ad Sacramentum, ſed diſpoſitio ad gratiam, quando enim homo iuſtificatur extra Sacramentum per contritionem, verificatur illa doctrina, quòd accipiat inæqualem gratiam *ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem*; & tamen diſpoſitio ibi non eſt, niſi quæ diſponit ad ipſam gratiam recipiendam. Ne ergo ſit æquiuocatio in eâdem voce, fatendum eſt, nomine *diſpoſitionis* ibi non intelligi diſpoſitionem ad Sacramentum, ſed diſpoſitionem ad gratiam; quæ gratia ſicut aliæ formæ, meliùs communicatur ſubiecto meliùs diſpoſito ad ipſam. Vnde conſtat iam ſolutio ad fundamentum contrariæ ſententiæ: dicimus enim, tunc, licèt non daretur diſpoſitio ad Baptiſmum, dari tamen diſpoſitionem ad effectum Baptiſmi, ad quam diſpoſitionem attendi debet in collatione gratiæ Sacramentalis.

Nomine diſpoſitionis non intelligitur diſpoſitio ad Sacramentum, ſed ad gratiam.

76. *Obiectio.* Obiicit rurſus Suarez, quia merita priora per peccatum mortificata redeunt per contritionem ſequentem, non tamen iuxta menſuram eiuſdem contritionis, ſed ſemper eadem & æqualia, quia ſcilicet per contritionem aufertur ſolùm obex peccati, quo impediebantur, in qua ablatione obicis omnes contritiones ſunt æquales. Cùm ergo in caſu noſtro attritio ſolùm tollat obicem peccati, qui impediebat Baptiſmum, in qua ablatione omnes attritiones ſunt æquales; non faciet Baptiſmum inæqualiter producere ſuum effectum, qui erat quaſi mortificatus.

Reſponſio. Reſpondetur negando conſequentiam; quia gratia, & gloria meritorum præcedentium reſpondet illis vt cauſæ adæquatæ, & vnicæ menſuræ: at verò gratia Sacramentalis in adulto non correſpondet ſoli Sacramento tanquam vnicæ menſuræ adæquatæ: conſtat enim, gratiam dari propter Sacramentum, & diſpoſitionem, tanquam propter menſuram conſtantem ex vtraque parte, etiam quando Sacramentum non impeditur obice; vnde inferimus, idem dicendum in caſu noſtro; imò retorquemus argumentum, quia gratia meritorum reuiuiſcens debet habere eandem menſuram ſui in reuiuiſcentia, quam habet in prima collatione, nempe ſola merita, & eorum valorem; ergo gratia Sacramentalis in adulto debet dari iuxta eandem menſuram, quando datur, ablato obice, iuxta quam daretur non poſito obice; tunc autem menſura adæquata non eſſet ſolùm Sacramentum, ſed ſimul cum diſpoſitione ad gratiam; ergo eandem menſuram debet habere, quando datur ablato obice. Non ergo concurrit ille actus merè auferendo obicem, ſed etiam poſitiuè diſponendo ad gratiam, & conflando vnum principium, ſeu determinans indifferentiam Sacramenti in ordine ad talem, vel talem effectum gratiæ Sacramentalis. Aduerte tamen, quando dicimus, actum illum concurrere poſitiuè ad gratiam, non debere intelligi ita, vt concurrat, tanquam pars Sacramenti; hoc enim eſt falſum cùm iam totum Sacramentum præextiterit diſtinctum ab ipſo actu, ſed ſolùm concurrit per modum diſpoſitionis & conditionis, ſicut vſus requiritur ad effectum Euchariſtiæ, non vt Sacramentum, nec pars Sacramenti, ſed vt conditio, eo modo, quo id explicabimus diſp. 1. *de Euchariſtia, ſect.* 7.

77. *Obiectio.* Obiicit tertiò, quia Sacramentum, quando confertur, acceptatur à Deo ad effectum certum, & determinatum; non ergo pendet quantitas effectus ex maiori, vel minori diſpoſitione ſequenti, quod argumentum potiſſimè conuincit P. Coninch, & nos etiam ſuprà vſi ſumus eo argumento ad probandum, quòd Baptiſmus non poteſt poſtea, poſita attritione vniuerſali, extra Sacramentum remittere indirectè peccata poſt ipſum Baptiſmum commiſſa, quia non fuit acceptatus à Deo, niſi ad effectum certum, & remiſſionem peccatorum iam præſentium; ergo non poteſt etiam creſcere eius actiuitas ex augmento diſpoſitionis melioris, qua poſtea aufertur obex.

78. *Reſponſio.* Reſpondeo, effectum Baptiſmi eſſe determinatum tunc, quando confertur Baptiſmus, & debere ipſum Baptiſmum acceptari tunc à Deo ad effectum determinatum, loquendo de effectu remiſſionis peccatorum, non verò loquendo de effectu gratiæ ſanctificantis. Ratio diſcriminis eſt, quòd ad effectum remiſſionis peccatorum nō indiget Sacramentum aliquo alio determinante eius indifferentiam, ſed ſolùm carentia obicis, vt patet in duobus accipientibus Baptiſmum cum inæquali diſpoſitione attritionis; æqualem enim remiſſionem peccatorum accipit vterque, & fortaſſe qui remiſſam habet attritionem, accipit maiorem remiſſionem, quàm qui habet intenſam, eò quòd plura, & grauiora habebat peccata, & vterque accipit omnimodam remiſſionem à culpa, & pœna; quia ad hunc effectum Baptiſmus ipſe ex ſe eſt omnino determinatus; & ideo tunc quando confertur, acceptatur à Deo ad totum illum effectum omnino ponendum. At verò in ordine ad gratiam Baptiſmus in homine adulto eſt cauſa indifferens de ſe, & quæ debet determinari per diſpoſitionem; vnde quando nondum eſt poſita diſpoſitio neceſſaria, non poteſt acceptari à Deo ad effectum gratiæ omnino determinatum, ſed ſolùm per modum cauſæ indifferentis, & determinabilis per aliud, prout re vera eſt; omnis enim cauſa debet acceptari ſecundùm ſuum proprium modum cauſandi, quem habet.

Effectus remiſſionis ſemper eſt æqualis, non verò effectus gratiæ.

79. *Obiicitur quartò.* Quartò obiicit, quia in eo caſu gratia datur poſtea ſolùm propter ſanctitatem Baptiſmi; & quia eſt medium neceſſarium ad ſalutem, non propter id, quòd homo ex ſua parte præſtitit; ergo ſatis eſt, ſi detur gratia neceſſaria qualis datur infanti, nullâ habitâ ratione diſpoſitionis ſubiecti. Reſpondeo, dari quidem gratiam propter ſanctitatem Baptiſmi, ſed iuxta eius inſtitutionem, & legem Dei, qua decreuit non dare primam gratiam adulto, quam ipſe propria diſpoſitione non impetret, & mereatur de congruo, vt ex Trident. probauimus: oportet ergo non dari ſine attentione ad diſpoſitionem ſubiecti.

Reſpondeo.

80. *Obiicitur quintò.* Quintò obiicit, quia ſequeretur, meliorem conditionem fore illius, qui baptizatus eſt fictè, & poſtea habet attritionem vt tria, quàm illius, qui baptizatus eſt cum attritione vt duo, & poſtea habet attritionem vt tria; nam hic accipit gratiam Sacramentalem ſolùm iuxta diſpoſitionem vt duo, ille verò accipit ſecundùm diſpoſitionem vt tria. Reſpondeo, hoc inconueniens non eſſe magni momenti; vt fatetur poſtea ipſe Suarez §. *Denique*; & commune eſſe vtrique ſententiæ; nam ſi aliquis nunc baptizetur cum contritione vt duo, & poſtea habeat alios actus intenſos contritionis, alter verò differat Baptiſmum, vſque ad finem vitæ, & tunc baptizetur cum contritione vt quatuor, hic recipiet maiorem gratiam Sacramentalem, quàm ille, atque ideo meliorem conditionem habebit propter ſuam dilationem, quàm ille, cui contritiones intenſæ ſequentes non profuerunt ad maiorem gratiam Sacramentalem. Addere poſſumus in eodem caſu, melioris etiam conditionis eſſe eum, qui differt Baptiſmum etiam culpabiliter vſque ad mortem; quia tunc

Reſpondeo.

Per accidens melioris conditionis eſt qui differt Baptiſmum etiam culpabiliter vſque ad mortem.

tunc Baptiſmus affert illi remiſſionem omnimodam omnium peccatorum totius vitæ etiam quoad pœnam, quem fructum non conſequitur, qui debito tempore multis retrò annis baptizatus fuerat. Hæc tamen omnia ſunt per accidens. Nam per ſe loquendo, melioris conditionis eſt, qui cito baptizatur: ex tunc enim poteſt mereri de condigno per omnia opera bona, quæ facit, & fit capax aliorum Sacramentorum, quo fiet vt excedat, omnibus penſatis, illum maiorem fructum, quem per accidens ille alius habebit ob dilatum Baptiſmum. Sic etiam qui dignè ſuſcepit Baptiſmum, erit per ſe loquendo melioris conditionis, quàm qui fictè; quia toto illo tempore intermedio poteſt mereri de condigno, & augere gratiam & recipere alia Sacramenta, qua ratione compenſabit, & ſuperabit quod ille alius poſtea habebit maioris gratiæ Sacramentalis, quando aufert obicem per diſpoſitionem meliorem.

81. *Inſtat Suarez.* Vrget adhuc Suarez, quia carentia melioris diſpoſitionis eſt obex ad maiorem gratiam in Baptiſmo accipiendam; ſicut totalis carentia diſpoſitionis eſt obex ad omnem prorſus gratiam; ſed ablatâ poſtea illâ carentiâ melioris diſpoſitionis, & poſitâ diſpoſitione meliori, non confert Baptiſmus præteritus ad habendam maiorem gratiam Sacramentalem, quam ab initio contuliſſet cum tota illa diſpoſitione: ergo nec habita poſtea diſpoſitione vt quatuor, Baptiſmus antea fictè ſuſceptus confert totum effectum, quem ab initio dediſſet cum illa diſpoſitione.

82. *Reſpondetur.* Reſpondeo negando maiorem, ſi ſenſus ſit, eodem prorſus modo eſſe obicem vnum ac alium. Nam carentia melioris diſpoſitionis eſt obex ad aliquem effectum, quem Baptiſmus determinatè non reſpicit, quippe qui de ſe ſolùm reſpicit determinatè abluere omnino ab omnibus peccatis, quæ inuenit; quòd autem hæc ablutio fiat per tantam vel tantam gratiam, non petit determinatè in adulto, ſed indifferenter ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem: vnde non eſt propriè obex Baptiſmi, qui ſolùm impedit illam maiorem gratiam, cùm non impediat id, quod Baptiſmus exigit, ſed ſolùm id quod poſſet habere. At verò carentia totalis diſpoſitionis eſt propriè obex, quia impedit remiſſionem peccatorum, quam Baptiſmus determinatè reſpicit, & exigit, & ideo dicitur Baptiſmus impeditus, & quaſi vim patiens, quandiu illum effectum non conſequitur: vnde, ablato obice, ſtatim illum conſequitur.

83. *Obiicit vltimò.* Vltimò obiicit, quia gratia Baptiſmalis ſemel habita, & per ſubſequens peccatum amiſſa reuiuiſcit iterum per pœnitentiam; quæ pœnitentia aliquando erit actus perfectior, quàm fuit prior diſpoſitio ad Baptiſmum: & tamen tunc gratia Baptiſmalis non reſtituitur, qualis fuiſſet, ſi ab initio habita fuiſſet tam perfecta diſpoſitio: ſed iuxta diſpoſitionem priorem, non iuxta perfectionem illius diſpoſitionis, quâ aufertur poſtea obex: ergo à fortiori, ſi baptizatus quis eſt abſque vlla diſpoſitione, non conſequetur poſtea gratiam Baptiſmalem ſecundùm perfectionem diſpoſitionis, quam poſtea habet.

84. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando conſequentiam propter rationem proximè traditam: quia ſicut Baptiſmus gratiam, quam ſemel habuit, non auget poſtea propter meliorem diſpoſitionem ſubſequentem: ita nec eâ ſemel habitâ, & amiſſâ recuperat maiorem propter meliorẽ diſpoſitionem ſequentem: quia nimirũ diſpoſitio illa ſubſequens ſolùm tollit obicem gratiæ ſemel habitæ, non verò determinat Baptiſmum indifferentem ad hanc, & illam gratiam; iam enim fuit Baptiſmus determinatus ſemel per primam diſpoſitionem: at verò in caſu noſtro diſpoſitio tollit obicem, & concurrit impetrando, vt diximus, & determinando indifferentiam Baptiſmi, qui de ſe eſt indifferens ad cauſandam in adulto tantam vel tantã gratiam, niſi determinetur à diſpoſitione ſubiecti.

Ex dictis infero obiter, non ſolùm creſcere effectum Baptiſmi præteriti per maiorem perfectionem diſpoſitionis, qua aufertur obex, ſed etiam fortaſſe ex melioribus operibus, quibus à tempore Baptiſmi ſuſcepti vſque ad pœnitentiam, qua aufertur obex, diſponit ſe homo ad effectum Baptiſmi, & gratiam iuſtificationis impetrandam. Si v.g. per menſem poſt Baptiſmũ fictè ſuſceptum ſe exercet in ieiuniis, orationibus, & eleemoſynis ad impetrandam peccatorum veniam, & ſpiritu compunctionis; poſtea quando conteritur, vel atteritur conſequetur ex vi Baptiſmi præteriti maiorem gratiam, quàm ſi illá contritionem, vel attritionem ſolùm haberet, non præcedentibus aliis piis operibus. Hoc colligitur ex iis, quibus probauimus primam partem noſtræ ſententiæ: nam ſicut Baptiſmus dignè ſuſceptus confert maiorem gratiam, non ſolùm ſecundùm perfectiorem attritionem præſentem, ſed etiam ſecundùm meliorem diſpoſitionem, qua quis ſe ad Baptiſmum præparauit eiuſmodi operibus piis, vt diximus; ſic cum proportione, quando poſt Baptiſmum fictè ſuſceptum ſe quis exercet in iis operibus, & præparat ad effectum Baptiſmi, debet integrari diſpoſitio ad gratiam ex iis etiam operibus piis, & toti illi maiori diſpoſitioni debet maior poſtea gratia correſpondere, quia reuera illud ſubiectum eſt meliùs diſpoſitum ad effectum Sacramenti. Nec obſtat, quòd opera bona facta in ſtatu peccati dici ſoleant opera mortua: hoc enim intelligi debet, quod attinet ad merendum de condigno: cum hoc tamen ſtat quòd poſſint diſponere ad meliorem effectum Sacramenti, vt conſtat in attritione, quam habet peccator, dum eſt in ſtatu peccati, & diſponit ad hoc vt Baptiſmus ſubſequens conferat gratiam Sacramentalem, habita ratione illius attritionis præteritæ. 85. *Infertur primò, ex melioribus operibus, quibus à tempore Baptiſmi diſponit ſe homo vſque ad pœnitentiã qua tollitur obex, creſcere effectum Baptiſmi.*

86. Cæterùm licet hoc veriſimile videri poſſit, non concederem tamen illa pia opera in peccato facta in tantum augere diſpoſitionem ad gratiam Baptiſmi, ſiue Baptiſmus dignè accipiatur; ſiue antea fictè acceptus poſtea, ablato obice, effectum operetur, vt plus gratiæ correſpondeat propter illum exceſſum diſpoſitionis, quàm correſponderet de condigno illis operibus, ſi poſt gratiam Baptiſmalem in ſtatu gratiæ fierent: ex hoc enim ſequeretur vtilius eſſe homini ieiunare, & dare eleemoſynam ante Baptiſmum quando eſt in peccato, quàm quando eſt in gratia poſt Baptiſmum. Sufficit ergo ſi eis concedatur de congruo diſponere ad aliquem exceſſum in gratia Sacramentali minorem, quàm quem eadem opera in gratia facta poſſent mereri. Aliud eſt de diſpoſitione præſenti tunc, quando infunditur gratia, de qua diximus ſect. 2. plus gratiæ afferre per modum diſpoſitionis de congruo, quàm afferret per modum meriti condigni; illa enim diſpoſitio non eſt actus peccatoris, nec opus mortuum, ſed factum ab homine, qui eo ipſo inſtanti eſt iuſtus; & licèt non dignificetur à gratia pro illo priori, poteſt tamen Deus acceptare illam diſpoſitionem de congruo ad maiorem gratiam propter rationem ibi traditam, quæ non militat in aliis operibus factis in ſtatu peccati. *Diſponũt tãtùm illa opera ad aliquẽ exceſſum gratiæ, ſed minorem eo quem eadem opera in gratia facta poſſent mereri.*

87. *Dubium tertium.* Dubitatur tertiò, an ſi auferatur obex Baptiſmi præteriti per attritionem, v. g. vt quatuor, quæ ſimul diſponat ad Sacramentum Pœnitentiæ, quo remittantur peccata poſt Baptiſmum commiſſa, an (inquam) in eo caſu ſingula Sacramenta ſecundùm ſe conferant tantam gratiam, quantam ſi illa attritio pro ſingulis ſolùm Sacramentis deſeruiret, ita vt ſi

Baptiſmus ſolus cum illa attritione ſubſequenti poſſet dare tres gradus gratiæ, & Sacramentum pœnitentiæ ſolum cum illa attritione poſſet dare gradus, vtrumque Sacramentum ſimul cum eâdem attritione conferat ſex gradus gratiæ. Vaſquez. P. Vaſquez *d. diſp.* 160 *n.* 13. dicit de hoc nihil poſſe aſſeri, ſed reſeruandum Dei iudicio, cuius regulam & inſtitutionem ignoramus. Suarez. *Reſoluitur.* P. Suarez *vbi ſupr. ſect.* 5. *poſt* 4. *concl.* dicit, ſi Baptiſmus, ablato obice, operetur gratiam maiorem ſecundùm diſpoſitionem præſentem; tunc ſingula Sacramenta datura tantum gratiæ, quantum ſi ſingula ſeorſim eſſent cum illa diſpoſitione, ita vt ex conſortio alterius Sacramenti non minuatur effectus alterius. Quod mihi etiam magis placet; quia ſi aliquis recipiat de facto duo Sacramenta ſimul, v.g. Euchariſtiam, & Extremam-Vnctionem, non eſt veriſimile, quòd ſingula dabunt minorem effectum gratiæ propter conſortium alterius, quàm ſi vnum ſolum Sacramentum ex illis ſuſciperetur, ſed potiùs ſingula dabunt totum ſuum effectum, quantum ſi ſeorſim ponerentur; ergo eadem diſpoſitio poteſt cum duobus Sacramentis ſimul concurrere, nihil propter hoc perdendo, aut dimittendo de effectu ſingulorum.

88. *Inſtantia.* Dices, ſi ille homo, non ſimul, ſed diuiſim acciperet illa duo Sacramenta, & ad ſingula ſe diſponeret cum æquali diſpoſitione vt quatuor, meliùs ſe diſponeret ex parte ſua, quàm ſi vnica diſpoſitione vt quatuor ſe diſponat ad vtrumque Sacramentum ſimul recipiendum; nam duo actus boni, vt quatuor, meliùs diſponunt, & plus merentur quàm vnus; ergo non debet recipere tantam gratiam Sacramentalem per ſingula Sacramenta, quando habet vnicam diſpoſitionem, quantam reciperet in ſingulis ſeorſim, & per conſequens neque in caſu noſtro; quia ſi priùs tolleret obicem Baptiſmi per attritionem vt quatuor, & poſt aliquod tempus ſe præpararet ad Confeſſionem per aliam attritionem vt quatuor, meliùs diſpoſitus eſſet ex parte ſua, cùm duæ attritiones ſint meliores, & plus mereantur, quàm vna ſola.

89. *Diluitur.* P. Suarez videtur negare antecedens; quia multitudo actuum eſt quodammodo accidentalis, quando in reliquis eſt perfectio æqualis. Ego libentiùs admitterem antecedens, & conſequenter concedo, regulariter maiorem gratiam habiturum hominem per illa duo Sacramenta, quàm ſi ſimul cum vnica diſpoſitione ea ſuſciperet; quia vterque ille actus bonus eſt diſpoſitio ad ſecundum Sacramentum; ſi quidem prior actus reddit hominem magis ſanctum, atque adeò meliùs diſpoſitum ad ſecundum Sacramentum. Noſtra autem quæſtio non eſt, an accipiatur tanta gratia per vtrumque Sacramentum ſub vnica diſpoſitione vt quatuor ſuſceptum, quanta per illa duo Sacramenta ſucceſſiuè accepta ſub duplici diſpoſitione vt quatuor, ſed an in primo caſu ſingula Sacramenta ex parte ſua conferant tantam gratiam, quantam idem Sacramentum cum æquali prorſus diſpoſitione daret. Dixi tamen *regulariter* concedi poſſe, habiturum maiorem gratiam per illa duo Sacramenta, qui illa ſuſcipit ſucceſſiuè cum duplici diſpoſitione vt quatuor; quia fingi poteſt caſus, quo non habeat maiorem: vt ſi prior diſpoſitio fuerit poſtea reuocata per actus contrarios malos, & gratia Sacramentalis prius amiſſa, tunc enim non videtur homo meliùs diſpoſitus ad ſecundum Sacramentum ratione diſpoſitionis præteritæ, quàm ſi illam non habuiſſet, ſed ſolùm videtur attendi ad ſecūdam diſpoſitionem nouam; & in hoc caſu negandum erit antecedens, ſcilicet hominem meliùs eſſe diſpoſitum ad ſecundum Sacramentum per illas duas diſpoſitiones, quàm per vnam ſolam. Fuit quidem pluries diſpoſitus, non tamen meliùs, quia propter retractationem non potuit vniri prior diſpoſitio cum poſteriori ad faciendam vnam meliorem diſpoſitionem.

Dices iterum: Virtus meritoria finita, quò ſe extendit ad plura merenda, eò minor eſt virtus ad ſingula: ergo ſi attritio illa vt quatuor extendit ſuam virtutem ad merendam gratiam cum pluribus Sacramentis, neceſſe eſt, quòd cum ſingulis minùs mereatur; nam virtus diuiſa minor eſt, quàm vnita. 90. *Inſtantia.*

Reſpondeo loquendo de merito condigno, verum eſt, valorem finitum diuiſum ad plura non tantum poſſe, quantum in ordine ad vnum, quia ibi requiritur æqualitas inter meritum, & præmium. *Soluitur.* At verò meritum congruum poteſt diuidi ad plura & plura; quia non requirit æqualitatem, ſed congruitatem, quam habet etiam in ordine ad plura; vnde liberum eſt Deo acceptare illud meritum ad plura in tali, vel tali caſu. Dicimus ergo, Deum voluiſſe eandem attritionem acceptare, tanquam diſpoſitionem congruam ad plures effectus gratiæ, quando concurrunt plura Sacramenta; quia licèt ſit vnum meritum congruum: multiplicantur tamen actiones Sacramentales, quæ ſunt cauſæ condignæ, quatenus continent merita Chriſti; & ideo non mirum, quòd maneat integra virtus attritionis ad merendam de congruo nouam gratiam cum nouo Sacramento; quia Sacramentum ipſum, & merita Chriſti ibi incluſa ſunt, quæ de condigno obtinent, vt meritum illud congruum attritionis acceptetur iterum ad nouam gratiam impetrandam. *Licèt ſit tantum vnum meritum congruum, multiplicantur tamen actiones Sacramentales, quæ ſūt cauſa condigna.* Sic etiam quando Pontifex concedit diuerſas Indulgentias confeſſis, & refectis Euchariſtia, viſitantibus hanc, & illam Eccleſiam, per diuerſas conceſſiones, tunc vnica Confeſſio, & Communio ſufficit ad lucrandam vtramque Indulgentiam, viſitando vtramque Eccleſiam; quia nimirum cauſa præcipua, & condigna ſunt ſatisfactiones Chriſti, quæ applicantur, poſita illa conditione. Similiter ergo in Sacramentis promiſſa eſt tanta gratia recipienti cum tali diſpoſitione: poterit ergo eadem diſpoſitio deſeruire ad lucrandam vtramque gratiam, quia cauſa præcipua ſunt merita Chriſti in Sacramento contenta, quæ quaſi multiplicantur in diuerſis Sacramentis, & obtinent, quòd eadem diſpoſitio ſæpiùs acceptetur ad gratiam Sacramentalem de congruo obtinendam.

An Sacramentum impeditum ad remiſſionem venialium, poſſit poſtea, ablato obice, eam conferre.

Dubitatur quartò, an Baptiſmus dignè ſuſceptus, & cauſans gratiam, ſed habens obicem ad remiſſionem venialium aliquorum, vel omnium, quia de illis non eſt dolor, poſſit poſtea, ablato obice per pœnitentiam de venialibus, tribuere ſuum effectum etiam in ordine ad illa. 91. Vaſquez. P. Vaſquez *diſp.* 160. *cap.* 3. negat omnino, id fieri poſſe. Suarez. P. Suarez *vbi ſuprà ſect.* 4. §. *Dices, quid ſi prius*, concedit, ſi auferatur priùs obex, quoad mortalia, & poſtea quoad venialia, remitti priùs mortalia; & poſtea venialia virtute Baptiſmi præteriti, vel omnia ſimul vel ſucceſſiuè eo ordine, quo obex in ordine ad ipſa aufertur. Vnde conſequenter debet concedere, quòd ſi ab initio Baptiſmus habuit effectum quoad ſola mortalia, poſtea ablato obice quoad venialia, habebit effectum quoad illa. Addit tamen, ſemel collata gratia per Baptiſmum, licèt poſtea ablato obice quoad venialia, hæc remittantur virtute Baptiſmi, non tamen conferri tunc nouum gradum gratiæ ex opere operato virtute Baptiſmi præteriti; quia ad remiſſionem

miſſionem peccati venialis non requiritur gratiæ infuſio. In quo P. Vaſquez non refert fideliter Suarij ſententiam: dixit enim, quòd ponit, ablatâ fictione, quæ fuit circa venialia, Baptiſmum illa remittere, & gratiam ad eorum remiſſionem conferre; quod vltimum Suarez non dixit, niſi quando ſimul auferetur obex ad mortalia, & venialia. Sermo autem ſemper eſt de venialibus ante Baptiſmum commiſſis; nam in ordine ad alia poſt Baptiſmum commiſſa, Baptiſmus nullam habet efficaciam.

92. *Concluſio. Hanc tenet Suarez.* Hæc ſecunda ſententia mihi magis placet conſequenter ad ea, quæ hucvſque dicta ſunt. Primam eius partem de remiſſione eorum venialium, ablato obice, probat Suarez ex eo, quòd Baptiſmus eſt regeneratio totalis, & eius gratia eſt regeneratiua, transmutans hominem in alium, atque adeò ex ſe delens omnia peccata vitæ anterioris. Cùm ergo, ablato obice, detur gratia Sacramentalis, conſequens eſt vt tunc deleat ſimul & mortalia, & venialia: vnde conſequenter fit, quòd ſi adhuc non auferatur obex quoad venialia, maneat virtus Baptiſmi impedita, & ſuſpenſa ad cauſandum eum effectum, vbi primùm auferatur obex ad illum.

93. *Aliter probatur ex efficacitate Baptiſmi.* Aliter poſſumus hoc ipſum à poſteriori probare ex efficacitate Baptiſmi; qui licèt inueniat obicem, quando confertur ad remiſſionem omnium venialium, & ideo non conferat tunc remiſſionem totius pœnæ: ſi tamen homo ille ſtatim moriatur, non purgabitur propter peccata præterita in Purgatorio, ſed ſi verè iuſtificatus eſt in Baptiſmo, rectâ ibit in cœlum: æquiparatur enim Baptiſmus quoad hoc, martyrio, vt diximus in ſuperioribus; & quidem martyr, licèt non remittantur ei omnia venialia in hac vita propter obicem, & carentiam debitæ retractationis, in primo tamen inſtanti mortis remittuntur, quoad culpam, & totam pœnam extra hanc vitam in virtute martyrij præteriti, & ideo nemo orat pro martyre; & ideo etiam iuxta communem fidelium ſenſum, qui ſtatim poſt Baptiſmum moritur, cenſetur non indigere ſuffragiis propter peccata præterita expianda. Manet ergo Baptiſmo ſua via ſuſpenſa, licèt impedita, in ordine ad ſuum effectum expiationis pœnæ temporalis, quem non potuit præſtare propter obicem, & poſtea præſtat. Cur ergo non idem dicemus de effectu remiſſionis culpæ? Ratio enim eſt eadem, ſcilicet totalis regeneratio, & ablatio veteris hominis, ad quam non magis ſpectat tollere reatum pœnæ, quàm reatum culpæ, vt conſtat: imo credibile eſt, quando in hac vita propter obicem non ſunt remiſſa venialia ante Baptiſmum commiſſa, & remittuntur in altera vita, remitti etiam quoad culpam virtute Baptiſmi præteriti; nam licèt deberent aliquando remitti propter ius, quod acquiſiuit ad gloriam; cùm tamen Baptiſmus ſit titulus proportionatus ad remittenda ſtatim, poſitâ retractatione, & ablato obice, conſequens eſt, vt in primo inſtanti remittantur virtute Baptiſmi præteriti, qui ſicut retinet virtutem ſuam in ordine ad remiſſionem pœnæ, ſic debet eam retinere in ordine ad remiſſionem culpæ.

Licèt martyri non remittantur omnia venialia in hac vita propter obicem, remittuntur ei in primo inſtanti mortis quoad culpam, & pœnam in virtute martyrij præteriti.

In hoc æquiparatur Baptiſmus martyrio.

94. *Hinc ſoluitur argumentum Vaſquez. Auguſtin.* Hinc conſtat ſolutio ad argumentum P. Vaſquez, qui fundatur in eo, quòd Auguſtinus hunc effectum remittendi venialia Baptiſmo non tribuit, ablato poſtea obice, nec poterat tribuere, cùm is effectus non ſit neceſſarius ad ſalutem. Reſpondetur tamen, nec Auguſtinum eum negare, & ex eius verbis ſuprà ſæpe adductis, hunc etiam effectum colligi, cùm *libro illo 6. de Baptiſmo, cap. 5.* efficaciam Baptiſmi ad remiſſionem peccatorum fundet in eo, quòd Baptiſma illud ſanctum eſt, & ideo *nullius iniquitate minuitur*. Vnde colligit, ablato obice, deſeruire ad remiſſionem peccatorum: ſub qua vniuerſalitate verborum videtur omnia peccata intelligere, tam venialia, quàm mortalia; nunquam enim in ſacris litteris dicitur aliquid deſeruire, vel dari ad remiſſionem peccatorum, quod non poſſit deſeruire niſi ad ſola mortalia remittenda. Ratio autem illius efficaciæ Baptiſmi non fuit ſola neceſſitas ad tollendum originale, ſed inſtitutio Chriſti, qui voluit hominem poſſe renaſci ex aqua, & Spiritu ſancto ſemel, hoc eſt, depoſita tota vita veteri, & eius debitis ac ſordibus; vt explicuimus *ſect. 3.*

95. *Secunda pars concluſionis probatur.* Secunda pars concluſionis, quòd ſcilicet ſemel collata gratia per Baptiſmum, ſi poſtea auferatur obex ad remiſſionem venialium, non oporteat conferri nouum gradum gratiæ Sacramentalis ex opere operato, ſed remitti peccata ex vi gratiæ Sacramentalis antea collatæ, probari poteſt, tùm quia ad cauſandam remiſſionem venialium, non eſt neceſſe cauſare de nouo aliquem gradum gratiæ, neque aliunde ſit ratio augendi gratiam Sacramentalem ſemel collatam; alioquin augeretur etiam, quoties ponitur de nouo melior diſpoſitio, quod tamen nemo concedet.

96 *Inſtantia.* Dices, Baptiſmus non cauſat remiſſionem peccati immediatè, ſed mediante gratia quam cauſat; ergo ſi ponit nouum effectum remiſſionis peccati, ponit nouum gradum gratiæ, mediante quo, illam remiſſionem cauſet. *Diluitur.* Reſpondeo, Baptiſmum non cauſare remiſſionem peccati, niſi mediâ gratiâ tunc, vel antea ab ipſo Baptiſmo cauſata; non eſt tamen neceſſe, quòd illum effectum cauſet mediâ gratiâ de nouo poſitâ, quando illum effectum cauſat. Hoc conſtat in effectu remiſſionis pœnæ temporalis, quem Baptiſmus, vt vidimus, aliquando non cauſat in hac vita propter obicem reſpectu venialium, ſed ablato illo obice, in primo inſtanti ſeparationis animæ cauſat illum effectum, & tamen tunc nullum nouum gradum gratiæ confert, ſed cauſat illum effectum, mediante gratia Sacramentali antea cauſata ab ipſo Baptiſmo. Sic ergo poterit, ablato obice in hac vita, cauſare de nouo remiſſionem venialium abſque noua gratia Sacramentali, ſed mediante gratiâ priùs poſitâ ab ipſo Baptiſmo, quæ data fuit ad remiſſionem omnium peccatorum, quantum erat ex ſe, tàm venialium præteritæ vitæ, quàm mortalium.

Poteſt cauſari de nouo remiſſio venialium, abſque noua gratia, ſed mediante gratia priùs poſita

97. *Aduerte me non loqui de noua gratia ſacramentali.* Dixi tamen ſæpè non dari tunc nouum gradum gratię Sacramentalis ad eum finem: non enim nego interuenire ſemper nouum gradum gratiæ, quoties ponitur effectus ille nouus remiſſionis venialium. Cùm enim ille effectus ponatur, quando aufertur obex, & hic tollatur per dolorem, & retractationem peccatorum venialium, qui eſt actus honeſtus, & ſupernaturalis, atque adeò meritorius de condigno augmenti gratiæ, cùm ſit elicitus ab homine iuſto, vt ſupponimus; conſequens eſt, quòd detur augmentum gratiæ ex opere operantis. Non requiritur tamen, quòd Sacramentum Baptiſmi, ob cuius virtutem fit nunc remiſſio omnium venialium commiſſorum ante Baptiſmum, ponat modò aliquem nouum gradum gratiæ, mediante quo ponat illum remiſſionis venialium.

98. *Inſtantia.* Dices iterum; ideo Baptiſmus fictè ſuſceptus poteſt poſtea, ablato obice, cauſare remiſſionem peccati, ſiue mortalis, ſiue venialis; quia iam fuit acceptatus à Deo determinatè in ordine ad talem effectum, remiſſionis omnium peccatorum præteritorum, vt ſuprà diximus *n. 8.* ſed eodem modo determinatè acceptatur à Deo ad gratiam, qua remittuntur omnia illa peccata; ergo ablato obice ad venialia, poterit ponere gratiam ad remittenda illa ex vi acceptationis

Diſtinctio.

tionis, qua ad eum effectum acceptatus fuit. Reſpondeo diſtinguendo minorem: acceptatur à Deo ad gratiam aliquam determinatam, qua remittantur ea omnia peccata, nego, acceptatur ad gratiam indeterminatè maiorem vel minorem ſecundùm diſpoſitionem, quæ præcedat ipſam gratiam, concedo; hæc autem gratia data iam fuit in noſtro caſu, quando remiſſa fuerunt mortalia, & tunc determinata fuit gratia ſecundùm diſpoſitionem tunc præſentem; atque ideo non manet ampliùs acceptatio Baptiſmi ad vlteriorem gratiam; iam enim data fuit ex vi præcedentis acceptationis gratia debita ad remiſſionem mortalium, quæ tunc ponitur, & ad remiſſionem venialium, quæ poſtea ponetur ex vi illius gratiæ, quando auferetur obex.

SECTIO VI.

An alia omnia Sacramenta fictè ſuſcepta cauſent gratiam, ablato obice.

99. *Variæ ſententiæ.* 1a. Soto. Vaſquez. Durand. Maio. Couar. Vaſquez. Paludan. Sylueſter. Caiet. Petr. de Soto. S. Thom.

VAriæ ſunt Theologorum ſententiæ. Prima docet, nulli Sacramento præter Baptiſmum competere eam efficaciam gratiæ, ablato poſtea obice. Hanc tenent Soto *in 4. diſt. 6. q. 1. art. 8.* & Vaſquez *diſp. 171. c. 1.* Secunda ſententia docet, competere etiam Sacramento Pœnitentiæ. Ita Durandus *in 4. diſt. 4. q. 4. n. 8. & diſt. 67. q. 13. n. 7.* Tertia ſententia id tribuit omnibus, & ſolis Sacramentis imprimentibus characterem; hanc tenent, Maior, Couar. & alij, quos affert Vaſq. *loc. cit. c. 1.* Quarta ſententia addit Pœnitentiam iis tribus Sacramentis, quæ imprimunt characterem. Hæc tribuitur Paludan. & Sylueſt. apud eundem Vaſquez ibi. Quinta ſententia id affirmat de omnibus Sacramentis nouæ Legis: quam docet Caietan. *tom. 1. Opuſcul. tract. 5. q. 5. § Communis autem;* Petrus de Soto de inſtitutione Sacerdotum, *Lect. 5. de Baptiſmo*; qui eam tribuunt S. Thom. *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. quæſtiuncula 1.*

100. *Probabilior ſententia.* Suarez. Coninch. *Probatur primò de Sacramento Pœnitentiæ.*

Sexta ſententia probabilior id tribuit omnibus Sacramentis, vnâ exceptâ Euchariſtiâ. Hanc tenet Suarez *d. diſp. 28. ſect. 6.* & infrà *diſp. 63. ſect. 8.* Coninch *q. 62. art. 1. dub. 5.* & alij. Probari poteſt primò de Sacramento Pœnitentiæ, ſupponendo, illud poſſe eſſe in aliquo caſu validum, & informe, vt probabimus agentes de illo Sacramento in particulari. Quo ſuppoſito, conſequenter fatendum eſt, illa peccata, quæ quis validè confeſſus eſt, remitti poſtea ablato obice virtute Clauium per abſolutionem præteritam: alioquin illa peccata nunquam remitterentur virtute Clauium, niſi indirectè, & per accidens cum aliis in Confeſſione ſequenti; quod dici non poteſt; omnia enim peccata mortalia, quæ ab Eccleſia non remittuntur directè, debent ei ſubiici, vt remittantur directè, illa autem peccata ſemel explicita in Confeſſione valida, non ſubiiciuntur iterum Eccleſiæ iudicio; ergo debent remitti virtute Clauium per abſolutionem præteritam, vbi primùm auferatur obex.

101. *Confirmatur, neque enim pœnitentia eſt minùs neceſſaria ad remiſſionem peccati mortalis poſt Baptiſmum, quàm Baptiſmus ad remiſſionem peccatorum ante Baptiſmum.*

Confirmatur primò, quia non eſt minùs neceſſarium Sacramentum Pœnitentiæ ad remiſſionem peccati mortalis poſt Baptiſmum commiſſi, quàm ſit Baptiſmus ad remiſſionem mortalis commiſſi ante Baptiſmum: nam ſicut ad hoc remittendum requiritur Baptiſmus in re, vel in voto; ſic ad remittendum illud requiritur Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto: ergo ſicut Baptiſmus ablato obice, remittit priora peccata; ſic Sacramentum Pœnitentiæ remittit, ſua ablato obice. Nulla certè ratio excogitari poteſt ad negandum hoc de Sacramento Pœnitentiæ, ſi concedatur de Baptiſmo, & ſupponatur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe; nam ſicut homo poſſet poſtea iuſtificari per contritionem, vel Confeſſionem ſequentem, & conſequi indirectè remiſſionem illorum peccatorum, quæ confeſſus eſt in Confeſſione præterita: ſic poſt Baptiſmum fictè ſuſceptum poſſet poſtea iuſtificari per contritionem, vel confeſſionem peccatorum ſequentium, in qua iuſtificaretur, & remitterentur indirectè peccata commiſſa ante Baptiſmum. Nec eſt magis neceſſarius effectus Baptiſmi ad ſalutem, quàm effectus Pœnitentiæ homini lapſo poſt Baptiſmum; nam ſine gratia Sacramenti Baptiſmi eſſet adhuc homo per Baptiſmum capax aliorum Sacramentorum, per quæ poſſet acquirere gratiam: non ergo apparet, cur Baptiſmus habeat efficaciam, ablato obice, & non Pœnitentia.

102. *Confirmatur ſecundò ex eo quòd Baptiſmus ſublato obice confert etiam effectus non neceſſarios ad ſalutem, qualis eſt remiſſio pœnæ temporalis.*

Confirmatur ſecundò, quia Baptiſmus, ablato obice, confert, vt vidimus, non ſolùm effectum neceſſarium ad ſalutem, ſed etiam alios non neceſſarios, qualis eſt remiſſio totius pœnæ temporalis, quam tribuit etiam poſt mortem ei, qui tempore Baptiſmi habebat obicem peccati venialis non retractati: ergo non deberet negari hæc efficacia Sacramento Pœnitentiæ ex eo, quod eius effectus non eſſet neceſſarius ad ſalutem. Vnde obiter infero, Sacramentum Pœnitentiæ in prædicto caſu non ſolùm conferre, ablato obice, remiſſionem mortalium, ſed etiam venialium, quæ fuerunt clauibus ſubiecta in illa Confeſſione, & propter obicem non potuerunt remitti. Eſt tamen differentia, quoad hoc, inter Baptiſmum, & Pœnitentiam: quòd Baptiſmus, vt vidimus, poteſt aliquando habere obicem ſolùm ad remittenda venialia, & non ad mortalia; qua poſtea poterit remittere venialia ſeorſim, ablato obice, qui eorum remiſſionem impediebat. At verò Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt habere obicem in ordine ad ſola venialia: nam ſi pœnitens non habet mortalia, & confitetur venialia cum dolore de illis, quæ confitetur, ſtatim remittentur: ſi verò abſque dolore, non erit Confeſſio de illis valida, atque adeò nec poſtea, ablato obice, cauſabit effectum. Neceſſe ergo eſt, quoties illud Sacramentum eſt validum, & informe, quòd id ſit ratione alicuius mortalis, de quo pœnitens inuincibiliter non dolet, & ideo non poteſt tolli illud peccatũ, donec poſtea auferatur obex per retractationem illius: & tunc remittentur etiam peccata venialia clauibus ſubiecta; non tamen remittentur ſeorſim, ſed ſimul cũ peccato mortali; atque adeò nunquam remittentur per Sacramentum Pœnitentiæ abſque noua infuſione gratiæ Sacramentalis; licèt id diximus fieri poſſe virtute Baptiſmi quando auferetur poſtea eius obex ad venialia. Quamvis ergo Auguſtinus de ſolo Baptiſmo explicitè loquatur, ex iis tamen, quæ tradit de Baptiſmo, colligimus idem dicendum de Sacramento Pœnitentiæ: imò licèt de Baptiſmo nihil dixiſſet, adhuc ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ colligi poſſet hæc efficacia, ſuppoſito quòd Chriſtus noluit obligare ad bis confitenda, & ſubiicienda clauibus eadem peccata: & aliunde voluit, quòd omnia peccata mortalia ſubiicerentur iudicio Eccleſiæ, vt ab ea directè ſoluerentur, ex his enim colligitur, vt diximus, quòd abſolutio valida, & informis habeat poſtea ſuum effectum circa peccata validè ſubiecta clauibus.

Ex his quæ dixit Auguſtinus de Baptiſmo colligitur idem dicendum eſſe de Sacramento Pœnitentiæ.

103. *Idem dicendũ videtur de aliis Sacramentis.*

Nunc iam ex his poſſumus gradum facere ad alia Sacramenta, in quibus videtur etiam ſimilis ratio procedere. Nam ſicut per Baptiſmũ voluit Chriſtus ſubuenire neceſſitati, & infirmitati humanæ aliquo remedio ſuaui, & ex ſe efficaci contra peccatum originale, & alia omnia commiſſa ante Baptiſmum,

ſic

ſic per Confirmationem voluit ſubuenire eidem infirmitati humanæ, vt roboretur homo ad profitendam Fidem, & ſtrenuè præliandum in Chriſti militia per vires ac robur Spiritus ſancti, qui datur in illo Sacramento; item per Sacramentum Ordinis voluit ſubuenire hominibus remedio etiam ſuaui, & efficaci, vt ſanctè, ac dignè miniſtrarent in domo Dei, &c. ergo ſicut remedium Baptiſmi impeditum obice retinet ſuam efficaciam ad præſtandos ſuos effectus etiam non neceſſarios ad ſalutem, quando aufertur obex, non eſt cur id negemus de Confirmatione, & Ordine. Sicut enim per ſuſceptionem Baptiſmi acquirit homo ius ad illam quaſi plenariam indulgentiam peccatorum præteritorum ſemel conſequendam, cùm primùm auferatur obex: ſic per ſuſceptionem Confirmationis, vel Ordinis acquirit ius ad illa priuilegia, & quaſi facultates conſequendas, cùm primùm fuerit ablatus obex. Cur enim minùs in his, quàm in illo?

104. *Non ſatisfacit reſponſio Vaſquez.* Nec ſatisfacit reſponſio P. Vaſquez vbi ſuprà, *n.* 15. dicentis, quòd ex vi Sacramenti ſuſcepti darentur quidem poſtea, ablato obice, homini iuſtificato auxilia ad finem Sacramenti, v. g. ad profitendam Fidem, ad dignè miniſtrandum, &c. non tamen gratia habitualis ex vi Sacramenti præteriti: Hoc, inquam, non ſatisfacit, tùm quia Sacramenta non afferunt eiuſmodi auxilia, niſi media gratia habituali, quam conferunt, vt diximus ſuprà *diſput.* 4. *ſect.* 5. tùm etiam, quia Baptiſmus ablato obice, non ſolùm confert auxilia ad legem Chriſti obſeruandam, ſed etiam gratiam habitualem, ex qua oriantur eiuſmodi auxilia; ergo & illa alia Sacramenta debent eodem modo conferre non ſola auxilia, ſed & gratiam, quæ dat ius radicale, & intrinſecum ad ea auxilia.

105. *Idem probatur in Extrema-Vnctione.* Hinc rurſus probari poteſt eadem efficacia in Extrema-Vnctione, & Matrimonio; nam Extrema-Vnctio inſtituta eſt ad ſubueniendum fragilitati hominum morbo graui periclitantium, atque ideo dat ius ad auxilia illi neceſſitati proportionata; quare ſi propter obicem non poteſt dare ſuum effectum, quando confertur, congruum videtur, vt ex vi Sacramenti ſuſcepti acquiſitum ſit ius ad illum effectum, & priuilegium obtinendum poſtea ablato obice. Adde, illud Sacramentum ex ſua inſtitutione habere vim ad remittenda aliquando peccata, vt colligitur ex verbis formæ: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti*, &c. & dicemus infrà tract. de Pœnitentia. Si ergo propter obicem non poteſt tunc ponere hunc effectum, videtur quòd illum ponat poſtea, ablato obice, ſicut Baptiſmus, qui ponit poſtea remiſſionem peccatorum: imò ſicut de Baptiſmo diximus, ſucceſſiuè remittere peccata venialia etiam poſt mortalia, ſi ſucceſſiuè tollatur obex ad eorum remiſſionem poſt ablatum obicem ad remiſſionem mortalium; ſic videtur dicendum de Extrema-Vnctione propter eandem rationem: cur enim minor ſit eius efficacia quoad hoc, quàm Baptiſmi, cùm id non oriatur in Baptiſmo ex neceſſitate talis effectus ad ſalutem, vt vidimus? Differt tamen à Baptiſmo, quòd hic affert remiſſionem peccatorum plenam, etiam quoad totam pœnam, quam non affert Extrema-Vnctio, quia non eſt regeneratio, ſed iuxta regulam à Deo ſtatutam, & menſuram diſpoſitionis.

106. *Eadem ratio valet pro Matrimonio.* Denique de Matrimonio fieri poteſt eadem ratio, cùm hoc Sacramentum à Chriſto ſit etiam inſtitutum ad ſubueniendum fragilitati hominum, vt poſſint ſanctè, & laudabiliter onera eius ſtatus ſuſtinere, eiuſque obligationibus ſatisfacere. Acquirit ergo homo ex vi Sacramenti ſuſcepti ius ad illa priuilegia, & auxilia obtinenda, ablato obice, ſicut in aliis Sacramentis ſuprà poſitis. Addunt tamen conſequenter, & meritò aliqui, hoc intelligi, ſi obex Extremæ-Vnctionis auferatur durante adhuc illa neceſſitate ægritudinis periculoſæ, aut obex Matrimonij, perſeuerante eodem Matrimonio. Ita Suarez, & Coninch locis citatis: quia ceſſante omnino neceſſitate, videtur ceſſare efficacia, quæ ad ſubueniendum illi neceſſitati data fuerat.

107. *Obijcitur primò de Sacramento Euchariſtiæ.* Obiicies primò, eandem rationem videri procedere de Sacramento Euchariſtiæ, quod tamen in concluſione excluſimus ab hac regula: nam illud etiam inſtitutum eſt ad ſubueniendum fragilitati hominum contra vim innatam fomitis, & contra tentationes, iuxta id, quod canit Eccleſia: *Dedit fragilibus corporis ferculum*, &c. Acquirit ergo homo ex vi Sacramenti ſuſcepti ius ad illa ſubſidia, & auxilia conſequenda, cùm primùm ablatus fuerit obex, durante eadem neceſſitate, quæ quidem ſemper durat in hac vita.

108. *Reſpondetur.* Reſpondetur, rationem præcipuam ad eam efficaciam tribuendam aliis Sacramentis, fundari quidem in eo, quòd fuerint inſtituta ad ſubueniendum homini in ordine ad talem, vel talem finem, debere tamen intelligi iuxta ſubiectam materiam, tali ſcilicet modo inſtitutionis, nempe cum impotentia ad illa Sacramenta reiteranda, vt conſtat in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, quibus character imprimitur: Extrema item Vnctio, & Matrimonium, licèt non imprimant characterem, non poſſunt tamen reiterari, durante eadem ægritudine, & eodem coniugio: ideo ad obtinendum finem intentum ſubueniendi homini in tali neceſſitate, oportebat dare talem efficaciam Sacramentis: quod quidem in Euchariſtia non procedit, quæ ex ſua inſtitutione reiterari poteſt, etiam intra eandem diem ſæpius, ſi non obſtet prohibitio Eccleſiaſtica; quare non fuit neceſſaria hæc efficacia Euchariſtiæ ad conſequendum eius finem ſubueniendi fragilitati hominum. *Multa deinde ſequerentur abſurda.* Aliunde verò eiuſmodi efficacia afferret ſecum abſurda non exigua: quod ſcilicet Sacerdos ſacrilegè celebrans per totam vitam ad finem ſacrilegum veneficij, incantationis, &c. Si in fine vitæ cum remiſſa attritione confiteretur, deberet recipere augmentum gratiæ ex opere operato correſpondens illis omnibus communionibus: vnde fieret repentè ſanctiſſimus propter plurima ſacrilegia commiſſa, & eò ſanctior, quò plura fuiſſent ſacrilegia; & multò ſanctior, ſi ſingulis diebus contra leges Eccleſiæ decies, vel centies celebraſſet; quod ex ſe incredibile apparet.

109. *Inſtabis.* Dices, Sacramentum etiam Pœnitentiæ ex ſua inſtitutione eſt reiterabile, ſicut Euchariſtia, & tamen illud admittimus dare ſuum effectum poſtea ablato obice. *Reſpondeo.* Reſpondetur, in primis in eo Sacramento non reperiri illa inconuenientia, quæ in Euchariſtia; nam ex ſacrilega eius receptione non habebitur vllus fructus poſtea: ſuppono enim non eſſe validum, quoties in eo mortaliter peccatur. Deinde, licèt ſit reiterabile, non eſt tamen obligatio reiterandi illud circa eadem peccata ſemel validè ſubiecta clauibus. Vnde ſi non daret poſtea effectum, ablato obice, illa peccata non remitterentur directè per claues Eccleſiæ, neque eſſet obligatio ea confitendi ad hunc finem, quod ex vi præſentis inſtitutionis videtur abſurdum. Et licèt circa venialia non eſſet inconueniens, quòd non remitterentur directè per claues Eccleſiæ, congruum tamen videtur, quòd illa, quæ quis confeſſus eſt in Sacramento valido, remittantur poſtea, ablato obice; quia cùm iam delata fuerint ad iudicium Eccleſiæ, & ſuper his prolata fuerit ab Eccleſia valida ſententia, & impoſita

pœnitentia, non eſt neceſſe, vt puniat bis propter eadem peccata, nec cognoſcat iterum de eadem cauſa, ſed quod ſuſtineatur prior ſententia, quæ valida fuit; & ablato impedimento, mandetur executioni, cùm ex hoc nullum ſequatur inconueniens, ſicut ſequetur in Euchariſtia.

110. *Obiectio.* Obiici poteſt ſecundò; Sacramenta non cauſant, niſi quod ſignificant; ſunt enim ſigna practica gratiæ, vt in ſuperioribus dictum eſt; ſed Sacramenta non ſignificant illum effectum vt futurum, ſed vt præſentem: ergo non cauſant illum poſtea, ablato obice. *Reſponſio.* Reſpondetur, ſicut Baptiſmum, quia eſt inſtitutus per modum regenerationis, colligitur ab Auguſtino habere illam vim cauſandi, ablato obice, atque adeo inſtitutum eſſe ad id ſignificandum: ſic de aliis Sacramentis ex peculiari eorum fine colligitur, inſtituta eſſe ad operandum etiam ablato obice. & per conſequens ad id ſignificandum; licèt id non euidenter, ſed probabiliter ex eorum inſtitutione colligatur.

111. *Obiectio vltima.* Obiicies vltimò: Si Extrema-Vnctio poteſt cauſare poſtea, ablato obice, ſuum effectum, ſicut Baptiſmus; ergo ſicut Baptiſmus aliquando poſt mortem cauſat aliquam partem ſui effectus, nempe remiſſionem totius pœnæ, quia tunc aufertur obex, vt ſuprà vidimus: Extrema-Vnctio poſt mortem cauſabit eundem effectum remiſſionis totius pœnæ, cùm tunc per retractionem totius culpæ auferatur obex ad eum effectum, atque adeò omnis, qui recipit illud Sacramentum in ſtatu gratiæ, liberabitur ab omni pœna, ſaltem peccatorum præcedentium, ſicut qui baptizatur. *Reſponſio. Extrema-Vnctio non ordinatur ad remiſſionem totius pœnæ ſicut Baptiſmus.* Reſpondetur negando ſequelam: quia licet Extrema-Vnctio ordinetur etiam ad remiſſionem peccatorum, non tamen ad remiſſionem totius pœnæ debitæ, ſicut Baptiſmus, ſed ad remiſſionem culpæ, poſita retractione, & alicuius etiam fortaſſe pœnæ. Vnde fatemur, ablato obice, poſt mortem ad remiſſionem venialium præteritorum per eorum debitam retractionem poni effectum remiſſionis culpæ, virtute etiam Sacramenti Extremæ-Vnctionis, non tamen remiſſionem totius pœnæ; quia ad hunc effectum determinatè non eſt inſtitutum illud Sacramentum.

SECTIO VII.

Quæ, & qualis intentio requiratur in ſuſcipiente Sacramentum.

112. *Nota hic ſermonem eſſe de adultis.* NOtandum primò, ſermonem eſſe de adultis; nam in paruulis certum eſt, non requiri eorum conſenſum, vel intentionem ad valorem eorum Sacramentorum, quorum ipſi capaces ſunt. Quod in particulari de Baptiſmo tractari ſolet infrà *q. 68. art. 9.* vbi probatur valor Baptiſmi paruulorum. *Vaſquez. Bellarm.* Videatur Vaſquez *ibi diſp.* 154. & Card. Bellarm. *tom. 2. lib. 1. de Baptiſmo.* De Sacramentis etiam Confirmationis, & Ordinis hoc ipſum tradunt Theologi, valida eſſe, ſi paruulis miniſtrentur. De Euchariſtia autem certum eſt, quòd ſit Sacramentum ante recipientis conſensū; dabit etiam fructū gratiæ paruulis, ſi illis poſſet dari: propter alia tamen inconuenientia prohibitum eſt ab Eccleſia illam paruulis miniſtrare. Rationem verò, cur in paruulis non requiratur conſenſus ad valorem Sacramenti, ſicut in adultis, inſinuauimus ſuprà. Denique quod dicitur de paruulis, dici debet de perpetuis amentibus, qui nunquam vſum rationis habuerunt, & idcirco æquiparantur paruulis, quoad omnia.

113. Notandum ſecundò, in Sacramento Euchariſtiæ non requiri intentionem, aut conſenſum ſuſcipientis ad valorem Sacramenti; cùm enim illud Sacramentum non conſiſtat in vſu, ſicut alia, ſed ſit permanens, & ante ipſam ſumptionem ſit verum Sacramentum, parum refert, quod habeat, vel non habeat intentionem, qui illud ſuſcipit. An verò requiratur eiuſmodi intentio ſuſcipientis, vt Sacramentum illud conferat ſuum effectum, ſtatim dicemus. *Nota ſecundò in Euchariſtia nō requiri intentionem ſuſcipientis, vt patet.*

114. *Prima ſententia Gloſſa. Caiet. Secunda ſententia.* Prima ergo ſententia fuit Baptiſmum eſſe validum, licèt, qui baptizatur, corde diſſentiat, dum tamen ore dicat ſe conſentire. Hanc docuit Gloſſa in cap. *Maiores*, de Baptiſmo. Secunda ſententia eſt Caietani *infrà q. 68. art. 7.* qui docet, ſolùm requiri ad valorem Baptiſmi, quòd ille, qui baptizatur, non habeat voluntatem contrariam, etiamſi non habeat, vel habuerit vnquam voluntatem Baptiſmi recipiendi; addit tamen Caietanus, accidere non poſſe, vel certè rariſſimè, quòd qui accedit ad Baptiſmum, non habeat voluntatem Baptiſmi, vel certè voluntatem contrariam. Eandem ſententiam ſequi videtur Ledeſma *in 4. 1. p. q. 9. art. 7.* *Ledeſma.*

115. *Communis & vera ſententia requirit conſenſum poſitiuum adulti. Suarez. Vaſquez.* Communis, & vera ſententia Theologorum tenet, requiri ad valorem Sacramenti conſenſum poſitiuum adulti, qui illud recipit. Hanc docent Theologi omnes cum S. Thoma *d. q. 68. art. 7.* quos congerunt, & ſequuntur Suarez *in præſenti diſp. 14. ſect. ...* Vaſquez *diſp. 137. c. 1.* & alij omnes.

Probatur primò ex Conciliis. Probatur primò ex Conciliis, in quibus ad baptizandum eum, qui incidit in amentiam, vel perdidit vſum ſenſuum, ſemper exigitur, quòd antea volūtatem Baptiſmi habuerit. Sic habetur in Conc. Carthaginenſi 4. *cap.* 34. his verbis: *Ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſui ſunt, dixerint, Baptizentur*; & in Concil. Arauſicano 1. *cap.* 12. *Obmuteſcens baptizari, aut Pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet.* *Concil. Carthag. Conc. Arauſic.* In quibus locis licèt non dicatur expreſsè, non valere Baptiſmum abſque illa voluntate præterita, id tamen videtur omnino ſupponi, cùm eâ ſolùm conditione poſitâ, permittitur baptizari ægrotus: in quo etiam ſenſu loqui videtur Aug. *lib. 4. de Baptiſmo, cap.* 24. *Si pro eo* (inquit) *qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet, ex qua regula illud in Euangelio dictum eſt, quod omnes, cum legitur, naturaliter mouet: ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur.* *Auguſt.* Denique hoc ipſum vt regula ſeruanda traditur in Rituali Romano Pauli V. in Rubricis de Baptiſmo adultorum; vbi prohibetur baptizari eum, qui, cùm aliquando habuerit vſum rationis, ante amentiam nunquam oſtendit voluntatem, aut petitionem Baptiſmi. *Rituale Rom.*

116. *Probatur ſpecialiter de Matrimonio.* Probatur ſecundò ſpecialiter de Matrimonio; quia cùm ſit contractus humanus obligationem mutuam inducens, id abſque voluntate ſe obligandi fieri non poteſt. *De pœnitentia item probatur.* Item Sacramentum Pœnitentiæ, cùm ſit iudicium includens accuſationem, qua reus ſe coram legitimo iudice accuſat, & vult ſententiam accipere, non poteſt conſiſtere, abſque pœnitentis voluntate. *Item de aliis Sacramentis.* Baptiſmus deinde, Confirmatio, & Ordo, quæ tria Sacramenta imprimunt characterem indelebilem, ſi abſque omni voluntate recipientis conferrentur, obligarent illum inuitum ad ſtatum, vel legem, quam amplecti nollet, maneretque contra ſuam voluntatem ſubditus Eccleſiæ, qui id non vellet: qua ratione vtitur Innoc. III. *Innoc. III.* in cap. *Maiores*, de Baptiſmo; ad probandum, Baptiſmum contra voluntatem recipientis collatum, non eſſe validum. Denique Extrema-Vnctio, cùm afferat etiam ſanctitatem internam, quam Deus inuitis non confert, congruenter requirit ex parte accipientis voluntatem, qua acceptet illud ius, & velit conſecrari ac ſanctificari peculiari illo ritu.

Qualis

Qualis autem debeat eſſe illa voluntas, ſtatim explicabitur.

117. *Arguit Vaſquez contra Caietanum.* Arguit deinde P. Vaſquez n. 4. contra Caietanum, quia ſupponit falſum non poſſe de facto accidere, adultum baptizari nec conſentientem nec diſſentientem, ſed neutram voluntatem habentem: hoc, inquam, probat Vaſquez eſſe poſſibile, tum quia poſſet adultus baptizari, dum dormit, aut dum amens factus eſt, cùm tamen ante ſomnum, vel amentiam nihil cogitaſſet, aut voluiſſet circa Baptiſmum; tum quia etiam dum aduertit, ſe baptizari, poſſet eam actionem externam permittere; interius tamen nec conſentire, nec diſſentire Baptiſmo, vt Sacramentum eſt. Cæterum Caietanus non dixit (vt ſupponit Vaſquez) illum caſum accidere non poſſe, ſed vel non poſſe, vel ſaltem rariſſimum eſſe; quod quidem negari non poteſt; nunquam enim baptizatur adultus, dum dormit, aut non explorato priùs eius conſenſu: ſi autem in amentiam incidit, rariſſimum eſſe poteſt, quod priùs non habuerit vel voluntatem Baptiſmi, vel aliam contrariam; eſt ergo rariſſimus caſus ille voluntatis in ſtatu neutro, prout dixit Caietanus.

118. *Obiicitur primùm Innocentius.* Nunc tamen reſpondeamus ad argumenta, quæ pro eius ſententia fieri ſolent. Primò obiicitur Innocentius III. in dicto cap. *Maiores*, de Baptiſmo; qui ſolùm videtur petere ad valorem Baptiſmi, quòd adultus non habeat voluntatem repugnantem. Sic enim poſt longam diſputationem concludit: *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non inuenerit*; ergo ſi neutram habeat voluntatem, Baptiſmus erit validus.

119. *Reſpondetur.* Reſpondetur, imò ibi Pontifex ſemper exigit conſenſum poſitiuum ad valorem Baptiſmi; nam in verbis proximè præcedentibus, poſtquam dixit, dormientes, & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent, ſi baptizentur, characterem non ſuſcipere Sacramenti; addit de aliis: *Secus autem ſi priùs Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum Baptizandi. Vnde tales* (qui ſcilicet priùs habebant tale propoſitum) *in neceſſitatis articulo conſueuit Eccleſia baptizare*; & ſtatim concludit, verbis ſuprà poſitis: *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio*, &c. Cur autem non meminerit tertij ſtatus eorum, qui priùs neutram voluntatem habuerunt? P. Suarez dicit, ideo id feciſſe, quia moraliter loquendo, adultus qui non conſentit, reſiſtere cenſetur, & inuitus pati. Quam quidem regulam applicatam ad præſentem materiam, veram exiſtimo: agimus enim de Baptiſmo, in quo qui baptizatur, ſubit obligationem legis Eccleſiaſticæ, & fit ſubditus Eccleſiæ, atque ad multa ſe obligat, ad quæ antea non tenebatur. Ad eiuſmodi autem obligationes ille qui adultus eſt, & dominus ſuæ voluntatis, atque adeò poſſidet ſuam libertatem, ſemper cenſetur inuitus, dum poſitiuè non ſe obligat, & conſentit, quia ſemper cenſetur eſſe in voluntate habituali retinendi ſuam libertatem, ſicut habet ſimilem voluntatem retinendi res alias ſuas. Meritò ergo Innocentius dixit, tunc imprimi characterem Baptiſmi, quando obex contrariæ voluntatis non inuenitur, quia nimirum *contrariæ voluntatis* appellatione intelligitur voluntas actualis, vel etiam habitualis, qualem habent omnes, qui ſuæ libertati non volunt poſitiuè renuntiare.

120. *Obiectio ſecunda.* Secundò obiicitur, quia in paruulis inuenitur Baptiſmus validus abſque eorum conſenſu; ergo & in adulto eſſe poſſet; nam Sacramentum ſemper debet conſtare eiſdem partibus. *Reſponſio.* Reſpondetur ex dictis negando conſequentiam. Ad probationem dicimus, hoc Sacramentum ſemper habere eaſdem partes, formaliter loquendo, ſcilicet materiam, formam, intentionem miniſtri, & conſenſum baptizati, ſi eſt, vel fuit capax illum præſtandi. Cur autem magis requiratur hic conſenſus in adulto, quàm in paruulo, diximus iam in ſuperioribus.

Tertiò obiicitur decretum Eugenij IV. in Concilio Florentino, dicentis, Sacramenta tribus perfici, materiâ, formâ, & miniſtro habente debitam intentionem; in quibus non numerauit intentionem ſuſcipientis. Reſpondetur, illam ſubintelligi ex parte materiæ: v.g. in Baptiſmo materia proxima eſt ablutio, non quæcumque, ſed hominis viui; alioquin non eſt materia debita. Sic etiam eſt ablutio hominis volentis, ſi habet propriam voluntatem; alioquin non erit debita materia. Noluit autem Pontifex fortaſſe explicare nominatim illam intentionem, cùm non ſit vniuerſaliter requiſita in omni Sacramento; tum quia in Euchariſtia non requiritur talis intentio ad valorem Sacramenti; tum quia in paruulis non reperitur, vt diximus. 121. *Tertiò obiicitur decretum Eugenij. Eugen. IV. Reſponſio.*

Quartò obiicitur vſus fidelium; ſolet enim dari Extrema-Vnctio iis qui rationis vſum ſubito morbi impetu perdiderunt; nec antea illud Sacramentum petierant. Reſpondetur, præceſſiſſe quidem voluntatem; qui enim Chriſtianus eſt, & vult in Eccleſia Catholica viuere, & mori, vult etiam eius Sacramentis debito tempore iuuari; quam voluntatem Eccleſia præſumit de omnibus, qui ſigna pœnitentiæ ſuo tempore exhibuerunt. 122. *Obiectio quarta. Reſponſio.*

Sed contrà obiici poteſt: quartò: ergo ex illa ſimili voluntate generali poterit homini in tali articulo conſtituto exhiberi abſolutio Sacramentalis, licèt nulla ſigna doloris exhibeat, aut eiuſmodi abſolutionem proximè petierit. Probatur ſequela: quia ad abſolutionem in tali articulo impendendam, non exigitur, quòd explicitè confiteatur: ſufficit quòd oſtenderit voluntatem confitendi, vt ſuppono, ex ſententia communi approbata in nouiſſimo Rituali Rom. Pauli V. Hanc autem voluntatem cenſetur habere omnis Catholicus non minùs, imò magis, quàm Extremæ-Vnctionis: ergo ſicut propter illam voluntatem præcedentem poteſt dari validè Extrema-Vnctio, ſic etiam poterit abſolutio Sacramentalis. 123. *Inſtantia. Probatur.*

Reſpondeo negando ſequelam. Requiritur enim ad Sacramentum Pœnitentiæ voluntas magis propinqua, & ſpecialis, quàm ad Extremam-Vnctionem. Ratio autem differentiæ eſt, quòd Sacramentum Pœnitentiæ, vt diximus, continet iudicium, in quo Sacerdos profert ſententiam vt iudex, ad quod requiritur, quòd accuſator, vel reus detulerit cauſam ad iudicium: non poteſt enim iudex inchoare ex ſe iudicium, ſed ad inſtantiam partis. Quando ergo pœnitens poteſt, debet ſe explicitè accuſare: quòd ſi hoc non poſſit, debet ſaltem implorare officium iudicis, oſtendendo voluntatem confitendi: per hoc enim iam inchoat iudicium eo modo, quo poteſt, in quo eſt differentia à Sacramento Extremæ-Vnctionis, & aliis ſimilibus, ad quorum valorem ſufficeret voluntas interna, etiam ſi exteriùs non oſtenderetur: at verò ad Sacramentum Pœnitentiæ non ſufficit talis voluntas interna, ſed requiritur petitio, ſeu manifeſtatio exterior, quia hoc Sacramentum eſt iudicium externum, in quo ſicut ſententia debet exteriùs proferri, ſic pœnitens debet exteriùs recurrere ad iudicium; & hoc quidem poſt commiſſa peccata, à quibus abſoluendus eſt. Non ergo ſufficit illa voluntas generalis, quam quiſque habet, quando baptizatur, ſuſcipiendi omnia Sacramenta ſuo tempore, tum quia illa voluntas non fuit poſt peccata commiſſa; tum etiam, quia illa eſt voluntas interna, 124. *Reſpondetur. Ratio differentiæ.*

quam argumentatiuè colligimus ex aliis operibus hominis Chriſtiani: non tamen eſt actio externa iuridica, quæ requiratur ad officium iudicis implorandum, & qua reddatur ſenſibilis dolor internus de peccatis, qui cum ſit pars Sacramenti, debet fieri ſenſibilis per aliquam actionem externam ſenſibilem manifeſtatiuam illius doloris, qualis actio non eſt ſolùm eſſe Chriſtianum, vt conſtat.

125. *Obiectio ſexta.* Sextò obiici poteſt: Si ad valorem Extremæ-Vnctionis, & aliorum ſimilium Sacramentorum ſufficiat voluntas illa generalis, qua ex vi profeſſionis Chriſtianæ cenſetur aliquis velle recipere Sacramenta: ergo eadem ſufficiet ad Euchariſtiam ſuſcipiendam cum fructu: atque adeò ſi aliquis caſu comedat hoſtiam conſecratam, neſciens, eſſe conſecratam, ſed putans eſſe panem communem, recipiet tamen fructum Sacramenti propter voluntatem illam generalem antecedentem.

126. *Reſpondetur* Reſpondeo; ſufficere quidem illam voluntatem generalem ſicut ad Extremam-Vnctionem, ſic etiam ad Euchariſtiam in mortis articulo cum fructu ſuſcipiendam; & ita de facto datur iis, qui vi morbi ſubitò correpti, rationis vſum amiſerunt, quando id abſque irreuerentiæ periculo fieri poteſt, atque etiam amentibus in eodem articulo, quando antea rationis vſum aliquando habuerunt, & non conſtat eos eſſe in ſtatu peccati. Negamus tamen, quando caſu aliquis comedat hoſtiam conſecratam pro pane communi, accipere eum effectum Sacramenti. Rationem aſſignat P. Vaſquez *tom. 3. in 3. part. diſp.* 181. *c.* 2. *n.* 7. quod homo in prædicto caſu habet voluntatem poſitiuam contrariam non ſuſcipiendi Sacramentum, quando comedit illam hoſtiam; nam eo ipſo, quòd exiſtimat eſſe panem communem, & vult illum ſumere vt communem panem, habet voluntatem contrariam manducationi Sacramentali.

Rationem affert Vaſquez.

Sed non videtur ſufficiens. Hæc tamen ratio non videtur ſufficiens, quia poſſet homini dormienti in os immitti hoſtia conſecrata, vel calix conſecratus, ipſo nullam prorſus voluntatem habente, nec ſentiente, imò & ignorante ipſo, qui daret, illam eſſe materiam conſecratam; in quo caſu adhuc non haberet effectum Sacramentum; ergo non oritur ex voluntate contraria, ſed ex defectu intentionis ſumendi Sacramentum.

127. *Ratio ex dictis colligitur* Ratio ergo ex dictis videtur eſſe, quòd homo Chriſtianus ex vi illius voluntatis generalis vult quidem ſumere Sacramenta more Chriſtiano, quando ſcilicet debito tempore Chriſtianis dari ſolent, atque ideo habuit iam voluntatem accipiendi Extremam-Vnctionem, & Euchariſtiam in mortis periculo, vel etiam Euchariſtiam aliis temporibus, quando Chriſtiano more ei daretur; ille autem alius nunquam habuit voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum, quando comederet more communi cibos profanos; atque ideo illa ſuſceptio Euchariſtiæ, vt talis, non eſt ei vllo modo voluntaria aut volita, ideo non cauſat effectum Sacramentalem in ipſo. Sicut etiam propter eandem rationem eſſet inualidus Ordo, qui homini dormienti daretur, vel ei, qui poſt vſum rationis in amentiam incidit; quia nimirum voluntas generalis, quam priùs habuit ſuſcipiendi omnia Sacramenta, ſed ea ſolùm quæ Chriſtianis communiter dari ſolent tanquam remedia communia, prout dari ſolent Euchariſtia & Extrema-Vnctio, non verò Sacramentum Ordinis; ideo non habent vllam voluntatem circa illud Sacramentum. Sic etiam non habet voluntatem circa Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiendum, quando caſu accipit illud pro cibo aut potu communi; & ideo etiam caret effectu in eo caſu.

Septimò obiici poteſt: ſi ſufficit illa voluntas generalis ad valorem Extremæ-Vnctionis, ſufficiet etiam ad valorem Baptiſmi; atque ideo qui nihil cogitauit de Baptiſmo in particulari, habuit tamen animum procurandi ſalutem, & bene operandi; poterit poſtea, ſi ſenſibus, aut rationis vſu deſtituatur, baptizari, etiamſi nihil vnquam de Chriſtiana fide audiuiſſet. 128. *Obiectio ſeptima.*

P. Coninch. *in præſenti q.* 64. *art.* 8. *dub.* 5. *n.* 103. dicit, eum, qui habet attritionem de peccatis, quatenus iis meremur pœnas inferni, aut excludimur à gaudiis cœleſtibus, cenſeri petere implicitè baptiſmum, etſi de eo nihil vnquam audierit; quia ille dolor includit virtuale propoſitum ſeruandi omnia præcepta ad talem finem neceſſaria, quorum vnum eſt præceptum ſuſcipiendi Baptiſmum. Hæc doctrina adeò generalis, & lata mihi difficilis eſt; quia ex ea ſequitur primò, Iudæos omnes, qui legem Moyſi ſeruabant, antequam illis Euangelium prædicaretur, potuiſſe dormientes validè baptizari, qui habuerant propoſitum ſeruandi omnia præcepta Diuina, quorum vnum erat iam de ſuſcipiendo Baptiſmo. Secundò, eos fideles, qui habent ignorantiam inuincibilem veræ fidei, poſſe etiam dormientes, vel certè ſi in phrenesim inciderint, baptizari; habuerant enim fortaſſe deſiderium procurandæ ſalutis ſuæ, & faciendi quod ad ipſam neceſſe eſſet: quæ tamen abſurda eſſe conſtat. Requiritur ergo ad Baptiſmum voluntas aliqua magis ſpecialis. 129. *Reſponſio Coninch.* *Hæc doctrina ita generalis difficilis eſt.* *Requiritur ad Baptiſmū voluntas aliqua magis ſpecialis.*

Rationem huius neceſſitatis indicat Suarez *d. diſp.* 14. *ſect.* 2. *poſt medium*, ſcilicet quia *Baptiſmus eſt ianua ad Eccleſiam, & in eo fit prima ſolemnis profeſſio fidei, & legis Chriſti.* Quam rationem poſſumus ampliùs explicare; & ſimul oſtendere differentiam à voluntate illa generali, quam aliquis habet eo ipſo, quòd eſt Catholicus, & diximus ſufficere ad ſuſcipiendam poſtea validè Extremam-Vnctionem, & cum fructu Euchariſtiam. Nam ille volendo in religione Catholica viuere & mori, vult more Catholicorum gubernari, & eorum ritus recipere, inter quos eſt ritus dandi talia Sacramenta infirmis, atque adeo ſufficienter videtur velle ea Sacramenta ſuo tempore recipere. Qui autem Iudæus erat, profitebatur quidem Iudaiſmum, & iuxta illius regulas, & ritus viuere, ac gubernari volebat, quia illam religionem iam examinauerat, & ſecurè ſe illius legibus committebat: nihil autem cogitauerat de lege Euangelica, & ideo non proponebat, aut volebat vti eius ritibus & legibus; quamvis enim in communi propoſitum habebat ſeruandi omnia præcepta Dei, & per conſequens implicitum ſuſcipiendi Baptiſmum Chriſti, ſi eſſet præceptum illius: hoc tamen debebat intelligi, præuio debito examine de veritate Euangelij, ſine quo examine non poterat obligari ad illud recipiendum; quare non poterat ex vi illius voluntatis Iudæus dormiens baptizari; cùm neque etiam implicitè voluiſſet recipere Baptiſmum, niſi præuio priùs examine de illius veritate; & neceſſitate. Sic etiam Gentilis, qui diceret: Ego volo audire Catechiſmum; & poſtea, ſi conuictus fuero, & placuerit mihi fides Chriſtiana, baptizabor: hic (inquam) non cenſeretur Catechumenus, nec baptizaretur ex vi ſolius huius voluntatis, quia nondum habuit voluntatem abſolutam: at verò Chriſtianus, qui iam examinauit legem Euangelicam, abſolutè vult vti, & gubernari legibus, & ritibus Chriſtianis, quia iam ſcit omnia eſſe ſancta, & vtilia ſibi, & ideo ex vi illius voluntatis poteſt vngi, & poteſt ei dari Euchariſtia. Non ergo ſufficit ſola illa voluntas generalis contenta in actu attritionis ad valorem Baptiſmi ei qui nihil vnquam 130. *Ratio neceſſitatis.* *Magis explicatur.*

de

de lege Chriſtiana, aut Baptiſmo audiuit; vt volebat P. Coninch. Valeret tamen Baptiſmus, ſi aliquis religionem Chriſtianam corde amplexus eſſet, licèt nihil de Baptiſmo, aut eius neceſſitate audiſſet: hic enim licèt morbo oppreſſus, ſenſibus deſtitueretur, baptizaretur validè, quia voluit abſolutè hanc religionem amplecti, eiúſque ritibus, quicumque illi eſſent, gubernari.

131. *Infertur primò ex dictis, ſufficere voluntatem coactam in omnibus Sacramentis, excepto Matrimonio.* Concil. Tolet. IV.

Ex dictis infero primò, in Sacramentis (vno excepto Matrimonio,) ſufficere ad eorum valorem voluntatem etiam coactam: nam voluntas coacta voluntas eſt, vt de Baptiſmo definitum fuit in Concil. Toletano IV. *cap.* 56. quam Concilij ſententiam approbauit poſtea Innoc. III. in d. cap. *Maiores.* Hoc autem intelligi debet, dummodo interiùs ſit verus conſenſus in Sacramentum, non verò ſi ſolus ſit conſenſus in actionem externam abſque alio conſenſu interno in ipſum Sacramentum.

132. *Infertur ſecundò differentia intentionis miniſtri & ſuſcipientis.*

Infero ſecundò, diſcrimen inter intentionem requiſitam in miniſtro, & in ſuſcipiente Sacramentum: in illo enim requiritur intentio virtualis, id eſt, quæ ſit cauſa operationis Sacramentalis; in ſuſcipiente autem ſufficit intentio habitualis, id eſt, voluntas præterita Sacramenti ſuſcipiendi non reuocata, etiamſi non ſit cauſa ponendi Sacramenti: quia in miniſtro requiritur intentio, quæ faciat illum operari nomine Chriſti, ad quod oportet operari ex tali intentione; quæ ratio non procedit in ſuſcipiente, vt explicat Vaſquez *vbi ſupra, cap.* 2. Qui tamen hanc doctrinam extendit ad Sacrámentum Pœnitentiæ, de quo *n.* 16. docet non requiri, quòd voluntas pœnitentis vllo modo concurrat ad abſolutionem ponendam. Quod in rigore loquendo non videtur verum: quia voluntas præterita pœnitentis manifeſtata Confeſſario mouet illum hîc & nunc ad dandam illi abſolutionem: in quo eſt diſcrimen Sacramenti Pœnitentiæ à Baptiſmo, Confirmatione, & aliis, præter Matrimonium: nam in his non requiritur voluntas ſuſcipientis, quæ ſit cauſa Sacramenti; quia licèt miniſter ignoraret voluntatem internam illius, ſi tamen vellet conferre Sacramentum, quantum poſſet, & re vera illa, cui confertur, habuit voluntatem ſuſcipiendi illud, Sacramentum erit validum: in Pœnitentia verò requiritur, quòd miniſter ſciat voluntatem pœnitentis, & ex illa moueatur ad dandam abſolutionem: alioquin non procedet vt iudex ad inſtantiam partis implorantis eius officium: in aliis ergo Sacramentis ſatis eſt, quòd Sacramentum ſit volitum à ſuſcipiente; in Pœnitentia verò requiritur, quòd abſolutio ſit volita, & voluntaria, hoc eſt, quòd aliquo modo procedat à voluntate ipſius pœnitentis ſaltem mediatè, quatenus oſtendendo deſiderium abſolutionis mouet Sacerdotem ad ponendam illam: vnde non manet tunc voluntas pœnitentis merè habitualiter, ſed aliquo modo virtualiter, in quantum cognita à Sacerdote mouet ad abſoluendum.

133. *Quo modo Matrimonium differat in hoc ab aliis Sacramentis.* Sanchez.

Reſtat dicere de Sacramento Matrimonij, de quo in primis certum eſt, differre ab aliis Sacramentis in hoc, quòd voluntas coacta per metum cadentem in conſtantem virum, & iniuſtè illatum ad eum finem, non ſufficit ad valorem Matrimonij, vt cum communi latè docet Thomas Sanchez *lib.* 4. *de Matrimonio, diſput.* 12. ſiue id proueniat ex natura ipſius contractus, ſiue ex lege Eccleſiæ iuſtis de cauſis irritante illum: vt cum communi ſententia reſoluit idem Sanchez *diſput.* 14. quia propter indiſſolubilitatem Matrimonij validi non poterat alia ratione ſubueniri contra violentiam eorum, qui iniuſtè Matrimonia extorquent, & conſuli libertati contrahentium, niſi irritando omnino conſenſum à principio.

An vero, quando recipitur illud Sacramentum, ſufficiat voluntas habitualis in recipiente? Certum etiam eſt, in vtroque coniuge requiri voluntatem, ſeu intentionem virtualem, nec ſufficere habitualem: cùm enim vterque ſit miniſter Sacramenti, in ſingulis requiritur intentio, qualis in miniſtris aliorum Sacramentorum, in quibus, vt ſuprà vidimus, non ſufficit habitualis, ſed requiritur virtualis, quæ ſit cauſa exprimendi conſenſum. Quia verò coniuges non ſolùm ſunt miniſtri, ſed recipiunt etiam Sacramentum, dubitari poteſt, an prout recipiunt, ſufficiat illis voluntas habitualis præterita. Videtur enim requiri ſemper virtualis, imo actualis. Nam iuxta doctrinam, quam tradit Thomas Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. diſput.* 7. *num.* 31. contractus non perficitur, donec mutua obligatio vtrique nota ſit: tunc ergo perficitur Sacramentum, & per conſequens tunc recipitur, quando coniux audit conſenſum alterius, & illum acceptat; ad hanc autem acceptationem requiritur intentio actualis acceptandi; ergo non ſolùm quando miniſtrat, ſed etiam quando recipit Sacramentum, debet coniux habere voluntatem actualem. — 134. *Pro Matrimonio requiritur in coniugibus voluntas virtualis cum vterque ſit miniſter.* — Sanchez.

Huic tamen doctrinæ obſtat id, quod cum quibuſdam aliis docet idem Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 12. *n.* 3. poſſe ſcilicet perfici hoc Sacramentum per Epiſtolam hoc modo: Si Epiſtolam mittens ſcribat ſe non ſolùm facere ſui corporis traditionem, ſed ex tunc traditionem per alterum ſibi faciendam acceptare: tunc enim ſi, hac Epiſtolâ lectâ coram Parocho, & teſtibus, alter conſentiat, iam vtriuſque traditio, & acceptatio fit coram eodem Parocho, & teſtibus, & perficietur Sacramentum. Porrò, ſi hoc verum eſt, conſequens videtur non requiri in ſuſcipiente Sacramentum voluntatem actualem, nec virtualem, ſed habitualem, quando ſuſcipit Sacramentum: nam tunc temporis, qui miſit Epiſtolam, nihil de Matrimonio cogitat, & fortaſſe dormit, & tamen tunc recipit Sacramentum. — 135. *Quid obſtet huic doctrinæ.*

Ego in primis exiſtimo, hunc caſum à P. Thoma Sanchez conceſſum, nec verum eſſe, nec ſtare poſſe cum eius doctrina ſuprà poſita. Si enim contractus non perficitur, donec vtrique nota ſit mutua alterius obligatio, non poteſt perfici Matrimonium, quando lectâ Epiſtolâ, ille alius conſentit coram Parocho, donec ille conſenſus notus ſit alteri contrahenti. Quod rurſus à poſteriori conſtat; quia ſi ego per Epiſtolam, aut nuntium alicui promittam, aut me obligem, poſſum reuocare conſenſum, & Epiſtolam, aut nuntium, antequam ad notitiam venerit illius, cui me obligare volebam; non poteſt enim ſubſiſtere obligatio, antequam ille alius ſciat me obligari, vt fatetur idem Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. diſp.* 3. *num.* 5. *&* *diſp.* 6. *num.* 3. Ideo enim non poteſt obligari homo irreuocabiliter alteri homini per actum voluntatis merè internum. Cùm ergo obligatio illius, qui Epiſtolam accepit, nondum ſit nota illi, qui Epiſtolam miſit, poterit reuocari ab ipſo, qui Epiſtolam accepit, & per conſequens Matrimonij contractus nondum eſt perfectus; hic enim non eſt diſſolubilis voluntate contrahentium, vt conſtat. — 136. *Exiſtimamus hunc caſum eſſe falſum.*

Cæterùm, licèt ille caſus verus non ſit, ſunt tamen alij, in quibus conſtat perfici Sacramentum Matrimonij, quando coniux vel dormit, vel nihil cogitat de Matrimonio, v. g. quando fit per procuratorem; tunc enim contractus perficitur, & Sacramentum recipitur à coniuge abſente, quando eius procurator alibi præſtat conſenſum; ergo tunc coniux — 137. *Deinde licet verus nō eſſet caſus, ſunt tamen alij in quibus doctrina noſtra valet.*

ſux abſque aliqua voluntate actuali recipit illud

Inſtantia. Sacramentum. Dices, non ſtare hoc cum doctrina proximè tradita, quòd ſcilicet contractus non perficitur, donec mutua obligatio vtrique nota fit: nam coniugi abſenti non innoteſcit tunc obligatio alterius coniugis, donec id per nuntium, aut Epi-

Soluitur. ſtolam accipiat. Reſpondeo, licèt non innoteſcat ipſi coniugi abſenti, innoteſcit tamen eius procuratori, qui eius nomine acceptat illam obligationem, & reddit irreuocabilem: tunc enim perficitur contractus, manifeſtatâ obligatione procuratori, quàm coniugi, qui eadem perſona cenſetur cum procuratore à ſe conſtituto.

138\. *Idem dicitur quando etiam coniuges ſunt præſentes.* Vnde addo, non ſolùm hoc contingere, quando Matrimonium fit in abſentia per procuratorem, ſed etiam, loquendo in rigore Metaphyſico, idem poſſe contingere, quando fit inter præſentes; ſi enim contractus perficitur, quando obligatio mutua vtrique nota eſt, conſequens eſt, vt tunc perficiatur, quando obligatio eius, qui vltimus conſenſum exprimit, nota fit alteri: non eſt autem idem inſtans, aut idem tempus Metaphyſicè, quo vltimus exprimit ſuum conſenſum, & quo alter eum percipit, quia voces perueniunt ad auditum per tempus ſucceſſiuum; quare fieri poteſt, vt, quando hic audit, & percipit, ille alius iam non cogitet de conſenſu præſtando, nec habeat voluntatem actualem de faciendo, aut recipiendo Sacramento, & tamen tunc recipit illud, quando, altero audiente, perficitur contractus.

Denique aduerto, ſicut diximus de Sacramento Pœnitentiæ, ſic in Matrimonio, voluntatem illam, quæ requiritur in recipiente hoc Sacramentum, non debere eſſe merè habitualem, ſed aliquo modo virtualem, quatenus aliquo modo debet eſſe cauſa operis. Nam licèt coniux ſit abſens & dormiat, quando perficitur Sacramentum, habet tamen voluntatem præteritam non reuocatam, quæ voluntas fuit cauſa, quod hic alius conſentiret, & obligaret ſe, atque adeò, quod eius obligatio veniret ad notitiam procuratoris abſentis; vel fuit cauſa, quòd procurator conſentiret, & eius conſenſus innoteſceret alteri coniugi præſenti; vel denique, quando Matrimonium fit inter præſentes, voluntas præterita, qua vltimus coniux conſenſit, fuit cauſa, quòd poſt breuiſſimam illam morulam eius conſenſus, & voces percipiantur ab altero coniuge, & ita perficiatur Matrimonium; quare ſemper voluntas illa præterita non eſt merè habitualis, ſed aliquo modo virtualis, & cauſa operis præſentis. 139. *Aduertendũ.*

De numero, & ordine Sacramentorum nouæ Legis, de quo agit S. Thomas quæſt. 65. nihil occurrit addendum; de ſingulis enim in particulari probare, quòd ſint Sacramenta, pertinet ad tractatum de quolibet eorum in particulari. De Sacramentalibus verò, an conferant ad remiſſionem peccatorum venialium ex opere operato, dicemus in tractatu de Pœnitentia. 140. *S. Thom.*

Finis Tractatus de Sacramentis in communi.

TRACTATVS DE VENERABILI EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

QVAMVIS regulariter Sacramentum Pœnitentiæ priùs à fidelibus accipiatur, quàm Euchariſtia, id tamen per accidens eſt, propter peccata ab ipſis commiſſa. Vnde quando adulti olim baptizabantur, priùs ad Euchariſtiam accedebant, quàm ad Pœnitentiam. Meritò ergo S. Thomas priùs de ipſo tractat *à quæſt.74. vſque ad* 83. cuius ordinem in noſtris Diſputationibus ferè obſeruabimus.

Prius olim adulti poſt Baptiſmū accedebant ad Euchariſtiā, quàm ad Pœnitentiam.

Habet autem hæc materia quatuor partes. Prima merè eſt ſcholaſtica. Secunda pertinet ad Controuerſias cum Hæreticis. Tertia, ad quæſtiones Scripturæ ſacræ. Quarta denique ad Theologum Moralem, & quæſtiones circa Caſus conſcientiæ. Ex his primam pro munere noſtro ex profeſſo pertractabimus, ſecundam, & tertiam omnino, illam ad Controuerſiſtas, hanc ad Scripturæ interpretes remittemus. Vnde controuerſiam de præſentia reali Chriſti in Euchariſtia, & alias ſimiles, quæſtionem item de die, quo Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, & ſimiles, ſupponemus ex iis, qui hoc ſæculo latiſſimè, & doctiſſimè de iis diſputarunt. Vltimam deniquè licèt noſtri muneris minùs propriam, non omnino relinquemus, quia ad Theologum Scholaſticum ſpectat, principia illa radicitus examinare, & corroborare, ex quibus Theologi morales ſuam doctrinam deducunt, & quæ pro breuiori illius diſciplinæ methodo non vacat illis ſubtiliori examine comprobare.

Quatuor partes huius materiæ.

DISPVTATIO I.

An, & quid ſit Euchariſtiæ Sacramentum.

SECTIO I. *Vtrùm Euchariſtia ſit Sacramentum ab aliis diuerſum.*

SECTIO II. *An hoc Sacramentum componatur intrinſecè ex ſpeciebus, & corpore, & ſanguine Chriſti.*

SECTIO III. *Vtrùm Euchariſtia importet in recto corpus, & ſanguinem Chriſti, an verò ſpecies Sacramentales.*

SECTIO IV. *An verba conſecrationis componant intrinſecè Sacramentum Euchariſtiæ.*

SECTIO V. *Afferuntur alia argumenta, & ſolutiones recentiorum contra doctrinam præcedentem.*

SECTIO VI. *Vtrùm actio tranſſubſtantiatiua pertineat intrinſecè ad hoc Sacramentum?*

SECTIO VII. *Vtrùm vſus, ſeu ſumptio Euchariſtiæ pertineat intrinſecè ad hoc Sacramentum?*

PRÆMITTO has duas quæſtiones ad illam, quæ in præſenti ſolet diſputari, vtrùm ſit vnicum, vel multiplex Euchariſtiæ Sacramentum: ægrè enim, & difficilè ſcies, quomodo multiplicetur eius eſſentia, niſi præcognitâ eſſentiæ quidditate.

SECTIO I.

Vtrùm Euchariſtia ſit Sacramentum ab aliis diuerſum.

DVo continentur ſub hoc titulo; vtrumque facile, vtrumque certum: eſſe ſcilicet Sacramentum nouæ Legis; & eſſe diuerſum ab aliis omnibus. Primum conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 13. per totam, & *ſeſſ.* 7. & alibi ſæpè: ex Florentino in Decreto de vnione Armenorum: & ex c. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica; & alibi ſæpè. 1.

Duo continentur in hoc ſectione certa. Conc. Trid. Conc. Flor.

Eſt autem adeò certa hæc pars, vt ne ab Hæreticis quidem negetur. Nam Lutherus *lib. de Captiuit. Babylonica*, qui tantùm ponit vnicum Sacramentum à Chriſto inſtitutum, dicit, hoc eſſe Euchariſtiam.

Primū adeo certum, vt ne quidē ab hæreticis negetur.

Caluinus

Caluinus in Inſtitutione, qui dicit eſſe duo tantùm Sacramenta, ait, vnum eſſe Euchariſtiam, Melanchthon, qui poſuit quatuor; Poſthelus, qui poſuit ſex, vnum aiunt eſſe Euchariſtiam, vt tradit Lindanus 4. *Panoplia c.* 6. & Caſtro, verbo *Euchariſtia*, & denique Mahometus *c.* 4. *Alcorani*, fatetur hoc Sacramentum, & ait, eſſe veneratione dignum: ſed reprehendit Chriſtianos, quòd in Euchariſtia eum deuorent, quem Deum eſſe dicunt. Videatur Prateolus *lib.* 11. *Elenchi hæreſum*, verb. *Mahometus*, prope finem, & Vaſquez *in præſenti diſp.* 167. *c.* 1. vbi latè probat, nullum adhuc hæreticum negaſſe in ſpeciali Euchariſtiæ Sacramentum: aliud enim eſt malè de illo ſentire negando realem Chriſti præſentiam, & alia huiuſmodi; aliud negare in vniuerſum, dari aliquod Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto inſtitutum.

Lyndan. Caſtro.

Ratione probatur, quia eſt ſignum ſenſibile, &c.

Ratione etiam probatur facilè hæc pars, ex definitione Sacramenti, ſcilicet, *Signum ſenſibile practicum gratiæ ſanctificantis*: quæ tota conuenit Euchariſtiæ, vt de ſe patet, & infra ampliùs declarabitur, & conſtat ex Chriſti inſtitutione *Matth.* 26. *Marc.* 14. *& Luc.* 22. vt inferiùs videbitur: neque enim modò opus eſt ampliùs in hoc immorari.

2.
Secunda pars oſtenditur ex Florentino, Tridentino, &c.

Secunda verò pars, ſcilicet eſſe Sacramentum ab aliis diuerſum, conſtat ex Conciliis Florentino, Tridentino, & aliis, Euchariſtiam ſemper ſigillatim, vt Sacramentum diuerſum numerantibus. Ratio eſt aperta, quia eſſentia, & partes Euchariſtiæ differunt omnino ab eſſentia, & partibus aliorum Sacramentorum, ſcilicet penes materiam, & formam. Ratio item congruentiæ communiter ad hoc ipſum adducitur à S. Thoma & aliis, ex diuerſitate finis. Nam Euchariſtia inſtituta eſt ad conſeruandam, & augendam vitam ſpiritualem animæ, non ſecus ac cibus materialis conſeruat vitam naturalem; hic autem finis non competit ex propria inſtitutione alteri Sacramento; vt diſcurrenti per ſingula facilè conſtabit.

Ratio congruentiæ petita à fine diuerſo.

3.
Vulgaris obiectio ex Sacramento Confirmationis petita.

Contra hanc partem eſt vulgaris obiectio deſumpta ex Sacramento Confirmationis: quod quidem inſtitutũ etiam eſt ad augendam vitam ſpiritualem: in eo enim differt à Baptiſmo, quòd Baptiſmus ſit ad generandam vitam; Confirmatio verò ad augendam, deducendumque hominem ad ſtatum virilem: ergo non differt Confirmatio ab Euchariſtia. Probatur conſequentia, quia in ordine naturali idem cibus, qui deſeruit ad nutriendum, & conſeruandum hominem, deſeruit etiam ad augendum illum: ergo cibus ſpiritualis, qui inſtitutus eſt ad nutriendum hominem ſpiritualiter, inſtitutus etiam eſt ad augendum illum ſpiritualiter: ergo Euchariſtia habet eundem finem, quem habet Confirmatio.

4.
Multæ & variæ ſolutiones prætermittuntur.

Mirum eſt, quot ſolutiones huic difficultati redduntur, & quot principia Philoſophica euoluantur. Ego eas omnes libenter prætermitto; quia hæc congruentia deſumpta ex nutritione, & augmentatione, non eſt adeò ad amuſſim accipienda, vt debeat exemplum in omnibus tenere. Habent enim hæc duo Sacramenta alia plura capita, ex quibus magis diſtinguantur, ex materia, ex forma, &c. Breuiter ergo reſpondeo, puerum genitum naturaliter indigere quidem alimento, tum ad vitam conſeruandam, & augendam, tum etiam ad vires adquirendas. Sic etiam baptizatus indiget vitæ ſpiritualis augmento; indiget etiam viribus ad pugnandum. Euchariſtia quidem data eſt ad nutriendum, & augendam vitam animæ; Confirmatio autem ad vires, roburque præſtandum, non quidem per modum alimenti, ſed per modum medicinæ confortantis, vt viriliter pugnet prælia Chriſti, non ſolùm contra viſibiles, ſed etiam contra inuiſibiles hoſtes. Ideo enim Euchariſtia datur ſub ſpecie cibi corporei, vt inſinuetur eoſdem effectus cauſare in anima, quos cibus naturalis in corpore: at verò Confirmatio datur ſub Chriſmate, vt inſinuetur, non quidem alere ex propria inſtitutione, ſed vngere, & confortare hominem ad luctam, inſtar veterum luctatorum, qui oleo parabantur ad luctam. Euchariſtia ergo dat vires nutriendo: Confirmatio verò dat etiam vires, non tamen nutriendo ex propria inſtitutione, ſed confortando, & roborando per modum vnctionis, & medicinæ.

Solutio noſtra petitur ex eo quod Euchariſtia data ſit vt alimentum ad conſeruandum; Confirmatio verò ad vires adquirendas in ordine ad pugnam.

Dices; Confirmatio etiam habet ex ſua inſtitu- 5.
tione augere vitam ſpiritualem conferendo augmentum gratiæ iuſtificantis; ergo ex ſua inſtitutione habet dare vires nutriendo, ſicut Euchariſtia. Reſpondeo, hoc, quod eſt conferre gratiam, non eſſe effectum proprium Confirmationis, ſed communem omnibus Sacramentis: effectus autem proprius illius, eſt dare gratiam cum ordine ad auxilia quædam vberiora, quibus vt miles Chriſti confirmatus poſſit fortiter præliari contra hoſtes: ex quo oritur differentia valdè obſeruanda inter Euchariſtiam, & Confirmationem: nam licèt vtraque conferat gratiam cum ordine ad auxilia ad bene operandum, & reſiſtendum tentationibus; cum hoc tamen diſcrimine, quòd Euchariſtia poſtulat illa auxilia in ordine ad eum finem, vt homo bene operando creſcat in gratia, & ſanctitate interna, & augeatur eius vita ſpiritualis: & poſtulat eò, quòd per nutritionem ſpiritualem auxit ſubſtantiam hominis & ideo reddidit robuſtiorem ad omnes operationes, ſiue neceſſe ſit pugnare, ſiue mereri ſine pugna: at verò Confirmatio poſtulat ea auxilia ad eum finem peculiariter, vt homo poſſit reſiſtere tentationibus, profiteri fidem, & fortiter præliari: non enim reddit hominem ex propria inſtitutione robuſtiorem ad operandum vt ſic, ſed ad reſiſtendum in prælio, & tentationibus: & hoc non per modum cibi, ſed vnctionis, quam imitatur: differunt ergo tam ex parte finis diuerſi, quàm ex parte modi, quo illum ſignificant; quod totum oritur ex eo, quòd Euchariſtia inſtituta eſt per modum cibi ſpiritualiter nutrientis: non verò Confirmatio.

Inſtantia.

Diluitur.

Ex diuerſitate finis petitur diſcrimen Sacramentorum, gratia enim eſt effectus communis.

Dices; Euchariſtia non ſolùm nutrit, ſed reparat 6.
vires ſpirituales contra tentationes: hoc autem fit per auxilia, quibus pugnemus contra illas: ergo licèt non augeret gratiam, daret hæc auxilia. Reſpondetur, Euchariſtiam reparare vires per modum cibi: quare ſicut cibus reparat vires dando ſanguinem, ex quo nutriatur homo, & fiant ſpiritus, &c. ſic Euchariſtia reparat vires nutriendo, dando ſcilicet gratiam, ex vi cuius homo fiat robuſtior: at verò Confirmatio directè tendit ad dandas vires, ad reſiſtendum, & ad hunc finem dat gratiam, ſicut Sacramentum Pœnitentiæ directè tendit ad remiſſionem peccati, & ad hunc finem dat gratiam ſanctificantem.

Inſtantia.

Soluitur.

Vnde apparet, licèt omnia Sacramenta re ipſa au- 7.
geant gratiam, ſi inueniunt ſubiectum gratum; hunc tamen effectum augendi gratiam eſſe proprium Euchariſtiæ in ſenſu formali; hoc eſt, per ſe, & ex vi propriæ ſignificationis. Nam Baptiſmus, v.g. per ſe potiùs tendit ad generationem ſpiritualem, vt conſtat. Pœnitentia item ex ſe ſignificat reconciliationem, & remiſſionem peccati. Extrema-Vnctio tendit ad perfectam ſanitatem à reliquiis peccatorum. Ordo ad rectum ordinis vſum; ſicut Matrimonium ad dandas vires, quibus eius onera laudabiliter portentur. Confirmatio ad dandas vires & robur in ordine ad fidei confeſſionem. Quare non primariò, ſed ſecundariò reſpiciunt gratiam in ordine ad proprios ſingulorum fines. At verò Euchariſtia, quæ eſt cibus animæ, per ſe, & ex vi propriæ ſignificationis

Effectus augẽdi gratiam licèt ſit communis omnibus Sacramentis, eſt tamen proprius Euchariſtiæ, per ſe in ſenſu formali, & ex vi propria ſignificationis.

nis ordinatur ad augendam ſubſtantiam vitæ ſpiritualis; ſicut cibus materialis ordinatur ad augendam vitam, & ſubſtantiam corporis: reſpicit ergo immediatè, & per ſe ipſum augmentum gratiæ; quod nulli ex aliis Sacramentis ita conuenit.

8. *Inſtantia.* Dices, alia etiam Sacramenta per ſe habent cauſare gratiam, & quidem omnia præter Baptiſmum, & Pœnitentiam exigunt per ſe ſubiectum gratum; nam ſi ſtatus peccati non opponeretur eorum ſignificationi, non eſſet obex impediens eorum effectum: ergo illa etiam ex vi ſuæ ſignificationis, & per ſe ſignificant augmentum gratiæ. *Diluitur.* Reſpondetur, illa Sacramenta, licèt per ſe prærequirant vitam in anima, eò quòd ordinantur ad aliquos actus vitales, qui ſupponunt vitam, non tamen ordinari ad illud augmentum gratiæ præcisè vt augmentum eſt, ſiſtendo ibi, ſed quatenus eſt principium talium actuum. Euchariſtia verò, quia cibus eſt, habet ex propria ratione augere vitam, & ſubſtantiam ſub ratione augmenti, ita vt illud intenderet, etiamſi ad aliam operationem non ordinaretur. Fateor, de facto ordinari etiam Euchariſtiam ad operationes; quia cibus etiam ordinatur ad dandas vires in ordine ad operandum: ordinatur tamen ad ipſum augmentum ſub ratione augmenti; quia cibus etiam tendit ad nutriendam, & augendam ſubſtantiam aliti.

9. *Inſtabis iterum.* Dices iterum, non eſt proprium cibi augere ſubſtantiam; nam licèt in pueris id faciat, non tamen in viris, & ſenibus, ſed ſolùm reparat ea, quæ continuò deperduntur: non ergo ſignificat per ſe cibus Euchariſtiæ augmentum vitæ ſpiritualis. Reſpondetur, cibum per ſe habere, vt augeat ſubſtantiam, donec perueniat ad ſtatum perfectum; poſtea verò reparat vires. Cùm ergo anima noſtra in hac vita ſemper ſit in ſtatu augmenti, quippe quæ nondum peruenit ad ſtatum perfectum; hinc fit, vt Euchariſtia in nobis ſemper ſignificet per ſe augmentum vitæ, & gratiæ; non enim poteſt nutrire ſine augmento eos, qui ſunt in ſtatu augmenti. Adde, cibum corporalem ideo non augere, quoties nutrit, quia deperduntur quotidie plures partes ipſius ſubſtantiæ, & ideo illæ, quæ de nouo adueniunt, non faciunt augmentum ſimpliciter: at verò in vita ſpirituali id non poteſt eſſe; quia, durante vita animæ per gratiam, nihil gratiæ deperdi poteſt, quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad feruorem in operando; quare omnis nutritio ſpiritualis debet augere ſubſtantiam gratiæ, & ordinari ad augmentum, licèt quoad feruorem poſſit dici, quòd aliquando non auget, ſed reparat id, quod per inclinationes, & fomitem deperditur: non poteſt ergo cibus ſpiritualis ordinari per ſe ad nutriendum per productionem gratiæ, quin eo ipſo ordinetur ad augmentum gratiæ.

10. *Euchariſtia eſt omnium ſacramentorum nobiliſſimum.* Habemus ergo, Euchariſtiam eſſe Sacramentum nouæ Legis à Chriſto Domino inſtitutum, à cæteris omnibus diuerſum. Reſtat ſcire, quem habeat dignitatis locũ inter illa. Omnes Theologi fatentur, eſſe Sacramentorum omnium præſtantiſſimum, & digniſſimum. Cui concluſioni ſatis fauet Concil. Trident. *Conc. Trid.* *ſeſſ.* 13. & alibi, illud appellans Sacramentum ſanctiſſimum, venerabile, ſacro-ſanctũ: *In quo Deus diuitias ſui erga homines amoris velut effudit*, &c. Ad quod videtur attendiſſe idem Concilium dum *ſeſſ.* *can.* 3. de Sacramentis, damnat eos, qui dixerant, omnia Sacramẽta eſſe paria, vt nulla ratione vnũ ſit alio dignius. Adeò, vt hæc veritas videatur nonnullis de fide definita; inter quos eſt Suarez *in præſenti diſp.* 30. *ſect.* 2.

11. *Dignitas Euchariſtia vnde petatur.* Cæterùm, quidquid de hoc ſit, meritò dubitari poteſt, an hic exceſſus Euchariſtiæ ſupra alia Sacramenta proueniat ex eo, quòd cæteris paribus, & cũ æquali diſpoſitione conferat ſuſcipienti maiorem gratiam, quàm quodvis aliud Sacramentum. Res hæc eſt omnino incerta, & ſoli Deo nota; quare licèt poſſet piè ita credi, non tamen ſolidè comprobari. Illud certum, dignitatem Euchariſtiæ ex eo potiſſimùm ſumendam, quòd contineat in ſe Chriſtum Dominum auctorem totius gratiæ, & ſanctitatis: reliqua enim Sacramenta habent virtutem à Chriſto Domino eorum auctore; Euchariſtia verò habet ipſum Chriſtum, à quo omnia Sacramenta fluxerunt, & ideo maiorem longè poſtulat venerationem. Nunc iam videamus in particulari, quid intrinſecè includat quidditas huius Sacramenti.

SECTIO II.

An hoc Sacramentum componatur intrinſecè ex ſpeciebus, & ex corpore, & ſanguine Chriſti.

DVplicem compoſitionem poſſumus conſiderare in quolibet Sacramento; prima eſt ex ſignificatione, & re ſignificante: nam ſicut in voce naturali datur ipſa entitas vocis, quæ ſignificat, & datur ſignificatio, ſeu vis, quam habet ex impoſitione hominum ad ſignificandam talem, vel talem rem: ſic etiam in Sacramento Baptiſmi, v.g. datur ipſa entitas ablutionis, & verborũ, &c. & vis etiam, quam habet ex diuina inſtitutione ad ſignificandam gratiam: illud prius poteſt appellari ſubiectum; hoc verò poſterius, nempe vis ſignificandi, poteſt appellari quaſi forma conſtituens Sacramentum in ratione ſigni ad placitum ex diuina inſtitutione. An verò hæc vis ſignificandi ſit ens rationis, vel aliquid reale, non eſt huius loci; pertinet enim ad materiam de Sacramentis in genere, vbi aliquid diximus *diſp.* 1. *ſect.* 3. 12. *Duplex compoſitio in quolibet Sacramento. Prima ex ſignificatione & re ſignificante.*

Rurſus poſſumus in ipſo ſubiecto Sacramenti conſiderare aliam compoſitionem; nam ſicut vox, quæ eſt ſubiectum ſignificationis, adhuc ipſa in ſua entitate componitur ex pluribus ſyllabis: ſic etiam Baptiſmus, qui eſt ſubiectum ſignificationis, componitur intrinſecè ex materia, & forma, nempe ex ablutione, & verbis: & de hac ſecunda compoſitione quærimus in præſenti, ſupponendo ſcilicet, in Euchariſtia dari ſubiectum ſignificans, & vim etiam ſignificandi gratiam ex diuina promiſſione: quærimus, inquam, quod ſit ſubiectum illud, quod habet hanc vim ſignificandi: &, an hoc ſubiectum componatur intrinſecè ex aliquibus partibus? 13. *Secunda ex materia, & forma, & de hac ſecunda hic quæritur.*

14. Poteſt autem de multis dubitari in præſenti, an componant intrinſecè Sacramentum Euchariſtiæ, de accidentibus ſcilicet, ſeu ſpeciebus panis, & vini remanentibus: de corpore, & ſanguine Chriſti: de anima item, & diuinitate eius: de verbis Conſecrationis: de actione tranſſubſtantiatiua: de vſu denique, ſeu ſuſceptione actuali Euchariſtiæ; de quibus omnibus ſigillatim dicendum eſt. In hac verò ſectione quæſtio eſt de ſpeciebus remanentibus, & de corpore, & ſanguine Chriſti, an componant intrinſecè hoc Sacramentum. Supponimus autem de fide, præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti: dubitamus tamen, an hoc Sacramentum ea includat intrinſecè, & ex ipſis componatur. *Suppoſitio de fide. Status quæſtionis.*

15. *Duæ extremæ ſententiæ extremæ.* Duplex eſt in hac quæſtione extrema ſententia. Prima dicit, ſolùm corpus, & ſanguinem Chriſti intrare ad conſtitutionem huius Sacramenti: ſpecies autem ſolùm connotari, non verò componere illud. Hæc tribuitur communiter VValdenſi *tom.* 2. *de Sacramentis, cap.* 10. Vaſquez tamen *diſp.* 167. *num* 10. *& ſequentibus*, cum latè conatur ab hac opinione liberare. Secunda ſententia docet è contra, ſolas ſpecies conſtituere Sacramentum: connotando tamen *VValdenſ. Vaſquez.*

Diluitur. tionis, qua ad eum effectum acceptatus fuit. Reſpondeo diſtinguendo minorem: acceptatur à Deo ad gratiam aliquam determinatam, qua remittaotur ea omnia peccata, nego, acceptatur ad gratiam indeterminatè maiorem vel minorem ſecundùm diſpoſitionem, quæ præcedat ipſam gratiam, concedo; hæc autem gratia data iam fuit in noſtro caſu, quando remiſſa fuerunt mortalia, & tunc determinata fuit gratia ſecundùm diſpoſitionem tunc præſentem; atque ideo non manet ampliùs acceptatio Baptiſmi ad vlteriorem gratiam; iam enim data fuit ex vi præcedentis acceptationis gratia debita ad remiſſionem mortalium, quæ tunc ponitur, & ad remiſſiouem venialium, quæ poſtea ponetur ex vi illius gratiæ, quando auferetur obex.

SECTIO VI.

An alia omnia Sacramenta fictè ſuſcepta cauſent gratiam, ablato obice.

99\. *Variæ ſententiæ.* VAriæ ſunt Theologorum ſententiæ. Prima docet, nulli Sacramento præter Baptiſmum competere eam efficaciam gratiæ, ablato poſtea obice. Hanc tenent Soto *in 4. diſt. 6. q. 1. art. 8.* & Vaſquez *diſp. 171. c. 2.* Secunda ſententia docet, competere etiam Sacramento Pœnitentiæ. Ita Durandus *in 4. diſt. 4. q. 4. n. 8. & diſt. 67. q. 13. n. 7.* Tertia ſententia id tribuit omnibus, & ſolis Sacramentis imprimentibus characterem; hanc tenent, Maior, Couar. & alij, quos affert Vaſq. *loc. cit. c. 1.* Quarta ſententia addit Pœnitentiam iis tribus Sacramentis, quæ imprimunt characterem. Hæc tribuitur Paludan. & Syluest. apud eundem Vaſquez ibi. Quinta ſententia id affirmat de omnibus Sacramentis nouæ Legis: quam docet Caietan. *tom. 1. Opuſcul. tract. 5. q. 5. § Communis autem*; Petrus de Soto de inſtitutione Sacerdotum, *Lect. 5. de Baptiſmo*; qui eam tribuunt S. Thom. *in 4. diſt. 17. q. 3 art. 4. quæſtiuncula 1.*

Soto. Vaſquez. Durand. Maio. Couar. Vaſquez. Paludan. Syluester. Caiet. Petr. de Soto. S. Thom.

100\. *Probabilior ſententia.* Sexta ſententia probabilior id tribuit omnibus Sacramentis, vnâ exceptâ Euchariſtiâ. Hanc tenet Suarez *d. diſp. 28 ſect. 6.* & infrà *diſp. 63. ſect. 8.* Coninch *q. 62. art. 1. dub. 5.* & alij. Probari poteſt primò de Sacramento Pœnitentiæ, ſupponendo, illud poſſe eſſe in aliquo caſu validum, & informe, vt probabimus agentes de illo Sacramento in particulari. Quo ſuppoſito, conſequenter fatendum eſt, illa peccata, quæ quis validè confeſſus eſt, remitti poſtea ablato obice virtute Clauium per abſolutionem præteritam: alioquin illa peccata nunquam remitterentur virtute Clauium, niſi indirectè, & per accidens cum aliis in Confeſſione ſequenti; quod dici non poteſt: omnia enim peccata mortalia, quæ ab Eccleſia non remittuntur directè, debent ei ſubiici, vt remittantur directè, illa autem peccata ſemel explicita in Confeſſione valida, non ſubiiciuntur iterum Eccleſiæ iudicio: ergo debent remitti virtute Clauium per abſolutionem præteritam, vbi primùm auferatur obex.

Suarez. Coninch. Probatur primò de Sacramento Pœnitentiæ.

101\. *Confirmatur, neque enim pœnitentia eſt minùs neceſſaria ad remiſſionẽ peccati mortalis poſt Baptiſmum, quàm Baptiſmus ad remiſſionem peccatorum ante Baptiſmum.* Confirmatur primò, quia non eſt minùs neceſſarium Sacramentum Pœnitentiæ ad remiſſionem peccati mortalis poſt Baptiſmum commiſſi, quàm ſit Baptiſmus ad remiſſionem mortalis commiſſi ante Baptiſmum: nam ſicut ad hoc remittendum requiritur Baptiſmus in re, vel in voto; ſic ad remittendum illud requiritur Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto: ergo ſicut Baptiſmus ablato obice, remittit priora peccata; ſic Sacramentum Pœnitentiæ remittit, ſua, ablato obice. Nulla certè ratio excogitari poteſt ad negandum hoc de Sacramento Pœnitentiæ, ſi concedatur de Baptiſmo, & ſupponatur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe: nam ſicut homo poſſet poſtea iuſtificari per contritionem, vel Confeſſionem ſequentem, & conſequi indirectè remiſſiooem illorum peccatorum, quæ confeſſus eſt in Confeſsione præterita: ſic poſt Baptiſmum fictè ſuſceptum poſſet poſtea iuſtificari per contritionem, vel confeſſionem peccatorum ſequentium, in qua iuſtificaretur, & remitterentur indirectè peccata commiſſa ante Baptiſmum. Nec eſt magis neceſſarius effectus Baptiſmi ad ſalutem, quàm effectus Pœnitentiæ homini lapſo poſt Baptiſmum; nam ſine gratia Sacramenti Baptiſmi eſſet adhuc homo per Baptiſmum capax aliorum Sacramentorum, per quæ poſſet acquirere gratiam: non ergo apparet, cur Baptiſmus habeat efficaciam, ablato obice, & non Pœnitentia.

102\. *Confirmatur ſecundò ex eo quòd Baptiſmus ſublato obice confirat etiam effectus nõ neceſſarios ad ſalutem, qualis eſt remiſſio pœnæ temporalis.* Confirmatur ſecundò, quia Baptiſmus, ablato obice, confert, vt vidimus, non ſolùm effectum neceſſarium ad ſalutem, ſed etiam alios non neceſſarios, qualis eſt remiſſio totius pœnæ temporalis, quam tribuit etiam poſt mortem ei, qui tempore Baptiſmi habebat obicem peccati venialis non retractati: ergo non deberet negari hæc efficacia Sacramento Pœnitentiæ ex eo, quod eius effectus non eſſet neceſſarius ad ſalutem. Vnde obiter infero, Sacramentum Pœnitentiæ in prædicto caſu non ſolùm conferre, ablato obice, remiſſionem mortalium, ſed etiam venialium, quæ fuerunt clauibus ſubiecta in illa Confeſſione, & propter obicem non potuerunt remitti. Eſt tamen differentia, quoad hoc, inter Baptiſmum, & Pœnitentiam: quòd Baptiſmus, vt vidimus, poteſt aliquando habere obicem ſolùm ad remittenda venialia, & non ad mortalia; qua poſtea poterit remittere venialia ſeorſim, ablato obice, qui eorum remiſſionem impediebat. At verò Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt habere obicem in ordine ad ſola venialia: nam ſi pœnitens non habet mortalia, & confitetur venialia cum dolore de illis, quæ confitetur, ſtatim remittentur; ſi verò abſque dolore, non erit Confeſſio de illis valida, atque adeò nec poſtea, ablato obice, cauſabit effectum. Neceſſe ergo eſt, quoties illud Sacramentum eſt validum, & informe, quòd id ſit ratione alicuius mortalis, de quo pœnitens inuincibiliter non dolet, & ideo non poteſt tolli illud peccatũ, donec poſtea auferatur obex per retractationem illius: & tunc remittentur etiam peccata venialia clauibus ſubiecta; non tamen remittentur ſeorſim, ſed ſimul cũ peccato mortali; atque adeò nunquam remittentur per Sacramentum Pœnitentiæ abſque noua infuſione gratiæ Sacramentalis; licèt id diximus fieri poſſe virtute Baptiſmi quando auferetur poſtea eius obex ad venialia. Quamvis ergo Auguſtinus de ſolo Baptiſmo explicitè loquatur, ex iis tamen, quæ tradit de Baptiſmo, colligimus idem dicendum de Sacramento Pœnitentiæ: imò licèt de Baptiſmo nihil dixiſſet, adhuc ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ colligi poſſet hæc efficacia, ſuppoſito quòd Chriſtus noluit obligare ad bis confitenda, & ſubiicienda clauibus eadem peccata: & aliunde voluit, quòd omnia peccata mortalia ſubiicerentur iudicio Eccleſiæ, vt ab ea directè ſoluerentur, ex his enim colligitur, vt diximus, quòd abſolutio valida, & informis habeat poſtea ſuum effectum circa peccata validè ſubiecta clauibus.

Ex his quæ dixit Auguſtinus de Baptiſmo colligitur idem dicendum eſſe de Sacramento Pœnitentiæ.

103\. *Idem dicendũ videtur de aliis Sacramentis.* Nunc iam ex his poſſumus gradum facere ad alia Sacramenta, in quibus videtur etiam ſimilis ratio procedere. Nam ſicut per Baptiſmũ voluit Chriſtus ſubuenire neceſſitati, & infirmitati humanæ aliquo remedio ſuaui, & ex ſe efficaci contra peccatum originale, & alia omnia commiſſa ante Baptiſmum;

ſic

ſic per Confirmationem voluit ſubuenire eidem infirmitati humanæ, vt roboretur homo ad profitendam Fidem, & ſtrenuè prælíandum in Chriſti militia per vires ac robur Spiritus ſancti, qui datur in illo Sacramento; item per Sacramentum Ordinis voluit ſubuenire hominibus remedio etiam ſuaui, & efficaci, vt ſanctè, ac dignè miniſtrarent in domo Dei, &c. ergo ſicut remedium Baptiſmi impeditum obice retinet ſuam efficaciam ad præſtandos ſuos effectus etiam non neceſſarios ad ſalutem, quando aufertur obex, non eſt cur id negemus de Confirmatione, & Ordine. Sicut enim per ſuſceptionem Baptiſmi acquirit homo ius ad illam quaſi plenariam indulgentiam peccatorum præteritorum ſemel conſequendam, cùm primùm auferatur obex: ſic per ſuſceptionem Confirmationis, vel Ordinis acquirit ius ad illa priuilegia, & quaſi facultates conſequendas, cùm primùm fuerit ablatus obex. Cur enim minùs in his, quàm in illo?

104. *Non ſatisfacit reſponſio Vaſquez.* Nec ſatisfacit reſponſio P. Vaſquez vbi ſuprà, *n.* 15. dicentis, quòd ex vi Sacramenti ſuſcepti darentur quidem poſtea, ablato obice, homini iuſtificato auxilia ad finem Sacramenti, *v. g.* ad profitendam Fidem, ad dignè miniſtrandum, &c. non tamen gratia habitualis ex vi Sacramenti præteriti: Hoc, inquam, non ſatisfacit, tùm quia Sacramenta non afferunt eiuſmodi auxilia, niſi media gratia habituali, quam conferunt, vt diximus ſuprà *diſput. 4. ſect. 9.* tùm etiam, quia Baptiſmus ablato obice, non ſolùm confert auxilia ad legem Chriſti obſeruandam, ſed etiam gratiam habitualem, ex qua oriantur eiuſmodi auxilia; ergo & illa alia Sacramenta debent eodem modo conferre non ſola auxilia, ſed & gratiam, quæ dat ius radicale, & intrinſecum ad ea auxilia.

105. *Idem probatur in Extrema-Vnctione.* Hinc rurſus probari poteſt eadem efficacia in Extrema-Vnctione, & Matrimonio; nam Extrema-Vnctio inſtituta eſt ad ſubueniendum fragilitati hominum morbo graui periclitantium, atque ideo dat ius ad auxilia illi neceſſitati proportionata; quare ſi propter obicem non poteſt dare ſuum effectum, quando confertur, congruum videtur, vt ex vi Sacramenti ſuſcepti acquiſitum ſit ius ad illum effectum, & priuilegium obtinendum poſtea ablato obice; Adde, illud Sacramentum ex ſua inſtitutione habere vim ad remittenda aliquando peccata, vt colligitur ex verbis formæ: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti*, &c. & dicemus infrà tract. de Pœnitentia. Si ergo propter obicem non poteſt tunc ponere hunc effectum, videtur quòd illum ponat poſtea, ablato obice, ſicut Baptiſmus, qui ponit poſtea remiſſionem peccatorum: imò ſicut de Baptiſmo diximus, ſucceſſiuè remittere peccata venialia etiam poſt mortalia, ſi ſucceſſiuè tollatur obex ad eorum remiſſionem poſt ablatum obicem ad remiſſionem mortalium; ſic videtur dicendum de Extrema-Vnctione propter eandem rationem: cur enim minor ſit eius efficacia quoad hoc, quàm Baptiſmi, cùm id non oriatur in Baptiſmo ex neceſſitate talis effectus ad ſalutem, vt vidimus? Differt tamen à Baptiſmo, quòd hic affert remiſſionem peccatorum plenam, etiam quoad totam pœnam, quam non affert Extrema-Vnctio, quia non eſt regeneratio, ſed iuxta regulam à Deo ſtatutam, & menſuram diſpoſitionis.

106. *Eadem ratio valet pro Matrimonio.* Denique de Matrimonio fieri poteſt eadem ratio, cùm hoc Sacramentum à Chriſto ſit etiam inſtitutum ad ſubueniendum fragilitati hominum, vt poſſint ſanctè, & laudabiliter onera eius ſtatus ſuſtinere, eiuſque obligationibus ſatisfacere. Acquirit ergo homo ex vi Sacramenti ſuſcepti ius ad illa priuilegia, & auxilia obtinenda, ablato obice, ſicut in aliis Sacramentis ſuprà poſuimus. Addunt tamen conſequenter, & meritò aliqui, hoc intelligi, ſi obex Extremæ-Vnctionis auferatur durante adhuc illa neceſſitate ægritudinis periculoſæ, aut obex Matrimonij, perſeuerante eodem Matrimonio. Ita Suarez, & Coninch locis citatis; quia ceſſante omnino neceſſitate, videtur ceſſare efficacia, quæ ad ſubueniendum illi neceſſitati data fuerat.

107. *Obijcitur primò de Sacramento Euchariſtiæ.* Obiicies primò, eandem rationem videri procedere de Sacramento Euchariſtiæ, quod tamen in concluſione excluſimus ab hac regula: nam illud etiam inſtitutum eſt ad ſubueniendum fragilitati hominum contra vim innatam fomitis, & contra tentationes, iuxta id, quod canit Eccleſia: *Dedit fragilibus corporis ferculum*, &c. Acquirit ergo homo ex vi Sacramenti ſuſcepti ius ad illa ſubſidia, & auxilia conſequenda, cùm primùm ablatus fuerit obex, durante eadem neceſſitate, quæ quidem ſemper durat in hac vita.

508. *Reſpondetur.* Reſpondetur, rationem præcipuam ad eam efficaciam tribuendam aliis Sacramentis, fundari quidem in eo, quòd fuerint inſtituta ad ſubueniendum homini in ordine ad talem, vel talem finem, debere tamen intelligi iuxta ſubiectam materiam, tali ſcilicet modo inſtitutionis, nempe cum impotentia ad illa Sacramenta reiteranda, vt conſtat in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, quibus character imprimitur: Extrema item Vnctio, & Matrimonium, licèt non imprimant characterem, non poſſunt tamen reiterari, durante eadem ægritudine, & eodem coniugio: ideo ad obtinendum finem intentum ſubueniendi homini in tali neceſſitate, oportebat dare talem efficaciam Sacramentis: quod quidem in Euchariſtia non procedit, quæ ex ſua inſtitutione reiterari poteſt, etiam intra eandem diem ſæpius, ſi non obſtet prohibitio Eccleſiaſtica; quare non fuit neceſſaria hæc efficacia Euchariſtiæ ad conſequendum eius finem ſubueniendi fragilitati hominum. *Multa deinde ſequerentur abſurda.* Aliunde verò eiuſmodi efficacia afferret ſecum abſurda non exigua: quod ſcilicet Sacerdos ſacrilegè celebrans per totam vitam ad finem ſacrilegum veneficij, incantationis, &c. Si in fine vitæ cum remiſſa attritione confiteretur, deberet recipere augmentum gratiæ ex opere operato correſpondens illis omnibus communionibus: vnde fieret repentè ſanctiſſimus propter plurima ſacrilegia commiſſa, & eò ſanctior, quò plura fuiſſent ſacrilegia; & multò ſanctior, ſi ſingulis diebus contra leges Eccleſiæ decies, vel centies celebraſſet; quod ex ſe incredibile apparet.

109. *Inſtabis.* Dices, Sacramentum etiam Pœnitentiæ ex ſua inſtitutione eſt reiterabile, ſicut Euchariſtia, & tamen illud admittimus dare ſuum effectum poſtea ablato obice. *Reſpondeo.* Reſpondetur, in primis in eo Sacramento non reperiri illa inconuenientia, quæ in Euchariſtia; nam ex ſacrilega eius receptione non habebitur vllus fructus poſtea; ſuppono enim non eſſe validum, quoties in eo mortaliter peccatur. Deinde, licèt ſit reiterabile, non eſt tamen obligatio reiterandi illud circa eadem peccata ſemel validè ſubiecta clauibus. Vnde ſi non daret poſtea effectum, ablato obice, illa peccata non remitterentur directè per claues Eccleſiæ, neque eſſet obligatio ea confitendi ad hunc finem, quod ex vi præſentis inſtitutionis videtur abſurdum. Et licèt circa venialia non eſſet inconueniens, quòd non remitterentur directè per claues Eccleſiæ, congruum tamen videtur, quòd illa, quæ quis confeſſus eſt in Sacramento valido, remittantur poſtea, ablato obice; quia cùm iam delata fuerint ad iudicium Eccleſiæ, & ſuper his prolata fuerit ab Eccleſia valida ſententia, & impoſita

pœnitentia, non eſt neceſſe, vt puniat bis propter eadem peccata, nec cognoſcat iterum de eadem cauſa, ſed quod ſuſtineatur prior ſententia, quæ valida fuit; & ablato impedimento, mandetur exequutioni, cùm ex hoc nullum ſequatur inconueniens, ſicut ſequetur in Euchariſtia.

110. *Obiectio.* Obiici poteſt ſecundò; Sacramenta non cauſant, niſi quod ſignificant; ſunt enim ſigna practica gratiæ, vt in ſuperioribus dictum eſt; ſed Sacramenta non ſignificant illum effectum vt futurum, ſed vt præſentem: ergo non cauſant illum poſtea, ablato obice. *Reſponſio.* Reſpondetur, ſicut Baptiſmum, quia eſt inſtitutus per modum regenerationis, colligitur ab Auguſtino habere illam vim cauſandi, ablato obice, atque adeò inſtitutum eſſe ad id ſignificandum: ſic de aliis Sacramentis ex peculiari eorum fine colligitur, inſtituta eſſe ad operandum etiam ablato obice, & per conſequens ad id ſignificandum; licèt id non euidenter, ſed probabiliter ex eorum inſtitutione colligatur.

111. *Obiectio vltima.* Obiicies vltimò: Si Extrema-Vnctio poteſt cauſare poſtea, ablato obice, ſuum effectum, ſicut Baptiſmus; ergo ſicut Baptiſmus aliquando poſt mortem cauſat aliquam partem ſui effectus, nempe remiſſionem totius pœnæ, quia tunc aufertur obex, vt ſuprà vidimus: Extrema-Vnctio poſt mortem cauſabit eundem effectum remiſſionis totius pœnæ, cùm tunc per retractionem totius culpæ auferatur obex ad eum effectum, atque adeò omnis, qui recipit illud Sacramentum in ſtatu gratiæ, liberabitur ab omni pœna, ſaltem peccatorum præcedentium, ſicut qui baptizatur. *Reſponſio.* Reſpondetur negando ſequelam: quia licet Extrema-Vnctio ordinetur etiam ad remiſſionem peccatorum, non tamen ad remiſſionem totius pœnæ debitæ, ſicut Baptiſmus, ſed ad remiſſionem culpæ, poſita retractione, & alicuius etiam fortaſſe pœnæ. Vnde fatemur, ablato obice, poſt mortem ad remiſſionem venialium præteritorum per eorum debitam retractionem poni effectum remiſſionis culpæ, virtute etiam Sacramenti Extremæ-Vnctionis, non tamen remiſſionem totius pœnæ; quia ad hunc effectum determinatè non eſt inſtitutum illud Sacramentum.

Extrema-Vnctio non ordinatur ad remiſſionem totius pœnæ ſicut Baptiſmus.

SECTIO VII.

Quæ, & qualis intentio requiratur in ſuſcipiente Sacramentum.

112. *Nota hic ſermonem eſſe de adultis.* NOtandum primò, ſermonem eſſe de adultis; nam in paruulis certum eſt, non requiri eorum conſenſum, vel intentionem ad valorem eorum Sacramentorum, quorum ipſi capaces ſunt. Quod in particulari de Baptiſmo tractari ſolet infrà *q. 68. art. 9.* vbi probatur valor Baptiſmi paruulorum. Videatur Vaſquez *ibi diſp. 154.* & Card. Bellarm. *tom. 2. lib. 1. de Baptiſmo.* De Sacramentis etiam Confirmationis, & Ordinis hoc ipſum tradunt Theologi, valida eſſe, ſi paruulis miniſtrentur. De Euchariſtia autem certum eſt, quòd ſit Sacramentum ante recipientis conſenſũ; dabit etiam fructũ gratiæ paruulis, ſi illis poſſet dari; propter alia tamen inconuenientia prohibitum eſt ab Eccleſia illam paruulis miniſtrare. Rationem verò, cur in paruulis non requiratur conſenſus ad valorem Sacramenti, ſicut in adultis, inſinuauimus ſuprà. Denique quod dicitur de paruulis, dici debet de perpetuis amentibus, qui nunquam vſum rationis habuerunt, & idcirco æquiparantur paruulis, quoad omnia.

Vaſquez. Bellarm.

113. Notandum ſecundò, in Sacramento Euchariſtiæ non requiri intentionem, aut conſenſum ſuſcipientis ad valorem Sacramenti; cùm enim illud Sacramentum non conſiſtat in vſu, ſicut alia, ſed ſit permanens, & ante ipſam ſumptionem ſit verum Sacramentum, parum refert, quòd habeat, vel non habeat intentionem, qui illud ſuſcipit. An verò requiratur eiuſmodi intentio ſuſcipientis, vt Sacramentum illud conferat ſuum effectum, ſtatim dicemus.

Nota ſecundò in Euchariſtia nõ requiri intentionem ſuſcipientis, vt patet.

114. Prima ergo ſententia fuit Baptiſmum eſſe validum, licèt, qui baptizatur, corde diſſentiat, dum tamen ore dicat ſe conſentire. Hanc docuit Gloſſa in cap. *Maiores,* de Baptiſmo. Secunda ſententia eſt Caietani *infrà q. 68. art. 7.* qui docet, ſolùm requiri ad valorem Baptiſmi, quòd ille, qui baptizatur, non habeat voluntatem contrariam, etiamſi non habeat, vel habuerit vnquam voluntatem Baptiſmi recipiendi; addit tamen Caietanus, accidere non poſſe, vel certè rariſſimè, quòd qui accedit ad Baptiſmum, non habeat voluntatem Baptiſmi, vel certè voluntatem contrariam. Eandem ſententiam ſequi videtur Ledeſma *in 4. 1. p. q. 9. art. 7.*

Prima ſententia Gloſſa. Caiet. *Secunda ſententia.* Ledeſma.

115. Communis, & vera ſententia Theologorum tenet, requiri ad valorem Sacramenti conſenſum poſitiuum adulti, qui illud recipit. Hanc docent Theologi omnes cum S. Thoma *d. q. 68. art. 7.* quos congerunt, & ſequuntur Suarez *in præſenti diſp. 14. ſect.* ... Vaſquez *diſp. 152. c. 2.* & alij omnes.

Communis & vera ſententia requirit conſenſum poſitiuum adulti. Suarez. Vaſquez.

Probatur primò ex Conciliis, in quibus ad baptizandum eum, qui incidit in amentiam, vel perdidit vſum ſenſuum, ſemper exigitur, quòd antea volũtatem Baptiſmi habuerit. Sic habetur in Conc. Carthaginenſi 4. *cap.* 31. his verbis: *Ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſui ſunt, dixerint, Baptizentur*; & in Concil. Arauſiaco 1. *cap.* 12. *Obmuteſcens baptizari, aut Pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet.* In quibus locis licèt non dicatur expreſſè, non valere Baptiſmum abſque illa voluntate præterita, id tamen videtur omnino ſupponi, cùm eâ ſolùm conditione poſitâ, permittitur baptizari ægrotus: in quo etiam ſenſu loqui videtur Aug. *lib. 4. de Baptiſmo, cap. 14. Si pro eo* (inquit) *qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet; ex qua regula illud in Euangelio dictum eſt, quod omnes, cum legitur, naturaliter mouet: ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur.* Denique hoc ipſum vt regula ſeruanda traditur in Rituali Romano Pauli V. in Rubricis de Baptiſmo adultorum; vbi prohibetur baptizari eum, qui, cùm aliquando habuerit vſum rationis, ante amentiam nunquam oſtendit voluntatem, aut petitionem Baptiſmi.

Probatur primò ex Conciliis. Concil. Carthag. Conc. Arauſia. Auguſt. RitualeRom.

116. Probatur ſecundò ſpecialiter de Matrimonio; quia cùm ſit contractus humanus obligationem mutuam inducens, id abſque voluntate ſe obligandi fieri non poteſt. Item Sacramentum Pœnitentiæ, cùm ſit iudicium includens accuſationem, qua reus ſe coram legitimo iudice accuſat, & vult ſententiam accipere, non poteſt conſiſtere, abſque pœnitentis voluntate. Baptiſmus deinde, Confirmatio, & Ordo, quæ tria Sacramenta imprimunt characterem indelebilem, ſi abſque omni voluntate recipientis conferrentur, obligarent illum inuitum ad ſtatum, vel legem, quam amplecti nollet, maneretque contra ſuam voluntatem ſubditus Eccleſiæ, qui id non vellet: qua ratione vtitur Innoc. III. in cap. *Maiores,* de Baptiſmo; ad probandum, Baptiſmum contra voluntatem recipientis collatum, non eſſe validum. Denique Extrema-Vnctio, cùm afferat etiam ſanctitatem internam, quam Deus inuitis non confert, congruenter requirit ex parte accipientis voluntatem, qua acceptet illud ius, & velit conſecrari ac ſanctificari peculiari illo ritu.

Probatur ſpecialiter de Matrimonio. De pœnitentia item probatur. Item de aliis Sacramentis. Innoc. III.

Qualis

Qualis autem debeat eſſe illa voluntas, ſtatim explicabitur.

117. *Arguit Vaſquez contra Caietanum.* Arguit deinde P. Vaſquez n. 4. contra Caietanum, quia ſupponit falſum non poſſe de facto accidere, adultum baptizari nec conſentientem nec diſſentientem, ſed neutram voluntatem habentem: hoc, inquam, probat Vaſquez eſſe poſſibile, tum quia poſſet adultus baptizari, dum dormit, aut dum amens factus eſt, cùm tamen ante ſomnum, vel amentiam nihil cogitaſſet, aut voluiſſet circa Baptiſmum; tum quia etiam dum aduertit, ſe baptizari, poſſet eam actionem externam permittere; interius tamen nec conſentire, nec diſſentire Baptiſmo, vt Sacramentum eſt. Cæterum Caietanus non dixit (vt ſupponit Vaſquez) illum caſum accidere non poſſe, ſed vel non poſſe, vel ſaltem rariſſimum eſſe; quod quidem negari non poteſt; nunquam enim baptizatur adultus, dum dormit, aut non explorato priùs eius conſenſu: ſi autem in amentiam incidit, rariſſimum eſſe poteſt, quod priùs non habuerit vel voluntatem Baptiſmi, vel aliam contrariam; eſt ergo rariſſimus caſus ille voluntatis in ſtatu neutro, prout dixit Caietanus.

118. *Obiicitur primùm Innocentius.* Nunc tamen reſpondeamus ad argumenta, quæ pro eius ſententia fieri ſolent. Primò obiicitur Innocentius III. in dicto cap. *Maiores*, de Baptiſmo; qui ſolùm videtur petere ad valorem Baptiſmi, quòd adultus non habeat voluntatem repugnantem. Sic enim poſt longam diſputationem concludit: *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contraria voluntatis non inuenerit*; ergo ſi neutram habeat voluntatem, Baptiſmus erit validus.

119. *Reſpondetur.* Reſpondetur, imò ibi Pontifex ſemper exigit conſenſum poſitiuum ad valorem Baptiſmi; nam in verbis proximè præcedentibus, poſtquam dixit, dormientes, & amentes, ſi prinſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent, ſi baptizentur, characterem non ſuſcipere Sacramenti; addit de aliis: *Secus autem ſi priùs Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum Baptizandi. Vnde tales* (qui ſcilicet priùs habebant tale propoſitum) *in neceſſitatis articulo conſueuit Eccleſia baptizare*; & ſtatim concludit, verbis ſuprà poſitis: *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio*, &c. Cur autem non meminerit tertij ſtatus eorum, qui priùs neutram voluntatem habuerunt? P. Suarez dicit, ideo id feciſſe, quia moraliter loquendo, adultus qui non conſentit, reſiſtere cenſetur, & inuitus pati. Quam quidem regulam applicatam ad præſentem materiam, veram exiſtimo: agimus enim de Baptiſmo, in quo qui baptizatur, ſubit obligationem legis Eccleſiaſticæ, & fit ſubditus Eccleſiæ, atque ad multa ſe obligat, ad quæ antea non tenebatur. Ad eiuſmodi autem obligationes ille qui adultus eſt, & dominus ſuæ voluntatis, atque adeò poſſidet ſuam libertatem, ſemper cenſetur inuitus, dum poſitiuè non ſe obligat, & conſentit, quia ſemper cenſetur eſſe in voluntate habituali retinendi ſuam libertatem, ſicut habet ſimilem voluntatem retinendi res alias ſuas. Meritò ergo Innocentius dixit, tunc imprimi characterem Baptiſmi, quando obex contrariæ voluntatis non inuenitur, quia nimirum *contrariæ voluntatis* appellatione intelligitur voluntas actualis, vel etiam habitualis, qualem habent omnes, qui ſuæ libertati non volunt poſitiuè renuntiare.

120. *Obiectio ſecunda.* Secundò obiicitur, quia in paruulis inuenitur Baptiſmus validus abſque eorum conſenſu; ergo & in adulto eſſe poſſet; nam Sacramentum ſemper debet conſtare eiſdem partibus. *Reſponſio.* Reſpondetur ex dictis negando conſequentiam. Ad probationem dicimus, hoc Sacramentum ſemper habere eaſdem partes, formaliter loquendo, ſcilicet materiam, formam, intentionem miniſtri, & conſenſum baptizati, ſi eſt, vel fuit capax illum præſtandi. Cur autem magis requiratur hic conſenſus in adulto, quàm in paruulo, diximus iam in ſuperioribus.

121. *Tertiò obiicitur decretum Eugenij. Eugen. IV.* Tertiò obiicitur decretum Eugenij IV in Concilio Florentino, dicentis, Sacramenta tribus perfici, materiâ, formâ, & miniſtro habente debitam intentionem; in quibus non numerauit intentionem ſuſcipientis. *Reſponſio.* Reſpondetur, illam ſubintelligi ex parte materiæ: v.g. in Baptiſmo materia proxima eſt ablutio, non quæcumque, ſed hominis viui; alioquin non eſt materia debita. Sic etiam eſt ablutio hominis volentis, ſi habet propriam voluntatem; alioquin non erit debita materia. Noluit autem Pontifex fortaſſe explicare nominatim illam intentionem, cùm non ſit vniuerſaliter requiſita in omni Sacramento; tum quia in Euchariſtia non requiritur talis intentio ad valorem Sacramenti; tum quia in paruulis non requiritur, vt diximus.

122. *Obiectio quarta.* Quartò obiicitur vſus fidelium; ſolet enim dari Extrema-Vnctio iis qui rationis vſum ſubito morbi impetu perdiderunt; nec antea illud Sacramentum petierant. *Reſponſio.* Reſpondetur, præceſſiſſe quidem voluntatem; qui enim Chriſtianus eſt, & vult in Eccleſia Catholica viuere, & mori, vult etiam eius Sacramentis debito tempore iuuari; quam voluntatem Eccleſia præſumit de omnibus, qui ſigna pœnitentiæ ſuo tempore exhibuerunt.

123. *Inſtantia.* Sed contrà obiici poteſt quintò: ergo ex illa ſimili voluntate generali poterit homini in tali articulo conſtituto exhiberi abſolutio Sacramentalis, licèt nulla ſigna doloris exhibeat, aut eiuſmodi abſolutionem proximè petierit. *Probatur.* Probatur ſequela: quia ad abſolutionem in tali articulo impendendam, non exigitur, quòd explicitè confiteatur: ſufficit quòd oſtenderit voluntatem confitendi, vt ſuppono, ex ſententia communi approbata in nouiſſimo Rituali Rom. Pauli V. Hanc autem voluntatem cenſetur habere omnis Catholicus non minùs, imò magis, quàm Extremæ-Vnctionis: ergo ſicut propter illam voluntatem præcedentem poteſt dari validè Extrema-Vnctio, ſic etiam poterit abſolutio Sacramentalis.

124. *Reſpondetur.* Reſpondeo negando ſequelam. Requiritur enim ad Sacramentum Pœnitentiæ voluntas magis propinqua, & ſpecialis, quàm ad Extremam-Vnctionem. *Ratio differentiæ.* Ratio autem differentiæ eſt, quòd Sacramentum Pœnitentiæ, vt diximus, continet iudicium, in quo Sacerdos profert ſententiam vt iudex, ad quod requiritur, quòd accuſator, vel reus detulerit cauſam ad iudicium: non poteſt enim iudex inchoare ex ſe iudicium, ſed ad inſtantiam partis. Quando ergo pœnitens poteſt, debet ſe explicitè accuſare: quòd ſi hoc non poſſit, debet ſaltem implorare officium iudicis, oſtendendo voluntatem confitendi: per hoc enim iam inchoat iudicium eo modo, quo poteſt, in quo eſt differentia à Sacramento Extremæ-Vnctionis, & aliis ſimilibus, ad quorum valorem ſufficeret voluntas interna, etiam ſi exteriùs non oſtenderetur: at verò ad Sacramentum Pœnitentiæ non ſufficit talis voluntas interna, ſed requiritur petitio, ſeu manifeſtatio exterior, quia hoc Sacramentum eſt iudicium externum, in quo ſicut ſententia debet exteriùs proferri, ſic pœnitens debet exteriùs recurrere ad iudicium; & hoc quidem poſt commiſſa peccata, à quibus abſoluendus eſt. Non ergo ſufficit illa voluntas generalis, quam quiſque habet, quando baptizatur, ſuſcipiendi omnia Sacramenta ſuo tempore, tum quia illa voluntas non fuit poſt peccata commiſſa; tum etiam, quia illa eſt voluntas interna,

quam argutiuè colligimus ex aliis operibus hominis Christiani: non tamen eſt actio externa iuridica, qua recurrat ad officium iudicis implorandum, & qua redditur ſenſibilis dolor internus de peccatis, qui cum ſit pars Sacramenti, debet fieri ſenſibilis per aliquam actionem externam ſenſibilem manifeſtatiuam illius doloris, qualis actio non eſt ſolùm eſſe Chriſtianam, vt conſtat.

125. *Obiectio ſexta.* Sextò obiici poteſt: Si ad valorem Extremæ-Vnctionis, & aliorum ſimilium Sacramentorum ſufficiat voluntas illa generalis, qua ex vi profeſſionis Chriſtianæ cenſetur aliquis velle recipere Sacramenta: ergo eadem ſufficiet ad Euchariſtiam ſuſcipiendam cum fructu: atque adeò ſi aliquis caſu comedat hoſtiam conſecratam, neſciens, eſſe conſecratam, ſed putans eſſe panem communem, recipiet tamen fructum Sacramenti propter voluntatem illam generalem antecedentem.

126. *Reſpondetur.* Reſpondeo; ſufficere quidem illam voluntatem generalem ſicut ad Extremam-Vnctionem, ſic etiam ad Euchariſtiam in mortis articulo cum fructu ſuſcipiendam; & ita de facto datur iis, qui vi morbi ſubitò correpti, rationis vſum amiſerunt, quando id abſque irreuerentiæ periculo fieri poteſt, atque etiam amentibus in eodem articulo, quando antea rationis vſum aliquando habuerunt, & non conſtat eos eſſe in ſtatu peccati. Negamus tamen, quando caſu aliquis comedat hoſtiam conſecratam pro pane communi, accipere cum effectum Sacramenti. *Rationem aſſert Vaſquez.* Rationem aſſignat P. Vaſquez *tom. 3. in 3. part. diſp. 181. c. 5. n. 7.* quod homo in prædicto caſu habet voluntatem poſitiuam contrariam non ſuſcipiendi Sacramentum, quando comedit illam hoſtiam; nam eo ipſo, quòd exiſtimat eſſe panem communem, & vult illum ſumere vt communem panem, habet voluntatem contrariam manducationi Sacramentali. *Sed non videtur ſufficiens.* Hæc tamen ratio non videtur ſufficiens, quia poſſet homini dormienti in os immitti hoſtia conſecrata, vel calix conſecratus, ipſo nullam prorſus voluntatem habente, nec ſentiente, imò & ignorante ipſo, qui daret, illam eſſe materiam conſecratam; in quo caſu adhuc non haberet effectum Sacramentum; ergo non oritur ex voluntate contraria, ſed ex defectu intentionis ſumendi Sacramentum.

127. *Ratio ex dictis colligitur.* Ratio ergo ex dictis videtur eſſe, quòd homo Chriſtianus ex vi illius voluntatis generalis vult quidem ſumere Sacramenta more Chriſtiano, quando ſcilicet debito tempore Chriſtianis dari ſolent, atque ideo habuit iam voluntatem accipiendi Extremam-Vnctionem, & Euchariſtiam in mortis periculo, vel etiam Euchariſtiam aliis temporibus, quando Chriſtiano more ei daretur; ille autem alius nunquam habuit voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum, quando comederet more communi cibos profanos; atque ideo illa ſuſceptio Euchariſtiæ, vt talis, non eſt ei vllo modo voluntaria aut volita, ideo non cauſat effectum Sacramentalem in ipſo. Sicut etiam propter eandem rationem eſſet inualidus Ordo, qui homini dormienti daretur, vel ei, qui poſt vſum rationis in amentiam incidit; quia nimirum voluntas generalis, quam priùs habuit ſuſcipiendi omnia Sacramenta, ſed ea ſolùm quæ Chriſtianis communiter dari ſolent tanquam remedia communia, prout dari ſolent Euchariſtia & Extrema-Vnctio, non verò Sacramentum Ordinis; ideo non habent vllam voluntatem circa illud Sacramentum. Sic etiam non habet voluntatem circa Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiendum, quando caſu accipit illud pro cibo aut potu communi; & ideo etiam caret effectu in eo caſu.

Septimò obiici poteſt: ſi ſufficit illa voluntas generalis ad valorem Extremæ-Vnctionis, ſufficiet etiam ad valorem Baptiſmi; atque ideo qui nihil cogitauit de Baptiſmo in particulari, habuit tamen animum procurandi ſalutem, & bene operandi; poterit poſtea, ſi ſenſibus, aut rationis vſu deſtituatur, baptizari, etiamſi nihil vnquam de Chriſtiana fide audiuiſſet. 128. *Obiectio ſeptima.*

P. Coninch. *in præſenti q. 64. art. 8. dub. 5. n. 103.* dicit, eum, qui habet attritionem de peccatis, quatenus iis meremur pœnas inferni, aut excludimur à gaudiis cœleſtibus, cenſeri petere implicitè baptiſmum, etſi de eo nihil vnquam audierit; quia ille dolor includit virtuale propoſitum ſeruandi omnia præcepta ad talem finem neceſſaria, quorum vnum eſt præceptum ſuſcipiendi Baptiſmum. Hæc doctrina adeò generalis, & lata mihi difficilis eſt; quia ex ea ſequitur primò, Iudæos omnes, qui legem Moyſi ſeruabant, antequam illis Euangelium prædicaretur, potuiſſe dormientes validè baptizari, qui habuerant propoſitum ſeruandi omnia præcepta Diuina, quorum vnum erat iam de ſuſcipiendo Baptiſmo. Secundò, eos fideles, qui habent ignorantiam inuincibilem veræ fidei, poſſe etiam dormientes, vel certè ſi in phreneſim inciderint, baptizari; habuerant enim fortaſſe deſiderium procurandæ ſalutis ſuæ, & faciendi quod ad ipſam neceſſa eſſet: quæ tamen abſurda eſſe conſtat. Requiritur ergo ad Baptiſmum voluntas aliqua magis ſpecialis. 129. *Reſponſio Coninch.* *Hæc doctrina ita generalis difficilis eſt.* *Requiritur ad Baptiſmū voluntas aliqua magis ſpecialis.*

Rationem huius neceſſitatis indicat Suarez *d. diſp. 14. ſect. 5. poſt medium*, ſcilicet quia *Baptiſmus eſt ianua ad Eccleſiam, & in eo fit prima ſolemnis profeſſio fidei, & legis Chriſti.* Quam rationem poſſumus ampliùs explicare, & ſimul oſtendere differentiam à voluntate illa generali, quam aliquis habet eo ipſo, quòd eſt Catholicus, & diximus ſufficere ad ſuſcipiendam poſtea validè Extremam-Vnctionem, & cum fructu Euchariſtiam. Nam ille volendo in religione Catholica viuere & mori, vult more Catholicorum gubernari, & eorum ritus recipere, inter quos eſt ritus dandi talia Sacramenta infirmis, atque adeo ſufficienter videtur velle ea Sacramenta ſuo tempore recipere. Qui autem Iudæus erat, profitebatur quidem Iudaïſmum, & iuxta illius regulas, & ritus viuere, ac gubernari volebat, quia illam religionem iam examinauerat, & securè ſe illius legibus committebat: nihil autem cogitauerat de lege Euangelica, & ideo non proponebat, aut volebat vti eius ritibus & legibus; quamvis enim in communi propoſitum habebat ſeruandi omnia præcepta Dei, & per conſequens implicitum ſuſcipiendi Baptiſmum Chriſti, ſi eſſet præceptum illius: hoc tamen debebat intelligi, præuio debito examine de veritate Euangelij, ſine quo examine non poterat obligari ad illud recipiendum; quare non poterat ex vi illius voluntatis Iudæus dormiens baptizari, cùm neque etiam implicitè voluiſſet recipere Baptiſmum, niſi præuio priùs examine de illius veritate, & neceſſitate. Sic etiam Gentilis, qui diceret: Ego volo audire Catechiſmum; & poſtea, ſi conuictus fuero, & placuerit mihi fides Chriſtiana, baptizabor: hic (inquam) non cenſeretur Catechumenus, nec baptizaretur ex vi ſolius huius voluntatis, quia nondum habuit voluntatem abſolutam: at verò Chriſtianus, qui iam examinauit legem Euangelicam, abſolutè vult vti, & gubernari legibus, & ritibus Chriſtianis, quia iam ſcit omnia eſſe ſancta, & vtilia ſibi, & ideo ex vi illius voluntatis poteſt vngi, & poteſt ei dari Euchariſtia. Non ergo ſufficit ſola illa voluntas generalis contenta in actu attritionis ad valorem Baptiſmi ei qui nihil vnquam 130. *Ratio neceſſitatis.* *Magis explicatur.*

de

de lege Chriſtiana, aut Baptiſmo audiuit; vt volebat P. Coninch. Valeret tamen Baptiſmus, ſi aliquis religionem Chriſtianam corde amplexus eſſet, licèt nihil de Baptiſmo, aut eius neceſſitate audiſſet: hic enim licèt morbo oppreſſus, ſenſibus deſtitueretur, baptizaretur validè, quia voluit abſolutè hanc religionem amplecti, eiúſque ritibus, quicumque illi eſſent, gubernari.

131. *Infertur primò ex dictis, ſufficere voluntatem coactam in omnibus Sacramentis, excepto Matrimonio.* Concil. Tolet. IV.

Ex dictis infero primò, in Sacramentis (vno excepto Matrimonio,) ſufficere ad eorum valorem voluntatem etiam coactam: nam voluntas coacta voluntas eſt, vt de Baptiſmo definitum fuit in Concil. Toletano IV. *cap.* 56. quam Concilij ſententiam approbauit poſtea Innoc. III. in d. cap. *Maiores.* Hoc autem intelligi debet, dummodo interiùs ſit verus conſenſus in Sacramentum, non verò ſi ſolus ſit conſenſus in actionem externam abſque alio conſenſu interno in ipſum Sacramentum.

132. *Infertur ſecundò differentia intentionis miniſtri & ſuſcipientis.*

Infero ſecundò, diſcrimen inter intentionem requiſitam in miniſtro, & in ſuſcipiente Sacramentum: in illo enim requiritur intentio virtualis, id eſt, quæ ſit cauſa operationis Sacramentalis; in ſuſcipiente autem ſufficit intentio habitualis, id eſt, voluntas præterita Sacramenti ſuſcipiendi non reuocata, etiamſi non ſit cauſa ponendi Sacramenti: quia in miniſtro requiritur intentio, quæ faciat illum operari nomine Chriſti, ad quod oportet operari ea tali intentione; quæ ratio non procedit in ſuſcipiente, vt explicat Vaſquez *vbi ſupra, cap.* 2. Qui tamen hanc doctrinam extendit ad Sacramentum Pœnitentiæ, de quo *n.* 16. docet non requiri, quòd voluntas pœnitentis vllo modo concurrat ad abſolutionem ponendam. Quod in rigore loquendo non videtur verum: quia voluntas præterita pœnitentia manifeſtata Confeſſario mouet illum hîc & nunc ad dandam illi abſolutionem: in quo eſt diſcrimen Sacramenti Pœnitentiæ à Baptiſmo, Confirmatione, & aliis, præter Matrimonium: nam in his non requiritur voluntas ſuſcipientis, quæ ſit cauſa Sacramenti; quia licèt miniſter ignoraret voluntatem internam illius, ſi tamen vellet conferre Sacramentum, quantum poſſet, & reuera illa, cui confertur, habuit voluntatem ſuſcipiendi illud, Sacramentum erit validum: in Pœnitentia verò requiritur, quòd miniſter ſciat voluntatem pœnitentis, & ex illa moueatur ad dandam abſolutionem: alioqnin non procedet vt iudex ad inſtantiam partis implorantis eius officium: in aliis ergo Sacramentis ſatis eſt, quòd Sacramentum ſit volitum à ſuſcipiente; in Pœnitentia verò requiritur, quòd abſolutio ſit volita, & voluntaria, hoc eſt, quòd aliquo modo procedat à voluntate ipſius pœnitentis ſaltem mediatè, quatenus oſtendendo deſiderium abſolutionis mouet Sacerdotem ad ponendam illam: vnde non manet tunc voluntas pœnitentia merè habitualiter, ſed aliquo modo virtualiter, in quantum cognita à Sacerdote mouet ad abſoluendum.

133. *Quo modo Matrimonium differat in hoc ab aliis Sacramentis.* Sanchez.

Reſtat dicere de Sacramento Matrimonij, de quo in primis certum eſt, differre ab aliis Sacramentis in hoc, quòd voluntas coacta per metum cadentem in conſtantem virum, & iniuſtè illatum ad eum finem, non ſufficit ad valorem Matrimonij, vt cum communi latè docet Thomas Sanchez *lib.* 4. *de Matrimonio, diſput.* 12. ſiue id proueniat ex natura ipſius contractus, ſiue ex lege Eccleſiæ iuſtis de cauſis irritante illum: vt cum communi ſententia reſoluit idem Sanchez *diſput.* 14. quia propter indiſſolubilitatem Matrimonij validi non poterat alia ratione ſubueniri contra violentiam eorum, qui iniuſtè Matrimonia extorquent, & conſuli libertati contrahentium, niſi irritando omnino conſenſum à principio.

134. *Pro Matrimonio requiritur in coniugibus voluntas virtualis cum vterque ſit miniſter.*

An verò, quando recipitur illud Sacramentum, ſufficiat voluntas habitualis in recipiente? Certum etiam eſt, in vtroque coniuge requiri voluntatem, ſeu intentionem virtualem, nec ſufficere habitualem; cùm enim vterque ſit miniſter Sacramenti, in ſingulis requiritur intentio, qualis in miniſtris aliorum Sacramentorum, in quibus, vt ſuprà vidimus, non ſufficit habitualis, ſed requiritur virtualis, quæ ſit cauſa exprimendi conſenſum. Quia verò coniuges non ſolùm ſunt miniſtri, ſed recipiunt etiam Sacramentum, dubitari poteſt, an prout recipiunt, ſufficiat illis voluntas habitualis præterita. Videtur enim requiri ſemper virtualis, imò actualis. Nam iuxta doctrinam, quam tradit Thomas Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. diſput.* 7. *num.* 11. contractus non perficitur, donec mutua obligatio vtrique nota ſit: tunc ergo perficitur Sacramentum, & per conſequens tunc recipitur, quando coniux audit conſenſum alterius, & illum acceptat; ad hanc autem acceptationem requiritur intentio actualis acceptandi; ergo non ſolùm quando miniſtrat, ſed etiam quando recipit Sacramentum, debet coniux habere voluntatem actualem. Sanchez.

135. *Quid obſtet huic doctrinæ.*

Huic tamen doctrinæ obſtat id, quod cum quibuſdam aliis docet idem Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 12. *n.* 3. poſſe ſcilicet perfici hoc Sacramentum per Epiſtolam hoc modo: Si Epiſtolam mittens ſcribat, ſe non ſolùm facere ſui corporis traditionem, ſed ex tunc traditionem per alterum ſibi faciendam acceptare: tunc enim ſi, hac Epiſtolâ lectâ coram Parocho, & teſtibus, alter conſentiat, iam vtriuſque traditio, & acceptatio fit coram eodem Parocho, & teſtibus, & perficietur Sacramentum. Porrò, ſi hoc verum eſt, conſequens videtur non requiri in ſuſcipiente Sacramentum voluntatem actualem, nec virtualem, ſed habitualem, quando ſuſcipit Sacramentum: nam tunc temporis, qui miſit Epiſtolam, nihil de Matrimonio cogitat, & fortaſſe dormit, & tamen tunc recipit Sacramentum.

136. *Exiſtimamus hunc caſum eſſe falſum.*

Ego in primis exiſtimo, hunc caſum à P. Thoma Sanchez conceſſum, nec verum eſſe, nec ſtare poſſe cum eius doctrina ſuprà poſita. Si enim contractus non perficitur, donec vtrique nota ſit mutua alterius obligatio, non poteſt perfici Matrimonium, quando lectâ Epiſtolâ, ille alius conſentit coram Parocho, donec ille conſenſus notus ſit alteri contrahenti. Quod rurſus à poſteriori conſtat; quia ſi ego per Epiſtolam, aut nuntium alicui promittam, aut me obligem, poſſum reuocare conſenſum, & Epiſtolam, aut nuntium, antequam ad notitiam venerit illius, cui me obligare volebam; non poteſt enim ſubſiſtere obligatio, antequam ille alius ſciat me obligari, vt fatetur idem Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. diſp.* 3. *num.* 5. & *diſp.* 6. *num.* 3. Ideo enim non poteſt obligari homo irreuocabiliter alteri homini per actum voluntatis merè internum. Cùm ergo obligatio illius, qui Epiſtolam accepit, nondum ſit nota illi, qui Epiſtolam miſit, poterit reuocari ab ipſo, qui Epiſtolam accepit, & per conſequens Matrimonij contractus nondum eſt perfectus; hic enim non eſt diſſolubilis voluntate contrahentium, vt conſtat.

137. *Deinde licèt verus nō eſſet caſus, ſunt tamen alij in quibus doctrina noſtra valet.*

Cæterùm, licèt ille caſus verus non ſit, ſunt tamen alij, in quibus conſtat perfici Sacramentum Matrimonij, quando coniux vel dormit, vel nihil cogitat de Matrimonio, v. g. quando fit per procuratorem; tunc enim contractus perficitur, & Sacramentum recipitur à coniuge abſente, quando eius procurator alibi præſtat conſenſum; ergo tunc coniux

iux

ius abſque aliqua voluntate actuali recipit illud Sacramentum. *Inſtantia.* Dices, non ſtare hoc cum doctrina proximè tradita, quòd ſcilicet contractus non perficitur, donec mutua obligatio vtrique nota fit: nam coniugi abſenti non innoteſcit tunc obligatio alterius coniugis, donec id per nuntium, aut Epiſtolam accipiat. *Solvitur.* Reſpondeo, licèt non innoteſcat ipſi coniugi abſenti, innoteſcit tamen eius procuratori, qui eius nomine acceptat illam obligationem, & reddit irreuocabilem: tam enim perficitur contractus, manifeſtatâ obligatione procuratori, quàm coniugi, qui eadem perſona cenſetur cum procuratore à ſe conſtituto.

138. *Idem dicitur quando etiam coniuges ſunt præſentes.* Vnde addo, non ſolùm hoc contingere, quando Matrimonium fit in abſentia per procuratorem, ſed etiam, loquendo in rigore Metaphyſico, idem poſſe contingere, quando fit inter præſentes; ſi enim contractus perficitur, quando obligatio mutua vtrique nota eſt, conſequens eſt, vt tunc perficiatur, quando obligatio eius, qui vltimus conſenſum exprimit, nota fit alteri: non eſt autem idem inſtans, aut idem tempus Metaphyſicè, quo vltimus exprimit ſuum conſenſum, & quo alter eum percipit, quia voces perueniunt ad auditum per tempus ſucceſſiuum; quare fieri poteſt, vt, quando hic audit, & percipit, ille alios iam non cogitet de conſenſu præſtando, nec habeat voluntatem actualem de faciendo, aut recipiendo Sacramento, & tamen tunc recipit illud, quando, altero audiente, perficitur contractus.

Denique aduerto, ſicut diximus de Sacramento Pœnitentiæ, ſic in Matrimonio, voluntatem illam, quæ requiritur in recipiente hoc Sacramentum, non debere eſſe merè habitualem, ſed aliquo modo virtualem, quatenus aliquo modo debet eſſe cauſa operis. Nam licèt coniux ſit abſens & dormiat, quando perficitur Sacramentum, habet tamen voluntatem præteritam non reuocatam, quæ voluntas fuit cauſa, quod hic alius conſentiret, & obligaret ſe, atque adeò, quod eius obligatio veniret ad notitiam procuratoris abſentis; vel fuit cauſa, quòd procurator conſentiret, & eius conſenſus innoteſceret alteri coniugi præſenti; vel denique, quando Matrimonium fit inter præſentes, voluntas præterita, qua vltimus coniux conſenſit, fuit cauſa, quòd poſt breuiſſimam illam morulam eius conſenſus, & voces percipiantur ab altero coniuge, & ita perficiatur Matrimonium; quare ſemper voluntas illa præterita non eſt merè habitualis, ſed aliquo modo virtualis, & cauſa operis præſentis. 139. *Aduertendū.*

De numero, & ordine Sacramentorum nouæ Legis, de quo agit S. Thomas quæſt. 65. nihil occurrit addendum; de ſingulis enim in particulari probare, quòd ſint Sacramenta, pertinet ad tractatum de quolibet eorum in particulari. De Sacramentalibus verò, an conferant ad remiſſionem peccatorum venialium ex opere operato, dicemus in tractatu de Pœnitentia. 140. S. Thom.

Finis Tractatus de Sacramentis in communi.

TRACTA

TRACTATVS DE VENERABILI EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

QVAMVIS regulariter Sacramentum Pœnitentiæ priùs à fidelibus accipiatur, quàm Euchariſtia, id tamen per accidens eſt, propter peccata ab ipſis commiſſa. Vnde quando adulti olim baptizabantur, priùs ad Euchariſtiam accedebant, quàm ad Pœnitentiam. Meritò ergo S. Thomas priùs de ipſo tractat *à quæſt.* 74. *vſque ad* 83. cuius ordinem in noſtris Diſputationibus ferè obſeruabimus.

Prius olim adulti poſt Baptiſmũ accedebant ad Euchariſtiã, quàm ad Pœnitentiam.

Habet autem hæc materia quatuor partes. Prima merè eſt ſcholaſtica. Secunda pertinet ad Controuerſias cum Hæreticis. Tertia, ad quæſtiones Scripturæ ſacræ. Quarta denique ad Theologum Moralem, & quæſtiones circa Caſus conſcientiæ. Ex his primam pro munere noſtro ex profeſſo pertractabimus, ſecundam, & tertiam omnino, illam ad Controuerſiſtas, hanc ad Scripturæ interpretes remittemus. Vnde controuerſiam de præſentia reali Chriſti in Euchariſtia, & alias ſimiles, quæſtionem item de die, quo Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, & ſimiles, ſupponemus ex iis, qui hoc ſæculo latiſſimè, & doctiſſimè de iis diſputarunt. Vltimam denique licèt noſtri muneris minùs propriam, non omnino relinquemus, quia ad Theologum Scholaſticum ſpectat, principia illa radicitus examinare, & corroborare, ex quibus Theologi morales ſuam doctrinam deducunt, & quæ pro breuiori illius diſciplinæ methodo non vacat illis ſubtiliori examine comprobare.

Quatuor partes huius materiæ.

DISPVTATIO I.

An, & quid ſit Euchariſtiæ Sacramentum.

SECTIO I. *Vtrùm Euchariſtia ſit Sacramentum ab aliis diuerſum.*

SECTIO II. *An hoc Sacramentum componatur intrinſecè ex ſpeciebus, & corpore, & ſanguine Chriſti.*

SECTIO III. *Vtrùm Euchariſtia importet in recto corpus, & ſanguinem Chriſti, an verò ſpecies Sacramentales.*

SECTIO IV. *An verba conſecrationis componant intrinſecè Sacramentum Euchariſtiæ.*

SECTIO V. *Afferuntur alia argumenta, & ſolutiones recentiorum contra doctrinam præcedentem.*

SECTIO VI. *Vtrùm actio tranſſubſtantiatiua pertineat intrinſecè ad hoc Sacramentum?*

SECTIO VII. *Vtrùm vſus, ſeu ſumptio Euchariſtiæ pertineat intrinſecè ad hoc Sacramentum?*

PRÆMITTO has duas quæſtiones ad illam, quæ in præſenti ſolet diſputari, vtrùm ſit vnicum, vel multiplex Euchariſtiæ Sacramentum; ægrè enim, & difficilè ſcies, quomodo multiplicetur eius eſſentia, niſi præcognitâ eſſentiæ quidditate.

SECTIO I.

Vtràm Euchariſtia ſit Sacramentum ab aliis diuerſum.

1. DVo continentur ſub hoc titulo; vtrumque facile, vtrumque certum: eſſe ſcilicet Sacramentum nouæ Legis; & eſſe diuerſum ab aliis omnibus. Primum conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 13. per totam, & *ſeſſ.* 7. & alibi ſæpè: ex Florentino in Decreto de vnione Armenorum: & ex c. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica; & alibi ſæpè.

Duo continentur in hoc ſectione certa. Conc. Trid. Conc. Flor.

Eſt autem adeò certa hæc pars, vt ne ab Hæreticis quidem negetur. Nam Lutherus *lib. de Captiuit. Babylonica*, qui tantùm ponit vnicum Sacramentum à Chriſto inſtitutum, dicit, hoc eſſe Euchariſtiam.

Primũ adeo certum, vt ne quidẽ ab hæreticis negetur.

Caluinus

Caluinus in Inſtitutione, qui dicit eſſe duo tantùm Sacramenta, ait, vnum eſſe Euchariſtiam, Melanchthon, qui poſuit quatuor; Poſthelus, qui poſuit ſex, vnum aiunt eſſe Euchariſtiam, vt tradit Lindanus 4. *Panoplia c.*6. & Caſtro, verbo *Euchariſtia*, & denique Mahometus *c.*4. *Alcorani*, fatetur hoc Sacramentum, & ait, eſſe veneratione dignum: ſed reprehendit Chriſtianos, quòd in Euchariſtia eum deuorent, quem Deum eſſe dicunt. Videatur Prateolus *lib.* 11. *Elenchi hæreſum*, verb. *Mahometus*, prope finem, & Vaſquez *in præſenti diſp.*167.*c.*1. vbi latè probat, nullum adhuc hæreticum negaſſe in ſpeciali Euchariſtiæ Sacramentum: aliud enim eſt malè de illo ſentire negando realem Chriſti præſentiam, & alia huiuſmodi; aliud negare in vniuerſum, dari aliquod Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto inſtitutum.

Lyndan. Caſtro.

Ratione etiam probatur facilè hæc pars, ex definitione Sacramenti, ſcilicet, *Signum ſenſibile practicum gratiæ ſanctificantis*: quæ tota conuenit Euchariſtiæ, vt de ſe patet, & infra ampliùs declarabitur, & conſtat ex Chriſti inſtitutione *Matth.*26. *Marc.*14. *& Luc.* 22. vt inferiùs videbitur: neque enim modò opus eſt ampliùs in hoc immorari.

Ratione probatur, quia eſt ſignum ſenſibile, &c.

2\. Secunda verò pars, ſcilicet eſſe Sacramentum ab aliis diuerſum, conſtat ex Conciliis Florentino, Tridentino, & aliis, Euchariſtiam ſemper ſigillatim, vt Sacramentum diuerſum numerantibus. Ratio eſt aperta, quia eſſentia, & partes Euchariſtiæ differunt omnino ab eſſentia, & partibus aliorum Sacramentorum, ſcilicet penes materiam, & formam. Ratio item congruentiæ communiter ad hoc ipſum adducitur à S. Thoma & aliis, ex diuerſitate finis. Nam Euchariſtia inſtituta eſt ad conſeruandam, & augendam vitam ſpiritualem animæ, non ſecus ac cibus materialis conſeruat vitam naturalem; hic autem finis non competit ex propria inſtitutione alteri Sacramento; vt diſcurrenti per ſingula facilè conſtabit.

Secunda pars coſtat ex Florentino, Tridentino, &c.

Ratio congruentiæ petita à fine diuerſo.

3\. Contra hanc partem eſt vulgaris obiectio deſumpta ex Sacramento Confirmationis: quod quidem inſtitutū etiam eſt ad augendam vitam ſpiritualem: in eo enim differt à Baptiſmo, quòd Baptiſmus ſit ad generandam vitam; Confirmatio verò ad augendam, deducendumque hominem ad ſtatum virilem: ergo non differt Confirmatio ab Euchariſtia. Probatur conſequentia, quia in ordine naturali idem cibus, qui deſeruit ad nutriendum, & conſeruandum hominem, deſeruit etiam ad augendum illum: ergo cibus ſpiritualis, qui inſtitutus eſt ad nutriendum hominem ſpiritualiter, inſtitutus etiam eſt ad augendum illum ſpiritualiter: ergo Euchariſtia habet eundem finem, quem habet Confirmatio.

Vulgaris obiectio ex Sacramento Cōfirmationis petita.

4\. Mirum eſt, quot ſolutiones huic difficultati reddantur, & quot principia Philoſophica euoluantur. Ego eas omnes libenter prætermitto; quia hæc congruentia deſumpta ex nutritione, & augmentatione, non eſt adeò ad amuſſim accipienda, vt debeat exēplum in omnibus tenere. Habent enim hæc duo Sacramenta alia plura capita, ex quibus magis diſtinguantur, ex materia, ex forma, &c. Breuiter ergo reſpondeo, puerum genitum naturaliter indigere quidem alimento, tum ad vitam conſeruandam, & augendam, tum etiam ad vires adquirendas. Sic etiam baptizatus indiget vitæ ſpiritualis augmento; indiget etiam viribus ad pugnandum. Euchariſtia quidem data eſt ad nutriendum, & augendam vitam animæ; Confirmatio autem ad vires, roburque præſtandum, non quidem per modum alimenti, ſed per modum medicinæ confortantis, vt viriliter pugnet prælia Chriſti, non ſolùm contra viſibiles, ſed etiam contra inuiſibiles hoſtes. Ideo enim Euchariſtia datur ſub ſpecie cibi corporei, vt inſinuetur eoſdem effectus cauſare in anima, quos cibus naturalis in corpore: at verò Confirmatio datur ſub Chriſmate, vt inſinuetur, non quidem alere ex propria inſtitutione, ſed vngere, & confortare hominem ad luctam, inſtar veterum luctatorum, qui oleo parabantur ad luctam. Euchariſtia ergo dat vires nutriendo: Confirmatio verò dat etiam vires, non tamen nutriendo ex propria inſtitutione, ſed confortando, & roborando per modum vnctionis, & medicinæ.

Multæ & variæ ſolutiones prætermittuntur.

Solutio noſtra petitur ex eo quod Euchariſtia data ſit vt alimentum ad vitam conſeruandam; Confirmatio verò ad vires adquirendas in ordine ad pugnam.

5\. Dices; Confirmatio etiam habet ex ſua inſtitutione augere vitam ſpiritualem conferendo augmētum gratiæ iuſtificantis; ergo ex ſua inſtitutione habet dare vires nutriendo, ſicut Euchariſtia. Reſpondeo, hoc, quod eſt conferre gratiam, non eſſe effectum proprium Confirmationis, ſed communem omnibus Sacramentis: effectus autem proprius illius, eſt dare gratiam cum ordine ad auxilia quædam vberiora, quibus vt miles Chriſti confirmatus poſſit fortiter præliari contra hoſtes: ex quo oritur differentia valdè obſeruanda inter Euchariſtiam, & Confirmationem: nam licèt vtraque conferat gratiam cum ordine ad auxilia ad bene operandum, & reſiſtendum tentationibus; cum hoc tamen diſcrimine, quòd Euchariſtia poſtulat illa auxilia in ordine ad eum finem, vt homo bene operando creſcat in gratia, & ſanctitate interna, & augeatur eius vita ſpiritualis: & poſtulat eò, quòd per nutritionem ſpiritualem auxit ſubſtantiam hominis & ideo reddidit robuſtiorem ad omnes operationes, ſiue neceſſe ſit pugnare, ſiue mereri ſine pugna: at verò Confirmatio poſtulat ea auxilia ad eum finem peculiariter, vt homo poſſit reſiſtere tentationibus, profiteri fidem, & fortiter præliari: non enim reddit hominem ex propria inſtitutione robuſtiorem ad operandum vt ſic, ſed ad reſiſtendum in prælio, & tentationibus: & hoc non per modum cibi, ſed vnctionis, quam imitatur: differunt ergo tam ex parte finis diuerſi, quàm ex parte modi, quo illum ſignificant; quod totum oritur ex eo, quòd Euchariſtia inſtituta eſt per modum cibi ſpiritualiter nutrientis: non verò Confirmatio.

Inſtantia.

Diluitur.

Ex diuerſitate finis petitur diſcrimen Sacramentorum, gratia enim eſt effectus communis.

6\. Dices; Euchariſtia non ſolùm nutrit, ſed reparat vires ſpirituales contra tentationes: hoc autem fit per auxilia, quibus pugnemus contra illas: ergo licèt non augeret gratiam, daret hæc auxilia. Reſpondetur, Euchariſtiam reparare vires per modum cibi: quare ſicut cibus reparat vires dando ſanguinem, ex quo nutriatur homo, & fiant ſpiritus, &c. ſic Euchariſtia reparat vires nutriendo, dando ſcilicet gratiam, ex vi cuius homo fiat robuſtior: at verò Confirmatio directè tendit ad dandas vires, ad reſiſtendum, & ad hunc finem dat gratiam, ſicut Sacramentum Pœnitentiæ directè tendit ad remiſſionem peccati, & ad hunc finem dat gratiam ſanctificantem.

Inſtantia.

Soluitur.

7\. Vnde apparet, licèt omnia Sacramenta re ipſa augeant gratiam, ſi inueniunt ſubiectum gratum: hunc tamen effectum augendi gratiam eſſe proprium Euchariſtiæ in ſenſu formali; hoc eſt, per ſe, & ex vi propriæ ſignificationis. Nam Baptiſmus, v.g. per ſe potiùs tendit ad generationem ſpiritualem, vt conſtat. Pœnitentia item ex ſe ſignificat reconciliationem, & remiſſionem peccati. Extrema-Vnctio tendit ad perfectam ſanitatem à reliquiis peccatorum. Ordo ad rectum ordinis vſum; ſicut Matrimonium ad dandas vires, quibus eius onera laudabiliter portentur. Confirmatio ad dandas vires & robur in ordine ad fidei confeſſionem. Quare non primariò, ſed ſecundariò reſpiciunt gratiam in ordine ad proprios ſingulorum fines. At verò Euchariſtia, quæ eſt cibus animæ, per ſe, & ex vi propriæ ſignificationis

Effectus augēdi gratiam licèt ſit communis omnibus Sacramētis, eſt tamen proprius Euchariſtiæ, & per ſe in ſenſu formali, & ex vi propria ſignificationis.

nis ordinatur ad augendam ſubſtantiam vitæ ſpiritualis: ſicut cibus materialis ordinatur ad augendam vitam, & ſubſtantiam corporis: reſpicit ergo immediatè, & per ſe ipſum augmentum gratiæ; quod nulli ex aliis Sacramentis ita conuenit.

8. *Inſtantia.* Dices, alia etiam Sacramenta per ſe habent cauſare gratiam, & quidem omnia præter Baptiſmum, & Pœnitentiam exigunt per ſe ſubiectum gratum; nam ſi ſtatus peccati non opponeretur eorum ſignificationi, non eſſet obex impediens eorum effectum: ergo illa etiam ex vi ſuæ ſignificationis, & per ſe ſignificant augmentum gratiæ. *Diluitur.* Reſpondetur, illa Sacramenta, licèt per ſe prærequirant vitam in anima, eò quòd ordinantur ad aliquos actus vitales, qui ſupponunt vitam, non tamen ordinari ad illud augmentum gratiæ præcisè vt augmentum eſt, ſiſtendo ibi, ſed quatenus eſt principium talium actuum. Euchariſtia verò, quia cibus eſt, habet ex propria ratione augere vitam, & ſubſtantiam ſub ratione augmenti, ita vt illud intenderet, etiamſi ad aliam operationem non ordinaretur. Fateor, de facto ordinari etiam Euchariſtiam ad operationes, quia cibus etiam ordinatur ad dandas vires in ordine ad operandum: ordinatur tamen ad ipſum augmentum ſub ratione augmenti; quia cibus etiam tendit ad nutriendam, & augendam ſubſtantiam aliti.

9. *Inſtabis iterum.* Dices iterum, non eſt proprium cibi augere ſubſtantiam; nam licèt in pueris id faciat, non tamen in viris, & ſenibus, ſed ſolùm reparat ea, quæ continuò deperduntur: non ergo ſignificat per ſe cibus Euchariſtiæ augmentum vitæ ſpiritualis. Reſpondetur, cibum per ſe habere, vt augeat ſubſtantiam, donec perueniat ad ſtatum perfectum: poſtea verò reparat vires. Cùm ergo anima noſtra in hac vita ſemper ſit in ſtatu augmenti, quippe quæ nondum peruenit ad ſtatum perfectum, hinc fit, vt Euchariſtia in nobis ſemper ſignificet per ſe augmentum vitæ, & gratiæ; non enim poteſt nutrire ſine augmento eos, qui ſunt in ſtatu augmenti. Adde, cibum corporalem ideo non augere, quoties nutrit, quia deperduntur quotidie plures partes ipſius ſubſtantiæ, & ideo illæ, quæ de nouo adueniunt, non faciunt augmentum ſimpliciter: at verò in vita ſpirituali id non poteſt eſſe; quia, durante vita animæ per gratiam, nihil gratiæ deperdi poteſt, quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad feruorem in operando; quare omnis nutritio ſpiritualis debet augere ſubſtantiam gratiæ, & ordinari ad augmentum, licèt quoad feruorem poſſit dici, quòd aliquando non auget, ſed reparat id, quod per inclinationes, & fomitem deperditur: non poteſt ergo cibus ſpiritualis ordinari per ſe ad nutriendum per productionem gratiæ, quin eo ipſo ordinetur ad augmentum gratiæ.

10. *Euchariſtia eſt omniũ ſacramentorum nobiliſſimum.* Habemus ergo, Euchariſtiam eſſe Sacramentum nouæ Legis à Chriſto Domino inſtitutum, à cæteris omnibus diuerſum. Reſtat ſcire, quem habeat dignitatis locũ inter illa. Omnes Theologi fatentur, eſſe Sacramentorum omnium præſtantiſſimum, & digniſſimum. *Conc. Trid.* Cui concluſioni ſatis fauet Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. & alibi, illud appellans Sacramentum ſanctiſſimum, venerabile, ſacro-ſanctũ; *In quo Deus diuitias ſui erga homines amoris velut effudit*, &c. Ad quod videtur attendiſſe idem Concilium dum *ſeſſ.* *can.* 3. de Sacramentis, damnat eos, qui dixerint, omnia Sacramẽtá eſſe paria, vt nulla ratione vnũ ſit alio dignius. Adeò, vt hæc veritas videatur nonnullis de fide definita; inter quos eſt Suarez *in præſenti diſp.* 30. *ſect.* 2.

11. *Dignitas Euchariſtiæ vnde petatur.* Cæterùm, quidquid de hoc ſit, meritò dubitari poteſt, an hic exceſſus Euchariſtiæ ſupra alia Sacramenta proueniat ex eo, quòd cæteris paribus, & cũ æquali diſpoſitione conferat ſuſcipienti maiorem gratiam, quàm quodvis aliud Sacramentum. Res hæc eſt omnino incerta, & ſoli Deo nota; quare licèt poſſet piè ita credi, non tamen ſolidè comprobari. Illud certum, dignitatem Euchariſtiæ ex eo potiſſimùm ſumendam, quòd contineat in ſe Chriſtum Dominum auctorem totius gratiæ, & ſanctitatis; reliqua enim Sacramenta habent virtutem à Chriſto Domino eorum auctore; Euchariſtia verò habet ipſum Chriſtum, à quo omnia Sacramenta fluxerunt, & ideo maiorem longè poſtulat venerationem. Nunc iam videamus in particulari, quid intrinſecè includat quidditas huius Sacramenti.

SECTIO II.

An hoc Sacramentum componatur intrinſecè ex ſpeciebus, & ex corpore, & ſanguine Chriſti.

12. *Duplex compoſitio in quolibet Sacramento. Prima ex ſignificatione & re ſignificante.* DVplicem compoſitionem poſſumus conſiderare in quolibet Sacramento; prima eſt ex ſignificatione, & re ſignificante: nam ſicut in voce naturali datur ipſa entitas vocis, quæ ſignificat, & datur ſignificatio, ſeu vis, quam habet ex impoſitione hominum ad ſignificandam talem, vel talem rem: ſic etiam in Sacramento Baptiſmi, v. g. datur ipſa entitas ablutionis, & verborũ, &c. & vis etiam, quam habet ex diuina inſtitutione ad ſignificandam gratiam: illud prius poteſt appellari ſubiectum; hoc verò poſterius, nempe vis ſignificandi, poteſt appellari quaſi forma conſtituens Sacramentum in ratione ſigni ad placitum ex diuina inſtitutione. An verò hæc vis ſignificandi ſit ens rationis, vel aliquid reale, non eſt huius loci; pertinet enim ad materiam de Sacramentis in genere, vbi aliquid diximus *diſp.* 1. *ſect.* 3.

13. *Secunda ex materia, & forma, & de hac ſecunda hic quærimus.* Rurſus poſſumus in ipſo ſubiecto Sacramenti conſiderare aliam compoſitionem; nam ſicut vox, quæ eſt ſubiectum ſignificationis, adhuc ipſa in ſua entitate componitur ex pluribus ſyllabis: ſic etiam Baptiſmus, qui eſt ſubiectum ſignificationis, componitur intrinſecè ex materia, & forma, nempe ex ablutione, & verbis: & de hac ſecunda compoſitione quærimus in præſenti, ſupponendo ſcilicet, in Euchariſtia dari ſubiectum ſignificans, & vim etiam ſignificandi gratiam ex diuina promiſſione: quærimus, inquam, quod ſit ſubiectum illud, quod habet hanc vim ſignificandi: &, an hoc ſubiectum componatur intrinſecè ex aliquibus partibus?

14. Poteſt autem de multis dubitari in præſenti, an componant intrinſecè Sacramentum Euchariſtiæ, de accidentibus ſcilicet, ſeu ſpeciebus panis, & vini remanentibus: de corpore, & ſanguine Chriſti: de animã item, & diuinitate eius: de verbis Conſecrationis: de actione tranſſubſtantiatiua: de vſu denique, ſeu ſuſceptione actuali Euchariſtiæ; de quibus omnibus ſigillatim dicendum eſt. In hac verò ſectione quæſtio eſt de ſpeciebus remanentibus, & de corpore, & ſanguine Chriſti, an componant intrinſecè hoc Sacramentum. *Suppoſitiõ de fide.* Supponimus autem de fide, præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti: *Status quæſtionis.* dubitamus tamen, an hoc Sacramentum ea includat intrinſecè, & ex ipſis componatur.

15. *Duæ ex ſententiæ extremæ.* Duplex eſt in hac quæſtione extrema ſententia. Prima dicit, ſolùm corpus, & ſanguinem Chriſti intrare ad conſtitutionem huius Sacramenti: ſpecies autem ſolùm connotari, non verò componere illud. *VValdenſ. Vaſquez.* Hæc tribuitur communiter VValdenſi *tom.* 2. *de Sacramentis, cap.* 10. Vaſquez tamen *diſp.* 167. *num.* 10. *& ſequentibus*, eum latè conatur ab hac opinione liberare. Secunda ſententia docet è contra, ſolas ſpecies conſtituere Sacramentum: connotando tamen

corpus, & ſanguinem Chriſti: hanc tenent Marſilius, & Soto relati à Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 3. & eam amplectuntur aliqui Recentiores.

Prima concluſio, ſpecies ſaltè partialiter pertinent intrinſecè ad hoc Sacramentum. Primò, quia ſunt Sacramentum tantum.

16. Dico primò, ſpecies ſaltem partialiter pertinent intrinſecè ad hoc Sacramentum. Hæc eſt communis Theologis, quos referunt, & ſequuntur Suarez vbi ſuprà *ſect.* . & Vaſquez *c.* 3. Probatur primò ex Innocent. III. in cap. *Cum Marthæ*, de celebratione Miſſarum, vbi Pontifex docet, ſpecies viſibiles in Euchariſtia eſſe Sacramentum tantùm, hoc eſt, non eſſe rem, & Sacramentum, ſed ſolùm Sacramentum; ergo ſunt ſaltem pars Sacramenti: nam in omnibus Sacramentis id, quod eſt Sacramentum tantùm, eſt pars ſaltem eſſentialis Sacramenti, vt in Pœnitentia confeſſio, in Baptiſmo ablutio, &c.

Probatur ſecundò ex modo loquendi Tridentini.

17. Probatur ſecundò ex modo loquendi Tridentini, & Patrum dicentium, corpus Chriſti contineri in hoc Sacramento: ergo Sacramentum non eſt ſolùm corpus Chriſti; nihil enim continetur in ſe ipſo; ergo ſpecies pertinent intrinſecè ad hoc Sacramentum. *Inſtantia.* Dices, hoc Sacramentum conſtare ex corpore Chriſti, & verbis Conſecrationis, licèt non includat etiam ſpecies, & ideo poſſe dici Chriſtũ contineri in hoc Sacramento. *Diluitur.* Sed contra; quia Chriſtus dicitur contineri in hoc ipſo Sacramẽto, quod remanet poſt conſecrationem, tunc autem non manent verba, ergo hoc Sacramentum in eſſe permanenti includit ſpecies vltra corpus Chriſti.

Probatur tertiò ratione, quia Sacramentum eſt ſignum ſenſibile.

18. Probatur tertiò ratione; quia (vt ſuprà dixi) Sacramentum eſt ſignum ſenſibile gratiæ iuſtificãtis: quod de Sacramento Euchariſtiæ docet Tridentinum *ſeſſ.* 13 *c.* 3. eſſe ſcilicet inuiſibilis gratiæ viſibilem formam: at verò corpus Chriſti, prout condiſtinguitur à ſpeciebus, non eſt ſignum ſenſibile gratiæ, quia non ſentitur per ſe, prout eſt in Euchariſtia: ergo ſpecies ſenſibiles pertinent intrinſecè ad hoc Sacramentum: alioquin Euchariſtia non erit ſignum ſenſibile.

Inſtantia.

19. Dices; licèt corpus Chriſti ſecundùm ſe non ſit ſenſibile, eſſe tamen ſenſibile, prout connotat ſpecies; quare fieri poteſt, vt ſolùm corpus Chriſti connotando ſpecies, ſit Sacramentum. *Diluitur.* Sed contra; quia ex hoc ſequitur, Euchariſtiam non eſſe in ſe ipſa Sacramentum; ſed ſolùm connotare rationẽ Sacramenti; quia Sacramenti quidditas eſt ſignificare ſenſibiliter gratiam; at verò corpus Chriſti de ſe, & in ſe non ſignificat ſenſibiliter, ſed connotat ſpecies ſignificantes ſenſibiliter: ergo Euchariſtia in ſe non includit rationem Sacramenti, ſed connotat extrinſecè illam.

Inſtantia iterum.

20. Dices; Contritio in ſe ipſa eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen in ſe non eſt ſignum ſenſibile, ſed prout connotat confeſſionem externam à qua redditur ſenſibilis; ergo etiamſi corpus Chriſti in ſe ipſo intrinſecè non ſit ſignum ſenſibile, niſi prout connotat ſpecies, poterit tamen eſſe Sacramentum redditum ſenſibile per ſpecies. *Reſpondemus.* Sed contra, quia contritio non eſt Sacramentum totale, ſed pars illius: conflatur enim Sacramentum Pœnitentiæ ex Confeſſione externa, contritione, abſolutione, &c. ſufficit autem, intra illud compoſitum reperiri ſenſibilitatem (vt ita dicam) à qua reddantur ſenſibiles omnes illæ partes, vt illæ omnes conſtituant intrinſecè Sacramentum; quia iam manet intra Sacramentum totum hoc, quod eſt ſenſibiliter ſignificare. At verò, ſi ſolùm corpus Chriſti conſtituat Euchariſtiam, non manet intra illud Sacramentum ſenſibilitas corporis Chriſti, ſed extra illud: ergo non manet intra Euchariſtiam quidditas Sacramenti, nempe ſenſibiliter ſignificare; ergo repugnat dicere, quòd corpus Chriſti redditur ſenſibile, & Sacramentum formaliter ab aliquo, quod manet extra totam quidditatem Sacramenti: ergo ſenſibilitas ſpecierum, à qua Euchariſtia, & ipſum corpus Chriſti habet eſſe ſignum ſenſibile, & Sacramentum, non debet eſſe extra, ſed intra ipſum Sacramentum: nulla enim forma poteſt eſſe extra compoſitum, ſeu extra effectum formalem reſultantem ex ipſa, & ex ſubiecto.

Si ſolum corpus Chriſti conſtituit Euchariſtiã nulla manet ſenſibilitas.

Obiectio prima ex modo loquendi Patrum.

21. Contra hanc concluſionem ſunt nonnullæ obiectiones. Prima deſumitur ex modo loquendi ſanctorum Patrum, quos afferemus *ſect. ſequenti*, qui abſolutè dicunt, Euchariſtiam eſſe corpus, & ſanguinẽ Chriſti: ergo non includit etiam ſpecies. Patet conſequentia, quia non dicitur benè: *Homo eſt anima rationalis*; nam licèt eam includat, non tamen ſolam: ergo ſi Euchariſtia non includit ſolũ corpus Chriſti, non poteſt dici: Euchariſtia eſt corpus Chriſti.

Reſpõdebitur ſect. ſeq.

Ad hanc obiectionem conſtabit ex dicendis *ſect. ſequenti*, vbi videbimus, Euchariſtiam, licèt intrinſecè includat ſpecies, non tamen importare ſemper illas in recto, ſed in obliquo; & ideò non poſſe propriè prædicari de illis in recto, ſed ſolù n de corpore Chriſti.

Obiectio ſecunda.

22. Secundò obiicies, quia Sacramenta nouæ Legis cauſant gratiam: at verò in Euchariſtia non ſpecies, ſed corpus Chriſti eſt, quod cauſat gratiam: ergo non ſpecies, ſed corpus Chriſti conſtituit Sacramentum. *Reſpondetur.* Reſponderi poteſt negando minorem; præſertim ſi iuxta probabiliorem ſententiam hæc cauſalitas non ſit phyſica, ſed moralis: hanc enim cauſalitatem non ſolùm exercet corpus Chriſti, ſed etiam ipſæ ſpecies.

Inſtabis.

23. Dices; in cibo naturali ſubſtantia ſola eſt, quæ nutrit, non accidentia: ergo ſimiliter in hoc cibo ſupernaturali ſubſtantia Chriſti Domini debet eſſe, quæ nutrit animam, non verò accidentia panis, ſub quibus illa ſubſtantia continetur. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando conſequentiam. *Ratio diſcriminis.* Ratio autem diſcriminis eſt, quòd in nutritione naturali ſubſtantia alimenti fit ſubſtantia aliti: non poteſt autem ex accidentibus fieri ſubſtantia; quare ex accidentibus cibi non poteſt viuens nutriri ſubſtantialiter, ſed ad ſummum accidentaliter. At verò nutritio ſupernaturalis non fit hoc modo; nec enim cibus conuertitur in ſubſtantiam aliti, ſed ideo dicitur nutrire, quia producit gratiam, quæ eſt vita ſpiritualis animæ: gratia autem æquè poteſt cauſari ab ſpeciebus accidentalibus, ac ab ipſo corpore Chriſti; & alionde congruit, vt ſicut in aliis Sacramentis elementa, & res naturales cauſant gratiam, ſic etiam ſpecies Sacramentales haberent eandem vim in Euchariſtia. Aliam ſolutionem indicabimus *infrà ſect.* 4.

Concluſio ſecunda, corpus etiam & ſanguis Chriſti pertinent intrinſecè ad Euchariſtiã.

24. Hoc ſuppoſito, dico ſecundò: corpus, & ſanguis Chriſti pertinent etiam intrinſecè ad conſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ. Hæc etiam eſt communis ferè omnibus Theologis, quos referunt, & ſequuntur Suarez *in præſenti diſp.* 42. *ſect.* 3. Vaſquez vbi ſuprà *c.* 5. Probatur primò ex Patribus, quos hi Auctores adducunt. Irenæus *lib.* 4. *c.* 34. dicit, Euchariſtiam duabus rebus conſtare, altera terrena, altera cœleſti. Damaſcen. *lib.* 4. *c.* 4. *Duplices*, inquit, *ſumus, & compoſiti: par etiam fuit, dari nobis cibum duplicem, & compoſitum.* Habetur etiam in cap. *Hoc eſt*, de conſecrat. d. 2. vbi dicitur, *noſtrum ſacrificium conſtare viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Chriſti Domini carne.* Eodem modo loquitur Heſychius *lib.* 6. *in Leuit.* Lanfrancus contra Berengarium *à colum.* 11. Algerus *lib.* 1. *de hoc ſacram c.* 5. & alij.

Suarez. Vaſquez. Irenæus. Damaſcen. Probatur primò ex PP.

Probatur ſecũdò ex Scriptura.

25. Secundò probari poteſt ex aliis loquutionibus Scripturæ, Conciliorum, & Patrum dicentium, hoc Sacramentum non ſolùm conſtare ex corpore, & ſanguine Chriſti, ſed eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti. Eorum autem verba commodiùs afferemus *ſect. ſeq.* Vaſquez, & alij probant hoc ipſum, quia

verba

verba conſecrationis conficiunt hoc Sacramentum, ſeu Sacerdos conſecratione conficit Euchariſtiam: vt habetur apud Eugen. in Concil. Flor. non autem conficit ſolas ſpecies: ergo conficit compoſitum ex ſpeciebus, & corpore Chriſti: ergo Sacramentum eſt totum illud compoſitum. Hoc tamen argumento non vtor: quia ſatis probabiliter ſolui poteſt fatendo, Sacerdotem verbis conficere Euchariſtiam: eò quòd licèt non conficiat ſpecies ſecundum ſe, facit tamen illas eſſe conſecratas; ſicut verbis etiam, & orationibus conficit aquam benedictam, licèt non includat aliquid præter aquam, & ipſam benedictionem. Hoc ergo, & aliis argumentis omiſſis, quæ fortè non probant adeò efficaciter, probatur tertiò ratione, quia Sacramentum Euchariſtiæ cauſat gratiam per modum cibi, & potus, vt dictum eſt; cibus autem & potus animam ſpiritualiter nutriens, non ſunt ſolæ ſpecies, ſed etiam, & potiſſimũ caro, & ſanguis Chriſti: ergo non ſolæ ſpecies, ſed etiam caro, & ſanguis Chriſti pertinent intrinſecè ad hoc Sacramentum. Conſequentia patet: Minor verò probatur ex verbis Chriſti Domini: *Qui manducat me, ipſe viuet propter me*: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet*, &c. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Panis, quem ego dabo caro mea eſt*. Ergo cibus ſpiritualiter nutriens, non ſunt ſolæ ſpecies, ſed caro, & ſanguis Chriſti.

26. *Obiicitur primò.* Contra hanc Concluſionem obiici poteſt primò doctrina communis Theologorum ponentium in quolibet Sacramento tria hæc; Rem ſcilicet ſolum, Sacramentum ſolùm & aliud, quod ſit res, & Sacramentum. Res ſola dicitur, quæ ſignificatur, & nõ ſignificat, Sacramentũ ſolùm quod ſignificat, & non ſignificatur; Res verò, & Sacramentum dicitur, quod ſignificatur ſimul & ſignificat. Iuxta quam doctrinam *Innoc. III.* Innocent. III. in c. *Cùm Martha*, de celebrat. Miſſar. dixit, in hoc Sacramento Sacramentum tantùm, eſſe ſpecies panis, & vini, quæ ſignificant, & non ſignificantur: rem verò Sacramenti eſſe gratiam, quæ homini datur; ac denique corpus, & ſanguinẽ Chriſti eſſe rem, & Sacramentum, quia ſignificat gratiam, & ſignificatur per ſpecies. Ex qua doctrina communi ſic obiicitur contra concluſionem: quia in aliis Sacramentis id, quod eſt res & Sacramentum, non eſt pars Sacramenti: nam character in Baptiſmo, qui eſt res & Sacramentum, non eſt pars intrinſecè conſtituens Baptiſmum, ſed effectus illius, item ſpecies in hoc Sacramento ſunt Sacramentum tantum: ergo corpus Chriſti, quod non dicitur Sacramentum, ſed res, & Sacramentum, non pertinet ad intrinſecam conſtitutionem huius Sacramenti.

27. *Reſpondetur facilè.* Reſpondetur facilè ſpecies non ideo dici Sacramentum tantùm, quia ipſæ ſolæ ſint Sacramentum, ſed quia non habent aliud munus, quam Sacramenti; non enim ſignificantur, ſed ſignificant. Deinde licèt in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine illud quod eſt res, & Sacramentum, non ſit pars intrinſeca Sacramenti, nempe character; non tamen eſt illa regula in vniuerſum vera: nam in Sacramento Pœnitentiæ contritio ſecundùm aliquos dicitur res, & Sacramentum, & tamen eſt pars intrinſeca ipſius Sacramenti. Regula ergo veriſſima hæc eſt, vt illud, quod inſtituitur à Chriſto pro ſigno practico gratiæ, debeat intrinſecè pertinere ad Sacramentum, ſiue ſit res Sacramenti, ſiue non ſit. Quare cùm corpus Chriſti habeat practicè ſignificare gratiam, non obſtat, quòd ſit res Sacramenti, quominùs ſit etiam pars intrinſeca Sacramenti.

28. *Obiicitur ſecundò.* Secundò obiicitur; Sacramentum eſt ſignum ſenſibile gratiæ inuiſibilis: corpus autem Chriſti non ſignificat ſenſibiliter, ſed ſolæ ſpecies: ergo ſpecies

ſolæ, & non Chriſti corpus conſtituunt intrinſecè Sacramentum Euchariſtiæ. Reſpondeo, corpus *Reſpondetur.* Chriſti ſecundùm ſe non ſentiri; ſentiri tamen per ſpecies conſecratas, quæ ipſum ſignificant: quare redditum ſenſibile per ipſas ſpecies poteſt pertinere intrinſecè ad conſtitutionem Sacramenti: ſicut contritio etiam eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, quia licèt per ſe non ſentiatur, fit tamen ſenſibilis per Confeſſionem externam: & vt ſic ſenſibilis poteſt conſtituere Sacramentum.

Tertiò obiicitur, quia iuxta communem modum 29. loquendi Conciliorum, & Patrum, Chriſtus conti- *Obiectio tertia.* netur in hoc Sacramento: ergo condiſtinguuntur Chriſtus, & Sacramentum; nihil enim continetur in ſe ipſo. Reſpondetur, Chriſtum contineri in hoc Sa- *Reſponſio.* cramento vt partem in ſuo toto; ſicut anima etiam continetur in homine: nam Euchariſtia includit corpus Chriſti, & aliquid aliud, vt vidimus. Alias leuiores obiectiones vide apud Suarez, vbi ſupra.

Pro complemento tamen huius ſectionis, duo re- 30. ſtant inquirenda. Primum, an hoc Sacramentum con- *Aliud quæſitum.* ſtituatur intrinſecè ex ſolis iis partibus Chriſti, quæ ponuntur ex vi verborum: an etiam ex iis, quæ ponuntur per concomitantiam, ſcilicet anima, Diuinitate, &c. Reſpondetur, ſtrictè loquendo, conſtitui *Reſpondetur.* ſolùm ex iis, quæ ſunt ex vi verborum, corpore ſcilicet, & ſanguine. Ratin eſt, quia quæ ſolùm ſunt per concomitantiam, non ſunt ſenſibilia, nec per ſe, vt patet, nec per verba etiam, cùm per verba non ſignificentur, alioquin ponerentur ex vi verborum: ergo nullu modo ſunt ſignum ſenſibile gratiæ. Adde, ea, quæ ſunt per concomitantiam, neque etiam cauſare gratiam phyſicè, vel moraliter: gratia enim ſolùm eſt promiſſa manducãti carnẽ, & bibenti ſanguinem: ergo poſitio animæ, v. g. per accidens ſe habet ad dãdam gratiã. Loquendo autem minùs ſtrictè, aliquãdo dicitur totus Chriſtus eſſe Sacramentũ Euchariſtiæ.

Secũdò inquiri poteſt, quid potiſſimùm ſit in con- 31. ſtitutione Euchariſtiæ, corpus Chriſti, an ſpecies? *Secundum quæſitum. Satisfit.* Reſpondetur, in ratione ſigni ſenſibiliter ſignificantis magis conducere ſpecies viſibiles; in ratione ſanctificantis, nutrientis, & oſtendentis Diuinum amorem, magis conducere corpus Chriſti, quæ eſt nobiliſſima, & præcipua pars huius Sacramenti, & fons totius vitæ ſpiritualis. Poſſet etiam inquiri, an hæ partes Sacramenti habeant ſingulæ ſuas ſignificationes partiales, an omnes ſignificent indiuiſibiliter? Verùm hæc quæſtio communis eſt omnibus Sacramentis, & ideo pertinet ad tractatum de Sacramentis in genere: vbi de hoc diximus *diſp. 2. ſect. 2.*

SECTIO III.

Vtrùm Euchariſtia importet in recto corpus, & ſanguinem Chriſti, an verò ſpecies Sacramentales.

Diximus, Euchariſtiam intrinſecè conſtare ex 32. corpore: & ſanguine Chriſti, & ſpeciebus Sacramentalibus: nunc antequam vlterius progrediamur, ſcire oportebit, an vtraque pars ſignificetur in recto per Sacramentum Euchariſtiæ; quæ quidem quæſtio neceſſaria eſt, ad meliùs intelligendam Euchariſtiæ compoſitionem.

Supponendum eſt primò ad quæſtionem, non *Suppono non eſſe idem importari in obliquo, & extrinſecè.* eſſe idem, aliquid importari in obliquo, & importari extrinſecè: poteſt enim aliquid dupliciter importari in obliquo, ſcilicet extrinſecè, & intrinſecè. Extrinſecè quidem, vt per hoc nomen, *cognoſcens*, vel *videns*; importatur quidem eſſentialiter de connotato obiectum, non tamen vt pars intrinſecè com-

ponens videntem, vel cognoſcentem: at verò ipſa viſio, ſeu cognitio ſignificatur etiam per illos terminos concretos in obliquo, quia videns non eſt viſio, ſed habens viſionem, non tamen ſignificatur extrinſecè, ſed vt pars intrinſecè conſtituens videntem in ratione videntis & componens illud concretum. Poteſt ergo Euchariſtia importare intrinſecè ſpecies, & corpus Chriſti: & tamen importare vnum in recto, & alterum in obliquo, ſeu de connotato.

33. *Supponendum ſecundò, alia Sacramenta importare in recto tā materiam quàm formam.*

Supponendum ſecundò, ex materia de Sacramentis in genere, alia Sacramenta importare quidem tam materiam, quàm formam in recto: Baptiſmus enim v.g. non ſupponit in recto pro ablutione connotando in obliquo verba; ſed in recto ſignificat ablutionem, & verba: & ſic de aliis. Ita obſeruat cum aliis noſter Vaſquez 2.*tom. in* 3.*p. diſp.* 129.*c.* 5. contra Sotum, qui voluit Sacramentum ſupponere in recto pro materia, connotando formam in obliquo: & nos explicuimus in tract. de Sacramentis in communi *diſp.* 2. *ſect.* 2.

34. *Status quæſtionis.*

Tres ſententiæ.

His itaque ſuppoſitis, quærimus nunc, vtrum Euchariſtiæ Sacramentum importet in recto tam ſpecies, quàm corpus Chriſti: an vnum in recto, & alterum ſolùm de connotato, licèt vtrumque intrinſecè. In qua quæſtione tres poſſunt eſſe ſententiæ. Prima, quòd ſpecies ſolæ ſignificentur in recto; corpus verò & ſanguis Chriſti de connotato: hanc tenent aliqui Theologi recentiores. Secunda ſententia dicit, vtrumque importari in recto, tam ſpecies, quàm corpus Chriſti; hanc tenet Suarez *diſp.* 42. *ſect.* 2. Tertia ſententia, quæ nobis verior videtur, docet, ſupponere communiter in recto pro corpore, & ſanguine Chriſti; ſpecies verò importare de connotato. Pro cuius explicatione.

35. *Prima concluſio Species ſolæ nō importantur in recto.*

Probatur.

Dico primò; ſpecies ſolæ non importantur in recto. Hæc eſt contra primam ſententiam, & à fortiori conſtabit ex ſecunda concluſione: nunc autem breuiter oſtenditur, quia nullum eſt fundamentum, vt dicatur ſpecies ſolùm ſignificari in recto, & non corpus Chriſti. Aliunde verò non poſſunt conuenire ſpeciebus ea prædicata, quæ in recto tribuuntur huic Sacramento, v.g. quòd adorabile ſit vero latriæ cultu, qui vero Deo debetur, vt dicitur in Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 5. qui cultus non debetur ſpeciebus etiam cum habitudine ad corpus Chriſti, ſed alius cultus inferior latriæ reſpectiuæ, vt ſuppono ex tractatu de Adoratione. Dicunt, ſpecies ſe habere vt materiam reſpectu corporis Chriſti; quia quandiu conſeruant diſpoſitiones requiſitas ad formam panis, continent etiam corpus Chriſti: illud autem ſolùm, quod ſignificatur ad modum materiæ, debet importari in recto. Sed contra; quia in primis iam vidimus ſuprà, non ſufficere aliquid eſſe materiam, nedum habere ſe ad modum materiæ, ad hoc, vt illud ſolùm importetur in recto. Deinde, vt poſtea videbimus, magis ſe habet ad modum ſubiecti in Euchariſtia corpus Chriſti reſpectu ſpecierum, quàm ſpecies reſpectu corporis Chriſti.

36. *Concluſio ſecunda. Solum corpus Chriſti importatur communiter in recto, ſpecies verò de connotato.*

Præcipua ratio deſumitur ex modo communi loquendi Patrum.

Dico ſecundò; in Euchariſtia ſolum corpus, & ſanguis Chriſti importantur communiter in recto, ſpecies verò de connotato. Hanc tenent illi Theologi, quos ſuppreſſo nomine refert Suarez vbi ſuprà, & alij infrà citandi. Moueor autem ad illam potiſſimùm ex auctoritate: cùm enim quæſtio ſit de modo, quo ſignificat hoc nomen *Euchariſtia*, potiſſimum argumentum deſumendum eſt ex modo communi, quo illud Patres, & Theologi vſurparunt. Porrò Patres per illud nomen ſolùm ſignificaſſe in recto corpus Chriſti, & non ſpecies: probatur facilè, quia paſſim prædicarunt in recto Euchariſtiam de corpore Chriſti, & è contra; quæ quidem loquutiones eſſent falſæ, ſi Euchariſtia ſpecies etiam includeret in recto: ſicut falsò diceretur: *Homo eſt materia*; quia homo plus dicit in recto, quàm materia. Hic autem loquendi modus Patrum oſtenditur facilè ex ipſorum verbis. Ambroſ. *lib. de iis qui initiantur, c.* 9. ſic ait: *Sacramentum quod accipis, Chriſti ſermone conficitur, & in illo Sacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti.* Iuſtin. Apol. 2. *Hoc alimentum*, inquit, *apud nos vocatur Euchariſtia*, quam poſtea dicit eſſe carnem, & ſanguinem incarnati Ieſu. Gregor. relatus in cap. *Multi*, 1. q. 1. *Polluimus panem, hoc eſt, corpus Chriſti, quando ſordidi accedimus ad altare.* Ignatius *in Epiſt. ad Smyrnenſes*, relatus à Theodoreto in Dial. 3. *Euchariſtias*, inquit, *& oblationes non admittunt, quòd non confiteantur, Euchariſtiam carnem eſſe Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitauit.* Vides, Patres Euchariſtiam abſolutè dicere eſſe corpus Chriſti: nec mirum, ſiquidem hunc loquendi modum ab ipſo Chriſto Domino accepêrunt: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.* Item, *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.* Ex quibus verbis ſic concluditur noſtra ſententia. Panis iſte, ſeu cibus, & potus ſpiritualis eſt Sacramentum Euchariſtiæ: ſed corpus Chriſti eſt ipſe panis, eſt ipſe cibus; ergo corpus Chriſti eſt Sacramentū Euchariſtiæ; ergo hoc Sacramentum in recto non eſt ſpecies; alioquin iſtæ prædicationes eſſent falſæ; vt ſuprà probatum eſt.

Ambroſ. Iuſtin. Gregor. Ignatius.

37. *Obiicit Suarez.*

Contra hanc concluſionem obiicit Suarez vbi ſuprà, quia in aliis entibus artificialibus partes omnes integrantes importantur in recto: nam *domus* omnes partes ſignificat in recto; quod præſertim locum habet in Sacramentis. Nam, vt diximus, Baptiſmus æquè in recto ſignificat ablutionem, & verba, & ſic de aliis; ergo non eſt, cur Euchariſtia ſignificet vnam partem in recto, & alteram de connotato. Reſpondetur, in primis forſitan non omnia compoſita artificialia ſignificare omnes partes in recto. Deinde, dato antecedenti, negatur conſequentia. Ratio verò diſcriminis eſt, quòd partes Euchariſtiæ, nempe corpus Chriſti & ſpecies, habent ſe vt ſubiectum, & accidentia; quia licèt corpus Chriſti non ſit in rigore ſubiectum ſpecierum, habet tamen ſe ad modum ſubiecti: & ſpecies ſignificantur quaſi adiacentes corpori Chriſti, hoc enim eſt proprium accidentium reſpectu ſubſtantiæ; quod non inuenitur in aliis compoſitis artificialibus: hoc autem fuit ſufficiens fundamentum, vt Patres vterentur hoc nomine, non vt ſignificarent æquè in recto corpus Chriſti, & ſpecies, ſed corpus Chriſti ſub ſpeciebus, corpus in recto, & ſpecies in obliquo.

Reſpondetur.

38. *Inſtabis.*

Dices, corpus Chriſti ſolùm in recto eſt Sacramentum; ſed corpus Chriſti eſt in cœlo: ergo Sacramentum eſt in cœlo. Conſequens eſt falſum; ergo Sacramentū plus eſt in recto, quàm corpus Chriſti. Reſpondeo negando primam conſequentiam: ſicut non ſequitur: Virgo peperit Chriſtum, Chriſtus eſt flagellatus; ergo Virgo peperit Chriſtum flagellatum. Nam hæ propoſitiones ex modo communi ſignificandi faciunt ſenſum compoſitum. Sic etiam: *In cœlo eſt Euchariſtia*, non eſt dicere, in cœlo eſt corpus Chriſti, quod eſt ſub ſpeciebus, ſed in cœlo eſt corpus Chriſti ſub ſpeciebus; qui ſenſus eſt falſus. Sicut & ob eandem rationem damnant Summuliſtæ illam conſequentiam: *Quod emiſti, comediſti: emiſti carnem crudam; ergo ediſti carnem crudam.* Dixi tamen in concluſione, *communiter* nomine Euchariſtiæ ſignificari in recto ſolum corpus, & ſanguinem Chriſti: quia non nego quòd aliquando hoc ipſo nomine ſignificatur compoſitum illud; prout compoſitum eſt reduplicatiuè, atque adeò vtrūque in recto,

Reſpondeo.

Quare in concluſione diximus communiter.

quo

quo pacto vſurpatur, quando dicitur corpus Chriſti contineri in hoc Sacramento, & ſimilia: ſed tamen prior acceptio frequentior, & communior eſt.

39.
Obiectiones Salmanticenſium ſoluuntur.
Prima obiectio.
Reſponſio.

Hæc ſententia, quàm anno 1616. in noſtro Valliſoletano collegio publicè docui, viſa fuit ſingularis aliquibus Theologis Salmanticenſibus; quorum obiectis nunc breuiter reſpondebo. Primò, quòd nullius eſſet Auctoris, & abſque vllo fundamento. Reſpondeo, Auctores habere, & antiquiores, & recentiores, qui hoc modo loquuntur, & volunt Euchariſtiam eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti contentum ſub ſpeciebus panis, & vini. Ita loquitur, & ſentit VValdenſis *tom. 2. de Sacramentis*, *cap.* 21. his verbis: *Eſt igitur hoc venerabile Sacrificium, quamvis VVicleſ deteſtetur hoc verbum, verum Chriſti corpus in recte ſub forma panis, quam connotat in obliquo.* Claudius Sainctes *Repetit. 2. de Euchariſtia, cap.* 4. in principio, dicens: *Euchariſtiam eſſe corpus Domini forma panis opertum.* Eandem ſententiam tradunt expreſsè Guil. Eſtius *in 4. diſt.* 8. §. 3. Franc. Syluius in præſenti *quæſt.* 73. *art.* 1. *concluſ.* 2. & dicit valde probabilem Guil. Alanus *lib* 1. *de Euchariſt. cap.* 5.

VValdenſ.
Sainctes.
Eſtius.
Syluius.
Alanus.

40.
Fundamentum in quæſtione de ſignificatione vocis deſumi non poteſt, niſi ex loquutionibus Patrum.

Fundamentum autem in quæſtione de ſignificatione vocis, qualis eſt hæc, vt dixi, deſumi non poteſt, niſi ex loquutionibus, & modo, quo Patres, & Auctores Eccleſiaſtici hanc vocem vſurparunt: ij autem non ſemel, ſed paſſim dixerũt, Euchariſtiam, hunc panem, hoc Sacramentum eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti, quæ loquutiones in rigore non eſſent veræ, ſi ſpecies etiam panis, & vini importarentur in recto. Adducam aliquorum verba, vt appareat, quàm ſit vſitatus is loquendi modus apud ſanctos Patres. Iuſtinus Martyr in Apologia ad Antonium: *Alimoniam*, inquit, *eam, in qua per preces ſermonis ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, incarnati illius carnem, & ſanguinem eſſe, ſumus edocti. Apoſtoli enim ita tradiderunt.* Irenæus *lib.* 5. *c.* 2. poſtquam dixerat, carnem noſtram corpore, & ſanguine Chriſti nutriri, addit: *Quæ de calice qui eſt ſanguis eius, & de pane, qui eſt corpus, augetur.* Et *lib.* 4. *c.* 34. probat contra Valentinianos, Chriſtum eſſe Filium Dei fabricatoris mundi, *Quoniam fateri eos neceſſe ſit, Euchariſtiam eſſe carnem Filij Dei.* Origenes *homil.* 15. in Matthæum: *Cùm eos* (inquit) *hoc pane nutrit* (ſcilicet Chriſtus) *oſtendit, proprium eſſe corpus.* Cyprianus lib. , epiſt. 3. *Obtulit*, inquit, *Chriſtus panem, & vinum ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem.* Gregor. Nyſſenus in Oratione de ſancto Baptiſmate: *Panis*, inquit, *panis eſt initio communis; ſed vbi eum myſterium ſanctificauerit corpus Chriſti, & dicitur, & eſt: eodem modo vinum.* Auguſt. *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 4. comparans hoc Sacramentum cum aliis ſignis, quæ minùs propriè ſignificant Chriſtum, ſic ait: *Quæ tamen ſigna non dicimus corpus Chriſti, & ſanguinem, ſed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritualem in memoriam Dominicæ paſſionis.* Cyrillus Hieroſolymitanus *catech.* 4. *myſtag.* ſic ait: *Hoc ſciens, & pro certiſſimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti. Et vinum hoc, quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui vinum videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.* Chryſoſtom. in illa verba Pauli 1. ad Cor. 10. *de vno pane participamus: Sumus*, inquit, *& illud corpus. Quid enim eſt panis? Corpus Chriſti.* Photius ibidem: *Quid enim*, inquit, *eſt panis? Sanè corpus Chriſti. Quid efficiuntur, qui participant? Nempe corpus Chriſti.* Ambroſius *lib* 4. *de Sacram* relatus in cap. *Omnia* 74. de conſecrat. diſt. 2. *Panem quidem iſtum, quem ſumimus in myſterio, illum vtique intelligo panem, qui manu ſancti Spiritus formatus eſt in vtero Virginis, & igne paſſionis decoctus in ara crucis. Panis enim Angelorum factus eſt cibus hominum. Vnde ipſe ait:* Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi. *Et item:* Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. *Ex his namque duabus ſententiis, apertè datur intelligi, quia Panis iſte, & ille, non duo, ſed vnus panis, & vna caro proculdubio vnum corpus efficitur.* Theophylactus *in cap.* 26. *Matth. & in cap.* 14. *Marci*: *Dicens*, inquit, *hoc eſt corpus meum, oſtendit, quòd ipſum corpus Domini eſt panis, qui ſanctificatur in altari.* Denique hunc eundem modum loquendi voluit Nicolaus Papa II. obſeruari in Berengario, quando in Concilio 113. Epiſcoporum Romæ retractauit publicè ſuum errorem, vt habetur in cap. *Ego Berengarius* 42. de conſecrat. *diſt.* 2. vbi anathematizat eam hæreſim, *Quæ adſtruere conatur panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo Sacramentum, & non verum corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe.* Imo idem Berengarius poſtea morti proximus cùm eſſet, vt refert Guillelmus Bibliothecarius *lib.* 3 *de geſtis Angl.* vera, & ex animo pœnitentia ductus in hæc verba prorupit: *Hodie in die apparitionis ſuæ* (erat quippe dies Epiphaniæ) *apparebit mihi Dominus meus Ieſus Chriſtus, vel propter pœnitentiam, vt ſpero, ad gloriam, vel propter alios* (quos ſeduxerat) *vt timeo ad pœnam æternam. Nam iam ſanè credimus, poſt benedictionem illa myſteria eſſe corpus, & ſanguinem Saluatoris, adducti & veteris Eccleſiæ authoritate, & multis nouiter oſtenſis miraculis.* Eodem modo loquuntur alij Patres, vt conſtet, multo magis communem eſſe illum modum loquendi, quo Sacramentum hoc dicitur eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, quàm quo dicitur eſſe ſpecies panis, & vini continentes corpus & ſanguinem Chriſti.

Iuſtin.
Irenæus.
Origen.
Cyprian.
Greg. Nyſſ.
Auguſt.
Cyrillus.
Chryſoſt.
Photius.
Ambroſ.
Theophyl.
Nicol. II.
Guil. Bibl.

Dicunt, Patres ita loqui, quia parti principaliori, quæ eſt corpus & ſanguis Chriſti, tribuunt nomen totius. Sed contrà; quia anima rationalis eſt principalior pars hominis; non dicetur tamen communiter, & paſſim: *Homo eſt anima*, quia non ſola anima ſignificatur in recto; quamvis ergo ſemel, aut iterum poſſet per figuram vſurpari ea loquendi formula, non tamen regulariter, prout Patres illam vſurparunt. 41.

Inſtantia.
Soluitur.

Obiiciunt iterum, quia quando aliqua duo componunt intrinſecè aliquod totum, non eſt, cur vnum ſolum importetur in recto, niſi ſit vel ſubiectum, vel ſuppoſitum cui alterum vniatur. Neutrum autem horum munerum præſtat corpus Chriſti circa ſpecies panis. Reſpondeo, licèt corpus Chriſti non afficiatur, vel perficiatur intrinſecè à ſpeciebus; habere tamen ſe, quaſi ſuppoſitum illarum, cùm enim ſuccedat ſubſtantiæ panis, ſuccedit etiam in munere ſubſtandi accidentibus, vt infrà videbimus. Alioquin non poſſet, oſtenſis ſpeciebus, dici: *Hoc eſt corpus Chriſti*, quia licèt oſtenſâ burſâ poſſit dici, *hoc eſt aurum*, & oſtenſo vaſe, *hoc eſt vinum*, eo quòd contentum accipiat has denominationes à continenti: accidentia tamen non habent hanc vim, ſed ſolùm denominant, & deſignant ſubſtantiam, quæ illis ſubeſt, quia non deſignantur per modum continentis, ſed per modum accidentium, quibus ſubeſt aliqua ſubſtantia; & ideo, oſtenſis illis, dicitur: *Hoc eſt corpus Chriſti*, quia ſenſus eſt, corpus Chriſti eſt ſubſtantia illorum accidentium. Quamvis ergo non ſit propriè ſubiectum, vel ſuppoſitum illorum; gerit tamen munus ſuppoſiti, ſuſtentatque illa in genere cauſæ efficientis, vt infrà dicemus; atque ideo non mirum, ſi Patres loquantur de illo complexo, ſicut loqui ſolemus de pane naturali, in quo ſubſtantiam ſolam intelligimus in recto, & accidentia in obliquo.

Obiectio ſecunda.
Reſponſio.
Corpus Chriſti ſe habet velut ſuppoſitum ſpecierum.

42. Obiiciunt tertiò ex Tridentino *ſeſſ.13.cap.3.* vbi *Continuę eſt*, inquit, *ſanctiſſima Euchariſtia cum cæteris Sacramentis ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem.* Si ergo hoc Sacramentum eſt forma viſibilis; ergo in recto eſt forma viſibilis: ſpecies autem ſolæ ſunt forma viſibilia; ergo hoc Sacramentum non ſolùm in obliquo, ſed in recto eſt ſpecies panis, & vini. Hoc argumentum probat etiam contra eius Auctores; nam probat, Euchariſtiam non importare in recto aliud præter ſpecies, quia alioquin non poſſet dici ſimpliciter, & abſolutè *eſt forma viſibilis*; ſicut nec homo poteſt dici animæ, eo quòd non dicit illam ſolam, ſed corpus, & animam. Cùm ergo ij Auctores fateantur, vtrumque dici in recto nomine Euchariſtiæ, ſcilicet corpus Chriſti & ſpecies, ipſi etiam debent reſpondere. Eſt autem ſolutio facilis ex dictis: non enim dicit Tridentinum, ergo Sacramentum eſſe in recto formam per ſe viſibilem inuiſibilis gratiæ, ſed eſſe quidem formam viſibilem in recto, quod veriſſimum eſt; nam corpus Chriſti, quod ſignificatur in recto, eſt aliquid ſenſibile, non per ſe, ſed per ſpecies: ſenſibile verò, quia alioquin non poſſet componere Sacramentum: ſufficit tamen, eſſe ſenſibile per aliud, vt notauit P. Vaſquez *in præſenti diſp.167.n.40.* vbi hoc modo reſpondet ad idem ferè argumentum, quod ſibi obiecerat.

Conc. Trid. Obiectio tertia.

43. Obiiciunt quartò, ex Innocent. III. in cap. *cùm Martha*, de celebrat. Miſſar. qui in hoc Sacramento ait ſpecies viſibiles eſſe *Sacramentum tantùm*, corpus Chriſti eſſe *Sacramentum & rem.* Quod idem habetur in cap. *Hoc eſt*, de conſecrat. *diſt.2.* Reſpondetur ex dictis *ſect.2.* ſpecies non dici Sacramentum tantùm, quaſi ipſæ ſint Euchariſtia in recto, ſed quia ipſæ ſignificant, & non ſignificantur; & ideo dicuntur eſſe ſolummodo Sacramentum, id eſt, non exercere aliud munus niſi Sacramentale, hoc eſt, ſignificandi actiuè ſenſibiliter: ex hoc autem non fit, quòd ſint Sacramentum Euchariſtiæ in recto, ſed aliquid Sacramenti Euchariſtiæ componens illud in ratione Sacramenti.

Obiectio quarta. Reſponſio. Quomodo ſpecies dicantur Sacrament. in tantum.

44. Difficilius poſſent obiici verba Aug *epiſt.23.ante finem*: vbi explicans, quo ſenſu Baptiſmus, quia eſt Sacramentum fidei, poſſit appellari fides, ſic ait: *Sicut ergo ſecundùm quendam modum Sacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, Sacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei, fides eſt.* In quibus verbis nomine Sacramenti, neceſſe eſt, quod intelligat ſpecies, de quibus ſolis dici poteſt, quod ſint quodammodo corpus Chriſti, quatenus illud ſignificant, nam de corpore ipſo Chriſti non poſſet dici, eſſe quodammodo corpus Chriſti.

Obiicitur Auguſtinus.

45. Omiſſis aliis explicationibus, quæ videri poſſunt apud Valent. *tom.4. diſp.6. de Euchariſt. q.3. punct.1.* §.20. concedere poſſumus, Auguſtinum ibi nomine *Sacramenti* intelligere ſpecies ſolas panis, & vini in recto: tum quia, vt ſuprà dixi, aliquando ita vſurpatur nomen illud, tum maximè quia licèt ſpecies non ſint ſimpliciter Euchariſtia, ſunt tamen ſimpliciter Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti, hoc eſt, ſymbolum, ſeu ſignum ſacrum corporis, & ſanguinis Chriſti, prout ab Auguſtino appellantur, & de his verè dicitur, eſſe ſolùm *quodammodo* corpus, & ſanguinem Chriſti. Sic etiam aliquando Patres dicunt, in altari poni *typum corporis, & ſanguinis Chriſti*, ſeu *antitypum*: quæ nomina applicari debent ſpeciebus, quæ ſunt ſigna, & ſymbola corporis Chriſti; quando verò ſermo eſt de Euchariſtia, de pane hoc, de Sacramento ſimpliciter, & abſolutè, frequentiùs ſignificant iis nominibus corpus, & ſanguinem Chriſti, prout contentum eſt ſub ſpeciebus Sacramentalibus. Alij Auguſtinum explicant, non de Euchariſtia, ſed de pane benedicto, qui dabatur Catechumenis, & ab Auguſtino vocatur aliquando Sacramentum corporis Chriſti, vt *in lib.2. de peccatorum meritis*, cap.26. *Quod accipiunt*, inquit, *quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.* Sed magis placet prior expoſitio; nam illum panem benedictum nunquam vocat Auguſtinus corpus Chriſti, vel Sacramentum corporis Chriſti.

Valentia. Explicatur Auguſtinus. Auguſt.

SECTIO IV.

An verba conſecrationis componant intrinſecè Euchariſtiam.

Non loquimur tunc de actione ipſa Sacramentali, ſeu tranſſubſtantiatiua, ſed de verbis ſolùm, quæ appellantur forma huius Sacramenti. De qua duæ ſunt potiſſimæ ſententiæ: nam licèt Suarez *ſect.1.* tres afferat, re tamen vera ad duas debent reduci. Prima docet, verba conſecrationis requiri quidem ad hoc Sacramentum conficiendum, non tamen vt formam intrinſecè componentem, ſed vt principium formale effectiuum Euchariſtiæ: quare ipſum Sacramentũ, quoad totam ſuam intrinſecam entitatem maneret idem, ſi Deus ſine verborũ prolatione poneret corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis eo modo, quo tũc de facto eſt. Hãc tenent Scotus, Gabriel, Victoria, Ledeſma, Catharinus, Claudius Alanus, quos refert Suarez *d. ſect.1.* Eandem ſequitur Gabr. Vaſquez *in præſenti diſp.167.c.3.* qui refert alios. 46.

Prima ſententia admittentiũ verba vt principium effectiuum. Suarez. Vaſquez.

47. Mihi ſemper probabilior viſa eſt ſecunda ſententia, quæ re ipſa concedit, verba conſecrationis pertinere intrinſecè ad Sacramentum Euchariſtiæ. Hanc docet Suarez vbi ſuprà, licèt oppoſitam ſatis probabilem iudicet, & ſuam non ſatis clarè aperiat. Tenet etiam P. Valentia *in præſenti q.6.p.1.* &, nî fallor, eſt communis Theologis antiquis: quamplures enim, quorum verba pro ſe affert Vaſquez vbi ſuprà, ſi attentè conſiderentur, magis iudicant noſtram ſententiam. Dicunt enim, Euchariſtiam conſtitui intrinſecè per ſpecies conſecratas, vbi iam includunt vltra ſpecies, ipſam conſecrationem, & licèt dicant aliqui, verba ſolùm connotari: hoc tamen non obſtat, quo minùs intrinſecè pertineant ad Sacramentum; nam (vt vidimus *ſect. præced.*) bene poteſt aliquid ſignificari vt intrinſecè componens, & tamen non ſignificari in recto, ſed ſolùm de connotato; quare poſſunt meritò pro noſtra ſententia adduci Richardus, Alexander, & Maior ibi adducti, & quotquot illum loquendi modum vſurparunt.

Secunda eſt verior, quæ concedit verba conſecrationis pertinere intrinſecè ad hoc Sacramentum.

48. Probatur ergo noſtra ſententia, primò ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij, vbi poſtquam in verſ. *Quintò Eccleſiaſticorum*, dixit Pontifex, omnia Sacramenta perfici materia, & forma; poſtea in verſ. *Tertium eſt*, ait, formam Euchariſtiæ eſſe verba conſecrationis; ex quo fit, ipſa verba eſſe de intrinſeca ratione, & compoſitione Euchariſtiæ, non aliter ac formam aliorum Sacramentorum.

Probatur primò ex Concilio Conc. Flor.

49. Multis ſolutionibus eneruari ſolet hæc ratio, quas breuiter oportet impugnare. Primò dicunt, verba conſecrationis eſſe quidem formam Euchariſtiæ in fieri, non verò Euchariſtiæ in facto eſſe. Sed contrà; quia vel eſſe formam Sacramenti in fieri eſt eſſe formam, qua conſtituatur ipſum fieri, ſeu productio Sacramenti Euchariſtiæ. Et hoc eſt falſum, quia verba non ſunt forma productionis Euchariſtiæ, imò potiùs ſunt principium efficiens ipſius productionis, reſpectu cuius habent ſe verba quaſi

Multis ſolutionibus eneruatur hæc ratio. Prima ſolutio. Sed remouetur.

principium

principium extrinſecum, & non intrinſecum, cùm nullo modo componant ipſam productionem Euchariſtiæ; ergo multo minùs poſſunt verba eſſe forma Sacramenti in fieri, quàm in facto eſſe: vel per eſſe formam Sacramenti in fieri, intelligitur eſſe formam illius in primo inſtanti, non verò pro tempore ſequenti. Et hoc etiam reiicitur; quia ſi pro primo inſtanti componitur ex forma, vt reſultet compoſitum: ergo pro tempore ſequenti non habebit denominationem eandem Sacramenti, niſi ab eâdem forma, vel ab alio vice formæ: nihil autem aliud ſuccedit loco formæ, quod tribuat eam denominationem: ergo debet prouenire ab eadem forma præterita; non enim poteſt prouenire à ſola materia; alioquin in primo etiam inſtanti potuiſſet denominari Sacramentum à ſola materia.

50. *Secunda ſolutio.* Dicunt ſecundò, Euchariſtiam in hoc differre ab aliis Sacramentis, quòd cætera omnia conſtent intrinſecè materia & forma, non verò Euchariſtia, eò quòd ſit in eo ſpecialis ratio, quòd reliqua conſiſtant in ipſo vſu, at verò Euchariſtia habeat eſſe Sacramentum etiam poſt tranſacta verba. Sic Scotus & Gabriel. *Refellitur.* Sed contrà, quia quidquid ſit de ratione diſcriminis, Eugenius tamen in vniuerſum loquitur de omnibus Sacramentis, omnia ſcilicet perfici materia, & forma: quod in ſpeciali probat de Euchariſtia, dicens, verba eſſe eius formam: ergo hæc exceptio non eſt iuxta, ſed contra mentem Eugenij.

51. *Tertia ſolutio.* Ideo Vaſquez, & alij recentiores reſpondent tertiò, admittendo, verba eſſe formam Euchariſtiæ, dicunt tamen eſſe formam intrinſecam, non intrinſecam: eſt enim forma conficiens Euchariſtiam, non conſtituens intrinſecè illam. Quod videtur maximè eſſe iuxta mentem Pontificis; neque enim per materiam & formam ſignificare voluit materiam, & formam intrinſecè conſtituentem Euchariſtiam: alioquin ineptè poſuiſſet pro materia panem, & vinum: cùm ſit omnino certum, panem, & vinum non eſſe materiam intrinſecè conſtituentem Euchariſtiam; imò potiùs neceſſe eſt, deſtrui panem & vinum, vt exiſtat Euchariſtia: ergo ſimiliter nomine formæ non debuit intelligere formam intrinſecam, ſed extrinſecam, quæ ſcilicet extrinſecè requiritur ad conficiendum hoc Sacramentum. *Reſponſio quorundam.* Reſpondent aliqui Recentiores ad hanc inſtantiam, Eugenium appellaſſe materiam Euchariſtiæ panem, & vinum, non quidem quantum ad ſubſtantiam panis, & vini, ſed quantum ad ſua accidentia, & ſpecies, ſub quibus dixit manere Chriſtum. Cùm enim dicat, ſubſtantiam panis non manere in Euchariſtia, non potuit dicere, eſſe materiam illius.

52. *Sed non ſatisfacit.* Verùm hæc ſolutio non ſoluit vim inſtantiæ nec enim Eugenius potuit nomine *panis* intelligere ſola panis accidentia, præſertim vbi dogmata fidei neceſſaria Armenis tradere curabat: quis enim fidem tradendo, diceret, corpus Chriſti manere in Euchariſtia ſub pane, & vino, eò quòd maneat ſub ſpeciebus panis & vini? Sanè hæc interpretatio non poteſt non eſſe violenta verbis Pontificis. *Aliter impugnatur hæc ſolutio.* Quare aliter impugno prædictam ſolutionem P. Vaſquez; quia dicet ibi aſſignetur etiam pro materia Euchariſtiæ panis, & vinum, quæ quidem ſunt materia remota Euchariſtiæ: at verò nomine *formæ* non potuit intelligi niſi forma proximè conſtituens ipſam Euchariſtiam. Ratio verò diſcriminis eſt manifeſta, quia materia apud Philoſophos dupliciter vſurpatur, nempe pro materia proxima, & pro materia remota. Materia proxima eſt, ex qua conſtituitur intrinſecè compoſitum: vt lapides ſunt materia domus: at verò materia remota eſt, ex qua aliquid fit, tanquam ex termino *à quo*, vt quando ex ligno fit ignis, tunc lignum dicitur materia remota ignis. At verò *forma* nunquam à Philoſophis in hoc duplici ſenſu vſurpatur; *Forma nunquam in hoc duplici ſenſu vſurpatur.* non enim dicimus, formam ligni eſſe formam remotam ignis ex lignis geniti; ergo dum Pontifex loquitur de materia, & forma Euchariſtiæ, licèt nomine *materiæ* intelligeret materiam remotam, nomine tamen *formæ* non potuit intelligere, niſi formam proximè conſtituentem, cùm non ſit aliud genus formæ apud Philoſophos.

53. *Sed contrà obiicimus.* Dicunt, etiam principium formale effectiuum appellari poſſe formam non conſtituentem, ſed effectiuam rei; & in hoc ſenſu verba ſunt forma Euchariſtiæ, quatenus ſunt principium formale illam efficiendi. *Reſpondemus.* Sed contrà; quia hic eſt improprijſſimus modus appellandi formam: nam licèt intellectus dicatur principium formale efficiendi intellectionem, & forma conſtituens hominem in ratione intellectiui; non tamen dicitur forma ipſius intellectionis, quæ ab illo efficitur: ergo cum verba non ſolùm dicantur principium formale efficiendi Euchariſtiam, ſed etiam formæ ipſius Euchariſtiæ, non poteſt hoc explicari; niſi de forma conſtitutiua ipſius Euchariſtiæ; qui modus explicandi non leuiter confirmatur ex modo loquendi Catechiſmi Pij V. *p. 2. cap. 1.* vbi materia, & forma verborum dicuntur *eſſe partes, ex quibus vnumquodque Sacramentum neceſſariò conficitur; & conſtituitur*: & ex S. Thoma *ſuprà q. 60. art. 6. ad 1. & q. 86. art. vlt. & in q. 4 ſent. d. 1. q. 1 art. 3.* in quibus locis dicit, Sacramenta fieri, conſtare, & conſiſtere ex materia, & forma, ſicut Chriſtus ex Verbo, & carne. Per quem loquendi modum apertè ſignificatur forma intrinſecè conſtituens, non extrinſecè influens. *Confirmatur hic modus explicandi. Catech. Pij V. S. Thom.*

54. *Ratio à priori.* Ratio à priori eſt, quia forma vt forma non poteſt habere alium modum concurrendi, niſi intrinſecè componendo, vt dixi in Philoſophia: nec poteſt habere alium effectum, niſi compoſitum ex ea reſultans; ergo cùm verba conſecrationis ſint verè forma Euchariſtiæ, vt definit Eugenius, neceſſe eſt, quòd illam intrinſecè componant: alioquin non erunt eius forma, ſed cauſa efficiens, vel aliquid aliud.

55. *Probatur principaliter noſtra ſententia, neque enim ſpecies prout condiſtinctæ à verbis poſſunt habere integram rationem Sacramenti.* Secundò ergo, & principaliter probatur ratione noſtra ſententia; quia ſpecies, prout condiſtinctæ à verbis, non poſſunt habere integram rationem Sacramenti: prout ſic enim non habent integram, & completam ſignificationem ſenſibilem gratiæ nutrimentalis, qualis requiritur ad Sacramentum Euchariſtiæ; ergo in ratione Sacramenti reduplicant ipſam conſecrationem, ſeu verba conſecrationis. *Probatur antecedens.* Antecedens probatur, quia ſpecies panis nec ſignificant de ſe præſentiam corporis Chriſti, nec gratiam: nec ad hoc ſignificandum ſunt inſtitutæ, nec ad hoc excitant mentem videntis, niſi ſciamus eſſe conſecratas, ſeu ſuper illas prolata eſſe talia verba: vt ſic enim iam habent ſignificationem, & inſtitutionem requiſitam: ergo ſpecies non conſtituunt Sacramentum, niſi prout cum verbis conſecrationis.

56. *Inſtantia ſoluitur.* Dices, ſpecies panis de ſe non habent ſignificare gratiam: cæterùm ſpecies ſimul cum corpore Chriſti ſub eis contento ſufficienter ſignificant gratiam etiam præſcindendo à verbis. Sed contrà, quia etiam ſi ponatur corpus Chriſti ſub ſpeciebus, non habent completam rationem ſigni ſenſibilis: nam corpus Chriſti per ſe non ſentitur, nec excitat notitiam gratiæ in nobis: ſpecies autem de ſe non ſignificant ſenſibiliter corpus Chriſti, niſi prout cum talibus verbis; nemo enim videns ſpecies panis, cogitat ibi eſſe Chriſtum, niſi audiat verba conſecrationis, vel ſciat prolata eſſe: ergo in ratione ſigni ſenſibilis, &

per conſequens in ratione Sacramenti non conſtituitur Euchariſtia adæquatè per ſpecies, prout condiſtinguuntur à verbis conſecrationis. Ex quo fit conſequenter contra P. Vaſquez *vbi ſupra*, ſi Deus poneret corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis ſine verborum prolatione, non futurum idem Sacramentum Euchariſtiæ, nec idem ſignum ſenſibile gratiæ, quod nunc eſt, cùm non ſignificaret tunc gratiam per verborum prolationem, ſed per aliquid aliud.

57. *Obijcit primò Vaſquez.*

Contra noſtram ſententiam obiicit primò P. Vaſquez ex decreto Eugenij ſuprà adducto, vbi Pontifex ait, verba conſecrationis eſſe, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum: ergo ex ſententia Eugenij verba ſunt cauſa efficiens Euchariſtiæ; ergo non ſunt forma intrinſeca; nam cauſa formalis non eſt cauſa efficiens eiuſdem rei.

Reſpondetur.

Reſpondetur, etiam Sacerdotem ſua benedictione conficere aquam benedictam; & tamen aqua benedicta, vt benedicta, proculdubio includit tanquam formam, ipſam benedictionem. Similiter, licèt verbis conficiat Sacerdos Euchariſtiam, poteſt tamen Euchariſtia includere verba tanquam formam: non enim repugnat aliquam ſimul eſſe cauſam formalem, & efficientem eiuſdem compoſiti; v. g. ſi anima rationalis diuinitus ſe vniret corpori, tunc eadem anima eſſet cauſa efficiens, & formalis illius compoſiti humani, quod reſultaret: quod licèt naturaliter non accidat; diuinitus tamen nulla in hoc inuenitur repugnantia; & quidem naturaliter etiam id contingit in nutritione; nam pars illa compoſiti humani, quæ de nouo aggeneratur per nutritionem, habet pro forma animam rationalem, quæ eadem anima eſt cauſa efficiens principalis illius nutritionis, & per conſequens illius compoſiti partialis, quod per nutritionem producitur. Sic ergo Sacerdos per verba ponit efficienter corpus Chriſti ſub ſpeciebus: quæ quidem verba ſimul ſunt cauſa formalis illius compoſiti, quod reſultat ex opere Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis vt conſecratis.

Non repugnat aliquam ſimul eſſe cauſam formalem & efficientem eiuſdem compoſiti.

58. *Obijcit ſecundò.*

Secundò obiicit, quia Sacramentum vt Sacramentum debet eſſe ſignum practicum gratiæ ſanctificantis, vt ſuprà dictum eſt; ergo illis ſolùm rebus competit eſſe partes Sacramenti, quibus competit ſignificare, & cauſare gratiam: ſed verba conſecrationis non cauſant, nec ſignificant proximè gratiam, ſed remotè; proximè enim ſolùm ſignificant corpus Chriſti ſub ſpeciebus contentum: ergo verba non ſunt pars intrinſeca Sacramenti Euchariſtiæ.

Reſpondemus retorquendo argumentum.

Hoc argumentum, ſi aliquid probat, probaret etiam, ſpecies non eſſe partes Sacramenti; poſſet enim dicere aliquis, quod ſpecies ſolùm ſignificant immediatè corpus Chriſti, & remotè gratiam, quam ſignificat corpus Chriſti. Cæterùm hunc modum dicendi impugnauimus iam ſuprà *ſect.* 2. nam corpus Chriſti non poteſt ſignificare ſenſibiliter, & Sacramentaliter gratiam: niſi vt cum ſpeciebus ſenſibilibus. Ex quo ſimiliter dicendum eſt de verbis, non enim eſt maior ratio, cùm nec ſpecies, nec verba ſeorſum ſignificent ſufficienter corpus Chriſti: quare ſicut corpus Chriſti ſignificat ſenſibiliter gratiam, prout cum ſpeciebus, ſic etiam prout cum ſpeciebus conſecratis per talia verba, quæ complent Euchariſtiam in ratione ſigni ſenſibilis, cùm ſine illis non haberet ſufficientem ſenſibilitatem ad ſignificandam gratiam, & per conſequens fatendum eſt, verba ipſa ſignificare immediatè, & proximè gratiam, non quidem totaliter, ſed partialiter cum alijs partibus Sacramenti.

Inſtantia.

Dices, verba nullo modo cauſant gratiam, ſed corpus ſub ſpeciebus: ergo non componunt Sacramentum.

Diluitur.

Reſpondeo, tranſeat antecedens, nego conſequentiam: non enim neceſſe eſt omnes partes Sacramenti cauſare, ſicut nec in aliquorum Sententia confeſſio cauſat, ſed ſola abſolutio. Requiritur tamen, quòd concretum cauſet, licèt per vnam partem habeat ſenſibilitatem, & per alteram cauſalitatem.

Tertiò obiicitur, quia Sacramentum Euchariſtiæ in hoc differt à reliquis, quòd illud ſit permanens: tranſactis enim verbis, perſeuerat diu Sacramentum; ergo non conſtat intrinſecè ex verbis; alioquin, illis tranſactis, non maneret integrum Sacramentum, ſicut, ablata anima, non maneret homo. 59. *Tertia obiectio.*

Reſpondet Suarez *dicta ſect.* 2. circa finem, dici perſeuerare Euchariſtiam, quia permanet, quoad aliquam ſui partem, licèt non quoad omnes: nam ſicut res ſucceſſiua dicitur eſſe, quia aliquid illius eſt, licèt aliæ partes tranſierint: ſic hoc Sacramentum, quod ex permanente, & ſucceſſiuo conſtat, dicitur perſeuerare, quandiu aliquid illius perſeuerat. 60. *Reſpondet Suarez.*

Sed contrà, quia ex hoc ſequeretur, poſſe etiam dici, dari Euchariſtiam, quando proferebantur verba, antequam abſoluerentur: quia iam exiſtebat aliqua pars Sacramenti; quod nemo concedet: nec in rigore loquendo admitti poteſt exiſtere Baptiſmum in vltimo inſtanti prolationis verborum, licèt tunc perficiatur Baptiſmus, ſicut neque in illo inſtanti exiſtere tempus, licèt tunc exiſtat aliquid temporis: quia nimirum entia ſucceſſiua non ſunt tota ſimul, ſed diuiſibiliter, & ſucceſſiuè pars poſt partem. *Impugnatur hæc reſponſio.*

Ad obiectionem ergo reſpondetur, Sacramentum Euchariſtiæ permanere quidem, tranſactis verbis, quoad id, quod dicit in recto, non verò quoad id, quod dicit in obliquo: ſufficit autem manere id, quod includitur in recto, vt dicatur perſeuerare Sacramentum: ſicut nunc etiam dicitur manere domus antiqua, licèt modò non exiſtat id, à quo domus denominatur antiqua, ſcilicet durationes annorum præteritorum: quare cùm Euchariſtia ſolùm ſignificet in recto corpus Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, licet verba conſecrationis tranſierint, verum eſt, manere Euchariſtiam, quia manet corpus Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis: & in eodem ſenſu verum eſt dicere, Euchariſtiam eſſe in altari, licet non ſint ibi verba; quia ſicut dicitur eſſe in Eccleſia aqua benedicta, licet non ſit ibi benedictio, quia ſcilicet eſt ibi, quod ſignificatur in recto: ſic etiam eſt ibi Euchariſtia, quia eſt ibi, quod ſignificatur in recto per Euchariſtiam. 61. *Soluitur melius obiectio. Vt dicatur perſeuerare Sacramentum ſufficit manere id, quod includitur in recto.*

Dices, Euchariſtia non eſt in cœlo; quia licèt ibi ſit corpus Chriſti, quod importatur in recto, non tamen ſunt ibi ſpecies, quas Euchariſtia includit intrinſecè in obliquo; ergo nec Euchariſtia eſt in altari, licet ibi ſit corpus Chriſti; quia non ſunt ibi verba, quæ Euchariſtia includit intrinſecè in obliquo. 62. *Inſtantia.*

Reſpondetur negando conſequentiam. Diſcrimen autem oritur ex diuerſo modo ſignificandi, quo vſurpamus diuerſa prædicata: quædam enim ſunt, quæ ex modo ſignificandi requirunt ad ſui veritatem, quòd accipiantur in ſenſu compoſito; vt ſi dicas: *hic eſt Petrus æger*; licet ægritudo importetur in obliquo, ſignificatur tamen de præſenti: alia verò prædicata ſunt, quæ non poſtulant præſentiam ad ſui veritatem, vt cùm dicimus, hoc obiectum eſſe amatum vel cognitum: non requiritur, quod hic & nunc ſit præſens amor, vel cognitio: quod quidem diſcrimen fundatur in eo, quòd quidam effectus formales poſtulant ex ſe formam præſentem, vt eſſe album: non enim poteſt quis eſſe albus, niſi ab albedine ſibi præſenti: alij verò non poſtulant formam præſentem, vt eſſe cognitum: poteſt enim *Diluitur.* *Quidam effectus formales poſtulant formam præſentem, quidam non.*

obiectum

obiectum denominari cognitum à cognitione etiam præterita, & abſenti. Ex qua doctrina facilè reſponderetur ad obiectionē, quòd hæc denominatio Christi ſub ſpeciebus non poteſt prouenire à ſpeciebus abſentibus, ſicut nec denominatio albi ab albedine abſenti, quia eſt denominatio reduplicans ſupra formam præſentem, & ideo in cœlo non dicitur eſſe Euchariſtia, nec Chriſtus ſub ſpeciebus; at verò denominatio ſpecierum conſecratarum poteſt prouenire à verbis præteritis, ſicut denominatio obiecti cogniti à cognitione præterita, quia ſolùm ſignificat, ſpecies illas eſſe, ſuper quas prolata ſunt verba conſecrationis, ad quam denominationem ſatis conſtat, non requiri actualem præſentiam verborum.

63. *Inſtabis, in aliis Sacramentis verumque importari in recto.* Vrgebis adhuc; in aliis Sacramentis tam forma, quàm materia importantur in recto: Baptiſmus enim eſt ablutio, & verba, & ſic de aliis, vt dictum eſt ſuprà; ergo in Euchariſtia tam forma, quàm materia debent importari in recto; & per conſequens etiamſi nunc detur corpus Chriſti ſub ſpeciebus, ſi tamen modò non dantur verba, non dabitur modò ſimpliciter Sacramentum Euchariſtiæ. *Negatur paritas, ratio diſcriminis eſt, quia alia Sacramenta conſiſtunt in vſu.* Reſpondeo negando primam conſequentiam; nam licèt in aliis Sacramentis ſit vera doctrina tradita, in Euchariſtia tamen patitur exceptionem: nec enim Euchariſtia ſupponitur in recto pro forma. Ratio autem huius exceptionis & differentiæ deſumenda eſt ex principiis ſuprà traditis; quia illud importatur de connotato, quod ſignificatur per modum alteri adiacentis, ſeu habiti ab alio. Ex quo fit, in Euchariſtia verba importari de connotato, non verò in aliis Sacramentis; cùm enim in aliis Sacramentis materia proxima ſit aliqua actio tranſiens, vt ablutio, vnctio, &c. non bene importaretur vt ſubiectum verborum, quia vna actio non bene concipitur vt ſubiectum alterius actionis, neque eſſet maior ratio de vna, quàm de alia: at verò in Euchariſtia materia proxima eſt res permanens, & ideo aptiùs ſignificatur vt accipiens, & habens denominationem à verbis tranſeuntibus: quæ ratio ſufficiens fuit ad diuerſimodè vtendum nominibus Sacramentorum: ita vt per alia æquè in recto ſignificaretur materia, & forma: per Euchariſtiam verò ſignificaretur corpus Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, importando ipſa verba conſecrationis ſolùm de connotato.

SECTIO V.

Afferuntur alia argumenta, & ſolutiones Recentiorum contra doctrinam præcedentem.

64. *Obiicitur primò contra noſtram ſententiam, verba adhuc moraliter, & virtualiter permanere prout ſcilicet non ſunt reuocata.* SEntentiam noſtram *ſectione præcedenti* traditam impugnarunt aliqui, & argumenta à nobis allata ſoluere conati ſunt, quorum ſolutiones, & argumenta in præſenti breuiter examinabimus. Dicunt igitur, probari clarè noſtris argumentis hoc Sacramentum in eſſe etiam permanenti non includere ſolas ſpecies, & corpus Chriſti, ſed aliquo etiam modo verba tanquam formam, & per quæ fiat ſignum completè ſenſibile. Addunt tamen, hæc non eſſe verba ipſa realia præterita, quia poſtea exiſtit, & perſeuerat Sacramentum: cùm autem Sacramentum ſit quoddam totum, debent permanere omnes eius partes: non permanent autem verba præterita: debet ergo aliquid ſubrogari pro illis, videlicet verba ipſa moraliter, ſeu virtualiter permanentia: hanc verò moralem permanentiam dicunt eſſe carentiam reuocationis verborum: nam quantumcunque præceſſiſſent verba Chriſti, ſi tamen poſtea fuiſſent reuocata, non ampliùs ſignificaretur corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus: nunc ergo per ipſam negationem reuocationis intelliguntur moraliter perſeuerare verba; & hæc negatio reuocationis, cùm ſit aliquid præſens, poteſt conſtituere Sacramentum præſens, quod non poſſent facere verba merè præterita.

65. *Hic modus dicendi primò impugnatur.* Hic modus dicendi impugnari facilè poteſt; primò, ad hominem; quia ideo nolunt ipſi, verba præterita eſſe formam intrinſecam huius Sacramenti, prout hoc Sacramentum eſt; quia poſt conſecrationem (inquiunt) perſeuerat Sacramentum, & non perſeuerant verba; ergo aliquid aliud debet eſſe forma, ſcilicet negatio reuocationis, quæ negatio nunc eſt, & ideo nunc etiam eſt Sacramentum; hoc autem argumentum probatur ad hominem eſſe inefficax, quia Sacramentum Euchariſtiæ eſt verè, & realiter in pyxide, quandiu ibi conſeruatur; & tamen negatio reuocationis verborum non eſt in pyxide, ibi enim ſolùm eſt negatio reuocationis ibi exiſtentis: potuit tamen eſſe reuocatio abſque eo, quòd eſſet ibi; ergo ſicut poteſt ibi eſſe verè, & realiter Sacramentum abſque eo, quòd ibi ſit negatio reuocationis, à qua formaliter conſtituitur in ratione Sacramenti: ſic etiam potuit nunc eſſe verè, & realiter Sacramentum abſque eo, quod nunc ſint verba, quæ ſunt forma intrinſeca Sacramenti prout Sacramentum eſt, neque enim minùs repugnat exiſtere hîc aliquid abſque ſuo conſtitutiuo intrinſeco, quàm exiſtere nunc abſque illo; nec poteſt vlla veriſimilis ratio diſcriminis aſſignari. Hoc idem argumentum fieri poteſt loquendo de ſignificatione, ſeu de inſtitutione, aut poteſtate ad ſignificandum; per quam conſtituitur Sacramentum in ratione ſigni: nam hæc eſt forma conſtituens Sacramentum in ratione Sacramenti, & ſignificatiui, & tamen hæc non eſt in pyxide, vbi ſunt ſpecies conſecratæ; ergo poteſt eſſe Sacramentum ibi, vbi non eſt forma conſtitutiua illius in ratione Sacramenti.

66. *Secundò impugnatur à priori.* Secundò, & à priori impugnatur, quia quantumcunque ponatur pro forma illa negatio reuocationis verborum, non poteſt vitari, quin recurratur ad ipſamet verba præterita, tanquam ad conſtitutiuum ſaltem partiale: nam negatio præciſa reuocationis verborum ſecundùm ſe non ſufficit ad denominandum Sacramentum illud completè. Ponamus enim, quòd Deus conſtitueret corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis abſque vllis verbis conſecrationis, tunc quidem eſſent ſpecies continentes corpus Chriſti, atque eſſet etiam negatio reuocationis verborum, nulla enim eſſet facta verborum reuocatio, & tamen non eſſet idem Sacramentum, quod modò eſt in ratione Sacramenti, nec illa negatio reuocationis tunc conſtitueret, cùm nulla præceſſiſſent verba, quæ poſſent reuocari: ergo negatio præciſa reuocationis non conſtituit nunc, ſed debent intelligi etiam verba præterita.

67. *Inſtantia.* Dices, illa non eſſet tunc eadem negatio reuocationis quæ nunc eſt, quia nunc eſt negatio reuocationis verborum prolatorum, tunc autem eſſet ſolùm verborum poſſibilium. *Soluitur.* Sed contrà, quia negatio reuocationis verborum prolatorum ſupra illam aliam negationem ſolùm addit verba illa fuiſſe prolata, per hoc enim præciſè, quòd verba illa ſint prolata, iam eadem negatio eiuſdem prorſus reuocationis intelligitur negatio reuocationis verborum prolatorum, nec per hoc, quòd verba ſint prolata, intelligitur noua negatio, quæ aliàs non fuiſſet, quia etiamſi non fuiſſent prolata, eſſent omnes prorſus negationes, quæ nunc ſunt: negatio enim tandiu eſt, quandiu non eſt res, cuius eſt negatio: cùm ergo tunc non eſſent reuocationes verborum, tunc etiam eſſent negationes omnes reuocatio-

num

tum poſſibilium; & per conſequens hæc eadem negatio, quæ nunc eſt, eſſet tunc, licèt tunc non diceretur negatio reuocationis verborum præteritorum, ſicut nunc dicitur: hoc enim ſolùm addit, vt dias, verba fuiſſe prolata, atque adeò ad hanc denominationem dandam negationis reuocationis verborum præteritorum, debent intrare ipſa verba præterita, quia non eſſe reuocata verba præterita, dicit intrinſecè duo, videlicet, verba fuiſſe prolata, & non eſſe poſtea reuocata; hoc ſecundum habetur formaliter à negatione; illud primum habetur formaliter à prolatione præterita verborum, vt conſtat.

Inſtantia. Dices, formam Euchariſtiæ in eſſe permanenti non eſſe verba præterita, ſed negationem reuocationis non ſolam ſecundùm ſe; ſed cum reſpectu quodam

Diluitur. ad verba præterita, vt præterita. Sed contra. quia hic reſpectus vel eſt aliquid negatiuum, vel poſitiuum. Si eſt negatiuus, fuiſſet eodem modo, licèt non fuiſſent prolata verba, quia tunc eſſent omnes negationes, quæ nunc ſunt, nec potuit tunc deeſſe aliquid negatiuum, niſi per poſitionem alicuius poſitiui, quod tunc eſſet. Supponimus autem, nihil poſitiuum tunc fore, quod nunc non ſit. Si verò hic reſpectus dicatur poſitiuus, non poteſt eſſe aliud præter ipſa verba præterita: non enim eſt modus poſitiuus inhærens ipſi negationi reuocationis, vt conſtat.

68. *Inſtatur.*

Reſponſio. Dices, hunc reſpectum eſſe aliquid poſitiuum, non phyſicum, ſed morale fundatum in prolatione præterita verborum, & negatione ſubſequenti reuocationis. Sed contrà; primò. quia hoc iam eſt recurrere re ipſa ad verba præterita, vt componentia intrinſeca: nam ens morale re ipſa reſoluitur in aliqua entia phyſica, ex quibus reſultat; quæ dant fundamentum, vt nos poſſumus dicere, eſſe moraliter, ſeu æquiualenter tale, eo quod illa entia phyſica æquiualeant moraliter alicui enti, quod phyſicè non datur; ſed re vera, phyſicè loquendo, nihil aliud eſt, niſi illa entitas phyſica. Vnde Deus, qui videt res, ſicuti in ſe ſunt, non videt, nec iudicat de rebus per illa entia moralia, ſed per entia phyſica, quæ in nobis fundant illos conceptus morales, ac per conſequens Deus videbit, Sacramentum Euchariſtiæ, in quantum Sacramentum eſt, conſtitui per ſpecies continentes corpus Chriſti, & per verba præterita, quæ nobis dant occaſionem dicendi, reſultare ibi reſpectum moralem, quia verba præterita non reuocata æquiualent reſpectui phyſico præſenti, qui nunc eſſet, in ordine ad ſignificandum ſufficienter præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus; ergo re ipſa & phyſicè loquendo, Sacramentum hoc vt Sacramentum eſt, conſtituitur ex ipſis verbis præteritis, & non ex ſola negatione reuocationis.

69. *Secundò reijcitur hæc ſolutio.* Secundò reijcitur hæc ſolutio, quia ante illum reſpectum moralem, qui reſultat, datur fundamentum proximum, & completum illius, nempe verba fuiſſe prolata, & non eſſe reuocata: poſſumus ergo loqui de ſpeciebus panis, prout ſubſunt illi fundamento, abſque eo, quòd concipiamus aliquid morale; & quidem negari non poteſt, quod ſpecies panis, prout denominantur præcisè à verbis præteritis non reuocatis, ſignificant ſufficienter gratiam, & præſentiam corporis Chriſti; qui enim cognoſcit ſpecies panis, ſuper quas fuerunt prolata verba conſecrationis, quæ non ſunt reuocata, cognoſcit, ibi eſſe Chriſtum in nutrimentum ſpirituale fidelium; ergo ſpecies panis, prout ſubſunt illi denominationi à verbis præteritis non reuocatis, ſunt verum Sacramentum ſignificans gratiam; omne enim quod eſt ſignum ſenſibile practicum gratiæ, &c. eſt verum Sacramentum; ſed vt ſic non ſunt aliud Sacramentum, niſi Euchariſtia; ergo ante illum reſpectum moralem, & ſolùm per denominationem à verbis ipſis præteritis intelligitur ſufficienter conſtitui re ipſa Sacramentum Euchariſtiæ, nec poteſt vllo modo vitari, quòd verba præterita intrent re ipſa ad dandam hanc denominationem.

Tertiò, principaliter impugnatur ille modus dicendi, quia præſcindendo ab illa negatione reuocationis præſenti, habemus hoc Sacramentum ſufficienter conſtitutum in ratione ſignificantis gratiam, & præſentiam corporis Chriſti: nam eo ipſo, quod ego video ſpecies panis, ſuper quas audiui verba conſecrationis proferri à Sacerdote, venio ſufficienter in notitiam corporis Chriſti latentis, licèt nihil ſciam de reuocatione: verba enim illa eo ipſo, quod fuerunt dicta à Chriſto per ſe, vel per ſuum miniſtrum, afferunt ſecum immutabilitatem in obiecto, quod affirmant: ſi ergo affirmarunt, ſub illis ſpeciebus contineri corpus Chriſti, hoc mihi ſufficit, vt ſciam, nunc eſſe ibi corpus Chriſti. 70. *Tertiò impugnatur ille modus dicendi.*

Reſpondent, verba ſecundùm ſe non affirmare, quod ibi ſit corpus Chriſti poſtea, ſed tunc ſolum quando proferuntur: ſunt enim verba de præſenti, atque ideo ex vi ſua non affirmant obiectum pro tempore futuro: debeo ergo aliunde ſcire, illa verba non eſſe poſtea reuocata, vt ſciam, adhuc perſeuerare ibi corpus Chriſti. 71. *Reſpondent aduerſarij.*

Hæc reſponſio multipliciter impugnatur; primò, quia Eccleſia ex veritate verborum Chriſti, collegit præſentiam corporis eius ſub ſpeciebus, non ſolum quando proferuntur verba, ſed etiam quando poſtea comeditur. Chriſtus enim dixit: *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*; ergo affirmauit non ſolum pro tunc, ſed pro tempore futuro, præſentiam ſui corporis: alioquin inepta eſſet illa cauſalis: *Comedite poſtea, quia nunc eſt corpus meum*, ergo fatendum eſt, Chriſtum affirmaſſe præſentiam ſui corporis permanentem ſub illis ſpeciebus, quandiu non corrumpuntur. *Impugnatur primò hæc reſponſio.*

Dixit aliquis, Chriſtum quidem id affirmaſſe, quia id colligebatur ex verbis antecedentibus: *accipite, & comedite*; alios tamen Sacerdotes, qui verba illa præcedentia dicunt ſolum recitatiuè, & materialiter, non ſignificare poſtea per illud, *eſt*, niſi præſentiam corporis Chriſti pro tunc, non pro tempore ſequenti; quia propria ſignificatio illius verbi non debet trahi ad aliud, niſi ex verbis adiunctis conſtet, vt conſtabat in ſermone Chriſti. 72. *Dicet aliquis.*

Hæc tamen reſponſio difficilis eſt; primò, quia Chriſtus dedit proculdubio Apoſtolis poteſtatem faciendi, quod ipſe fecit, & affirmandi, quod ipſe affirmauit, cum dixit: *hoc facite*; ſi ergo ipſe per illa verba: *Hoc eſt corpus meum*, affirmauit non ſolum præſentiam, ſed permanentiam ſui corporis, eandem permanentiam poſſunt alij Sacerdotes affirmare nomine Chriſti: alioquin non poſſunt facere quod ipſe fecit; ſiquidem non poſſunt vi verborum alligare corpus Chriſti ad permanendum ſub illis ſpeciebus. *Hæc reſponſio eſt difficilis, Chriſtus enim dedit Apoſtolis poteſtatem faciendi quod ipſe fecit.*

Secundò, ſi ex veritate verborum non colligitur permanentia corporis pro tempore ſequenti, vnde ergo colligitur? Dicunt, hoc haberi ex traditione mera. Vereor tamen, ne hoc reſponſum alienum ſit à mente Concilij Tridentini, in quo *ſeſſione* 21. c. 3. ex veritate verborum colligitur præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti; præſentia, inquam, non illa metaphyſica pro inſtanti, quo abſoluuntur verba, ſed præſentia moralis, & permanens: ex illa enim præſentia, quam ex *vi verborum* eſſe dixerat, infertur ſtatim *cap.* 5. debere poſtea huic Sacramento exhiberi cultum latriæ: *Nullus itaque* (inquit) *dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles pro more in* 73. *Secundò impugnatur, quia videtur hoc eſſe alienum à mente Concilij Trid.* Conc. Trid.

Eccleſia

Eccleſia Catholica ſemper recepto latriæ cultum huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant. Vbi illa particula *itaque*, eſt nota illationis, qua ex præſentia, quam dixerat eſſe ex vi verborum, infertur debitum adorationis latriæ *pro more in Eccleſia recepto.* Hic autem mos non eſt adorandi in illo inſtanti metaphyſico, imo nemo vnquam tunc adorat: quis enim poteſt ſcire illud primum inſtans, vt tunc adoret? Sed adorant tempore ſequenti poſt abſolutam conſecrationem; ergo ex veritate verborum colligitur præſentia corporis Chriſti pro tempore etiam illo ſubſequenti; alioquin malè probat Concilium ex præſentia, quam dixerat eſſe *ex vi verborum*, debitum illius adorationis exhibendæ, prout in Eccleſia exhibetur. Vnde poſtea *Canone* 4. ex eadem doctrina capitis tertij, quam in margine citat, infert, hæreticos eſſe, qui dicunt corpus & ſanguinem Chriſti non eſſe in hoc Sacramento, niſi in vſu, *non autem ante, vel poſt.* Supponit ergo non potuiſſe eſſe vera Sacerdotis verba, niſi corpus Chriſti permanenter ſit ſub illis ſpeciebus.

74.
Didicit hanc doctrinā Concilium ex Patribus
Baſilius.

Didicit autem hanc doctrinam, & illationem Concilium ex Patribus antiquis, qui omnes ex veritate verborum conſecrationis, probant de facto dari nobis corpus Chriſti in Euchariſtia. Baſilius in Quæſtionibus compendio explicatis, *quæſt.* 172. *Quali timore* (inquit) *aut quali certitudinis perfectione, aut quo affectu corporis, ac ſanguinis Chriſti participes ſiemus?* Reſpondet autem; *Timorem quidem docet nos Apoſtolus* 1. *Corinth.* 11 *dicens:* Qui edit, ac bibit indignè, iudicium ſibi ipſe edit, ac bibit. *Certitudinis autem perfectionem inducit fides verborum Domini qui dixit:* Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Ecce ex veritate, & ſignificatione verborum, ac ex poteſtate loquendi, vt Chriſtus loquutus eſt, infert certitudinem præſentiæ corporis Chriſti.

Ambroſ.

Ambroſ. de initiandis *cap.* 9. *tom* 4. ſic ait: *Forte dicas: aliud video; quomodo tu mihi aſſeris, quod Chriſti corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc ſupereſt, vt probemus.* Et, poſt alia exempla adducta, affert tandem probationem ex verbis conſecrationis: *Sacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Ipſe clamet Dominus Ieſus:* Hoc eſt corpus meum. *Ante benedictionem verborum cæleſtium ſpecies nominantur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit, ſanguinem ſuum: ante conſecrationem aliud dicitur: poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et tu dicis?* Amen; *hoc eſt, verum eſt.*

Cyrillus.

Cyrillus Hieroſolymitan. *Catech.* 4. *myſtag* ſic ait: *Ne ergo conſideres tanquam panem nudum, & vinum nudum: corpus enim eſt, & ſanguis Chriſti, ſecundum ipſius Domini verba. Quamvis enim ſenſus hoc tibi ſuggerit, tamen fides te confirmet, ne ex guſtu rem iudices, quin potius habeas ex fide pro certiſſimo, ita vt nulla ſubeat dubitatio, eſſe tibi donata corpus, & ſanguinem.*

Chryſoſt.

Chryſoſtom. *homil.* 83. in Matthæum: *Superet* (inquit) *& ſenſum, & rationem noſtram, quaſo ipſius, quod in omnibus, & præcipuè in myſteriis faciamus, non illa, quæ ante nos iacent, ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoque eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non poſſumus: ſenſus verò noſter deceptu facillimus eſt: illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſæpius, atque ſæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit:* Hoc eſt corpus meum, *nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus. Nihil enim ſenſibile traditum nobis à Chriſto*, &c.

Eodem modo loquuntur alij Patres, probantes veritatem carnis Chriſti ex veritate verbū conſecrationis.

Eodem modo loquuntur alij Patres probantes ſemper veritatem carnis Chriſti in cibo, quem manducamus, ex veritate verborum conſecrationis: quod argumentum inutile omnino eſſet, ſi verba illa ſolum ſignificant præſentiam corporis Chriſti pro vltimo inſtanti prolationis verborum, vt ij Theologi volebant. Fatendum ergo eſt, verba illa affirmare præſentiam corporis Chriſti permanentem, neque in alio ſenſu proferri à nobis, niſi in eo, in quo à Chriſto prolata ſunt; qui certè ſignificauit permanentiam pro tempore ſequenti, dum ſpecies non corrumperentur.

Vnde tertiò arguere poſſumus, quia ſi verba Sacerdotis non affirmant pro tempore ſequenti, ſed ſolùm pro vltimo inſtanti prolationis; ergo negatio reuocationis verborum nihil prorſus facit ad conſtitutionem huius Sacramenti: nam qui non reuocat id, quod dixit, non aſſerit aliud de nouo, ſed ad ſummum confirmat illud ipſum, quod dixerat. Si ergo Chriſtus per Sacerdotem affirmauit ſolùm præſentiam corporis ſui pro vltimo inſtanti prolationis, & non pro tempore ſequenti, poſtea non reuocando illa verba, cenſebitur confirmare illud ipſum, ſcilicet, corpus ſuum fuiſſe præſens pro illo vltimo inſtanti prolationis verborum. Sicut ſi ego dico tibi, nunc eſſe Petrum in foro, cras non reuocando hæc verba non cenſeor affirmare, quòd adhuc perſeueret in foro; ergo ſimiliter, ſi Chriſtus ſolùm affirmat, tunc eſſe corpus ſuum ſub iis ſpeciebus, non cenſebitur affirmare, quod poſtea ſit, eo quòd non reuocet verba præterita; ergo ſi negatio reuocationis poſtea conſtituit Sacramentum, & ſignificat præſentiam pro tempore ſequenti, fatendum eſt, verba præterita affirmaſſe illam præſentiam pro tempore etiam ſequenti. Vnde licèt è contra ego reuocaſſem, quod heri dixi de Petro heri exiſtente in foro, non ideo nego, hodie eſſe in foro; ergo licèt Chriſtus reuocaret verba præterita, & illa ſolum affirmabant præſentiam pro illo inſtanti, non ideo negaret præſentiam hodiernam, cùm ea obiecta ſint omnino diuerſa, & diſparata. 75.

Tertiò impugnatur illa reſponſio.

Quartò impugnatur ad hominem illa reſponſio, quia ſi negatio hæc reuocationis præſentis non habetur, nec colligitur ex verbis conſecrationis, ſed ex traditione: ergo hæc negatio reuocationis fit ſenſibilis per ipſam traditionem; atque ideo non ſola negatio ipſa reuocationis, ſed & traditio illa debet intrare ad componendum intrinſecè hoc Sacramentum; illud enim, per quod formaliter fit ſenſibilis forma (quæ apud hos Theologos eſt negatio reuocationis,) debet intrare ad conſtituendum intrinſecè hoc Sacramentum in ratione ſigni ſenſibilis; debet ergo intrare traditio ipſa, per quam fit ſenſibilis, & cognoſcitur negatio præſentis reuocationis. Traditio autem illa eſt aliquid præteritum, vt conſtat, cùm includat narrationem, & verba eorum, per quos ad nos peruenit illa notitia: ergo iam componis hoc Sacramentum in eſſe permanenti ex aliqua parte præterita, nempe ex traditione illa; quod certè eſt inconueniens illud, propter quod vitandum nolebas verba præterita intrare ad componendum intrinſecè hoc Sacramentum, & tamen neque in tua ſententia poteſt illud inconueniens omnino vitari. 76.

Quartò impugnatur.

Denique illud, quod ab illis Theologis ſupponitur, non poſſe Sacerdotem per illud verbum *eſt*, affirmare præſentiam corporis Chriſti permanentem pro tempore futuro, eo quod illa ſit copula temporis præſentis: falſum eſt, vt conſtat ex communi vſu loquendi omnium hominum. Quando ego enim dico: *Hæc medicina efficax eſt, & vtilis; hic cibus dulcis eſt*, &c. non intendo ſolùm affirmare efficaciam pro hoc inſtanti, vel dulcedinem, ſed habitualem, & permanentem; alioquin fruſtrà hoc dicerem ad perſuadendum vſum illius medicinæ, vel cibi, cùm vſus non poſſet eſſe pro hoc inſtanti, 77.

Quod ſupponitur ab illis eſt falſum, vt conſtat ex communi vſu loquendi.

ſtanti. Et quidem ipſimet aduerſarij fatentur, Chriſtum in cœna per illud verbum, *eſt*, ſignificaſſe præſentiam ſui corporis, non ſolùm pro illo inſtanti vltimo prolationis, ſed etiam pro tempore ſequenti; ne cogantur dicere ineptam fuiſſe illam cauſalem: *Bibite ex eo omnes, hic eſt enim ſanguis meus* &c. prout reuera eſſet inepta, ſi ſolùm affirmaſſet pro illo inſtanti prolationis, vt ſuprà vidimus. Ex hoc autem colligitur, illud verbū, *eſt*, non ita alligari ad inſtans præſens, vt non ſoleat etiam cōmuniter vſurpari, ad ſignificandam præſentiam permanentē pro tempore ſequenti. Cùm ergo Chriſtus ita loquutus fuerit, & dederit poteſtatem Apoſtolis faciendi quod ipſe fecit, & loquēdi, ſicut ipſe loquutus eſt, cōſequens eſt, quod alij etiam Sacerdotes vſurpare debeant verbum illud in eodem ſenſu, & cū eadem ſignificatione præſentiæ permanentis pro tempore ſequenti.

78. *Ad fundamentum eorū principale iā reſponſum eſt.*

Ad fundamentum verò principale eorum Doctorum iam ſuprà reſponſum eſt: fatemur enim non poſſe manere concretum aliquod adæquatè, vt tale concretum eſt, niſi maneant omnes eius partes, negamus tamen, poſt verba conſecrationis perſeuerare totum concretum Sacramenti adæquati; conſtat enim ex partibus partim præteritis, partim præſentibus, atque ideo non eſt mirum, ſi non poſſit totum concretum manere: manet tamen verè Sacramentum, quia hoc non dicit in recto omnes partes, vt diximus.

Sacramentum illud conſtat ex partibus partim præteritis, partim præſentibus.

Et quidem mirum eſt, quod illi Theologi admittunt, *album*, licèt ſit nomen ſignificans concretum, poſſe tamen accipi pro ſolo ſubiecto in recto, & albedine in obliquo, & domum antiquam, vel obiectum cognitum eodem modo poſſe ſignificare domum, vel obiectum ſolùm in recto, antiquitatem vero, vel cognitionem in obliquo, licèt hæ ſint formæ denominantes: & aliunde negent, poſſe eodem modo accipi Sacramentum, ita vt ſolùm ſignificet vnum in recto, & formam in obliquo. Sicut enim nunc eſt verè, & propriè domus antiqua, licèt non ſit nunc adæquatè vt antiqua, nec ſecundùm totum, quod includit, vt antiqua: ſic manet nunc Sacramentum, non tamen adæquatè ſecundùm omnia, quæ includit vt Sacramentum. Quod aduerſarij fateri debent de ipſa inſtitutione, ſeu vi ad ſignificandum, quæ quidem eſt forma Sacramenti, vt Sacramentum eſt, & tamen non eſt ibi in ſacrario, vbi eſt Sacramentum.

79. *Arguunt primò contra nos.*

Arguunt primò, quia Sacramentum eſt quoddam totum, vt conſtat ex communi omnium conceptu: totum autem non manet ſine ſuis partibus: ergo ſi verba ſunt pars, non manebit Sacramentum tranſactis verbis. Reſpondetur alia Sacramenta, quæ conſiſtunt in vſu, eſſe concreta quædam, cùm dicant in recto materiam, & formam, vt dixi in tractatu de Sacramentis. Sacramentum verò Euchariſtiæ reduplicatiuè acceptum vt Sacramentum adæquatè eſt, eſt quoddam totum ex materia, & forma: ſpecificatiuè autem non eſt quoddam totum, ſed vna pars totius, quæ ſola eſt rectum illius: ſicut album reduplicatiuè eſt totum accidentale, ſpecificatiuè autem non eſt totum, ſed rectum totius.

Reſpondetur Hoc Sacramentum reduplicatiuè vt Sacramentum adæquatè eſt, eſt quoddam totum, ſpecificatiuè autem eſt pars totius, hoc eſt rectum illius.

80. *Arguunt ſecundò.*

Arguunt ſecundò, verba per nos ſunt pars intrinſeca Sacramenti: ſed nihil poteſt exiſtere ſine ſuis partibus: ergo, tranſactis verbis, non manet Sacramentum Euchariſtiæ. *Reſpondetur.* Reſpondetur, verba eſſe partem intrinſecam Sacramenti reduplicatiuè ſumpti, vt eſt totum quoddam adæquatum, non verò eſſe partem Sacramenti ſpecificatiuè ſumpti, id eſt, illius recti, quod denominatur Sacramentum à verbis præteritis: quare hoc rectum ſic denominatum, poteſt manere abſque verbis actu exiſtentibus.

81. *Inſtantia.*

Dices, ergo corpus Chriſti in altari manet quidem ſpecificatiuè, quod fuit Sacramentum, non tamen manet vt Sacramentum reduplicatiuè: quod quidem videtur abſurdum: manet enim non qualiter eſt in cœlo, ſed Sacramentum. Reſpondetur, manere quidem ibi corpus Chriſti Sacramentatum, hoc eſt, ſub ſpeciebus Sacramentalibus, & ſecundùm diuerſum modum eſſendi ab eo, quem habet in cœlo, nempe indiuiſibiliter, & ad modum rei ſpiritualis. *Reſpondetur.* Rurſus concedendum eſt, manere ibi totum Sacramentum Euchariſtiæ: per hoc enim ſolùm ſignificatur, manere ibi totum, quod eſt in recto Sacramentum Euchariſtiæ, ſicut manet nunc tota domus antiqua, propter eandem rationem. Denique concedi etiam poteſt, & debet, quòd maneat ibi ſub ratione Sacramenti, ſeu prout Sacramentum eſt; per hoc enim non ſignificamus, quòd maneat ibi ſecundùm omnes partes, quas includit hoc Sacramentum adæquatè ſumptum, quatenus adæquatè eſt tale, ſed ſolùm quòd non ſit ibi præcisè, ſicut eſt in cœlo, ſed prout requiritur ad hoc, vt exerceat munus Sacramenti, quod eſt ſignificare. Sacramentum quippe eſt ſignum ſenſibile gratiæ, &c. corpus autem Chriſti ſecundùm ſe non ſignificat ſenſibiliter gratiam, ſed prout percipitur per ſpecies; meritò ergo dicitur ibi eſſe vt Sacramentum, vbi eſt ſub ſpeciebus, per quas fit ſignum ſenſibile gratiæ: non quia corpus Chriſti ſub ſpeciebus concurrat adæquatè, vel ſit ſignum adæquatum, vt adæquatum gratiæ: hoc enim eſt falſum, ſed quia ſit ſaltem ſignum. &, prout eſt ibi, habeat partialem virtutem, & actiuitatem ad ſignificandum: quod ſufficit, vt dicatur eſſe ibi quatenus ſignum, & Sacramentum reduplicatiuè; quia nomen ſigni, & Sacramenti non ſolùm dicitur de ſigno totali, ſed etiam de partiali: ſic enim dicunt Theologi, in Sacramentis aliqua eſſe ſolùm Sacramentum, aliqua rem, ſimul & Sacramentum; iuxta quam diuiſionem dicunt, ſpecies panis eſſe Sacramentum ſolùm, non quod ipſæ ſolæ habeant in ſe totam rationem Sacramenti totalis, ſed quia ipſæ habent vim partialem ſignificandi corpus Chriſti: & aliunde non ſignificantur: ergo corpus Chriſti, prout ſub ſpeciebus, poteſt dici eſſe ibi, quatenus Sacramentum eſt, hoc eſt, quatenus ſignificat gratiam, licet non ſit ibi quatenus ſacramentum adæquatè, id eſt quatenus dicit omnia, quæ concurrunt ad ſignificandum.

Nomen ſigni non ſolùm dicitur de ſigno totali, ſed etiā de partiali.

Arguunt tertiò, ſi verba ſunt pars intrinſeca Sacramenti: ergo dant illi effectum formalem in ratione ſigni: ſed quando iam non exiſtunt, non poſſunt dare vllum effectum formalem: ergo nunc Sacramentum non ſignificat per verba præterita, ſed ſolum per aliquid præſens, & per conſequens non poteſt id, quod præteriit, pertinere ad conſtitutionem intrinſecam ſacramenti. 82. *Arguunt tertiò.*

Reſpondetur. Reſpondetur verba, ſicut ſunt pars intrinſeca, dare effectum formalem partialem in ratione ſigni, poſſumus autem loqui vel de ſignificatione actuali, vel de potentia ſignificatiua. Si ſermo ſit de ſignificatione actuali, hæc quidem poteſt nunc poni, quando iam verba non exiſtunt: non enim prouenit formaliter à verbis, ſed efficienter; quare verba præterita poſſunt nunc ſignificare, quia ſignificare eſt mouere ex ſui cognitione ad cognitionem alterius rei; poſſunt autem verba præterita per ſui memoriam, & ſpeciem, quam reliquerunt, mouere nunc ad cognoſcendum corpus Chriſti ibi latens per modum cibi ſpiritualis: atque adeo ſignificatio actualis fit nunc à verbis præteritis & à ſpeciebus præſentibus. Si verò ſermo ſit de ſignificatione in actu primo, ſeu de poteſtate ad ſignificandum: hæc quidem partim eſt in ſpeciebus, & partim in verbis præteritis. Sicut autem Sa-

cramentum ſecundum totum, quod includit, poteſt partialiter componi ex verbis præteritis: ſic poteſt componi poteſtas ſignificatiua ex poteſtate partiali præterita exiſtenti in verbis, quæ cum ſit poteſtas remota, poterit nunc habere ſuum effectum ſignificandi, mediante poteſtate proxima, quæ ab illa dimanauit, ſcilicet ſpeciebus impreſſis, & memoria illorum verborum: quæ tamen ſpecies, & memoria non ſufficiunt ad componendum Sacramentum; quia ipſæ non ſunt ſignum, cum non cognuſcatur, ſed ſunt virtus ſigni præteriti ad ponendam ſignificationem, per quam illud ſignum præteritum denominatur, actu ſignificans.

83\. *Alia duo obiiciuntur.* *Primum eſt, hinc ſequi, nec ipſa verba ſufficere ſine carentia reuocationis ſequentis.*

Omitto alia argumenta leuiora, quæ afferunt, quibus abundè ſatisfactum eſt *ſect. præced.* Adiungam tamen duo alia, quæ opponi poſſunt contra rationem potiſſimam, qua probauimus noſtram ſententiam. Primũ eſt, quia ſi verba debent intrare vt pars ad componendum partialiter Sacramentum, quatenus adæquatè eſt tale Sacramentum, eo quod ſpecies ſecundum ſe non ſignificant ſufficienter, niſi prout denominantur à verbis præteritis: ideoque diximus, etiam carentiam reuocationis ſecundum ſe non ſufficere, quia neque hæc ſignificat ſufficienter, niſi re ipſa præceſſerint verba; ſequitur nec ipſa verba ſecundum ſe ſufficere, niſi intelligamus etiam carentiam reuocationis ſequentis; nam quantumcumque præceſſerint verba, ſi poſtea reuocata fuiſſent à Chriſto, non ſignificabunt: ergo nunc ſignificant, quatenus dicta fuerunt, & poſtea non ſunt reuocata, & per conſequens ipſa carentia ſubſequens reuocationis debet intrare, vt forma ſaltem partialis; vnde non ſola verba erunt forma, ſed verba, & carentia reuocationis ſequentis; vnde fieri etiam videtur, quod ſucceſſiuè varietur forma, huius Sacramenti permanentis, quia ſucceſſiuè ponitur noua carentia reuocationis verborum.

84\. *Tripliciter reſponderi poteſt primò.*

Huic argumento tripliciter poſſumus reſpondere; primò, concedendo, quòd in eſſe permanenti non ſola verba præterita, ſed etiam negatio ſubſequens reuocationis intret vt forma ad componendum Sacramentum ſecundum eius eſſe adæquatum. Ex hoc autem non fit, dari aliam formam præter verba, aut ſucceſſiuè variari formam; quia illa carentia reuocationis eſt, quaſi perſeuerantia moralis eorundem verborum: perſeuerantia autem verborum non computatur pro forma diuerſa à verbis, ſed ipſa verba præterita cum perſeuerantia morali ſubſequenti faciunt vnam, & eandem formam requiſitam ad ſignificandum pro tempore ſequenti. Vnde licet phyſicè varietur aliquo modo forma per maiorem, & nouam perſeuerantiam, quam recipit; moraliter tamen non cenſetur variari, niſi ſecundùm durationem: quia ſicut eadem materia perſeuerans per nouam durationem eſt ſemper eadem materia; ſic forma præterita perſeuerans per nouam durationem moralem, quæ eſt noua carentia reuocationis, cenſetur ſemper eadem forma.

Perſeuerãtia verborum nõ cõputatur pro forma diuerſa à verbis.

85\. *Secundò reſpõdetur verba eſſe formã, negationem verò reuocationis conditionem.*

Secundò reſpondere poſſumus, ſola verba eſſe formam, negationem vero reuocationis eſſe ſolam conditionem ad hoc, vt verba præterita ſignificent nunc in actu ſecundo, forma enim eſt illa, quæ ſignificat; verba autem præterita ſunt, quæ ſignificant, id eſt, faciunt venire in cognitionem obiecti; negatio verò reuocationis non ſignificat, ſed remouet impedimentum prohibens ſignificationem verborum præteritorum: ſicut ſi quis concedit facultatem alicui aliquid faciendi, quandiu ipſe non reuocauerit, certè conceſſio præterita eſt ſola, quæ dat facultatem; negatio verò reuocationis eſt remouens prohibens; quare licet non ſit libera, ſed neceſſaria ratione ſomni, amentiæ, &c. facultas prima perſeuerat: ſic negatio reuocationis verborum propriè non ſignificat; per illam enim non loquitur, qui prius verba protulerat, nec confirmat de nouo, quod dixit, ſed ſolùm non deſtruit verba præterita: quare ſicut qui non occidit Petrum, non dicitur propriè cauſa vitæ ipſius; ſic qui non deſtruit verba poſita, non dicitur propriè ea conſeruare, aut per illa loqui, & per conſequens nec aliquid ſignificare; vnde illa negatio reuocationis, licèt requiratur, & dato quod intrinſecè requiratur, non tamen eſt forma ſignificans, ſed conditio, vt forma præterita non impediatur à ſignificatione actuali.

86\. *Tertiò reſpondetur, non eſſe neceſſe concipere verba nõ fuiſſe reuocata vt intelligantur ſignificare.*

Dixi, dato, quod illa negatio reuocationis requiratur, & requiratur intrinſecè; quia in rigore loquendo, ad intelligendam veritatem, & ſignificationem infallibilem verborum præteritorum non eſt neceſſarium concipere, non fuiſſe reuocata ea verba; nam eo ipſo, quod concipimus, fuiſſe dicta à Chriſto, vel à Sacerdote nomine Chriſti, & poteſtate ab ipſo tradita, etiamſi nihil aliud intelligamus, iam intelligimus, eſſe vera, & per conſequens irreuocabilia. Suppono enim, ſenſum illorum verborum non fuiſſe, corpus Chriſti contineri ſub illis accidentibus pro eo ſolum inſtanti vel tempore, ſed contineri permanenter, quandiu accidentia non corrumpuntur. Cùm ergo verba Chriſti debeant habere veritatem infallibilem, conſequens eſt, vt eo ipſo, quod ſcio, prolata eſſe ea verba à Chriſto, cognoſcam, nunc etiam contineri corpus Chriſti ſub iis ſpeciebus nondum corruptis; ergo verba præterita præciſè abſque alia negatione reuocationis ſuperaddita habent vim ſufficientem ad ſignificandam ſenſibiliter vnà cum ſpeciebus præſentiam corporis Chriſti, imo in rigore, non poſſum ego aliunde cognoſcere ipſam negationem reuocationis, niſi ex verbis præteritis. Vnde enim ſcio ego, Chriſtum non reuocaſſe illa verba, aut Sacerdotem, qui protulit ea non reuocaſſe; niſi quia ſcio, verba illa prolata eſſe à Chriſto, vel eius nomine, atque ideo debere eſſe irreuocabilia? Vnde de primo ad vltimum tota hæc ſignificatio ſenſibilis reduci debeat ad ſpecies, & verba præterita.

87\. *Secundum argumentum.*

Secundum argumentum fieri poteſt retorquendo rationem à nobis adductam; quæ ſi aliquid probat, videtur etiam probare, debere intrare ad componendum intrinſecè hoc Sacramentum Euchariſtiæ ſubſtantiam panis, & vini, non vt præſentem, ſed vt præteritam, ſaltem in obliquo: nam ſi miraculosè præceſſiſſent ſpecies panis abſque ſubſtantia panis, & ſuper illam proferrentur verba conſecrationis, non conſecrarentur; quia Chriſtus voluit, non conſecrari, niſi per conuerſionem panis in corpus, & vini in ſanguinem ſuum: ergo hoc Sacramentum, vt tale eſt adæquatè, non ſolùm includit ſpecies præſentes, ſed etiam fuiſſe panem & vinum ſub illis ſpeciebus, quando conſecrabantur, & ante vltimum inſtans prolationis verborum.

88\. *Reſponsio. Illa tantùm debent intrare ad componendũ Sacramentũ intrinſecè quæ componunt illud in ratione cauſæ gratiæ, vel in ratione ſigni ſenſibilis.*

Reſpondeo, negando ſequelam. Ratio autem diſcriminis deſumi debet ex iis, quæ notaui in tract. de Sacramentis in communi *diſp. 5. ſect. 7.* vbi dixi, illa ſola debere intrare ad componendum intrinſecè Sacramentum, quæ componunt illud vel in ratione cauſæ gratiæ, vel in ratione ſigni ſenſibiliter ſignificantis; hæc enim eſt tota eſſentia Sacramenti, vt Sacramentũ eſt, ſcilicet eſſe ſignum ſenſibile cauſatiuum gratiæ. Et quidem verba conſecrationis ſiue concurrant mouendo partialiter Deum ad cauſandam gratiam, ſiue non moueant, requiruntur tamen ad ſenſibiliter ſignificandum, vt vidimus; quia

ſpecies ſecundùm ſe non ſignificant ſufficienter ſenſibiliter gratiam abſque verbis; ideo verba præterita intrare debent ad componendũ intrinſecè hoc Sacramentum. At verò ſubſtantia præterita panis, & vini nec intrat ad cauſandam gratiam, poteſt enim gratia ſufficienter cauſari à corpore Chriſti, & ſpeciebus præſentibus, quæ componunt cibum, qui comeditur, abſque eo, quòd cauſetur à ſubſtantia panis, & vini præterita: ſed neque intrat ad conſtituẽdum hoc Sacramentũ in ratione ſigni ſenſibilis; nam ſubſtantia ſecundùm ſe non eſt ſenſibilis, nec ſentitur, niſi per ſua accidentia: ergo tota ſenſibilitas panis reducitur vltimò ad ſpecies panis, atque ideo ſubſtantia prout diſiuncta à ſpeciebus, non facit hoc Sacramentum eſſe ſignum ſenſibile. Requiritur ergo illa ſubſtantia, tanquam aliquid ex vi præſentis inſtitutionis eſſentialiter requiſitum ad hoc vt ponatur corpus Chriſti ſub ſpeciebus, & ſine quo non poneretur, nec fieret Sacramentum: non tamen requiritur, vt aliquid conſtituens intrinſecè ipſum Sacramentum. Ad argumentum itaque dicimus, quod in illo caſu miraculoſo ſpecies non conſecrarentur, nec daretur Euchariſtia, deficeret autem Sacramentum intrinſecè, & immediatè ex defectu alicuius intrinſeci, ſcilicet corporis Chriſti exiſtentis ſub ſpeciebus; extrinſecè autem, & mediatè ex defectu extrinſeco ſubſtantiæ panis, quæ ex lege Dei requiritur ad ponendum hoc Sacramentum.

Requiritur illa ſubſtantia panis eſſentialiter ex vi præſentis inſtitutionis ad hoc vt ponatur corpus Chriſti ſub ſpeciebus.

Ad argumentum ergo reſpondetur.

89. Hinc infero, quid dicendum ſit de intentione Sacerdotis conſecrantis, an ea componat etiam intrinſecè hoc Sacramentum; de quo diximus aliquid ſuprà loco citato *diſputatione illa* 2. de Sacramentis in communi: & propter rationem ibi indicatam, congruentius videtur, eam intentionem, licèt in aliis Sacramentis componat intrinſecè Sacramenta; in hoc tamen ſolùm extrinſecè requiri ad ponendas partes intrinſecas Sacramenti: nam ipſa intentio ſecundum ſe non conſtituit in ratione ſigni ſenſibilis, nec ipſa ſentitur, niſi per verba: non ergo requiritur, vt conſtituens intrinſecè Euchariſtiam in ratione ſigni ſenſibilis: neque etiam requiritur, vt conſtituens intrinſecè in ratione cauſantis gratiam; nam licet intentio illa conſtituat verba in ratione cauſæ ad ponendum corpus Chriſti ſub ſpeciebus, vt ibi diximus, non tamen conſtituit principium immediatum, à quo poſtea cauſatur gratia Sacramentalis, quæ eſt propria cauſalitas Sacramenti, vt Sacramentum eſt: nulla ergo eſt neceſſitas componendi hoc Sacramentum intrinſecè ex intentione præterita Sacerdotis.

Infertur quid dicendum ſit de intentione conſecrantis.

90. Maior difficultas eſſe poſſet de ipſa ordinatione, ſeu poteſtate Sacerdotali miniſtri, an debeat intrare etiam ad componendum intrinſecè hoc Sacramentũ; nam ratio illa, quæ probat de verbis conſecrationis, videtur etiam probare de poteſtate Sacerdotali: quia ſicut ſpecies panis non ſignificant ſufficienter corpus Chriſti, niſi prout conſecratæ, hoc eſt, prout ſunt ſpecies, ſuper quas prolata ſunt verba conſecrationis: ſic neque ipſa verba id ſignificant ſufficienter, niſi prout intelligũtur eſſe verba Sacerdotis ritè ordinati; nam eadem verba dicta à laico non ſignificarent ſufficienter corpus Chriſti: ergo ipſum Sacerdotium miniſtri debet etiam intrare vt pars ſaltem in obliquo ad componendum intrinſecè hoc Sacramentum vt tale eſt, vel ſi hoc non conceditur, non debet id de verbis præteritis concedi.

Maior difficultas eſt de poteſtate Sacerdotali, an includatur intrinſecè.

91. Hoc argumentum probat mihi, non à ſolis verbis prouenire totam ſenſibilitatem requiſitam ad ſignificandum ſenſibiliter, ſed aliquid aliud debere addi, à quo ſufficienter compleatur. Et quidem in aliis Sacramentis, v. g. Pœnitentiæ, & Extremæ-Vnctionis negari non poteſt, quin ſaltem in obliquo illa poteſtas Sacerdotalis miniſtri debeat intrare ad componendum intrinſecè Sacramentum: nam manentibus omnibus aliis, nempe vnctione, verbis, &c. ſi deſit ſacerdotium in miniſtro, non conſiſtit Sacramentum: ergo illa omnia ſola non componunt adæquatè Sacramentũ; repugnat enim, vt alibi probabo, quòd dentur omnia intrinſeca componentia, & non detur illud totum: ſi ergo deeſt Sacramentũ, deeſt vtique ex defectu alicuius intrinſeci; nihil autem aliud deeſt, niſi poteſtas Sacerdotalis in miniſtro: ergo hæc erat aliquid intrinſecum ſaltem in obliquo intrans ad componendum illud Sacramentum. Quod etiam de Sacramento Pœnitentiæ probari poteſt: imò in hoc non ſola poteſtas Ordinis, ſed poteſtas etiam iuriſdictionis videtur intrare propter eandem rationem; nam hac ſola deficiente, & poſitis omnibus aliis, non datur Sacramentum Pœnitentiæ validum. Habemus autem exemplum ſimile in materia Extremæ-Vnctionis, quæ debet eſſe oleum benedictum: negari autem non poteſt, quin ipſa benedictio olei præterita, quia Epiſcopus illud benedixit, debeat intrare ſaltem in obliquo ad componendum illud Sacramentum; nam aſſignatur pro materia oleum benedictum, benedictio autem eſt forma conſtituens oleum in ratione olei benedicti: & per conſequens in ratione materiæ legitimæ, & validæ. Sicut ergo forma aquæ conſtituit aquam in ratione materiæ validæ ad Baptiſmum, & ideo forma aquæ pertinet ad materiam Sacramenti Baptiſmi, ſic benedictio pertinet ad materiam Extremæ-Vnctionis; quia conſtituit illam in ratione materiæ validæ, atque adeò debet intrare partialiter ſaltem in obliquo. Similiter ergo, cùm forma abſolutionis ſint non quæcumque verba, ſed verba Sacerdotis legitimi; illud, per quod ea verba conſtituuntur in ratione talium verborum, nempe poteſtas Ordinis, vel iuriſdictionis, debet intrare partialiter ſaltem in obliquo ad componendum Sacramentum validum. Poteſt autem illa conditio reduci magis ad perſonam miniſtri, quàm ad formam. Eugenius enim in illo decreto Concilij Florentini dixit. Sacramenta perfici materia, forma, & miniſtro cum debita intentione, &c. vbi in perſona miniſtri videtur includere omnia, quæ ex parte miniſtri requiruntur, inter quæ eſt poteſtas Sacerdotalis ad prædicta Sacramenta.

Hæc poteſtas ſaltem in pœnitentia, & in Extrema-Vnctione ſaltem in obliquo intrat ad componendum intrinſecè Sacramentum.

Cæterùm licèt in illis Sacramentis ita concedendum ſit, intrare poteſtatem Sacerdotalem ad eorum compoſitionem ſaltem in obliquo: in Sacramento tamen Euchariſtiæ non videtur neceſſarium id concedere de ipſa poteſtate Sacerdotali interna: quia in ipſo non procedit eadem ratio; nam licèt deficiente poteſtate Sacerdotali, deficiat Sacramentum, non tamen deficit immediatè ex ſolo defectu poteſtatis Sacerdotalis, ſed ex defectu immediato alicuius alterius rei intrinſecæ, nempe corporis Chriſti ſub ſpeciebus. In Sacramento quidem Pœnitentiæ arguitur bene defectus ille poteſtatis eſſe aliquid intrinſecum, quia omnia alia intrinſeca ponuntur, & non ponitur Sacramentum, deficiente ſola poteſtate: in Euchariſtia verò id non procedit, quia, deficiente poteſtate, non ponuntur alia omnia intrinſeca. Poſſumus ergo dicere, poteſtatem illam non eſſe intrinſecam Sacramento, ſed requiſitam eſſentialiter ex vi præſentis inſtitutionis, ſolùm tamen extrinſecè, ſcilicet vt cauſam, ſine qua verba non habent efficaciam ponendi Sacramentum. 92.

In Sacramẽto Euchariſtiæ non eſt neceſſarium dicere poteſtatem illam componere intrinſecè.

Dixi tamen, argumentum illud probare mihi, quòd ſenſibilitas ipſa, quæ componit hoc Sacramentum, non proueniat à ſolis verbis conſecrationis, 93.

ſed

Licet tamen hæc poteſtas non componat prout in ſe eſt, componit tamen prout exterius ſignificata, quatenus eſt cõmunicatio externa talis poteſtatis. ſed aliquid aliud addendum. Nam licèt poteſtas ſacerdotalis in ſe ipſa non componat intrinſecè hoc Sacramentum, non videtur tamen poſſe negari, quòd poteſtas illa, vt ſenſibiliter ſignificata intret in obliquo ad hoc Sacramentum, propter argumentum ſuprà poſitum: quia ſcilicet verba conſecrationis ſola non ſufficiunt ex vi præſentis inſtitutionis ad ſignificandum corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis: nam eadem verba à laico prolata id non ſignificant audientibus: aliquid ergo aliud requiritur, per quod compleantur in ratione ſigni ſenſibiliter ſignificantia: hoc autem aliquid non poteſt eſſe poteſtas ſacerdotalis in ſe ipſa: quia illa in ſe non eſt ſenſibilis, nec per illam venimus in cognitionem Chriſti latentis ſub ſpeciebus: debet ergo eſſe poteſtas illa, non vt in ſe, ſed vt exteriùs ſignificata, quatenus ſcilicet hic homo exterius accepit talem poteſtatem: quod enim me facit venire in cognitionem corporis Chriſti exiſtentis in hac hoſtia, & gratiæ per ipſam dandæ, ſunt ſpecies panis, quas video, verba conſecrationis quæ audiui, vel quæ noui eſſe prolata, & communicatio externa poteſtatis ſacerdotalis huic facta: hæc conſtituunt ſufficienter Euchariſtiam in ratione ſignificantis ſenſibiliter gratiam: ergo hæc, & non alia debent illam componere in ratione talis ſigni ſenſibilis. Nam ſicut dicebamus de intentione conſecrantis, loco ſuprà citato, illam non intrare ſecundùm ſe, quia nec cauſat immediatè gratiam, ſed ponit corpus Chriſti, à quo cauſatur gratia; nec ſignificat ſenſibiliter, quia ipſa non ſentitur immediatè, atque ideo non componit Sacramentum hoc intrinſecè, nec in ratione ſigni ſenſibilis, nec in ratione cauſantis gratiam: ſic dicendum videtur de poteſtate interna ſacerdotali, propter eandem rationem. Et ſicut verba prout condiſtincta ab intentione ſunt forma, licèt, deficiente intentione, non ponant corpus Chriſti ſub ſpeciebus: ſic verba prout condiſtincta à poteſtate ſacerdotali ſunt forma: deficiente tamen ea poteſtate, non ponunt corpus Chriſti ex defectu alicuius requiſiti, quod eſt intrinſecum quidem verbis in ratione cauſæ potentis ponere corpus Chriſti; eſt tamen intrinſecum & mediatum ſolùm in ratione cauſandi gratiam, & nullo modo concurrit ad ſenſibiliter illam ſignificandam, licèt concurrat mediatè ad illam cauſandam modo explicato.

SECTIO VI.

Vtrùm actio tranſſubſtantiatiua pertineat intrinſecè ad hoc Sacramentum.

94. *Quid intelligatur hic nomine actionis tranſſubſtantiatiuæ.* Actionis tranſſubſtantiatiuæ nomine intelligimus in præſenti actionem, qua ponitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus loco panis, & ex vi cuius deſinit eſſe ſubſtantia panis: de qua P. Suarez *dicta diſp. 42. ſect. 2. in princ.* pro comperto ſupponit, actionem, qua panis conuertitur in corpus Chriſti, non pertinere intrinſecè ad Euchariſtiam, ſed eſſe viam ad ipſam, ponendo corpus Chriſti ſub ſpeciebus: quare non eſt pars Sacramenti, quia non eſt ſenſibilis, ſed indiuiſibilis productio Sacramenti.

95. *Ratio difficultatis.* Ego tamen non video, cur ita facilè debeat omnino excludi illa actio à ratione intrinſeca Sacramenti. Ratio autem difficultatis hæc eſt, quia Sacramentum Euchariſtiæ, vt vidimus, includit corpus Chriſti, non vtrumque, ſed vt contentum ſub ſpeciebus; ergo non ſolùm ipſæ ſpecies, ſed etiam hoc, quod eſt corpus Chriſti, contineri ſub ſpeciebus, pertinet eſſentialiter ad conſtitutionem Euchariſtiæ: tunc ſic argumentor, contineri corpus Chriſti ſub ſpeciebus, eſt denominatio proueniens, non quidem ab aliqua vnione vera, qua ſpecies informent corpus Chriſti, vt poſtea videbimus, ſed ab vnione effectiua, qua Chriſtus Dominus in genere cauſæ efficientis ſuſtentat accidentia panis, vt poſtea explicabitur: à qua etiam actione ſaltem partialiter dicitur corpus Chriſti ſubſtare illis accidentibus, & ſuccedere loco panis ſub illis; ergo illa debet intrinſecè pertinere ad conceptum Euchariſtiæ, non ſolùm vt via ad eius productionẽ, ſed etiam vt vnio, vel quaſi vnio corporis Chriſti cum accidentibus.

Fateor ergo, poſt tranſſubſtantiationem factam manere Euchariſtiam: cæterum adhuc manet actio, non quidem ſub conceptu primæ poſitionis, ſed ſub conceptu conſeruationis corporis Chriſti ſub illis accidentibus: quæ quidem actio ſemper dat eandem determinationem, ſcilicet corpus Chriſti eſſe vnitum, vel quaſi vnitum ſpeciebus. Quare ſicut ad conceptum hominis pertinet intrinſecè vnio materiæ cum forma, licèt non pertineat intrinſecè actio, qua fit eadem vnio: ſic etiam in Euchariſtia vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus pertinet intrinſecè ad conceptum Sacramenti: cum hoc tamen diſcrimine, quòd in homine vnio producitur per actionem diſtinctam, vnde poteſt pertinere intrinſecè ad conceptum hominis vnio, quin pertineat actio; at verò in Euchariſtia vnio, qua corpus Chriſti copulatur ſpeciebus, non eſt terminus actionis, ſed eſt ſaltem partialiter ipſamet actio Chriſti in accidentia: & ideo ipſamet actio debuit intrinſecè pertinere ad conceptum Euchariſtiæ. 96. *Poſt Euchariſtiam primò factam, adhuc manet illa actio ſub conceptu conſeruationis.*

Propter hanc ergo rationem, non video quomodo ſit ita certum, quod ſupponit P. Suarez pro ſua concluſione: & ſuſpicor, attendiſſe ad hoc quamplures Theologos, qui dixerunt, actionem conſecratiuam pertinere intrinſecè ad hoc Sacramentum: nam licèt quidam eorum loquuti fuerint de verbis conſecrationis, alij tamen videntur accipiendi de ipſa actione, qua ponitur immediatè corpus Chriſti ſub ſpeciebus, præſertim S. Thomas *in 4. d. 8. q. 1. art. 1. in corp. quæſtiunc. 1.* quem ſic intelligit Soto ibi, *q. vnica, art. 1.* & addit eſſe ſententiam Marſilij *ibi, q. 1. art. 1. & q. 4. art. 2.* Poteſt etiam afferri Durandus *ibi q. 2. num. 5.* Viguerius *in Summa inſtit. cap. 6. §. 3. in principio*, qui apertè dicunt, ſanctificationem, ſeu conſecrationem materiæ conſtituere intrinſecè hoc Sacramentum, & in hoc differre ab aliis, in quibus per conſecrationem materiæ non perficitur Sacramentum: vbi verbum *ſanctificationis* videtur non tam propriè competere verbis, quàm actioni, qua ponitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus: verba enim non tã ſunt ſanctificatio, quàm ſanctificans, ſeu cauſa efficiens ſanctificationis. ſanctificatio verò formalis eſt ipſa poſitio corporis Chriſti ſub ſpeciebus. 97. *Reſoluitur ergo difficultas.*

Nec video aliquam difficultatem, quæ contra hunc dicendi modum ſic explicatum obiici poſſit. Nam illud, quod inſinuat P. Suarez vbi ſuprà, actionem illam eſſe viam ad Sacramentum, parum vrget. Bene enim poteſt aliquid eſſe via ad aliquod compoſitum, & tamen pertinere intrinſecè ad eius quidditatem. Vnio enim eſt via, qua materia cauſat formam materialem iuxta probabilem Philoſophorum ſententiam, & eſt via, qua materia cauſat compoſitum, & tamen eſt de intrinſeco conceptu compoſiti: & idem inuenies in aliis mille exemplis. Quod verò addit P. Suarez, illam actionem eſſe indiuiſibilẽ, minus habet ponderis: nam etiam corpus Chriſti non ſentitur per ſe in Euchariſtia, ſed per ſpecies, & tamen conſtituit intrinſecè Sacramentũ; cur ergo ſimiliter non dicemus, actionem illam ſentiri per verba, & ſpecies, & vt ſic poſſe pertinere 98. *Nulla eſt difficultas quæ contra hunc dicendi modum obijci poſſit.* *Exemplũ vnionis.*

intrinſecè ad Euchariſtiam, non vt partem, propriè loquendo, ſed vt vnionem partium inter ſe?

99. *Quo modo illa actio ſit vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus.*
Dixi tamen, actionem illam eſſe partialiter vnionem corporis Chriſti cum ſpeciebus, quia, vt infra videbimus, illa vnio includit etiam alligationem ortam ex vi, quam ſpecies habent ad trahendum ſecum corpus Chriſti, quæ vis eſt qualitas ſupernaturalis indita ſpeciebus, & quidem ex hoc capite facilè poteſt concedi, actionem productiuam illius qualitatis non intrare ad componendum intrinſecè hoc Sacramentum, ſed eſſe viam ad illud, quatenus ponit qualitatem, à qua denominatur partialiter corpus Chriſti formaliter ſubſtans ſpeciebus; loquendo tamen de actione, qua corpus Chriſti ſuſtentat ſpecies in genere cauſæ efficientis, alia eſt ratio, vt explicuimus; & ideo dixi, non debere excludi omnino actionem tranſſubſtantiatiuam à compoſitione intrinſeca huius Sacramenti: ſiquidem aliqua ex parte pertinet ad illam.

SECTIO VII.

Vtrum vſus, ſeu ſumptio Euchariſtiæ pertineat intrinſecè ad hoc Sacramentum.

100. *Error Hæreticorum damnatus à Tridentino.*
Hoc eſt vltimum, de quo dubitari poteſt, an pertineat intrinſecè ad conſtitutionem Euchariſtiæ. Et quidem Hæretici noſtri temporis adeò ſentiunt, vſum Euchariſtiæ pertinere ad eius conſtitutionem, vt quamplures dicant, ante vſum non continere corpus Chriſti: alij verò, quos refert P. Valentia *in præſenti diſp. 6. q. 1. punct. 3.* non niſi dependenter ab vſu ſtatim poſt conſecrationem futuro; quorum errorem damnauit Trident. *ſeſſ. 13. can. 1.* docens, in Euchariſtiæ Sacramento contineri Chriſtum Dominum ante ipſum vſum: poſſeque ſeruari Euchariſtiam, nec ob id præſentiam Chriſti Domini deperdi, dum maneant ſpecies.

Valentia.

Conc. Trid.

101. *Status quæſtionis.*
His ergo erroribus omiſſis, contra quos latè, & optimè pugnat Valentia, vbi ſuprà: controuerſia inter Catholicos eſt, an ſumptio ſit pars intrinſecè conſtituens hoc Sacramentum. Aliqui enim Auctores Catholici concedunt, ſumptionem eſſe aliquid pertinens intrinſecè ad Sacramentum: pro qua ſententia in communi, & abſolutè prolata afferri poſſunt Gabriel *in 4. d. 8.* Aureolus apud Capreolum *ibi, art. 2.* licèt in modo eam explicandi differant: nam Aureolus videtur concedere, vſum eſſe partem Euchariſtiæ: Gabriel verò eſſe aliud Sacramentum diuerſum.

Gabriel.

Aureolus.

102. *Communis & vera ſententia negat vſum eſſe de ratione intrinſeca.*
Communis tamen, & vera ſententia omnium Theologorum negat, vſum, ſeu ſumptionem pertinere intrinſecè ad rationem Sacramenti. Ita ſanctus Thomas, & alij, quos referunt, & ſequuntur Suarez *in præſenti diſput. 42. ſect. 4.* & Vaſquez *diſp. 167.* Probatur primò ex modo loquendi Concil. Trid. *ſeſſ. 13.* per totam, præſertim *can. 4.* Sæpe enim docet, in hoc Sacramento contineri corpus Chriſti etiam ante vſum, hoc Sacramentum ſeruari in Sacrario, deferri ad infirmos, adorari, coli, &c. Igitur ex ſenſu Concilij ante vſum datur Sacramentum eſſentialiter; alioquin non ſeruaretur, coleretur, &c. niſi exiſteret in vſu.

Vaſquez.

Conc. Trid.

Probatur primò ex Conc. Trident.

103. *Probatur ex Florent.*
Secundò, probatur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij, vbi Pontifex docet, Sacerdotem verbis conſecrationis conficere Euchariſtiam: ergo Euchariſtia ipſa conſecratione perficitur etiam ante vſum: ergo vſus non pertinet intrinſecè ad eius conſtitutionem.

Tertiò ratione à priori quia eſt cibus.
Tertiò, & à priori oſtenditur, quia Euchariſtia, vt ſuprà vidimus, eſt cibus ſpiritualis animæ, & habet cauſare gratiam per modum cibi; ergo ſicut cibus naturalis ante actualem manducationem eſt cibus completè: ſic Euchariſtia ante ſumptionem eſt completè cibus: & ſicut cibus habet de ſe virtutem adæquatam ad nutriendum: ſic Euchariſtia ante ſumptionem ſupponitur cum virtute adæquata ad nutriendam ſpiritualiter animam.

Dices, Euchariſtiam quidem ante vſum eſſe Sacramentum; cæterùm vſum eſſe partem ipſius ſaltem integrantem, & vltimò complentem, ſicut ſatisfactio dicitur pars Sacramenti Pœnitentiæ: nam licèt Pœnitentia ſit verum Sacramentum eſſentialiter ante ſatisfactionem; cæterùm per ſatisfactionem integratur, & completur in ratione integri: ſicut homo etiam ſine manu eſt eſſentialiter homo: per manum tamen integratur, & completur; ex quo fit, rectè poſſe in Concilijs appellari Euchariſtiam Sacramentum etiam ante vſum, licet per vſum vltimò integretur. 104. *Inſtantia.*

Sed contra: quia ſi vſus eſſet pars Sacramenti Euchariſtiæ, non ſolùm eſſet integralis, ſed etiam eſſentialiter requiſita. Satisfactio quidem non eſt pars eſſentialis Pœnitentiæ: quia ante ſatisfactionem habet Pœnitentia vim ad cauſandam gratiam, & de facto eam cauſat: at vero ſi vſus requiritur ad Euchariſtiam, requiritur quidem taliter vt ſine illo Euchariſtia non cauſet gratiam. ergo ſi propter hanc exigentiam vſus dicitur eſſe pars, non eſt pars integralis, ſed eſſentialis Euchariſtiæ. 105. *Diluitur.*

Ex quo obiter impugnatur ſententia Gabrielis: nam ſi vſus eſt Sacramentum, non poteſt eſſe Sacramentum diuerſum ab Euchariſtia: in tantum enim debet eſſe Sacramentum, in quantum videtur cauſare gratiam: ſed Euchariſtia, & eius vſus non cauſant diuerſam gratiam, neque enim Euchariſtia cauſat ſine vſu, nec ipſe vſus ſine Euchariſtia: ergo vel conſtituunt vnum, & idem Sacramentum, vel vſus non pertinet ad rationem intrinſecam Sacramenti. 106. *Inde impugnatur ſententia Gabrielis.*

Dices iterum, vſum quidem eſſe partem intrinſecam Euchariſtiæ; cæterum adhuc ante vſum dari Sacramentum Euchariſtiæ: quia datur, quoad totum id, quod dicit in rectò: ſicut enim ſuprà dicebamus, poſt tranſacta verba dari Euchariſtiam, licet verba ſint pars intrinſeca illius, eò quod non ſignificentur in recto: ſic etiam dici poteſt, vſum importari in obliquo, & ideo ante vſum dari iam Sacramentum Euchariſtiæ, ſcilicet quoad id, quod importat in recto. 107. *Inſtabis iterum.*

Sed contra: quia peto, à quo vſu denominetur Euchariſtia Sacramentum, antequam ſumatur, ſicut denominatur Sacramentum à verbis præteritis? Dices, ab vſu futuro: contrà, ergo ſi hæc hoſtia forſitan non ſit ſumenda poſtea ab aliquo, non erit modo Sacramentum Euchariſtiæ, licèt ſit conſecrata. Conſequens eſt abſurdum, & contra mentem Tridentini: Dices, ſufficere ad hoc, vt denominetur modo Sacramentum, vſum poſſibilem illius. Sed contrà; quia repugnat, aliquid conſtitui formaliter in ratione Sacramenti per vſum ſolum poſſibilem. Poſſet quidem conſtitui in ratione Sacramenti per ordinem ad vſum poſſibilem, imò de facto ita conſtituitur: nam ille ordo eſt aliquid actuale: cæterum per ipſum vſum poſſibilem conſtitui formaliter non poteſt. Nam ens poſſibile, non eſt ens ſimpliciter, ſed poteſt eſſe ens: ergo non dabit formaliter denominationem Sacramenti ſimpliciter, ſed Sacramenti poſſibilis: nam compoſitum, quod componitur ſaltem partialiter ex ente poſſibili, neceſſe eſt, quoad illam partem, ſolum eſſe poſſibile. 108. *Reſpondetur.*

Dices, res præterita non habet plus entitatis nunc, quàm res poſſibilis; & tamen per denominationem 109. *Dices.*

à

à verbis præteritis denominatur nunc Sacramentũ; ergo poſſet etiam per denominationem ab vſu poſſibili, licèt res poſſibilis ſolum dicat eſſe poſſibile.

Reſpondeo.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia ſequeretur, hoc Sacramentum non ſolum nunc non habere adæquatè totũ eſſe Sacramenti reduplicatiuè ſumpti; ſed neque vnquam illud habuiſſe, atque adeò nunquam extitiſſe, vel extitiſſe eſſentiam totam huius Sacramenti reduplicatiuè ſumpti. Quod non ſequitur de facto; quia licèt modò non exiſtant verba, à quibus completur in ratione Sacramenti, atque ideo licet nunc non habeat totum illud eſſe, quod includit Sacramentalitas (vt ita dicam) reduplicatiuè ſumpta, illud tamen eſſe aliquando fuit, atque adeo totum Sacramentum adæquatè ſumptum etiam reduplicatiuè, & ſecundùm obliqua, aliquando ponitur extra cauſas. Habemus ergo, Sacramentum Euchariſtiæ nullo modo poſſe componi intrinſecè ex vſo, licèt ordinetur ad illum.

110. *Cõtra hoc tamen eſt difficultas magis, quia aliunde vſus videtur participare rationem Sacramenti, eſt enim cæremonia ſenſibilis, &c. Confirmatur.*

Cæterum contra hanc communem ſententiam eſt difficultas non modica; quia aliundè videtur vſus Euchariſtiæ participare rationem Sacramenti: eſt enim cæremonia ſenſibilis ſignificans practicè gratiam, quam ſignificat infallibiliter ex promiſſione Chriſti: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam*, &c. ergo ſumptio ipſa eſt Sacramentum, non aliud: ergò Euchariſtia, vel pars illius. Confirmatur, quia aliæ partes Euchariſtiæ non ſignificant, nec cauſant gratiam, niſi coniunctæ cum ſumptione, & vſu: ergo aliæ non conſtituunt adæquatè Sacramentum, niſi vt componant illud cum ipſo vſu.

Reſponſio communis eſt, vſũ requiri tantùm vt applicationem.

Reſpondetur communiter ad hoc argumentum, ſumptionem quidem requiri ad hoc, quod Euchariſtia cauſet gratiam, cæterùm non requirit vt cauſam etiam partialem, ſed vt conditionem, ſeu applicationem Sacramenti, nec enim gratia promittitur manducationi, ſed Sacramento, ſuppoſita applicatione, & conditione illa manducationis.

111. *Hæc ſolutio non tollit omnino difficultatem, cũ vſus in aliis Sacramentis ſit pars Sacramenti.*

Hæc ſolutio, licèt veram contineat doctrinam; non tollit adhuc omnino difficultatem poſitam; nam de hoc ipſo inquirimus, vnde ſcilicet colligat Eccleſia, Euchariſtiæ vſum ſolum eſſe applicationem Sacramenti, & non partem ipſius: cùm tamen in aliis Sacramentis ipſe vſus non ſolum ſit conditio, ſed pars Sacramenti? Cur Eccleſia cenſet, oleum conſecratum non eſſe Sacramentum, ſed materiam; ipſam verò vnctionem, non eſſe applicationem Sacramenti, ſed partem ipſius: at in Euchariſtia, ſumptionem ſentit eſſe ſolum applicationem Sacramenti, & non partem ipſius? Item non bene percipitur, quomodo ſumptio ſit eſſentialiter requiſita ad effectum Sacramenti, & ſit tantum conditio: cum enim ad rationem Sacramenti ſolum exigatur moralis influxus in gratiam; quomodo poteſt intelligi, ſumptionem eſſentialiter concurrere ad gratiam, & tamen non concurrere vt cauſam moralem, ſed ſolùm vt conditionem? Difficile enim explicatur, in quo differat cauſa moralis, & conditio moralis.

112. *Reſpondeo ad primam partem difficultatis. Cibus eſt cauſa adæquata nutritionis, manducatio verò eſt tantùm applicatio.*

Ad primam partem difficultatis reſpondeo, Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum eſſe per modum cibi nutrientis ſpiritualiter, vt ſæpe dictum eſt, & conſtat ex verbis Chriſti: *Caro mea verè eſt cibus*, &c. Quare ſicut cibus naturalis de ſe habet adæquatam virtutem ad nutriendum, manducatio verò non nutrit, ſed eſt conditio applicans virtutem cibi ad operandum: ſic etiam ſumptio cibi ſpiritualis non eſt virtus, nec pars virtutis, ſed applicatio virtutis cibi, vt operetur vitam in anima: quod totum potuit Eccleſia ſatis colligere ex ipſa inſtitutione huius Sacramenti.

113. *Inſtabis in Extrema-Vnctione, &c.*

Dices primò, etiam Extrema-Vnctiò inſtituta eſt per modum medicinæ curantis ægritudinem mentis, & corporis; ergo ſicut oleum ad ſanandum naturaliter corpus indiget applicatione, quæ quidem applicatio non eſt pars virtutis, ſed ſolum conditio: ſic etiam oleum benedictum erit adæquata cauſa gratiæ in Sacramento, vnctio verò erit ſolum applicatio medicinæ, & non pars Sacramenti.

Reſpõdeo diſcrimen peti ab inſtitutione, atque oleum eſſe Sacramentum.

Reſpondeo, oleum non eſſe inſtitutum in ratione Sacramenti per modum medicinæ adæquatè cauſantis: ſicut eſt Euchariſtia per modum cibi adæquatè nutrientis. Alioquin ſicut in naturalibus medicina à quolibet applicata operatur, ſic etiam Oleum ſacrum à quolibet miniſtro etiam ſine vllis verbis applicatum operaretur gratiam, quod eſt abſurdum. Differentia ergo inter oleum, & Euchariſtiam colligitur clarè ex vtriuſque Sacramenti inſtitutione; nam Sacramentum vnctionis exigit ex Chriſti inſtitutione vnctionem factam à tali miniſtro, cum talibus determinatis verbis, &c. Ex quo fit, ipſum oleum benedictum ſecundùm ſe non ſignificare completè gratiam ſine tali actione; quæ quidem actio etiam ſignificat partialiter ex Chriſti inſtitutione, & non poſtulatur, vt mera applicatio. At verò Euchariſtia taliter inſtituta eſt in ratione cibi, vt à quocumque applicetur, cauſet eodem modo gratiam; ex quo fit, manducationem non exigi vt partem Sacramenti, ſed vt meram applicationem illius; eo quòd Sacramentum, ſicut cibus corporeus, non poſſit operari ſine applicatione.

114. *Inſtantia.*

Dices adhuc; ergo ſi Euchariſtia poneretur in ſtomacho hominis miraculosè, ſine eo quod intraret per oris manducationem, adhuc cauſaret gratiam. Probatur ſequela ex dictis, quia manducatio eſt mera conditio requiſita, vt cibus alioquin potens applicetur: ergo ſi cibus iſte alio modo applicetur, eodem modo poterit gratiam operari; ſicut ſi cibus naturalis poneretur miraculosè intra ſtomachum, eodem modo nutriret hominem, ac ſi manducaretur.

115. *Reſpondet Suarez.*

P. Suarez infrà *diſp. 63. ſect. 7. ante 2. concluſ.* cum ad aliud propoſitum obiecíſſet ſibi hanc ſequelam, noluit illam concedere; ſed alio modo reſpondit ad illam quæſtionem. Forſitan propter verba Chriſti promittentis gratiam non quidem habenti, ſed manducanti Euchariſtiam: *Qui manducat hunc panem, viuet*, &c. Et propter illa etiam verba: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam*, &c. vbi videtur negari effectus Sacramenti, niſi præcedat manducatio. Ego ſanè non inueni adhuc rationem ſatis efficacem contra eum, qui concederet prædictam ſequelam, & admitteret, quòd ſi tunc ille homo ſciret, quid ſecum ageretur, & vellet recipere illud Sacramentum, reciperet quidem effectum Sacramenti: quod proportio cibi naturalis ſuadere videtur, & ratio ſuprà poſita, quòd ſcilicet manducatio ſit mera conditio applicationis: quare ſi cauſa alio modo applicetur, non eſt, cur non poſſit operari. Imò poſſet hoc ipſum confirmari ex facto miraculoſo, quod à probatis Auctoribus narratur contigiſſe cuidam Comiti Gallo iuxta Maſſiliam, qui dum eſſet morti proximus, & mala ſtomachi diſpoſitione prohiberetur à communione Euchariſtiæ, quam ardenter exoptabat; allatam ſibi hoſtiam, & ſuper ſtomachum poſitam, aperto diuinitus pectore ſuſcepit, & ſtatim obiit. Quam hiſtoriam, ſuppreſſo nomine, refert & approbat P. Salmeron *tom. 9. in Euangel. tract. 33. ante tertium argument.* In quo caſu non videtur credibile, Sacramentum non habuiſſe effectũ ex opere operato, vt quid enim eximius ille fauor, niſi ad communicandum fructum Euchariſtiæ? Et quidem iuxta hanc doctrinam facilè diſſolui videtur

Nos vltra cõcedemus id quod vult inſtantia.

Confirmatur exemplis.

Hinc redditur diſcrimen inter cauſam moralem & conditionem.

ſecunda etiam pars difficultatis ſupra poſitæ. Redditur enim diſcrimen inter conditionem & cauſam moralem, quod cauſa etiam ſine manducatione operaretur, ſi alioquin eſſet applicata; at verò ſine ipſa cauſa nullo modo ſieret effectus.

116. Nec verba Chriſti Domini videntur contra hanc doctrinam vrgere: nam in primis verba illa: *Niſi manducaueritis, &c. non habebitis vitam in vobis*; non loquuntur de effectu ſolum Sacramenti, quo carent, qui non manducant, ſed etiam de omni gratia iuſtificante; quia, vt infrà videbimus, agitur ibi de neceſſitate præcepti, qua tenentur fideles ſumere Euchariſtiam, ſub culpa lethali. Quare ex illis non poteſt probari, manducationem eſſentialiter requiri ad effectum Sacramenti, ſed requiri ad vitandum peccatum lethale, & implendum præceptum, quod habet manducandi, qui poteſt. Deinde illa verba, quibus promittitur gratia manducanti hunc cibum: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, non eſt cur ita accipiantur, vt exigatur eſſentialiter manducatio ad effectum, ſed ſolùm vt conditio ex natura rei requiſita. Sicut etiam de ligno vitæ, quod erat in Paradiſo, dici poterat: *Qui comedit ex hac arbore, viuet*; & tamen proculdubio fructus ille haberet eundem effectum poſitus intra ſtomachum etiam ſine manducatione. Imò etiam de Sacramento vnctionis dicit Iacobus Apoſtolus: *Infirmatur quis in vobis; inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum, &c.* & tamen nemo cogitauit, quòd ſi Presbyter alioquin eſſet præſens, & non adducatur, ideo Sacramentum non habiturum ſit effectum: petitur tamen adductio Presbyteri, vt conditio regulariter neceſſaria; quod idem de manducatione Euchariſtiæ à fortiori dici poſſet.

Explicantur verba Chriſti.

117. Cæterùm hæc doctrina noua eſt, & ad rem præſentem non neceſſaria; imò forſitan non omnino euacuat difficultatem poſitam; adhuc enim reſtat eadem difficultas circa ipſum contactum Euchariſtiæ cum ſtomacho, an ſit pars Sacramenti, an ſolùm conditio, & in quo differat à vera cauſa, cùm ille ſaltem contactus neceſſariò requiratur, & eſſentialiter ad effectum Sacramenti; & quod de illo contactu dictum fuerit, de manducatione etiam dici poterit, licèt admittatur eſſentialiter neceſſaria ad effectum Sacramenti: ideo nihil hîc aſſero, ſed aliunde petenda videtur differentia inter cauſam moralem, & conditionem ex doctrina, quam latè explicuimus ſuprà *in tract. de Sacramentis in communi diſp. 4. ſect. 5.* vbi diximus, Sacramenta nouæ Legis cauſare gratiam præſentem, non verò antiquæ: nam licèt forſitan in Circumciſione daretur gratia, Circumciſio tamen non erat cauſa, ſed ſolùm conditio ad illam gratiam: at verò Baptiſmus non eſt ſola conditio, ſed cauſa ſuæ gratiæ. Diſcrimen autem oritur ex eo, quòd Baptiſmus, & omnia Sacramenta nouæ Legis ſint quaſi actiones, & operationes Chriſti Domini, moraliter loquendo, exercitæ quidem per ſuos miniſtros, eius tamen nomine; & ſint quaſi ſchedulæ, & ſigna, quibus vtitur ad ſignificandam Deo voluntatem, quam habet, quod detur gratia hominibus. Cum ergo operationes Chriſti Domini de ſe ſint ſanctæ, & Deo gratæ, habeántque valorem moralem ad obtinendum, quod intendunt, fundatum in dignitate perſonæ, & meritis eiuſdem; hinc eſt, quodlibet Sacramentum nouæ Legis continere gratiam, & habere vim ſufficientem ad cauſandam moraliter gratiam, quam ſignificat: at verò Sacramenta antiqua erant actiones factæ nomine ſolius Synagogæ vel Eccleſiæ, à qua non poterant reddi impetratoriæ de condigno gratiæ iuſtificantis; quare ſolùm ſe habebant vt conditio, ſine qua non.

Hæc doctrina videtur noua.

Vnde aliunde petamus diſcrimen inter cauſam moralem & conditionem.

118. Hoc ſuppoſito, dicendum eſt, manducationem, ſeu contactum eſſe ſolum conditionem, non cauſam gratiæ; quia comeſtio, ſeu contactus non habet vim ad mouendum Deum, vt det gratiam, ſed eſt conditio, qua poſita, mouetur Deus ab ipſo Sacramento, vt ab operatione Chriſti, moraliter loquendo, ad dandam gratiam. Cur autem vſus non ſit inſtitutus à Chriſto pro operatione, quæ fiat eius nomine, ſed ſolum deſignatus ſit pro conditione, petenda eſt ratio ex ſuperioribus, quia ſcilicet Euchariſtia inſtituta eſt per modum cibi cauſantis gratiam; quare ſicut in cibo virtus cauſandi non eſt in vſu, vel contactu, ſed ſolum in cibo: ſic etiam in hoc Sacramento virtus cauſandi ſolum debuit conſtitui in ipſo cibo; vſus verò, ſeu contactus ſolum deſignari, vt conditio, & applicatio cibi. Cur autem, & quomodo Circumciſio, aut alia Sacramenta antiqua, eſſent vera Sacramenta, licet non cauſarent gratiam in recipientibus, ex eo quòd erant promiſſiones gratiæ dandæ in Lege noua, explicuimus latè in eodem loco *de Sacram. in communi.*

Hoc poſito dico manducationem, vel contactum eſſe tantùm conditionem, quia nõ habet vim ad mouendũ Deum, &c.

119. Dices, difficultatem eandem adhuc remanere in diſpoſitione, qua homo accedit, & ſuſcipit Euchariſtiam: videtur enim, iuxta doctrinam traditam, illam eſſe partem Sacramenti: nam illa diſpoſitio concurrit proculdubio ad gratiam Sacramentalem, quæ datur ex opere operato. Hæc enim vnicuique datur iuxta menſuram diſpoſitionis, quam habet. Rurſus illa diſpoſitio non concurrit ſolum, vt conditio, quia concurrit vt meritum congruum, cuius intuitu dat Deus tantam gratiam: quod patet in Baptiſmo, in quo datur adulto prima gratia intuitu diſpoſitionis, & doloris de peccatis, quem habet; de quo dolore dicit Tridentinum *ſeſſ. 4. cap. 4.* neceſſarium eſſe ſemper etiam cum Sacramento *ad impetrandam veniam peccatorum*; & eſt cauſa impetratoria, & meritoria de congruo reſpectu primæ gratiæ; & eodem modo ea diſpoſitio in Euchariſtia, & aliis Sacramentis erit impetratoria augmenti gratiæ, quod confertur in Sacramento: quid ergo deeſt illi, vt componat intrinſecè Sacramentum in ratione cauſantis gratiam?

Inſtabis.

120. Reſpondeo, eam diſpoſitionem non componere intrinſecè Sacramentum Euchariſtiæ, ſicut neque alia (excepto vno Sacramento Pœnitentiæ, cuius eſt pars dolor de peccatis) quia non participat propriè rationem cauſæ gratiæ, prout illam participant Sacramenta, de quibus ſæpè diximus, eſſe veras cauſas gratiæ; quia propter merita Chriſti, quæ in ſe continent, & à quo aſſumuntur tanquam ſigna, quibus ſuam voluntatem ſignificat Deo de gratia hominibus danda, habent valorem, & condignitatem ad ponendam gratiam, quam exigunt. Diſpoſitio autem noſtra habet ſolum congruitatem quandam ad illum effectum, quæ ſicut non ſufficit ad dandam denominationem meriti ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſolum ſecundùm quid, & impropriè, ſcilicèt meriti congrui, quod non eſt proprium meritum: ſic non ſufficit ad denominandam cauſam in eo rigore, in quo Sacramenta appellantur cauſæ gratiæ, nempe cauſæ efficaces, & potentes ponere ſuum effectum: quem modum cauſalitatis debent participare omnia, quæ componunt Sacramentum in ratione cauſæ. Fatemur ergo, diſpoſitionem concurrere tanquam meritum de congruo ad impetrandam gratiam, quæ datur in Sacramento, non tamen habet illum modum concurrendi, & cauſandi condignè, quem habent Sacramenta, quia non aſſumitur à Chriſto tanquam ſignum, vel actio propria ad ſignificandam Deo ſuam voluntatem, ſed Chriſtus aſſumit ſpecies, & corpus ſuum ad ſignificandam Deo voluntatem ſuam de obtinenda tanta gratia

Diſpoſitio nullũ Sacramentum cõponit intrinſecè, excepta Pœnitentia.

homini taliter diſpoſito; vbi diſpoſitio non ſe tenet ex parte Christi, ſed ex parte illius, cui Christus, mediis talibus ſignis, petit tantam gratiam; & licet petat etiam, quod illa diſpoſitio hominis acceptetur à Deo vt meritum congruum ad talem gratiam, non tamen facit, quòd diſpoſitio concurrat vt cauſa condigna, atque adeò vt cauſa Sacramentalis, vel pars Sacramenti. Aliud eſt in Sacramento Pœnitentiæ, in quo Christus voluit aſſumere dolorem ipſum internum pœnitentis ad ſignificandum, & cauſandum effectum: atque ideo dolor ille vt eleuatus, & aſſumptus à Christo, concurrit non ſolum vt cauſa congrua, ſed etiam vt cauſa efficax, & condigna ad effectum gratiæ Sacramentalis, quia eſt pars ipſius Sacramenti ex Christi institutione, ſine qua non ſolum non datur effectus Sacramenti, ſed nec Sacramentum validum: cùm tamen alia Sacramenta etiam ſine dolore, aut diſpoſitione debita ſuſcepta, ſint vera, & valida Sacramenta, licèt non habeant effectum gratiæ Sacramentalis, vnde conſtat diſpoſitionem illam non eſſe partem illorum Sacramentorum, ſicut eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Nunquam diſpoſitio concurrit vt cauſa condigna, atque adeò vt cauſa Sacramenti. Secus eſt in Sacramento Pœnitentiæ.

121\. Quod dictum eſt de diſpoſitione, dicendum eſt eodem modo de intentione recipiendi Euchariſtiam: nam licèt intentio ſuſcipiendi Sacramentum in adultis ſit neceſſaria ad valorem Sacramenti, vt diximus in tractatu *de Sacramentis in comm. diſp.9. ſect. vlt.* In Euchariſtia tamen intentio adulti requiritur quidem ad fructum, non tamen ad valorem Sacramenti; atque ideo ſicut diſpoſitio concurrit aliquo modo ad effectum, & non eſt pars Sacramenti: ſic intentio concurrit quidem vt conditio neceſſaria ad effectum Sacramenti, eſt enim quaſi applicatio ſpiritualis, qua homo ſe applicat ſpiritualiter ad hoc Sacramentum, non tamen eſt pars Sacramenti. Et quidem facilius conſtat, intentionem non eſſe partem: non enim requiritur, vt aliquid cauſans gratiam per modum meriti ſaltem de congruo; nam licèt intentio non ſit actus meritorius, & bonus, ſed vel ſit actus indifferens, vel etiam malus venialiter, adhuc ſufficit ad hoc, vt Euchariſtia operetur gratiam; quia illa intentio ſufficit ad reddendam communionem voluntariam: & ſicut ſufficeret ad reddendum validum Baptiſmum, vel Ordinem, &c. ſic ſufficit ad applicandum Sacramentum Euchariſtiæ, quantum ſatis eſt, vt ſit communio humana, & poſſit conferre ſuos effectus Sacramentales.

Quod dictum eſt de diſpoſitione, dicendum eſt de intentione recipientis. Intentio in Euchariſtia non requiritur ad valorem Sacramenti, ſed ad fructum.

DISPVTATIO II.

Quotuplex ſit Sacramentum Euchariſtiæ.

SECTIO I. *Vtrùm Euchariſtia ſit vnum Sacramentum in ſpecie atoma?*

SECTIO II. *Vtrùm, multiplicatis ſpeciebus Sacramentalibus, multiplicetur numero Sacramentum Euchariſtia.*

SECTIO III. *Vnde ſumenda ſit pluralitas huius Sacramenti in ſententia, quæ dicit ſpecies etiam in recto ſignificari.*

POSTQVAM vidimus de eſſentia Euchariſtiæ, facilè erit iudicare de eius vnitate. Poteſt autem quæſtio eſſe de vnitate ſpecifica, & de vnitate numerica: an ſcilicet Euchariſtia contineat plura Sacramenta numero diuerſa; de quibus in hac diſputatione dicendum eſt, de quo breuiter S.Thomas in præſenti *art.2.*

SECTIO I.

Vtrùm Euchariſtia ſit vnum Sacramentum in ſpecie atoma.

NEgarunt aliqui: Aureolus apud Capreolum *d.8.q.1.arg. contra 2. concluſ.* Gabr.*q.2. art.1.& lect.53.in Canonem*; & indicat Maior apud Suarez *in præſenti diſp.1.de Euchar.ſect.3.* fundamentum potiſſimum eſt, quia ſpecies panis cum corpore Christi conſtituit Sacramentum ſpecie diuerſum ab illo, quod reſultat ex ſanguine & ſpeciebus vini, & vtrumque continetur ſub Euchariſtia: ergo Euchariſtia complectitur Sacramenta ſpecie diuerſa. 1.

Aureolus. Gabriel. Maior.

Communis tamen, & vera ſententia affirmat, Euchariſtiam eſſe vnicum Sacramentum in ſpecie atoma. Ita S.Thomas *in præſenti*, quem ſequuntur reliqui apud Suarez, & Vaſquez in præſenti, qui plures referunt; & hanc ſententiam amplexus eſt Catechiſmus Pij V. dicens: Non plura, ſed vnum tantùm Sacramentum Eccleſiæ auctoritate ducti confitemur. Hæc ſententia poteſt ex duplici capite probari. Primò, ſi dicamus Sacramentum ex ſpeciebus panis, & corpore Christi non differre ſpecie à Sacramento ex ſpeciebus vini cum ſanguine, ſed ſolum numero. Secundò, ſi admittantur hæc duo differre ſpecie incompleta, & partiali; ordinari tamen ad componendam vnam ſpeciem integram, & totalem; nam licet materia, & forma hominis differant inter ſe ſpecie partiali; homo tamen non eſt ſpecies ſubalterna, ſed infima, quia eſt vna ſpecies totalis, & integra, compoſita ex duabus ſpeciebus partialibus: quare videndum nunc eſt, ex quo capite iſtorum probanda ſit noſtra concluſio.

Communis & vera ſententia affirmat eſſe vnum Sacramentum in ſpecie atoma.

Primò probatur.

Secundò;

Nonnulli enim recentiores probant eam ex primo capite, dicuntque ſanguinem ſub ſpeciebus vini non differre ſpecificè à Sacramento, quod reſultat ex corpore, & ſpeciebus panis, ſed ſolum numero: nam licet ſpecies panis, & vini differant ſpecificè: item corpus, & ſanguis Christi differant etiam ſpecificè: cæterùm in ratione Sacramenti non differunt ſpecificè, conſtituuntur enim in ratione Sacramenti per ſignificationem: quare cum ſignificatio gratiæ ſit eadem in vtraque parte Euchariſtiæ (vtraque enim ſignificat eandem gratiam nutritiuam,) non eſt vnde differant ſpecie hæ duæ partes. 2.

Sanguis ſub ſpeciebus vini non differt ſpecie à corpore ſub ſpeciebus panis in ratione Sacramenti.

Dices: Sacramentum non ſolum componitur ex ſignificatione, ſed etiam ex re ſignificante: ergo eius differentia ſpecifica non ſolùm deſumenda eſt ex ſignificatione gratiæ, ſed etiam ex diuerſitate rei, quæ aſſumitur ad ſignificandum. Sed contra: quia licet coloratum non ſolum includat colorem, ſed ſubiectum: cæterum equus albus, & homo albus non differunt ſpecie in ratione colorati, quia ad hanc differentiam non attenditur diuerſitas ſubiectorum, ſed formarum: ergo ſimiliter licet Sacramentum corporis, & ſanguinis differant materialiter ratione ſubiecti, non differunt ſpecie in ratione Sacramenti: hæc enim differentia reduplicat ſupra rationem formalem Sacramenti, quæ eſt ſignificatio. 3.

Inſtantia.

Diluitur;

Confirmatur primò, quia nemo dixerit, ſanguinem ſub ſpeciebus vini albi conſtituere Sacramentum diuerſum ſpecificè ab eo, quod reſultat è ſpeciebus vini rubri, licet probabile valdè ſit, hæc duo vina differre in ſpecie: ergo ſimiliter vbi manet eadem ſignificatio, parùm refert, quod ſpecies vini, & panis differant inter ſe. Confirmatur ſecundò; quia Baptiſmus inſtitutus fuiſſet ita, vt poſſet fieri cum 4.

Confirmatur, quia ſpecies vini albi non conſtituunt Sacramentum diuerſum ab eo quod reſultat ex ſpeciebus vini rubri, licèt hæc duo vina ſpecie differant.

Confirmatur ſecundò. aqua, vel cum vino procuIdubio Baptiſmus non ideo complecteretur Sacramenta ſpecie diuerſa, quia vterque Baptiſmus ſignificaret eandem animæ lotionem; ergo ſimiliter, ſi vtraque ſpecies panis, & vini, ſignificant eandem gratiam nutritionis, non debent differre ſpecificè hæc duo Sacramenta.

5. *Hæ duæ partes differunt ſpecie non totali, ſed partiali.* Cæterum mihi adhuc probabile eſt, has duas partes differre ſpecificè inter ſe, ſpecie quidem non totali, ſed partiali, vt poſtea videbimus: quia licèt diſtinctio ſpecifica in ratione Sacramenti non debeat attendi, niſi habeat diuerſas ſignificationes, vt probatum eſt, habent tamen Sacramentum corporis, & Sacramentum ſanguinis diuerſas ſignificationes. Ad quod probandum non vtor ea ratione, quam aliqui inſinuant, quod ſpecies panis ſignificant corpus, ſpecies vini ſignificant ſanguinem; hæc enim ſignificatio non eſt conſtitutiua formaliter in ratione Sacramenti: quia Sacramentum formaliter non conſtituitur, niſi per ſignificationem gratiæ ſanctificantis; quare niſi differant in ſignificatione gratiæ, non videntur differre in ratione Sacramenti. Hac ergo ratione prætermiſſa, probandum eſt aliter, differre ſpecificè has duas partes Euchariſtiæ, quia ſcilicet ſpecies vini habent ſignificare alium nouum gratiæ effectum in eo etiam, qui accepit corpus; quod infrà diſp. 12. probandum eſt: alioquin non ſignificaretur per vtramque ſpeciem plenitudo conuiuij ſpiritualis: ſignificatio autem illa calicis diuerſa eſt non ſolum numero, ſed etiam ſpecie à ſignificatione hoſtiæ: hoſtia enim ſignificat per modum cibi: calix verò per modum potus, vt colligitur ex verbis Chriſti: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*; vbi ſicut corpori tribuitur cibare ſpiritualiter, ita ſanguini potare ſpiritualiter: ergo ſignificant eodem modo ſpecies panis, & vini.

Hoſtia ſignificat per modum cibi, calix per modum potus.

6. *Inſtantia.* Dicunt, ex parte rei ſignificantis differre quidem; nam ſpecies panis comeduntur, ſpecies vini potantur: at verò ex parte rei ſignificatæ, non differre; quia tam cibatur ſpiritualiter anima per calicem, quàm per hoſtiam; & eandem ſatietatem, & plenitudinem conuiuij accipit per quamlibet ſpeciem, quam per vtramque, ſed contrà; quia præterquam quod *à diſp.* 12. oſtendemus, ſanguinem non eſſe cibum ſpiritualem, neque è contra carnem eſſe potum, pro nunc ſufficiat, quòd ex prædicta ſolutione ſequitur, vtramque ſpeciem non ſignificare plenitudinem conuiuij, & perfectam ſatietatem magis quàm ſingulas; quia ſi ſingulæ præſtant eandem ſatietatem ſpiritualem: ergo ſingulæ illam ſignificant: nam Sacramenta id ſignificant, quod cauſant; ergo duæ ſpecies non magis ſignificant ſatietatem plenam ſpiritualem, & plenitudinem conuiuij, quàm ſingulæ. Conſequens autem eſt falſum; nam iuxta communem Theologorum ideo Euchariſtia inſtituta eſt ſub duplici ſpecie, vt ſignificaretur conuiuium plenum, quod quidem ſingulæ ſpecies non congruè ſignificarent.

Diluitur.

7. *Licet ergo partes Euchariſtiæ differant ſpecificè, componunt tamen vnicã ſpeciem Sacramenti.* Suppoſito ergo, quòd partes Euchariſtiæ differant ſpecificè inter ſe, reſtat probandum, non eſſe duo Sacramenta totalia, ſed ex illis componi vnicam integram ſpeciem Sacramenti: non enim repugnat, ex partibus diuerſis ſpecie reſultare vnicam ſpeciem atomam: ſicut homo, qui eſt ſpecies infima, reſultat ex materia, & forma diuerſis non ſolùm ſpecie, ſed genere.

Probant aliqui ſed malè. Igitur, quòd vtraque ſpecies Euchariſtiæ componat vnicum Sacramentum totale, probant aliqui ex eo, quòd ſimul inſtituta fuerit à Chriſto vtraque pars Sacramenti. Sed eſt probatio inefficax, quia ſimul etiam potuerunt inſtitui plura Sacramenta totalia. Alia probant, quia Sacramentum hoc ſignificat ſacrificium Crucis ex ſua inſtitutione: illud autem ſacrificium non ſignificatur compleè per vnicam ſpeciem, ſed per vtramque, vt repræſentetur ſanguinis effuſio, & animæ à corpore ſeparatio. Hoc argumento vtitur Suarez *in præſenti*, ſed non probat intentum, quia hoc Sacramentum (vt vidimus) non conſtituitur in ratione Sacramenti per hoc, quod eſt ſignificare ſacrificium Crucis; ſed per ſignificationem gratiæ; quare licèt in ratione ſignificantis ſacrificium ſingulæ ſpecies ſignificarent partialiter, ſi tamen ſignificarent gratiam totalem, ſingulæ eſſent Sacramentum totale.

Aliter poſſet probari ex eo; quòd Sacramentum Calicis eſt ſanguis Chriſti, & Sacramentum ſub ſpecie panis eſt corpus Chriſti; quare cùm corpus, & ſanguis Chriſti ſint partes Chriſti, non poſſunt ſingulæ eſſe Sacramentum totale, ſed partiale. Sed contra hoc eſt, quòd denominatio Sacramenti partialis non prouenit ex eo, quòd res ſignificans ſit partialis, ſed ex eo quòd ſignificet partialiter: ſicut ſi anima Chriſti cauſaret ipſa ſola gratiam, licèt ipſa anima ſit ens partiale, non tamen diceretur cauſa partialis, quia in ratione cauſæ non componeret cum alia; ergo ſi ipſa formalis ſignificatio competit totaliter corpori Chriſti, non dicetur corpus Chriſti Sacramentum partiale, licèt ſit entitas partialis. 8.

Aliter probatur.

Impugnatur probatio.

Vnica ergo ratio à priori, cur hæc duo ſint Sacramenta partialia, ſeu partes eiuſdem Sacramenti, ſumi debet ex ipſa ſignificatione; quia ſcilicet quælibet pars ſignificat partialiter gratiam conuiuij: nam, vt ſuprà diximus, per Euchariſtiam ſignificatur plenitudo conuiuij ſpiritualis, quæ non ſignificatur totaliter, & plenè, ſed ſolùm partialiter per ſingulas ſpecies ſeorſum: quare cùm ſignificatio vnius ſpeciei ordinetur ad integrandam cum ſignificatione alterius ſpeciei integram ſignificationem vnius conuiuij, hinc eſt, ſingulas ſpecies non eſſe Sacramentum totale, ſed ſolùm partiale. 9.

Vnica & vera ratio à priori.

Per Euchariſtiam ſignificatur plenitudo conuiuij ſpiritualis.

Confirmatur primò, ex modo loquendi Conciliorum, Eccleſiæ, & Patrum, apud quos frequenter tota Euchariſtia appellatur Sacramentum in ſingulari: quod ſi aliquando appellantur in Miſſæ Collectis Sacramenta in plurali, intelligi debet de Sacramentis partialibus, non totalibus, alioquin ſi eſſent totalia, nunquam poſſent appellari Sacramentum in ſingulari. 10.

Confirmatur primò ex modo loquendi Concil.

Confirmatur ſecundò, quia ſi eſſent duo Sacramenta totalia, Eccleſia haberet pluſquam ſeptem Sacramenta, contra mentem Conciliorum, & Patrum. Hoc argumentum indicat Catechiſmus ſuprà allegatus: illud tamen reiicit P. Vaſq. *vbi ſuprà n.* 3. quia licèt Euchariſtia contineret ſub ſe duo Sacramenta: poſſet tamen dici, Eccleſiam habere ſeptem Sacramenta: quia illa duo continentur ſub vno genere Euchariſtiæ: neque enim quando numerantur ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, numerantur omnes ſpecies infimæ Sacramentorum, ſed ſufficit, quod numerentur genera; quia etiam Ordo numeratur pro vno Sacramento, & tamen continet ſub ſe ſeptem, vel octo Ordines ſpecie diuerſos.

Confirmatur ſecundò, quia plura eſſent Sacramenta quàm ſeptem. Vaſquez.

Cæterùm adhuc hoc argumentum non videtur contemnendum, nec dici poteſt, Eccleſiam ſolùm numerare genera Sacramentorum; nam in eo ſenſu etiam poſſet dici, Eccleſiam ſolùm habere duo Sacramenta; alterum mortuorum, ſub quo continentur Baptiſmus, & Pœnitentia; alterum viuorum, ſub quo continentur alia: quem tamen modum loquendi meritò damnarent omnes; ergo ideo, quia Eccleſia non ſolùm numerat genera, ſed ſpecies Sacramentorum. Neque obſtat ſub Ordine contineri plura Sacramenta, quia illa omnia ſunt etiam Sacramenta 11.

Hoc argumentum non videtur contemnendum.

partialia

partialia; ex illis enim omnibus conflatur vnicum Sacramentum Ordinis totale,& completum,ſignificans gratiam neceſſariam ad miniſtrandum in Eccleſia;quod quidem Sacramenrum totale vnicam habet ſpeciem infimam, & non ſolùm ſubalternam.

12. Dices;ergo qui ſuſcipit vnam ſpeciem,non ſuſcipit integrum Sacramentum Euchariſtiæ; nec in ſacrario aſſeruatur integrum Sacramentum ſub vna ſpecie.

Diluitur.

Reſpondeo, loquendo in rigore de Sacramento totali,ſine inconuenienti poſſe concedi has,& ſimiles ſequelas. Cæterùm in communi modo loquendi appellandum eſt corpus Chriſti ſub ſpecie panis Sacramentum ſimpliciter; ſicut qui comedit etiam partem carnis, dicitur ſimpliciter comedere carnem, licèt non comedat carnem integram, ſed partialem. Aduerte tamen,faciliùs poſſe admitti de ſingulis ſpeciebus non eſſe integrū conuiuium, quàm non eſſe Sacramentum integrum: ſicut qui in prandio ſumit vnum, vel duo fercula ex multis, non dicetur ſumpſiſſe integrum prandium:bene tamen dicetur ſumpſiſſe integrum cibum & integrū alimentum,quia ſumpſit,quod ſufficit ad cibandum & alendum.Sic qui ſumit vnicam ſpeciem,non dicetur ſumere integrum conuiuium Euchariſtiæ; dici tamen poteſt ſumere integrum alimentum, & Sacramentum integrum, quia id,quod ſumit, poteſt ſufficienter alere,& cauſare, gratiam nutrimentalem. Ratio autem eſt, quia in compoſitis homogeneis, ſcilicet ex partibus, quarum ſingulæ habent nomen totius, vt ignis,aqua, &c. & quarum ſingulæ non indigent aliis ad ſui conſeruationem,& ad operandum; licet ex multis partibus reſultet vna aqua, vnus ignis completus: ſingulæ tamen partes ſeparatæ dicuntur ſimpliciter aqua,ignis totalis,&c. Cùm ergo partes Sacramenti Euchariſtiæ ſingulæ ſint Sacramenta, quia ſingulæ ſignificant, & cauſant gratiam, conſequens eſt, vt per ſeparationem ſingulæ dicantur Sacramentum,& quidem integrum Sacramentum,non quidem integrum conuiuium; quia hoc nomine ſignificatur totum artificiale reſultans ex multis ferculis, vel ex cibo, & potu: ſed tamen dicentur ſingulæ ſeparatæ integrum Sacramentum: quia per ſeparationem acquirunt denominationem totius, quam prius non habebant.

Dicemus potius ſingulas ſpecies eſſe integrū Sacramentū & alimentum, non tamen eſſe integrum conuiuium.

SECTIO II.

Vtrùm, multiplicatis ſpeciebus Sacramentalibus, multiplicentur numero Sacramenta Euchariſtia.

13. QVæſtio hæc eſt de modo loquendi; oportet tamen ſcire, quomodo conſequenter ad noſtra principia loquendum ſit de pluralitate, vel vnitate numerica Sacramenti Euchariſtiæ; an ſcilicet per plores Miſſas conficiantur plura, an vnum Sacramentum Euchariſtiæ?

Quorundam opinio.

Aliqui docent, ad pluralitatem Sacramenti Euchariſtiæ non eſſe attendendam ſolam pluralitatem ſpecierum: nam Sacerdos ſumit tres partes hoſtiæ ſeparatas, & tamen non dicitur ſumere tria Sacramenta, ſed attendendam etiam pluralitatem ſumentium,vel ſumptionum,nunc enim iam incipiunt ſpecies habere aliquam diſtinctionem moralem in ratione ferculi, ſeu cibi ſpiritualis, quæ diſtinctio ad pluralitatem Sacramenti attendenda eſt. In quam ſententiam ſatis inclinat P. Suarez *diſp. . de Euchariſtia ſect.* 4. & eam tenet cum aliis noſter Valentia *tom.4.diſp.6.q.1. punct.4.*

Suarez.
Valentia

P.Vaſq.*diſp.*168.*c.*2. quem ſequuntur alij Recentiores,cenſet, ſolam pluralitatem ſpecierum ſufficere ad conſtituenda plura numero Sacramenta Euchariſtiæ, licet ab eodem ſimul ſumantur;quia cum Sacramentū Euchariſtiæ non conſtituatur intrinſecè ex ſumptione, conſequens eſt, vt ipſa ſumptio non poſſet intrinſecè multiplicare eſſentiam Sacramenti;per id enim aliquid diſtinguitur ab aliis,per quod conſtituitur in ſuo eſſe:vnde cum ſumptio non conſtituat,non poterit diſtinguere hoc Sacramentum ab alio. Cum autem ſpecies ſint aliquid intrinſecè pertinens ad Sacramentum,neceſſe eſt,vt multiplicatis ſpeciebus,non ſit idem Sacramentum; ſicut, multiplicata anima rationali, non maneret idem homo. 14.

Vaſquez.
Vaſquez exiſtimat pluralitatē ſpecierum ſufficere ad multiplicationem numericam.

Mihi magis placet,Sacramentum Euchariſtiæ nec per pluralitatem ſpecierum,nec ſumptionum multiplicari numero, ſed ſimpliciter,& abſolutè loquendo poſſe dici vnum & idem numero Sacramentum Euchariſtiæ,quod vbique terrarum ab omnibus fidelibus accipitur.Quam ſententiam vt probabilem,& Theologicam laudat P.Suarez vbi ſupra: & conſequenter ad noſtra principia debemus eam omnino amplecti. Omiſſis autem rationibus, quibus eam probat Suarez vbi ſuprà, quæ efficaces non ſunt, probari poteſt ex iis,quæ diximus *diſp.praeced ſect.*3. Euchariſtiam ſcilicet, licèt includat intrinſecè corpus Chriſti, & ſpecies, importare tamen in recto corpus Chriſti, & ſpecies de connotato: ergo non multiplicantur numero Euchariſtiæ, licèt multiplicentur ſpecies. Probatur conſequentia,quia ad pluralitatem concreti debet plurificari, quod ſignificatur in recto; non enim eſſent duo alba,ſi duæ albedines ponantur in eodem ſubiecto: bene autem è contra, ſi vna albedo ponatur in duobus ſubiectis, erunt duo alba;quia album dicit in recto ſolum ſubiectum: ergo cùm Euchariſtia dicat in recto ſolum corpus Chriſti,& non ſpecies,non erunt plures Euchariſtiæ,multiplicatis ſpeciebus;quia idem corpus Chriſti ſub omnibus continetur. Quem modum loquendi ſignificaſſe videtur Paulus 1.Cor.10. *Omnes vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus*: vocat enim Euchariſtiam vnum & eundem panem.vbi non de vnitate ſpecifica (vt aliqui volunt) ſed de numerica debet intelligi; alioquin non bene inferret,eſſe omnes fideles vnum corpus: ſicut nec in naturalibus bene infertur, eſſe omnes idem corpus, quia de eodem alimento in ſpecie participamus. 15.

Concluſio, ſimpliciter loquēdo Sacramentum iſtud eſt vnum, & idem numero Sacramentum.
Suarez
Ratio eſt,quia ſpecies importantur tantū de connotato.
Si duæ albedines ponerentur in eodem ſubiecto, non eſſent duo alba.
1. Cor. 10.

Obiicies primò, ergo ſpecies panis, & vini non conſtituunt duo Sacramenta etiam partialia contra id, quod diximus *ſect.praecedenti.* Probatur ſequela; quia idem numero Chriſtus continetur ſub vtraque ſpecie: ergo ſi plores ſpecies panis non conſtituunt plura numero Sacramenta, quia idem numero corpus Chriſti continetur ſub omnibus illis: ſic nec ſpecies panis, & vini conſtituunt plora Sacramenta partialia; quia idem numero Chriſtus continetur ſub illis:nec refert ſpecies panis,& vini differre ſpecificè, quia etiamſi ponantur duo colores ſpecie diuerſi in vno ſubiecto, non dicentur duo colorata, ſed vnum.Reſpondeo negando ſequelam.Ratio diſcriminis eſt,quod ſub ſpeciebus panis, & vini,licet contineatur idem Chriſtus; cæterum ex vi verborum non continetur idem, ſed ſub ſpeciebus panis continetur corpus, & ſub ſpeciebus vini ſanguis: Euchariſtia autem(vt diximus *diſp praeced ſect.*2.) nō conſtituitur intrinſecè in ratione Sacramenti per id, quod ponitur per concomitantiam, nec ſupponit in recto,ſtrictè loquendo, niſi pro eo,quod ponitur ex vi verborum:quare cum corpus & ſanguis ſint entitates diuerſæ, hinc eſt, per vtramque ſpeciem conſtitui non vnicum,ſed duo Sacramenta partialia. 16.

Obiicies primò ſpecies panis & vini nō conſtituunt duo Sacramēta partialia;
Reſponſio, ratio diſcriminis quo ex vi verborum ſub ſpeciebus panis continetur corpus, ſub ſpeciebus vini continetur ſanguis.

Obiicies

17. *Obiectio ſecunda.* Obiicies ſecundò; ſi corpus Chriſti contineretur ſub ſpeciebus olei, poſſet conſtituere aliud differens ſpecie Sacramentum per modum medicinæ, quod quidem diſtingueretur à Sacramento Euchariſtiæ; ergo licet idem corpus Chriſti ſub duplici ſpecie panis, poteſt conſtituere duo Sacramenta numero diſtincta. *Reſponſio.* Reſpondeo: ſi corpus Chriſti contineretur ſub ſpeciebus olei, & vt ſic eſſet Sacramentum medicinæ, tunc quidem Euchariſtia & illud Sacramentum non dicerentur in rigore duo Sacramenta, ſed vnum Sacramentum affectū duplici ſignificatione Sacramentali totali ſpecie diuerſa: ſicut ſi idem ſubiectum afficiatur albedine, & nigredine, non erunt duo colorata, ſed vnum coloratum pertinens pro formali ad duas ſpecies totales coloris: ſic etiam in prædicto caſu eſſent duæ rationes formales Sacramenti ſpecie diuerſæ: non tamen eſſent duo Sacramenta; quia Sacramentum illud importat in recto corpus Chriſti, & non poteſt multiplicari, niſi multiplicato illo, quod importatur in recto.

18. *Clem. Papa. Obiicitur vltimò.* Vltimò poteſt obiici modus loquendi Clementis Pontificis *Epiſt.* 11. relati in cap. *Tribus gradibus*, de Conſecrat. *d.* 2. vbi ducet, *Tot holocauſta eſſe offerenda in altari, quot populo poſſint ſufficere*; ergo ſentit Pontifex, plura numero Sacramenta Euchariſtiæ ſuſcipi à fidelibus; Sacramentum enim Euchariſtiæ holocauſtum eſt: ſunt autem plura holocauſta, ergo plura Sacramenta. *Reſpondeo.* Reſpondeo imprimis, apud Clementem non haberi illud verbum, *tot holocauſta*, quod refertur à Suarez; ſed *tanta*, inquit, *holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere poſſint.* Aliud autem eſt *tot eſſe Sacramenta*, aliud *tanta eſſe Sacramenta*: nam primum ſignificat pluralitatem, quam negamus; ſecundum ſolum ſignificat magnitudinem quantitatis, ad quam non oportet multiplicari id, quod ſignificatur in recto; ſufficit additio quantitatis: nam ſi eidem homini adderetur alia quantitas, eſſet maior homo, non tamen duo: ſic ergo dici poſſet, corpus Chriſti ſub maiori quantitate panis eſſe maius Sacramentum, non dignitate, ſed extenſione. Deinde ſecundò dici poteſt, Pontificem ibi loqui vulgari modo de holocauſtis pro hoſtiis ante conſecrationem; ſicut etiam vulgò dicitur conſecrari quatuor, vel quinque hoſtias; vbi *hoſtia* non ſumitur rigoroſè pro victima oblata, ſed pro pane, vel quantitate panis, ſub qua ponitur corpus Chriſti, in quo ſenſu vulgari hoſtia non eſt Sacramentum. Si verò *hoſtia* ſumatur ſtrictè pro re oblata, ſicut non dicuntur plura Sacramenta, ſic nec plures hoſtiæ: vt habetur expreſsè in c. *In Chriſto*, de Conſecrat. *d.* 2. vbi Ambroſ. *Ambroſ.* ex vnitate corporis Chriſti infert, non eſſe plures hoſtias, ſed vnam: *Vna*, inquit, *hoſtia, non multa. Sicut enim, quod vbique offertur, vnum eſt corpus, & non multa corpora; ita & vnum ſacrificium.* Ex quibus verbis non parum confirmatur noſtra ſententia.

SECTIO III.

Vnde ſumenda ſit pluralitas huius Sacramenti in ſententia, quæ dicit; ſpecies etiam in recto ſignificari.

19. *Quid dicendū ſit in ſententia aſſerente ſpecies ſignificari in recto.* SVppoſita noſtra ſententia, quod Euchariſtia non dicat in recto ſpecies, ſed corpus, & ſanguinem Chriſti, hæc omnia facilè intelliguntur: in ſententia tamen contraria aſſerente, ſpecies etiam ſignificari in recto, difficilius aſſignatur regula firma, ad multiplicanda Sacramenta Euchariſtiæ ex multiplicatione ſpecierum. *Impugnatur regula quam aſſert Vaſq.* Nam imprimis regula illa vniuerſalis P. Vaſquez, quod tot ſint Sacramenta, quot ſunt ſpecies, atque adeo in pyxide eſſe tot Sacramenta, quot ſunt particulæ conſecratæ, hoc, inquam, difficile eſt, primò, quia eſt contra communem modum loquendi: nemo enim dicit, Sacerdotem dum ſumit hoſtiam in tres partes diuiſam, ſumere tria Sacramenta Euchariſtiæ; ſicut nec qui comedit fruſtum panis in tres partes diuiſum, dicitur comedere tres cibos. Secundò, quia ſi eſſent plura Sacramenta, deberent cauſare plures gratias, & habere plures ſignificationes diſtinctas.

Reſpondet Vaſquez *num.* 17. non cauſari plures gratias, quia ſumptio eſt conditio, ſine qua hoc Sacramentum non operatur: & licet Sacramenta ſint plura, ſumptio eſt vna, & limitat Sacramentum ad vnum effectum. 20. *Vaſquez reſpondet.* Sed contra, quia imprimis plures cauſæ applicatæ per vnicam applicationem, adhuc operarentur plures effectus, eo quod applicatio ſit ſolum conditio: ſi ergo ſumptio eſt ſolum conditio, & Sacramenta ſunt plura, ſingula ponent ſuum effectum. *Refellitur.* Deinde non video, cur ſumptio tunc ſit magis vna, quàm Sacramenta, quæ ſumuntur; quod enim attinet ad diſtinctionem phyſicam, tam diſtinguitur phyſicè ſumptio vnius particulæ, vel hoſtiæ à ſumptione alterius, quàm vna hoſtia, vel particula ab alia. Si verò dicas, ſumptionem eſſe vnam moraliter, quia fit vna pars poſt aliam abſque interruptione morali: ergo ad vnitatem etiam Sacramenti ſufficit ſimilis coniunctio moralis; cur enim plus requireretur ad vnitatem Sacramenti, quàm ad vnitatem ſumptionis?

Confirmari, ac explicari poteſt in aliis Sacramentis; nam Sacramentum Pœnitentiæ habet etiam plures partes integrantes, quarum ſingulæ poſſent eſſe Sacramentum ſeorſim: & tamen non dicitur plura Sacramenta, ſed vnum propter vnitatem moralem, licet habeant diſtinctionem phyſicam: ergo idem dici poteſt de Sacramento Euchariſtiæ. 21. *Confirmatur ex aliis Sacramentis.* Maiorem oſtendo, quia ponamus hominem accedere ad Confeſſionem cū duplici actu doloris, & ſingula peccata bis confiteri, ecce ex parte materiæ ſunt partes, quarum ſingulæ ſufficerent ad vnum Sacramentum: nam ex vno actu doloris ex illis, & ex vna confeſſione eorundem peccatorum poſſet poſtea fieri aliud Sacramentum. Quod etiam de forma abſolutionis ſuo modo dici poteſt: nam licet Sacerdos ſemel ſolum abſoluat, ſed reuera ſingulæ ſyllabæ abſolutionis proferentur ſucceſſiuè, & taliter, vt dimidia pars prolationis ſingularum ſyllabarum ſufficeret ad integrandam ſufficientem abſolutionem velocius probatam; vnde illa abſolutio poſſet diuidi in duas, quarum quælibet ſufficeret ad vnum Sacramentum: nunc tamen non ſunt plura Sacramenta, ſed vnum propter coniunctionem moralem. Ergo licet duæ particulæ conſecratæ, ſi ſeorſim ſumerentur, ſufficerent ad duas refectiones, coniunctio tamen moralis, quam habent, quando ſimul ſumuntur, faciet, quod non ſint duo Sacramenta, ſed vnum.

22. *Hinc ſoluitur argumentum Vaſquez.* Hinc autem ſoluitur argumentum Patris Vaſquez, quo probat ſuam ſententiam hoc modo: Vnitas artificialis Sacramenti ſumenda eſt ex eo, quod eſt eſſentiale, aut ſubſtantiale ſacramento in genere ſuo, non ex aliquo accidentario; nihil autem eſt eſſentiale in genere Sacramenti in pluribus particulis conſecratis, ex quo ſumatur vnitas, cum tamen ſit aliquid eſſentiale, ex quo ſumatur pluralitas; nam loci propinquitas, aut quod vnica ſumptione, aut ab eadem perſona ſumantur, ſunt accidentalia Sacramento, vt conſtat: vnitas etiam formæ conſecrationis non iuuat, tum quia vnica forma Baptiſmi poſſunt plures ſimul baptizari, & fient plura Sacramenta: non eſt ergo, vnde ſumatur vnitas Sacramenti in prædicto caſu.

23. *Aduerſarij facilè ad hoc argumentum reſpondent.* Ad hoc, inquam, argumentum facilè reſpondebunt Aduerſarij addacendo in primis exempla multa, in quibus vnitas, vel pluralitas deſumitur ex aliqua circumſtantia accidentali: ſic voluntates eiuſdem obiecti mali dicuntur vnum, vel plura peccata propter continuationem, vel interruptionem temporis; ita vt plures voluntates eiuſdem obiecti, etiamſi ſint phyſicè diuerſæ, propter continuationem tamen moralem ſint vnum peccatum, quæ abſque illa continuatione eſſent plura peccata, cum tamen illa coutinuatio, ſeu temporis circumſtantia non ſit conſtitutiuum eſſentiale peccati. Sic etiam ſumptio Euchariſtiæ in ſententia eiuſdem Vaſquez debet eſſe vna, vel multiplex propter ſolam circumſtantiam continuationis, vel interruptionis ſecundum tempus, quæ quidem circumſtantia non conſtituit intrinſecè, & eſſentialiter in ratione ſumptionis Sacramentalis. Omnes ergo debemus fateri, poſſe multiplicari aliqua ex circumſtantia nou pertinente intrinſecè ad eorum quidditatem, & eſſentiam. *Oſtenditur in re phyſica.* Quod etiam in re phyſica oſtendi poteſt: ex vna enim aqua fiunt per ſeparationem duæ aquæ, quæ ſeparatio ſolum ponit negationem continuationis; continuatio autem non eſt aliquid conſtituens aquam in eſſe aquæ, ſed in eſſe vnius aquæ: ſic ergo poteſt fieri vnum Sacramentum per aliquid, quod nou conſtituit in ratione Sacramenti, ſed in eſſe vnius Sacramenti.

24. *Inſtantia.* Dices, idem debet eſſe conſtitutiuum, & diſtinctiuum cuiuſque rei: per id enim, per quod conſtituitur in ſe ipſa, debet diſtingui ab omni alia, quia ideo non eſt alia, quia eſt in ſe talis; ergo non poteſt vnum Sacramentum diſtingui ab alio, niſi per id, per quod conſtituitur in eſſe talis Sacramenti: atque ideo non poterunt eſſe plura Sacramenta per id, quod non pertinet ad conſtituendum Sacramentum.

25. *Reſponſio.* Reſpondetur, Antecedens eſſe verum loquendo de diſtinctiuo ſimpliciter, non verò de diſtinctiuo in ratione totius, niſi explicetur cum debita proportione. *Quid ſit propria & rigoroſa diſtinctio.* Pro quo aduerte, diſtinctionem propriam, & rigoroſam eſſe, qua vnum non eſt aliud, & hæc debet ſemper prouenire à conſtitutiuo intrinſeco rei, vt obiectio probat: nam in exemplo ſupra poſito de duabus aquis, illæ etiam quando faciebant vnam aquam, illæ, inquam, tunc erant duæ partes diſtinctæ inter ſe, quarum vna non erat alia pars; & hoc habebant ſingulæ per id, per quod ſingulæ conſtituebantur, nempe per ſuam hæcceitatem quidditatiuam. Per ſeparationem verò poſtea non acceperunt genus hoc diſtinctionis, & pluralitatis, ſed aliud minus proprium, ſcilicet quod eſſent duæ aquæ totales, hoc eſt, quod non componerent idem totum ſicut autem hoc, quod eſt eſſe aquam totalem, habent ſingulæ, non per ſua conſtitutiua intrinſeca, ſed per carentiam continuationis: ſic etiam per eandem carentiam continuationis, quæ eſt aliquid ſuperadditum aquæ in ratione aquæ, habent ſingulæ diſtingui in ratione totius, hoc eſt, eſſe vnum totum, quòd non ſit illud aliud totum. Vnde in hoc etiam genere diſtinctionis videtur habere ſuo modo locum regula illa ſupra poſita; nam licet hæc aqua non ſit diſtinctum totum ab alia per id, per quod conſtituitur in ſe ipſa, eſt tamen totum diſtinctum ab alia per id, per quod conſtituitur in ratione totius, atque ita ſemper diſtinctiuum eſt conſtitutiuum, ſaltem conſtitutiuum in illo genere, in quo eſt diſtinctio. Hinc iam ad obiectionem reſpondetur, eam doctrinam applicando ad materiam præſentem, ſingulas particulas conſecratas diſtingui ab aliis per id, per quod in ſe ipſis conſtituuntur in ratione Sacramenti: atque ideo ante ſeparationem etiam localem habere hanc diſtinctionem intrinſecam, qua hæc particula, ſeu hoc Sacramentum præſcindendo à Sacramento totali, & partiali, non eſt illa alia particula. Quod verò ſit Sacramentum totale diſtinctum ab illa alia hoſtia, non eſt conſtitutiuum huius particulæ in ratione Sacramenti, ſed in ratione Sacramenti totalis, quod haberi poteſt per aliquam circumſtantiam extrinſecam rationi Sacramenti, & per illam eandem ſicut conſtituitur in ratione totalis, poteſt diſtingui ab alio, & facere duo tota, quæ prius non erant, niſi Sacramenta partialia.

Vrgebis, quia ſpecies panis, & ſpecies vini continentes corpus, & ſanguinem, etiam quando ſunt ſimul in altari, dicuntur duo Sacramenta: ſic enim aliquando de illis loquitur Eccleſia, vt ſupra vidimus; ergo & duæ particulæ, ſeu duæ hoſtiæ conſecratæ ſimul etiam coniunctæ in altari poſſent dici duo Sacramenta. 26. *Inſtabis.* Reſpondeo negando conſequentiam: ſicut enim duo cibi diuerſi, v.g. carnes, & poma, etiam quando ſunt ſimul in menſa, dicuntur duo cibi: plura tamen poma eiuſdem rationis ſimul poſita non dicuntur plures cibi, ſed vnus: ſic corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus diuerſis dicuntur duo Sacramenta, quia heterogeneitas fecit pluralitatem: duæ tamen hoſtiæ ſimul poſitæ non dicuntur duo Sacramenta, ſed vnum; quia in his homogenei, ſeparatio facit pluralitatem, & coniunctio vnitatem. Non poteſt ergo in vniuerſum approbari regula illa P. Vaſquez de multiplicandis Sacramentis Euchariſtiæ ſolum propter multitudinem ſpecierum, etiam quando ſimul poſitæ ſunt. *Reſpondeo.*

Sed neque etiam regula illa alia, quod multiplicetur Sacramentum iuxta multitudinem eorum, qui illud ſuſcipiunt, videtur vniuerſaliter vera. Primò, quia ſi in eodem calice ſit vnum pro decem conuiuis, non dicuntur plura vina, ſed vnum vinum, & vnus potus pro omnibus: ergo ſanguis Chriſti potandus à multis dicetur adhuc vnus potus, dum eſt in vno calice, & corpus Chriſti ſumendum à multis, tamen, dum eſt in eadem pyxide, dicetur vnus cibus, ſicut plura poma in eodem ferculo appoſita pro omnibus dicuntur vnus cibus. 27. *Nec etiam vniuerſaliter verũ eſt multiplicari Sacramentum pro multitudine ſumentium. Primò.*

Secundò, quia ſi eadem hoſtia conſecrata ab aliquo ſumpta propter ſtomachi debilitatem non corruptis ſpeciebus, integra poſt horam eiiceretur, poſſet eadem ab alio Sacramentaliter ſumi, & vtrique dediſſet gratiam, non tamen eſſent duo Sacramenta, nec duæ Euchariſtiæ: nihil enim haberet vna, quod non haberet alia, vt conſtat; ergo diſtinctio ſumentium non multiplicat. *Secundò.* Tertiò, quia ſicut ante vſum actualem eſt verum, & completum Sacramentum Euchariſtiæ, ſic ante vſum poteſt eſſe vnũ, vel plura Sacramenta; ſed ante vſum eſt indifferens, vt ſumatur ab vno, vel multis: ergo non multiplicatur per ſolam multitudinem ſumentium. *Tertiò.*

Dicunt aliqui, multiplicari per intentionem, qua deſtinantur hoſtiæ diſtribuendæ pluribus, vel dandæ vni: ideo tres partes ſumendæ ab eodem Sacerdote ſunt vnum Sacramentum: tres verò particulæ dandæ tribus ſunt tria Sacramenta. 28. *Dicunt aliqui multiplicari per intentionem qua deſtinantur; &c.* Sed contra; quia hæc intentio interior videtur nimis extrinſeca ad faciendam hanc vnitatem, vel multitudinem. Quid enim ſi vnus habeat intentionem diſtribuendi illas hoſtias multis, alius verò habeat intentionem, quod ſumantur omnes ab vno, eruntne tunc plura, & vnum Sacramentum ſimul propter diuerſas illas intentiones? Adde, non eſſe vnum, vel multos cibos, qui eodem ferculo apponuntur propter intentionem internam, quam aliquis habet comedendi totum illud, vel diſtribuendi ſociis. *Refutantur.* Denique, qui defert Sacramentum pro pluribus infirmis communicandis;

candis, non dicitur communiter deferre Sacramenta, ſed Sacramentum.

29. *Nec verum eſt vniuerſaliter multiplicari pro multitudine ſumptionum.* Illa etiam regula, quod multiplicetur hoc Sacramentum pro multitudine ſumptionum, non videtur in vniuerſum vera. Primo quia, vt ſupra dicebam, eadem difficultas videtur reſtare de ipſis ſumptionibus, vnde multiplicentur: nam ſi hæ multiplicantur per diſtantiam vnius ab alia, idem poterit dici de ipſis Sacramentis. Secundò, quia poteſt contingere, vt ſit duplex ſumptio eiuſdem ſacramenti, vt in caſu ſupra poſito, ſi eandem hoſtiam, quam hodie quis ſumpſit, cras, incorruptis ſpeciebus, eiiceret, poſſet iterum cras eam Sacramentaliter ſumere, ſicut poſſet aliam ſumere, & daret nouam gratiam ſacramentalem, & diuerſam refectionem ſpiritualem: Sacramentum tamen eſſet omnino idem, vt conſtat; ergo ſumptio ſola diuerſa non multiplicat.

30. *Inſtantia.* Dices, iuxta probabilem ſententiam, quæ docet, poſſe aliquando eandem contritionem non reuocatam deſeruire pro materia in duplici Sacramento Pœnitentiæ, adhuc illa contritio diceretur duplex Sacramentum propter duas applicationes: ergo & in prædicto caſu eadem hoſtia diceretur duplex Sacramentum, propter duas applicationes, vel ſumptiones. *Soluitur.* Reſpondeo, fore tunc duo Sacramenta Pœnitentiæ, quia illud Sacramentum non includit ſolam contritionem, ſed etiam confeſſionem, abſolutionem, & ſatisfactionem, quæ omnes eſſent diuerſæ, licet contritio eſſet eadem: in noſtro tamen caſu Sacramentum Euchariſtiæ eſſet omnino idem: quia omnia, quæ illud intrinſecè componunt, eſſent omnino eadem, vt conſtat.

31. *Non ergo leuiter confirmatur noſtra ſententia ex eo quod nulla regula poſſit præſcribi quæ ſatisfaciat.* Vides, vix poſſe regulam aliquam præſcribi, quæ omnino ſatisfaciat: vnde non leuiter confirmatur noſtra ſententia, iuxta quam ſi ſolum corpus, & ſanguis Chriſti ſignificantur in recto, facile omnia expediuntur: & explicatur optimè, quomodo hoc Sacramentum ſemper ſit idem cibus, idem panis, idem Sacramentum, ſiue ab vno, ſiue à multis ſumatur. Si tamen in recto diceret etiam ſpecies, vt alij volunt, tunc in primis dicerem, coniunctionem localem plurium ſpecierum, v.g. in eadem pyxide, in eodem altari, facere, vt dicatur vnum Sacramentum, ſicut plura poma eiuſdem rationis appoſita ſimul dicuntur vnus cibus, ſi verò ſeparentur, tunc ratione ſeparationis poſſent dici plura Sacramenta, licet fortaſſe ſeparatio ad hoc non cogeret: nam de toto tritico, quod in diuerſis horreis vrbis aſſeruatur, ſolemus dicere, illud eſſe cibum omnium ciuium pro huc anno: cur ergo de omnibus hoſtiis conſecratis, Romæ exiſtentibus, non poſſemus dicere, illum eſſe cibum ſpiritualem huius vrbis?

32. *Separatio tamen fortè ſufficeret ad dicenda plura Sacramenta.* Cæterùm, quod ſeparatio illa ſufficeret ad dicenda plura Sacramenta, colligi etiam poteſt ex eodem communi modo loquendi de cibis communibus; qui, etiamſi ſint homogenei, diſtributione tamen ipſa, & ſeparatione appellantur multi cibi. De eodem enim tritico, & pane omnibus dabat Ioſeph *Geneſ.* 47. & tamen dicitur, quòd præbebat *cibaria ſingulis*, & rurſus quod *Sacerdotibus ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur*: & de eodem Manna dicitur Exod. 16. *In die autem ſexta collegerunt cibos duplices, id eſt, duo gomor per ſingulos homines.* Poſſet ergo ſimiliter Euchariſtia propter diſtributionem, & ſeparationem appellari multiplex cibus. Propter hanc enim rationem diximus ſup. *ſect.* 1 Euchariſtiam ſub ſpeciebus panis, quando ſeorſim ſumitur à ſpeciebus vini, poſſe appellari, non conuiuium integrum, ſed totale Sacramentum: quia in eiuſmodi homogeneis ſeparatio dat totalitatem; ergo eodem modo eadem ſpecies Euchariſtiæ per ſeparationem ab alia ſimili ſpecie poteſt acquirere pluralitatem in ſua ratione, quam prius non habebat.

33. *Inſtantia.* Dices, ſi Sacerdos accipiat hoſtiam vnam, & ſtatim afferatur alia hoſtia ex alia Eccleſia, quam abſque interruptione morali in eadem Miſſa accipiat, non dicetur ſuſcepiſſe duo Sacramenta, ſed vnum: ergo diſtantia vnius hoſtiæ ab alia non ſufficeret ad multiplicanda Sacramenta. *Diluitur.* Reſpondeo, tunc ex vtraque hoſtia fieri vnum Sacramentum per coniunctionem; quia licet prius diſtarent, poſtea adducta ſecunda hoſtia ad Sacerdotem, qui ſumpſerat primam, incipit ſecunda facere vnum Sacramentum cum prima.

34. *Nota, hæc omnia procedere ex ſuppoſitione quod ſpecies dicantur in recto.* Aduerte tamen primò, hæc procedere non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quod ſpecies dicerentur in recto: nam de facto iam dixi, ſemper eſſe idem Sacramentum. Nunc ſolum dicimus, quod ſi illa ſententia eſſet vera, ita magis conſequenter loquendum eſſet: iuxta quam etiam ſententiam dicendum eſſet, per ſumptionem diuerſarum hoſtiarum à diuerſis multiplicari etiam Sacramenta: quia ipſa ſumptione à diuerſo homine multum ſeparatur moraliter vna hoſtia ab alia; nam licet phyſicè magis fortaſſe diſtet vna pars hoſtiæ ab alia in eodem altari, quàm in ſtomacho vnius ab alia exiſtente in ſtomacho alterius localiter coniuncti, in ordine tamen ad vſus humanos, & moraliter magis ſeparata eſt, & ideo poſſet maiori titulo multiplicare Sacramenta.

35. *Notandum ſecundum.* Aduerte ſecundo, iuxta eandem ſententiam, quod licet ſumptio ſolum diuerſa eiuſdem hoſtiæ non ſufficeret ad multiplicanda Sacramenta, vt ſuprà diximus, caſu, quo eadem hoſtia die ſequenti ab eodem vel ab alio homine iterum ſumeretur: aliter tamen dicendum fortaſſe alicui videbitur, ſi illis ſpeciebus corruptis, & reproducta iterum eadem materia, & eadem quantitate, iterum generaretur triticum, & fieret panis, ac conſecraretur, licet enim tunc eſſet idem corpus Chriſti ſub eadem quantitate panis, adhuc videtur poſſe dici, non eſſe idem Sacramentum, quod prius fuerat; tum quia cætera accidentia panis eſſent diuerſa, tum etiam quia licet omnia priora accidentia panis fuiſſent diuinitus reproducta: conſecratio tamen diuerſa requireretur, quæ videtur ſufficere ad variandũ ens artificiale, vt quando crux lignea diſſolueretur, & poſtea ex eiſdem lignis, & clauis iterum conſtrueretur, cenſeretur moraliter eſſe crux noua, eo quod interruptio illa indigens nouo artificio ad hoc, vt iterum reſultet ens artificiale, ſufficit ad variandum illud ens artificiale moraliter: vnde calix conſecratus, ſi rumpatur, & diſſoluatur, ac poſtea ex eadem materia fiat calix, indigebit noua conſecratione, quia cenſetur nouus calix propter nouum artificium, quod interuenit. Cùm ergo Sacramentum illud propter corruptionem ſpecierum diſſolutum fuiſſet, & poſtea de nouo conſtruatur per nouam formam, & nouam coniunctionem corporis Chriſti cum ſpeciebus, videtur etiam fore nouum Sacramentum.

36. *Hæc ratio probaret etiã in noſtra ſententia.* Cæterùm, ſi hæc ratio ſufficeret ad multiplicanda Sacramenta ſimpliciter, & abſolutè, probaret etiam in noſtra ſententia, licet hoc Sacramentum dicat in recto ſolum corpus & ſanguinem Chriſti, adhuc plures hoſtias ſaltem à diuerſis conſecratas eſſe multa Sacramenta propter diuerſum artificium, nempe diuerſam formam, & diuerſam coniunctionem ſpecierum cum corpore Chriſti, ſicut calix eſt diuerſus, licet argentum ſit idem, propter diuerſam formam artificialem de nouo inductam. *In rigore loquendo id non ſufficit.* Quare dicendum eſt, in rigore loquendo, id non ſufficere, neque in illo caſu crucem fore diuerſam in rigore phyſico loquendo, quia id, quod importatur in recto, eſt idem,

nec

nec poſſunt eiuſmodi concreta accidentalia multiplicari, niſi multiplicetur rectum, ſeu ſubiectum, vt conſtat in vno homine habente plures paternitates etiam ſucceſſiuè vnam poſt aliam, qui tamen non dicitur alius pater ab eo, qui prius fuit. Latius tamen, & in ordine ad vſum humanum appellatur aliquando alia crux & alius calix, nempe pro formali, ſeu habere aliam formam artificialem crucis, vel calicis, & ideo indiget noua conſecratione; quia nimirũ conſecratio ex intentione conſecrantis videtur affixa, non argento, ſed formæ calicis, ſecundum quam deſeruire poteſt ad vſum ſacrificij, quare deſtructa forma artificiali calicis, prout moraliter deſtrui cenſetur, quando indiget nouo artificio, vt habeat talem figuram & partium diſpoſitionem, cenſetur etiam periiſſe conſecratio, nec poſſe redire, niſi de nouo conſecretur. Eſt ergo latior, & minus propria illa loquutio, qua dicimr alius calix; ſicut ſi aliquis, qui eandem veſtem ſæpius diſſoluit, & refecit, diceretur habuiſſe decem veſtes; aut qui librum diſſolutum iterum conglutinaret, diceretur accipere, vel habere alium librum; quæ loquutiones, vt conſtat, non ſunt propriæ: dicitur tamen aliquo modo ille alius calix, quaſi æquiualenter, quia in ordine ad vſum ſacrifici, ineptus eſt, perinde ac ſi eſſet alius, niſi de nouo conſecretur; eo quod conſecratio prima non erat affixa materiæ, ſed formæ artificiali, quæ iam per fractionem moraliter deſtructa cenſetur. Sic ergo Sacramentum illud impropriè poſſet dici aliud ratione formæ & nouæ conglutinationis & conſtructionis partiũ; in rigore tamen loquendo eſſet idem, ſi totum, quod importatur in recto, manet idem: ſi autem rectum ex aliqua parte eſſet diuerſum, aliqua etiam ex parte diuerſum erit Sacramentum.

37. *Notandum tertium.* Aduerte tertiò, in eadem ſententia ponente ſpecies etiam ſignificari in recto, licet propter ſpecierum ſeparationem dicenda eſſent multa Sacramenta, illam tamen pluralitatem non eſſe ſumendam ex reſpectu, quem ſpecies illæ haberent ad plures refectiones, aut cibationes, ſed ex ſeparatione vt diximus, illarũ ſpecierum. Si enim multitudo deſumenda eſſet, vt aliqui volunt, ex aptitudine, quam ſpecies habent ad plures cibationes, ſequeretur fore etiam multa Sacramenta ante ſeparationem. ſi plures hoſtiæ ſimul conſecrarentur, aut plures panes, quos vnica comeſtione non poſſet vnus homo ſimul ſumere, aut ſi vinũ in ea quantitate conſecraretur, quã vnus homo non poſſet ſimul bibere: tunc enim multiplicandum eſſet etiam Sacramentũ per ordinem ad plures ſumptiones, vel refectiones, cùm non eſſet aptum ad vnam, ſed ad plures. Non ergo deberet ſumi pluralitas, vel vnitas per aptitudinem ad plures; vel vnicam refectionem, ſed per ſeparationem moralem & humanam illarum ſpecierum, vt diximus.

38. *Notandum vltimum. Vaſquez.* Vltimò aduerte, in eadem ſententia non deberẽ multiplicari Sacramenta propter plures ſignificationes, & virtutes ad cauſandas plures gratias in diuerſis, prout vult Vaſquez *n. 16. & 17.* dicens vnam hoſtiam vnam ſolam gratiam poſſe ſignificare, & cauſare: plures vero hoſtias plures gratias in diuerſis. Hoc tamen difficile eſt, quia ſignificatio in actu primo, & virtus cauſatiua eſt eſſentialis Sacramento, vt fatetur ipſe Vaſquez *ibi*; pluralitas autem Sacramenti non eſt eſſentialis Euchariſtiæ; nam eædem partes hoſtiæ, quæ vnitæ erant vnum Sacramentum, diuiſæ ſunt plura in eius ſententia, & duæ partes ſpecierum vini ſeparatæ in duplici calice, ſunt duo Sacramenta: ſi autem coniungantur in vno calice, non ſunt iam duo, ſed vnum Sacramentum. & quidem tunc non perdiderunt aliquam virtutem cauſandi, vel ſignificandi gratiam propter illam coniunctionem: adhuc enim ſignificant gratiam, quam cauſare poſſunt in omnibus, qui ex illo calice ſumpſerint, quotquot illi ſint: non ſumitur ergo pluralitas ex noua virtute ſignificandi, vel cauſandi, quam habeant, ſemper enim ſignificant gratiam cauſandam de nouo per nouam ſumptionem: neque ex ſe ſignificant magis vnam gratiam cauſandam per vnam ſumptionem, quàm plures gratias cauſandas per plures ſumptiones. Sed de his ſatis.

DISPVTATIO III.

De Neceſſitate Euchariſtiæ.

SECTIO I. *Præmittitur, quid ſit neceſſitas medij, quid præcepti.*
SECTIO II. *Vtrùm Euchariſtia ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij?*

DE hoc agit S. Thomas *in præſenti art. 1.* vbi non eſt ſermo de neceſſitate præcepti, ſed de neceſſitate medij: nam de neceſſitate præcepti agitur infra *quæſt. 80.* Oportebit autem priùs breuiter tradere, quid ſit neceſſitas medij, quid præcepti.

SECTIO I.

Præmittitur, quid ſit neceſſitas medij, quid præcepti?

HÆc diſtinctio ab antiquis inſinuata à Neotericis accuratius traditur, cum quibus ſupponendum omnino eſt, dupliciter aliquid eſſe neceſſarium ad ſalutem, ſcilicet vel neceſſitate medij vel neceſſitate ſolum præcepti. Primo modo dicitur neceſſaria gratia iuſtificans; nam eſt medium neceſſarium ad beatitudinem conſequentiam: ſecundo modo dicitur neceſſaria reſtitutio rei ablatæ, vel obſeruatio ieiunij, &c. Eſt autem non exigua difficultas, & controuerſia inter recentiores Theologos in explicanda omnino differentia inter vtramque neceſſitatem; de quo videndus eſt vltra alios Vaſquez *in præſenti diſp. 169. c. 1. & tom. 4. in 3. p. q. 84. art. 1. dub. vnic.* In qua quæſtione, omiſſis variis ſententiis, breuiter dicendum cenſeo, illa dici neceſſaria neceſſitate medij, quæ requiruntur, vt conducant ad ſalutem, vel ad aliquid neceſſarium ad ſalutem æternam, & ſine quibus ſalus haberi non poteſt: illa autem dici neceſſaria neceſſitate præcepti, quæ ſolùm requiruntur neceſſario, vt vitetur aliquod peccatum, quod eſſet obex ad ſalutem. Hinc eſt, Baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medij, quia requiritur neceſſariò ad primam gratiam, ſine qua ſalus non obtinetur: at vero reſtitutio ſolum eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, quia ſolum requiritur, ne ponatur obex peccati retinendo alienum. 1. *Duplex neceſſitas medij & præcepti.* *Vaſquez.* *In quo ſita ſit differentia inter vtramque neceſſitatem.*

Ex quo oritur alia differentia, per quam à poſteriori dignoſcuntur facile neceſſaria neceſſitate medij, & neceſſaria neceſſitate præcepti; nam quæ ſolum ſunt neceſſaria hoc poſteriori modo, talia ſunt, vt eorum ignorantia excuſet: nam ſi quis inuincibiliter ignorat obligationem reſtituendi, non ideo damnabitur; at vero in iis, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ignorantia etiam inuincibilis, licet excuſet à nouo peccato, non tamen excuſat defectum illum, vt ſi quis inuincibiliter ignoret neceſſitatem Baptiſmi, licet excuſetur à nouo peccato; 2. *Hinc oritur alia differentia à poſteriori. A neceſſitate præcepti, non tamen excuſat, ſecus ab alia.*

quod committeret, ſi ſciens omitteret Baptiſmum, non tamen ideo ſaluabitur; quia ignorantia illa non dabit gratiam, quam daret Baptiſmus.

3. *Inſtantia.* Dices, etiamſi quis ignoret Baptiſmi neceſſitatem, poteſt conſequi ſalutem, ſi habeat actum contritionis: ergo Baptiſmus non eſt magis neceſſarius, quàm reſtitutio. Idem eſt de Sacramento Pœnitentiæ, quod etiam eſt neceſſarium neceſſitate medij in re, vel in voto ad iuſtificationem & ſalutem homini adulto, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccauit.

Soluitur. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: ergo Baptiſmus in re ſuſceptus non eſt magis neceſſarius, quàm reſtitutio, tranſeat, Baptiſmus in re, vel in voto, nego conſequentiam. Itaque licèt Baptiſmus in re ſuſceptus non ſit neceſſarius neceſſitate medij, quia etiam ſine illo datur ſalus; cæterum Baptiſmus in re vel in voto eſt neceſſarius neceſſitate medij, quia ſine illo non datur ſalus; dicitur autem contritio Baptiſmus in voto, non quidem, quia habet ſuam efficaciam in ordine ad iuſtificationem ab ipſo reali Baptiſmo, ſed quia includit in ſe implicitum votum Baptiſmi ſuſcipiendi, ſi fieri poſſit, ſicut & implendi omnia alia præcepta. In quo etiam ſenſu dicitur contritio iuſtificare in ordine ad claues, ſeu in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, non quod accipiat vim iuſtificandi à Sacramento, ſed quia, quando extra Sacramentum iuſtificat, habet in ſe votum implicitum ſubiiciendi clauibus peccata mortalia; ad quod manet homo obligatus, etiam poſtquam iuſtificatus eſt per contritionem.

Baptiſmus in re vel in voto eſt neceſſarius neceſſitate medij.

4. *Dices, ergo in eodem ſenſu reſtitutio poteſt dici neceſſaria neceſſitate medij.* Hinc tamen oritur difficultas: ſi enim hac ſola ratione Baptiſmus, v.g. eſt neceſſarius neceſſitate medij in re, vel in voto, quia contritio includit implicitum votum Baptiſmi; ergo in eodem ſenſu poteſt dici reſtitutio neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, quia ſaltem in voto ſemper requiritur; nam ſicut qui ignorat inuincibiliter neceſſitatem Baptiſmi, habet tamen in ipſa contritione votum implicitum Baptiſmi, quia habet votum implicitum ſeruandi mandata; & ideo Baptiſmus dicitur neceſſarius neceſſitate medij in re, vel in voto: ſic etiam, qui ignorat inuincibiliter obligationem reſtitutionis, habet in contritione votum implicitum illius, & per conſequens reſtitutio in re, vel in voto erit neceſſaria neceſſitate medij poſt furtum.

5. *Vt ſoluant hanc difficultatem multa dicunt Theologi.* In hac difficultate explicanda multa dicunt Theologi, vt aſſignent verum, & vniuerſale diſcrimen inter neceſſitatem præcepti, & neceſſitatem medij; quæ quæſtio tractari ſolet vel in materia de Baptiſmo, vel in materia de Pœnitentia; quia illa duo Sacramenta ponuntur vt neceſſaria neceſſitate medij ad iuſtificationem, & ſalutem, Baptiſmus quidem omnibus, Pœnitentiæ verò Sacramentum iis, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccauerunt; & vtrique illi Sacramento difficultas communis eſt; quod enim de vno dicitur, debet etiam de altero dici proportione accommoda.

6. *Canus. Vaſquez. Canus reſpondet non valere illam contritionem, niſi habeat votum explicitum & propoſitum recipiendi Sacramentum. Hæc ſententia communiter reiicitur.* In primis ergo Canus *Relect. de Pœnitentia* 4. *p. concluſ.* 3. *& ſeqq.* cum aliis quos affert Vaſquez *tom.* 4. *in* 3. *p. quæſt.* 84. *artic.* 5. *dub. vnico, num.* 6. *& ſequentibus*, dicunt, ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, requiri quidem vel in ſe ipſis, vel certè quando ipſa non ponuntur, requiri eorum votum explicitum; vnde contritio non ſupplet vicem Sacramenti, niſi habeat quis explicitum propoſitum recipiendi Sacramentum. Hæc ſententia communiter reiicitur, & meritò; quia ille, qui inuincibiliter ignorat præceptum Confeſſionis, vel eſt inuincibiliter oblitus, poteſt adhuc habere veram contritionem ſuorum peccatorum ortam ex dilectione Dei ſuper omnia, cui actui infallibiliter coniungitur gratia iuſtificationis: quod de illo, qui non eſt baptizatus, negari non poteſt; poteſt enim aliquis cum ignorantia inuincibili Baptiſmi credere myſteria neceſſaria, & concipere affectum compunctionis, & contritionis, eaque via iuſtificari abſque voto explicito Baptiſmi; ergo & poterit poſt Baptiſmum iuſtificari per contritionem abſque notitia, vel memoria confeſſionis. Videatur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſput.* 17. *ſect.* 3. *num.* 9.

Secundus modus explicandi eſt, quod contritio ita eſt votum implicitum Sacramenti, vt non afferat iuſtificationem, niſi cum directa obligatione ad ipſum Sacramentum ſuo tempore ſuſcipiendum: ſicut enim ſolutio pretij eſt medium neceſſarium ad aliquid emptione comparandum, quia emptio ex ſua intrinſeca ratione inducit obligationem ad ſoluendum pretium: ſi Sacramentum dicitur medium neceſſarium ad iuſtificationem, quia ipſa iuſtificatio virtute contritionis habita affert directam obligationem accipiendi Sacramentum. Ita Coninch *ſuprà quæſt.* 68. *artic.* 2. *dub.* 1. *num.* 13. & partim Suarez *vbi ſuprà.* 7.

Alij reſpondent contritionem ita eſſe votum, vt non iuſtificet niſi cum directa obligatione ad Sacramentum ſuſcipiendum ſuo tempore. Coninch. Suarez.

Hæc tamen non explicant ſatis illam differentiam; quia in primis reuera contritio nullam affert obligationem nouam directam, vel indirectam ſuſcipiendi Sacramentum; nam ille qui Sacramenti non habet notitiam, non poteſt in contritione aliter illud intendere, quam alia præcepta; ideo enim implicitè dicitur velle Sacramentum, quia habet voluntatem generalem ſeruandi omnia præcepta, quorum vnum eſt de ſuſcipiendo Sacramento; ad alia autem præcepta non ſe obligat de nouo per actum contritionis, ſed ſolum proponit ea ſeruare, alioquin peccata poſt contritionem commiſſa haberent illam peculiarem malitiam contra obligationem nouam contractam in contritione: ergo nec ad ſuſcipiendum Sacramentum ſe magis obligat per contritionem: alioquin ille, qui poſt contritionem non confiteretur ſuo tempore, contraheret diuerſam malitiam contra illam nouam obligationem, quam ſibi impoſuit in contritione: quam malitiam non contraheret qui non habuit contritionem. 8.

Hæc reſponſio non ſatisfacit.

Confirmatur, quia in ipſa Confeſſione pœnitens habet etiam dolorem de peccatis, & propoſitum vniuerſale ſeruandi præcepta: non tamen ſe obligat vllo modo ad ea ſeruanda, ſed ſolum proponit, vt omnes concedunt: ergo neque in contritione præcedenti ſe obligauit aliquo modo ad ſuſcipiendum Sacramentum per illam voluntatem, & propoſitum vniuerſale ſeruandi omnia præcepta: imò nec ſe obligaret, licèt haberet propoſitum ſpeciale ſuſcipiendi Sacramentum. 9. *Confirmatur.*

Vnde conſtat ad exemplum illud de emptione: hæc enim obligat de nouo ad pretium ſoluendum: contritio autem nullam talem obligationem affert ſuſcipiendi Sacramentum. Adde, pretium, quod poſtea ſoluitur, dari pro re empta: Sacramentum verò, quod poſtea ſuſcipitur, nullo modo eſſe pretium (vt ita dicam) gratiæ antea acceptæ: alia enim gratia Sacramentalis datur in Sacramento non intuitu ipſius Sacramenti, illa autem prior gratia non fuit data intuitu Sacramenti, ſed contritionis: non poteſt enim Sacramentum eſſe cauſa moralis gratiæ illius, cum nondum ſit poſitum, & aliquando nunquam ſit ponendum. Vnde non video quo ſenſu velit P. Suarez, Sacramentum poſtea ſuſceptum eſſe ſolutionem completam gratiæ prius acceptæ, nam ſi eſt ſolutio, eſt pretium: pretium autem eſt cauſa moralis venditionis, & tranſlationis dominij: Sacramentum autem non cauſat moraliter gratiam illam antecedentē, quæ datur, non quidem ex opere 10.

Ad allatum exemplum reſpondetur.

operato

operato, ſed ex opere operantis; ergo non eſt pretium illius gratiæ, ſed alterius, quæ poſtea datur.

11. *Sacramentum nullo modo cauſat gratiã illam antecedentem, quæ ſolum datur ex opere operantis.* Denique neque in genere cauſæ finalis poteſt mouere Sacramentum poſtea ſuſcipiendum ad conferendam illam gratiam; quaſi Deus det illam gratiam, vt poſtea ſuſcipiamr Sacramentum, quod per contritionem deſideratur, & proponitur ſuſcipiendum. Hoc, inquam, dici non poteſt; tum quia licet contritio ipſa poſſit eligi vt medium ad Sacramentum, quatenus in contritione datur voluntas recipiendi illud, quæ voluntas conducit ad quærendum, & obtinendum Sacramentum, gratia tamen illa collata intuitu contritionis non videtur medium ad Sacramentum: quia etiamſi non conferretur gratia, adhuc contritio haberet voluntatem efficacem Sacramenti, & eodem modo conduceret ad illud ponendum; tum etiam, quia Sacramentum aliquando non ſolum non eſt futurum, ſed nec poſſibile, quando, v.g. homo conteritur moribundus in deſerto, vbi nec poteſt baptizari, nec Sacramentaliter abſolui; finis autem non poteſt mouere ad ponenda media, niſi apprehendatur poſſibile, quod per illa media obtineatur: non poteſt ergo Deus ex amore Sacramenti moueri ad dandam illam gratiam, quando videt impoſſibile, quod per illam contritionem, aut per illam gratiam obtineatur Sacramentum. *Immo retorquetur contra illos exemplum venditionis.* Ad quod poſſumus retorquere exemplum illud venditionis, & pretij: non poteſt enim venditor vendere, quando accipit de præſenti partem ſolutionis, & pretij, & ſcit reliquũ pretij nec vnquam eſſe ſoluendum, nec eſſe poſſibilem ſolutionem: non, inquam, poteſt tunc vendere intuitu, aut ex amore pretij reſtantis, ſed ſi vendit, id facit ſolum intuitu illius partis pretij, quam de præſenti accipit: ergo cum Deus ſciat, Sacramentum nec eſſe ponendum, nec eſſe poſſibile, non poteſt moueri ad dandam gratiam ex amore illius completæ ſolutionis, quæ facienda eſt per Sacramentum, vt Suarez volebat, ſed debet dare gratiam intuitu contritionis præſentis, & meritorum Chriſti, quæ non per Sacramentum, ſed per contritionem applicantur.

12. *Reſpondent tertiò alij neceſſitatẽ medij antecedere præceptum, præcepti verò ſubſequi.* Alij tertio dicunt, neceſſaria neceſſitate præcepti eſſe illa, quorum neceſſitas oritur ſolum ex præcepto: illa vero eſſe neceſſaria neceſſitate medij, quorum neceſſitas antecedit præceptum; imo ideo ſunt in præcepto, quia ſupponuntur media neceſſaria ad ſalutem. Reſtitutio, v.g. ideo eſt neceſſaria, quia datur præceptum: Baptiſmus verò ideo eſt præceptus, quia eſt medium neceſſarium ad ſalutem; quia nimirum Chriſtus ſtatuit Baptiſmum, vt medium vnicum ad ſalutem: hinc oritur obligatio ſuſcipiendi illum. Sunt autem aliqua ex natura rei media neceſſaria ad ſalutem, vt gratia habitualis, fides, &c. alia verò ex inſtitutione Dei, vt Baptiſmus, Pœnitentia, &c. vtraque ſunt in præcepto, quod tamen præceptum ſupponit in illis neceſſitatem medij.

13. *Suarez. Vaſquez. Reiicitur hæc reſponſio.* Hæc explicatio reiicitur à Suarez *hoc tom. 3. diſp. 31. ſect. 1. §. Dico primò*; & Vaſquez *ibid. n. 24.* quia ſi Chriſtus non præcepiſſet Confeſſionem, v.g. etiamſi dediſſet ei virtutem ad iuſtificandũ ex opere operato, adhuc non eſſet medium neceſſarium, poſſent enim homines relinquere illud medium, & iuſtificari per contritionem, ſicut antea; ergo Confeſſionem eſſe medium neceſſarium ſupra hoc, quod eſt habere vim ad iuſtificandum, addit ſolùm præceptum confitendi, atque ideo antecedenter ad præceptum non intelligitur cum neceſſitate medij.

14. *Reſpondent.* Reſpondent, potuiſſe Sacramentum inſtitui vt medium abſque obligatione; non tamen potuiſſe Baptiſmum inſtitui vt medium vnicum abſque eo quod reſultaret ſtatim obligatio, & præceptum naturale ſuſcipiendi illum: & ita de facto eſſe ea, quæ dicuntur neceſſaria neceſſitate medij: ſunt enim vel ex natura rei, vel ex inſtitutione Dei, media vnica ad ſalutem: & ex hac neceſſitate præcedente oritur obligatio, ſeu præceptum aſſumendi illa media.

15. *Impugnantur.* Sed contra hoc eſt: quia non poteſt intelligi, qualis ſit illa inſtitutio Baptiſmi, v. g. vt medij vnici præcedens ante præceptum Baptiſmi: nam vel Chriſtus inſtituit vt medium vnicum ad ſalutem Baptiſmum re ipſa ſuſceptum, vel Baptiſmum in re, aut in voto. Non primum, quia ſi Baptiſmus re ipſa ſuſceptus erat medium vnicum ex inſtitutione Chriſti, Baptiſmus in voto non ſufficeret. Sed nec ſecundum dici poteſt: quia ſi non eſt inſtitutus Baptiſmus re ipſa ſuſceptus vt medium vnicum ad ſalutem: ergo ex illa inſtitutione non oritur obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum re ipſa, atque adeo contritio non habebit votum implicitum Baptiſmi ſuſcipiendi: contritio enim ſolum habet votum implicitum ſuſcipiendi id quod eſt medium vnicum, & neceſſarium ad ſalutem, & obſeruandi præcepta: Baptiſmus autem re ipſa ſuſceptus non eſt ex illa inſtitutione præcedenti medium neceſſarium, & vnicum ad ſalutem: ergo contritio non habet votum implicitum Baptiſmi re ipſa ſuſcepti, neque ex eiuſmodi inſtitutione oritur obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum in ſe ipſo.

16. *Inſtantiã.* Dices, antecedenter ad præceptum inſtitutum fuiſſe Baptiſmum à Chriſto vt medium vnicum ad ſalutem, vel in ſe ipſo, vel ſaltem propoſitum illius ſuſcipiendi: ex hac autem inſtitutione oriri obligationem talem, ratione cuius contritio cenſeatur habere votum ſaltem implicitum Baptiſmi: quia datur obligatio ad media neceſſaria ſalutis.

Soluitur. Sed contra: quia ſi inſtitutio illa antecedit præceptum, ex illa non ſequitur obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum; ſed obligatio vel ſuſcipiendi Baptiſmum, vel habendi propoſitum Baptiſmi ſuſcipiendi: obligatio enim ſolum eſt ponendi media neceſſaria ad ſalutem, ſed medium neceſſarium ad ſalutem ex vi illius inſtitutionis non eſt Baptiſmus re ipſa ſuſceptus, ſed vel Baptiſmus, vel propoſitum illius: ergo non eſt obligatio ad Baptiſmum, ſed ad diſiunctum, nempe ad Baptiſmum, vel propoſitum illius: ergo contritio, quatenus habet votum implicitum ſeruandi omnia præcepta, non habebit ex vi præciſa illius inſtitutionis votum Baptiſmi ſuſcipiendi, ſed vel ſuſcipiendi Baptiſmi, vel habendi propoſitum Baptiſmi ſuſcipiendi. *Aliud eſt velle Baptiſmũ; aliud velle propoſitum Baptiſmi.* Hoc autem non eſt votum Baptiſmi: aliud enim eſt in rigore deſiderare, vel velle Baptiſmum: aliud velle propoſitum Baptiſmi. Quod probari poteſt in primis, quia aliud eſt votum caſtitatis, aliud eſt votum vouendi caſtitatem; illud enim prius eſt votum reſeruatum: hoc poſterius non eſt votum reſeruatum, quia non eſt votum caſtitatis: vt cum aliis docent Suarez *tom. 1. de relig. lib. . de voto, cap. 11. n.* . & Thom. Sanchez *lib. 4. de voto, cap. 4. num.* 10. Item quia aliud eſt propoſitum ſeruandæ caſtitatis, aliud verò propoſitum faciendi propoſitum ſeruandæ caſtitatis, quod in rigore non eſt propoſitum caſtitatis; nam qui habet propoſitum confitendi, eo ipſo habet propoſitum habendi tunc, quando confitebitur, dolorem de peccatis, & propoſitum non peccandi; atque adeo habet propoſitum habendi tunc propoſitum caſtitatis præceptæ ſeruandæ: nunc tamen non habet propoſitum caſtitatis, nec propoſitum non peccandi; neque enim nunc eſt diſpoſitus ad abſolutionem: ergo propoſitum, ſeu voluntas propoſiti habendi de ſuſcipiendo Baptiſmo, non eſt in rigore propoſitum, ſeu voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum.

Si ergo ex illa inſtitutione Baptiſmi ſolùm oritur obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum, vel habendi propoſitum illum ſuſcipiendi, non eſt vnde contritio ſit implicitè voluntas Baptiſmi, ſed ſolùm erit voluntas implicita illius disiuncti, nempe vel Baptiſmi, vel propoſiti ſuſcipiendi Baptiſmum, cum illud disiunctum ſolum ſit inſtitutum in remedium neceſſarium, & aliunde nullum aliud præceptum ſit impoſitum.

17. *Confirmatur.* Adde, ſi abſque omni alio præcepto poſitiuo Baptiſmi, Christus inſtituiſſet eo modo in neceſſarium remedium disiunctum illud ex Baptiſmo & voluntate Baptiſmi, non poſſet homo per ſolam contritionem quantumcumque perfectam diſponi proximè ad iuſtificationem; quia contritio, vt probauimus, non eſſet tunc voluntas Baptiſmi etiam implicitè, ſed ſolùm eſſet implicitè voluntas illius disiuncti neceſſarij ad ſalutem, ſcilicet vel Baptiſmi, vel voluntatis Baptiſmi; ergo ſi homo iuſtificaretur cū ſola contritione abſque alia voluntate determinata Baptiſmi, iuſtificaretur abſque Baptiſmo, & voluntate Baptiſmi, quod eſſet contra id, quod ſupponitur, Deum ſtatuiſſe neminem iuſtificare abſque Baptiſmo, vel voluntate Baptiſmi.

18. *Fatendum ergo eſt, neceſſitatem Baptiſmi in re, vel in voto oriri ex præcepto poſitiuo diuino, quo Baptiſmus in re præceptus eſt omnibus.* Fatendum ergo eſt, neceſſitatem Baptiſmi in re, vel in voto oriri ex præcepto poſitiuo diuino, quo Baptiſmus in re præceptus eſt omnibus: ex quo præcepto oritur, quod nemo poſſit iuſtificari abſque Baptiſmo, vel ſaltem voluntate Baptiſmi; cum enim non poſſit extra Sacramentum iuſtificari abſque contritione, quæ includit voluntatem ſeruandi omnia præcepta, quorum vnum eſt de ſuſcipiendo Baptiſmo; hinc fit, non poſſe iuſtificari abſque Baptiſmo, quem Deus voluit habere virtutem iuſtificandi, vel certè abſque voluntate Baptiſmi, quæ neceſſariò includitur in omni contritione, cum detur præceptum de ſuſcipiendo Baptiſmo.

19. *Vaſquez. Propter hoc fatetur Vaſquez contritionem eſſe eodem modo votum Pœnitentiæ.* Propter hæc P. Vaſquez dicto dub. vnico ingenuè fatetur, contritionem eodem ferè modo eſſe votum Sacramenti Pœnitentiæ, (& idem debet dicere de Baptiſmo) ſicut eſt votum aliorum præceptorum. Pro quo ſupponit, votum Sacramenti non ideo dici medium ad iuſtificationem, quia illud votum ſit cauſa contritionis, cum potius è contra contritio ſit cauſa illius voti, ideo enim volumus confiteri, quia dolemus de peccatis. Neque etiam dici poteſt, quod auxilia ad contritionem dantur nobis virtute Sacramenti ſuſcipiendi: neque quod contritio habeat maiorem virtutem ad iuſtificandum propter relationem, aut ordinem, quem habet ad claues: nam ante inſtitutionem Sacramenti habebat eandem virtutem. Rurſus nec dici poteſt (vt aliqui inſinuant,) per contritionem remitti peccata, ſub conditione futuri Sacramenti, vel quod verè non remittantur peccata, donec ponatur Sacramentum, vel alij indicarunt; quibus ſuppoſitis, concludit, idem contritionem eſſe votum Sacramenti, quia habet implicitam ſaltem voluntatem ſeruandi omnia præcepta. Dicitur

Conc. Trid. Contritioni non adſcribitur iuſtificatio ab. que voto Sacramenti, quod includit, cum tamen id non dicatur de voto aliorum præceptorum. autem à Tridentino, contritioni non adſcribi iuſtificationem abſque voto Sacramenti, quod includit: cum tamen id non dicatur de voto aliorum præceptorum in eadem contritione incluſo: hoc, inquam, fecit Concilium, tum vt condemnaret obiter errorem Petri Oxonenſis Doctoris Salmantini, qui tempore Sixti IV. docuit, peccata mortalia, quantum ad culpam, & pœnam alterius ſæculi, deleri per ſolam cordis contritionem ſine ordine ad claues, hoc eſt, ita vt nulla deinde maneret obligatio confeſſionis eorum peccatorum: cuius oppoſitum ſignificauit Concilium in illis verbis, ſcilicet, non auferri per contritionem obligationem confitendi: tum etiam propter peculiarem quandam rationem, quæ non inuenitur in aliis præceptis: nam illa, licet eorum votum includatur etiam in contritione, non tamen ſunt ſecundum ſe media neceſſaria ad iuſtificationem: reſtitutio enim, v.g. ſecundum ſe ipſam nunquam eſt medium neceſſarium conferens iuſtificationem, ſed voluntas reſtituendi contenta in contritione, vel pœnitentia. At verò Sacramentum Pœnitentiæ in ſe ipſo aliquando eſt medium vnicum, & neceſſarium ad ſalutem, quando ſcilicet datur opportunitas, & vrget præceptum confitendi; tunc enim non poterit dari vera contritio abſque ipſo Sacramento re ipſa poſito, cum non poſſit eſſe vera voluntas obſeruandi præceptum abſque exequutione operis, quando præceptum viget: ideo ergo Sacramentum dicitur medium neceſſarium in re, vel in voto, quia aliquando votum, aliquando ipſummet Sacramentum eſt medium neceſſariò requiſitum ad iuſtificationem. Hæc eſt ſententia P. Vaſquez, quam ipſe latiſſimè explicat loco citato.

20. *Quid placeat in hac ſententia, quid diſpliceat. Diſplicet primò ille caſus Pœnitentiæ quem adducit.* In qua aliqua placent, aliqua diſplicent: & in primis diſplicet caſus ille, quem adducit ad probandum, quòd Sacramentum aliquando in ſe ipſo ſit medium vnicum, & neceſſarium ad ſalutem, quando ſcilicet adeſt opportunitas, & vrget præceptum confeſſionis. Nam tunc re vera Sacramentum non eſt medium vnicum; ſemper enim antecedenter ad abſolutionem poteſt præcedere contritio, per quam iuſtificabitur homo; &, ſi caſu aliquo non ſequatur abſolutio, ſaluabitur abſque Sacramento: ergo Sacramentum non erat tunc medium vnicum ad ſalutem. *Aliud exemplum melius poſſet adduci.* Meliùs poſſet adduci in exemplum, quando pœnitens, facta confeſſione cum attritione, fit amens; quo caſu abſolutio Sacramentalis eſt neceſſarium, & vnicum medium ad ſalutem: ſicut reſpectu infantis morientis Baptiſmus re ipſa ſuſceptus, eſt vnicum medium neceſſarium.

21. *Secundò diſplicet illud principium quod contritio ſit forma iuſtificans.* Secundò diſplicet, quòd magna ex parte fundat ſententiam ſuam in illo alio principio, quòd contritio ex ſua natura ſit forma ſanctificans: vnde fit, non acceptari à Deo peculiariter propter reſpectum, quem habeat ad Sacramentum tanquam votum illius. Hoc autem principium de efficacia contritionis ad formaliter ſanctificandum, nobis non probatur vllo modo, vt dicam inferiùs in tractatu de virtute Pœnitentiæ.

22. *Tertiò diſplicet quod voluntas aliorum præceptorum incluſa in contritione eodem modo concurrat ad iuſtificationem.* Tertiò diſplicet, quòd eodem prorſus modo voluntas aliorum præceptorum incluſa in contritione concurrat ad iuſtificationem, ſicut voluntas Sacramenti ibi etiam incluſa: prout videtur concedere, n. 17. ſemper enim manent difficilia verba Tridentini ſuprà allata: in quibus peculiariter videtur tribui iuſtificatio contritioni, prout habet votum Sacramenti Pœnitentiæ; quod non dicitur de voto aliorum præceptorum in ea contento: nec enim dici ſolet, quòd contritioni non adſcribitur iuſtificatio ſine voto recitandi Officium, quod in ipſa includitur. Fatendum ergo videtur, diuerſo aliquo modo concurrere votum Sacramenti, quàm votum aliorum præceptorum in contritione incluſum ad remiſſionem peccatorum.

23. *Diuerſitas ergo hæc dupliciter explicatur. Primò quod Sacramentum non ſolum ſit præceptum, ſed medium influens ſe ipſo.* Poteſt autem hæc diuerſitas dupliciter explicari; primò, ex eo quòd Sacramentum ipſum, cuius votum includitur in contritione, non ſolùm eſt præceptum, ſed eſt medium etiam influens aliquando ſe ipſo in re ſuſceptum ad iuſtificationem, quod non contingit reſtitutioni, aut aliis præceptis: quare contritio includit votum Sacramenti, tanquam rei, quæ eſt etiam medium ad ſalutem; vt dicebat P. Vaſquez. Ex hoc autem oritur, quod dici poſſit

medium

medium neceſſarium ad ſalutem Sacramentum in re, vel in voto, quod non poſſumus dicere de aliis præceptis. Nam licèt votum reſtitutionis ſit medium neceſſarium, ad ſalutem poſt furtum; ipſa tamen reſtitutio re poſita nunquam eſt medium neceſſarium, quia ipſa ſecundùm ſe nunquam influit directè, ſed ſolùm remouendo prohibens, hoc eſt, peccatum iniuſtitiæ, quod poſſet impedire ſalutem: nam licèt aliquando ipſe actus reſtitutionis ſit bonus, & meritoriè augeat gratiam; id tamen per accidens ſe habet ad propoſitum: nec enim tunc dat primam gratiam, ſed augmentum illius; quare non conducit poſitiuè ad primam gratiam, ſed impedit eius ablationem. Ex quo fit, non appellari medium ſimpliciter ad primam gratiam, quia non operatur directè, ſed indirectè impediendo, ne auferatur. Baptiſmus verò, & Pœnitentia dicantur media ſimpliciter ad primam gratiam, quam illam directè & poſitiuè operantur.

Reſtitutio non eſt ſe ipſa tamen medium, ſed tantum influit remouendo prohibens.

24. Secundò explicari poteſt ex eo, quòd contritio non ſolùm reſpicit Sacramentum, quod eſt medium ad ſalutem, ſed ipſa contritio eſt medium, eo quòd votum Sacramenti contineat. Potuit enim Deus inſtituere Sacramentum tanquam medium omnino neceſſarium ad ſalutem, ita tamen vt ſufficeret vel ipſum Sacramentum, vel voluntas Sacramenti; quaſi vicaria, & ſupplens vicem Sacramenti in eius abſentia: nihil enim magis proportionatum ad ſupplendum pro aliquo opere externo, quàm voluntas, & deſiderium perfectum illius. Deus ergo antecedenter ad omne præceptum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ potuit inſtituere pro medio neceſſario ad ſalutem illa Sacramenta, non tamen ita ſtrictè, vt non poſſet pro illis ſupplere voluntas Sacramenti, quaſi eorum vicaria. Vt verò contritio eſſet voluntas Sacramenti, atque adeò poſſet ſupplere pro illis, oportuit præceptum imponere de ipſis Sacramentis ſuſcipiendis, quo præcepto poſito, iam contritio eſt voluntas Sacramenti, eo quod contineat votum ſeruandi omnia præcepta. Conſiderare ergo poſſumus, Deum priùs inſtituere Sacramenta illa vt media omnino neceſſaria in re, vel in voto ad ſalutem: poſtea præcipere Sacramentis ipſa, vt hac ratione contritio contineret votum Sacramenti, & eſſet eius vicaria, & vt talis conduceret ad iuſtificationem.

Secundò explicatur quia contritio eſt medium eo quod votum Sacramenti contineat.

Vt contritio eſſet voluntas Sacramenti, oportuit dari præceptum de ſuſcipiendo Sacramento.

25. Quibus poſitis, apparet quomodo contritio concurrat de facto ad iuſtificationem magis peculiari titulo propter votum, quod continet, Sacramenti, quàm propter votum aliorum præceptorum. Nam licèt ipſa de ſe eodem modo reſpiciat Sacramenta, & alia præcepta, præſertim quando homo non recordatur obligationis ſuſcipiendi Sacramentum: Deus tamen peculiariter mouetur à contritione, quatenus continet voluntatem Sacramenti; quia ſub ea ratione eſt vicaria Sacramenti, quod Deus voluit eſſe medium neceſſarium ad ſalutem ſecundùm ſe, vel certè per voluntatem, & deſiderium ſui tanquam per vicarium. Quamvis enim contritio, prout etiam continet votum aliorum præceptorum, conducat ad iuſtificationem: quia Deus vult ſemper tanquam diſpoſitionem ad remiſſionem peccatorum, retractationem illorum, & propoſitum ſeruandi mandata; adhuc magis ſpecialiter concurrit eadem contritio; prout continet votum Sacramenti; quia ſub ea conſideratione concurrit duplici titulo; primus eſt communis aliis præceptis, quatenus eſt votum ſeruandi præcepta, quorum vnum eſt de ſuſcipiendo Sacramento: quod votum non peccandi eſt diſpoſitio requiſita ad iuſtificationem: ſecundus eſt titulus ſpecialis, quatenus independenter à præcepto, Deus voluit Sacramentum, vel eius deſiderium, tanquam vicarium Sacramenti, eſſe medium neceſſarium ad ſalutem. Et licèt contritio de facto ſit implicitè voluntas Sacramenti, eo quod detur præceptum de Sacramento, & contritio eſt voluntas ſeruandi omnia præcepta; differt tamen hic ſecundus titulus à primo, quia etiamſi Deus non præcepiſſet Sacramentum, adhuc requireretur, quod cum contritione daretur voluntas Sacramenti, ad hoc vt Deus acceptaret illam loco Sacramenti, eo quod de facto voluit Sacramentum, vel eius deſiderium eſſe medium neceſſarium ad ſalutem: ita tamen, vt Sacramentum conduceret cum ſola attritione; deſiderium autem Sacramenti non niſi cum contritione perfecta, vel dilectione Dei.

Contritio concurrit ad iuſtificationem magis ſpeciali titulo propter votum quod continet Sacramenti, quàm aliorum præceptorum.

Si Deus non præcepiſſet Sacramentum, adhuc requireretur cum contritione voluntas Sacramenti.

26. Porro contritionem hoc etiam titulo ſpeciali concurrere ad iuſtificationem, & Deum illam acceptare ſpecialiter, prout voluntatem Sacramenti continet, probari poteſt in primis, quia Deus potuit id eo modo, quo diximus, ſtatuere & nolle acceptare ad iuſtificationem, niſi Sacramentum, vel eius deſiderium quaſi vicarium Sacramenti: ſi autem id factum eſſe dixerimus, faciliùs, & clarius intelliguntur verba Tridentini ſuprà citata: & illa etiam, quæ habet *ſeſſ. 6. cap. 4.* vbi dicitur, *Sine lauacro regenerationis, aut eius voto* fieri non poſſe iuſtificationem. Quem modum loquendi vſurpant Patres, dum deſiderio Baptiſmi tribuunt vim iuſtificandi. Sic enim loquitur Ambr. *in Orat. funebri de obitu Valentiniani,* vbi ideo dicit, Imperatorem illum ſalutem conſequutum, quia Baptiſmum deſiderauit: & poſt multa concludit: *Non habet ergo gratiam, quam deſiderauit? Non habet, quod popoſcit? Certè quia popoſcit, accepit.* Vides, quomodo deſiderio Baptiſmi, vt tale deſiderium eſt, tribuitur ſalus. Eodem modo loquitur Bernardus *Epiſt.* 77. vbi id latè probat, & concludit, quod ſicut in peccatis, ſic etiam in hac materia, *Voluntas pro facto reputatur.* In eodem ſenſu dicunt, ſicut martyrium, ſic etiam deſiderium Baptiſmi vicem gerere Baptiſmi. Significant ergo, ideo ſpecialiter acceptari à Deo contritionem loco Baptiſmi, quia eſt deſiderium Baptiſmi: & quia deſiderium rei coram Deo acceptatur pro re ipſa, quæ deſideratur. In hoc autem ſenſu non dicitur acceptari contritio, quia eſt deſiderium reſtitutionis: nam ſi reſtitutio ipſa poneretur, adhuc illa non iuſtificaret, nec concurreret, niſi remouendo prohibens; ergo nec voluntas reſtituendi, eo quod ſit vicaria reſtitutionis, & voluntas pro facto reputetur, habebit vim iuſtificandi, quam tamen habere dicitur, quatenus eſt voluntas Baptiſmi, eo quod Baptiſmus ipſe, ſi poneretur, concurreret directè, & afferret gratiam iuſtificationis: & ideo dicitur contritio non iuſtificare abſque voto Sacramenti, quod includit, & in ordine ad claues: quia ad illud votum peculiariter attendit Deus, vt acceptet contritionem, quaſi vicariam Sacramenti, ad concedendam gratiam, & remiſſionem peccatorum.

Deus ſtatuit non acceptare ad iuſtificationem, niſi Sacramentum vel eius deſiderium quaſi vicarium.

Ambroſ.

Bernard.

Specialiter acceptatur à Deo contritio loco Baptiſmi, quia eſt deſiderium illius, non autem in eo ſenſu acceptatur quia eſt deſiderium reſtitutionis.

27. Dices, ante inſtitutionem Sacramenti contritio non includebat votum Sacramenti: & tamen acceptatur à Deo ad remiſſionem peccatorum; ergo cum eiuſdem valoris, & virtutis ſit ſemper in ſe ipſa, eodem modo acceptaretur à Deo nunc independenter ab hoc, quod habeat votum Sacramenti. Reſpondeo, contritionem acceptari à Deo, non quia ipſa ex ſe ſit forma iuſtificans, aut ſatisfactio condigna pro peccato, vt ſuppono, ſed ex liberalitate, & gratia: quare potuit bene Deus olim acceptare contritionem attendendo ſolùm ad meritum congruum ipſius contritionis: poſtea vero attendendo etiam ad Sacramentū, ad hoc, quod contritio ſit voluntas Sacramenti, quod Deus ſtatuit eſſe medium neceſſarium

Inſtantia.

Solutio.

ad ſalutem per ſe ipſum, vel ſaltem per deſiderium ſui tanquam per ſuum vicarium, vt dictum eſt.

28. *Inſtantia.* Dices iterum; totum hoc non explicat, cur magis dicatur neceſſarius Baptiſmus, v.g. in re, vel in voto, quàm reſtitutio, aut alia præcepta: nam ſicut iuſtificatio haberi non poteſt ſine Baptiſmo, vel eius voto incluſo in contritione, ſic neque poteſt haberi abſque reſtitutione, vel eius voto incluſo in contritione, vel attritione neceſſaria ad iuſtificationem; ergo reſtitutio etiam in re, vel in voto, eſt medium neceſſarium ad ſalutem. *Diluitur.* Reſpondeo, differre in hoc, quod reſtitutio eſt neceſſaria in voto, ſeu votum reſtitutionis eſt medium neceſſarium, quando reſtitutio non eſt poſita, ipſa tamen reſtitutio in ſe ipſa nunquam eſt medium; quia ipſa nunquam influit directè, aut cauſat primam gratiam, ſed conducit indirectè, vt remouens prohibens; ideo non dicimus, *Reſtitutio ipſa non eſt medium neceſſarium, ſed illius votum.* reſtitutionem in re, vel in voto eſſe medium neceſſarium, ſed votum ſolum: at verò Sacramentum eſſe medium neceſſarium in re, vel in voto, hoc eſt quodcumque ponatur ex illis, ſiue Sacramentum, ſiue votum illius, erit medium concurrens directè ad iuſtificationem, quod de reſtitutione non eſt verum; quia licèt ipſa ponatur, non erit medium concurrens ad iuſtificationem.

29. *Notandum primò.* Vnde obiter aduerto primò, immeritò limitari ab aliquibus doctrinam iſtam, qui dicunt, reſtitutionem, v.g. vel aliud præceptum tunc non habere neceſſitatem medij, quando non vrget omnino præceptum: ſi enim in his circumſtantiis, & in hoc inſtanti obliget omnino, ita vt non poſſit abſque peccato omitti, tunc erit iam reſtitutio neceſſaria neceſſitate non ſolum præcepti, ſed medij, quia illa ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ſine quibus ſalus obtineri non poteſt; & talis eſt reſtitutio in prædicto caſu, cum non poſſit omitti abſque peccato. *Non placet modus loquendi quorundam.* Hic tamen modus loquendi non placet, licèt ſit quæſtio de nomine: primò, quia adhuc in eo caſu reſtitutio non eſſet medium neceſſarium omnino ad ſalutem, quia licèt tunc non fieret, atque ideo committeretur peccatum nouum, poſſet tamen homo poſtea dolere, & iuſtificari abſque reſtitutione: ſuppono enim, quod poſtea non poſſet reſtituere; non ergo erat reſtitutio medium neceſſarium ad ſalutem; nam illud ſolum dicitur medium neceſſarium, ſine quo nullo modo ſalus de facto haberi poteſt; qualis eſt gratia, Fides, Baptiſmus in re, vel in voto, &c. Secundò, quia adhuc reſtitutio tunc poſita non concurreret vt medium directè, ſed ſolùm indirectè ad ſalutem, vt diximus, remouendo prohibens; qui modus concurrendi non ſufficit, vt dicatur ſimpliciter medium neceſſarium ad ſalutem. Alioquin poſſet dici, ſemper requiri neceſſitate medij, ſicut requiritur Baptiſmus; quia Baptiſmus non ſemper requiritur determinatè in ſe, ſed ſolum in re, vel in voto: quia aliquando ipſe Baptiſmus concurrit vt medium, aliquando eius votum. Eodem autem modo ſe habet *Concurſus reſtitutionis non eſt concurſus cauſæ, ſed indirectus.* reſtitutio: nam aliquando concurrit ipſa reſtitutio, aliquando eius votum: ergo eodem modo eſt neceſſaria neceſſitate medij in re, vel in voto, ſicut Baptiſmus: quod tamen Theologi non concedunt, quia nimirum concurſus ille reſtitutionis non eſt concurſus cauſæ, ſed indirectus: vt ſæpe diximus.

30. *Notandum ſecundum.* Aduerte ſecundò, quando dicitur votum Sacramenti ſufficere abſque Sacramento, non ita debere intelligi, vt merum propoſitum ſuſcipiendi Sacramenti ſufficiat ad iuſtificationem: hoc enim eſt falſum: nam peccator etiam dum eſt in peccato, habet propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ: ſed intelligi debet de voto Sacramenti cum aliis requiſitis, ſcilicet, deteſtatione perfecta peccatorum, & propoſito vniuerſali non peccandi; quas etiam diximus eſſe diſpoſitiones ſemper requiſitas ex lege Dei ad remiſſionem peccatorum.

Aduerte tertiò, hoc votum, ſeu hanc voluntatem Baptiſmi, vel Pœnitentiæ non ſolùm non requiri explicitam, vt diximus, ſed neque abſolutam: ſufficit enim voluntas conditionata, quæ poteſt ſtare cum nolitione abſoluta contraria. Nam ille, cui iam in articulo mortis conſtituto impoſſibile eſt recipere Sacramentum, non poteſt habere voluntatem abſolutam ſuſcipiendi Sacramentum, ſed ſolùm conditionatam, ſuſcipiendi ſi poſſet. Adde, poſſe fieri, quòd alicui præciperet Deus ire ad ſubeundum martyrium caſu, quo non ſupereſſet ſpes recipiendi ampliùs Baptiſmum; atque ideo non poſſet ille licitè habere voluntatem abſolutam Baptiſmi ſuſcipiendi. Sufficit ergo voluntas implicita conditionata, cum qua in his circumſtantiis poſſet eſſe voluntas obediendi Deo, & relinquendi Baptiſmum, qui alio modo impoſſibilis repræſentatur, niſi repugnando præcepto Diuino. 31. *Notandum tertium.*

Petes; ſi Chriſtus inſtituiſſet Sacramentum Confeſſionis, v.g. cum eadem efficacia, quam nunc habet ad remittenda peccata, non tamen præcepiſſet confeſſionem, poſtea verò Eccleſia eam præcepiſſet, an tunc illud Sacramentum diceretur neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem in re, vel in voto? Videtur enim affirmandum, cùm tunc etiam neceſſarium eſſet, vel Sacramentum ipſum, vel votum ipſius in Sacramento incluſum, tanquam medium ad conſequendam remiſſionem peccatorum. 32. *Quæſitum.* *Satisfit.* Reſpondeo, non fore in primis medium neceſſarium eadem neceſſitate qua tunc eſt, ſed inferiori, nempe humana, ſeu ex præcepto humano, quæ non redderet illud medium adeò neceſſarium, cùm poſſet illud præceptum diſpenſatione facilè tolli, vel deſuetudine abrogari. Deinde contritio non haberet tunc ſuam efficaciam in ordine ad Sacramentum, ſicut nunc habet; non enim moueretur Deus à contritione, eo quod eſſet vicaria Sacramenti, ſicut nunc mouetur, atque adeo non concurreret ſpecialiter propter ordinem ad claues, ſicut nunc concurrit, ſed ſolùm quia eſſet retractatio peccatorum, & voluntas non peccandi. Adhuc tamen poſſet in aliquo ſenſu minùs ſtricto dici confeſſio tunc neceſſaria neceſſitate medij in re, vel in voto ad ſalutem, eo quod vel confeſſio, vel votum confeſſionis in contritione contentum eſſet medium neceſſarium directè concurrens ad iuſtificationem.

Aduerte denique, cùm dicimus, gratiam, media contritione, dari de facto in ordine ad claues Eccleſiæ, non ſignificari, quod illa gratia detur ex efficacia clauium, aut Sacramenti; nam re vera tunc claues non concurrunt, nec operantur, ſed contritio per ordinem ad Claues, hoc eſt, quia in ſe eſt voluntas Sacramenti propter hoc, quod ipſa habet, nempe eſſe votum recurrendi ad claues, acceptatur à Deo ad remiſſionem peccatorum. 33. *Vltimum notandum.*

SECTIO II.

Vtrùm Euchariſtia ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij.

SVpponimus Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti, quod infrà ſuo loco probandum eſt diſput. 16. ſect. 1. Nunc ſolum quærimus, an ſit etiam neceſſaria neceſſitate medij? Supponendum etiam vt certum, Euchariſtiam ſecundùm 34. *Supponitur Euchariſtia neceſſaria neceſſitate præcepti.*

realem

Supponendum Euchariſtiæ realem ſumptionem non eſſe neceſſariam neceſſitate medij.

realem ſuſceptionem non eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem, cùm certò conſtet, quamplurea non ſolùm paruulos, ſed etiam adultos ſaluos fieri ſine Euchariſtiæ ſumptione, quos vel impotentia, vel ignorantia, vel alia iuſta cauſa excuſat ab Euchariſtiæ vſu. Et licèt P. Suarez in præſenti *diſp.* 40. *ſect.* 2. *in principio*, tribuat oppoſitum errorem aliquibus hæreticis: id tamen negat, & meritò, Valentia *in præſenti, diſp.* 6. *q.* 1. *punct.* 5. Nam licèt hæretici errauerint in vſu ſuperſtitioſo Euchariſtiæ, forſitan id non fecerunt ex errore circa neceſſitatem illius.

35. *Status quæſtionis.*

Hoc ergo ſuppoſito, quæſtio potiſſimum eſt, an ſicut Baptiſmus, vel Pœnitentia ſunt media neceſſaria ad ſalutem in re, vel in voto, ſic etiam Euchariſtia in re, vel in voto ſit neceſſaria omnibus neceſſitate medij? Affirmant aliqui Scholaſtici apud Suarez vbi ſuprà, & apud Vaſquez *diſp.* 169. *c.* 2. qui putant, hanc eſſe ſententiam S. Thomæ in præſenti. Verior tamen eſt, & communior ſententia docens, Euchariſtiam non eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medij in re, vel in voto, ſed ſolùm neceſſitate præcepti. Hæc videtur eſſe S. Thomæ *ſuprà q.* 65. *art* 4. vbi ait, ſolùm duo Sacramenta eſſe ſimpliciter neceſſaria vnicuique ad finem, ſcilicet, Baptiſmum, & Pœnitentiam; cætera verò eſſe neceſſaria ad commodè acquirendum finem. Hanc eandem ſententiam tenent plures, quos referunt, & ſequuntur Valentia, Suarez, & Vaſquez, vbi ſuprà, qui latè hanc ſententiam probant; nos breuiter potiſſima fundamenta adducemus.

Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medij nec in re, nec in voto.

36. *Ratio concluſionis.*

Potiſſima ergo ratio hæc eſt, quia Euchariſtia intantum poteſt dici medium neceſſarium ad ſalutem, in quantum eſt medium neceſſarium ad primam gratiam, vel ad perſeuerandum in gratia: ſed ea neutro capite eſt medium neceſſarium; ergo ea nullo. Minor, in qua poteſt eſſe difficultas, probatur quoad primam partem facilè ex doctrina ſectionis præcedentis, quia ad hoc, quòd Euchariſtia ſit medium neceſſarium in re, vel in voto ad primam gratiam, non ſufficit, quod votum ipſius, nempe contritio, vel Baptiſmus, &c. conducat poſitiuè ad primam gratiam; ſed requiritur etiam, quòd ipſa Euchariſtia conducat poſitiuè, & per ſe aliquando ad primam gratiam; alioquin etiam reſtitutio diceretur neceſſaria neceſſitate medij ad primam gratiam, cùm votum ipſius poſitiuè, & neceſſariò conducat ad primam gratiam: Euchariſtia autem nunquam poſitiuè & per ſe confert primam gratiam: ergo non eſt dicendum, eſſe neceſſariam in re, vel in voto neceſſitate medij ad primam gratiam.

37. *Inſtantia.*

Dices; Euchariſtia etiam in aliquo caſu confert primam gratiam, quando ſcilicet homo attritus inculpabiliter, & bona fide accedit ad Euchariſtiam; ergo Euchariſtia etiam in re conducit poſitiuè ad primam gratiam.

Diluitur.

Sed contra; quia quidquid ſit de veritate illius doctrinæ, quam infrà negabimus diſp. 12. ſect. 1. adhuc Euchariſtia non habet conferre tunc primam gratiam per ſe, & ex propria inſtitutione, ſed per accidens: ad hoc autem, vt aliquod ſit medium neceſſarium ad primam gratiam, debet eſſe medium inſtitutum per ſe ad illam conferendam, vt Baptiſmus, & Pœnitentia.

38. *Confirmatur, quia cum ex natura ſua ſit cibus, non ordinatur ad primam gratiam.*

Confirmatur eadem pars, quia Sacramentum Euchariſtiæ ea ſua inſtitutione habet eſſe cibum, & dare gratiam nutritiuam; ergo ex ſua inſtitutione non ordinatur ad primam gratiam; cibus enim non nutrit, niſi præſupponat vitam, nec alimentum ordinatur ad generandum, ſed ad augendam, & fouendam ſubſtantiam viuentis; ergo Euchariſtia non eſt medium neceſſarium ad primam gratiam poſitiuè conferendam in re, vel in voto.

39. *Probatur alia ratio.*

Veniamus iam ad alteram partem Minoris poſitæ, quod ſcilicet non ſit Euchariſtia neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij, eo quod requiratur ad perſeuerantiam in gratia. Quod facilè probatur, ſi conſideremus, quid ſit perſeuerare in gratia. Nam per hanc perſeuerantiam vel poteſt intelligi diuturna conſeruatio gratiæ per longum tempus ſine peccato lethali: & hoc quidem non eſt medium neceſſarium ſimpliciter ad ſalutem; poteſt enim contingere, hominem breui poſt primam iuſtificationem mori; & per conſequens tunc non indiguit diuturna gratiæ conſeruatione ad ſalutem: vel poteſt intelligi per iſtam perſeuerantiam hoc, quod eſt mori in gratia, ſiue breui, ſiue longo tempore poſt iuſtitiam acceptam; hoc enim videtur includere donum perſeuerantiæ; & per conſequens videtur eſſe eximium Dei beneficium, de quo poſſet aliquis dicere, dari ex vi Sacramenti Euchariſtiæ in re, vel in voto. Sed neque ea hoc capite poteſt dici Euchariſtia medium neceſſarium ad ſalutem. Nam in primis gratis, & ſine vllo fundamento aſſereretur, mortem in gratia eſſe effectum proprium Euchariſtiæ, cùm neque ex Scriptura, neque ex Conciliis probari poſſet: quare ſi illud eximium donum Dei ad aliquod Sacramentum pertineret, magis quidem apparenter tribui poſſet Extremæ-Vnctioni, quàm Euchariſtiæ; ſed reuera ad neutram pertinet, quia noluit Deus tam eximium beneficium vlli medio alligatum eſſe; ſed à ſola ſua liberalitate pendere, vt nos redderet cautiores.

40. *Probatur ſecundò.*

Vnde ſecundò probatur, hunc non eſſe effectum Euchariſtiæ, quia ſi eſſet eius effectus, infallibiliter conſequeretur Euchariſtiam dignè ſuſceptam, & per conſequens qui dignè communicaret, infallibiliter eſſet prædeſtinatus: quia effectus Sacramentales infallibiles ſunt eo modo, quo à Sacramentis cauſantur: alligantur enim Sacramentis ex promiſſione diuina in Sacramentis contenta: quare ſi, poſito Sacramento, poſſet non ſequi effectus, non haberetur ex promiſſione diuina, ſed ex liberalitate Dei; ergo ſi mors in gratia, ſeu (quod idem eſt) protectio Dei, vt quis moriatur in gratia, eſt effectus Euchariſtiæ, debet hæc diuina protectio ſequi infallibiliter ad omnem dignam ſumptionem Euchariſtiæ; quod de ſe conſtat eſſe ſatis abſurdum.

41. *Inſtantia.*

Dices; licèt non detur ſemper ex vi huius Sacramenti gratia finalis, ſemper tamen dantur auxilia ad perſeuerandum; nam inter effectus huius Sacramenti numeratur præſeruatio à mortalibus; vt docet Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 2. Auxilia autem huiuſmodi neceſſaria ſunt ad ſalutem; ergo Euchariſtia re ipſa conducit poſitiuè ad aliquid neceſſarium ad ſalutem; ergo habet id, quod requiritur, vt dicatur neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem in re, vel in voto.

Reſpondetur à aliqui.

Poſſet aliquis reſpondere iuxta ſuprà dicta: licèt Euchariſtia conducat ad aliquid neceſſarium ad ſalutem, non tamen eſſe neceſſaria vt medium ad ſalutem; quia non influit in ſalutem poſitiuè, ſed indirectè, & remouendo prohibens: ſcilicet dando auxilia, quibus vitentur peccata: quare cùm ipſa obſeruatio præceptorum non ſit medium ſalutis, quia concurrit indirectè, idem dicendum eſſet de Euchariſtia, cùm ſolùm ſit neceſſaria, vt ſeruentur mandata longo tempore. Sed, hac ſolutione omiſſa,

42. *Melius reſpondetur.*

Reſpondetur faciliùs, Euchariſtiam quidem conducere poſitiuè ad talia auxilia: cæterùm hæc non ſunt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem: nam ſi ille homo, v.g. paulò poſt communionem moreretur, non indigeret vllo auxilio, aut inſpiratione ad perſeuerandum ſine peccato lethali illo breui tempore, cùm tunc (vt ſuppono) nulla tentatio occurreret:

ergo licèt Euchariſtia conferat poſitiuè ad illa auxilia, non tamen ideo dicetur concurrere poſitiuè ad aliquid ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem.

43. *Inſtabis.* Dices, licèt homini ſimpliciter non ſit neceſſarium ad ſalutem auxilium ad vincendas tentationes, cæterùm homini diu viuenti poſt communionem neceſſarium ſimpliciter eſt tale auxilium ad ſalutem; quia (vt ſuppono ex materia de gratia) non poteſt homo longo tempore vitare peccata grauia ſine auxilio gratiæ: ergo homini ſaltem viuenti diu neceſſaria eſt Euchariſtia in re, vel in voto ad ſalutem, cùm ſine Euchariſtia, vel voto illius non habeat talia auxilia, & ad hæc habenda conducat poſitiuè aliquando Euchariſtia, aliquando in re ipſa, aliquando votum illius.

44. *Reſpondeo.* Reſpondeo adhuc, nec tali homini eſſe ſimpliciter neceſſariam Euchariſtiam vt medium ad ſalutem; quia ſi res attentè conſideretur, Euchariſtia non confert aliquid neceſſarium ad perſeuerandum ſine peccato mortali. Fateor quidem, Euchariſtiam afferre ſecum auxilia vberiora, quibus vincere poſſit faciliùs tentationes occurrentes; ex quo fit, vt meritò dicatur præſeruare à peccatis; quia licèt non omnis, qui accipit Euchariſtiam, perſeueret in gratia, habuit tamen ex Euchariſtia auxilia, quibus faciliùs poſſet perſeuerare. Cæterùm illa auxilia vberiora, quæ dantur ex vi Euchariſtiæ, licèt multum conducant ad perſeuerantiam, non tamen ſunt neceſſaria ſimpliciter; nam ſine illis auxilijs vberioribus, & cum ſolis auxilijs ordinarijs, quæ dantur ſine Euchariſtia, & ad quæ habet homo ius ex ipſo ſtatu gratiæ, poſſet homo perſeuerare, & de facto perſeuerat longo tempore: ergo illa ſuperabundantia & exceſſus auxiliorum non eſt remedium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, & per conſequens nec ipſa Euchariſtia, quatenus præſtat talia auxilia. Confirmatur, quia gratia, quæ datur per Baptiſmum, non eſt minoris efficaciæ, quàm quæ in lege antiqua dabatur in Circumciſione, v. g. Cum illa autem gratia poterat homo per longam vitam perſeuerare cum auxilijs, quæ ratione illius gratiæ conferebantur; ergo & nunc poterit cum auxilijs, quæ conſequuntur gratiam Baptiſmi.

Euchariſtia non confert aliquid neceſſariù ad perſeuerandum ſine peccato mortali.

45. *Obijcuntur primò verba Chriſti, & PP.* Habemus ergo, Euchariſtiam non eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem in re, vel in voto, nec ratione primæ gratiæ, nec ratione perſeuerantiæ, quam poſitiuè cauſat. Cæterùm contra doctrinam ſuprà traditam ſunt plures obiectiones. Prima eſt, ad probandum, realem ſumptionem Euchariſtiæ eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem: quod in primis probatur ex verbis Chriſti Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Deinde ex Patribus, præſertim ex Innocentio I. *epiſt. ad Patres Concilij Mileuit. quæ eſt 93. inter Epiſtolas Auguſtini*; & ex ipſo Auguſtino in locis citatis à Suarez in præſenti, qui frequenter dicunt, illa verba Chriſti intelligenda etiam eſſe reſpectu paruulorum, quibus non ſolum Baptiſmus, ſed etiam Euchariſtia neceſſaria eſt ad ſalutem: imò ex neceſſitate Euchariſtiæ colligunt neceſſitatem Baptiſmi contra Pelagianos.

Ioan. 6.

46. *Notandū pro ſolutione Euchariſtia aliquando dicitur neceſſaria ratione rei contentæ.* Pro horum Patrum intelligentia notandum eſt, Euchariſtiam aliquando appellari neceſſariam ratione rei contentæ, vel ſignificatæ: cum enim contineat Chriſtum, cuius fides ſaltem implicita, & vnio neceſſaria eſt ad ſalutem: cum item ſignificet vnitatem corporis myſtici, quam omnes debent neceſſariò participare, vt ſalui fiant: hinc eſt, vt aliquando dicatur neceſſarius omnibus effectus Euchariſtiæ, hoc eſt, vniri corpori myſtico, vel etiam ipſe Chriſtus, qui continetur in Euchariſtia. Hoc ſuppoſito, ad obiectionem reſpondetur, illis verbis *Ioan. 6.* ſolum ſignificari neceſſitatem præcepti, non medij, vt latè oſtendunt noſtri Suarez, Vaſquez, Valentia, & alij in præſenti. Auguſtinus verò, & Innocentius, ſatis credibile eſt, quod acceperint illa verba de manducatione ſpirituali corporis Chriſti; nam licet in illis ſermo ſit de manducatione Sacramentali iuxta communem Theologorum; non tamen eſt certum, quod non poſſint habere illum duplicem ſenſum, & intelligi etiam in ſenſu litterali de manducatione ſpirituali, de qua quamplures Patres, & Theologi illa intellexerunt: & forte etiam Auguſtinus, & Innocentius, vt ex neceſſitate manducandi Chriſtum ſpiritualiter, colligerent neceſſitatem Baptiſmi, quo Chriſtus à paruulis ſpiritualiter per fidem, & charitatem manducatur. De mente tamen Auguſtini videantur Vaſquez *in præſenti diſp. 169. c. 4. & infra diſp. 179. c. 4.* Suarez *in præſenti diſp. 40. ſect. 2.* Bellarmin. *lib. 1. de Euchariſt.* Valentia *in Controuerſ. lib. de legitimo Euchariſtiæ vſu ſub altera ſpecie.* Maldonat, *in c. 6. Ioannis*; vbi Toletus, & P. Salmeron *tom. 8.*

Reſpondetur primo eſſe ſolum neceſſitatem præcepti.

Vaſquez. Suarez. Bellarm. Valentia. Maldonat. Tolet. Salmeron.

Secundò poteſt obijci ad probandum, Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate medij, ſaltem ad perſeuerandum in gratia, quia Euchariſtia eſt cibus ſpiritualis animæ: ergo ſicut ſine cibo corporeo impoſſibile eſt, diu conſeruari vitam naturalem: ſic erit impoſſibile, ſine hoc cibo conſeruari vitam animæ. Quam neceſſitatem ſatis apertè indicat Cyrillus *lib. 3. in Ioan. c. 37. & lib. 4. c. 10.* in illis verbis: *Vt diſcerent, ſi mortem effugere vellent, neceſſe eſſe de illo pane participare.* Eodem modo loquitur Cyprianus *de oratione Dominica*, ſuper illa verba, *Panem noſtrum*, &c. Iſidorus *lib. de Officiis Eccleſiaſt. cap. de ſacrificio*, & inſinuatur in Concilio Cabilonenſi 2. *cap. 46.* 47.

Obiectio ſecunda ex comparatione cibi naturalis.

Cyrillus. Cyprian. Iſidor.

Reſpondetur, diſcrimen hoc eſſe à cibo naturali, quod ille eſt vnicum medium ad reparandam vitam naturalem: at verò vita ſpiritualis, quæ conſiſtit in gratia iuſtificante, poteſt aliter obtineri, nempe per bona opera, & per alia etiam Sacramenta. Cæterum adhuc fatendum eſt, dari aliquam neceſſitatem moralem Euchariſtiæ: dum enim aliquis ex incuria, & negligentia omittit hunc cibum, verendum meritò eſt, ne Deus illi ſubtrahat auxilia congrua ad operandum, vtpote ſcienti, & habenti media opportuna, & illorum vſum negligenti, quam neceſſitatem moralem indicarunt prædicti Patres, non aliam. 48. *Reſponſio.*

Tertiò obijci poteſt, quod huic Sacramento tribuatur reſurrectio glorioſa corporum ex verbis Chriſti: *Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*; adeo vt Cyril. *lib. 10. in Ioan. c. 13.* loquens de hoc Sacramento, dicat: *Non potuiſſe aliter corruptibilem hanc naturam corporis ad incorruptibilem vitam traduci, niſi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur*; quem loquendi modum habet etiam *lib. 4. c. 16.* Item Ignatius, Chryſoſtomus, Gregor. Nyſſen. Cyprian. Tertul. Irenæus relati à Suarez *infra diſp. 64. ſect. 2.* Imo ob hanc cauſam in Concilio Niceno vocatur hoc Sacramentum *ſymbolum reſurrectionis*; ergo ſaltem eſt medium neceſſarium ad beatitudinem corporis. 49. *Tertia obiectio.*

Cyrillus. Suarez.

Reſpondetur, reſurrectionem corporum tribui Euchariſtiæ peculiariter, non ſolum quia dat gratiam, quæ habet ius ad reſurrectionem corporum; ſed etiam magis ſpecialiter, quia præſeruando à peccatis, facit vt ſequatur corona. & quia propter vnionem cum carne Chriſti dat peculiarem titulum noſtræ carni ad reſurgendum: de quo infra agendo de effectibus Euchariſtiæ. Cæterum non eſt 50. *Reſponſio. Quomodo reſurrectio corporū tribuatur Euchariſtiæ.*

eſt medium neceſſarium ad reſurrectionem, cum etiam pueri, qui non accipiunt Euchariſtiam, reſurrecturi ſunt: vocatur tamen à Patribus aliquando medium neceſſarium, non ſignificando neceſſitatem ſimpliciter, ſed maximam quandam congruentiam; vt interpretatur Suarez *d. diſp.* 64. & Vaſquez *infra diſp.* 104. *n.* 2.

51. *Quarta obiectio. Reſponſio.* Quartò obiicies: Sacramentum Euchariſtiæ antecedit reliqua omnia dignitate, & excellentia; ergo & debuit excedere neceſſitate. Negatur conſequentia; imo ideo, quia excellentius non debuit poni vt neceſſarium: debuit enim præſupponere ſubiectum gratum, vt dignius ſumeretur: & per conſequens non potuit eſſe neceſſarium ad primam gratiam: & ideo neque ad gloriam.

52. S. Thom. Vaſquez. *Declaratur mens S. Thom.* Reſtat vt breuiter declaremus mentem S. Thomæ in præſenti; quam ſanè difficilem eſſe fatetur Vaſq. *in præſenti n.* 27. Videtur enim ſentire, Euchariſtiam in re, vel in voto eſſe neceſſariam neceſſitate medij. Sed re vera nunquam dicit, Euchariſtiam ſecundum realem perceptionem eſſe medium neceſſarium; imo oppoſitum docet non ſolum *ſuprà q.* 65. *art.* 4. ſed etiam in præſenti in arg. *Sed contra*, & in corpore, ſupponens non habere neceſſitatem æqualem, Euchariſtiam, & Baptiſmum. Fatemur ergo cum S. Thoma. Euchariſtiam eſſe medium neceſſarium in voto, vt ſuprà dictum eſt: quod etiam de obſeruatione præceptorum dici poteſt. Addi etiam poteſt, ex mente S. Thomæ votum Euchariſtiæ diuerſo modo includi in Baptiſmo, ſcilicet vt finem, ad quem omnia Sacramenta ordinantur, & ideo ſicut finis cauſat in intentione, quia eius intentio præſupponitur ante electionem medij: ſic etiam amor, ſeu intentio Euchariſtiæ videtur præſupponi ad electionem Baptiſmi: & per conſequens in genere cauſæ finalis implicitè amatæ, Euchariſtia videtur cauſare gratiam, quam dat Baptiſmus: ex quo etiam fit, Euchariſtiam eſſe neceſſariam ad conſummationem vitæ ſpiritualis, vt loquitur S. Thomas, hoc eſt, ad conſequendum effectum Euchariſtiæ, ad quem, vt ad finem ordinantur alia omnia Sacramenta. Cæterum cum his omnibus ſtat bene, ipſam Euchariſtiam in re, vel in voto non eſſe medium neceſſarium ad ſalutem, ſicut eſt Baptiſmus, vel Pœnitentia.

DISPVTATIO IV.

De Materia remota Euchariſtiæ.

Sectio I. *Quæ ſit materia Euchariſtiæ.*
Sectio II. *An vinum prærequiratur ad Euchariſtiam mixtum cum aqua.*
Sectio III. *Vtrum aqua vino admixta conuertatur immediatè in ſanguinem Chriſti.*
Sectio IV. *Argumenta contra noſtram ſententiam, & eorum ſolutiones.*
Sectio V. *Dubium incidens, an gutta aquæ in calicem miſſa poſt inchoata verba conſecrationis, conuerteretur in ſanguinem Chriſti.*
Sectio VI. *Vtrum materia conſecranda habeat terminum maximum, vel minimum.*
Sectio VII. *Vtrùm materia conſecrabilis debeat eſſe præſens, & determinata?*

Mitto art. 4. 5. & 6. quæſt. 73. in quibus agitur de nominibus, de figuris, & de tempore inſtitutionis Euchariſtiæ: hæc enim magis pertinent ad hiſtoriam, quàm ad diſputationem ſcholaſticam; in illiſque latè, & eruditè laborarunt recentiores, præſertim Suarez, & Vaſquez.

SECTIO I.

Quæ ſit materia Euchariſtiæ.

Sermo eſt de materia remota, de qua agit S. Thomas per totam quæſt. 74. cuius doctrina partim moralis eſt, partim ſcholaſtica: illa facilis, hæc paulò difficilior: illam breuiter trademus, hanc accuratiùs diſputabimus. Nunc igitur breuiter ſupponendum, materiam remotam Euchariſtiæ omnino neceſſariam, eſſe panem, & vinum; de quo S. Thom. *art.* 1. 3. 4. & 5. & probatur de fide ex Chriſti inſtitutione, & ex Conciliis Florentino, Tridentino, Lateranenſi, VVormarienſi, Altiſiodorenſi, Matiſconenſi, relatis à Suarez *in præſenti diſp.* 45. *ſect.* 1. & *ex Canone* 32. *Trullano poſt* 6. *Synodum*: & ex cap. *Cum Martha*, de celebratione Miſſarum, & aliis multis. 1. *Hic ſermo eſt de materia remota.*

Prima difficultas.

Pro huius veritatis maioris explicatione, poſſunt aliqua dubitari. Primò, qualis debeat eſſe panis conſecrandus? Ratio dubitandi eſt, quia ex multis granis ſolet fieri panis; & è contra ex tritico poſſunt fieri plura mixta, de quibus poteſt dubitari, an ſint materia apta conſecrationi? Et licet aliqui ſenſerint, panem ex quolibet grano frumentaceo ſufficere, vt ex hordeo, milio, &c. cæterum vix poteſt iam de hoc dubitari poſt Florentinum, vt expreſsè dicitur, materiam huius Sacramenti eſſe panem triticeum, & vinum ex vite. Ille ergo ſolus panis conſecrabilis erit, qui ex tritico confectus fuerit. 2. *Prima difficultas. Qualis debeat eſſe panis ille.*

Hinc ſequitur primò, panem ex hordeo, cicere, milio, oriza, & ſimilibus, non ſufficere; item nec ex ſiliquis, neque ex eruiliis, neque ex maicio, &c. poſſe tamen ex farre, ſeu ſiligine, ſi ſignificet, quod Hiſpanicè, *Candeal*, Italicè, *granogentile, e biance*: nam voces Latinæ ambiguæ ſunt, & magis notæ voces vulgares. Difficultas eſt de ſecali, Italicè, *Segala*, Hiſpanicè *Centeno*: quidam affirmant, eſſe ſufficientem materiam, pro quibus videtur ſtare S. Thomas *art.* 5. Alij negant, quos ſequitur Vaſquez, Suarez vero dicit, eſſe materiam valdè dubiam. 3. *Corollaria quædam. Primum.*

Sequitur ſecundo, panem debere eſſe ex farina triticea, & aqua naturali coagmentatum, alioquin ſi fiat ex aqua roſacea, lacte, oleo, vel alio liquore prædominante, non ſufficiet, quia non eſt panis vſualis. & multo minus, ſi miſceatur butyro, ouis, ſaccharo, & ſimilibus. Hæc eſt partim contra Caietanum, quem ſequuntur aliqui recentiores, dicentes panem ex lacte, vel aqua artificiali eſſe veram materiam; quia aqua ſolum requiritur ad vniendas partes farinæ. Cæterum mihi videtur ad minus illa eſſe materia valdè dubia. Vnde etiam infertur, quid dicendum ſit ad dubium nuper exortum de quodam Sacerdote, qui ad occultandum finem ſacrilegum, voluit conſecrare hoſtiam quandam ex illis, quibus ſolemus litteras ſigillare, admixtam ſcilicet cum cinnabrio, vt fieri ſolet; quæ quidem ad minus eſt materia dubia, & meo iudicio inualida; quia per illam mixtionem alteratur notabiliter, & extrahitur à pane vſuali. 4. *Secundum corollarium.*

Sequitur tertio, maſſam crudam, ſeu oleo, aut butyro frixam, vel aqua elixam, non eſſe ſufficientem materiam, ſed debere eſſe ſolo igne aſſam, vel toctam: ideo lagana, pultes non ſunt materia 5. *Tertium corollarium.*

apta;

apta. Peres; quid ſi mica panis madefiat, & digitis compreſſa reducatur ad maſſam? Reſpondeo, adhuc eſſe materiam; non enim amiſit conſecrationem, alioquin quando hoſtia manditur, & in ore madefit, amitteret accidentia panis, & per conſequens conſecrationem.

6. *Quartum corollarium.* Sequitur quartò, quid dicendum ſit de pane confecto ex amydo, de quo Paludan. & aliqui docti recentiores cenſent, eſſe validam materiam: nam verè continet adipem farinæ. Cæterum S. Thomas, quem ſequitur communis Theologorum ſententia, negat, & meritò; quia quidquid ſit, an fiat ex vero tritico, an potius ex tritico prius corrupto per diuturnam madefactionem: cæterum ille non eſt panis vſualis, nec retinet ſaporem communem panis, ſed alium valde diuerſum. Quod in vniuerſum eſt obſeruandum ad huiuſmodi quæſtiones: non tam debere attendi vnitatem, vel diuerſitatem ſpecificam materiæ, quam ſi iuxta communem vſum reputatur pro pane talis materia, necne.

Secunda difficultas.

7. *Secunda diff. de pane azymo.* Secundò poteſt dubitari, an panis debeat neceſſario eſſe azymus? Reſpondetur breuiter cum S. Thoma, & communi, ad valorem Sacramenti ſufficere azymum, vel fermentatum: de neceſſitate tamen præcepti in Eccleſia Latina conſecrari in azymo, in Græca in fermentato, licet congruentior ſit vſus Eccleſiæ Latinæ, eo præcipuè, quod Chriſtus Dominus in azymo creditur conſecraſſe: quorum latior probatio, quia ad hiſtoriam pertinet, petenda eſt ex Recentioribus in præſenti.

Tertia difficultas.

8. *Tertia difficultas de vino. Infertur primo.* Tertiò poteſt dubitari, quale debeat eſſe vinum conſecrandum? Et quidem conſtat ex Florentino & aliis, neceſſariam materiam eſſe vinum vitis? Ex quo fit vinum granatorum, pomorum, radicum, &c. non ſufficere, ſed requiri omnino vinum ex vuis. Item non ſufficere alios liquores, qui ex vuis fieri poſſunt, niſi fiat vere vinum. Ex quo infertur primo, non ſufficere aggreſtam, ſapam, acetum: quia licet hæc omnia ex vuis fiant, non tamen ſunt vere vinum, ſed aliquid antecedens, vel conſequens formam vini.

9. *Secundo.* Infertur ſecundo, loram non eſſe materiam validam, quia non eſt vinum, ſed aquam infuſam in racemis expreſſis, ſeu in acinis. Maius eſt dubium de muſto: aliqui enim recentiores valde dubitant de eius valore: quia nec videtur ſimpliciter vinum, nec habere vini proprietates. Contraria tamen ſententia eſt communis omnium Theologorum, & habet pro ſe Iulium Pontificem in c. *Cum omne*, de conſecratione *d.*2. id permittentem in caſu neceſſitatis. Poteſtque confirmari ex modo loquendi Scripturæ, vbi vinum aliquando appellatur muſtum. *Muſto pleni ſunt iſti. Act.*2. & è contra muſtum appellatur vinum Luc. 5. *Nemo mittit vinum nouum in vtrem veterem.* Ierem. 48. *Et vinum de torcularibus ſuſtuli.* Nec videtur eſſe diſſimilitudo in dulcedine, colore, &c. niſi ſecundum magis, & minus.

10. *Tertio. Muſtum in vua non poteſt conſecrari.* Infertur tertio, muſtum in vuis adhuc incluſum non poſſe valide conſecrari. Hæc eſt communis: & probatur Vaſquez *diſp.*7 5. *n.*1 4. Nam licet non differant ſpecie liquor expreſſus, & in granis exiſtens (prout volebat Sotus) quia ſine vlla mutatione ſubſtantiali per ſolam vuæ diuiſionem fluit liquor ibi exiſtens: cæterum muſtum granis incluſum, non eſt pro tunc potus, ſed cibus per ſe loquendo: & ideo pro tunc non poteſt ſignificare Chriſti ſanguinem per modum potus ſpiritualis. Verum hæc ratio non videtur ſatis efficax: quia ſi ſpeciebus vini conſecrati madefiat offa panis, tunc ſpecies vini incluſæ in pane ſunt per modum cibi, & non per modum potus: & tamen proculdubio retinerent conſecrationem, dum retinent diſpoſitiones ad formam vini: ergo licet muſtum in granis ſit per modum cibi, adhuc retinet diſpoſitiones ſufficientes ad conſecrationem. Finge enim, guttam muſti conſecratam extra granum, poſtea immitti iterum in granum, & iterum claudi vuam, nonne retinebit conſecrationem illa gutta, etiamſi ſit per modum cibi? *Ratio Vaſquez non videtur efficax.*

11. *Melius probatur.* Aliter ergo probandum videtur, muſtum intra granum non poſſe conſecrari; ſcilicet ex eo, quod non poteſt ſufficienter deſignari, dum continetur in vua ipſe liquor præciſè per pronomen *hic*, cum dicitur, *hic eſt ſanguis*: nam, vt infra videbimus, illud Pronomen debet deſignare ſubſtantiam, cuius ſunt illa accidentia externa ſenſibilia; cum autem accidentia externa vuæ non ſint ſolum liquoris, ſed multo magis ipſius vuæ, non poteſt deſignari ſolus liquor per Pronomen *hic*.

12. *Nec vinum imbibitum in offa panis.* Ex quo etiam fit conſequenter, ſi vinum eſſet imbibitum in offa panis, non poſſe tunc conſecrari, licèt poſſit antea conſecratum retinere tunc conſecrationem: ratio autem diſcriminis eſt, quod tempore conſecrationis debet deſignari per Pronomen, *hic*; dum autem continetur intra micam panis, non bene deſignaretur; illud enim non ſolum eſt vinum, ſed etiam panis: at verò ſemel conſecratæ ſpecies poſſunt retinere Chriſti ſanguinem; quia ad hoc non eſt neceſſe, quod poſſint deſignari per illud Pronomen.

13. *Infertur quarto poſſe conſecrari vinum congelatum.* Hinc etiam infertur quarto, quid dicendum ſit de vino congelato: nam licet aliqui negent, eſſe materiam conſecrationis, & alij addant, per congelationem deſinere ibi eſſe ſanguinem Chriſti, quia iam non habet rationem potus. Verius tamen eſt, conſeruari ſanguinem Chriſti in ſpeciebus congelatis, iuxta communem ſententiam, quam approbat Miſſale Romanum, præcipiens, illas ſpecies liquefieri, & ſumi à ſacerdote vt conſecratas; quia reuera vinum per congelationem non amittit formam vini, cum poſt liquefactionem maneat vinum, ſicut antea. Ex quo fit, poſſe etiam conſecrari valide, dum congelatæ ſunt: neque obſtat, prout ſic non eſſe potum liquidum: quia licet non ſint potus facilis, eſt tamen ſimpliciter potus: poſſunt enim potari, ſi prius vel alio medio, vel ſaltem ipſius oris calore diſſoluantur: ſicut etiam nuces ſunt ſimpliciter cibus, licet neceſſe ſit eas prius confringere, vt poſſint manducari. Imò in rigore etiam vinum congelatum, ſi paulatim deglutiatur, potatur, nec ſoluit ieiunium, ſiue paulatim, ſiue ſimul totum deglutiatur: quia ſemper habetur vt potus.

14. *Inſtabis.* Dices: aqua congelata non eſt materia valida Baptiſmi: ergo nec vinum congelatum eſt materia valida Euchariſtiæ: cum tam requiratur vinum ad Euchariſtiam, quàm aqua ad Baptiſmum. *Reſpondeo.* Negatur conſequentia: & ratio diſcriminis eſt, quod Baptiſmus non ſolum poſtulat aquam, ſed ablutionem: aqua vero congelata, dum congelata eſt, non poteſt abluere. Euchariſtia autem non conſiſtit in vſu, vt ſuprà vidimus: quare, manentibus ſpeciebus vini etiam congelatis, poteſt dari Sacramentum: quia tunc etiam poſſet dari vinum ſimpliciter loquendo.

15. *Dubitatur quarto.* Quarto poteſt dubitari, vtrum vtraque materia panis, & vini ſit neceſſaria: an vero poſſit vna ſine alia conſecrari? Cæterum reſolutio huius quæſtionis

pertinet

pertinet *ad diſput.* 19. vbi agemus de eſſentia huius ſacrificij. Reſtabat, quid dicendum ſit, quando materia Euchariſtiæ miſcetur cum aliena materia; vt ſi farinæ tritici miſceatur cum farina hordeacea, vel vinum cum aqua? De hoc tamen conſtabit ex dicendis *ſect.* 3.

SECTIO II.

An vinum prærequiratur ad Euchariſtiam mixtum cum aqua?

16. DE hoc agit S. Thom. *art.* 6. 7. & 8. cum quo ſupponendum in primis eſt, Eccleſiam ab ipſo exordio vniuerſaliter obſeruaſſe conſuetudinem mittendi aquam in calicem conſecrandum; vt habetur in Tridentino *ſeſſ.* 22. *c.* 7. & ex innumeris Conciliis, & Patribus probat latè Suarez *diſput.* 45. *ſect.* 2. Vaſquez *diſp.* 176. c. 1. & Bellarm. *lib.* 4. *de Euchar. c.* 10. vbi affert nominatim plures Patres Belgas, Anglos, Germanos, & ex aliis frigidiſſimis prouinciis, vt appareat mendacium Hæreticorum noſtri temporis, qui dicunt, mixtionem aquæ receptam fuiſſe ſolùm in prouinciis calidis, vt morem communem patriæ ſeruarent.

17. *Rationes huius mixtionis.* Rationes autem huius mixtionis plures afferuntur. Prima eſt ſignificatio ſanguinis, & aquæ, quæ de Chriſti latere fluxerunt. Secunda, ad ſignificandam vnionem Eccleſiæ per aquam ſignificatæ cum Chriſto. Tertia, ad ſignificandam duplicem Chriſti naturam, Diuinam, & humanam. Quarta, quia Chriſtus in Cœna ita feciſſe creditur, vt ex liturgiis antiquis, & Patrum teſtimoniis probant latè, & optimè prædicti Auctores.

Prima difficultas.

18. *Hæc mixtio eſt tantum de neceſſitate præcepti.* Hoc ſuppoſito, dubitatur primò, an hæc mixtio, ſit de neceſſitate Sacramenti, an ſolùm de neceſſitate præcepti? Concluſio certa, & communis eſt, ſolùm eſſe de neceſſitate præcepti, contra Armacanum *lib.* 9. *de quæſtionibus Armenorum, cap.* 9. & ſignificatur ſatis à Conciliis, & Pontificibus. Dum enim de hac mixtione loquuntur, nullam indicant neceſſitatem eſſentialem, ſed ſolùm dicunt, hanc conſuetudinem eſſe ſeruandam; vt ex ipſorum verbis ponderat Suarez *vbi ſuprà ſect.* 1. *Ratio concluſionis.* Ratione etiam probatur, quia licèt Chriſtus Dominus in vino lymphato conſecrauerit, non tamen intendit omnes circumſtantias illius conſecrationis facere neceſſarias; alioqnin etiam panis azymus, & vinum fortaſſe rubrum, & alia huiuſmodi eſſent de neceſſitate Sacramenti, quia Chriſtus illis tunc vſus eſt. *Quæ pertineant ad ſubſtantiam Sacramenti.* Dicendum ergo eſt, ad ſubſtantiam Sacramenti ſolùm pertinere ea, ſine quibus ſubſtantialiter variatur illa Chriſti conſecratio, vtpote panis, & vinum; quòd autem ſit hic, vel ille panis, hoc, vel illud vinum, non variat ſubſtantiam Sacramenti. *Regula ad dignoſcendum quæ circumſtantia ſit eſſentialis, petitur ex differentia morali.* Regula verò ad dignoſcendum, quæ circumſtantia fuerit eſſentialis, & quæ accidentalis, non eſt ſumenda ex differentia phyſica rerum, ſed ex differentia ſubſtantiali morali; nam licèt phyſicè loquendo differant fortè ſpecie vinum album, & rubrum; moraliter tamen loquendo eſt circumſtantia accidentalis reſpectu potationis; vtraque enim eſt, moraliter loquendo, potatio eiuſdem rationis, ſicut panis azymus, & fermentatus reputantur moraliter pro eodem. Sic etiam vinum purum, & lymphatum communiter reputantur pro potu eiuſdem rationis, & ita qui bibunt vinum lymphatum ſemper dicuntur ſimpliciter bibere vinum; ergo licèt Chriſtus vſus fuerit vino lymphato, valida erit conſecratio in vino puro, quia moraliter non mutat ſubſtantiam materiæ, qua vſus eſt Chriſtus.

19. *Cyprianus. Obijcitur verba Cypriani.* Contra hanc concluſionem ſunt difficilia verba Cypriani *Epiſt.* 63. *ad Cæcilium*, vbi ſic ait: *In ſacrificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt: nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine Chriſto,* (hoc eſt, ſine Chriſtiano populo, vt exponit Pamelius, & ſignificauit Iulius Pontifex infra citandus) *quando autem vtrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi inuicem copulatur, tunc Sacramentum ſpirituale, & cœleſte perficitur. Sic verò calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi vtrumque ſibi miſceatur; quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi vtrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis vnius compage ſolidatum.* Hæc Cyprianus, vbi æquiparare videtur neceſſitatem aquæ, cum neceſſitate vini, & neceſſitatem mixtionis aquæ cum vino ad calicem, cum neceſſitate mixtionis farinæ, & aquæ ad corpus; quam conſtat eſſe de neceſſitate Sacramenti; quem arguendi modum deſumpſiſſe videtur Iulius Primus *Iulius I.* in *c. cùm omne crimen*, de conſecrat. *d.* 2. vbi ſic ait: *Quæ copulatio, & coniunctio aquæ, & vini ſic miſcetur in calice Domini, vt mixtio illa non poſſit ſeparari; nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti eſſe incipit ſine nobis: ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto.* Ex quibus Cypriani, & Iulij verbis hæc confici poteſt ratio; aquæ admixtio ſignificat non ſolùm aquam, quæ exiuit de Chriſti latere, ſed etiam vnionem Eccleſiæ cum Chriſto; ergo, ablata aqua, non manet hæc ſignificatio; ergo non manebit Sacramentum cum eadem ſignificatione: & per conſequens non erit idem Sacramentum.

20. *Dupliciter explicantur illa verba.* Reſpondetur, verba Cypriani, & Iulij poſſe dupliciter explicari. Prima explicatio eſt S. Thomæ *in præſenti art.* 7. quòd ſolùm loquantur de neceſſitate præcepti; nec enim comparatio cùm neceſſitate vini debet tenere in omnibus: comparantur quidem aqua, & vinum quoad neceſſitatem, non tamen quoad gradum neceſſitatis: quæ interpretatio non videtur contra mentem eorũ; nam ipſemet Cyprianus relatus à S. Thoma ibidem in argumento *ſed contra*, dixit: ſi qui fortè aquam non miſcuiſſent in calice, ignoſcendum eis eſſe, quod ex ſimplicitate fecerint: quod quidem non diceret, ſi putaret, eſſe de neceſſitate Sacramenti. *S. Thom.* Secundò, alij dicunt, Cyprianum in illa Epiſtola agere contra hæreticos Aquarios, qui vinum non ponebant in calice: & ideo totus eſt in probanda neceſſitate vini, quam ex neceſſitate aquæ, quam ipſi admittebant, colligere contendit: quare cùm quæſtio tunc non eſſet de aqua, non curauit explicare, qualiter eſſet neceſſaria, ſed potiùs ad propoſitum non renuit admittere neceſſitatem eſſentialem aquæ, quia de hoc non controuertebatur, dummodo probet intentum, ſcilicet vinum etiam neceſſarium eſſe.

21. *Reſpondetur ad rationem illam, aquam lateris Chriſti non eſſe de eſſentia Sacramenti.* Ad rationem verò reſpondetur, ſignificationem aquæ ex latere Chriſti non eſſe de eſſentia Euchariſtiæ: Euchariſtia enim ſolùm eſt corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus ſignificans cibum, & potum animæ, &c. Quod vero attinet ad vnionem Eccleſiæ cum Chriſto, quæ fit per Euchariſtiam, hæc etiam magis videtur ſpectare ad Sacramentum. Cæterùm in primis hæc etiam vnio animæ cum Chriſto ſignificatur per ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus vini: nam eo ipſo, quod ſit potus, ſignificat gratiam qua anima vnitur Chriſto tanquam alimento ſpirituali; licet hæc etiam vnio amplius & alio titulo ſignificetur per mixtionem aquæ cum vino. Deinde addi poteſt, illam mixtionem aquæ non habere hanc ſignificationem perpetuam ex inſtitutione Chriſti,

ſed

ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, iuxta communem opinionem, de qua ſtatim, & per conſequens illam non eſſe ſignificationem Sacramentalem.

Secunda difficultas.

22. *Dubitatur vtrum hæc mixtio ſit ex præcepto diuino.* Valentia. *Communiter negatur.* Suarez. Vaſquez. *Probat Suarez.*

Secundò ergo dubitatur, an hæc mixtio aquæ ſit neceſſaria ex præcepto Diuino, an ſolum præcepto Eccleſiaſtico. Non pauci ſentiunt eſſe de præcepto Diuino, quos ſequitur Valentia *in præſenti diſp. 6. q. 1. punct. 1.* & aliqui recentiores. Communis tamen, & probabilior ſententia docet, eſſe ſolùm præceptum humanum, quam poſt alios ſequuntur Suarez *ſect. 2.* & Vaſquez *diſp. 177. c. 1.* Probant Suarez, & alij; quia ſi hæc mixtio eſſet ex præcepto Chriſti, vix poſſet Eccleſia dignoſcere illam neceſſitatem à neceſſitate Sacramenti. Cur enim non requireretur ad valorem Sacramenti illud, ſine quo Chriſtus noluit Sacramentum confici? Reſpondent recentiores, hanc Chriſti voluntatem exigentis aquam de præcepto, non tamen vt eſſentialem, manifeſtam fuiſſe Eccleſiæ, ex ipſius Chriſti doctrina, à quo per Apoſtolos tradita fuit. Sed contra hoc eſt, quia ſi aliquid probant verba Patrum, quæ ipſi afferunt ad probandum Chriſti præceptum, probant, non ex mera traditione, ſed ex ipſis verbis Chriſti, quæ in Euangelio habentur, colligi à Patribus, vt mox videbimus. Hoc autem nec Aduerſarij concedunt propter abſurda, quæ indicabimus.

Reijcitur hæc ratio.

23. Alexand. I. *Secundò probatur ex Alexand. Papa.*

Secundò probari poteſt hæc ſententia ex Alexandro Papa primo *Epiſt. 1. c. 4.* vbi ſic ait: *Non enim debet, vt à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet, in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſolum offerri.* Ecce non à Chriſto, ſed à Patribus, dicit hunc morem acceptum. Verum hoc non eſt ſatis efficax; nam etiam de adhibendo vino eodem modo loquitur: & tamen conſtat, hoc eſſe Chriſti Domini præceptum. Melius probatur ex Eugenio IV. in Concilio Florentino, vbi Armenos reprehendit, quod relinquentes hanc mixtionem, ab vniuerſæ Eccleſiæ obſeruantia diſcreparent. Quod ſi hoc eſſet præceptum Diuinum, non omitteret Pontifex hanc grauiorem cauſam reprehenſionis. Clarius loquitur Trident. ſeſſ. 22 cap. 7. *Monet*, inquit, *ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſceant.* Nec obſtat dicere, Tridentinum dixiſſe vnum, & non negaſſe aliud: quia ex modo dicendi ſatis videtur negari, ineptum enim eſſet dicere, quod in vino, & non in oleo conſecrarent, quia ſic ab Eccleſia præceptum eſt; cum tamen hoc etiam à Chriſto ſit inſtitutum. A quo verò tempore cœperit hoc præceptum, verius videtur, ab ipſis Apoſtolis cœpiſſe, tum quia nullum agnoſcitur exordium: tum quia id indicat Alexander ſupra, & Patres ſtatim afferendi.

Eugen. IV. *Melius probatur ex Eugenio.* Conc. Trid. *Clarius loquitur Trid.* *Hoc præceptum cœpit ab ipſis Apoſtolis.*

24. *Obijciuntur quædam loca Conc. & PP.* Cyprian.

Contra hanc ſententiam afferunt recentiores plura loca Conciliorum & Patrum, ad probandum hoc eſſe præceptum Diuinum. In primis Cyprianus *illa Epiſt. 63.* vbi hanc mixtionem vocat *Dominicam traditionem*; & infrà: *Calicem verò docuerit exemplo magiſterij ſui, vini, & aquæ coniunctione miſceri.* Et infra: *Quod ſi à Domino præcipitur, & ab Apoſtolo eius hoc quidem confirmatur & traditur, vt quotieſcumque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus, quod fecit & Dominus, inuenimus non obſeruari à nobis, quod mandatum eſt, niſi eadem, quæ Dominus fecit: nos quoque faciamus, & calicem Domini pari ratione miſcentes à Diuino magiſterio non recedamus.* Hæc Cyprianus: vbi videtur illa verba Chriſti, *hoc facite in meam commemorationem*, referre etiam ad mixtionem aquæ, quæ præceſſerat. Quod etiam ſignificare videtur Iuſtinus *Apol. 2.* pro Chriſtianis ad Antoninum, circa finem: vbi poſtquam refert ritum celebrandi Euchariſtiam, mixtionem aquæ, conſecrationem, &c. addit: *Apoſtoli enim in commentarijs ſuis, quæ Euangelia dicuntur, ita ſibi Chriſtum præcepiſſe, tradiderunt.* Ergo ſentit, præceptum Chriſti ſupra mixtionem etiam cecidiſſe.

Iuſtin.

25. *Reſpondetur primo Iuſtino.*

Reſpondeo, Iuſtinum intelligere, præceptum eſſe ſubſtantiam illius ritus, quem enarrauerat, non verò ſingulas illius circumſtantias; alioquin etiam ritum communicandi laicos ſub vtraque ſpecie, quem præmiſerat, diceret eſſe præceptum à Chriſto Domino. Quod verò attinet ad Cyprianum, P. Vaſquez *vbi ſuprà n. 20.* ingenuè fatetur, eſſe pro contraria ſententia: ego tamen ægrè dabo aduerſariis Cypriani auctoritatem. Quare reſpondeo, eius mentem maximè colligendam ex intento illius Epiſtolæ, in qua, vt ſuprà dixi, totus eſt in confutando errore eorum, qui aquam ſolam conſecrabant, quos ſæpe docet præcepto Domini contrauenire: non quod Chriſtus iuſſerit aquam vino miſceri, ſed quod iuſſerit aquam ſine vino non conſecrari. Quare quoties dicit, miſtionem illam eſſe iuxta Chriſti præceptum, intelligi debet iuxta Cypriani mentem, hanc mixtionem eſſe ex Chriſti præcepto quoad illam partem non ponendi aquam puram; nam volenti ponere aquam, præcepit Chriſtus non ponere illam ſolam, ſed miſcere vinum: non vero quod prohibuerit ponere vinum purum. Ratio autem diſcriminis colligitur ex ipſa ratione, qua Cyprianus vtitur, ſcilicet ex verbis Chriſti, *hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba continent Chriſti præceptũ cadens ſupra illam actionem præcedentem; quare cum illa actio non maneat, quoad ſubſtantiam, eadem, ablato vino: maneat autem eadem vſualiter, ablata aqua, vt ſupradictum eſt; hinc fit, præceptum Chriſti bene probare neceſſitatem ponendi vinum, contra illos hæreticos; non verò neceſſitatem ponendi aquam, contra noſtram ſententiam.

Explicatur Cyprianus. *Ratio explicationis.*

26. *Confirmatur hæc explicatio hoc ſyllogiſmo.*

Confirmari autem poteſt hæc reſponſio hoc ſyllogiſmo: quia Cyprianus in tota illa *Epiſtola* 63. in qua latè probat neceſſitatem illam miſcendi vinum cum aqua, nunquam id ex traditione probauit, ſed ex ſacris Litteris, tum ex Teſtamento veteri, vbi ſub nomine vini figurabatur calix ille: tum præſertim ex Euangelio, & Paulo, à quibus factum Domini, & eius præceptũ refertur, ſcilicet illa verba: *Hoc facite, quotieſcumque biberitis*: ex quibus verbis, & ex facto Chriſti inſtituentis hoc Sacramentum, colligit illam obligationem. Certum eſt autem, non potuiſſe Cyprianum ex facto Chriſti, & ex illis verbis, *hoc facite*, &c. colligere obligationem apponendi aquam, ſed ſolùm obligationem non apponendi ſolum aquam, ſed vel vinum purum, vel modicè lymphatum: ergo Cyprianus non intendit colligere aliud Chriſti præceptum, niſi iſtud. Conſequentia videtur bona, probemus nunc ſingulas præmiſſas Syllogiſmi.

27. *Probatur vlterius ex contextu Epiſtolæ illius.*

Maior itaque, quòd non ex traditione, ſed ex verbis, & facto Chriſti in Scriptura contentis, obligationem, quam probare intendebat, colligat Cyprianus, probatur apertè ex contextu totius Epiſtolæ, in qua nullum argumentum ſumitur ex traditione non ſcripta, ſed omnia ex verbis Euangelij, & Pauli. Sic arguit primò circa medium Epiſtolæ ex illis Chriſti verbis: *Dico vobis: non bibam amodo ex iſta creatura vitis, vſque in diem illum*, &c. *Vnde apparet*, inquit, *ſanguinem Chriſti non offerri, ſi deſit vinum calici, nec Sacrificium Dominicum legitima ſanctificatione celebrari, niſi oblatio, & ſacrificium noſtrum reſponderit Paſſioni.* Nota, intentum Cypriani hoc vnum eſſe, quod non ſatisfacimus verbis, & inſtitutioni Chriſti

Cyprian.

ſti; *Si deſit vinum calici.* Secundò affert verba Pauli 1. *ad Cor.* 11. in quibus refertur idem factum Chriſti, & eius præceptum illis verbis contentum: *Hoc facite, quotieſcumque biberitis*, &c. vnde Cyprianus

Idem.

infert: *Quod ſi & à Domino præcipitur, & ab Apoſtolo eius hoc idem confirmatur, & traditur* (nota, nullum aliud præceptum Chriſti à Cypriano agnoſci, niſi quod in illis verbis ab Apoſtolo relatis continetur) *vt quotieſcumque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus, quod fecit & Dominus; inuenimus non obſeruari à nobis, quod mandatum eſt, niſi eadem, quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & calicem Domini pari ratione miſcentes à Diuino magiſterio non recedamus.* Vides mixtionis obligationem ex illo facto, & verbis Chriſti in Euangelio contentis colligi à Cypriano. Vnde poſt pauca ex eodem textu concludit iterum: *Miror ſatis, vnde hoc vſurpatum ſit, vt contra Euangelicam & Apoſtolicam diſciplinam quibuſdam in locis aqua offeratur in Dominico calice, quæ ſola Chriſti ſanguinem non poſſit exprimere.* Denique poſtea longè, poſt medium Epiſtolæ iterum ex eodem præcepto, & facto Chriſti probat eandem obligationem: *Nam ſi Ieſus Chriſtus*, inquit, *Dominus, & Deus noſter ipſe ſummus Sacerdos Dei Patris, & ſacrificium Patri ſe ipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit, vtique ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id, quod Chriſtus fecit, imitatur, & ſacrificium verum, & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Non ergo aliam obligationem à Chriſto impoſitam agnoſcit, niſi quæ ex illis Chriſti verbis colligitur, ſcilicet faciendi id, quod requiritur ad verè imitandum factum Chriſti.

18\. *Probatur minor prioris ſyllogiſmi. Similiter colligeretur conſecrandum eſſe in pane azymo.*

Nunc iam probemus minorem illius ſyllogiſmi, ſcilicet ex illis verbis, ex facto Chriſti non potuiſſe colligi obligationem apponendi aquam; quod quidem facillè demonſtrari poteſt, quia ſi ex facto Chriſti, & ex illis verbis talis obligatio colligi potuiſſet, deberet etiam ex eiſdem verbis, & facto Chriſti colligi obligatio conſecrandi ſemper in ſolo pane azymo: nam ſicut Chriſtus vſus eſt vino lymphato, vſus etiam fuit pane azymo, & ſicut poſt conſecrationem calicis mihi dixit: *Hoc facite*, &c. ſic etiam dixit poſt conſecrationem azymi. Ergo ſicut colligebant obligationem imitandi factum Chriſti in circumſtantia mixtionis, ſic debeat colligi obligatio imitandi in circumſtantia puritatis à fermento. Sicut enim accidit pani, eſſe purum à fermento, ſeu mixtum fermento: ſic accidit vino, eſſe purum, vel mixtum aquæ. Si ergo circumſtantia mixtionis in vino erat imitanda ex obligatione propter factum, & verba Chriſti præcipientis, *hoc facite*; propter eandem rationem imitanda eſſet ex obligatione circumſtantia puritatis in pane; cum contrariorum eadem ſit ratio. Certum eſt autem, non eſſe obligationem ex præcepto Diuino conſecrandi in azymo: ergo neque erit talis obligatio ex præcepto illo Chriſti conſecrandi in vino fermentato, (vt ita dicam) & mixto.

29\. *Ratio à priori eſt, quia Chriſtus ſolum præcepit ponere ſubſtantiam actionis.*

Ratio autem à priori eſt, quia, vt diximus, Chriſtus illis verbis *hoc facite*, &c. ſolum præcepit facere actionem, quæ ſecundum ſubſtantiam imitaretur factum ipſius Chriſti, non verò ſecundum omnes circumſtantias accidentales. Vnde ſicut Eccleſia intellexit, azymum, aut fermentatum eſſe circumſtantiam ſolum accidentalem, quia vterque eſt panis verus, & vſualis, ſiue ſit purus, & azymus, ſiue ſit mixtus, & fermentatus; ſic intellexit, in vino eſſe circumſtantias accidentales, eſſe purum, vel modice lymphatum, cum vtrumque ſit vinum vſuale, nec differat in ſubſtantia potus vini puri à potu vini modice lymphati. Cæterum ſicut propter imitationem magis exactam, & propter myſterium Eccleſia Latina præcepit conſecrationem in azymo: ſic propter eandem imitationem, & propter myſterium Eccleſia vniuerſalis præcepit conſecrationem in vino non puro, ſed lymphato. Et certè in ordine ad cibum, & potum humanum negari non poteſt, quin multò plus differant panis azymus, & panis fermentatus quoad ſaporem, & alias qualitates, quam vinum purum, & vinum, cui admiſcetur minutiſſima ſola aquæ guttula, quale eſt illud, quod communiter conſecratur; quod quidem humano modo loquendo non ſolùm eſt vinum, ſed eſt vinum purum: nemo enim dicet, mentiri eum, qui affirmat ſe bibiſſe vinum purum, quando in vas vini guttula aquæ ex alio vaſe diſtillauerat. Quare ſi ex verbis, & facto Chriſti præceptum oriretur imitandi Chriſtum in circumſtantia etiam illa conſecrandi vinum non purum, plus fortaſsè aquæ miſcendum eſſet, quàm communiter fiat, vt humano modo vinum non purum, ſed lymphatum diceretur. De facto tamen, quia illa circumſtantia non oritur ex præcepto Chriſti, ſed Eccleſiæ, non multum curatur de mixtione humana, dummodo aliquid veræ aquæ infundatur, quod ſufficit ad myſterium, & aliunde illud poculum ſemper manet quoad ſubſtantiam eiuſdem rationis cum eo, quod Chriſtus conſecrauit.

Ratio cur hanc mixtionem præcepit Eccleſia.

30\. *Ex his omnibus colligitur ſenſus Cypriani.*

Ex quibus omnibus conſtat iam, Cyprianum quando dicit, mixtionem eſſe ex Diuino Chriſti præcepto, intelligendum eſſe in ſenſu, quem diximus, ſcilicet quòd aqua non offeratur pura, ſed mixta vino; debet enim intelligi iuxta ſubiectam materiam. Nam quæſtio erat, an poſſet aqua pura conſecrari, vel deberet eſſe omnino mixta vino. Quare tutus eſt in probando, debere eſſe mixtam vino ex Chriſti præcepto, & eiuſmodi mixtionem non poſſe prætermitti abſque violatione Diuini præcepti, ſcilicet mixtionem, per quam auferatur puritas aquæ, de qua erat controuerſia, quod colligitur clare ex rationibus, quibus id probat, nempe quia abſque ea mixtione non imitamur factum Chriſti, nec facimus, quod ille præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem*, &c. Quæ omnia, vt vidimus, ſolum probant de excluſione aquæ puræ, cum certum ſit etiam ſecundum Aduerſarios, præcisè ex facto, & verbis Chriſti non induci obligationem adhibendi aquam, cum poſſimus illud præceptum obſeruare, & imitari ſufficienter illud factum conſecrando vinum purum, vt probatum eſt. Nec video, cur P. Vaſquez, qui aliorum Patrum, & Conciliorum verba in hoc ſenſu interpretatur, non velit Cyprianum in eodem ſenſu loquutum: nam ſi bene attendatur ad contextum totius Epiſtolæ, clarius fortaſſe conſtabit hic ſenſus in Cypriano, quam in aliis, in quibus verba difficiliora inueniuntur.

31\. *Secunda obiectio.*

Concil. Carthag. III. Conc. Afric. Conc. Aurel. Conc. VVorm. 6 Syn. gen.

Secundò obiiciunt auctoritatem Concilij Carthag. III. c. 24. Concilij Africani c. 4. Aurelianenſis IV. *cap.* 4. VVormatienſis *cap.* 4. ſextæ Synodi generalis *in Canone Trullano* 32. quibus prohibetur in altari offerre, niſi quod Dominus tradidit, & inſtituit, ſcilicet panem, & vinum aqua mixtum: *Quia ſacrilegium iudicatur aliud offerri, quam quod mandatis ſacratiſſimis Saluator inſtituit.* Reſpondetur, prædicta Concilia appellare præceptum Domini, quod ponatur vinum aquæ mixtum, ita vt ſine violatione illius præcepti non poſſit aliud poni loco vini, nempe lac, vel mel, vt alicubi fiebat: non vero quod violetur præceptum Chriſti per omiſſionem aquæ; quia hæc omiſſio non variat ſubſtantialiter illud poculum in ſenſu ſupra explicato.

32. Concil. Carthag. III. Videamus ſingulorum verba. Concilium ergo Carthag III cap. 4. relatum in cap. *In Sacramentis* de conſecratione, d. 2. ſic dicit: *Vt in Sacramentis corporis, & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aquæ mixtum. Nec amplius in ſacrificiis offeratur, quam de vuis, & frumentis.* In Concilio Africano *cap. 4.* eadem verba habentur, & additur ratio illius decreti his verbis: *Primitiæ verò, ſeu mel, & lac, quod vno die ſolemniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri, quamuis in altari offerantur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, vt a Sacramento Dominici corporis, & ſanguinis diſtinguantur.*

33. Suarez explicat Concil. Carthag. Ad hæc Concilia Suarez *diſp. 45 ſect. 1. in fin.* reſpondet, appellari traditionem Chriſti illam mixtionem, non quia Chriſtus eam præceperit, ſed quia ex Chriſti exemplo emanauit, vt à cauſa exemplari. Sed contra hoc videtur eſſe, quia Chriſtus etiam conſecrauit in azymo, & tamen conſuetudo Eccleſiæ Latinæ conſecrandi in azymo non appellatur traditio, vel inſtitutio Chriſti, licet ad eius imitationem fiat: nec enim dicemus, Eccleſiam Græcam conſecrare in fermentato contra traditionem, & inſtitutionem Chriſti.

34. Facilius reſpondetur. Facilius reſpondetur ex ſupradictis, Patres illos non dicere, quod Chriſtus præceperit apponere aquam, ſed quod facto ſuo præceperit, non apponere aliam materiam, niſi illam, quam ipſe appoſuit, hoc eſt, vinum, vel purum, vel modicè lymphatum: vnde qui aliam materiam adhibet, contra Chriſti traditionem, & inſtitutionem id facit. Sicut ſi in conſecratione panis, miſceretur pani butyrum, id eſſet contra Chriſti inſtitutionem, qui ſolum panem conſecrauit: non tamen eſſet contra Chriſti inſtitutionem, ſi miſceatur fermentum; quia id non extrahit à ratione panis.

35. Concil. Aurel. IV. In eodem ſenſu loquitur Conc. Aurel. In eodem ſenſu loquitur Concilium Aurelianenſe IV. c. 4. vbi ſic habet: *Vt nullus in oblatione ſacri Calicis, niſi quod ex fructu vineæ ſperatur, aqua mixtum offerre præſumat; quia ſacrilegium iudicatur aliud offerri, quam quod in mandatis ſacratiſſimis Saluator inſtituit.* Senſus horum verborum facilis eſt, quod ſcilicet nihil aliud offeratur, niſi quod ex Chriſti inſtitutione offerendum eſt. Sicut ſi dicas, ſolum vinum album, vel rubrum offerendum eſt ex Chriſti inſtitutione, non acetum, nec ſapa: non eſt ſenſus, Chriſtum præcepiſſe offerri vinum album, ſed præcisè offerri hoc, vel illud vinum, & nihil aliud: ſic prohibuit, ne offerretur quidquam niſi vinum, & aliquid aquæ vino mixtum: quare omne aliud contra Chriſti mandatum offertur.

36. Conc. VVormatienſ. Concilium vero VVormatienſe *cap. 4.* nihil dicit de præcepto Chriſti, ſed ſolum de præcepto, & obligatione miſcendi aquam cum vino: *Calix enim* (inquit) *Dominicus, vino & aqua permixtus debet offerri.* Et poſt adductam ſignificationem eius mixtionis concludit: *Non enim poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, vt vinum ſolum, niſi vtrumque ſibi miſceatur.* Quæ verba ſi ſtrictè ſumerentur, viderentur exigere aquam ad valorem, & eſſentiam Sacramenti; quare intelligenda ſunt minus ſtrictè de ſola obligatione, & neceſſitate præcepti, ſcilicet Eccleſiaſtici.

37. Reſtat ſolum Canon ille Trullanus 32. qui habetur poſt ſextam Synodum, in quo ex profeſſo adſtruitur obligatio apponendi aquam cum vino: & reprehenduntur Armeni ob eius ritus omiſſionem, imponiturque depoſitionis pœna Sacerdoti offerenti vinum abſque aqua. Vaſq. ex Suarez. P. Vaſquez *in præſenti diſp. ... cap. ... num. ...* reſpondet, in eo Canone ſolum dici, *traditionem Apoſtolicam*. P. Suarez *d. ſect. 2. poſt 3. concluſ.* fatetur, ibi appellari *Diuinam Chriſti traditionem*, ſed poſtea in fine ſectionis dicit, intelligendum de traditione latè ſumpta. Neutrum videtur verum, non primum, quod dixit Vaſquez; quia Suarez explicat Canonem Trull. non. Sed minime. licet in fine illius Canonis appelletur traditio Apoſtolica in illis verbis: *Si quis ergo Epiſcopus, vel Presbyter, non ſecundum traditum ab Apoſtolis ordinem facit, & aquam vino miſcens, ſic immaculatum offert ſacrificium, deponatur*; prius tamen in medio Canonis aliquid plus dixerant, non quidem *traditionem Chriſti diuinam*, vt retulit Suarez; ſed, *ordinem diuinitus traditum*. Sic enim dicunt: *& in omni etiam Eccleſia, vbi ſpiritualia lumina refulſerunt, hic ordo diuinitus traditus ſeruatur.* Quæ verba vel poſſunt intelligi, non de præcepto Diuino, ſed de prouidentia Dei, qua factum eſt, vt omnes Eccleſiæ illum ritum ſuſciperent & obſeruarent: ſicut de obſeruatione ieiunij Quadrageſimalis dixit S. Leo Papa *ſerm. 4. de* Quadrageſima: *Magna Diuina inſtitutio & ſalubritate promiſſum eſt vt ad reparandam mentium puritatem quadraginta dierum exercitatio moderetur*: licet ieiuniũ illud nõ fuerit ex Diuino præcepto, vt conſtat. Leo Papa. Vel certè ſi plus intendunt verba illius Canonis, non multum de illo curandum. Sed non multum de illo curandum. Quid enim mirum, ſi in eo fallerentur illi, quorum Canones in aliis multis turpiſſimè errarunt? De quibus videri poteſt Card. Baronius *tom. 8. anno Domini 692.* vbi latè contendit, quam ſint ſuſpecti Canones illi: Baronius. vtpote in odium, & inuidiam Romanæ Eccleſiæ ab eorum Auctoribus abſque vlla legitima poteſtate, vel auctoritate conditi.

Tertia difficultas,

Tertiò poteſt dubitari de circumſtantiis huius mixtionis, de quibus Suarez *in præſenti ſect. 3.* & breuiter dicendum eſt, debere eſſe aquam naturalem, vt habetur in cap. *In quadam*, de celebr. Miſſar. Aliæ enim non ſunt propriæ aquæ. De quantitate verò Concilium Triburenſe *c. 19.* permittit apponi tertiam partem aquæ: hoc tamen Concilium non fuit approbatum. Eugenius IV. in Florentino dixit, modiciſſimam aquam admiſceri debere. Suarez, & Vaſquez hoc relinquunt prudentiæ Sacerdotis. Certè, ſi quinta, vel ſexta pars aquæ poneretur, non videtur habendus ſcrupulus; quia non eſt credibile, vinum eſſe adeo debile, vt tam modica aqua corrumpatur. Circa tempus, & miniſtrum huius mixtionis, ſeruandæ ſunt regulæ Miſſalis, quæ eas circumſtantias præſcribunt. 38. Suarez. Dubiũ de circumſtantiis huius mixtionis. Concil. Tribur. Eugen. IV.

SECTIO III.

Vtrùm aqua vino admixta conuertatur immediatè in ſanguinem Chriſti.

QVæſtio eſt celebris hac tempeſtate, & non parum controuerſa; de qua etiam tempore Innocent. III. inter Theologos variæ extiterunt opiniones, quas refert Pontifex in c. *Cum Martha*, de celebrat. Miſſarum. Prima docebat, aquam non conuerti in ſanguinem Chriſti, ſed in aquam illam, quæ exiuit de latere Chriſti, lancea perforato. Secunda ſententia docebat, aquam ſimul cum vino conuerti in ſanguinem Chriſti. Tertia denique, manere aquam poſt conſecrationem in propria ſubſtantia admixtam ſpeciebus vini conſecratis, ſicut ſi poſt conſecrationem mitteretur aquæ gutta in calicem, manebit etiam admixta ſpeciebus conſecratis: non tamen conuerteretur in ſanguinem Chriſti. Pontifex verò ex iis ſententiis nullam omnino damnat. Nam licet in cap. *In quadam*, eodem titulo damnet 39. Quæſtio celebris, variæ Doctorum ſententiæ. Prima. Secunda. Tertia.

ſententiam

ſententiam aſſerentem, aquam conuerti in phlegma ſeu humorem aqueum, qui de latere Chriſti exiuit, ibi tamen ſolum damnat illam ſententiam, quatenus negat, de latere Chriſti veram aquam exiiſſe, non vero quod de conuerſione aquæ in aquâ illam aliquid definiat. Quare immerito Suarez *diſput.* 45. *ſect.* 4. docet, primam ſententiam relatam in dicto cap. *Cum Martha*, fuiſſe damnatam. Pontifex enim nullam damnat, ſed ſolum dicit, ſententiam, quæ aſſerit, aquam cum vino tranſire in ſanguinem Chriſti, eſſe probabiliorem.

40. *Prima ſententia reiicitur.* Cæterum quidquid ſit de cenſura, illa prima ſententia merito reiicitur: quia conuerſio illa deberet fieri ex vi verborum conſecrationis: verba autem conſecrationis nullo modo ſignificant talem conuerſionem, ſed ſolùm conuerſionem in ſanguinem Chriſti: ergo illa conuerſio in aquam, quæ exiuit de latere Chriſti, non pertinet ad veritatem huius Sacramenti. Aliæ rationes afferuntur contra hanc ſententiam, quæ tamen vel parum efficaces ſunt, vel non probant contra illam, ſed contra aliam, quam damnauit Innocentius in dicto cap. *In quadam*, ponentem, conuerti aquam in phlegmaticum humorem, qui exiuit de latere Chriſti.

41. *Tertiam ſententiam impugnat Vaſquez primo.* Tertiam verò ſententiam docentem, aquam ſecundum ſuam ſubſtantiam manere in calice poſt conſecrationem, impugnat P. Vaſquez *diſp.* 178. *n.* 4. quia negari non poteſt, quin vinum habeat efficacitatem ad conuertendam modicam illam aquam in vini naturam. Hæc tamen ratio, vt poſtea videbimus, non eſt ſatis efficax in vera Philoſophia. *Hæc ratio nõ eſt efficax.*

42. *Secũdò arguit Vaſquez.* Secundò arguit P. Vaſquez: quia ſequeretur è contrà, ſi gutta vini magnæ aquæ copiæ infunderetur, poſſe validè conſecrari illam guttam vini: quia maneret vinum incorruptum ab aqua circundante, ſicut manet modò aqua incorrupta à circundante vino. *Hæc ratio non vrget.* Verum nec hæc ratio vrget: in primis, quia negari poteſt, vinum manere incorruptum intra aquæ copiam: nam licet vinum non habeat vim aggenerandi ſibi aliud vinum, propter rationes infra adducendas, aqua tamen poteſt habere vim aggenerandi ſibi aquam, ſicut ignis ignem.

43. Deinde licet gutta vini maneret incorrupta: adhuc ſi mixta eſſet magnæ copiæ aquæ, non poſſet conſecrari, quia non poſſet demonſtrari per verba conſecrationis, quæ, ratione Pronominis, *hic*, demonſtrat id quod præcipuum eſt in calice: & per conſequens non poſſunt demonſtrare guttam vini in calice pleno aquæ. Quam doctrinam his ferè verbis tradit ipſe Vaſquez *num.* 23. ex quo videtur eneruari argumentum, quo vſus fuerat paulo ſuperius contra prædictam ſententiam. *Vaſquez.* *Aliæ rationes parum efficaces.* Alias rationes afferunt P. Suarez, & Vaſquez vbi ſupra ad impugnandam prædictam ſententiam: ſed meo iudicio vel nihil omnino probant, vel probare debent, nunquam manere aquam poſt verba conſecrationis, vt infra videbimus, quod tamen in vniuerſum non concedunt prædicti Auctores: quare conſequenter ad ſuam doctrinam non impugnant efficaciter prædictam ſententiam.

44. *Præcipua controuerſia eſt, an aqua conuertatur in vinum, vel immediatè in ſanguinem. Cõmunis ſententia negat.* Eſt ergo præcipua controuerſia huius quæſtionis, an iſta aqua non conuertatur in vinum, quod ſaltem aliquando propter breuitatem temporis, vel debilitatem vini contingere poſſe concedunt cum communi, Suarez & Vaſquez, vbi ſupra, an ſcilicet tunc aqua tranſeat immediatè in ſanguinem Chriſti? Negat ſententia communis Recentiorum, quos referunt, & ſequuntur dicti Auctores, & exiſtimant eſſe expreſſam ſententiam Innocentij III. in dicto cap. *Cum Martha*, vbi ſecundam ſententiam cenſuit probabiliorem, nulla facta mentione de ſententia docente conuerſionem aquæ immediatam in ſanguinem, vtpotè quæ nondum fortè orta fuerat apud Theologos.

45. *Oppoſita ſententia eſt probabilior.* Cæterum, licet hæc ſententia multorum ſit (quod negari non poteſt) re tamen diu penſata, ſemper mihi probabilior viſa eſt oppoſita ſententia docens, eo caſu aquam immediatè tranſire in Chriſti ſanguinem; quam ex recentioribus Theologis docuerunt non pauci, nec ignobiles. Ex Patribus verò, & Scholaſticis antiquioribus habet pro ſe plures infra afferendos. Nec aliena videtur à mente Innocent. III. in dicto cap. *Cum Martha* vbi ſolum docet, probabiliorem eſſe ſententiam docentem, aquam cum vino tranſire in ſanguinem Chriſti, non dixit aquam conuerſam in vinũ, ſed aquam cum vino tranſire in ſanguinem Chriſti: & licet, quando retulit ſententiam ſecundam, quam poſtea videtur approbare, ſubiunxerit rationem, quia aqua tranſit in vinum, poſtea tamen, cum ex mente propria loquitur, illa ratione non vtitur, ſed concluſionem adſtruit, aquam ſcilicet cum vino tranſire in ſanguinem, quam concluſionem non probat ex illa ratione phyſica; imò fatetur à phyſicis communiter negari, aquam conuerti poſſe in vinum: ſed probat ſuam concluſionem ratione Theologica ex eo, quod ita melius ſignificatur vnio Eccleſiæ cum Chriſto. Imò ipſe Innocentius *lib.* . *de myſteriis Miſſæ*, *c.* 11. videtur ſupponere, aquam tranſire immediatè in ſanguinem dum dicit: *In Sacramento eſt trinitas ſpecierum, ſcilicet panis, vinum, & aqua.* Ergo ſupponit, in calice conſecrato manere ſpecies aquæ nondum in vinum conuerſæ. *Quomodo intelligendus Innocentius.* *Innoc. III.*

46. *Probatur primò hæc ſententia.* Probari ſolet hæc ſententia, quia totum illud poculum in calice contentum adoratur, & colitur; ergo quia ſub qualibet parte creditur eſſe Chriſtus; ergo cum aliquando aqua nondum ſit in vinum conuerſa, vt aduerſarij etiam concedunt, neceſſe eſt, conuerſam eſſe immediatè in ſanguinem, ne populus adorans decipiatur. *Non vrget hoc.* Verum hoc argumentum, licet ad hominem probet contra Suarez, quia hoc ipſo argumento impugnat ſententiam docentem, manere aquam ſecundum propriam ſubſtantiam in calice conſecrato, & per conſequens ex vi conſequentiæ debuit dicere, nunquam manere aquam; alioquin in aliquo caſu ſequeretur idem inconueniens idololatriæ; nolo tamen illo vti, quia poſſet aliquis contendere non obeſſe, quod maneat aliqua pars aquæ in calice, quominus poſſit adorari ſanguis ibi exiſtens: ſicut nec ſi exiſteret ibi muſca, vel gutta olei, impedire veram adorationem: adoratio quippe fertur ad ſanguinem Chriſti, præſcindendo ab aliis rebus minutioribus, quæ fortè intra calicem adiunctæ ſint. Adde, Græcos mittere aquam calidam in calicem iam conſecratum, qui ritus eſt antiquus, vt probat Arcudius *de Sacramento Euchariſtiæ*, *lib.* . . *cap.* 39. quæ tamen aqua proculdubio non poteſt conuerti in ſanguinem Chriſti. *Quod confirmatur ex Græcorum ritu.* Non tamen debuit adeo irriſoriè contemnere hoc argumentum Hiacynthus Petronius, Reuerendiſſimus olim Magiſter ſacri Palatij libro *de neceſſitate præconuerſionis aquæ*, *c.* 17. cùm eo ipſo vtatur S. Thomas *in præſenti* *q.* 74. *art.* 8. vt probet, aquam non manere ſub forma aquæ poſt conſecrationem; quia ſcilicet fideles totum illud poculum adorant adoratione latriæ: ſufficere debebant S. Thomam vti eo argumento, vt à nemine irrideatur præſertim à Thomiſta, nec dicatur eſſe contra ſenſum omnium fidelium; niſi dicas, idem argumentum apud S. Thomam placere, apud Coninch. vero diſplicuiſſe. *S. Thom.*

47. *Alia ratio.* Sed quidquid ſit de eo argumento, ſolet hæc ſententia aliter probari ex eo, quod Sacerdos ſit

mens calicem intelligitur manere ieiunus; ergo non ſumpſit aquam; ergo in nullo caſu manet aqua poſt conſecrationem. Reſpondet P. Suarez concedendo Sacerdotem manere ieiunum, quando inter mixtionem aquæ, & conſecrationem interceſſit tempus ſufficiens ad conuerſionem aquæ in vinum, prout regulariter intercedit. Cæterum, ſi contingat aquam poni immediate ante conſecrationem, dubitari poſſe, an maneat ieiunus, & per conſequens an poſſit ſecundo celebrare etiam in die Natalis Domini. Secundo poſſet faciliùs reſponderi cum Vaſquez vbi ſupra, non violari ieiunium ad Euchariſtiam requiſitum per ſumptionem aquæ, quæ vnà cum ſanguine Chriſti per modum vnius potus ex præcepto ipſius Eccleſiæ ſumitur: nam ſicut non violatur ieiunium requiſitum ad ſecundam Miſſam per ſumptionem alicuius partis tertiæ fortaſſe cum ſpeciebus panis admixtæ, ita multo minus per partem aquæ ex præcepto Eccleſiæ ſpeciebus vini admixtæ.

Cui reſpondet Suarez.

Secundo reſpondetur.

48\. Melius ergo probari poteſt hæc ſententia ex modo loquendi Patrum, qui eodem modo loquuntur de conſecratione aquæ, ac de conſecratione vini; & per conſequens ſupponere videntur, tam aquam, quàm vinum tranſire in ſanguinem Chriſti. Damaſcenus *lib. 4. Fidei c. 14. Non poteſt*, inquit, *panem ſuum ipſius corpus facere, & vinum, & aquam ſanguinem?* Et infra: *Nec hoc dictu promptum eſt, quomodo naturaliter per comeſtionem panis, vinum, & aqua per potionem in corpus & ſanguinem comedentis, & bibentis tranſmutantur: ſic & propoſitionis panis, vinumque, & aqua per inuocationem, & aduentum Spiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutatur in corpus & ſanguinem Chriſti.* Ambroſius *lib. 4. de Sacrament. c. 4. Vinum cum aqua in calice miſſum fit ſanguis conſecratione.* Et infra: *Ante verba Chriſti calix eſt vini, & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur.* Paſchaſius Corbeienſis *lib. de corpore, & ſanguine Domini, c. 1.* qui habetur *in 6. tom. Bibliotheca Patrum: Nec dubium, quin in hoc myſterio illam bibamus aquam, de qua Dominus:* Qui biberit aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ, &c. *Propterea non inconuenienter etiam ob hoc idem aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed quod conuertatur in ſanguinem.* Samona Epiſcopus Gazenſis in diſceptatione cum Hamet Sarraceno, quæ habetur *in eodem tom. 6. Bibliotheca*, ſic interrogat: *Quare Chriſtus ſub ſpecie panis, & vini, & aquæ abditum ſuum corpus, & ſanguinem potius ad ſumendum tradidit, quàm ſub alia materia?* Et poſtea reſpondet, *Inter alios cibos panis ſibi primum locum vendicat; item inter potiones aqua, & vinum primas tenent: his igitur, pane, inquam, & vino, & aqua nobis aſſuefactis Dominus coniuncta ſua Diuinitate, virtute ſui verbi in proprium ſuum corpus & ſanguinem ea transfert.* Nicolaus Methonenſis in *lib. ſeu Orat. de Euchariſt.* quæ habetur in dicto 6. tomo; *Quid requiris cauſam, & ordinem naturæ, panis tranſmutationis in corpus Chriſti, & aquæ, vinique in ſanguinem?* Sicut etiam Martinus Epiſcopus Bracharenſis in Concilio Bracharenſi II. alias Lucenſi: ſeu in *lib. Capitulorum ex Græcis Synodis collectorum* ad prædictum Concilium: *Non oportet*, inquit, *aliud offerre, præter panem, vinum, & aquam, quæ in typo Chriſti benedicuntur*, id eſt conſecrantur. Et infrà. *Hæc tria vnum ſunt in Chriſto Ieſu*; ſcilicet poſt conſecrationem. Cyprian. *Epiſt. 63.* ad Cæcilium: *Calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum.* Eſſet autem vinum ſolum, ſi ſemper ſupponeretur aqua conuerſa in vinum, vt tranſiret in ſanguinem Chriſti. Iuſtinus Martyr *Apolog. 2.* pro Chriſtianis: *Ii, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant vnicuique eorum, qui adſunt, percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt; atque cibus hic apud nos Euchariſtia nominatur.* Hieronymus apud Baron. infra: *Formas ſanguinem ſuum in Calice vino, & aqua mixtis, vt alio purgemur à vitiis & à culpis, alio redimamur à pœnis.* Hoc eodem modo loquuntur alij Patres: quare Card. Alanus *lib. 1. de Euchariſt. c. 13.* ſic concludit: *Si exiſteret aqua in varias, & abditas partes vini diffuſa facerent nihilominus vnum, non ſpecie, ſed permixtione; & totum illud, modo vinum prædominantem partem obtineret, conuerteretur in ſanguinem Dominicum, idque certa fide tenendum eſt, vtcumque illud aliud cum in natura abſcuritate poſitum ſit, ignoretur.* Fauet etiam Ianſenius *in Concordia c. 131.* ſuper illa verba, *ſimiliter in calice*; vbi approbans ſententiam de conuerſione aquæ cum vino in ſanguinem, ait: *Quæ ſententia etiam conſiſtere poteſt, etſi verum ſit aquam vino permixtam non conuerti in vinum.* Quod idem affirmat Salmeron. *tom. 9. tract. 14. in Euangelia.* Idem docuit Cano, quem refert Henriquez *lib. 8. de Euchariſt cap. 12.* Alexander Peſantius *in 3 p. quæſt. 74. art. 8. diſput. 1.* Cardin. Toletus *lib. 1. ſummæ, cap. 25. §. rurſus ſine vinum*; & probabilem cenſent Conimbricenſes *lib. 1. de generat. c. 10. quæſt. 1. artic. 2.* & P. Ægid. Coninch *tom 1 de Sacrament. q. 74. artic. 8.* vbi latè, & erudite hanc controuerſiam complexus eſt. Eandem tenet P. Ioan. Bapt. Scortia *lib. 4. de ſacrificio, cap. 1. num 14.* P. Ioan. Præpoſitus *in præſenti quæſt. 74. art. 1. dub. vnico*, & alij multi Theologi Salmanticenſes, & Caſtellani; qui iam multis ab hinc annis eam docent, & in Italia non pauci, præſertim in hoc Romano Collegio, in quo à multis annis communis eſt Profeſſoribus. Eam quoque peculiari opuſculo tuetur Paulus Areſius Epiſcopus Dortononenſis. Laymon in Theolog. Moral. *lib. 5. tract. 3. cap. 2. num. 9.* & alij quos refert Antoninus Diana *part. 3. Reſolut. Moral. tract. 4. de Sacrament. reſolut. 49.* Denique Card. Baronius *tom. 12. Annal.* vt omnino certam eam ſupponit, nam *anno* 1188. refert Epiſtolam Gaofredi, qui litteris datis ad Cardinalem Epiſcopum Albanenſem Vicarium Pontificis, eam quæſtionem denuo in Gallia ortam proponebat, vbi duas ſententias retulit; alteram, quæ dicebat, aquam non conuerti in ſanguinem Chriſti, quia Patres communiter pro materia huius Sacramenti ſolum deſignant panem, & vinum, non vero aquam; alteram, quæ aſſerebat conuerti, quia Patres ſuprà adducti de vino & aqua conuerti dicunt. Subdit vero Baronius, reſponſum Epiſcopi Albanenſis non inueniri, ſed non potuiſſe aliud reſpondere, quàm quod Eccleſia Romana ſemper credidit, nimirum aquam ſimul, & vinũ tranſſubſtantiari in ſanguinem Chriſti. Imo infra *anno* 1192. contrariam ſententiam appellat hæreſim illo ſæculo exortam: vt mirum ſit, aduerſarios non ſolum voluiſſe, hoc clariſſimum teſtimonium explicare, ſed Baronium pro ſua ſtare ſententia. Dicunt enim, ſecundum illam ſententiam ibi relatam docuiſſe tranſitũ aquæ in ſanguinem, quod prima negabat, non immediatum, ſed mediatum; qualem Eccleſia Romana credebat. Quis non videat, hoc eſſe apertè contra hiſtoriam ibi adductam: nam cùm Auctores primæ ſententiæ obiicerent ſuis aduerſariis duplicem tantum eſſe materiam Euchariſtiæ, ſcilicet, panem, & vinum (quod idem argumentum nobis nunc obiicitur, qui contra nos opinantur) ad hanc obiectionem Auctores ſecundæ ſententiæ non reſponderunt, aquam conuerti priùs in vinum, & per conſequens non eſſe aliam materiam præter vinum; quæ ſolutio facilis eſſet ſi ipſi de conuerſione ſolum mediata agerent; ſed reſponderunt, materiam non eſſe ſolum vinum, ſed vinum,

Melius probatur hæc ſententia ex modo loquendi PP. ſecundo.

Damaſcen.

Ambroſ.

Paſchaſ.

Samona.

Nic. Meth.

Mart. Brachar.

Iuſt. Mart.

Hieron.

Alanus.

Ianſenius.

Salmeron.

Cano.

Henriquez.

Peſantius.

Tolet.

Conimbr.

Coninch.

Scortia.

Præpoſit.

Areſius.

Layman.

Diana.

Baronius.

Malè adducitur hæc hiſtoria pro contraria ſententia.

cui

cui admixta eſſet aqua : & ponderant in Euangelio non dici, Chriſtum accepiſſe vinum, ſed calicem, vt vtrumque, quod ibi includebatur, comprehenderetur. Non ergo defendebant ij, quos Baronius approbat vt Catholicos, aquam mediatè conuerti in ſanguinem, ſed potius immediatè. Itaque de Baronij mente dubitari non poteſt, niſi velimus in media luce tenebras quærere.

49. *Vnde acceperint Patres hunc modum loquendi.*

Hunc communem modum ſentiendi, & loquendi acceperunt Patres, tum ex facto, tum ex verbis Chriſti Domini, qui accipiens calicem, de toto illo poculo dixit: *Hic eſt ſanguis meus*; quæ verba eſto forſitan in rigore potuiſſent eſſe vera, etiamſi ſolum vinum conſecrare intendiſſet; cæterum ex circumſtantiis adiunctis non potuerunt diſcipuli ſuſpicari, quin de toto poculo loqueretur. Dum enim præmitteret: *Accipite, & bibite ex eo omnes*, non dubium, quin de toto illo loqueretur, quod bibendum tribuebat, ſicut nec poterant ſuſpicari corpus Chriſti contineri ſub panis medulla, & non ſub cruſta, vel cortice, cum totum illum manducandum daret: ergo ſimiliter ex verbis Chriſti non potuerunt diſcipuli colligere, ſanguinem magis contineri ſub ſpeciebus vini, quam ſub ſpeciebus aquæ, cùm ad vtriuſque potum pariter inuitaret.

50. *Inſtabis.*

Dices tempore, quo Chriſtus dixit illa verba, iam aquam fuiſſe in vinum conuerſam, & ideo potuiſſe de toto illo poculo dicere eſſe ſanguinem ſuum. Sed contrà: quia in primis hoc valdè dubium

Reſpondeo.

eſt in Philoſophia, an vinum poſſit in ſe conuertere ſubſtantiam aquæ, vt poſtea videbimus. Deinde, eſto vinum haberet hanc efficacitatem, non eſt tamen credibile, exiguo illo tempore, quod inter mixtionem, & verba interceſſit, totam aquam conuerſam fuiſſe in vinum, cùm ad hoc requiritur motus localis, & ſucceſſio temporis; præſertim quod nec Euangeliſtæ, nec Patres vnquam indicauerint, aquam adeò modicam fuiſſe, quin potiùs iuxta communem vſum vinum mixtum fuiſſe, & vnico continuo actu poſt mixtionem verba eſſe prolata. Sic enim habetur in liturgia D. Baſilij: *Simul et calicem vini nati è vite, poſtquam cœnauerunt, accepit, miſcuitque aquæ, gratias egit, dicens, &c.* & in liturgia S. Iacobi Apoſtoli: *Similiter poſtquam cœnauit, accipiens calicem, & permiſcens ex vino, & aqua, ac deſpiciens in cœlum ac oſtendens tibi Deo Patri, gratias agens, ſanctificans, benedicens, implens Spiritu ſancto dedidit nobis dicens: Hic eſt, &c.* Ergo Chriſtus Dominus non eo animo aquam appoſuit, vt ante verba in vinum conuerteretur: quod ſi id intendit cur diſcipulus non id docuit, qui ſanè ex Chriſti facto id non potuerunt colligere, nec Eccleſia collegit, cum nunquam de hac præconuerſione aquæ in vinum curauerit: imo tempore Concilij Triburienſis tertia aquæ pars apponeretur, & in aliquibus caſibus ſtatim poſt mixtionem conſecraretur, in quibus Suarez ipſe fatetur, aquam non poſſe conuerti in vinũ. Debuiſſet ergo Eccleſia exemplum Chriſti imitari, ac ſi ipſe noluit calicem conſecrare, donec aqua in vinum verſa eſſet, curare etiam, vt ante conſecrationem certo fieret hæc aquæ conuerſio: eſſet enim magna irreuerentia aliquam materiam extraneam non conſecrandam in calice apponere, cum Chriſtus non niſi materiam conſecrandam appoſuerit.

51. *Hæc temporis interpoſitio eſt de neceſſitate præcepti.*

Fatentur aliqui ex aduerſariis, neceſſariam eſſe non quidem ad valorem eſſentialem, ſed neceſſitate præcepti, eius temporis interpoſitionem, quod ſatis ſit ad aquam in vinum conuertendam: imo addunt, ideo Eccleſiam præcipere mixtionem fieri tempore oblationis, vt tantum intercedat temporis, quantum ſufficit ad hoc, vt fiat vinum: alioquin, cur (inquiunt) non miſcetur immediatè ante conſecrationem? Hæc ſolutio in multis peccare videtur: nam in primis quod mixtio fiat tempore oblationis, alias habet rationes, præter conuerſionem aquæ in vinum, ſcilicet quod tunc offerri debet tota materia conſecranda: quare ſicut tunc etiam adiunguntur particulæ conſecrandæ pro communicatis, vt ſimul offerantur cum hoſtia, ita tunc debet miſceri aqua, vt ſimul offeratur in calice. Deinde ſi illa temporis interpoſitio neceſſaria eſt de præcepto propter vitandum ſacrilegium, ne maneat aqua in ſubſtantia aquæ admixta ſanguini Chriſti, ſicut neceſſe eſt non apponere lac, vel mel in vino conſecrando: ergo in nullo prorſus caſu liceret illud temporis interuallum omnino prætermittere: videmus autem Eccleſiam in regulis Miſſalis Romani ſacerdoti præſcribere; vt ſi proximè ante conſecrationem aduertit, non eſſe aquam in calice, ponat tunc eam, & conſecret, nulla habita cura, quod intercedat tempus inter mixtionem, & conſecrationem. Item præſcribit, quod ſi tempore communionis aduertit, non fuiſſe vinum conſecratum, apponat tunc vinum cum aqua, & conſecret, & ſtatim ſumat. & hoc vniuerſaliter, etiam ſi in priuato ſacello celebret, vbi facile eſſet tanto tempore expectare, quod ſufficeret ad conuerſionem aquæ in vinum. ergo vel debemus dicere, Eccleſiam ibi hortari nos ad irreuerentiam illam, & ſacrilegium contra præceptum ſupradictum patrandum: quod ipſi non admittent, vel negare debent, neceſſarium eſſe de neceſſitate præcepti illo tempore expectare, vt fiat conuerſio aquæ: & per conſequens debemus concedere, aquam non eo animo admixtam fuiſſe à Chriſto, vt præconuertatur ante conſecrationem; nam ſi eo animo admiſceretur, conſurgeret omnino ea obligatio procurandi, ne maneret in ſubſtantia aquæ ſanguini admixta; in qua obligatione ſaltem ſine grauiſſima neceſſitate non poſſet diſpenſari.

Reiicitur hæc ſolutio.

52. *Probatur noſtra ſententia ex eo quod materia Euchariſtiæ ſit vinum non ſolum merum, ſed lymphatum.*

His ergo ſuppoſitis probari poteſt rurſus aſſertio noſtra ratione Theologica: quia materia Euchariſtiæ eſt vinum, vt conſtat ex Florentino, & aliis: & per conſequens omne illud poculum, quod ſimpliciter, & abſolutè in vſu hominum appellatur vinum, & potatur pro vino, eſt materia ſufficiens conſecrationis calicis. Si autem attendamus ad vſualem potum vini, non minus dicitur ſimpliciter vinum, quod eſt modicè lymphatum, quàm merum vinum: ergo non ſolum merum vinum, ſed etiam illud poculum, quod conſtat ex vino, & modica aqua, quod ſimpliciter appellatur vinum, eſt ſufficiens materia conſecrationis: nam omnes iſtæ ſunt partes illius poculi quod ſimpliciter appellatur vinum vſuale. Hac eadem ratione vtitur Gaufredus apud Baronium, vbi ſupra: qui cum ſibi obiiceret aduerſus conuerſionem aquæ in ſanguinem, quod Patres in duabus ſpeciebus panis, & vini dixerint fieri conſecrationem, & non fecerint aquæ mentionem, ſic ait: Ad quod reſpondetur eis, quod non conſueuêre homines mixturam vini, & aquæ aquam nuncupare, ſed vinum.

53. *Confirmatur ex Conciliis, quæ exigunt, vinum de vite.*

Confirmatur ad hominem hæc reſponſio, quia Concilia non ſolum exigunt pro materia conſecrationis vinum vtcumque, ſed *vinum de vite*; vt conſtat ex Florentino in decreto Eugenij: illa autem aqua, quæ miſcetur vino, etiamſi conuertatur in vinum, non tamen eſt ipſa vinum de vite, neque ex vuis expreſſum, vt conſtat: ſed vinum alio modo productum: ergo vel illa pars non erit materia conſecrationis, vel fatendum eſt ab omnibus, illam partem, licet ſecundum ſe non ſit vinum de vite: prout tamen cum aliis componit illud totum eſſe partem

illius poculi, quod per modum totius eſt vinum de vite, & ideo eſſe materiam partialem conſecrationis modo à nobis explicando. Eadem ergo ratione nos dicimus, licet illa pars ſecundum ſe non ſit vinum, illud tamen totum eſſe vinum, & ideo totum illud ſecundum omnes partes conſecrari, licet ſingulæ partes ſeorſim non poſſint.

54. *Confirmatur ratione philoſophica.* Denique confirmari poteſt aſſertio ratione etiam Philoſophica; quia philoſophicè loquendo (vt ſupra inſinuaui) non videtur credibile, aquam poſſe tam citò in naturam veri vini ſubſtantialiter tranſmutari. Vinum enim, licet non ſit ſubſtantia viuens; eſt tamen ſuccus ſubſtantiæ viuentis elaboratus intra vuam per virtutem nutritiuam, ſicut ſanguis elaboratur in iecore animalis: quare ſicut ſanguis ſeparatus non habet virtutem ad tranſmutandam ſubſtantialiter in ſimilem ſanguinem aliquam guttam aquæ, quæ illi miſceatur; ſic nec vinum præſertim ſeparatum ab vua habet virtutem ad producendam formam ſubſtantialem vini in materia aquæ ſibi admixta.

55. *Cum conſtet experientia aquam poſſe ſeparari à vino, certum eſt non eſſe in vinum conuerſam.* Accedit experientia plurium Philoſophorum docentium, aquam poſſe poſtea naturali artificio à vino ſeparari. Nec obſtat dicere, illam non eſſe aquam, ſed quendam humorem aqueum: nam ſi ille humor aqueus, qui ſecundum ſe verè non eſt vinum, erat conſecratus cum aliis vini partibus; ergo ſimiliter aqua licet non ſit ſecundum ſe vinum, poterit tamen cum aliis vini partibus admixta conſecrari, cum non ſit maior difficultas de aqua, quam de illo humore aqueo. Vide Paulum Areſium *lib. 1. de Generat. c. 10. q. 51. ſect. 2.* vbi latè probat, aquam nunquam conuerti naturaliter in ſubſtantiam vini. Adde, licet vinum haberet eam vim conuertendi aquam in ſuam naturam, non tamen poſſe omnes aquæ partes conuertere. *Deinde non videtur vinum poſſe conuertere omnes aquæ partes.* Nam ignis quantumvis habeat actiuiſſimam potentiam, non tamen omnes partes ligni, vel ſtupæ conuertit in ignem, nec homo omnes partes alimenti, quia craſſiores, vel ſubtiliores per excrementa eiicit; cum ergo non omnes aquæ partes habeant craſſitiem requiſitam ad formam vini, neceſſe eſſet, aliquas ſaltem particulas remanere, quæ formam vini non poſſent inducere; de quibus eſſet eadem difficultas, an maneant ſub forma aquæ, vel conuertantur in ſanguinem Chriſti.

56. *Conſtat ergo ex his aquam in immediatè in ſanguinem conuerti.* Fit ergo ſatis credibile ex his omnibus, aquam, licet maneat vino admixta, conſecrari, & conuerti Chriſti ſanguinem, cum non ſit credibile, Chriſtum Dominum aquam, quam miſcuit, reliquiſſe in calice in ſubſtantia aquæ admixtam ſuo ſanguini, vt ſupra probatum eſt, præſertim cùm pro contraria opinione vix afferatur aliquid ab iis Auctoribus, quod contra eorum ſententiam non habeat ferè ſimilem difficultatem, vt ex ſupra dictis conſtat: & ex argumentorum ſolutionibus amplius conſtabit.

SECTIO IV.

Argumenta contra noſtram ſententiam, & eorum ſolutiones.

57. *Prima obiectio.* PRimo obiicit P. Vaſquez, quod aqua vino admixta diuiditur in tenuiſſimas partes, & per omnes vini particulas inſinuatur; quare mirum eſt, quod adeo exigua aquæ particula poſſit diu reſiſtere vini efficacitati, & actiuitati, & non ſtatim in vinum tranſeat.

Reſponſio aliàs ex dictis. Cæterum ad hanc obiectionem patet ſolutio ex dictis; cum ea ſit natura vini, vt non niſi à potentia nutritiua vuæ poſſit produci. Quid? quod aliquando vinum eſt adeo debile, & pars aquæ poſſit eſſe non adeo modica, vt tam breui tempore ante conſecrationem conuerteretur in vinum, in quo caſu poſſet procedere noſtra quæſtio.

Obiicit ſecundò Ariſtot. 1. *de generat. cap. vlt.* vbi ait, guttam vini mille aquæ amphoris mixtam perdere naturam vini; quod idem è contra de gutta aquæ à fortiori dixiſſet. Sed negatur paritas propter rationem poſitam, quòd vinum non niſi à virtute nutritiua poſſit produci: & licet poſſit, non tamen tam citò, vt nunquam ante verba conſecrationis non ſit iam conuerſa in vinum. Adde, ipſum Ariſtotelem videri expreſſè negaſſe, poſſe aquam conuerti phyſicè in vinum, ibid. *c. 5.* & Plinium certum eſt ita ſenſiſſe *lib. 15. naturalis hiſt. c. 35.* Sed de mente Ariſtotelis, vide Coninch. vbi ſupra. 58. *Obiicitur ſecundò. Ariſtot. Negatur paritas.*

Tertiò obiicitur Catechiſmus Pij V. vbi eius Auctores agentes de materia Euchariſtiæ dicunt Eccleſiaſticorum ſententiam eſſe, aquam conuerti in vinum ante conſecrationem. Reſpondetur, vel Theologos illos habuiſſe eam ſententiam, ſicut alij plures tenent, quod non negamus, vel loquutos ſolum de conuerſione latè ſumpta quoad denominationem vini prædominantis in illo compoſito. 59. *Obiicitur tertiò Catechiſmus Pij V. Reſpondetur.*

Quartò obiiciunt, quia ſi aqua ea intentione appoſita fuit à Chriſto Domino, vt conuerteretur in ſanguinem: ergo eſt materia neceſſaria conſecrationis; ergo ſine aqua non ſtabit conſecratio, ſicut nec ſine vino, cùm vtrumque æquè immediatè conuertatur. Reſpondetur facilè, materiam neceſſariam eſſe vinum vſuale, prout abſtraxit à vino mero, vel modice temperato; & ideo ſine aqua valet conſecratio, non ſine vino. Ex quo diſſoluuntur facilè aliæ illationes, quibus conantur impugnare noſtram ſententiam: & eſt exemplum manifeſtum in fermento, vel in ſale. Si enim panis fiat cum ſale, vel fermento, prout vſualiter fit; non dubium quin illa etiam ſint partialis materia conſecrationis; ſunt enim partes panis vſualis præſcindens à fermentato, & azymo, à ſolito, & non ſolito: ſic etiam materia neceſſaria fuit vinum vſuale, abſtrahens à puro, & modice lymphato. 60. *Obiectio quarta. Reſpondetur materiam neceſſariam eſſe vinum vſuale abſtrahens à mero vel temperato.*

Obiiciunt quintò, quia illa ſola eſt materia huius Sacramenti, ad cuius conuerſionem acceperunt poteſtatem Apoſtoli; ſed Chriſtus non dedit eis poteſtatem conuertendi aquam in ſanguinem; ergo ea non eſt materia: probant minorem, quia Chriſtus non præcepit apponi aquam; ergo non dedit poteſtatem ad conuertendam aquam. Reſpondeo, hanc vltimam conſequentiam nullam omnino eſſe, ſicut ſi dicerem: Chriſtus non præcepit conſecrari vinum album; ergo non dedit poteſtatem conuertendi vinum album in ſanguinem. Dedit ſanè Chriſtus poteſtatem conuertendi vinum album, vel rubrum, item vinum purum, vel modicè lymphatum: neutrum tamen determinatè præcepit, ſed alterum ſub diſiunctione. 61. *Obiectio quinta. Reſponſio.*

Sexto argumentantur ex verbis Concilij Florentini, vbi dicitur materiam Euchariſtiæ eſſe *vinum de vite, cui modiciſſima aqua miſceri debet*: ergo condiſtinguit aquam à materia Sacramenti; dicit enim materiam eſſe vinum, & hanc miſceri debere aquam. Reſpondeo, imo includit aquam in materia, dicit enim materiam eſſe vinum, cui aqua admixta ſit, vtitur tamen illa diſtinctione, vt indicet, aquam non eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti: ideo expreſſit mixtionem aquæ per verbum *debet*, vt ſi dicas, apud Græcos materia Euchariſtiæ eſt panis, cui fermentum miſceri debet, non ideo negas, fermentum tranſire cum pane in corpus Chriſti, ſed indicas non eſſe materiam neceſſariam eſſentialiter, ſed ſolum de præcepto inter Græcos. 62. *Obiectio ſexta ex Concil. Florentino. Reſponſio.*

Septimò

63. *Septima obiectio ex Tridentino.* *Reſpondetur.*

Septimò obiiciunt Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. vbi dicitur, ſubſtantiam vini conuerti in ſanguinem Chriſti, quod de ſubſtantia aquæ non dicitur; ergo ſola ſubſtantia vini conuertitur, & non aqua. Reſpondetur facile, in primis argumentum illud eſſe negatiuum: ad intentum enim Concilij ſatis erat, ſubſtantiam vini conuerti in ſanguinem Chriſti, præſcindendo pro tunc à ſubſtantia aquæ, de qua non erat controuerſia cum Hæreticis. Ex eo igitur, quod damnat negantes, vinum conuerti, non damnat affirmantes, aquam etiam conuerti; damnaret enim Patres ſupra citatos, qui expreſſis verbis dicunt, aquam conuerti in ſanguinem. Deinde dico, *vini* nomine

Vini nomine quid intelligatur.

intelligi ea, quæ ingrediuntur ad componendum vinum vſuale in ratione vini compoſiti ex vino mero, & modica aqua; illud quippe compoſitum eſt propriè vinum vſuale; quare partes omnes, quæ illud componunt, veniunt appellatione *vini*, non vt ſeorſim ſumptæ, ſed vt componunt illud poculum, quod eſt vinum. Aduerte tamen, in hac ſolutione nos non dicere, aquam ideo poſſe conſecrari, quia per admixtionem cum vino participat vini accidentia; & facta eſt quaſi denominatiuè vinum quoad apparentiam, prout videntur dicere aliqui ex auctoribus noſtræ ſententiæ: hoc enim non eſſet conſecrare vinum verum, ſed vinum apparens, ſeu denominatiuum, materia autem debet eſſe verum vinum. Sed dicimus, poculum illud, quod reſultet ex vino mero, & modica aqua, eſſe verum vinum, & ad quod propriè ſignificandum impoſitum eſt nomen *vini*; nam iuxta hominum vſum nomen *vini* tam propriè ſignificat compoſitum illud, quam vinum purum; ad quod non requiritur, ſingulas partes illius compoſiti eſſe vinum; ſicut nec ſingulæ partes chriſmatis ſunt chriſma; nam balſamum non eſt chriſma, ſed pars chriſmatis: ita illa modica aqua non eſt vinum, etiam prout coniuncta vino, ſed pars vini, quod ſufficit, vt poſſit partialiter conſecrari, ſeu eſſe pars materiæ conſecrandæ. Quod autem non ſolum vinum purum, ſed etiam compoſitum ex vino, & modica aqua dicatur vinum, conſtat ex communi modo loquendi, imo ex Scriptura ipſa Sap. 9. *Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Ecce

Vinū lymphatum etiam ſecundum modum communem loquendi.

mixtum ex vtroque appellat vinum, ad illud enim mixtum potandum inuitat. Si ergo ſubſtantia illius mixti conuertitur in ſanguinem, verè dicitur ſubſtantia vini conuerti, licet illud compoſitum partialiter ex modica aqua componatur.

64. *Confirmatur exemplo panis.*

Habemus exemplum aptum ad hoc declarandum in hoc ipſo Sacramento: nam materia illius eſt etiam panis triticeus; & quidem ſi maſſa fieret ex ſolo furfure, non eſſet materia conſecrationis; quia ille non eſt panis humanus, ſed alius diuerſus ad canes, vel equos alendos: ſi tamen panis, fiat ex farina communi non adfæcata à furfure, erit materia conſecrationis, non ſolum quoad partes farinæ purioris, ſed quoad omnes partes; quia licet in eo compoſito aliquæ ſint partes, quæ ſeorſim non poſſent conſecrari, ſcilicet illæ quæ pertinent ad furfures; ſed tamen compoſitum ex vtriſque partibus, nempe ex adipe frumenti, & ex furfure, eſt verè, & propriè panis, & conſtat ex vtraque parte, tanquam ex intrinſece ipſum conſtituente in ratione talis panis; & ideo totum illum compoſitum poſſet adæquate

Etiamſi farina non ſit pura, eſt tamen panis.

conſecrari. Ecce nomen *panis* propriè ſignificat & panem ex farina pura, & purgata, & propriè etiam ſignificat panem ex farina non pura, ſed admixta furfuri; & licet maſſa furfurea ſeorſim non ſit materia conſecrationis, admixta tamen farinæ eſt materia partialis; quia licet ipſa, vt condiſtinguitur à farina pura, non ſit panis, ipſa tamen cum farina pura componit panem vſualem, non defæcatum, & purum, ſed tamen panem humanum, & communem, quem qui comedit, dicitur comedere panem. Vides exemplum ſimile in omnibus: nam ſicut eſt panis defæcatus, & panis deterior; ſed tamen vterque eſt panis ſimpliciter: ita eſt vinum purum, & vinum mixtum, ſed tamen vtrumque eſt vinum ſimpliciter; & ſicut furfures ſeorſim non ſunt materia, ſunt tamen partialiter, quatenus componunt panem vulgarem cum farina pura; ita aqua ſeorſim non eſt materia, eſt tamen partialiter, quatenus cum vino puro componit vinum vulgare, & mixtum: & ſicut farina eſt materia neceſſaria ex inſtitutione Chriſti, furfures vero non ſunt neceſſarij, poſſunt tamen partialiter conſecrari, ſi miſceantur cum farina pura; ita vinum eſt materia neceſſaria, aqua vero licet non ſit neceſſaria, poteſt tamen partialiter conſecrari, ſi miſceatur cum vino puro. Non ergo valet

Applicatio exempli.

hoc argumentum: furfures non ſunt panis, ſed materia valida debet eſſe panis: ergo pars illa furfurū non conſecratur. Sic etiam non valet: materia debet eſſe vinum, aqua non eſt vinum; ergo pars illa aquæ non conſecratur; quia licet furfures, & aqua non ſint materia totalis, ſunt tamen partialis, quatenus cum farina, vel vino puro poſſunt componere panem vulgarem, vel vinum etiam vulgare.

65. *Inſtantia.*

Vrgeor adhuc ex eodem Concilio, dum addit, conuerti ſubſtantiam vini in ſanguinem, manentibus *dumtaxat* ſpeciebus vini; ergo non manent ſpecies aquæ: nam per illam particulam *dumtaxat*, excluditur omne aliud præter ſpecies vini. Reſpon-

Reſpondetur.

deri etiam poteſt dupliciter iuxta duplicem ſolutionem proximè inſinuatam. Si enim velis Concilium *vini* nomine intelligere vinum, prout condiſtinguitur ab aqua, & eam non includit, tunc dicendum eſt, Concilium de illo vino, quod dixit, conuerti in ſanguinem Chriſti, dicere conſequenter non manere, niſi quoad ſpecies, ita vt particula, *dumtaxat*, reddat eum ſenſum, eius vini, de quo loquitur, manere dumtaxat ſpecies, & non aliud: de aqua vero iuxta eam explicationem non loquitur, & per conſequens nec affirmat, nec negat. Si vero iuxta ſecundam ſolutionem dicas verius, *vini* nomine intelligi poculum illud, prout abſtrahit a vino puro, & vino mixto, tunc particula, *dumtaxat*, vniuerſalior eſt; ſignificat enim non manere, niſi ſpecies vini, per quod non excluduntur ſpecies aquæ; quia ſpecies aquæ ſunt partialiter ſpecies vini illius mixti, quod propriè eſt vinum humanum: ſicut manent etiam ſpecies furfuris in hoſtia; quia licet Concilium etiam dicat, manere dumtaxat ſpecies panis, & maſſa ex ſolo furfure vere non ſit panis, ſed tamen illa maſſa componit cum farina panem vulgarem, & imperfectum, qui propriè eſt panis, & ita ſpecies furfurum ſunt partialiter ſpecies panis.

66. *Conc. Trid.* *Difficilior obiectio.*

Difficilius obiici poteſt ex eodem Trident. ibid. Can. 3. vbi ſic ait: *Si quis negauerit in Eucharistia Sacramento ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſcumque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.* Ex quibus verbis ſic argumentor: Poſt conſecrationem manet totus Chriſtus ſub ſingulis partibus conſecratis; ergo & ſub particulis aquæ; ergo etiamſi illæ particulæ aquæ ſeparentur ab aliis partibus, continebunt ſanguinem Chriſti; quia iuxta Tridentinum partes ſpecierum non admittunt conſecrationem per ſeparationem ab aliis. Conſequens autem eſſet abſurdum; nam tunc contineretur Chriſtus ſub ſpecie aquæ adæquate, & nullo modo ſub ſpecie vini.

67. *Reſponſio.*

Reſpondeo, in prædicto caſu non manere Chriſtum ſub ſpecie aquæ ſeparatæ, ſed ſimul ac ſepa-

ratur à ſpeciebus vini, recuperare formam ſubſtantialem aquæ. Nam licet Ægid. Coninck *loco citato, n.*191. putat oppoſitum poſſe ſatis probabiliter defendi, vere tamen videtur contra Concilia definientia, materiam Euchariſtiæ eſſe vinum, & ſanguinem eſſe ſub accidentibus vini, tunc autem non eſſet ſub accidentibus vini. Nec obſtant verba Tridentini, quæ ſanè ſolùm intendunt, quòd per meram ſeparationem partium non admittitur Chriſti præſentia ſub ſingulis, cæterum quando per ſeparationem partes deperdunt ſimul aliquid requiſitum ad hoc, vt ſint ſpecies panis, vel vini, non dubium, quin non maneat Chriſtus ſub illis partibus ſeparatis. Quod etiam in ſpeciebus panis ſuo modo locum habet: componitur enim panis ex farina etiam, & aqua; licet plures aquæ partes exhalentur calore ignis; aliquibus tamen videtur probabile, remanere aliquas cum farina admixtas; de quibus tamen certum eſt quod ſi aliquo artificio ſeparentur, non componant corpus Chriſti, quia iam non eſſet panis, nec pars panis. Quod idem dicendum eſt de particola illa maſſæ, quæ facta fuit ex furfure admixto; nam ſi ſepararetur ab aliis particulis, iam maneret ex ſolo furfure, & per conſequens non eſſet panis iuxta ſupra dicta; ac per conſequens non poſſet retinere conſecrationem. Similiter ergo ſpecies aquæ ſeparatæ non continebunt ſanguinem Chriſti; quia per ſeparationem deperdunt eſſe ſpecies vini; & in hoc differunt à ſpeciebus vini, quod partes ſpecierum vini etiam ſeparatæ retinent ſanguinem Chriſti, quia vt ſint vinum partiale, non dependent ab vnione cum partibus vini, at vero aquæ partes dependent ab vnione cum partibus vini vt ſint vinum partiale, ſcilicet pars vini vſualis, & ideo ablata vnione amittunt conſecrationem, quia illa non eſt mera ſeparatio, ſed deſtructio etiam compoſiti requiſita ad materiam conſecrationis.

Quando poſt ſeparationem non remanent ſpecies panis, non remanet etiam ſub illis corpus.

68. *Obiicitur S. Thom.* S. Thom.

Denique obiicitur auctoritas S. Thom. qui noſtræ ſententiæ videtur opponi. Fateor ingenuè, S. Thom. in hoc puncto obſcure loquutum, & non ſatis de eius mente poſſe conſtare. Nam *in* 4. *d.* 11. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 1. videtur omnino ſupponere conuerſionem aquæ in vinum, vt aqua tranſeat in ſanguinem Chriſti: ſed tamen alibi videtur pro nobis facere; nam in primis *in præſenti q.* 74. *art.* 6. in arg. *ſed contra*, clare docet auctoritate Alex. Papæ, in ſacrificio offerri vinum aqua permixtum. Rurſus, & clarius fauet *eadem quæſt. art.* 3. vbi cum in 3. argumento obiecisſet ſibi contra materiam panis, quia vix inuenitur farina triticea, quæ alterius frumenti permixtionem non habeat; ergo non eſt ſolus panis triticeus materia Euchariſtiæ: Reſpondet, quod modica permixtio non variat ſpecies; quia id, quod eſt modicum, quodammodo abſumitur à plurimo, & ideo, ſi ſit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit inde fieri panis conſecrabilis. Ecce S. Thomas dicit, totum illud, quod reſultat ex multa farina triticea, & modica hordeacea, eſſe panem triticeum, & poſſe conſecrari: ergo ſimiliter totum, quod reſultat ex multo vino, & modica aqua, eſſe vinum conſecrabile.

Replicatur.

69. *Inſtantia.*

Dicunt, S. Thomam id dicere, quia cenſuit, partem illam hordeaceam conuerti ſubſtantialiter in farinam triticeam per admixtionem ad farinam triticeam. Sed contra, quia in primis id per ſe apparet incredibile, quod farina triticea poſſit conuertere hordeum in triticum: ſicut ſi diceres, puluerem argenteum conuerti in aureum per admixtionem cum aureo. Deinde eſt contra mentem S. Thomæ, qui non dixit modicam illam partem conuerti abſolutè in naturam alterius, ſed cautè dixit, *quodammodo abſumi à maiore parte*. Sane illa Particula *quodammodo*, ſatis aperte ſignificat, non loqui S. Thomam de conuerſione propria phyſica, ſed morali; quia totum illud propter partem tritici prædominantem, humano modo eſt panis triticeus; & cùm materia conſecrationis ſit panis triticeus humanus, hinc eſt, totum illum panem eſſe materiam: quod idem de vino videtur conſequenter dicendum, etiamſi aqua non conuertatur in naturam vini. Adde ipſum S. Thomam *art.* 8. *in corpore* ſupponere pro certo, aquam nunquam remanere in forma aquæ poſt conſecrationem; quod probat ex Patribus, & ex eo, quòd totum, quod eſt in calice, adoratur. Si autem neceſſaria eſſet præconuerſio aquæ in vinum, aliquando maneret aqua poſt conſecrationem admixta ſanguini, vt ipſi aduerſarij in aliquibus caſibus fatentur, quia aliquando non poteſt conuerti in vinum: ergo S. Thomas non loquitur de conuerſione aquæ in naturam phyſicam vini, ſed de conuerſione illa humana, qua aqua fit pars illius compoſiti humani, quod vere dicitur vinum: & quia hæc ſemper datur, ideo merito docet, nunquam manere aquam poſt conſecrationem in calice. Vides ad minus eſſe ſatis dubiam mentem S. Thomæ, an ſcilicet in aliis locis, quando dicit, conuerti aquam in vinum, loquatur de conuerſione illa phyſica, quam Thomiſtæ volunt, an de alia. Certè ad minus negari non poteſt quin clariora ſint verba ſanctorum Patrum pro noſtra ſententia, quàm verba S. Thomæ pro oppoſita.

Soluitur.

Attenditur ad mentem S. Thomæ.

Ex dictis in hac ſectione obiter colligitur, quid 70.
dicendum ſit de grano hordeaceo admixto granis tritici, an ſub illis particulis admixtis ſit corpus Chriſti. Affirmandum enim videtur cum S. Thoma vbi ſuprà, & probari poteſt ratione ibi inſinuata; quia ſcilicet non videtur *panis vſualis* nomine ſignificari cibum ſolum ex mera farina tritici conſtantem, ſed cibum etiam eum, quem communiter comedunt homines; qui ſanè non ſemper fit ita ex mero tritico, vt non ſit admixtum ſæpe granis hordei, & ſimilibus: & per conſequens nomen *panis*, videtur impoſitum eſſe ad illud totum ſignificandum, quod fit ex illa farina: quare licet particula ex hordeo ſeparata non poſſet conſecrari, coniuncta tamen poſſet, ſicut de aqua dictum eſt, quia vt ſic eſt pars panis vſualis.

Colligitur, quid ſit dicendum de grano hordeaceo admixto granis tritici.

SECTIO V.

Dubium incidens, an gutta aquæ in calicem miſſa poſt inchoata verba conſecrationis, conuerteretur in ſanguinem Chriſti.

Ex ſupradictis infertur, quid dicendum ſit ad 71.
illam quæſtionem, quam obiter attigit P. Vaſquez *infra diſp.* 201. *n.* 42. Si gutta aquæ, dimidiatis iam verbis conſecrationis, vertteratur in vinum, an maneret conſacrata? Vbi ipſe reſpondet affirmatiue. Quam ſententiam amplectitur etiam Nugnus *in præſenti q.* 74. *art.* 8. *in fine*: quia cum intentio miniſtri ſit religioſa, refertur ad inſtans, in quo fit conſecratio: tunc autem illa eſt iam materia præſens, & ſufficiens.

Vaſquez. Nugnus. Vaſquez affirmat.

Contrariam ſententiam docet Suarez *in præſenti d. diſp.* 45. *ſect.* 4. *in fine*: & quidem magis conſequen- 72.
ter ad ſua principia: nam ſi aqua non poteſt conuerti immediate in ſanguinem Chriſti, niſi prius conuertatur ſubſtantialiter in vinum, vt ſupponunt etiam Vaſquez & Nugnus, conſequens eſt, aquam non eſſe materiam legitimam, & validam conſecrationis, quandiu conuerſa non eſt:

Suarez. Suarez negat probabilius.

non

non poteſt ergo conuerti in ſanguinem Chriſti, niſi ab initio prolationis formæ conuerſa iam eſſet in vinum: nam tota forma debet proferri ſuper materiam præſentem: non erat autem materia præſens, quando prolata fuit pars formæ; quia tunc illa non erat materia, cum non eſſet vinum, ſed aqua, quæ per ſe non eſt materia etiam partialis; ergo non fuit prolata tota forma ſupra illam partem materiæ, & per conſequens non potuit conſecrari. Sicut ſi poſt prolatam partem formæ fiat præſens materia, quæ prius non erat præſens, non conſecrabitur.

73. *Reſpondet Nugnus.* Reſpondet Nugnus, in illo caſu materiam eſſe ab initio moraliter præſentem; quia, ſuppoſitis diſpoſitionibus, quas habet, & ſucceſſiue accipit, præſens erit in minima temporis morula, &, iuxta Ariſtotelem, quod parum diſtat, nihil diſtare videtur. *Reijcitur.* Sed contra; ergo etiamſi calix ipſa non eſſet præſens ab initio, & fieret præſens in medio prolationis formæ, conſecraretur vinum in ipſo contentum.

74. *Inſtat.* Reſpondetur negando ſequelam; quia tunc eſſet per accidens, quod materia fiat præſens in illo breuiſſimo tempore; in noſtro autem caſu, ſuppoſitis diſpoſitionibus, quæ ex natura rei ordinant conuerſionem ad illud inſtans, eſt per ſe, quod fiat ſtatim præſens. *Refellitur.* Sed contra; quia ſi hoſtia ex alio proiecta per motum localem ad meum conſpectum deſcenderet, non minus per ſe ſequitur præſentia hoſtiæ intra breuiſſimum tempus ex vi illius impulſus, & illius motus, quam ſequatur per ſe productio vini in altero caſu; ergo poſſet etiam dici moraliter præſens, & valide conſecrari. Deinde quod per ſe, vel per accidens futura ſit præſens, parum refert ſi re vera nondum eſt præſens; alioquin ſi nondum ſit conuerſa aqua in vinum in vltimo inſtanti prolationis, & ſtatim conuertenda eſſet, ſufficeret, quia illa conuerſio per ſe citiſſime fiet, & quod parum diſtat, nihil diſtare videtur; quare habebit etiam præſentiam moralem ſufficientem.

75. *Vaſquez. Aliter ſe defendit Vaſquez.* P. Vaſquez in loco citato aliter ſententiam illam defendit; quia nimirum Pronomen, *hic*, demonſtrat quidem ſanguinem Chriſti præſentem, non præſentem, quando illud Pronomen profertur, ſed in præſentem in fine prolationis. Cum ergo ſanguis Chriſti in fine prolationis præſens ſit ſub illis ſpeciebus, parum refert, quod illæ ſpecies ab initio fuerint aquæ, vel vini; nam illud, *hic*, non demonſtrat vinum, ſed ſanguinem contentum ſub illis ſpeciebus. Vnde conſequenter infert: ſi à principio prolationis totus calix eſſet plenus aqua, & ante finem prolationis illa aqua conuerteretur miraculosè in vinum, conuertendum fore etiam in ſanguinem Chriſti; quia de illis accidentibus verè enuntiaretur, quod in fine prolationis ſub illis contineretur ſanguis Chriſti.

76. *Hæc doctrina difficilis eſt.* Hæc doctrina difficilis eſt; nam ex ea ſequitur, quod ſi ab initio prolationis, fuiſſent miraculosè illa accidentia vini abſque vlla ſubſtantia, & ante finita verba poneretur ibi ſubſtantia vini, verè fieret conſecratio, licèt non fuiſſent prolata omnia verba ſuper aliquam ſubſtantiam. Probatur ſequela; quia tunc etiam verificari poſſent verba, cum illa ſolum ſignificent præſentiam ſanguinis Chriſti ſub illis accidentibus in fine prolationis, ad quod non requiritur, ſubſtantiam vini, vel aliquam aliam fuiſſe ſub illis, quando proferebatur *ly hic*. Conſequens autem videtur ſatis abſurdum: quia ſi id concederetur, non apparet rurſus, cur negandum ſit, quod poſſet etiam valide conſecrari aqua, quæ per totum tempus præcedēs eſſet aqua mixta vino, à quo illo tempore paulatim diſponeretur ad conuerſionem in vinum, & in vltimo inſtanti prolationis verborū conuertenda eſſet naturaliter in vinum, atque adeo iam tunc eſſent accidentia vini, & exigerent formam vini. Sequela probatur, quia tunc etiam verificarentur verba, quæ ſub illis accidentibus eſſet ſanguis Chriſti in vltimo inſtanti prolationis, in quo iam etiam eſſent accidentia vini. Conſequens autem Aduerſarij non admittunt: quia iam tunc daretur conſecratio abſque conuerſione ſubſtantiæ vini in ſanguinem Chriſti, quod eſt contra Concilium Tridentinum, & aqua conuerteretur immediatè in ſanguinem Chriſti, quod eſt contra aduerſarios. Fatendum ergo eſt, requiri pro tota prolatione verborum præſentiam non ſolum illorum accidentium, ſed vini, vel materiæ aptæ ad conſecrationem.

77. *Sumitur ratio pro noſtra ſententia à ſimili aliorum Sacramentorum.* Vnde ſumi poteſt ratio à ſimili aliorum Sacramentorum: nam in Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, &c. requiritur, quod pro tota prolatione verborum ſit præſens ſubiectum, quod per illam formam ſanctificatur & benedicitur. Si enim paruulus baptizandus nondum eſſet præſens; quando incipit proferri forma, fieret tamen præſens; & ablueretur ante finem formæ Baptiſmus non eſſet validus; quod idem eſſet in Confirmatione, Ordine, &c. Et quidem hoc non prouenit ex eo ſolum, quod forma Baptiſmi, Confirmationis, &c. ſint verba directa ad illum, cui Sacramentum confertur: *Baptizo te, Signo te, Abſoluo te*, &c. atque ideo debet eſſe præſens perſona, ad quam diriguntur. Hoc, inquam, non ſatisfacit; quia illæ formæ poſſunt proferri alio modo, prout proferuntur à Græcis; *Baptizatur ſeruus Chriſti*, &c. *Diuina gratia promouet hunc in Presbyterum*, &c. in quo caſu reddenda eſt alia ratio, & dicendum, requiri præſentiam ſubiecti pro tota prolatione, quia, vt diximus, agentes de Sacramentis in genere, illæ ſunt benedictiones, & conſecrationes, quibus ſubiectum benedicitur, & conſecratur Deo; benedictiones autem, & conſecrationes adhibentur ſuper rem præſentem. Cum ergo verba conſecrationis Euchariſtiæ ſint benedictio, & conſecratio materiæ, prout omnes Patres loquuntur, requirunt præſentem ab initio materiam conſecrandam. *Debet materia eſſe præſens cùm benedicitur, aut conſecratur.* Vnde ſi ab initio eſſet aqua ſola in calice, licet ante finem verborum conuerteretur diuinitus in vinum, non conſecraretur, quia illud vinum non fuit præſens, ſed alia materia incapax, & inepta ad conſecrationem. Sicut ſi initio prolationis formæ Baptiſmi eſſet præſens homo mortuus, & ante finem verborum reuiuiſceret, & ablueretur, non eſſet baptizatus, quia ab initio non erat ſubiectum capax illius conſecrationis, & benedictionis, quæ ſuper ipſum proferebatur. Hinc autem conſequenter infertur idem dicendum, quando ab initio eſſet aliquid aquæ mixtum cum vino, & ante finem verborum conuerteretur in vinum: nam ſi aqua non poteſt conuerti immediatè in ſanguinem Chriſti, aqua etiam mixta vino eſt materia incapax: atque adeo in ſententia illa conſequenter dicendum eſt, aquam debere eſſe præconuerſam in vinum toto tempore, quo proferuntur verba.

78. *Confirmatur à pari.* Confirmatur, quia ſi aqua, quando proferri incipiunt verba, non ſolum non ſit conuerſa in vinum, ſed nec mixta vino, imo in alio calice ſeorſim à vino, & dum verba proferuntur, infunderetur in vinum, miſceretur, & conuerteretur in vinum, ita vt quando abſoluuntur verba, iam eſſet mixta vino, & conuerſa in vinum, adhuc non poteſt dici, quod potuit Sacerdos velle conſecrare ab initio contentum in vtroque calice præſenti, nempe & vinum, & aquam ſeorſim in ſuo calice poſitam, quæ miſcenda erat vino poſt incepta verba conſecrationis. Quia ſicut non poteſt conſecrare Sacerdos factum;

& nquam ſeorſim poſitas, ex quibus non eſt factus panis, etiamſi ex ipſis fiat panis, antequam abſoluantne verba conſecrationis: quia nimirum farina ſeorſim non eſt materia conſecrabilis: ſic nec poteſt conſecrata aquam ſeorſim poſitam à vino, licet anta abſoluta verba miſceatur cum vino: tam incapax enim materia conſecrationis calicis eſt aqua pura, quam farina pura abſque aqua in ordine ad conſecrationem hoſtiæ; ergo eodem modo, licèt aqua ſit mixta vino, ſi tamen non ſit conuerſa in vinum vſque ad mediam prolationem verborum, non conſecrabitur iuxta illam ſententiam, quia ab eis Auctoribus æque incapax materia conſecrationis cenſetur aqua non conuerſa in vinum, & aqua non mixta vino, vt vidimus.

79. *Alia ratio deſumitur ex ratione ſacrificij.*

Addere poſſumus aliam rationem deſumptam ex ratione ſacrificij, quam conſecratio huius Sacramenti habet, in quo res oblata non ſolum eſt Christus Dominus ſub ſpeciebus, ſed etiam aliquo modo ſubſtantia panis & vini, vt ex ſanctis Patribus probant Cardin. Bellarm. *tom 3, lib. 1. de. Miſſa, cap.* 27. & Suarez *infrà diſp.* 75. *ſect.* 1. *concluſione vltima*; & nos dicemus infrà, agentes de hoc ſacrificio. Offertur autem & immolatur panis, & vinum potiſſime, quatenus per conſecrationem deſtruitur in honorem Dei, quod non aliter facit Sacerdos, quam per verba conſecrationis. Res autem, quæ offertur, & ſacrificatur, debet præſupponi illi oblationi; nec ſolum debet eſſe præſens, ſed multo magis exiſtens. Cum ergo aqua in ſententia contraria non ſit materia apta etiam partialis huius oblationis, & ſacrificij, ſed ſolum vinum; conſequens eſt, vt aqua debeat eſſe vinum, antequam ſacerdos eam offerat per verba conſecrationis; non enim poteſt incipere offerri, & immolari res nondum exiſtens, vt conſtat inductione omnium ſacrificiorum.

Bellarmin. Suarez.

80. *Ex his conſtat reſponſio ad fundamentum P. Vaſq.*

Ex quibus conſtat iam reſponſio ad fundamentum P. Vaſquez ſumptum ex eo, quod verba ſatis bene verificantur, ſi pro vltimo inſtanti prolationis, pro quo ſolo demonſtrant Christi ſanguinem præſentem, poſſint conuertere vinum iam tunc ex aqua factum, in ſanguinem. Ad hoc, inquam; reſpondetur, licèt præciſe ratione veritatis verborum id ſufficeret, non tamen, attenta inſtitutione huius Sacramenti, ex vi cuius ſacerdos non poteſt deſignare accidentia, quæ non ſint ſenſibiliter ſpecies vini, nec poteſt vti verbis, niſi ad conſecrandam materiam ſibi præſentem, & capacem conſecrationis, qualis non eſt aqua, quæ ſanctificari, & benedici Sacramentaliter non poteſt per verba conſecratoria; nec denique poteſt exercere actionem ſacrificandi, qualis eſt loquutio illa ſacramentalis, niſi circa hoſtiam præſentem, qualis non eſt aqua, quæ in illa ſententia non eſt materia huius ſacrificij.

81. *Quomodo dicendum ſit in noſtra ſententia.*

Hæc omnia, vt dixi, procedunt in illa ſententia negante, aquam non præconuerſam in vinum poſſe conuerti immediatè in Christi ſanguinem. In noſtra verò ſententia aliter dicendum eſt: concedimus enim ſi aqua ante initium prolationis verborum mixta fuit vino, licèt non fuerit iam conuerſa, & licèt in dimidio prolationis verborum conuerteretur, adhuc conſecrari, & conuerti in Christi ſanguinem: cum enim tam ſub ſpeciebus aquæ mixtæ vino, quam ſub ſpeciebus vini facti iam ex aqua, ſit materia apta ſaltem partialis, parum refert, quod non ſit conuerſa in vinum vſque ad dimidium prolationis verborum. Sicut ſi vinum album eſſet mixtum cum rubro, & rubrum, quia robuſtius eſſet, ageret album, & conuerteret aliquas eius partes in ſuam ſpeciem, illæ quidem partes, etiamſi in dimidio prolationis verborum conuerterentur in aliam ſpeciem vini, adhuc omnes in fine prolationis conuerterentur in ſanguinem Christi, quia tam ſub forma vini albi, quam ſub forma rubei erat materia capax conſecrationis, & oblationis.

82. *Inſtantia.*

Dicet aliquis: Si aqua mixta vino toto tempore prolationis verborum retinet formam ſubſtantialem aquæ, & in vltimo inſtanti prolationis deberet tunc perdere formam aquæ, & conuerti ſubſtantialiter in vinum, non videtur poſſe in eo inſtanti conuerti in ſanguinem Christi, licet ab initio fuerit materia capax conſecrationis: quia nimirum, ſi in eo inſtanti ſanguis Christi ponatur ſub illis accidentibus, non ponetur per conuerſionem vini in ipſum, cum nunquam fuerit forma vini ſub illis ſpeciebus; non poteſt autem conuerti in aliud ſubſtantia quæ nunquam fuit. Sed neque ponetur ſanguis per conuerſionem ſubſtantiæ aquæ in ipſum; quia aqua iam deficeret ex defectu diſpoſitionis requiſitæ ad eius conſeruationem: reſtat ergo in noſtra ſententia eadem difficultas, quomodo ſcilicet maneat ibi poſt conſecrationem aliqua alia ſubſtantia ex eo, quod non fuerit præconuerſa aqua in vinum ante finem prolationis verborum.

83. *Diluitur.*

Reſpondeo, idem argumentum fieri poſſe in caſu ſupra poſito, quando vinum rubrum, v.g conuerteret in ſuam ſubſtantiam aliquas partes debiliores vini albi ſibi mixti: nam ſi conuerſio illa fieri deberet in vltimo inſtanti prolationis, verborum, quæri poteſt eodem modo, ſi ſanguis Christi ponatur tunc ſub illis ſpeciebus, per cuius ſubſtantiæ conuerſionem id fieret? An per conuerſionem ſubſtantiæ vini rubei, quæ tamen nunquam fuit ſub illis accidentibus; an per conuerſionem ſubſtantiæ vini albi, quæ iam deficerat per defectum diſpoſitionis requiſitæ ad eius conſeruationem: quidquid in illo caſu dicatur, dici poterit in noſtro. Si vero negetur, vnum vinum conuertere poſſe aliud ſubſtantialiter in ſe, facilius negari poteſt, quod aqua conuertatur ſubſtantialiter in vinum extra vuam, vt vidimus in ſuperioribus.

84. *Dato illo caſu quomodo ſit reſpondendum.*

Dato tamen, quod illa conuerſio ſubſtantialis poſſibilis ſit, reſpondendum eſt, in caſu propoſito ſanguinem Christi ponendum ſub illis ſpeciebus in illo vltimo inſtanti vel termino prolationis verborum, & tunc poni quidem per conuerſionem ſubſtantiæ aquæ, quæ immediate ante præceſſit ſub iis accidentibus, in ſanguinem Christi: ad hoc enim, vt ſubſtantia aliqua conuerti dicatur in aliam, non eſt opus, quod illa, quæ conuertitur, ſit tunc, quando conuertitur; imo repugnat tunc eſſe; quia quod conuertitur, deſinit eſſe tunc, quando conuertitur in aliud; ſed requiritur, quod immediatè antea fuerit; & tunc primo non ſit, quando in aliud conuertitur. Cùm ergo ſubſtantia aquæ fuerit ſub illis accidentibus toto tempore præcedenti, & in illo vltimo inſtanti incipiat non eſſe, bene poterit dici, conuerti in Christi ſanguinem; quia conuerti in illum, eſt deſinere in illum, hoc eſt, deſinere, ſuccedente illo alio ſub eiſdem accidentibus in eodem munere ſubſtandi, vt infra videbimus; quod totum verificatur de ſubſtantia aquæ, quæ deſinit in Christi ſanguinem, id eſt, deſinit, ſuccedente ſibi ſanguine Christi ſub eiſdem accidentibus in munere ſubſtandi, ergo vere conuerteretur aqua in ſanguinem Christi.

85. *Deſinit ſæpe forma aquæ cum ordine ad aliquam ſubſtantiam quæ ſuccedat.*

Nec obſtat, quod forma aquæ iam priùs intelligatur deſiiſſe ex defectu ſuarum diſpoſitionum: non enim intelligitur deſiiſſe prius tempore, ſed in eodem inſtanti primo deſinit; & licet deſinat ex defectu diſpoſitionum, non tamen ſine ordine ad aliquam ſubſtantiam, quæ ſuccedat loco ipſius ſub eiſdem

eiſdem accidentibus; quod ſufficit, vt dicatur deſinere in illam aliam ſubſtantiam, & conuerti in illam. Nam etiamſi tunc introduceretur forma vini ſub illis accidentibus, poſſet adhuc concipi prius forma aquæ deſinere ex defectu ſuarum diſpoſitionum, qui defectus eſt aliquo modo independens ab introductione formæ vini, non tamen ſine ordine ad illam; & ideo diceretur forma aquæ conuerti in formam vini, hoc eſt, deſinere cum ordine ad introductionem formæ vini: ſic in noſtro caſu diceretur aqua deſinere in ſanguinem Chriſti, hoc eſt, deſinere immediatè ex defectu ſuarum diſpoſitionum, & introductione accidentium contrariorum; quæ deſitio ex ſe habet connexionem, & ordinem ad introductionem alterius ſubſtantiæ ſub eiſdem accidentibus in eodem munere; quod ſufficit, vt dicatur aqua deſinere, & conuerti in illam ſubſtantiam ſuccedentem. Adde, licet forma ſubſtantialis aquæ deſinat ex defectu ſuarum diſpoſitionum; materiam tamen primam aquæ non deſinere ex defectu diſpoſitionum, ſed propter introductionem ſanguinis Chriſti ſub illis accidentibus, vt infra videbimus; cum autem illa non fuerit vnquam materia vini, ſed aquæ, fit vt ex hoc etiam capite non vinum, ſed aqua diceretur tunc conuerti in ſanguinem Chriſti.

86. *Reſtat dubiũ de aqua quæ infunderetur poſt inchoata verba.* Reſtat tamen adhuc dubium de illa particula aquæ, quæ infunderetur in calicem poſt inchoata verba conſecrationis, quomodo poſſet manere ſub forma aquæ: id enim videri poſſet difficile ex alio capite; quia illa materia aquæ per mixtionem cum quantitate vini diuiditur in minutiſſimas partes: ergo non poterit perſeuerare cum forma aquæ, quia ſequetur illam formam ſubſtantialem eſſe in aliqua *Soluitur.* parte minori minima, quod eſt impoſſibile. Reſpondetur in primis, formam aquæ non determinare aliquod minimum diuiſibile, citra quod non poſſet produci, vt dixi *in lib. de generat.* Deinde, ſi adhuc velis formam aquæ poſtulare determinatam quantitatem materiæ, ſub qua ſit, debes dicere conſequenter, illas materiæ particulas accipere formam vini; quæ licet ſit in particulis minoribus quam minimis, poteſt tamen perſeuerare; quia ſaltem quoad accidentia continuatur cum ſpeciebus vini, cum quibus efficiunt magnam quantitatem ſpecierum vini, & cum quibus facile ſe defendunt ab agentibus contrariis, à quibus non poſſent ſe tueri ſeparatæ illæ particulæ; & ideo licet ſeparatæ non poſſent exiſtere, poſſunt tamen coniunctæ cum ſpeciebus conſecratis.

87. *Vltimum dubium.* Petes vltimo, an poculum conſtans ex multa aqua, & exigua quantitate vini poſſit conſecrari, ſaltem quoad partes vini; quia illæ partes adhuc *Soluitur.* ſunt vinum ſecundum ſe. Reſpondeo, ſi illa pars vini antea eſſet conſecrata, & poſtea illi magna aquæ copia iniiceretur, adhuc retineret conſecrationem, dum non corrumperentur ſpecies; cæterum conſecrari de nouo, dum habet illum ſtatum, non poteſt; quia non eſt eadem ratio de conſecratione, vt conſtabit ex dicendis *ſect. 5.*

SECTIO VI.

Vtrùm materia conſeruanda habeat terminum maximum, vel minimum.

88. QVærimus, verum ſit adeo exigua particula panis, quæ non poſſit conſecrari? An etiam è con- *S. Thom.* tra alia propter magnitudinem ſit incapax conſe- *Status primæ quæſtionis.* crationis? De quo S. Thom. *in præſenti art.* 1.

Et quod attinet ad primam partem, ſupponendum eſt primò, quæſtionem procedere poſſe, vel in ſententia Philoſophica affirmante, huiuſmodi formas panis, & vini habere aliquod minimum diuiſibile naturale, citra quod non poſſint naturaliter exiſtere; vel in ſententia contraria negante talia minima, quam probabiliorem exiſtimo. Secundo ſupponendum, aliud eſſe quærere, verum in qualibet parte panis poſſit conſeruari corpus Chriſti; aliud, an quævis particula ſeorſim poſſit conſecrari.

His ſuppoſitis, in ſententia negante talia minima naturalia, certum eſt, quamlibet particulam panis (& idem ſemper intelligimus de vino) alioquin ſenſibilem poſſe conſecrari; certum etiam eſt in omni ſententia, in quavis particula coniuncta cum aliis poſſe contineri corpus Chriſti; certum denique eſt in opinione admittente illa minima naturalia, non poſſe corpus Chriſti conſeruari in parte minori minima ſeparata; quia ibi ſolum poteſt conſeruari corpus Chriſti, vbi poſſet conſeruari ſubſtantia panis; ergo cum in ea parte non poſſet conſeruari ſubſtantia panis, nec poterit corpus Chriſti. 89. *Quid certum ſit ſecundum varias ſententias.*

An dimidium minimi poſſet validè conſecrari.

Difficultas tamen eſt primo, an in illa ſententia concedente talia minima, poſſet validè conſecrari dimidia ſolum pars minimi vnita cum aliis partibus panis? Concedit Suarez cum aliis *in præſenti diſp.* 43. *ſect.* 7. quia illa particula re vera eſt panis, & habet omnia requiſita, vt ſub illis accidentibus conſeruetur ſubſtantia panis. Alij negant, quæ pars probari poſſe videtur, non ſolum ea vulgari ratione, quod ſcilicet illa pars per conſecrationem diſcontinuaretur ab aliis, & per conſequens manerent illa accidentia ſub minori quam minimo; quam rationem ſoluit Suarez *in præſenti*, & forſitan non eſt efficax. Sed difficilius probari poteſt ex eo, quod corpus Chriſti non poteſt adæquatè, & totaliter exiſtere, niſi ſub ſpeciebus panis, hoc eſt, ſub diſpoſitionibus ſufficientibus ad formam panis; vna autem ex diſpoſitionibus requiſitis ad formam panis in illa ſententia eſt tanta extenſio quantitatis, quantam non habet dimidium minimi; ergo ibi non dantur omnes diſpoſitiones requiſitæ ad formam panis; ergo non magis poteſt corpus Chriſti ibi exiſtere totaliter, quam ſub quantitate carente tali gradu caloris, v.g. requiſito ad formam panis, cum tam neceſſaria diſpoſitio ſit talis extenſio, quam talis calor ad formam panis. 90. *Alia quæſtio.* *Suarez.* *Duplex ſententia.*

Ex quo dici etiam poſſet ad ſecundam difficultatem, an ſcilicet in eadem ſententia Philoſophica, dato, quod Deus miraculosè conſeruaret formam panis in dimidio minimi, poſſet valide conſecrari? Reſponderi enim poſſet conſequenter negatiue; quia ſicut ſi Deus conſeruaret formam panis in materia ſine calore, vel humore requiſito, non poſſet conſecrari, quia ibi non eſſet Chriſtus ſub ſpeciebus panis; ſic etiam dicendum eſſet in noſtro caſu, cum vna ex diſpoſitionibus panis ſit talis extenſio quantitatis, vt dictum eſt. 91. *Quid dicendũ ſit ad ſecundam difficultatem.*

Obiiciunt tamen alij Theologi pro prima ſententia contra hanc ſecundam; quia in illo dimidio minimi, ſaltem dum eſt vnitum reliquo pani, ſunt omnes diſpoſitiones requiſitæ, vt ibi conſeruetur vera forma panis; nam ibi eſt totum temperamentum requiſitum, vt ſupponitur, & ibi intercedit etiam vnio continuatiua illius quantitatis, & illorum accidentium cum reliqua quantitate & accidentibus panis, quæ continuatio ſufficit, vt ſub illa etiam quantitate conſeruetur ſubſtantia panis; ergo eædem diſpoſitiones, & eadem continuatio accidentium 92. *Obiectio.*

dentium ſufficiet, vt ibi poſſit eſſe corpus Chriſti loco ſubſtantiæ panis. Vnde conſequenter concedent etiam iidem recentiores, poſſe valide conſecrari dimidium minimi ſeparatum; in quo miraculoſe conſeruaretur forma panis.

93. *Reſponſio.* *Materia remota eſt panis, proxima vero ſpecies.* Ego quidem: vt ab hoc vltimo incipiam, difficile exiſtimo, quod panis miraculoſè conſeruatus abſque connaturalibus panis diſpoſitionibus poſſit validè conſecrari. Nam licet materia remota huius Sacramenti ſit ſubſtantia panis, materia tamen proxima ſaltem partialis, ſunt ſpecies panis, vt vidimus; quare ſi ſubſtantia panis miraculoſè exiſteret ſub ſpeciebus leonis, vel olei, non poſſet conſecrari, quia accidentia leonis, vel olei non poſſent demonſtrare ſenſibiliter corpus Chriſti, ſed ſola accidentia panis; vnde non poſſet dari Sacramentum Euchariſtiæ; quia vt ſupra diximus, conſtat intrinſece ex corpore Chriſti, & accidentibus panis. Similiter ergo, ſi deeſſet magnitudo requiſita ad connaturalem conſeruationem ſubſtantiæ panis, etiamſi diuinitus conſeruaretur panis, adhuc non poſſet valide conſecrari: quia ſicut panis miraculoſe conſeruatus abſque temperamento panis non poteſt validè conſecrari, eo quod illæ ſpecies alienæ non poſſent ſenſibiliter oſtendere corpus Chriſti, ſicut nec ſubſtantiam panis; ſic panis exiſtens miraculoſè abſque magnitudine naturaliter requiſita non poſſet validè conſecrari, quia illa accidentia abſque quantitate debita non ſignificarent corpus Chriſti ſenſibiliter, ſicut nec ſubſtantiam panis. Nam ſicut requiritur ad naturalem conſeruationem panis tale temperamentum, ſic in illa ſententia requiritur tanta magnitudo, & extenſio: ergo ſicut defectus temperamenti requiſiti obſtat validæ conſecrationi, ſic defectus extenſionis, & magnitudinis requiſitæ propter eandem rationē. Neque obſtat, quod ille eſſet verus panis: ad conſecrationē enim, vt diximus, non ſolum requiritur verus panis, ſed panis exiſtens ſub veris ſpeciebus panis, vt ſub illis maneat corpus Chriſti: ille autem panis nō exiſteret complete ſub veris ſpeciebus panis.

94. *Difficilior eſt primus caſus.* Difficilius eſt, quod pertinet ad primum caſum, quando illud dimidium minimi vnitum ſit reliquo pani: nam ex vno capite videri poteſt nec illud etiam poſſe valide conſecrari ſeorſim; quia licet illa pars habeat veram formam panis ſaltem partialem, non tamen eſt ibi ſub omnibus ſpeciebus completis panis. Sunt quidem ibi accidentia panis, & vnio continuatiua illorum accidentium cum aliis accidentibus panis: hæc tamen omnia non oſtendunt, ibi eſſe ſubſtantiam panis adæquate, ſed ſolum inadæquate, & partialiter; imo oſtendunt, non poſſe ſubſtantiam panis eſſe ſolum ibi. Cum ergo corpus Chriſti non poſſit eſſe, vbi non poteſt eſſe ſubſtantia panis, conſequens eſt, vt illa accidentia non poſſint ſenſibiliter ſignificare corpus Chriſti exiſtens ſolum ibi, ſed exiſtens ibi partialiter, hoc eſt, vt in parte ſpecierum, ſub quibus totaliter debet exiſtere.

95. *Confirmatur res iſta exemplo.* Confirmatur, & explicatur ex compoſitis heterogeneis. Si enim Sacramentum inſtitutum eſſet in materia aliqua heterogenea, & organica, vt in paſſere, v. g. vel pomo, tunc ſi aliquis vellet conſecrare in paſſere ſolum pedem, vel in pomo ſolum corticem, nihil efficeret; quia licet, conſecrato toto paſſere, vel pomo corpus Chriſti eſſet totum etiam ſub accidentibus capitis, vel corticis, non eſſet tamen ibi adæquatè, hoc eſt, ſub accidentibus, ſub quibus ſolis eſſe poſſet; nam per illa ſola non poſſet ſignificari; quia prout ibi non eſſet ſub ſpeciebus paſſeris, vel pomi, ſed capitis, & corticis. Similiter ergo in pane, & vino dicendum videtur, ſuppoſita illa ſententia de minimo naturali, nam ſicut ad exiſtentiam paſſeris, vel pomi requiruntur partes organicæ, & diuerſæ; ſic in illa ſententia ad exiſtentiam panis, & vini requiritur talis multitudo partium, ſine quibus non eſt panis, vel vinum complete, ſed incomplete; ergo ſicut in capite, vel cortice ſolo non poſſet conſecrari, quia ibi non eſt paſſer, aut pomum complete, ſic neque in dimidio minimo panis, propter eandem rationem, licet in eo etiam dimidio minimo ſit totum corpus Chriſti, quando conſecratur cum aliis partibus.

96. *In pane dantur aliquæ partes heterogeneæ.* Imo ſi res attente conſideretur, licet panis numerari ſoleat inter compoſita homogenea, quia reuera ſenſibiliter, & humano modo eſt homogeneus, cum non appareat in eo, regulariter loquendo, ad ſenſum diuerſitas partium diſſimilium; dantur tamen in ipſo aliquæ partes heterogeneæ, tum quia fortaſſe dantur partes farinæ mixtæ cum aliquibus partibus aquæ; neque enim omnes partes aquæ conſumptæ ſunt per actiuitatem ignis, neque farina in aliam tertiam ſubſtantiam conuerſa eſt: tum etiam, quia dantur partes furfuris mixtæ cum partibus farinæ purioris, vt ſupra vidimus: & quando conſecratur panis, totus panis conuertitur in corpore Chriſti, etiam quoad partes illas admixtas furfuris, quæ ſimul cum partibus farinæ componunt panem vſualem, & vulgarem. Quo ſuppoſito, poteſt in pane explicari idem ipſum, ſicut in compoſitis heterogeneis: nam ſi Sacerdos vellet conſecrare particulam ſolam furfuris minutiſſimam admixtam pani, quam acutiſſimus oculus poſſet aliquando diſcernere, nihil efficeret: quia illa particula ſola, licet ſit pars panis, non tamen eſt panis complete, & ideo non poteſt contineri corpus Chriſti totaliter, id eſt, ſola, ſed partialiter, hoc eſt, ſimul cum aliis partibus panis, licet in ſingulis ſit totum Chriſti corpus: ſic ergo licet dimidium minimi contineat totum corpus Chriſti, quando cum aliis partibus conſecratur: non tamen ſi ſeorſim conſecretur: quia ipſum ſecundum ſe eſt quidem pars panis, non tamen eſt panis complete, ſed incomplete, & ideo non ſignificat complete corpus Chriſti, ſed incomplete, ſicut particula furfuris, hoc eſt, ſimul cum aliis partibus, in quibus etiam idem Chriſti corpus continetur. *Applicatur ex explicata difficultate.*

97. *Aliud caput difficultatis.* Ex alio tamen capite videtur, quod illa dimidia pars minimi poſſet & conſecrari, & retinere ſola corpus Chriſti: quia ſi conſecratur dimidia ſolum pars hoſtiæ coniuncta cum alia dimidia non conſecrata, poſtea vero conſumatur vel corrumpatur illa pars conſecrata, excepto dimidio minimo, quod adhuc manet coniunctum cum alia parte non conſecrata, tunc certè vel manebit corpus Chriſti in illo ſolo dimidio minimo, vel deſinet eſſe ibi, ſuccedente iterum ſubſtantia panis ſub eiſdem accidentibus, non videtur autem dicendum, deſinere eſſe corpus Chriſti ſub ſpeciebus, quandiu ſub illis poteſt eſſe, ſicut de facto erit adhuc ſubſtantia panis, cui corpus Chriſti ſucceſſerat: ergo fatendum eſt, manere ibi corpus Chriſti.

98. *Reſponderi poſſet.* Reſponderi poſſet, ſuppoſita ſententia illa de minimis, conſequenter dicendum eſſe, quod manente illo ſolo medio minimo conſecrato, eo ipſo deſineret ibi eſſe corpus Chriſti, & rediret forma panis continuata cum reliqua parte hoſtiæ non conſecrata, ſicut de facto concedit S. Thom. *infra quæſt.* 77. *art.* 8. quando ſpecies vini conſecratæ miſcentur vino non conſecrato, deſinere eſſe ibi ſanguinem Chriſti, & redire formam vini: quod iuxta probabiliorem Thomiſtarum expoſitionem ſolum poteſt eſſe verum, propter illam rationem, quod ſcilicet per mixtionem diuiduntur ſpecies conſecratæ in partes minutiſſimas minores minimis, ſub quibus

ita

ita diſſitis non poteſt amplius eſſe ſanguis Chriſti, & ideo debet redire forma vini. Quare regulam illam vniuerſalem, quod tandiu maneant corpus, & ſanguis Chriſti quandiu ſub illis ſpeciebus poſſet conſeruari forma ſubſtantialis panis, & vini, intelligere ipſi debent, quando manent ſpecies ſufficientes ad cuntinendum panem, & vinum, quales non ſunt ſpecies dimidij vnius minimi.

99. *Manet tamen eadem difficultas.* Sed manent adhuc difficultas eadem, & maior de ipſa forma panis; nam ſi, conſecrata dimidia parte hoſtiæ, alia dimidia continuata, quæ non fuit conſecrata, corrumpatur tota præter dimidium minimi, cuius quantitas continua eſt cum parte conſecrata, quæri etiam poteſt, quid fiet de illa particula minori quàm minima, an ſub ea perſeuerare debeat forma panis: iam enim erit in minori quàm minimo; an verò debeat perire, & introduci alia forma, ſicut fieret, ſi minimum panis diuideretur in duas partes. Hoc ſecundum nun videtur dicendum, quia iam in illa hoſtia appareret aliquis effectus conſecrationis præteritæ; nam ſi non fuiſſet conſecrata, nullo modo introduceretur talis forma in illo dimidio minimo, ſed retineretur forma panis, cùm adhuc maneret illa particula coniuncta cum reliqua parte hoſtiæ; ergo conſecratio alterius partis non faciet, quod illa particula ſubſtantialiter corrumpatur, quando ſecluſa omni conſecratione, non debet corrumpi. Si ergo poteſt manere tunc forma ſubſtantialis panis in dimidio minimo, quid mirum, quòd maneret etiam corpus Chriſti in dimidio minimo, ſi corruptæ fuiſſent ſpecies conſecratæ præter illud dimidium minimum?

100. *Confirmatur.* Confirmarique poteſt, quia ſi in eo caſu deſineret eſſe corpus Chriſti in illo dimidio minimo, idem dicendum erit de ſanguine Chriſti, ſi conſecraretur dimidiũ vini, quod eſt in calice, & ſtatim extraheretur tota illa pars conſecrata præter dimidiũ minimum: nam in illo dimidio minimo deſineret eſſe Chriſti ſanguis, & reproduceretur ibi forma vini; tũc autem extrahatur etiam illud dimidium minimum, & coniungatur aliis partibus conſecratis, quæ fuerant extractæ: peto, an maneret illud dimidium minimum adhuc cum forma vini, an vero reciperet iterum Chriſti ſanguinem. Hoc ſecundum dici non poteſt, quia non poteſt deſtrui illa ſubſtantia vini, niſi per conſecrationem nouam. Sed nec primum videtur dicendum, quia hæ omnes ſpecies, quæ nunc ſunt in calice, ſunt illæ, quæ omnes, & ſolæ fuerant conſecratæ: ergo quandiu manent illæ eædem ſpecies, de quibus dictum fuerat, quod continebant Chriſti ſanguinem, debet illud idem de ipſis verificari.

101. *Hoc caſu ſuppoſito, poſſet adhuc corpus Chriſti eſſe ſub dimidio minimo. Ratio eſt.* Hæc quidem probant, de facto non poſſe illos caſus euenire, quia non dantur illa minima naturalia in pane, & vino: ſuppoſita tamen illa ſententia de minimis, magis placet, quod poſſet corpus, vel ſanguis Chriſti eſſe in dimidio minimo, quamdio coniunctum eſſet cum aliis partibus panis, aut vini non conſecrati. Ratio autem videtur eſſe, quod corpus Chriſti, v. g. ſub ſpeciebus ſuccedit loco panis, ad præſtandum id, quod ſubſtantia panis præſtaret: quare illa accidentia eodem modo debent ſe habere, ſicut ſi haberent ſub ſe ſubſtantiam panis; ſi autem ibi eſſet ſubſtantia panis, poſſet illud dimidium minimum manere continuatum cum accidentibus partis non conſecratæ; eodem ergo modo manebunt continua illa accidentia retinendo corpus Chriſti, quia hoc eodem modo ſe habet, ac ſi eſſet illa ſubſtantia panis, quæ prius erat ſub illis accidentibus. Quare ſicut illa ſubſtantia panis non poſſet perſeuerare ſub illis accidentibus, ſi eſſet ſeorſim in illo dimidio minimo: perſeueraret tamen, quandò illa accidentia continuarentur cum aliis accidentibus panis: ſic corpus Chriſti gerit ſe eodem prorſus modo, & perſeueraret, quandiu perſeueraret ſubſtantia panis, cui ſucceſſit, & abit, quando periret forma panis propter ſeparationem illius medij minimi ab aliis partibus.

102. *Ad argumentum partis contrariæ. Reſpondetur.* Ad argumentum ergo, quod pro parte contraria afferebamus, dicendum eſt, corpus Chriſti eſſe poſſe non ſolum ſub ſpeciebus adæquatis, hoc eſt ſufficientibus ad continendam adæquatè ſubſtantiam panis, ſed etiam ſub inadæquatis, id eſt, ſufficientibus ad continendam inadæquatè ſubſtantiam panis; dum tamen hæ ſpecies continentur cum aliis ſpeciebus panis, cum quibus componant ſpecies adæquatas. Cum enim corpus Chriſti ſuccedat ibi, vt diximus, ſubſtantiæ panis, hinc eſt, vt ſicut ex hac, & illa parte ſubſtantiæ panis fit vna ſubſtantia adæquata, quæ poſſit eſſe ſub illis ſpeciebus; ſic ex corpore Chriſti, & illa parte ſubſtantiæ panis, quæ remanet in parte continua, confletur quaſi vna ſubſtantia panis, & vice panis, quæ poſſit ſubſtare toti illi minimo accidentium, ſicut ſi tota eſſet ſubſtantia panis; ſpecies ergo illæ præcisè, ſub quibus eſt corpus Chriſti in dimidio minimo: non ſignificant ſufficienter, ibi eſſe corpus Chriſti: quia ſi illæ eſſent ſeparatæ ab aliis, non poſſent illud continere; illæ tamen ſpecies prout continuatæ cum aliis ſignificant ſufficienter: quia prout ſic ſufficiunt ad illud continendum. In quo ſenſu dixit Martinus de

103. *Ledeſma.* Ledeſma *1 part. 4. quæſt. 15. art. 2. dub. 5. in fine*, quod *In illo caſu daretur minus minimo ſubſtantia, non autem accidentium.* in illo caſu daretur minus minimo ſubſtantiæ, non tamen daretur minus minimo accidentium: quia quantitas, & aliæ diſpoſitiones continuæ in toto minimo ſufficiunt ad continendum minimum integrum ſubſtantiæ, & hoc ſufficit ad hoc, vt corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus: tunc enim ſpecies ſufficiunt ad continendum, & ſignificandum corpus Chriſti, quando ſenſibiliter ſignificare poſſunt eſſe in ea parte ſubſtantiam panis, ſed ſpecies illæ continuatæ cum aliis ſpeciebus panis ſignificant ſenſibiliter, ſubſtantiam panis etiam ſub illa parte eſſe: ergo poſſunt eodem modo ſignificare, & continere in ea parte corpus Chriſti. Quando ergo dicitur, corpus Chriſti non poſſe eſſe adæquatè, niſi vbi ſubſtantia panis poſſet eſſe adæquatè, diſtinguendum eſt. Nam ſi ſenſus ſit, non poſſe eſſe adæquatè, hoc eſt, in ſolo eo loco, & parte hoſtiæ, niſi in ea ſola poſſet eſſe ſubſtantia panis, negandum eſt: ſi vero ſenſus ſit, non poſſe eſſe adæquatè, hoc eſt, per modum ſubſtantiæ adæquatè, & independenter ab omni alia ſubſtantia, cum qua quaſi integret ſubſtantiam adæquatam illorum accidentium, verum eſt. Nam in illo caſu corpus Chriſti in eo dimidio minimo non eſt adæquatè, hoc eſt, per modum ſubſtantiæ totalis, ſed quaſi per modum ſubſtantiæ partialis, ſeu ſupplens locum partialis ſubſtantiæ panis; quæ ſola non poſſet exiſtere, itaque ideo eſt ibi corpus Chriſti dependenter ab eo, quod ſit alia pars ſubſtantiæ panis in parte proxima hoſtiæ, cum qua quaſi componit, & integrat ſubſtantiam ſufficientem illorum accidentium, quæ ſunt in toto minimo; eſt tamen corpus Chriſti in ſolo dimidio, quia ſicut pars ſubſtantiæ panis poſſet eſſe in illo ſolo, licet non ſola, ſed continuata cum alia parte panis: ſic corpus Chriſti, quod ſuccedit illi parti ſubſtantiæ panis, poteſt eſſe in illo ſolo dimidio, licet non ſolum, hoc eſt, ſine coniunctione aliqua cum parte ſubſtantiæ panis exiſtente ſub accidentibus continuis, quæ accidentia deſeruiunt etiam ad hoc, vt corpus Chriſti poſſit ſignificari præſens per accidentia alia, ſub quibus eſt.

104. *Inſtantia.* Dices, corpus Chriſti non ſignificatur per alias ſpecies panis, niſi per illas, ſub quibus eſt, alioquin illæ aliæ ſpecies eſſent etiam pars Sacramenti; ſiquidem componerent illud in ratione ſigni ſenſibilis: ſed corpus Chriſti non eſt ſub omnibus accidentibus illius minimi: ergo non poterit ſignificari per illa omnia, ſed per accidentia dimidij: quare ſi hæc non poſſunt ſufficienter ſola ſignificare corpus Chriſti, non poterunt ſola illum continere. Dicere enim, quod poſſunt ſignificare provt coniuncta cum aliis, eſt dicere, quod reuera illa etiam alia ſignificant partialiter. Nam illud, *provt coniuncta*, addit coniunctionem actualem aliorum, quæ coniunctio adæquatè non eſt in hoc dimidio minimo; potuerunt enim ſaltem diuinitus eſſe hæc accidentia dimidij minimi cũ omnibus intrinſecis, quæ habent, abſque eo, quòd eſſent omnia illa alia, cum quibus ſolum mediatè continuantur; nam licet in his concedamus vnionem intrinſecam immediatam ad accidentia ſibi immediatè continua, nulla tamen eſt vnio in his, quæ reſpiciat eſſentialiter illam partem, cum qua ſolum mediatè continuatur. Si ergo hæc accidentia ſignificant corpus Chriſti, provt ſunt cum aliis omnibus totius minimi, conſequens eſt, quod omnia illa intrent ad componendum hoc Sacramentum in ratione ſigni ſenſibilis: & per conſequens Euchariſtia non componetur ſolum ex corpore Chriſti, & ſpeciebus, ſub quibus eſt, ſed etiam ex illis ſub quibus non eſt, ſeu ex accidentibus panis continentibus adhuc ſubſtantiam panis.

105. *Solutio.* Reſpondeo, hoc Sacramentum poſſe conſiderari, vel in ratione ſignificantis, vel in ratione cibi, & potus, qui ſumitur. Et quidem ſub prima conſideratione componitur non ſolum ex ſpeciebus, ſed etiam ex verbis conſecrationis, ex inſtitutione, & aliis omnibus, à quibus habent poſſe ſignificare gratiam, vt ſupra vidimus: quare non eſt mirum, ſi ſub ea ratione importet etiam in obliquo illas ſpecies panis totius minimi, ſine quibus ſpecies dimidij minimi non poſſent ſufficienter ſignificare. At vero in ratione cibi, & potus includit ſolum corpus, & ſanguinem Chriſti, & ſpecies illas, quibus corpus, & ſanguis Chriſti ſubſtant: nam cibus, qui comeditur, & potus, qui bibitur, non includit intrinſecè illas alias ſpecies, licet illas requireret, vt ſub his poſſet Chriſtus contineri. Quando ergo dicitur, Euchariſtiam conſtare ex corpore Chriſti, & accidentibus panis, ſub quibus illud eſt, loquimur de cibo illo, qui ſacramentaliter ſumitur, qui quidem non includit alia accidentia panis, niſi illa, ſub quibus eſt Chriſtus. Nam ſicut non ſumimus, aut comedimus verba conſecrationis, ſed corpus Chriſti, & ſpecies, quæ ab illis verbis complentur in ratione ſigni: ſic provt ſumimus Sacramentum, non comedimus ſpecies illas continuas, à quibus hæ aliæ ſpecies complebantur in ratione ſigni, ſed ſolum provt comedimus corpus Chriſti ſub his ſpeciebus, dicimur ſumere Sacramentum Euchariſtiæ.

106. *Reſpondetur ad confirmationem ſuperiorẽ de compoſitis heterogeneis.* Ad confirmationem ex compoſitis heterogeneis reſpondeo: ſi materia Euchariſtiæ eſſet paſſer, vel pomum, non poſſet conſecrari ſolus pes, vel ſolus cortex, quia tunc non conſecraretur materia debita, ſcilicet paſſer, vel pomum: nam pes non eſt paſſer, nec cortex eſt pomum; ſicut nec modo poteſt conſecrari particula ſola furfuris minutiſſima, quæ ſit ſimul cum farina in pane, licet illa cum toto pane poſſet partialiter conſecrari. At vero dimidium minimum panis poſſet ſolum illud conſecrari, ſi continuum ſit cum aliis partibus panis, quia licet non poſſit exiſtere illa tenuiſſima pars ſeorſim ab aliis partibus: illa tamen eſt verè panis, atque ideo conſecratio habebit materiam requiſitam ad ſuum valorem, ſcilicet verum panem.

Aduerte tamen, hoc ita intelligendum eſſe, vt, quod attinet ad conſecrationem, in tantum eſſet valida, in quantum illud dimidium minimum ſecundum ſe poſſet eſſe ſenſibile, & demonſtrabile ad ſenſum: nam licet ſemel conſecrata aliqua pars poſſet retinere conſecrationem reducta etiam ad paruitatem tenuiſſimam, in primo tamen fieri debet habere magnitudinem requiſitam, vt ſentiatur: vt ſtatim dicemus. 107.

An particula imperceptibilis poſſit eſſe materia huius Sacramenti in facto eſſe.

Tertia ergo difficultas eſt, an quævis particula ſeparata, etiamſi ſit adeo tenuis, vt non poſſit ſentiri, retineat corpus Chriſti. Negauit Maior *in 4. d. 11. q. 3.* quia Sacramentum eſt ſignum ſenſibile: ergo illa particula, quæ non eſt ſenſibilis, non poteſt deſeruire ad exiſtentiam Chriſti Sacramentalem. Communior tamen ſententia affirmat, quam ſequuntur Suarez, & Vaſquez in præſenti. Præcipuum fundamentum deſumitur ex Trident. *ſeſſ. 13. can. 3.* abſolutè docente, ſub qualibet parte cuiuſque ſpeciei ſeparata manere totum Chriſtum: quæ vniuerſalis nullam videtur admittere exceptionem. 108. *Tertia difficultas de particula imperceptibili. Maior. Sententia Maioris. Contraria vera. Suarez. Vaſquez. Conc. Trid.*

Ad fundamentum vero Maioris reſpondet P. Vaſquez *diſp. 171. n. 12.* concedendo, ſi talis particula non eſſet ſenſibilis, non poſſe retinere corpus Chriſti. Cæterum negat, poſſe ſeparari particulam panis adeo exiguam, quæ non poſſit ſentiri ab aliquo acutiſſimo ſenſu, vel viſu, vel tactu, &c. quia ſi à nullo poſſet ſentiri, non adæquaret minimum naturale requiſitum ad formam panis. Hæc tamen ſolutio ſupponit illam ſententiam minus probabilem in Philoſophia de minimis naturalibus: ſupponit etiam voluntariè, terminum minimum panis eſſe eundem cùm termino naturali obiecti ſenſibilis, cum tamen poſſit aliquis dicere, minimum panis non attingere quantitatem neceſſariam, vt ſentiatur. 109. *Ad fundamentum Maioris reſpond. Vaſquez. Hæc ſolutio reijcitur.*

Ideo aliter dici poſſet: ſi talis particula non eſſet ſenſibilis, non retinere corpus Chriſti; cæterum nũquam poſſe naturaliter ſeparari adeo exiguam panis particulam, quæ à perſpicaciſſimo, & acutiſſimo ſenſu, data præſertim maxima lucis copia, non poſſit ſentiri; & ideo Concilium fatetur, ſub qualibet particula ſeparata manere totum Chriſtum, quia loquitur de particulis, quæ naturaliter ſeparantur. Sed cõtra hoc eſt, quod voluntariè etiam dicitur, non poſſe naturaliter ſeparari particulam non ſenſibilem. 110.

Melius ergo reſpondetur, quamlibet particulam ſeparatam ſufficere ad Sacramentum, quia quælibet ſimpliciter, & abſolutè eſt ſenſibilis, licet hic, & nunc per accidens non ſentiatur. Pro quo aduerte, aliud eſſe, obiectum non eſſe ſenſibile defectu ſenſibilitatis; aliud, non ſentiri defectu alicuius conditionis. Color, v. g. non poteſt videri ſine luce: cæterum etiam in tenebris color eſt de ſe ſenſibilis, & viſibilis, quia licet tunc non videatur defectu illius conditionis, de ſe tamen habet potentiam productiuam ſpeciei, ſeu entitatem, quæ, poſita tali conditione, terminare poterit actum viſionis. Sic ergo illa particula ſeparata licet hic, & nunc non ſentiatur defectu coditionis, quia ſcilicet, ſicut color poſtulat concomitantiam lucis ad immutandam potentiam, ſic hæc particula poſtulat concomitantiam aliarum ad immutandum ſenſum: cæterum de ſe ſemper retinet ſuam potentiam ad producendam ſpeciem ſui, & ſuam entitatem, quæ terminare poteſt ſenſationem, ſeu partem ſenſationis: ergo ſicut color etiam 111. *Melius ergo reſpondetur.*

in tenebris manet de ſe ſenſibilis, ſic etiam illa particula etiam ſeparata manet de ſe ſenſibilis, licet non ſentiatur defectu alicuius conditionis.

112. *Inſtabis.* Dices, illa particula adeo tenuis, quod nõ ſentiretur, non eſſet manducabilis: & per conſequens non eſſet cibus; ergo neque eſſet Sacramentum, quod debet eſſe cibus, vt poſſit dare ſuam gratiam. *Reſpondeo.* Reſpondeo eodem modo, licet fortaſsè illa particula dum ſeparata eſt, non poſſet ſeorſim comedi, adhuc eſſet Sacramentum, & contineret corpus Chriſti; quia ad hoc ſufficit, quod poſita conditione requiſita poſſit comedi: ſicut poſſet de facto illa particula comedi, non ſolum ſi coniungeretur cum aliqua hoſtia conſecrata, & ſimul cum illa deglutiretur, ſed etiamſi coniungeretur cum alio cibo non conſecrato, cum quo ſimul traiiceretur in ſtomachum, tunc enim verè comederetur, & daret gratiam Similiter ſi gutta vini conſecrata eſſet poſtea adeo attenuata, vt non ſentiretur, adhuc eſſet Sacramentũ, quia illa immixta vino non conſecrato, quod in eundem calicem ad ablutionem infundatur, biberetur, & daret ſuam gratiam, licet ſola & ſeorſim non poſſet ebibi. Non ergo requiritur ad hoc Sacramentũ, quod ſpecies conſecratæ ſecundum ſe poſſint humano modo comedi, & bibi, ſufficit, ſi admixtæ ſaltem alteri cibo, vel potui poſſint ſumi, & traiici in ſtomachũ. Sic etiam in naturalibus videmus guttulam tenuiſſimam ex quinta natura Roris-marini, quæ præ tenuitate vix ſentitur, nec ſola poteſt traiici per modum potus, mixtam tamen vino, vel aquæ potum efficaciſſimũ conficere, & ſic ebibitam efficacitatem ſuam in ſtomacho manifeſtare. Poteſt ergo guttula illa ſpecierum conſecratarum, licet ſecundum ſe ſit inepta ad potum, retinere ſuam totam efficacitatem Sacramentalem, quam exerat, dum admixta ſaltem potui ebibatur.

113. *Inſtantia.* Dices iterum, ſpecies debere eſſe tales, quæ poſſint ſenſibiliter ſignificare corpus Chriſti; hoc enim cum non ſentiatur per ſe, debet fieri ſenſibile per ſpecies, vt poſſit eſſe pars huius Sacramenti, vt vidimus in ſuperioribus. Ad hoc autem requiritur, quod ſpecies poſſint ſentiri, quatenus ſunt ſpecies panis; nam cognoſcere ſolum aliqua accidentia, non ſufficit ad hoc, vt deueniamus in cognitionem corporis Chriſti, niſi illa cognoſcantur, vt accidentia panis. Requiritur ergo in ſpeciebus conſecratis talis ſaltem quantitas, in qua ab acutiſſimo ſenſu percipi poſſint vt ſpecies panis; alioquin corpus Chriſti non fiet ſenſibile ſufficienter per alias. Quando ergo particula ſeparata eſſet adeo tenuis, vt communiter non percipiatur, non videtur poſſe vlli homini conſtare, quod ſit potius ſpecies panis, quàm pulueris, aut alterius rei.

114. *Soluitur.* Reſpondetur eodem modo, ſicut illa particula tenuiſſima ſeorſim non ſentitur, eſt tamen ſenſibilis de ſe, quia coniuncta aliis ſentietur per ſpeciem ſui quam emittit, ſic, licet ſeorſim non percipiatur, an ſit ſpecies panis, vel alterius rei; adhuc retinet ſenſibilitatem panis: quia coniuncta aliis ſentietur diſtinctè vt ſpecies panis per ſpeciem ſui, quam emittet. Totus ergo ille defectus, quem in eo ſtatu habet, non eſt defectus ſenſibilitatis intrinſecæ, ſed extrinſecus ex defectu conditionis requiſitæ ad operandum, & immutandum ſenſum, qui non poteſt immutari diſtinctè, niſi à multis ſpeciebus ſimul plurium partium obiecti.

An poſſit quævis minutiſſima particula conſecrari.

115. Hinc oritur quarta difficultas, an quævis particula, quæ ſeparata non ſentitur, poſſit ſeparata conſecrari? *Quarta difficultas.* Suarez, & Vaſquez negant, & merito, quia ad conſecrationem requiritur, quod res demonſtretur *Communis & vera ſententia.* præſens Pronomine demonſtratiuo, quo vtitur Sacerdos: *Hoc eſt corpus*, &c. Non poteſt autem per hoc Pronomen demonſtrare, niſi rem præſentem in ordine ad ſenſus: ergo ſi hic, & nunc non eſt demonſtrabilis, non eſt conſecrabilis. Dices, quid ſi ex reuelatione ſciret Sacerdos, illam particulam eſſe præſentem? Reſpondetur, nec tunc poſſe conſecrare: quia hæc præſentia tunc demonſtraretur intellectualiter, non ſenſibiliter; quare non poteſt vti illo Pronomine, ſicut nec loquendo de dæmone, quem ex reuelatione ſcit eſſe præſentem, diceret: *hoc eſt dæmonium.*

Cæterum adhuc reſtat difficultas, an neceſſe ſit 116. illam particulam ſenſibilem eſſe reſpectu ipſius Sa- *Reſtat adhuc difficultas.* cerdotis conſecrantis, an ſufficiat eſſe ſenſibilem reſpectu alterius, qui habeat ſenſum magis acutum? P. Vaſquez *num.* 15. ſupponit, materiam debere eſſe ſenſibilem ipſi conſecranti, vt poſſit vti Pronomine demonſtratiuo. Ego tamen non inuenio rationem ſufficientem huius neceſſitatis. Cur enim Sacerdos cæcus certus aliunde de exiſtentia, & præſentia panis non poſſet auditoribus dicere: *Hic eſt panis*, & per conſequens: *Hoc eſt corpus meum?* Imo anima ſeparata, quæ non habet cognitionem ſenſitiuam poſſet cum hominibus loquens vti illo Pronomine dicens: *Hic eſt ignis*, vel, *hæc eſt domus*, &c. Nam illud, *hoc*, ſufficienter demonſtrat rem præſentem per accidentia ſenſibilia ab audientibus, quibus potiſſimum debent voces ſignificare.

Obiicies tamen ex dictis: ſufficit ad retinendum 117. corpus Chriſti ſenſibilitas intrinſeca illius particu- *Obiectio.* læ, licet ex defectu alicuius conditionis, & magnitudinis requiſitæ non ſentiatur: ergo ſufficiet illa ſenſibilitas intrinſeca ad hoc, vt conſecretur, licet ex defectu alicuius conditionis non percipiatur. Confirmatur, quia Sacerdos in tenebris poteſt valide conſecrare hoſtiam præſentem; nam defectus luminis requiſiti, eſt defectus conditionis ad ſenſationem, non vero eſt defectus ſenſibilitatis in obiecto; ergo poterit etiam valide conſecrare illam particulam tenuem præſentem, non obſtante quod actu non percipiatur, cum id proueniat ex defectu ſolius conditionis.

Reſpondetur negando conſequentiam Ratio vero 118. diſcriminis oritur ex ſignificatione illorum prono- *Reſponſio.* minum *hoc*, & *hic*, quibus homines vtuntur ad demonſtrandas ſenſibiliter res præſentes, atque ideo ex vſu hominum ſignificant, obiectum non ſolum eſſe præſens, nec ſolum eſſe ſecundum ſe ſenſibile, ſed etiam tale, & taliter applicatum, vt hic, & nunc poſſit ſenſibus manifeſtari, quantum eſt ex parte obiecti Qui enim dicit: *Hoc eſt aurũ*, implicitè dicit id, quod coram ſenſibus eſt præſens, & apparet quantũ eſt ex parte obiecti, eſſe aurum: quare ſi ex tenuitate obiecti non appareret, non eſſet vera propoſitio, ſed de ſubiecto non ſupponente, vt dici ſolet: nam ſi adducto lumine, & oculis alioquin perſpicacibus apertis, nihil præſens appareret, dicerent auditores, nihil prorſus eſſe, de quo dici poſſet: *Hoc eſt aurum.* At vero ad hoc, vt panis ſit ſenſibilis, non requiritur totum hoc; ſatis eſt, quod ex ſe ſit ſignum ſenſibile, licet defectu alicuius conditionis non poſſit oculum immutare, prout contingit, quando propter tenuitatem non percipitur; nam licet coniunctio aliarum partium requiratur, vt ſentiatur hæc pars: illæ tamen partes non ſunt hoc ſignum, nec virtus actiua huius ſigni; quia ſpecies præcisè huius particulæ nõ producitur ab aliis partibus, ſed à ſola ipſa particula, quæ per illam ſpeciem repræſentatur, & ſingulæ partes

producunt ſpeciem ſolum ſui; non ergo concurrunt aliæ partes tanquam virtus, ſed tanquam conditio requiſita, vt iſta pars producat ſpeciem ſui, vel immutet oculum per ſpeciem ſui; & ideo, deficientibus aliis partibus, deficit quidem conditio, manet tamen vero virtus requiſita in hac particula in ratione virtutis ad producendam ſpeciem ſui, & per conſequens manet ſignum ſenſibile ſenſibilitate in ratione virtutis, licet non completa per omnes conditiones requiſitas.

119. *Reſpondetur ad confirmationem.* Ad confirmationem fatemur, in tenebris fore validam conſecrationem, & vera verba ipſius, non tamen præciſe ex eo, quod defectus lucis ſit defectus merus conditionis, ſed quia eſt defectus talis conditionis, ſcilicet non tenentis ſe ex parte obiecti; quia nimirum homines per illa pronomina demonſtratiua *hoc*, & *hic*, intendunt ſignificare rem ita præſentem, vt, quantum eſt ex parte obiecti, percipi poſſit, atque ideò comprehendunt conditiones etiam requiſitas ex parte illius entitatis completa ſumptæ, non vero illas, quæ requiruntur, quaſi extrinſecè, quales ſunt lux, potentia viſiua integra, &c. Hanc autem eſſe vim illorum pronominum, conſtat ex hominum vſu, qui eis vtuntur in tenebris, non vero quando res propter tenuitatem eſt imperceptibilis.

120. *De termino materiæ conſecrandæ ſecundum magnitudinem.* Denique, quod attinet ad terminum materiæ conſecrandæ ſecundum magnitudinem, certum eſt, nullum eſſe terminum ad valorem conſecrationis per ſe loquendo, licet per accidens magnitudo materiæ aliquando poſſet obſtare, eo quod non poſſent omnes partes habere præſentiam requiſitam, vt demonſtrentur per pronomen *hoc*, videatur Suarez *vbi ſupra ſect.* 8. & Vaſquez *c.* 3. qui bene probant hanc partem contra Bonauenturam, Alexandrum, & Angelum, qui dixerunt, eam ſolam materiam valide conſecrari, quæ accommodata eſt ad vſum fidelium, ad quem hoc Sacramentum ordinatur. Quæ quidem ratio, ſi aliquid probat, probaret etiam, dum ſufficientes hoſtiæ ſunt iam conſecratæ, non poſſe valide conſecrari aliam hoſtiam de nouo, donec illæ conſumantur, nec poſſe valide conſecrari Euchariſtiam in ordine ad veneficia, & incantationes, & alia huiuſmodi, quæ omnia ſunt abſurda. *Suarez. Vaſquez.*

SECTIO VII.

Vtrùm materia conſecrabilis debeat eſſe præſens, & determinata?

121. QVod attinet ad præſentem, nonnulla ſunt certa, aut fere certa; alia vero ſunt ſatis dubia, & quæ vix poſſunt ſub aliqua certa regula comprehendi.

Primo certum eſt, materiam debere eſſe præſentem. Primo certum eſt, materiam debere eſſe præſentem Sacerdoti; quod conſtat ex forma conſecrationis, & pronomine demonſtratiuo rei præſentis, & ex vſu Eccleſiæ; & quia alias poſſem ego hic exiſtens conſecrare panem apud Indos; quod eſt ridiculum. Ratio autem potiſſima deſumitur ex inſtitutione Chriſti, qui conſecrauit materiam præſentem, & non dedit poteſtatem Apoſtolis faciendi niſi quod ipſe fecerat.

122. *Secundo non ſufficere quod materia ſenſu aliquo percipiatur.* Secundo certum eſt, non ſufficere ad hanc præſentiam, quod materia aliquo ſenſu percipiatur, alioquin poſſet panis per vnam, vel plures leucas diſtans conſecrari, quia viſu percipitur. Ratio eſt, quia illud *hoc*, plus deſignat, quam præſentiam ſenſationis actualis in communi modo loquendi. Adde, nec etiam requiri iſtam actualem ſenſationem: nam licet actu non videatur, nec tangatur; materia poteſt conſecrari, dum actu ſit præſens.

123. Tertio certum eſt, materiam in aliquo continente incluſam poſſe ſufficienter demonſtrari per illud *hoc*, vt vinum in calice cooperto, vel hoſtias in capſula incluſas; quia iuxta communem loquendi modum ſufficienter demonſtratur contentum per proximum continens. At vero, ſi panis exiſteret in alio cubiculo, non ſufficienter oſtenderetur per *ly hoc*: vnde hoſtia exiſtens in Sacrario clauſo, valdè dubium eſt, an poſſet conſecrari. *Tertio ſufficere incluſam in aliquo continente.*

Quartò certum mihi eſt, præſentiam ſignificatam per *ly hoc*, accipiendam eſſe ſtrictè, & in omni rigore; nam licet in vulgari ſermone poſſis dicere, *hic eſt homo ſapiens*, dum loqueris de homine, qui proximè antea erat præſens; & iam abiit: ibi tamen non demonſtratur ſubiectum per ſolum pronomen, ſed per adiunctas circumſtantias, & in ordine etiam ad diſcurſum auditorum. At vero in conſecratione per *ly hoc*, debet ſignificari omnino res præſens independenter à circumſtantiis, & ab omni alio nutu, vel ſigno. 124. *Quarto præſentiam hanc ſumi in rigore.*

Hæc certa ſunt, illud autem maximè dubium, quæ regula ſit aſſignanda ad cognoſcendam hanc præſentiam. Nonnulli dicunt, materiam diſtantem per centum paſſus non conſecrari, per decem conſecrari, per quinquaginta eſſe dubium; alij, materiam à tergo non conſecrari, ſed quæ eſt in conſpectu poſita. Certè ego nullam firmam regulam inuenio, niſi eam, quæ ex communi modo loquendi hominum deſumitur: illa ergo præſentia requiritur, quæ in modo ſtricto loquendi ſufficit ad demonſtrandum aliquid præſens per *ly hoc* independenter à diſcurſu, à nutibus, à circumſtantiis, &c. vt dictum eſt. Ex quo etiam obiter crediderim, eo minorem propinquitatem requiri, quo materia fuerit maior; nam minor propinquitas requiritur in communi ſermone ad demonſtrandam ciuitatem per *ly hoc*, quam ad demonſtrandam domum, vel arborem. 125. *Quæ autem hominum ſit regula dubium eſt.* *Nulla firmior quam ea quæ ſumitur ex communi modo loquendi.*

Quæri ſolet, an ſufficiat, materiam eſſe præſentem ſecundum aliquam partem, vt poſſit tota conſecrari, an vero debeat eſſe præſens ſecundum omnes, & ſingulas partes? P. Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 5. *in fine*, poſtulat præſentiam ſingularum partium; quia alioquin homo in littore maris poſſet totum mare conſecrare, ſi eſſet vinum. P. Vaſquez *diſp.* 171. *n.* 25. tenet partem aduerſam. 126. *Quæſitum.* *Suarez.* *Vaſquez.*

Ego in re dubia neutri ſatis adhæreo: cenſeo enim, præſentiam vnius partis non reddere ſimpliciter præſentes omnes alias partes in quacumque diſtantia poſitas, vt poſſint deſignari per *ly hoc* ſimpliciter dictum; conducere tamen aliquid quin ſeorſim fortè non eſſet præſens, nunc propter coniunctionem cum iſta ſit ſufficienter præſens. Prima pars concluſionis probari videtur exemplo poſito maris: nam qui in littore poſitus diceret: *hæc eſt aqua*, non videtur loqui de aqua, quæ eſt in India, licet ſit continua cum noſtra: ſed de illa ſolum, quæ eſt intra ſphæram diſtantiæ, intra quam poſſet demonſtrari illo Pronomine, licet non eſſet continua cum parte propinquiori: quod patet à poſteriori; quia ſi adſtans tali lacui dicerem: *hoc eſt vinum*, eſſet vera propoſitio, etiamſi ſola illa pars, quam video, eſſet vinum, & reliqua vlterior eſſet aqua: & è contra eſſet falſa propoſitio, ſi illa prior pars non eſſet vinum, etiamſi alia vlterior pars eſſet vinum. Si vero dicerem: *hic lacus eſt vinum*. ſufficeret ad veritatem, quod longè maior pars eſſet vinum, licet non eſſet pars proxima: quia iam tunc loquebar non de ſola parte præſente, ſed de toto lacu. 127. *Concluſio.* *Prima pars probatur.*

Secunda vero pars concluſionis probatur etiam, quia ſi ponamus, apparere panem per feneſtram quoad maiorem ſui partem, licet aliqua pars non appareat, non videtur dubium, quin poſſim de- 128. *Secunda pars probatur.*

monſtrare

monſtrare tali Pronomine totum panem, & dicere: *hic eſt panis integer*; nam licet illa pars vltima ſeorſim non poſſit demonſtrari, ceterum cum illa non ſit extra ſpheram propinquitatis neceſſariæ, & aliunde ſit continua cum parte, quæ apparet, totius panis cenſetur moraliter præſens. Alioquin daretur occaſio multis ſcrupulis, ſi fortè aliqua pars hoſtiarum tegatur tempore conſecrationis aliquo corpore intermedio, vt candelabro, vel calice.

129. *Materia hac debet eſſe certa & determinata.* His breuiter notatis circa præſentiam materiæ, reſtat, vt aliquid dicamus de eius determinatione; circa quam certum eſt apud omnes, materiam conſecrandam debere eſſe certam, & definitam ex intentione Sacerdotis: alioquin non poterit demonſtrari per *ly hoc*, quæ demonſtratio eſt de eſſentia formæ conſecrationis. Ex quo infertur, eum, qui ex decem hoſtiis præſentibus vult ſolum conſecrare octo non deſignando illas, nullam conſecrare, ille tamen qui putans ſe habere in manu vnam hoſtiam, habet duas, vtramque conſecrat, quia habet intentionem conſecrandi illud, quod habet in manibus, licet ex errore exiſtimet eſſe vnam hoſtiam.

130. *Quæſtio non. Satisfit.* Petes; quid ſi Sacerdos habeat intentionem conſecrandi illas octo, quas Deus, vel Petrus voluerit? Reſpondeo, adhuc nullam conſecrari; quia niſi Dei, vel Petri voluntas manifeſta foret Sacerdoti ante conſecrationem, non poſſet Sacerdos deſignare per illud Pronomen, de quibus hoſtiis loqueretur, & per conſequens non demonſtraret illas in ordine ad ſenſum, ſed ad intellectum. *Inſtantia.* Dices: poteſt Sacerdos offerre ſacrificium pro illa anima, quam Deus voluerit. *Soluitur.* Reſpondeo, tranſeat antecedens, (quod tamen non abſque fundamento negat P. Vaſquez) & nego conſequentiam, quia conſecratio exercetur per demonſtrationem factam illo Pronomine, cuius ſignificatio pendet ex determinata intentione proferentis.

131. *Arguitur ſecundo.* Arguunt ſecundo, quia Sacerdos poteſt ex multis peccatis auditis, abſoluere à duobus ſolis, quæ Deus voluerit: ergo & poterit ex multis hoſtiis velle conſecrare vnam ſolam, quam Deus voluerit. *Suarez Reſpondet Suarez.* P. Suarez *in præſenti diſp. 45. ſect. 6.* dicit, ſi Sacerdos intendit conferre Sacramentum Pœnitentiæ, remittere omnia peccata, etiamſi ipſe limitet intentionem ad duo, quia nimirum ipſe ſolum applicat Sacramentum, quod poſtea per modum cauſæ neceſſariæ operatur totum ſuum effectum. Miniſter enim non poteſt impedire effectum Sacramenti, ſi habeat intentionem conficiendi verum Sacramentum. At vero in præſenti deficit intentio neceſſaria, circa Sacramentum ipſum quod per conſecrationem materiæ efficitur.

132. *Impugnatur à Vaſquez.* Hanc ſolutionem impugnat P. Vaſquez *diſp. 171. c. 4.* & mihi etiam difficilis eſt, quia ad valorem Sacramenti parum refert intentio conficiendi verum Sacramentum; ſi non adhibeantur verba requiſita ad ſignificandam eam Intentionem. Sicut ſi aliquis intendens perficere verum Sacramentum Matrimonii, diceret: *Ego accipio te in coniugem*, volens ſignificare vnam ex decem fœminis præſentibus quam Deus vellet: proculdubio non contraheret Matrimonium; quia debet contrahi per verba ſignificantia determinatè perſonam coniugis. Cum ergo Sacramentum Pœnitentiæ debeat etiam fieri per verba ſignificantia voluntatem abſoluendi à talibus peccatis, quam voluntatem non ſignificant ex intentione proferentis illa verba reſpectu omnium peccatorum, conſequens eſt, vt non poſſit dari abſolutio Sacramentalis directa ab omnibus illis. Quid enim ſi Sacerdos diceret expreſſè: *Ego te abſoluo à tali, & tali peccato*, diceresne adhuc, eum directè abſoluere ab omnibus aliis per illa verba?

133. *Diſtinguendum videtur.* In prædicto ergo caſu diſtinguendum videtur; nam vel confeſſio eſt de venialibus ſolis, vel etiam de mortalibus. Si ſit de ſolis venialibus, mihi verius videtur Sacerdotem poſſe non licitè, ſed validè diuidere abſolutionem, & velle abſoluere à duobus peccatis determinatis, non ab aliis in confeſſione dictis; quia peccata illa non ſunt neceſſario connexa inter ſe ex natura rei, cum poſſit vnum remitti ſine alio: neque etiam ex Chriſti inſtitutione, qui vniuerſaliter dedit poteſtatem remittendi peccata, qua poteſtate vtitur Sacerdos remittendo vnum, & non aliud. Quamvis enim omnia illa data fuerint à pœnitente pro materia abſolutionis; poteſt tamen Sacerdos velle proferre formam ſuper vnam partem materiæ, & non ſuper aliam: ſicut ex decem hoſtiis oblatis ſibi ad conſecrandum poteſt velle conſecrare has cuiuſque, & non illas. Quod in abſolutione ſupponere videtur P. Vaſquez *vbi ſupra n. 5. & n.* vbi conſulto videtur dixiſſe, inualidam eſſe abſolutionem, quando Sacerdos intendit abſoluere à duobus ſolis peccatis ex multis mortalibus. Poſtea vero, quando loquitur de venialibus ſolum, dixit eſſe inualidam, ſi velit abſoluere ab vno ex pluribus venialibus, non definiendo, & determinando illud: quare indicare videtur, fore validam abſolutionem, ſi illud peccatum definiat, & determinet.

134. Si ergo confeſſio fiat de mortalibus, tunc Sacerdos volens omnino non abſoluere ab omnibus, ſed ab vno ex illis, etiamſi illud determinet, abſolutio erit inualida, quia habet conditionem repugnantem. Nam Sacerdos non habet poteſtatem remittendi peccata, niſi reconciliando peccatorem cum Deo, & conferendo ei gratiam, & amicitiam cum Deo: non poteſt autem conferre gratiam, niſi remittat omnia peccata mortalia, vt conſtat; ergo non habet poteſtatem abſoluendi ab vno mortali, & retinendi alia, ſed debet proferre ſententiam ſuper omnibus mortalibus. Si verò ex ignorantia inuincibili, vel probabili exiſtimaret, ſe poſſe licitè abſoluere directè ab vno ſolum peccato mortali, & ab aliis ſolum indirectè, velletque illa alia relinquere ſub obligatione ea confitendi, & ſubiiciendi directè abſolutioni, non video, cur non eſſet abſolutio valida illius peccati determinati directè, & aliorum indirectè, cum conſtet ſæpe, vel ex obliuione, vel ex defectu iuriſdictionis prouenire, vt abſolutio re ipſa directè valeat reſpectu aliquorum peccatorum, & indirectè tollat.

135. *In quo caſu confeſſio hæc ſit inualida.* In vtroque tamen caſu, ſiue peccata ſint venialia, ſiue mortalia, abſolutio erit inualida, ſi intentio Sacerdotis feratur ad aliquod peccatum in confuſo, & indefinitè ex illis, quæ pœnitens confeſſus eſt; quia Sacerdos, vt diximus, non applicat, aut confert Sacramentum, niſi proferendo ſententiam, quæ non erit valida, nec ſententia, niſi Iudex determinet apud ſe, de qua cauſa velit iudicare. Nam ſi apud iudicem vnum decem cauſas habeas, & ipſe dicat, quod abſoluit te in confuſo in vna ex illis, nullam prorſus determinando, ſententia inualida erit, & ridicula, vt conſtat. Melius ergo & facilius reſpondetur ad argumentum principale, negando omnino antecedens in Sacramento Pœnitentiæ. Siue enim Sacerdos abſoluat ab vno peccato in confuſo ex multis, ſiue deſignet illud, quod Deus voluerit, abſolutio erit inualida: nam ipſe Sacerdos eſt iudex; atque ideo ſententia, prout ab ipſo, debet eſſe circa cauſam determinatam, & deſignatam, non minus, quàm conſecratio hoſtiæ debet, prout ab ipſo, eſſe determinata.

136. *Infertur primo.* Hinc infero primò, ſi gutta vini miſceatur poſtea ſpeciebus conſecratis, illam non poſſe validè conſecrari, quia iam tunc ſecundum illum ſtatum non poteſt deſignari ſenſibiliter per illud pronomen, & idem eſt, ſi modica pars vini miſceatur multæ aquæ: nam licet non conuertatur in aquam, non poteſt conſecrari, ob eandem rationem.

Secundò infertur. Infero ſecundò, probabiliter ſequi, ſi multis hoſtiis conſecratis miſceatur vna non conſecrata, non poſſe poſtea illam conſecrari, dum non dignoſcitur, quæ ſit, quod ex dictis videtur colligi; quia illa hoſtia ſecundum talem ſtatum non poteſt determinatè oſtendi, & deſignari. Adde, quod ſæpe contingeret, illam hoſtiam eſſe infra alias conſecratas, & per conſequens non habere præſentiam ſufficientem: ſicut ſi tegeretur tabula, vel lapide ſuperpoſito; nam licet cum aliis ſimul poſſet conſecrari: quia omnes illæ per modum vnius habent præſentiam; tamen ipſa ſeorſim ab aliis non habet prædictam præſentiam expeditam ſecundum ſe. Nemo enim in communi ſermone loquens de vno nummo aureo poſito in profundo loco ſub mille aliis argenteis, & omnino latente, diceret: *hec eſt moneta aurea*; illæ enim voces, quando ad vnam ſolam ex multis applicantur, intelliguntur de illa, quæ eſt in proſpectu, non de illa; quæ omnino latet.

137. *Impugnatur à quibuſdam.* Hæc illatio aliquibus Recentioribus diſplicuit, quia neque etiam quando aliquis vult conſecrare dimidiam partem hoſtiæ poterit poſtea arte humana deſignare, aut diſtinguere partes conſecratas à non conſecratis. Et quia cum certo ſciam, illam hoſtiam non conſecratam eſſe in pyxide, poſſum intendere conſecrare, quidquid ibi eſt panis non conſecratum.

Refelluntur. Per hæc tamen non reſpondetur adhuc ad rationem, qua probauimus illationem, ex eo, quod non poteſt per illud pronomen *hoc*, ſignificari id quod non poſſumus demonſtrare. Nam licet ego certo ſciam, inter centum homines præſentes adeſſe Regem, quem ego non agnoſco, non poſſum dicere in rigore ſermonis: *iſte eſt Rex* Si item ſciam, inter centum panes hordeaceos eſſe vnum triticeum, non poſſum in rigore ſermonis dicere: *iſte eſt panis triticeus*, quia his pronominibus homines non vtuntur, niſi poſſint deſignare, quæ ſit res, de qua loquuntur. Nam me dicente, *iſte eſt Rex*, auditores viderentur habere ius interrogandi me; *quis horum eſt*? Si vero ego dicam, *neſcio*, vrgebunt: quomodo ergo deſignaſti, *iſte eſt*? Quia nimirum hæc eſt vis pronominis demonſtratiui, vt id, de quo loquimur, poſſimus demonſtrare, & deſignare: per illud enim pronomen quaſi inuitamus auditores, vt conuertant oculos ad id, quod demonſtramus, quaſi dicamus: *Ecce Regem, ecce panem*; quæ ſunt particulæ indicantes, qui autem non ſcit, quis eorum ſit Rex, non poteſt indicare illum. Ideo enim Ioannes Baptiſta non poterat indicare Chriſtum, nec illum demonſtrare inter alios, quia neſciebat eum ex facie, donec, reuelante Spiritu ſancto, cognouit eum; & tunc dixit: *Ecce agnus Dei*, &c. Qui ergo nullo modo poteſt demonſtrare hoſtiam, de qua loquitur, quomodo poteſt illam indicare, & inuitare alios, vt in eam oculos conuertant?

138. *Reſpondetur ad rationes contrarias.* Nec obſtant rationes illorum Recentiorum. Ad primam enim conſtat, eſſe latum diſcrimen: nam qui vult conſecrare dimidiam hoſtiam, poteſt illam humano modo demonſtrare vt condiſtinctam ab altera dimidia, licet non poſſit metaphyſice deſignare vltimum terminum huius, vel illius partis: ad deſignationem enim, & demonſtrationem humanam non requiritur illa metaphyſica deſignatio, ſed craſſa, & humana: ſic deſignamus hanc prouinciam, hanc domum, hanc aulam; licet non poſſimus deſignare vltimum terminum indiuiſibilem illius; ſufficit quippe illa diſtinctio humana, vt homines agnoſcant id, de quo loquimur. At vero in noſtro caſu nullo modo oſtenditur hoſtia illa, prout diſtincta ab aliis, neque ex vi meæ loquutionis poſſunt, qui audiunt, venire in cognitionem illius magis, quam antea. Vnde verba illa iuxta eum ſenſum æquiualebunt his: *Inter has hoſtias eſt vna continens corpus meum*. Conſtat autem, eiuſmodi verba non ſufficere ad conſecrationem, quæ debet fieri per demonſtrationem determinatam, non per vagam, & confuſam: quæ eſſet longè diuerſa ſignificatio.

Ad ſecundam rationem fateor poſſe Sacerdotem conſecrare validè illam hoſtiam, ſi intendat conſecrare totum, quod eſt in pyxide, ſub conditione, ſi non eſt conſecratum; quia tunc per verba illa loquitur de omnibus hoſtiis ibi exiſtentibus, licet ſolum ſub conditione velit eas conſecrare. Sed noſtra quæſtio procedit quando intenderet ſolam illam conſecrare, & de illa ſola loqui, & non de aliis: in quo caſu videtur non poſſe demonſtrari per pronomen, *hoc*, illam ſolam, quam non poſſumus diſtinguere, nec oſtendere diſtinctam ab aliis. Sicut Epiſcopus ſciens, alicui ex iis, qui accipiebant Ordinem, non fuiſſe dictam formam, ignorans quis eſſet, poſſet dupliciter, validè, vel inualidè velle occurrere illi defectui, ſcilicet vel dicendo formam omnibus ſub conditione: *Accipite poteſtatem*, &c. vel aliter dicendo formam in ſingulari, & dirigendo intentionem ſuam abſolutam ad illum ſolum, quicumque ille eſſet: *Accipe poteſtatem*, &c. In priori caſu verba ſignificarent, & dirigerentur ad omnes; in poſteriori, ad vnum ſolum. Sic in caſu noſtro, aliud eſſet, ſi Sacerdos vellet dirigere verba conſecrationis ad omnes illas hoſtias præſentes cum intentione conditionata illas conſecrandi; aliud vero, ſi ſolum dirigeret verba ad illam hoſtiam, quæ non erat conſecrata, & de illa ſola vellet loqui, tunc enim non haberet intentionem conditionatam conſecrandi, ſed abſolutam, quam diximus probabiliter impoſſibilem, eo quod non poſſet deſignari vllo modo hoſtia, de qua vult Sacerdos loqui. An vero poſſet licitè conſecrare ſub conditione omnes, vt non maneret mixta illa alia non conſecrata, non video neceſſitatem ſufficientem ad reiterandam formam ſub conditione ſuper illas omnes hoſtias conſecratas: omnia enim inconuenientia poſſent alia via facilè vitari, dando, v. g. ſingulis in communione duas ex illis particulis: ſic enim certum eſſet, ſingulos accipere aliquam hoſtiam conſecratam. Alioquin liceret etiam iterum ſub conditione conſecrare calicem, in quem poſt conſecrationem caſu infuſa fuiſſet gutta vini non conſecrati; quod tamen nemo admittet, quia nulla eſt neceſſitas reiterandi formam, cum non ſequatur inconueniens ex eo, quod totum illud ſumatur per modum vnius. Aliud eſſet, ſi è contra mille hoſtiis non conſecratis admixta fuiſſet vna conſecrata; nec poſſet diſcerni: tunc enim deberent omnes ſub conditione conſecrari; ſicut quando gutta conſecrata miſceretur amphoræ vini non conſecrati, debet totum illud vinum conſeruari ad vſus ſacros, vt paulatim totum conſeeretur; vt monet cum aliis Suarez infra *diſp. 57. ſect. 4. in fine*. 139.

140. *Illatio tertia.* Infero tertiò, quid dicendum ſit in illo caſu, qui vulgariter circumfertur, quando Sacerdos intenderet conſecrare primam quartam partem hoſtiæ; non vero ſecundam, & in reliqua medietate ſimiliter primam quartam, & non ſecundam, & ſic

deinceps

deinceps in infinitum; in quo caſu videntur conſecrari infinitæ partes ſignatæ, diſtinctæ, & diſcontinuæ inter ſe. Reſpondetur tamen, ſuppoſita ſententia Ariſtotelis de compoſitione continui, non eſſe validam illam conſecrationem, quia per talem deſignationem non poteſt moraliter deſignari, quæ ſint partes conſecratæ in hoſtia, cum non poſſit humana mens illas omnes concipere, nedum deſignare.

Inſtabis. Dices adhuc ponamus; quod Sacerdos intendit conſecrare, quotquot partes quartas diſcontinuas valide poteſt prædicto modo: de illis inquiro, an ſint infinitæ? Nam ſi ſunt finitæ, cur non potuit alia quarta pars deſignari, cum adhuc eſſent finitæ?

Reſpondeo. Reſpondeo, probabile videtur, data tali intentione, conſecrari aliquas partes quartas diſcontinuas; nam vtile per inutile non vitiatur: & Sacerdos poſſet proculdubio, ſi vellet, tres, vel quatuor partes diſcontinuas ſeorſim conſecrare: ergo etiam, ſi velit, omnes, cum non faciat dependentem conſecrationem vnius à conſecratione alterius, aliquæ manebunt conſecratæ; illæ tamen non erunt infinitæ, ſed finitæ; illæ ſcilicet, quas Deus ſcit poſſe humana induſtria moraliter deſignari: hæ autem non ſunt infinitæ, quia induſtria humana finita eſt, & tam exigua poteſt iam eſſe pars, in qua nulla hominum ars poſſit deſignare quartam partem. Et hæc ſufficiant de caſibus confictis, vt iam ad grauiores quæſtiones progrediamur.

DISPVTATIO V.

De Præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

Sectio I. *Poſſe duo corpora eſſe in eodem loco; & idem corpus diuinitus ſimul in duplici loco.*

Sectio II. *Vtrùm corpus exiſtens in duplici loco, debeat habere vtrobique eadem accidentia, & eaſdem mutationes?*

Sectio III. *Vtrùm accidentia, quæ dependent ab hoc loco, debeant, vel poſſint replicari, replicato ſuo ſubiecto?*

Sectio IV. *Præmittuntur aliqua communia de loco, & præſentia locali.*

Sectio V. *Obiectiones aliquæ contra ſupradicta.*

Sectio VI. *Quid ſit ſpatium imaginarium, in ordine ad quod explicatur eſſentia præſentia localis.*

Sectio VII. *Infertur ex dictis, qualis ſit præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia.*

Sectio VIII. *Vtrùm præſentia Sacramentalis Chriſti pendeat à præſentia naturali.*

1. *Tria hîc quæruntur.* TRIA potiſſimum tractari poſſunt de præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. Primum: an ſit poſſibilis. Secundum: an ſit de facto. Tertium, quæ, & qualis ſit hæc præſentia. Ex his ſecundum quidem punctum grauiſſimum eſt: ſed quia totum ferè pendet ex ſenſu aliquorum locorum Scripturæ, latiſſimè tractatur ab Interpretibus Scripturæ, & factum eſt ipſis proprium: aliunde vero Controuerſiſtæ contra hæreticos noſtri temporis adeo fusè & plenè hoc argumentum tractarunt, vt nihil addendum ſuperſit: & ideo Theologi Scholaſtici ſolent illud Controuerſiſtis, vel Scripturæ interpretibus relinquere: de aliis ergo, quæ magis ad Scholaſticam diſputationem ſpectant, Scholaſticorum more in præſenti agemus.

Solum poſſet circa hoc fidei dogma dubitari, an ſit fidei articulus, ſicut myſterium Trinitatis, vel Incarnationis. Articulus fidei tripliciter ſumi poteſt, vt notauit Sotus *in 4. diſt. 9. q. 2. art. 1.* Nam in primis accipitur pro veritate fidei in Conciliis definita: ſecundò, pro veritate in Scriptura expreſſa: tertiò, pro articulo in ſymbolo fidei contento. Quo ſuppoſito, non eſt dubium quin hæc veritas primo, & ſecundo modo ſit articulus noſtræ fidei: difficultas poteſt eſſe, an ſit etiam articulus in ſymbolo contentus, & cur de eo non fiat ibi in ſpeciali profeſſio. Non enim videtur poſſe negari, quod habeat ſpecialem difficultatem diuerſam ab aliis articulis, vt concedunt Scotus *in 4. diſt. 10. q. 1.* Durand. *ibi.* Sotus *vbi ſuprà.* Ledeſma *2 p. 4 q. 16. art. 1.* Gabriel *in Canonem, lect. 39.* 2. *Quæſtionis* *Scot. Durand. Soto. Ledeſma. Gabriel.*

Reſpondent alij hoc myſterium includi in articulo omnipotentiæ Dei, quo fatemur, Deum omnia miracula operari poſſe. Sed contra: quia aliud eſt fateri, Deum poſſe: aliud fateri, quod fecerit: præſertim quod aliquis contendit, hoc implicare contradictionem, & ideo non potuiſſe fieri. Alij dicunt, contineri ſub articulo communionis fidelium, ſeu ſub articulo ſanctificationis noſtræ. Sed contra: quia communio fidelium non eſt magis propria huius Sacramenti, quam aliorum, niſi per quandam approbationem. Iterum in articulo ſanctificationis non continetur, niſi implicitè, ſicut alia media ſanctificationis. 3.

Melius ergo reſpondetur, in ſymbolo ea ſolum contineri, quorum cognitio per ſe requiritur, & non vt medium ad aliud ordinatum. Nam omnes partes Symboli creduntur per ſe, & non ratione implendi aliud præceptum: ſed præcisè ad cultum fidei, & ad percipiendam eius notitiam. Fides autem Euchariſtiæ tota eſt neceſſaria propter vſum illius, & ad implendum præceptum ſumendi Euchariſtiam; & ideo merito prætermiſſa eſt in ſymbolo, vtpote cuius notitia ex vi alterius præcepti habenda eſſet. Poſſet tamen Eccleſia edere ſymbolum, in quo hæc veritas contineatur, ſi id expedierit, vt in Sacramento Baptiſmi factum eſt, quod iam expreſsè confitemur in ſymbolo Nicæno ex præſcripto Concilij Conſtant. & de facto in Concilio Lateran. *cap. 1.* in profeſſione Fidei inter alios fidei articulos hunc etiam de reali præſentia corporis Chriſti profitetur. 4. *Satisfit.*

Dices ob eandem rationem potuit omitti in ſymbolo articulus remiſſionis peccatorum: nam hic etiam articulus ſciri debuit ex alio capite, ſcilicet ex præcepto ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ ad tollenda peccata. Reſpondeo, hanc obligationem non eſſe tam generalem, vt omnes fideles comprehenderet, nam qui baptizantur in infantia, & poſtea non habent peccatum graue per Pœnitentiam expiandum, non habent præceptum Pœnitentiæ, oportet tamen eos habere fidem explicitam illius articuli, qui continet vnum ex præcipuis fundamentis Chriſtianæ Religionis. 5.

SECTIO I.

Poſſe duo corpora eſſe in eodem loco; & idem corpus diuinitus ſimul in duplici loco.

IN hoc myſterio duo potiſſimum mirabilia fiunt circa ſacratiſſimum Chriſti corpus: quod autem dicitur de corpore, idem omnino dicendum eſt de ſanguine. Primum eſt, quod omnes eius partes inui- 6. *Duo hîc potiſſimum miracula.*

cem penetratæ ſint in qualibet parte hoſtiæ, ita vt vbi eſt caput, ibi etiam ſint & pedes; & aliæ omnes partes. Secundum eſt, quod idem corpus Chriſti ſit ſimul in cœlo, & in Euchariſtia; in hoc altari, & in aliis multis, quæ duo videntur eſſe contra limitationem rei corporeæ: quare prius videtur aliquid præmittendum de vtriuſque poſſibilitate in ordine ad Diuinam potentiam.

7. *Quid certum ſit apud omnes, primo.* Primo igitur concedunt omnes naturaliter loquendo non poſſe idem corpus exiſtere ſimul in duplici loco; quòd ipſa experientia tàm clare teſtatur, vt nulla indigeat probatione: cur autem nec Angelus id poſſit, dicemus in materia de Angelis. *Secundo.* Secundo concedunt, non poſſe naturaliter duo corpora eſſe ſimul in eodem ſpatio, quod etiam teſtatur ipſa experientia, hoc enim prouenit à quantitate, cuius effectus formalis eſt reddere ſubiectum impenetrabile cum alio corpore quanto, imo & ipſas partes impenetrabiles inter ſe, & per conſequens extenſas localiter. *Tertio.* Tertio concedunt Catholici, corpus, ablata quantitate, poſſe penetrari cum alio corpore quantumvis quanto, imo & adhuc retenta quantitate, poſſe auferri à Deo actualem extenſionem localem partium, & actualem impenetrationem, ita vt de facto penetretur cum alia quantitate, ſicut de facto corpus Chriſti, retenta ſua quantitate, ponitur in Euchariſtia ſine extenſione partium, & ſine impenetratione; penetratur enim actu cum quantitate panis; nam licet corpus Chriſti retineat quantitatem, non tamen retinet modum quantitatiuum. *Quarto.* Quarto concedunt, corpus aliquod, adhuc retenta quantitate, poſſe conſtitui à Deo ſimul in duplici, & multiplici loco, dum tamen non ſit in illis omnibus modo quantitatiuo. Hoc patet ex eodem myſterio Euchariſtiæ: nam licet Chriſtus Dominus in cœlo habeat extenſionem quantitatiuam; in Euchariſtia tamen habet alium modum eſſendi, & ideo collocatur ſimul in pluribus altaribus; quod aduerſus Hæreticos probatur, primo, quia in hoc nulla oſtenditur repugnantia contradictionis, ſecundo, quia duæ vbicationes ſunt duæ formæ accidentales contrariæ; ergo ſicut de potentia abſoluta poſſunt ſe compati ſimul calor, & frigus in gradu intenſo in eodem ſubiecto; ſic etiam poterunt duæ vbicationes diſtinctæ.

8. *Hic duo quæruntur.* Duo ſuperſunt inquirenda; primum, vtrum in eodem ſpatio poſſit poni ſimul de potentia abſoluta duplex corpus, vtrumque cum extenſione, & modo quantitatiuo? Secundum eſt, vtrum de potentia abſoluta poſſit idem corpus cum modo quantitatiuo poni ſimul in duplici loco diſtanti?

Circa primum negant plures ex antiquioribus, & recentioribus, quia modus quantitatiuus eſt ipſa actualis impenetratio; ſed ſolum poteſt eſſe actualis impenetratio cum actuali penetratione; ergo nec duo corpora cum modo quantitatiuo poſſunt compati in eodem ſpatio.

9. *Concluſio prima.* Dico primo, retentis iiſdem omnibus modis, & accidentibus poſitiuis, quæ quodlibet illorum in abſentia alterius haberet, poſſunt ſe compati de potentia abſoluta in eodem ſpatio. *Probatur.* Probatur quia meum corpus, nunc in hoc ſpatio ſolum habet quantitatem, & talem extenſionem localem partium: ſed cum toto hoc compatitur ſecum aliud corpus, quantum de potentia abſoluta; ergo, nullo ablato poſitiuo, compatitur ſecum aliud corpus quantum. *Inſtat aliquis.* Maior negatur à nonnullis; dicunt enim in meo corpore non ſolum dari quantitatem, & præſentiam localem, ſed etiam modum alium poſitiuum, qui dicitur extenſio quantitatiua, cum qua non poteſt eſſe aliud corpus. *Reiicitur.* Sed contra iſtam ſententiam probatur maior ſupra poſita; quia tota iſta extenſio nihil aliud eſt, quam vnam partem eſſe extra aliam localiter; per hoc enim ſolum, quod ego habeam manus in vna parte ſpatij, & pedes in alia, & ſic de aliis, intelligitur ſufficienter, me habere totam extenſionem actualem, quæ exigitur à quantitate; ergo ſuperfluus eſt ille modus ſuperadditus. Hoc ergo ſuppoſito, probatur minor ſupra poſita in primo ſyllogiſmo; quia cum hac præſentia locali, quam ego habeo in hoc loco, poteſt eſſe de potentia abſoluta præſentia localis alterius hominis extenſi, quod in primis probatur exemplo Chriſti Domini adhuc cum ſua præſentia locali extenſa penetrati cum clauſtro vteri virginei, & cum lapide ſepulchri, & cum ianuis clauſis Cœnaculi. Deinde ratione, quia non repugnant eſſentialiter, ſed tantum naturaliter hoc meum *vbi* cum *vbi* alterius corporis; ergo, retenta mea quantitate, & hoc meo *vbi*, poteſt eſſe aliud corpus in hoc ſpatio de potentia abſoluta; ergo de primo ad vltimum, retento omni modo, & accidenti poſitiuo, quod nunc habeo, poteſt de potentia abſoluta poni aliud corpus in hoc eodem ſpatio. Confirmatur, quia quando corpus Chriſti aſcendentis in cœlum penetratum fuit cum cœlis, non ideo cœlum perdidit aliquem modum intrinſecum extenſionis quantitatiuæ, alioquin poſſet etiam tunc ignis, vel aër penetrari cum cœlo; ergo poteſt retineri tota extenſio, & omnia alia accidentia intrinſeca, quando vnum corpus diuinitus penetratur cum alio.

10. *Concluſio ſecunda.* Dico ſecundo: non poſſunt compati ſe duo corpora quanta in eodem ſpatio retenta actuali impenetratione. Hæc patet ex terminis: quia impenetratio actualis contradicit actuali penetrationi duorum corporum. *Actualis impenetratio non eſt aliquis modus poſitiuus.* Cæterum hæc concluſio non opponitur cum præcedenti: quia diximus, poſſe compati ſe duplex corpus quantum in eodem ſpatio ſine ablatione alicuius poſitiui: quia actualis impenetratio, quam modo dicimus auferri in tali caſu, non eſt aliquis modus poſitiuus, ſed eſt negatio alicuius vbicationis alterius corporis in eodem loco: hæc autem negatio aufertur neceſſario eo ipſo, quod ponatur aliud corpus in eodem loco.

11. *Quæſitum. Satisfit.* Petes: ſi duo corpora quanta penetrarentur, retenta ſua extenſione quantitatiua, quomodo ſe haberent in ordine ad agendum, & patiendum? Reſpondeo in primis, ſi illa corpora eſſent eiuſdem coloris, & figuræ, non diſcerneret viſus, vtrum ibi eſſent duplex, vel vnicum corpus: ſi vero haberent diuerſos colores, appareret quaſi vnum corpus habens colorem medium ſimilem illi, qui reſultat per confuſionem pulueris diuerſi coloris. Item quodlibet illorum corporum poſſet pati à quolibet agente extrinſeco, & agere in ipſum, perinde ac ſi eſſet ſolum in illo loco. Denique illa duo corpora poſſent mutuo in ſe agere, ac ſi non eſſent penetrata: quia quodlibet illorum habet naturalem modum exiſtendi: penetratio autem non impedit, imo potius adiuuat ad actionem: quia habent inter ſe maiorem præſentiam, quam ſi ſolum eſſent contigua.

12. *S.Thom. Bonauent. Suarez.* In ſecunda quæſtionis parte, aduerſarios habemus S.Thomam, Bonauenturam, & alios graues Auctores, quos affert Suar. *diſp.* 48. *ſect.* 4. qui negant etiã de potentia abſoluta poſſe idem corpus circumſcriptiue, ſeu quantitatiue exiſtens, poni ſimul in duplici loco: quam ſententiam iterum defendendam ſuſcepit Vaſquez *in præſenti diſp* 189. c. 4. *Concluſio tertia.* Verior tamen, & communis iam ſententia affirmat, quam latè probat Suarez vbi ſupra, vbi affert pro ea plures Doctores etiam ex antiquioribus.

Probatur

13. *Probatur primo.* Probatur primo; quia poteſt corpus quantum priuari à Deo omni vbicatione circumſcriptiua, & ſolum habere vbi definitiuum, vt aduerſarij admittunt; ergo poterit etiam corpus quantum habere ſimul duas vbicationes circumſcriptiuas. Probatur conſequentia, quia plus eſt, & magis repugnat corpori quanto, priuari omni vbicatione circumſcriptiua, quam habere duas. Vbicatio enim circumſcriptiua eſt paſſio corporis quanti: quare ſicut magis repugnat igni carere omni calore, quam habere duplicatum calorem (illud enim eſſet carere paſſione, quam poſtulat: hoc autem ſolum eſt accipere, quod non poſtulat;) ſic etiam corpori quanto magis repugnat carere omni vbicatione circumſcriptiua, quam habere duas; ergo ſi Deus poteſt facere primum, poterit & ſecundum.

14. *Probatur ſecundo.* Probatur ſecundo; quia non repugnat de potentia abſoluta, eandem albedinem eſſe in duplici ſubiecto diſtincto, vt omnes admittunt: ergo nec repugnabit, idem corpus eſſe quantitatiue in duplici loco; quæ enim maior eſt in hoc repugnantia?

Probatur tertio. Tertio probatur, quia poſſunt de potentia abſoluta duo corpora extenſa eſſe ſimul in eodem loco circumſcriptiue, vt probatum eſt ſupra; ergo & vnum corpus poterit eſſe per miraculum in duplici loco circumſcriptiue; non enim eſt maior repugnantia in ſecundo, quam in primo.

15. *Dicunt aduerſarij.* Reſpondent negando conſequentiam; quia de ratione vnius eſt eſſe indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio: ita tamen, vt eſſe indiuiſum in ſe ſit illi magis intrinſecum, quam eſſe diuiſum à quolibet alio: quando ergo duo corpora ponuntur in eodem loco, ſolum videtur fieri, quod vnum corpus non diuidatur ab alio: at verò, ſi vnum corpus ponatur in duplici loco, ſequitur, idem eſſe diuiſum à ſe: quod fieri non poteſt.

Sed contra. Sed contra: primo, quia ſi ſolutio aliquid valet, probaret etiam, vnum corpus non poſſe eſſe definitiue in pluribus ſpatiis, quia tunc etiam diuideretur à ſe ipſo. Contra ſecundo, quia tam repugnat ad rationem veræ vnitatis non eſſe diuiſum hoc ens, quod eſt vnum, à quolibet alio ente, quam eſſe diuiſum in ſe: ergo etiam repugnaret, duo corpora eſſe in eodem loco: vel ſi non repugnat ſimultas localis duobus corporibus, neque etiam repugnabit diuiſio localis eidem corpori.

16. *Probatur quarto.* Quarto probatur ex hoc myſterio Euchariſtiæ, in qua Chriſtus vere, & realiter eſt præſens, licet per vbicationem definitiuam: ex hac enim arguitur poſſibilitas vbicationis circumſcriptiuæ in duplici loco: primo, quia vbicatio circumſcriptiua, ſicut petit, corpus non poni in alio loco circumſcriptiue, ſic etiam poſtulat, non poni alibi definitiue: petit enim corpus non eſſe alibi, quàm ibi, vbi circumſcribitur: ergo ſi corpus, quod eſt in cœlo circumſcriptiue, poteſt poni de potentia abſoluta alibi definitiue, poterit etiam poni alibi circumſcriptiue. Deinde probatur eadem conſequentia, quia nulla poteſt afferri probabilis ratio repugnantiæ, quæ magis impoſſibilem reddat ſecundum caſum, quam primum, vt ex ſolutione earum conſtabit.

17. *Prima obiectio.* Prima ergo contradictio hæc eſt: ſequeretur enim: corpus illud eſſe in loco circumſcriptiue, & non eſſe circumſcriptiue: primum admittitur in concluſione, ſecundum probatur, quia circumſcribi in hoc loco eſt terminari in hoc loco, vt nomen ipſum ſonare videtur; ergo finiri in hoc loco; ergo non eſſe extra; ergo non eſſe in alio loco: ergo ſi ponitur in alio loco, non ponitur hic circumſcriptiue.

Reſpondetur. Hæc obiectio ſi aliquid probat, probat etiam, id quod eſt circumſcriptiue in vno loco, non poſſe in alio eſſe definitiue; quia ſi in primo loco circumſcribitur, & terminatur, non poterit eſſe extra illum aliquo modo, cum tamen oppoſitum habeat de facto corpus Chriſti, cui circumſcriptio, quam habet in cœlo, & quam habuit in cœna, non obſtitit, quo minus alibi miraculosè exiſteret, & exiſtat. Deinde reſpondeo, de eſſentiali ratione vbicationis circumſcriptiuæ ſolum eſſe, quod corpus ſic circumſcriptum in vno loco habeat partem extra partem, & ita commenſuretur loco, vt naturaliter non poſſit alibi exiſtere: vbicatio enim illa non dicit eſſentialiter negationem alterius *vbicationis*.

18. *Obijcitur ſecundo.* Obiiciunt ſecundo, effectus formalis alicuius formæ non poteſt creſcere, niſi creſcat ipſa forma, non enim poteſt aliquis eſſe magis calidus, niſi creſcat calor: ſed extenſio localis eſt effectus formalis quantitatis; ergo non poteſt idem corpus habere duplicem extenſionem localem, niſi habeat duplicem quantitatem: ergo idem corpus cum eadem quantitate non poteſt poni in duplici loco extenſum. *Reſpondetur.* Reſpondeo extenſionem localem actualem eſſe quidem paſſionem quantitatis, non tamen eſſe effectum formalem quantitatis: alioquin ſi eſſet eius effectus formalis, non poſſet poni à Deo corpus quantum ſine extenſione actuali, ſicut non poteſt poni calor in ſubiecto, quin reddat illud calidum. Poteſt ergo corpus quantum habere de potentia abſoluta duplicem extenſionem localem; ſicut poteſt ignis habere duplicem calorem; quia eſt eius paſſio.

19. *Obiectio tertia.* *Reſponſio.* Obiiciunt tertio; ſi poteſt idem corpus quantitatiue poni in duplici loco, ergo & in pluribus; ergo & in omnibus; ergo erit vbique, ergo erit immenſum. Hoc autem eſt impoſſibile, quia immenſitas eſt attributum Dei incommunicabile creaturæ. Hoc argumentum æque militat contra myſterium Euchariſtiæ: nam ſi poteſt poni idem corpus, vel eadem anima definitiuè in pluribus locis, ergo & vbique, ergo erit immenſa, immenſitate multo magis ſimili immenſitati Diuinæ, quam ſi corpus eſſet circumſcriptiue vbique, quia in illo primo caſu eſſet tota anima in toto, & tota in qualibet parte ſpatij, ſicut Deus. Ad argumentum. Reſpondetur, impoſſibilem eſſe multitudinem vbicationem infinitam, qualis requireretur ad exiſtendum vbique, per plures præſentias circumſcriptiuas. An vero poſſit per vnicam vbicationem eſſe vbique, alibi examinandum eſt.

20. *Obiectio quarta.* Obiiciunt quarto, ſi idem corpus ponitur hoc modo in duplici loco, ſequitur, idem corpus diſtare à ſe ipſo, & diuidi à ſe ipſo, quod eſt impoſſibile. Hoc etiam æque militat contra Euchariſtiam: cur enim magis diſtaret, vel diuideretur à ſe ipſo corpus in duplici loco circumſcriptiue exiſtens, quam modo Chriſtus prout in cœlo, & in Euchariſtia diſtat, vel diuiditur à ſe ipſo.

Suarez. Ad argumentum ergo Suarez *d. ſect. 4. in reſponſione ad* 2. dicit, non eſſe inconueniens, idem poſitum in duobus locis diſtare à ſe ipſo; quia prout habet vnam vbicationem, diſtat à ſe ipſo, prout habet aliam. *Reſponſio.* Ego tamen libentius negarem, licet quæſtio ſit de nomine, quia diſtantia dicit diſtinctionem duorum, quæ diſtant: quare ſicut idem homo cum duplici albedine non diceretur ſimilis ſibi; nec idem homo cum albedine, & nigredine diceretur diſſimilis ſibi, nec idem homo cum duplici vbicatione in eodem loco, diceretur proximus ſibi ob defectum diſtinctionis; ſic nec idem homo in duplici loco diceretur diſtans à ſe; quia eadem eſt ratio in omnibus. Quem modum loquendi probat idem Suar. *eadem diſp. 48. ſect. 1. § ſecundo colligitur*. Deinde à fortiori non dicetur diuiſus à ſe, quia diuiſio non

ſolum

ſolum dicit diſtantiam, ſed clarius importat diſtinctionem: diuidi enim vnum ab alio, eſt vnum non eſſe aliud, nec habere aliquam vnionem cum illo; vbi autem eſt identitas, non poteſt eſſe diuiſio.

21. *Obiectio quinta.* Obiiciunt quinto, ſi idem corpus poni poteſt in duplici loco per duplicem præſentiam quantitatiuam, ergo & poterit etiam poni in eodem loco per duplicem, & per plures præſentias; ergo eſſet bis, & pluries ſimul in eodem loco, quod tamen non videtur poſſe concipi. Hoc etiam militat contra Euchariſtiam, quia ſi Chriſtus ponitur definitiue in pluribus locis, ergo poterit etiam poni bis, & pluries in eodem loco; quod de facto contingeret, ſi penetraret Deus ſpecies panis cum ſpeciebus vini.
Soluitur. Reſpondetur ergo admittendo ſequelam, in qua nullum reperitur abſurdum.

22. *Obiicitur ſexto.* Obiiciunt ſexto, ſi idem corpus ponitur in duplici loco, ergo eſt maius quolibet illorum locorum ſeorſim ſumpto; occupat enim duplo maius ſpatium; ex hoc autem ſequitur, locatum non eſſe æquale cum loco, quod eſt contra Ariſtotelem, & contra eſſentiam loci.
Reſpondetur. Reſpondetur, ſi ſermo ſit de æqualitate inter rem locatam, & locum, tunc corpus illud non eſſet de ſe æquale vtrique loco ſimul ſumpto, ſed ſingulis ſeorſim, quia hæc æqualitas conſiſtit in aptitudine, quam de ſe quantitas illius corporis habet ad replendum illud ſpatium, & non plus. Si vero comparatio fiat inter extenſionem actualem illius corporis, & locum ipſum, tunc vtraque extenſio eſſet æqualis vtrique loco, & ſingulæ extenſiones ſingulis locis, & per conſequens corpus illud haberet extenſionem duplo maiorem ſingulis locis, in quo nihil eſt abſurdi: maneret enim verum, quod corpus ipſum de ſe non eſſet maius, ſed æquale vnicuique loco.

23. *Septima obiectio. Vaſquez.* Obiicit ſeptimo P. Vaſquez; quia ſi poneretur idem lapis in duplici loco, & vtrubique eſſet extra centrum, ergo vtrobique grauitaret in centrum: ergo ſi vtrobique relinqueretur, vtrobique tenderet in centrum per propriam grauitatem: hoc autem eſt impoſſibile, quia iam lapis haberet virtutem naturalem ad producendas duas præſentias ſimul: ergo etiam erit impoſſibile id, ex quo ſequitur.

Reſponſio. Reſpondeo, hoc argumentum procedere etiam contra duas præſentias, quarum vna ſit definitiua, & altera circumſcriptiua; nam eodem modo peti poteſt, replicato corpore Chriſti in Euchariſtia, an idem corpus exiſtens in cœlo poſſit naturali virtute mouere ſe localiter; vel quando erat in terra, an poſſet naturaliter grauitare, & tendere deorſum? Videtur enim, quod non poſſet; quia grauitas, vel potentia progreſſiua naturalis, ſicut non habet virtutem ad producendas duas præſentias ſimul, ſic nec ad producendam vnam, quando eſt alia producta ab alio agente; ergo cum idem corpus ſit alibi, ſcilicet in Euchariſtia, non poteſt naturaliter accipere ſecundam præſentiam tunc à virtute naturali; ergo corpus Chriſti ibi, vbi exiſtit circumſcriptiue, non grauitaret, ſed maneret naturaliter ſuſpenſum in aëre; nec poſſet ambulare, aut ſe vllo modo mouere. Quod ergo P. Vaſquez dixerit in ſua ſententia, dici poterit in noſtra.

24. *Quidam ad argumentum reſpondent.* Ad argumentum itaque aliqui fatentur, quod ſi poneretur idem corpus circumſcriptiue in duplici loco, in neutro poſſet connaturaliter moueri, aut grauitare, niſi Deus adderet nouas vires ad illum motum, quas Deus non deberet addere ex ſuppoſitione prioris miraculi. Ita videtur ſentire P. Hur-
Hurtado tado *diſp.* 13. *Phyſicæ, ſect.* 5 *n.* 56. cum aliis Recentioribus. Hoc tamen in vniuerſum dictum difficile eſt,
Refelluntur primo. primo, propter rationem ſupra tactam: quia nimirum dicendum eſſet, corpus Chriſti de facto ex ſuppoſitione præſentiæ Euchariſticæ non poſſe connaturaliter moueri in cœlo, ſed debuiſſe omnino quieſcere in eo loco, in quo inuenitur, ita vt nec poſſet mouere labia, vel linguam ad loquendum, nec cor poſſet ſuum motum in terra exercere, & hæc omnia eſſe noua miracula, cum connaturaliter priori miraculo deberetur quies; & immobilitas omnimoda in illo alio loco, vbi exiſtit circumſcriptiue.

Secundo, quia eodem modo dicendum eſſet quod quando miraculoſe vnum corpus penetratur cũ alio, ex ſuppoſitione illius miraculi non poſſit alterum ſolũ ex iis corporibus localiter moueri, ſed debeat, vel vtrumque ſimul moueri, vel vtrumque ſiſtere; quia partes ſingulæ corporis per motum incipiunt de nouo penetrari cum aliis partibus illius alterius corporis, corpus autem non habet virtutem naturalem ad illam nouam penetrationem, hoc eſt, ad producendum *vbi* nouum in eo ſpatio, in quo eſt aliud corpus reſiſtens; ergo illud corpus ſemel penetratum non poſſet vlterius progredi, nec grauitaret lapis, ſi eſſet penetratus cum aëre, ſed deberet connaturaliter quieſcere, vel moueri ſimul cum ipſo aëre: imo nec ſimul cum aëre poſſet connaturaliter moueri; quia iam tunc etiam produceretur vbicatio noua, ad quam producendam non habet naturalem virtutem corpus illud in eo ſpatio, in quo reperitur aliud corpus. Vnde quando corpus Chriſti penetratum erat cum portis Cœnaculi, ex ſuppoſitione illius penetrationis ſemel factæ, connaturaliter debebatur, quod non progrederetur vlterius, nec exiret ex ſpatio, in quo erat porta: nec etiam regrederetur, ſed ſemper maneret penetratum cum porta; quia quicumque motus verſus quamlibet partem eſſet nouum miraculum propter nouam reſiſtentiam, & propter defectum virtutis naturalis ad illum motum. 25. *Refelluntur ſecundo.*

Ex hoc ergo exemplo colligere poſſumus faciliorem reſponſionem ad argumentum illud P. Vaſquez; nam in vtroque caſu, ſcilicet, quando duo corpora penetrantur, & quando idem corpus ponitur in duplici loco, poteſt Deus multipliciter ſe habere in eo miraculo operando. Primo enim poteſt Deus ſe ſolo illud operari, ita vt corpora ipſa non concurrant ad eum motum, vel præſentiam, per grauitatem, aut potentiam loco motiuam propriam. Secundò, poteſt Deus concurrere cum ipſiſmet corporibus, ita vt v. g. lapis ſua grauitate tendat deorſum, & tranſeat per ſpatium, in quo eſt alius lapis, perinde ac ſi nullum eſſet impedimentum; vel quod homo per ſuam propriam virtutem conſeruet ſuum *vbi*, quo ſtat Romæ innixus ſuis pedibus, perinde ac ſi non eſſet replicatus Neapoli; qui Dei concurſus non erat debitus lapidi, vel homini in illis circumſtantiis propter impedimentum naturale alterius corporis, vel alterius vbicationis, atque adeo erit concurſus ſupernaturalis ſaltem quoad modum. 26. *Ex hoc exemplo colligitur facilior reſponſio ad argumentum.*

Non tamen deſunt, qui dicunt, id fieri media qualitate ſupernaturali, quam Deus ad hunc finem imprimit corpori, prout de corporibus glorioſis ſentiunt aliqui, habere qualitatem ſupernaturalem, qua poſſunt penetrari cum aliis corporibus, quando volunt; de quo late P. Salas 1. *tom. in* 1. 2. *tract.* 1. *diſp.* 14. *ſect.* 19. iuxta quam ſententiam idem dici poſſet de corpore replicato in duobus locis, quod habeat ſimilem qualitatem ſupernaturalem, qua poſſit ſe mouere, non obſtante illo impedimento alterius præſentiæ in altero loco. 27. *Salas.*

Hoc ſuppoſito, ſi Deus priori modo ſe gerat, facile poſſumus concedere, corpus illud in neutro caſu ſe poſſe mouere; quia Deus non vult dare illi concurſum aliquem indebitum, ſed vult ſe ſolo illud ponere in tali vel tali ſpatio: cum ergo aliunde 28. *Poteſt contingere vt corpus illud in neutro caſu ſe poſſit mouere.*

ſit

ſit impedimentum naturale ad quamlibet præſentiam propria virtute producendam, non mirum, quod non poſſit illud corpus mouere ſe, ſed ſolum moueri à Deo, qui ipſum in tali ſpatio cum illis impedimentis collocauit. Lapis ergo cum alio lapide eo modo penetratus à ſolo Deo nolente dare concurſum indebitum lapidi, non poterit propria grauitate deſcendere, nec homo poſſet ambulare, vt regrederetur vel progrederetur vlterius, ſed deberet ibi manere incluſus, donec extraheretur à Deo qui illum ibi clauſit. Similiter homo eo modo poſitus in duobus locis à ſolo Deo nolente illi dare concurſum indebitum, in neutro loco poſſet ambulare, & mouere ſe, ſed ſolum poſſet moueri à Deo, propter impedimentum alterius præſentiæ, cum qua non poteſt homo propria virtute aliam præſentiam ſimul producere.

29. *Non tamen hoc contingit.* Cæterum de facto Deus in eiuſmodi miraculis non ſe gerit hoc priori modo, ſed poſteriori, volendo ſcilicet, quod corpora propria grauitate, aut virtute motiua operentur, & producant, vel conſeruent illam præſentiam, non obſtãte naturali impedimento alterius corporis, vel alterius præſentiæ eiuſdem corporis. Sic quando corpus Chriſti penetratum fuit cum Virginis vtero in natiuitate, vel cum portis Cœnaculi, voluit Deus concurrere cum ipſo corpore ad motum localem, & ad præſentiam producendam per potentiam ſuam motiuam, non obſtante illo naturali impedimento alterius corporis. Sic etiam quando corpus Chriſti poſitum fuit in Euchariſtia manens in cœna viſibile apud Diſcipulos ſicut prius, volebat Deus concurrere cum illo corpore ad conſeruandum ſuum *vbi*, quod habebat in loco, vbi ſtabat, vel recumbebat; ita vt illa præſentia penderet à virtute propria ipſius corporis, ſicut prius, non obſtante illa ſecunda præſentia eiuſdem corporis in alio loco. Sed denique, quando aliqui ſancti viri miraculosè poſiti ſunt à Deo in duobus locis diſtantibus, prout de Sancto Franciſco Xauerio refertur in eius hiſtoria, ita poſiti ſunt, vt eorum præſentia localis penderet ab ipſis, & non à ſolo Deo; nam eodem modo ambulabant, ſtabant, & mouebantur à ſe ipſis, ſicut antea.

30. *Ex ſuppoſitione prioris miraculi illud corpus debet moueri & grauitare, &c.* Quando ergo Deus eo modo replicat corpus in alio loco, fatendum videtur, ex ſuppoſitione primi miraculi, poſſe, & debere illud corpus moueri, & grauitare, ſicut ſi eſſet in vno ſolum loco. Probatur ex dictis; & quidè ſi ad hunc finem additur qualitas intrinſeca, vt aliqui volebãt, conſtat iam ex vi illius qualitatis deberi corpori motum, ad quem ordinatur talis qualitas; ſicut corpori glorioſo ex vi ſimilis qualitatis in ea ſententia debetur concurſus ad tranſeundum per aliud corpus. Si vero non ponatur talis qualitas, ſed Deus ſolus concurrens ad eum motum, adhuc ex ſuppoſitione talis replicationis debebitur concurſus Dei, quia ſupponimus, Deum voluiſſe Petrum v.g. manere Romæ ſtantem, vel iacentem, ſicut erat prius, atque adeo cum vbicatione conſeruata à ſua propria virtute, quia ſuſtinet corpus ſtando, vel à grauitate, à qua procedit vbicatio iacentis; quando autem auferetur corpus, quod erat infra ipſum, & à quo ſuſtinebatur, non poterit amplius propria grauitate conſeruare illud *vbi*; nam grauitas non poteſt conſeruare *vbi* corporis grauis in aëre, ſed debet inferius deſcendere; quod idem eſt, ſi prius propria virtute ſtabat, & auferatur pauimentum, cui pedes innitebantur; tunc enim propria virtus non poteſt amplius conſeruare illud *vbi*; ergo ſi Deus volebat Petrum eſſe Romæ cum præſentia producta, vel conſeruata à virtute, aut grauitate propria: neceſſe eſt, vt poſſit in iis caſibus grauitare, aut ambulare ad acquirendum aliud *vbi*, quod poſſit prouenire ab eius virtute, aut grauitate loco *vbi* præcedentis. Vnde conſequenter dicendum eſt, poſſe etiam Petrum in illo loco ambulare pro libito, debetique ei concurſum ad ambulandum, & mouendum linguam, labia, manus, &c. quia volente ipſo ambulare, iam potentia, & virtus motiua ipſius non poteſt amplius conſeruare vbicationem, quam prius conſeruabat dum ſtabat; virtus enim motiua hominis non poteſt operari, aut producere vbicationem, niſi ex imperio appetitus, vel voluntatis; ergo ceſſante imperio voluntatis circa vbicationem, non poterit amplius virtus naturalis Petri conſeruare illam vbicationem præcedentem; ergo ſi pedes, vel lingua debent eſſe Romæ per vbicationem prouenientem ab ipſo Petro, debet dari ei concurſus ad illam aliam vbicationem producendam, quam vult producere per illum motum localem, quem imperat. Similiter ſi prius iacebat, & poſtea velit ſurgere, grauitas, quæ conſeruabat prius *vbi*, non poteſt naturaliter reſiſtere conatui, vel voluntati efficaci, qua homo vult ſurgere; ergo non poteſt amplius conſeruare illud prius *vbi*, & per conſequens debetur Petro concurſus ad aliud *vbi*, ſi debet manere Romæ per *vbi* prouenięns ab ipſo. 31.

31. *Quando corpus replicatur illud poteſt dupliciter contingere.* Aduerte item, quando eo modo replicatur à Deo corpus in duobus locis, poſſe adhuc id dupliciter contingere. Primo ita vt Deus velit in vtroque loco corpus habere *vbi* dependenter à propria grauitate, vel potentia paſſiua; & tunc, poſita eiuſmodi replicatione, debetur corpori in vtroque loco concurſus ad motum, ſiue progreſſiuum, ſiue grauitationis, prout occaſio tulerit, propter rationem ſupra poſitam. Sic ſancti illi viri, qui miraculoſe in diuerſis ſimul locis eodem tempore viſi ſunt, in vtroque loco mouebantur, & conſeruabant ſuas vbicationes, ſicut ſi eſſent in vno ſolo loco. Secundo, poteſt Deus velle corpus eſſe in altero loco per *vbi* acceptum à ſolo Deo, vel cauſa aliqua ſupernaturali; in altero autem loco per *vbi* dependens à virtute, vel grauitate propria ipſius corporis: & tunc in vno ſolum loco debebitur ei concurſus ad ambulandum, grauitandum, &c. Sic ponitur de facto corpus Chriſti in Euchariſtia per *vbi*, non proueniens à grauitate, aut potentia motiua ipſius corporis, ſed vel à Deo, vel à virtute ſupernaturali, quæ ſit in ſpeciebus, vt poſtea videbimus; in cœlo tamen manet per vbicationem dependentem à virtute ipſius corporis, atque ideo in cœlo ſolum debetur ei concurſus ad motus locales propria virtute efficiendos; non in Euchariſtia. Ex quibus omnibus patet iam reſponſio ad illud fundamentum P. Vaſquez.

33. *Obiectio vltima.* Obiiciunt vltimo; quia ſequeretur, eũdem hominem viuere ſimul, & mori, amare, & odio habere idem obiectum; frigefieri, & calefieri; ac denique peccare in vno loco, & in alio mereri. *Reſponſio.* Hoc argumentum ferè æque militat contra Euchariſtiam; quia etiam ex hoc myſterio ſequi videtur, poſſe Chriſtum mori extra Euchariſtiam, & in Euchariſtia non mori, amare in cœlo, & odiſſe in Euchariſtia, & ſic fere de aliis. Quid autem dicendum ſit in his caſibus, peculiarem petit diſputationem, de qua ſectione ſequenti.

SECTIO II.

Vtrum corpus exiſtens in duplici loco, debeat habere vtrobique eadem accidentia, & eaſdem mutationes?

34. *Suarez.* HAnc quæſtionem latè diſputat Suarez *vbi ſupra ſect. 5. & 6.* à cuius tamẽ doctrina aliquantulum

Concluſio prima communis. tulum diſcedendum erit. Dico primo loquendo de iis omnibus, quæ non dependent eſſentialiter ab hoc loco, non repugnat de potentia abſoluta, ea omnia collocari vtrobique cum ipſo corpore. Hæc eſt communis; & probatur, quia ſicut non repugnat, idem corpus habere duas vbicationes in duplici loco; cur magis repugnabit, colorem, vel aliud accidens illius corporis habere alias duas præſentias in illo duplici loco?

35. *Concluſio ſecunda.* Dico ſecundo, non repugnat de potentia abſoluta, poni aliquod corpus in duplici loco, & tamen accidentia, quæ habet in vno loco, non poni in alio. Hæc eſt contra nonnullos, quos affert Suarez *diſp.* 48. *ſect.* 5. dicentes, non poſſe de potentia abſoluta poni corpus in alio loco, quin ibi ponantur etiam ea omnia, quæ ſecum alibi habet. Sed re vera noſtra *Probatur primo.* concluſio eſt verior; & probatur primo ex prima concluſione; quia non repugnat, imò neceſſe eſt, præſentiam localem, quam corpus habet in vno loco, non haberi in alio, licet verè ſit vnita cum illa; ergo non repugnabit, albedinem, quam habet in *Probatur ſecundo.* vno loco, non haberi in alio. Quæ enim in hoc eſt maior contradictio? Probatur ſecundo exemplo animæ rationalis, quæ quidem exiſtit in capite, & in pede; & tamen non habet in pede vnionem, nec aliqua accidentia, quæ habet in capite; ergo ſimiliter, ſi homo poneretur in alio loco, poſſet de potentia abſoluta carere ibi aliquibus accidentibus, quæ hic *Probatur tertio à priori.* habet. Denique probatur à priori, quia præſentia corporis non eſt præſentia albedinis, v.g. nec è contra; ſed ſunt duæ vbicationes diſtinctæ, vel certè loquendo de poſſibili, poſſunt eſſe diſtinctæ: ergo poteſt à Deo produci ſecunda præſentia corporis, quin producatur ſecunda præſentia albedinis: in hoc enim nulla apparet implicatio contradictionis.

36. *Inſtantia. Diluitur.* Dicunt, ſequitur ex hoc, Petrum habere albedinem, v.g. & non habere albedinem, quia hic habet illam, & Neapoli non habet. Sed facile diſſoluitur hæc contradictio, quia negatiua eſt falſa; cum enim ſit vniuerſalis, facit hunc ſenſum: *Petrus nullibi habet albedinem*, qui eſt falſus: habet enim albedinem *Quæſitum.* in vno loco. Petes, vtrum hæc concluſio locum habeat in omnibus accidentibus, quæ non dependent à *Sati ſit.* loco? Reſpondeo, in omnibus, niſi forſitan excipienda ſit actio; non enim videtur poſſe poni Petrum Romæ, quin ibi ponatur ſua actio, quia dependet à Deo; nam cum ibi etiam habeat ſuum eſſe, debet ibi illud habere acceptum à Deo per influxum, & per conſequens neceſſe videtur, quod ibi exiſtat actio, quæ illud eſſe accipit. Cæterum adhuc de ipſa actione defendi poteſt concluſio, quia poteſt ad minus Deus ponere Petrum Romæ productum ex vi alterius actionis nouæ diſtinctæ ab actione, qua conſeruatur alibi, & per conſequens poſſet tunc eſſe Petrus Romæ ſine actione, qua alibi conſeruatur.

37. *Concluſio tertia.* Dico tertio, ſi Deus operetur conformiter ad naturas rerum, in caſu, quo ponat corpus in duplici loco, deberet etiam ponere vtrobique ea omnia, quæ in primo loco habebat, exceptis iis, quæ dependent è loco, vt dictum eſt. Concluſio comprehendit non ſolum proprietates naturales, ſed alia etiam accidentia communia, vt calorem, albedinem, &c. item non ſolum ea accidentia, quæ haberet tunc, quando poneretur in ſecundo loco, ſed ea etiam, quæ poſtea de nouo acciperet per alias mutationes. Quare ſi Petrus exiſtens alibi collocaretur Romæ, & poſtea alibi infrigidaretur, deberet etiam Romæ infrigidari.

38. *Probatur primo.* Probatur primo concluſio exemplo Chriſti Domini, qui, vt poſtea videbimus, iuxta communem ſententiam Theologorum, habet in Euchariſtia non ſolum paſſiones, ſed alia etiam accidentia independentia à loco, quæ habet in cœlo: quæ quidem, licet non ponantur in Euchariſtia ex vi verborum, ponuntur tamen per concomitantiam: quam concomitantiam Concil. Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 3. dicit, eſſe naturalem connexionem vnius cum alio: ideoque ait ſub ſpeciebus panis poni animam Chriſti Domini: quia licet ibi ſolum ponatur corpus ex vi verborum, quia tamen anima vnita eſt corpori Chriſti in cœlo, ideo ponatur etiam cum corpore in Euchariſtia: quod idem dicendum eſt de potentiis, & paſſionibus: nam hæ etiam habent naturalem connexionem cum eſſentia: ergo ſi Petrus ponatur modo in duplici loco, habebit etiam vtrobique eaſdem potentias, & proprietates, propter eandem naturalem connexionem paſſionum cum eſſentia. Deinde habebit eadem accidentia vtrobique: nam licet hæc accidentia non habeant tantam connexionem cum ſubiecto, quantam habent paſſiones: habent tamen aliquam connexionem ratione vnionis, ob quam Theologi cenſent, Chriſtum, vt prædixi, in Euchariſtia non ſolum habere eaſdem paſſiones, ſed eadem etiam alia accidentia, quæ habet in cœlo: ergo idem dicendum eſt de quouis homine exiſtente in duplici loco. *Conc. Trid.*

39. *Probatur ſecundo.* Probatur ſecundo, quia iuxta naturam rei eſt, vt ea, quæ cum aliquo vniuntur, illud comitentur, quocunque ierit: vnio enim eſt ſocietas perpetua eorum, quæ vniuntur: quare dixit Ariſtoteles: *motis nobis, moueri omnia, quæ ſunt in nobis*; idque experientia confirmat, qua videmus, mota ſubſtantia, moueri ſimul omnia accidentia, quæ ſunt in illa: ergo ſi ſubſtantia deferatur ad alium locum perſeuerans adhuc in primo loco, ſecum etiam deferet omnia ſua accidentia: ratio enim vnionis id videtur connaturaliter poſtulare. *Ariſtot.*

Inſtabis. Dices, ergo ſi ponatur in duplici loco pars aquæ, quæ eſt in hoc vaſe, debent etiam poni in vtroque loco aliæ omnes partes aquæ, quæ vniuntur hic cum *Reſpondeo.* illa. Nonnulli negant conſequentiam; ego tamen libentius concedo: nam re vera illa vnio eſt aliquis modus ſubſtantialis illius partis aquæ: quare connaturaliter debet illam partem ſemper comitari, donec illa vnio corrumpatur.

40. *Obiicitur primo.* Obiicies primo, impulſus, quem recipit corpus in vno loco, eſt accidens independens à loco; & tamen hic impulſus nõ haberetur vtrobique; Chriſtus enim Dominus non habet in cœlo impulſum, quem habet in Euchariſtia, nec è contra; ergo non omnia accidentia, quæ independent à loco, habentur vtrobique. Conſequentia patet. Maior probatur: quia licet præſentia localis, & motus localis, qui fit ab impulſu, dependeat eſſentialiter ab hoc loco: at vero ipſe impulſus eſt quædam qualitas præcedens, quæ poſſet eadem produci in alio loco, & quæ poteſt moueri de loco in locum, vt patet in lapide ſurſum proiecto, qui defert ſecum in alium locum impulſum, quem accepit à manu proiiciente: ergo impulſus eſt accidens independens à loco. Reſponderi poteſt primo, *Reſponderi poteſt primo.* licet impulſus in ſeipſo non dependeat eſſentialiter ab hoc loco, ordinari tamen ad producendam præſentiam localem, & ideo non poni eundem impulſum in vtroque loco: quia cum non habeat virtutem ad producendum pluſquam vnam præſentiam, non poſſet vtrobique operari: & per conſequens fruſtra poneretur in vtroque loco.

41. *Sed hæc non videntur ſatisfacere.* Cæterum hoc non videtur ſatisfacere, quia potentia etiam loco motiua corporis Chriſti non poteſt in Euchariſtia aliquid operari; nam ibi non poteſt corpus Chriſti ſe loco mouere, ſed ſolum moueri ad motum ſpecierum; & tamen illa potentia loco motiua (ſi diſtincta eſt à ſubſtantia) ponitur in Euchariſtia per concomitantiam; ergo & impulſus,

quem

quem accipit in cœlo, poteſt, & debet poni in Euchariſtia per concomitantiam, licet ibi non poſſit operari. Ratio ſumitur ex dictis; quia vnio phyſica videtur hoc petere, vt ſi vnum extremum poteſt poni, vbi eſt aliud, ponatur, vt dictum eſt: cum ergo impulſus ille vniatur phyſice corpori in alio loco, & aliunde poſſit poni in hoc etiam loco, non eſt, cur non ponatur, vt hic etiam perficiat ſubiectum, & communicet illi ſuum effectum formalem, licet non operetur hic efficienter ſuum effectum.

42. *Confirmatur.* Confirmatur, quia quantitas etiam ordinatur ad impenetrationem actualem magis, quam impulſus ad motum localem actualem: nam impulſus poteſt naturaliter impediri à ſua operatione, vel per reſiſtentiam ſubiecti; vt cũ ego impellor ab alio, & tamen non moueor, quia per conatum reſiſto motui, vel per impulſum contrarium; vt cum à duobus agentibus impellitur corpus in partes contrarias, & altero alterum impediente, non mouetur: quantitas vero nõ poteſt naturaliter impediri ab operando actuali impenetratione; & tamen in Euchariſtia ponitur quantitas Chriſti, vbi non operatur actualem impenetrationem, quia nimirum habet ſaltem ibi ſuum effectum formalem, & perficit ſubiectum; ergo eodem modo poteſt poni ibi impulſus alibi impreſſus, / hoc ibi non operetur motum localem.

43. *Reſponderi melius ipſum etiam impulſum replicari.* Melius ergo, & magis conſequenter reſponderi poteſt, impulſum etiam ſicut & alia accidentia, debere poni in vtroque loco, vbi eſt idem corpus; atque ideo corpus Chriſti in Euchariſtia habere eundem impulſum, quem in cœlum accipit, ſicut & habet eaſdem ſpecies impreſſas, quas eius oculi alibi ab obiectis accipiunt: non tamen habet in cœlo impulſum, quem in Euchariſtia accipiat: quia in Euchariſtia non accipit impulſum vllum ab agentibus naturalibus, ſed mouetur à ſpeciebus illud ſecum trahentibus per qualitatem ſupernaturalem ad hunc finem acceptam, vt poſtea videbimus, qui motus fieri poteſt abſque omni impulſu.

44. *Obiectio.* Dices, ergo ſi Petrus ponatur in duplici loco circumſcriptiuè, & in vno accipiat impulſum, in altero etiam loco impelletur, & mouebitur localiter per illum impulſum vtrobique exiſtentem. Cur enim magis ille impulſus operabitur motum localem in vno loco, quam in alio? Quamvis enim vnus impulſus non poſſit producere niſi vnum motum, quando tamen impulſus eſſet vehemens, poſſet diuidere ſuam operationem, ita vt in ſingulis locis cauſaret motum minorem, & ex vtroque fieret totus motus correſpondens efficaciæ illius impulſus.

45. *Reſp. n. datur.* Reſpondeo, id non ſequi: quia licet hic impulſus non ſit alligatus ad hunc locum: eſt tamen alligatus ad producendam præſentiam, & motum in tali loco, & non in alio. Poteſt quidem ipſe impulſus etiam naturaliter eſſe in loco, in quo non poteſt producere motum, aut præſentiam, vt conſtat, quando lapis impellitur ab aliquo ſurſum, & ab alio potentiori deorſum, tunc enim in lapide deſcendente deorſum manet adhuc impulſus, quo deberet aſcendere ſurſũ: ideo enim lapis tardius & lentius deſcendit, quia impeditur aliquantulum, & retardatur ab impulſu contrario adhuc in eo manente: ergo ille impulſus deſcendit etiam ad eum locum, in quo non operatur motum, ad quem ordinabatur. Eſt ergo magis indifferens de ſe impulſus ad hunc, vel illum locum, quam ſit ipſa præſentia localis: atque ideo poſſet in noſtro caſu replicari in vtroque loco: non tamen poſſet in vtroque operari motum, quia de ſe eſt alligatus ad motum in tali linea deducta à tali ſpatio, in quo imprimitur. Qualem enim motum produceret impulſus impreſſus in lapide ad eleuandum

Impulſus eſt magis indifferens ad locum, quam præſentia localis.

eum ſurſum, ſi hic idem impulſus ponatur cum eodem lapide replicato apud Antipodas noſtros? Nam ſi ibi impellerent lapidem verſus eandem partem, verſus quam hic impellit, non aſcenderet ibi lapis, ſed deſcenderet in centrũ; quod videtur eſſe contra naturam illius impulſus, qui eſt violentus, & ordinatur ad eleuandum ſurſum lapidem, non ad aggrauandum & deprimendum deorſum. Aliunde vero non videtur, quod ille impulſus poſſet ibi etiam eleuare ſurſum lapidem; nam ille eſſet motus contrarius motui, quem hic operatur, & ad quẽ ordinatur, cum per illum motum potius recederet, quam accederet ad terminum, quem intendit in hoc loco.

Facilius ergo dicitur, impulſum eſſe qualitatem ita de ſe alligatam ad talem motum producendum, vt ſi ponatur in alio loco, non poſſit motum producere: ad hoc enim datur ab agente, & impellente extrinſeco, vt ſcilicet faciat, quod ipſe faceret, & ferat lapidem ab hoc loco ad illum, ad quem ab impellente determinate dirigitur: reſpicit ergo talem lineam ſpatij deductam à tali puncto, in quo imprimitur. 46. *Dicimus primo impulſum replicatũ non poſſe producere motum.* Fateor, aliquando lapidem impulſum, & repercuſſũ poſtea à pariete aduerſo, reuerti per motum reflexum in partem contrariam, ad quem motum concurrit etiam prior impulſus, refractus tamen, & quaſi contemperatus per alium impulſum impreſſum à pariete: & ideo non mirum, ſi refractus ſit etiam motus, & linea per quam ſit, ſemper tamen deducitur cõtinua à puncto ſpatij, à quo impellitur, & fertur, quantum poteſt, ad illam partem, ad quam ab impellente dirigebatur; quod ſi non poteſt, peragit tamen tantum iter continuum ab illo puncto, à quo exiit, & ſemper lineam rectam ſaltem à puncto reflexionis, & repercuſſionis: ſicut etiam ſpecies impreſſæ emiſſæ ab obiecto veniunt ex natura ſua per lineam rectam ab obiecto ad oculum, aliquando tamen propter reflexionem ſpeculi inuertantur: ſemper tamen peragunt curſum per lineam continuam ab obiecto, vel ſaltem à puncto reflexionis; quare hæc videtur eſſe natura ſpecierum, & impulſus, vt ſemper operentur per lineam rectam à puncto ſpatij, in quo eſt obiectum, vel imprimens impulſum. Vnde licet impulſus ponatur in vtroque loco, non tamen operabitur, niſi in illo, in quo eſt, qui illum impulſum imprimit. Quod idem videtur dicendum de ſpeciebus; ſi enim aliqua pars huius aëris replicaretur Neapoli cum eiſdem ſpeciebus impreſſis, quas in ſe habet horum obiectorum, adhuc illæ ſpecies non producerent Neapoli in aëre contiguo alias ſpecies eorum obiectorum; quia ſolum poſſunt producere alias ſpecies in linea continua deducta à puncto, in quo emittuntur ab obiectu.

Idem ferè dicitur de ſpeciebus impreſſis.

47. *Inſtantia.* Dices, radius etiam ſolaris non operatur, niſi per lineam rectam deductam ab ipſo ſole; & tamen ſi hic aër illuminatus replicaretur alibi cum radio ſolari, quem in ſe habet, procul dubio illuminaret aërem proximum magis quam lumen lucernæ; ergo & ſpecies obiecti replicata alibi produceret ſpeciẽ aliam in aëre proximo. *Diluitur.* Reſpondeo, radium ſolarem non producere alium radium, niſi per lineam rectam deductam à ſole, producere tamen in circuitu lucem aliam minorem. In illo ergo caſu, ſi aër hic cum radio ſolari in ipſo producto replicaretur alibi, conſequenter dicendum videtur, quod radius ille ibi non produceret alium radium ſimilem in aëre proximo, quia hic non producitur, niſi in linea recta, & aperta ad aſpectum Solis; produceret tamen in circuitu aliam lucem minorem, qualem producit etiam nunc in cubiculo: in quo toto non producitur radius Solis. Species autem obiecti non generant in circuitu alias ſpecies minores,

ſed ſolum & omnes ſpecies producunt in linea recta deducta ab obiecto per medium apertum; quare replicata ſpecies in alio loco longe ab obiecto nullam aliam ſpeciem produceret in ſpatio proximo.

48. *Obiectio ſecunda.*

Reſpondetur.

Obiicies ſecundo, materia pedis vnitur animæ rationali; & tamen non eſt vbicumque eſt anima rationalis: non enim eſt in capite, vbi eſt anima; ergo non eſt iuxta naturam rerum, vt ea, quæ alicui vniuntur, ſint vbicumque eſt illud. Reſpondeo, conclusionem noſtram habere locum, quando aliquid ponitur in pluribus locis adæquatis; tunc enim debet ſecum habere in ſingulis locis omnes ſuas proprietates, & accidentia, non vero in ſingulis partibus cuiuſlibet loci. Ratio diſcriminis eſt, quia res, vbi adæquate exiſtit, debet ſecum habere omnem ſuam ſupellectilem, vt ita dicam: debet enim ibi ita exiſtere, ac ſi nuſquam alibi exiſtat: at vero vbi inadæquatè exiſtit, non debet ea omnia habere: quia præſentia partialis ſupponit rem alibi partialiter exiſtere, vbi habeat, quæ ibi ipſi deſunt. Ex quo fit, moto digito, licet moueatur tota anima, non tamen moueri autem, quia non mutauit anima locum adæquatum: at vero ſi mutet locum adæquatum, tunc debent moueri omnia, quæ vniuntur cum anima in quavis parte.

Res vbi adæquate exiſtit, debet ſecum habere omnē ſuam ſupellectilem.

49. *Obiectio tertia.*

Reſpondetur.

Obiicies tertio: ſi idem homo ponatur Romæ, & alibi: ſi calefiat alibi ab igne applicato, non poteſt Romæ calefieri ab eodem igne diſtanti: ergo Romæ non habebit hanc calefactionem: à quo enim ibi producitur? Reſpondeo, ignem alibi applicatum producere calorem ibi, quem quidem calorem ibi productum, & calefactionem etiam productam Deus deferret Romam, non quidem reproducendo illum calorem Romæ per aliam actionem, ſed producendo ſolum aliam præſentiam localem illius caloris, & calefactionis ibi exiſtentis: poſito enim primo miraculo, quod idem corpus exiſtat alibi, & Romæ, connaturaliter petitur hoc ſecundum, quod accidentia, quæ ibi habet, habeat etiam Romæ. Quare diſtinguenda eſt illa propoſitio: ignis alibi exiſtens calefacit Romæ, aut enim ſignificatur, ignem exiſtentem alibi ponere calorem Romæ, & hoc eſt falſum; quia ille ignis non dat calori illam præſentiam, quam habet Romæ, ſed ſolus Deus; aut ſignificatur, ignem ibi exiſtentem producere illum calorem, qui eſt Romæ; & hoc eſt verum, neque ex hoc ſequitur illum ignem agere in diſtans, quia licet illud corpus, quatenus exiſtit Romæ, ſit diſtans ab eo igne, quatenus tamen exiſtit ibi, eſt præſens agenti, quod ſufficit, vt non dicatur ignis ille operari in diſtans: ſicut anima rationalis, quæ eſt in pede, & in capite, non dicitur diſtare à pede, licèt caput diſtet à pede.

Ignis ſic exiſtens non quidem producit calorem Romæ, ſed calorē qui eſt Romæ.

50. *Quæſitum.*

Satisfit.

Petes, quid ſi homini Romæ, & alibi exiſtenti, alibi applicetur ignis, & Romæ nix; habebitne Romæ calorem alibi productum; an ibi habebit frigus Romæ productum? Reſpondeo vno verbo; in hoc, & aliis ſimilibus caſibus (qui plures poſſunt excogitari) eodem modo ſe geret illud corpus in ordine ad diuerſa agentia in diuerſis locis applicata, ac ſi in eodem loco ſibi applicarentur: quare ſicut ſi ignis, & nix eodem loco applicarentur, partim calefieret, & partim infrigidaretur, ita vt tepidus maneret; ſic ex igne & niue in diuerſis locis applicatis manebit vtrobique tepidus. Ratio eſt, quia ex eo, quod ponatur corpus in duplici loco, non creſcit eius virtus actiua, vel paſſiua; & per conſequens non magis poteſt habere ſimul formas contrarias, quam ſi eſſet in vnico loco: repugnantia enim duarum formarum contrariarum non eſt in ordine ad locum, ſed in ordine ad ſubiectum, à quo præcipue ſe mutuo expellunt. Cum ergo vtrobique ſit idem ſubiectum, non poterit hic habere calorem intenſum, & alibi frigus intenſum.

Non creſcit virtus actiua aut paſſiua corporis replicati.

Hinc infero primo, ſi homo in vno loco interficiatur, & in eius materiam introducatur forma cadaueris; in alio etiam loco moriturum, & conuertendum in cadauer. Item ſi in vno loco comedat vſque ad ſatietatem, in alio loco non poſſe alios cibos comedere. Item, ſi in vno loco loquatur, & attendat omnino aliquibus rebus, in alio loco non habiturū attentionem aliis rebus, magis quàm ſi in eodem loco vtrumque obiectum proponeretur, quos experientia comprobauit in aliquo miraculosè in duplici loco conſtituto, qui interim dum alibi intendebat, in alio loco erat quaſi in ecſtaſi ſine attentione ad ea, quæ agebantur; ſi vera eſt hiſtoria, quam narrat S. Antoninus 1 *parte Hiſt. tit. 6. c.* 10. quòd, dum S. Antoninus apud Petragoricas celebraret, iuſſus eſt ire Tetraſconam, vbi in eccleſia corpus S. Marthæ ſolemniter ſepeliuit, interim dormiens apud Petragoricas iuxta altare; poſtea verò euigilans miſit aliquem Tetraſconam, qui annulum, & chirothecas reportaret, quæ illic per obliuionem reliquerat. Vnde non videntur fuiſſe illa per viſionem ſolùm repræſentata, ſed potiùs replicatum verè Frontonium, ita tamen, in vno ſolùm loco poſſet ad operationes humanas attendere. 51.

Illatio prima, non poteſt homo replicatus interfici in vno loco ſi interficiatur in alio.

Quod probatur hiſtoria.

Aduerte tamen, hoc procedere in caſu, quo Deus ſe conformet naturis rerum: ſecus enim bene poterit in diuerſis locis idem corpus habere mutationes contrarias, & ita in ſingulis locis ſe gerere, in ordine ad agentia, quæ ibi applicantur, ac ſi in nullo alio loco ab aliis agentibus pateretur. Cæterùm in hoc caſu neceſſe eſſet, confortari à Deo potentiam actiuam, & paſſiuam illius corporis ad agendum, & patiendum plures effectus, quàm eius naturalis virtus de ſe poſſet: non enim minor virtus exigitur ad agendum, vel patiendum in diuerſis locis duos effectus, quàm ad agendum, vel patiendum illos in eodem loco, vt ſuprà dictum eſt. 52.

Hoc tantum procedit in caſu quo Deus ſe conformet naturis rerum.

Infero ſecundò; ſi formæ iſtæ taliter opponantur, vt nec de potentia abſoluta poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto in vno loco exiſtenti, nec etiam poſſe ſe compati in eodem ſubiecto in diuerſis locis. Quare aſſenſus, & diſſenſus, amor & odium eiuſdem obiecti (quos actus in lib. de Anima dixi non poſſe eſſe ſimul de potentia abſoluta) non poterunt eſſe etiam in diuerſis locis: nec fieri poterit, vt Petrus hic credat aliquid, cui alibi expreſsè diſſentiat; repugnantia enim horum actuum, ſicut & aliorum accidentium independentium à loco, non eſt, vt prædixi, in ordine ad eundem locum, ſed in ordine ad idem ſubiectum; nam in eodem loco poſſunt eſſe aſſenſus, & diſſenſus eiuſdem obiecti in duobus Angelis exiſtentibus in eodem loco. Repugnantia ergo eſt in hoc, quod idem homo aſſentiatur, & diſſentiat expreſſe, & ſimul eidem obiecto. 53.

Illatio ſecunda corpus replicatum non eſt capax duarū formarū incompatibilium.

Hæc, vt prædixi, procedunt, ſi Deus operetur connaturaliter ad poſitionem primi miraculi, cæterum ſi Deus nollet mutationes, quæ fiunt in vno loco, transferre in alium; quid dicendum eſſet, ſi eidem corpori applicaretur alibi ignis, & Romæ nix, calefieretne ibi, & infrigidaretur Romæ? P. Suarez *vbi ſupra* docere videtur, poſſe tunc vtrobique pati ab agente ibi applicato, ita vt ibi eſſet nimis calidum, & Romæ nimis frigidum. Suarez.

Dico tamen vltimo, in prædicto caſu licet mutationes eædem poſitiuæ non ponerentur vtrobique; reſiſteret tamen corpus per qualitatem hic acceptam agenti alibi applicato; quare ſi hic ſupponatur calefactum vtcumque ab igne hic applicato; tunc 54.

Concluſio vltima.

licet

liceт iſte calor vt quinque non poneretur alibi, expellerentur tamen ibi quinque gradus frigoris, ita vt ſolum eſſet ibi frigidum vt tria; & tunc ſi superueniret alibi nix, in tantum poſſet infrigidare illud corpus, in quantum infrigidaret illud, ſi applicaretur hic eadem nix, vbi eſt ignis applicatus. Quare ſi nix haberet tantam virtutem, vt poſita hic ſuperaret virtutem ignis præſentis, & infrigidaret paſſum ad ſex gradus, ibi etiam infrigidabit illud vſque ad ſex gradus, & tunc etiam hic manebit calidum vt duo, licet non ponantur hic omnes illi gradus frigoris alibi producti. Denique, ſi hic ægrotaret homo, licet illa febris non poneretur alibi, attamen ibi auferretur temperamentum ſanitatis, & per conſequens, quando hic moreretur, moreretur etiam ibi, hoc eſt, deſineret eſſe anima in illa materia, licet non introduceretur à forma cadaueris, quæ hic introducitur. Et ſic de alijs caſibus iudicandum eſt.

55. *Ratio horum omnium.* Ratio horum omnium ſumitur ex ſupradictis; licet Deus non duplicaret præſentiam formæ, vel mutationis hic productæ; non tamen augeret virtutem ſubiecti ad habendum ſimul duas formas contrarias; ergo cum tota repugnantia duarum formarum non ſit in ordine ad eundem locum, ſed in ordine ad idem ſubiectum, conſequens eſt, vt, niſi Deus aliud ordinaret, ſubiectum quod hic eſt ſumme calidum, non poſſet eſſe alibi ſumme frigidum.

56. *Confirmatur.* Confirmatur ad hominem contra Suarez, qui *vbi ſupra ſect. 6.* negat, eundem hominem poſſe in vno loco aſſentire, & alibi ſimul diſſentire eidem obiecto, quia illi duo actus repugnant de potentia abſoluta, non quidem ratione loci, ſed ratione ſubiecti, in quo ſunt; ergo ſimiliter calor, & frigus in diuerſis locis repugnabunt naturaliter in eodem ſubiecto; quia repugnantia frigoris, & caloris non eſt in ordine ad locum, ſed in ordine ad ſubiectum.

57. *Inſtantia.* Dices, ſi lignum ſit vtrubique frigidum, & in vno loco calefiat vt tria ab aliquo igne, tunc ſanè hic amitteret tres gradus frigoris, non tamen habebit illos tres gradus caloris, quos habet ibi, quia Deus non vult illos hic collocare. Rurſus, applicatur hic aliquis ignis, qui poſſet illud calefacere vt tria; inquiro, habebitne hic ex vi illius ſecundi ignis aliquos tres gradus caloris?

Reſpondent aliqui. Nonnulli reſpondent negatiuè; quia cum inueniat iam ſubiectum abſolutè calidum vt tria, & ſimile non agat in ſimile, non poterit dare illi ſubiecto illum gradum caloris, quem iam ſubiectum verè habet, licet non habeat illum in hoc loco. *Reiiciuntur.* Sed contra; quia ſi vterque ignis applicaretur in eodem loco, verè illud paſſum haberet maiorem calorem, quam ab vnoquoque ſolo: ergo etiam ſi applicentur in diuerſis locis, debent producere in paſſo plus caloris, quam vnuſquiſque ſolus produceret. Item ſi agente priori igne, ſuperueniret ſecundus, tunc procul dubio effectus productus à primo conſeruaretur ab vtroque: nam ſecundus ignis habet virtutem ad conſeruandum illum effectum: ergo etiam ſi ſuperueniat in alio loco, operabitur illum effectum ſaltem partialiter: cauſa enim applicata paſſo cum ſufficienti virtute, non poteſt eſſe otioſa: nec eſt maior ratio, cur agat ille ignis, quam iſte.

58. *Reſpondetur melius.* Reſpondeo ergo, ab hoc ſecundo igne & primo applicatis in diuerſis locis eidem paſſo produci in paſſo illos gradus caloris, quos produceret vterque ignis, ſi ſimul in eodem loco applicarentur. Quia tamen Deus non vult, eundem gradum caloris producti eſſe in vtroque loco, ita debet effectus diuidi, vt dimidia pars caloris ſit alibi conſeruata ab igne ibi applicato, & alia dimidia ſit hic conſeruata ab igne hic applicato. Cum enim vterque ignis habeat ius ad operandum circa illud paſſum, & neuter poſſit producere totum effectum partialiter partialitate cauſæ: conſequens erit, vt producant illum partialiter partialitate effectus: diuidendo effectum inter vtrumque locum. Quæ autem pars ponenda ſit hic, quæ vero alibi, ad Deum ſpectabit id aſſignare, qui eſt auctor naturæ, & debet vtrique cauſæ prouidere. Reſtat dicendum de accidentibus dependentibus à loco, an debeant & ipſa replicari cum ſubiecto replicato: de quo ſectione ſequenti.

SECTIO III.

Vtrum accidentia, quæ dependent ab hoc loco, debeant, vel poſſint replicari, replicato ſuo ſubiecto.

59. *Concluſio certa.* COmmuniter negatur ab omnibus Philoſophis, corpus exiſtens in duplici loco habere vtrobique eandem præſentiam localem, vel alios modos, qui eſſentialiter reſpiciunt hoc ſpatium, vel includunt præſentiam localem, qualis eſt ſitus, extenſio partium, figura ſitualis, &c. quia hoc *vbi* eſſentialiter affigitur huic ſpatio: ergo non poteſt moueri ab hoc ſpatio, nec in alio loco collocari. Quare Chriſtus Dominus licet habeat in Euchariſtia accidentia, quæ habet in cœlo, imo & figuram organicam, vt videbimus infra, non tamen habet præſentiam localem, quam habet in cœlo, nec alia accidentia, quæ dependent eſſentialiter à loco.

60. *Contendunt tamen aliqui vbicationes poſſe replicari.* Aliqui tamen Recentiores Philoſophi contendunt, quod de potentia abſoluta poſſit vbicatio Petri, quæ eſt Romæ, poni eadem alibi, non ita vt non maneat Romæ, hoc enim eſt impoſſibile, nam effectus formalis illius vbicationis, eſt, conſtituere Petrum præſentem Romæ: quare non poteſt eſſe illa vbicatio in Petro, quin det illi hunc effectum formalem; ſed tamen dicunt, poſſe eandem vbicationem replicari alibi cum eodem Petro alibi exiſtente, & tunc eam vbicationem Romanam eſſe in illo alio loco non per ſe ipſam, ſed per aliam vbicationem ſuperadditam, quæ reddat præſentem illam vbicationem in illo alio loco: in hoc enim nulla apparet contradictio in ordine ad potentiam Dei abſolutam. *Addunt alij.* Addunt alij ex ſuppoſitione prioris miraculi, quo Petrus ponitur in duplici loco, debere fieri hoc ſecundum, imo non poſſe aliter fieri, quin vbicatio Romana ponatur in illo alio loco: quia non poteſt intelligi, Petrum eſſe ibi, & non eſſe ibi quæ ſunt vnita cum Petro. Supponunt enim accidentia non habere aliud *vbi* intrinſecum, ſed omnia eſſe hic per *vbi* ſubiecti: nam albedinem eſſe hic, non eſt aliud, quam eſſe in ſubiecto, quod eſt hic. Sicut ergo repugnat, quod Petrus ſit Neapoli, & non ſit ibi albedo, quæ eſt in Petro: ſic repugnat, quod ſit ibi vbicatio Romana, quæ eſt in eodem Petro.

61. *Hæc ſententia reiicitur.* Hæc ſententia nimis ſingularis eſt, & contra communem ſenſum omnium, qui ſemper in hac quæſtione excipiunt eiuſmodi accidentia, ne replicentur; replicato ſubiecto. Et in primis, ſi dicatur, *vbi* Romanum debere accipere aliud *vbi* ſuperadditum ad hoc, vt ponatur Neapoli; tunc non poteſt dici, quod ex ſuppoſitione prioris miraculi, quo Petrus ponitur in duobus locis; debeat in vtroque loco poni vtraque vbicatio: ex hoc enim ſequeretur proceſſus in infinitum. *Argumentum inde progreſſu in infinitum.* Nam ſi vbicatio Romana Petri, quia eſt in Petro, debet poni Neapoli per aliam vbicationem ſuperadditam: ergo hæc ipſa vbicatio ſuperaddita vbicationis Romanæ debet applicari Romæ per aliam vbicationem

ſuperadditam; quia cum ſit Romæ illa prima vbicatio, quæ Neapoli habet ſecundam vbicationem, debebit illam Romæ etiam habere, ſicut ipſe Petrus Romæ habere debet per te vbicationem, quam habet Neapoli. Si autem illa vbicatio Neapolitana vbicationis Romanæ debet poni Romæ per aliam vbicationem, de hac ipſa redit idem argumentum, quia hæc etiam debet poni Neapoli per aliam vbicationem, & hæc poni debet Romæ per aliam; & ſic in infinitum, vel negandum erit debitum ponendi Neapoli cum Petro vbicationem, quam Petrus habet Romæ.

62. *Refutatur deinde ex eo quod aliquis ſupponit aliquid poſſe eſſe in loco per ſolam denominationem extrinſecam.* Minor autem probari debet, quod illi alij dicebant, non poſſe, etiam diuinitus poni Neapoli Petrum, qui exiſtit Romæ, abſque eo quod ponatur Neapoli vbicatio, quam habet Romæ, eo quod accidentia non ſint in loco, niſi per vbicationem ſubiecti, & per denominationem extrinſecam ab illo: hoc, inquam, diſplicet; primo, quia ſupponit principium minus verum, quod ſcilicet aliquid poſſit eſſe in hoc ſpatio per ſolam denominationem extrinſecam ab alia re hic vbicata: impoſſibile enim eſt, aliquid localiter moueri, & non moueri intrinſecè, atque ideo quin intrinſecè ſe habeat aliter ac antea, vt dicemus inferius *ſect.* 4. *&* 7. Denique, licet id de alijs accidentibus concederetur, non deberet tamen concedi de ipſa vbicatione, quæ quidem cum ſit ipſamet præſentia ſubiecti, non poteſt eſſe præſens per denominationem extrinſecam à ſubiecto ſuo vbicato, ſed ſe ipſa eſt præſens illi ſpatio, quod per ſuam eſſentiam reſpicit. Et licet ſubiectum poſſit alibi collocari, quia de ſe eſt indifferens ad hoc, & illud ſpatium; ipſa tamen vbicatio, quæ de ſe eſt determinata ad hoc ſpatium, non eſt, cur habeat illam indifferentiam ad accipiendas illas denominationes ab vbicatione ſubiecti, ſicut alia accidentia, quæ propter ſuam indifferentiam exigunt aliquam vbicationem ſuam, vel ſui ſubiecti, à qua determinentur ad hoc ſpatium magis quam illud.

63. *Probatur deinde ex ipſo effectu formali vbicationis.* Denique, quod non ſolum non debeat, ſed nec poſſit vbicatio quam Romæ habet Petrus, poni Neapoli cum eodem Petro ibi replicato; probari poteſt ex conceptu, & eſſentia ipſius vbicationis. Si enim Petrus Neapoli habet vbicationem Romanam, ibi etiam habebit eius effectum formalem, cum non poſſit eſſe eadem forma in eodem ſubiecto, quin reſultet idem effectus formalis: ergo Petrus Neapoli eſt Romæ, ſeu in illo ſpatio eſt in iſto: nam eſſe in hoc ſpatio, non eſt aliud, niſi habere talem formam, ſeu talem vbicationem ſibi inhærentem, quod totum ibi habet in ſuppoſito. Loquor autem non de ſpatio, ſeu loco reali Romæ; nam eſſe Romæ includit denominationem partim extrinſecam, quæ non poteſt eſſe Neapoli; ſed loquor de præſentia ad ſpatium imaginarium Romæ, quæ eſt denominatio intrinſeca prouenienſ adæquate ab hac vbicatione intrinſeca.

64. *Dicunt non eſſe inconueniens exemplo vbicationis indiuiſibilis in Angelo.* Dicunt, non eſſe inconueniens, ſi totum id concedatur; imo concedendum à nobis eſſe in ſententia communi, quæ dat Angelo vbicationem aliquam ſaltem poſſibilem, quæ cum in ſe ſit ſimplex, & indiuiſibilis faciat Angelum præſentem ſpatio diuiſibili huius gymnaſij, v.g. Nam illa vbicatio, cum non habeat partes, neceſſe eſt, quod tota ſit in toto, & tota in qualibet parte huius ſpatij. Loquor de Angelo præſente per illam vbicationem huic angulo A, nonne verum erat, quod in hoc angulo A, Angelus eſt præſens angulo B. & omnibus alijs? Habet enim in hoc angulo vbicationem, quæ facit illum præſentem alijs angulis: ergo in hoc habet eſſe præſentem alijs; ergo in hoc eſt in alijs: quid ergo mirum, quod ſicut Angelus de facto id habet, poſſet etiam habere Petrus in caſu miraculoſo, quod Neapoli haberet præſentiam Romanam, & exiſtens ibi haberet eſſe præſentem Romæ per vbicationem, quam ibi haberet? Quod clarius confirmari poteſt in Deo, cuius vbicatio intrinſeca, ſeu immenſitas ſimpliciſſima eſt, & indiuiſibilis: quare ſicut hic habet totam ſuam immenſitatem; ſic habet hic realiter loquendo totum eius effectum formalem intrinſecum; non enim poteſt habere alibi aliquem effectum formalem intrinſecum, quem hic non habeat, vt conſtat: ergo hic habet Deus eſſe vbique, & per conſequens hic habet eſſe in ſpatio imaginario cœli, & alijs omnibus. Similiter ergo ſi Petrus habeat Neapoli eandem vbicationem intrinſecam, per quam eſt in hoc ſpatio, habebit ibi eundem effectum formalem intrinſecum, & poterit abſque inconuenienti dici, quod ibi habeat eſſe hic.

65. *Impugnantur exemplo durationis.* Sed quidquid ſit de exemplis Dei, & Angeli, ad quæ poſtea reſpondebimus; non videtur poſſe abſque abſurdo concedi, quod Petrus Neapoli ſit Romæ. Quod probare poſſumus ab exemplo non diſſimili durationis creatæ. Nam ſicut vbicatio reſpicit tale ſpatium imaginarium locale: ſic duratio reſpicit tale ſpatium imaginarium ſucceſſiuum temporale: & ſicut vbicatio noſtra eſt accidens ſuperadditum diuiſibile, & extenſum pro diuiſibilitate ſpatij, ſic duratio creata eſt accidens ſuperadditum ſucceſſiuum, & diuiſibile pro diuiſibilitate, & ſucceſſione ſpatij imaginarij, vt ſuppono alibi probandum, & nobiſcum admittunt etiam illi Recentiores. Quo ſuppoſito, argui poteſt in hunc modum: ſi enim hæc vbicatio Romana poteſt ſaltem diuinitus conſtitui Neapoli, ergo poterit etiam ſaltem diuinitus duratio, qua Petrus durat hodie, reproduci etiam cras: ita vt Petrus habeat cras ſuam durationem craſtinam, & rurſus habeat etiam cras illum modum durationis, per quem durauit hodie: nam ſicut vbicatio Romana, licet ſit alligata huic ſpatio, poteſt diuinitus poni in alio per aliam vbicationem ſuperadditam, à qua poteſt denominari eſſe ibi: ſic duratio hodierna, licet ſit alligata huic ſpatio temporali, poterit diuinitus replicari in ſpatio craſtino per aliam durationem ſuperadditam, à qua denominetur duratio hodierna eſſe cras, non per ſuammet entitatem, ſicut erat hodie, ſed per formam accidentalem ſuperadditam. Conſequens autem eſt manifeſte abſurdum: ergo & illud aliud de vbicatione abſurdum erit.

66. *Inſtantia.* Dices, eſſe diſcrimen inter durationem, & *vbi*; quia quando Petrus replicatur, & ponitur in duobus locis, exiſtit actu vtraque vbicatio in Petro, & ideo propter vnionem realem, quam habet cum illo, neceſſe eſt, quod vtraque ſit in Petro vbicumque eſt Petrus; at vero duratio heſterna non eſt hodie actu à parte rei, ſed fuit in Petro, & habuit vnionem cum illo, non habet actu, vnde non eſt neceſſe, quod ponatur, quandocumque eſt Petrus, quia vnio præterita non habet eam vim, ſed ſolum vnio præſens, & actu exiſtens.

67. *Soluitur.* Sed contra: quia imprimis iam vidimus, *vbi* Romanum, ſi ponatur alibi cum Petro, debere poni per aliam vbicationem ſuperadditam ſibi, nec poſſe eſſe de nouo ibi per ſolam vbicationem Petri, niſi ipſum etiam *vbi* Romanum intrinſecè mutetur: vnde non eſt neceſſitas omnimoda, ſed poſſibilitas, vt *vbi* Romanum poſſit per aliud *vbi* ſuperadditum eſſe alibi: quod ſi id poſſibile ſit in *vbi*, non apparet, cur licet non ſit neceſſarium, aut debitum in duratione, quod duratio Petri heſterna

ſit

ſit etiam hodie cum eodem Petro, non ſit ſaltem poſſibile, quod illa duratio ſit per aliam durationem ſuperadditam in alio ſpatio temporali, ſicut *vbi* poteſt eſſe per aliud *vbi* in alio ſpatio locali.

68. *Ex eo etiam licet ſit impoſſibile arguitur ad caſum noſtrum.*

Deinde, eſto id in duratione ſit impoſſibile, ex eo tamen impoſſibili arguere poſſumus ad caſum noſtrum, quia ſi duratio heſterna eſſet hodie in Petro, vere Petrus hodie duraret heri, vt probatum eſt, quod tamen eſſet abſurdum; ergo ſi *vbi* Romanum Petri ponatur Neapoli, eodem modo Petrus Neapoli erit Romæ, propter eandem rationem. Non eſt autem minus abſurdum, quod Neapoli ſit Romæ, quam quod hodie ſit heri: hoc enim ſecundum ideo eſt abſurdum, quia duratio heſterna eſt alligata ad talem durationem imaginariam, ſed non minus eſt alligatum *vbi* Romanum ad hoc ſpatium imaginarium, nec poteſt oſtendi, cur maiorem alligationem habeat duratio quam *vbi* ad ſuum ſpatium; ergo ſi ex illo primo ſequeretur abſurdum, ſequetur etiam debet ex hoc ſecundo.

69. *Abſurdum eſſet Petrum habere hodie durationem heſternam.*

Porro abſurdum magnum fore, ſi Petrus hodie haberet durationem heſternam, per quam hodie etiam duraret heri, probari poteſt, quia ſi hoc eſſet, ſequeretur Petrum vna die potuiſſe viuere centum annis: ſi enim prius vixiſſet centum annis, poſtea mortuus eſſet, & diuinitus rediret ad vitam per vnam diem, in qua tamen Deus ſimul reproduxit in eo durationes, quas habuit per centum annos, poſſumus vere affirmare, ipſum poſt reſurrectionem vixiſſe, & duraſſe centum annis: habuit enim durationes omnes præteritas, à quibus ſolis prouenit ille effectus formalis, vt ſuppono, non à tempore reali extrinſeco, nam nullo exiſtente tempore reali extrinſeco, adhuc homo poſſet breuem, vel longam vitam habere, longitudo ergo vitæ eſt effectus formalis proueniens ſolum à tot durationibus intrinſecis: ſi ergo omnes illæ iterum eſſent in Petro poſt reſurrectionem, ſequitur, eum iterum habere longam vitam, nempe centum annorum, quod tamen aperte conſtat eſſe abſurdum.

70. *Vrgeri poteſt in peccato.*

Vrgeri poteſt in peccato, quod durauit heri per horam, & poſtea retractatum fuit, atque dimiſſum; ponamus, quod hodie poſſit homo idem peccatum reproducere, & eandem etiam durationem heſternam peccati, reproducat in vnico inſtanti hodierno & peccatum, & durationem heſternam: diceturne hoc peccatum hodie duraſſe vna hora, atque adeo non ſolum imputandum tanquam peccatum vnius inſtantis, ſed tanquam peccatum vnius horæ? Nemo id concedet; eſſet tamen concedendum, ſi in illo inſtanti habuit durationem totam heſternam vnius horæ; quia, poſita forma adæquata, vt vidimus, non poteſt non poni totus effectus formalis ipſius. Nec poteſt excogitari aliqua conditio intrinſeca requiſita, quæ deſit ad illum effectum formalem, cum adſit idem ſubiectum, eadem forma, & eadem vnio, & omnia intrinſeca eadem omnino ſicut heri.

71. *Ex his deducitur ratio à priori illius repugnantia.*

Ex quibus deduci poteſt ratio à priori illius repugnantiæ, quia nimirum non poteſt multiplicari ſeu reiterari forma, quin multiplicetur, vel reiteretur effectus formalis; effectus autem formalis durationis heſternæ eſt durare heri, vt conſtat; ergo non poteſt reproduci illa forma, & multiplicari quoad exiſtentiam, quin multiplicetur eius effectus formalis: hic autem non multiplicatur, licet duratio Petri heſterna reproducatur hodie: non enim ideo Petrus magis durauit heri, neque ideo durat bis heri: durauit quidem heri ſemel, & hodie iterum durat; ſed non poteſt dici, quod durauit bis heri; nam iſte effectus formalis repetitus non competit Petro heri, ſed hodie; ergo non magis durauit heri; alioquin per reproductionem illius durationis fieret effectus formalis de præterito, quod ſcilicet heri magis, vel bis duraſſet; item per reproductionem peccati cum duratione heſterna fieret nunc, quod hoc peccatum heri grauius fuiſſet, quæ ſunt manifeſte impoſſibilia, ergo non creſcit, vel multiplicatur effectus formalis proprius illius formæ; nam effectus formalis durationis heſternæ non eſt durare hodie, ſed heri; ergo eſt durare die præterita: ergo duraſſe: qui certe effectus non poteſt formaliter augeri à forma nunc reproducta, quia vt ſic non poteſt dare duraſſe heri, ſed durare hodie de præſenti; repugnat ergo reproduci illam formam, quia eius effectus formalis non poteſt reproduci.

72. *Confirmatur & explicatur iterum.*

Confirmatur, & explicatur iterum, quia peccatum heſternum hodie libere reproductum, licet non ſit phyſice diſtinctum, moraliter reputatur aliud, & imputabitur perinde ac ſi homo commiſiſſet duo peccata diſtincta: ergo ſimiliter duratio heſterna hodie reproducta, licet non ſit phyſice diſtincta, erit tamen moraliter alia, & reputabitur ac ſi eſſet alia; quare Petrus, qui hodie præter durationem ſuam hodiernam acciperet iterum durationem heſternam, plus acciperet moraliter, quam ſi ſolum duraſſet heri, & poſtea duraret hodie. Quæro igitur id, quod plus accipit, ſiquidem eſt donum, eſt perfectio; eſt duratio, quid ſit, vel quid conferat? An pro hac die ſolum, an pro heſterna? Pro hac ſolum non poteſt, quia eſſentia eius durationis eſt facere Petrum durantem heri, ergo perficit pro die heſterna. Aliunde tamen id repugnat; quia ex eo, quod hodie reproducatur illa duratio, non dicetur melius, aut magis heri duraſſe; nullo ergo modo poteſt redire illa eadem perfectio, quæ eſſentialiter habet non perficere, niſi ante diem hodiernam propter contradictionem, quæ ex contrario dicendi modo ſequeretur.

73. *Totum hoc argumentum de duratione facile ad vbi applicatur.*

Totum hoc argumentum, quod de duratione factum eſt, poteſt facile ad *vbi* applicari; ſi enim *vbi* Romanum Petri ponatur Neapoli, ibi Petrus erit Romæ, atque ideo verum etiam erit, quod Petrus in hoc palmo eſt in omnibus ciuitatibus Italiæ, ſi replicatus in illis, hic habet omnes illas vbicationes. Vnde verum etiam erit, quod corpus Chriſti in exigua particula hoſtiæ occupat ſpatium magnum, quia ibi habebit vbicationem, quam habet in cœlo, ac per conſequens ibi habet totum effectum formalem illius vbicationis, qui eſt eſſe præſentem tali, & tanto ſpatio magnitudinis humanæ. Verum item eſſet, corpus Chriſti in Euchariſtia coëxtenſum eſſe ſpatio, quia ibi habet vbicationem cœleſtem, à qua ſola prouenit, quod ſit in actu ſecundo coëxtenſum ſpatio illi imaginario, quod replet in cœlo: quæ tamen omnia videntur manifeſte abſurda, & contra omnium ſenſum. Fatendum ergo videtur, ſicut duratio creata eſt eſſentialiter ſucceſſiua, ſe ipſa fundat relationem diſtantiæ ab aliis partibus durationis, ſic *vbi* diuiſibile eſſe eſſentialiter quaſi ſucceſſiuum in ordine ad ſpatium, ita vt vna pars eſſentialiter ſit poſt aliam in ſpatio, & non poſſint duæ eſſe ſimul, ſed ſingulæ ſeipſis fundent relationem diſtantiæ ab aliis omnibus partibus, atque adeo non poſſit etiam diuinitus vna eſſe ibi, vbi eſt alia.

74. *Nunc reſpondetur ad argumentum & exemplum de vbi Angeli.*

Nunc ad argumentum, & exemplum, quod afferebatur de vbicatione Angeli; quæ cum ſimplex, & indiuiſibilis ſit, eadem eſt in vtroque angulo, atque ideo in hoc angulo facit Angelum eſſe in illo alio: quod idem vrgebatur in Deo, cuius immenſitas cum ſit indiuiſibilis, tota eſt hic, atque adeo hic dat Deo totum effectum formalem, & hic facit

eum eſſe vbique. Ad hoc, inquam, reſpondere in primis poſſumus retorquendo, nam hoc argumentum non ſolum probat de *vbi*, ſed etiam de duratione. Deus enim non ſolum habet vbicationem intrinſecam indiuiſibilem, ſed etiam durationem, quare ſicut hic habet totam ſuam vbicationem, ſeu immenſitatem intrinſecam, ſic nunc habet totam ſuam durationem, ſeu æternitatem intrinſecam, atque adeo ſicut hic eſt vbique, ſic nunc eſt æternus, & habet durare in æternum, Ergo ſicut ex immenſitate Dei indiuiſibili colligi volunt, quod poſſit Petrus habere Romæ illud idem *vbi* replicatum, per quod eſt Neapoli; ſic ex duratione Dei, qua Deus nunc durat per totam æternitatem, colligi poſſet, quod poſſit homo nunc habere iterum reproductam durationem, qua durauit anno præterito, atque adeo, quod nunc Petrus duret per totum annum præteritum, quod tamen vidimus eſſe manifeſtum abſurdum.

75. *Diſcrimen aſſignatur.* Ad exempla ergo debemus reſpondere: ſicut eſt diſcrimen inter durationem Dei indiuiſibilem, & noſtram diuiſibilem: ſic eſſe diſcrimen inter vbicationem Dei, vel Angeli indiuiſibilem, & noſtram diuiſibilem. Deus quidem, quia habet durationem indiuiſibilem, habet illam totam ſimul: æternitas enim eſt poſſeſſio totius vitæ, & durationis ſimul: quare ſimul dat totum ſuum effectum formalem, & ſimul Deus durat per totam æternitatem: alioquin perficeretur ſucceſſiuè, ſi non durat nunc per totam ſuam durationem; non eſt ergo inconueniens, quod Deus vna die viuat vita mille annorum, imo totius æternitatis, quia in Deo idem prorſus eſt durare nunc, & durare per infinitos annos, vt latius videbimus agentes de æternitate Dei. In nobis tamen non eſt idem viuere hodie, & viuere per centum annos: quia ſucceſſiuè perficimur, & quia hodie non poſſumus habere hoc, quod eſt viuiſſe anno præcedenti, niſi denominatiuè, vt ſupra probatum eſt. Similiter ergo de vbicatione dicendum eſt, vbicationem indiuiſibilem Angeli, & vbicationem Dei, quæ ſunt intrinſece indiuiſibiles, totas eſſe in qualibet parte ſpatij, atque adeo in qualibet parte ſpatij dare totum ſuum effectum formalem, quare Deus hic eſt immenſus, hic eſt vbique, quia hic habet quidquid perfectionis habet. At vero *vbi* Petri Romæ, cum ſit diſtinctum ab *vbi* Neapolitano, non dat Petro, niſi effectum formalem limitatum, ſcilicet eſſe Romæ: ſic etiam *vbi* corporis Chriſti in Euchariſtia, cum ſit diſtinctum ab *vbi*, quod habet in cœlo; non dat niſi ſuum effectum formalem ponendi corpus illud abſque extenſione, & ideo non poteſt dici, quod corpus Chriſti ibi habeat extenſionem, quod tamen dici poſſet ſi ibi haberet vbicationem, quam habet in cœlo, à qua tanquam à forma adæquata habet effectum formalem extenſionis actualis, vt dictum eſt. *Non eſt ergo diſcedendum à communi ſenſu Philoſophorum.* Non eſt ergo, cur diſcedamus à communi ſenſu Philoſophorum, & Theologorum, qui ſupponunt, replicato corpore in duobus locis, non debere, imo nec poſſe poni in vtroque loco præſentiam localem, quam habet in vno; & ideo corpus Chriſti non habere in Euchariſtia præſentiam localem, quam habet in cœlo, neque in cœlo, quam habet in Euchariſtia, neque in hoſtia præſentiam, quam habet in calice, vel in aliis hoſtiis; quia illæ omnes præſentiæ ſunt alligatæ eſſentialiter ſingulis ſuis ſpatiis determinatis.

76. *Quæſtio.* Dices, vtrum in his accidentibus dependentibus à loco computentur actus ſenſuum exteriorum, vt viſio obiecti præſentis, & ſpecies impreſſæ illius obiecti, &c. *Solutio.* Reſpondeo negatiue: nam iſta accidentia licet dependeant ab obiecto præſenti in genere cauſæ efficientis: non tamen habent eſſentialem dependentiam ab hoc loco; quare ſicut calor, productus hic ab hoc igne, poteſt poni alibi, vbi non eſt hic ignis, vt diximus, quidni ſpecies producta ab hoc obiecto poſſit poni alibi, vbi non eſt hoc obiectum? Quare Theologi communiter concedunt Chriſtum Dominum in Euchariſtia habere actus, & ſpecies, quas habet in cœlo, vt docet Suarez *diſput. 51. ſect. 2. in fine.* *Suarez.* Nunc iam videamus, quid, & qualis ſit hæc præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia; prius tamen oportet aliqua præmittere de præſentia locali in vniuerſum, ſine quibus non poſſunt intelligi, quæ de hac præſentia dicenda ſunt.

SECTIO IV.

Præmittuntur aliqua communia de loco, & Præſentia locali.

SVppono primo, duplicem eſſe locum; primus eſt locus realis, quem 4. *Phyſic. cap.* 4. definiuit Ariſtoteles illis verbis: *Locus eſt ſuperficies corporis continentis immobilis*; vbi nomine loci, omiſſis aliis explicationibus, videtur intelligi ſuperficies realis corporis circundantis; non tamen ſecundum ſe ſolam, ſed prout immobilis, hoc eſt, prout affixa tali ſpatio imaginario per talem vbicationem intrinſecam, quam habet, vt ſic enim eſt immobilis. Locus itaque piſcis, v. g. eſt ſuperficies aquæ ipſum circundantis; non ſola, quia ſi piſcis ſimul cum aqua moueatur, non manet in eodem loco, & tamen continetur ab eadem ſuperficie aquæ: quia nimirum locus erat complexum ex illa ſuperficie, & tali vbicatione ipſius aquæ: ſic etiam è contra quieſcente piſce, ſi aqua fluat, vere non manet piſcis in eodem loco reali, licet maneat in eodem ſpatio imaginario. 77. *Ariſtot. Supponitur duplex locus & explicatur.*

Contra hanc loci realis explicationem obiici ſolet, primo, quia in prædicto caſu piſcis non mouetur localiter, ergo non mutat locum, licet aqua fluat, & ſucceſſiuè varietur ſuperficies realis continens piſcem. Reſpondetur loquendo de re ipſa, & de loco reali, quod totam entitatem, quam dicit, negari non poſſe, piſcem, adhuc cum quieſcit, deperdere priorem locum realem, & adquirere alium, quia prior locus ſolum dicebat talem ſuperficiem aquæ cum tali *vbi* ipſius aquæ: vtrumque autem deperditur; quia, fluente illa parte aquæ, corrumpitur illud *vbi*, quod habebat ibi. Cæterum formaliter loquendo, non dicitur piſcis adquirere nouum locum; quia ſuccedit aliud corpus eum circundans cum ſimili omnino præſentia locali, quæ licet differat numero à præſentia locali præcedentis aquæ; tota hæc differentia prouenit ex parte ſubiecti, in quo eſt, non vero ex parte ſpatij, quod reſpicit, cum ſit omnino idem, atque ideo vulgariter dicitur, aquam, quæ de nouo ſuccedit, habere eandem præſentiam localem, quam habebat aqua præcedens, quia præſens eſt eidem ſpatio; ex quo fit, vt dicatur piſcis retinere eundem locum, quia locus in ratione loci conſtituitur formaliter per præſentiam localem. Sed reuera totum hoc pertinet ad modum loquendi. 78. *Obiicitur primo. Reſpondetur.*

Obiicitur ſecundo: locus non eſt in alio loco, vt ait Ariſtoteles *cap. 2. text. 20* ſed ſuperficies corporis extrinſeci rem ambientis eſt etiam in loco; ergo ipſa non eſt locus. Reſpondeo, ſuperficiem illam proprie non eſſe in loco; quia cum non ſit niſi vnita aliis partibus, non continetur à ſuperficie alterius corporis; ad rationem autem loci requiritur, quod non vniatur intrinſecè cum re locata, ſed 79. *Obiicitur ſecundo. Reſpondetur.*

ſed ſolum extrinſecè per contiguitatem: non enim dicitur pars aquæ eſſe in alia parte, cum aqua vnitur; bene autem dicitur piſcis eſſe in aqua, quia non vnitur cum illa.

80. *Obiicitur tertio.* Obiicies tertiò: locus eſt terminus motus localis; ſed ſuperficies corporis extrinſeci non eſt terminus motus localis: non enim producitur per motum localem ſuperficies, ſed *vbi* intrinſecum rei locatæ: ergo ſuperficies illa non eſt locus. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando abſolutè maiorem: per motum enim localem non producitur locus, ſed præſentia localis; ſed licet non producatur, tamen acquiritur regulariter loquendo locus per motum localem; quia nunquam mouetur aliquod corpus, quin fiat de nouo præſens ad aliquem locum realem extrinſecum.

81. *Obiicitur quarto.* Obiicies quartò: cœlum empyreum non habet ſupra ſe ſuperficiem alterius corporis extrinſeci, à qua circundari poſſit; & tamen eſt in loco; ergo. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando minorem de loco reali, licet enim cœlum empyreum habeat *vbi* intrinſecum, & præſentiam realem ad ſpatium imaginarium: non tamen habet præſentiam ad aliud corpus, ſeu ſpatium reale, in quo ſit, vt in loco.

82. *Hæc procedūt in rigore philoſophico.* Hæc procedunt loquendo in toto rigore philoſophico, cæterum in ſermone vulgari ſolemus etiam dicere, rem perſeuerare in eodem loco, quandiu perſeuerat eadem ſuperficies realis continens, licet variata ſit vbicatio intrinſeca loci; ſic enim domum Lauretanam, ſeu cubiculum illud venerandum dicimus eſſe eundem locum in quo habitauit B. Virgo, & ideo habet inſcriptionem illam: *Sanctior eſt toto nullus in orbe locus.* Ratio autem eſt, quia cum locus dicat in recto ſuperficiem realem corporis continentis, & in obliquo immobilitatem prouenientem à tali vbicatione, manente eadem ſuperficie, poteſt dici ſaltem in ſenſu materiali, & ſpecificatiuè, quod ſit idem locus; ſicut idem paries albus, variata ſucceſſiuè albedine, dicitur idem album: & pater, variata ſucceſſiuè relatione paternitatis ad diuerſos filios, dicitur idem pater materialiter & ſpecificatiuè. Quando vero Philoſophi dicunt, variari locum, licet aqua maneat intra idem vas, cum quo mouetur, intelligitur de loco formaliter, & reduplicatiuè: manet enim aqua in eodem loco materiali, non in eodem loco formali. Sic etiam è contra ſolemus dicere, rem manere in eodem loco, licet non maneat intra eandem ſuperficiem corporis ambientis, vt lignum fixum in flumine, variata ſucceſſiuè aqua circundante, dicitur manere in eodem loco: tunc enim ſermo eſt non de loco philoſophico, & reali, ſed de ſpatio, ſeu loco imaginario, quem mox explicabimus.

83. *Supponitur vbicatio intrinſeca circa quā ſunt variæ ſententiæ. Primo vult eſſe denominationem extrinſecam.* Supponendum ſecundo, præſentiam, ſeu vbicationem, qua Petrus dicitur eſſe hic, vel illic, eſſe aliquam formam accidentalem intrinſecam Petro; circa quam variæ ſunt Philoſophorum ſententiæ, quas refert Suarez *diſp.* 51. *Metaphyſ. ſect.* 1. Primo aliqui dicunt, hanc eſſe denominationem extrinſecam prouenientem à loco reali extrinſeco, ſeu à ſuperficie corporis continentis, quam diximus eſſe locum: locus enim eſt forma, à qua res dicitur locata, ſed rem eſſe locatam, eſt eſſe in tali loco: ergo præſentia localis eſt denominatio proueniens ab ipſo loco, in quo aliquid eſt.

84. *Alij aliter.* Alij dicunt, hanc præſentiam eſſe aliquod accidens intrinſecum rei locatæ, & relatiuum, reſpicit enim ex ſe tale corpus extrinſecum circundans, ſeu talem locum realem cui reddit præſentem rem locatam. Alij denique dicunt, hoc *vbi*, ſeu locum non eſſe accidens intrinſecum, ſed denominationem deſumptam à ſpatio imaginario, in quo eſt res; quod quidem ſpatium nonnulli antiquiores dixerunt, eſſe aliquod ens reale diffuſum vndique per omnes partes, & penetrabile cum omnibus corporibus, quæ in ipſo collocantur. Alij vero fatentur, non eſſe aliquod ens reale poſitiuum; dicunt tamen, eſſe vacuitatem quandam cum aptitudine, vt repleatur à corporibus, & ſufficientem, vt ab ipſa proueniat hæc denominatio.

85. *Cōcluſio dicit eſſe aliquid poſitiuum diſtinctum à rebus aliquid ex eo quod videmus.* Dicimus ergo cum veriori ſententia, præſentiam qua Petrus eſt hic, vel illic, eſſe aliquid poſitiuum diſtinctum ſaltem ex natura rei ab ipſo Petro. Probant aliqui experientia: nam experimur, nos oculis videre ipſam præſentiam corporis, ſeu coloris, quem videmus: non enim videmus oculis ſolum colorem, ſed colorem etiam vt diſtantem, vel propinquum nobis: nec ſatisfacit dicere, videri diſtantiam ex eo ſolum, quod videamus tantum, vel tantum corpus intercipi, de hac enim ipſa intercapedine redit idem argumentum; quia ſi oculus percipit, intercipi tantum corpus; ergo non ſolum videt ipſum corpus, quod interiacet, ſed etiam hoc, quod eſt intercipi, ſeu mediatè intermediare, & illud aliud: hoc autem, quod eſt intercipi, non eſt ipſa ſola entitas corporis, vel coloris viſi: potuit enim eſſe idem corpus ſine tali diſpoſitione locali, ergo eſt aliquid aliud, quod oculis videatur præter entitatem coloris, quod quidem appellamus vbicationem talem, vel talem.

Dubium incidens, an oculus videat vbicationem?

86. *Vaſquez. Hoc argumentum non videtur efficax. Impugnatur.* Hoc argumentum, vt verum fatear, non videtur omnino efficax, poteſt enim reſponderi cum P. Vaſq. *diſp.* 195. *cap.* 2. ex parte obiecti ſolum attingi colorem; diuerſitatem autem totam rei diſtantis, vel propinquæ habere ſe ex parte viſionis: nam ſpecies impreſſæ venientes per talem vel talem lineam viſualem diuerſo modo mouent, & immutant organum ad videndum. Vnde ex diuerſo modo, quo ſentimus organum noſtrum moueri, & applicari ad videndum obiectum, colligimus, illud eſſe in tali, vel tali diſtantia: non quia oculus immediatè percipiat diſtantiam, ſed quia nos percipimus modum diuerſum applicationis pupillæ ad percipiendum obiectum; & hinc pariter percipimus figuram ſitualem, quam obiectum habet in ordine ad locum; quia experimur, oculum diuerſo modo immutari, & applicari ad percipiendam hanc partem obiecti, quam illam, & inde colligimus partes eſſe taliter, vel taliter collocatas in diuerſis lineis viſualibus: atque adeo habere talem, vel talem figuram in ordine ad locum.

87. *Hoc perſuadetur. Primo.* Poteſt autem hoc perſuaderi. Primo, quia ſi oculus non immutetur diuerſo modo, hoc eſt, per diuerſam lineam viſualem, ab obiecto, non percipitur diuerſitas vbicationis, quantumcunque ipſa varietur in ſe, vt contingit, quando aliquis intra cameram nauis videt picturam; nam licet nauis moueatur, & per conſequens pictura recipiat nouas vbicationes, non tamen percipitur oculis illa diuerſitas, eo quod obiectum maneat ſemper in eadem diſtantia, & proportione, reſpectu oculi. Nec aliter poſſumus percipere motum nauis, vel noſtrum, niſi contemplando aliquod corpus firmum in littore, vel alibi, à quo; quia magis diſtamus, oculus diuerſo modo immutatur. *Secundò.* Secundo, quia quando in ſpeculo videmus obiectum ſtans nobis à tergo, apparet tamen nobis eſſe ex diuerſo, quia nimirum propter reflexionem ſpecierum oculus immutatur ab illis eodem modo, quo ſolet immutari, quando obiectum eſt ex aduerſo: ergo in neutro caſu oculus vi-

det immediatè præſentiam rei, ſed rem ipſam, quàm ex tali modo mittendi ſpecies colligimus eſſe in tali, vel tali loco. Idem argumentum fieri poteſt ex virga ſemiſummerſa in aqua, quæ quidem oculo apparet curua, cum ſit recta, propter reflexionem nimirum ſpecierum, à quibus, eodem modo immutatur oculus, quo ſolet affici, quando re vera virga eſt curua; non ergo videt oculus vbicationem, quæ re vera non datur à parte rei; non enim eſt virga in illo ſpatio, in quo oculis apparere iudicatur, ſed in alio. Quod idem conſtat in vitro triangulari, vel perſpicillis facientibus res apparere in duplici, vel triplici loco, &c.

88. *Tertio confirmatur ex aliis ſenſibus.* Tertio confirmari poteſt ex aliis ſenſibus; nam auditus non aliter videtur percipere diſtantiam, vel propinquitatem obiecti, niſi per modum, quo ab ipſo afficitur & immutatur: vnde quando per reflexionem ſpecies veniunt à parte oppoſita, apparet nobis, ſonum eſſe in contraria parte. Tactus etiam non alio modo percipit ignem eſſe præſentem, niſi quia ſentit organum vehementer affici à calore in ſe recepto; imo non alias qualitates percipit in rigore loquendo, niſi eas, quæ in ipſo cognoſcente recipiuntur: vt probaui in lib. de Anima. Olfactum vero certum eſt non percipere vnde proueniat odor, niſi quatenus per diuerſas naſi applicationes colligimus ex hac potius quàm illa parte oriri. Guſtu denique ideo percipimus rem eſſe præſentem, quia nunquam afficitur, niſi à ſapore præſenti. Non ergo eſt, cur in viſu dicamus percipi immediatè vbicationem obiecti quam nullus alius ſenſus in ſuo obiecto percipit.

89. *Inſtantia.* Dices, ſi oculus non percipit immediatè vbicationem, non apparet quomodo ex diuerſo modo quo applicatur, poſſimus colligere diſtantiam, vel propinquitatem obiecti: ſi enim nunquam vidimus ipſam diſtantiam, quomodo poſſumus ex modo, quo oculus afficitur, colligere obiectum eſſe in tali diſtantia? Nam peto, quomodo ex illa diuerſa mutatione oculi colligis indiſtantiam obiecti, ſi nunquam expertus es ipſam indiſtantiam? Si enim illam bene colligis, ideo eſt, quia expertus es, quod quando oculus taliter immutatur, obiectum erat indiſtans: hoc autem ipſum debuiſti experiri per aliquem ſenſum; ergo aliquando per ſenſum cognouiſti non ſolum colorem, ſed etiam indiſtantiam coloris, & per conſequens eius vbicationem.

90. *Reſpondeo.* Ad hoc tamen adhuc reſponderi poteſt indiſtantiam illam obiecti colligi ex tali immutatione oculi, quatenus alias, quando ſimilem oculi affectionem experti ſumus, inuenimus obiectum eſſe indiſtans, quia nimirum manu potuimus illud facilè contrectare: non quod manus, vel tactus habuerit etiam pro obiecto immediato indiſtantiam, vel vbicationem illius corporis, ſed quia experitur, & ſentit in ſe impulſum cauſatum à corpore obuio reſiſtente; vnde colligimus corpus illud ibi eſſe, vbi cauſat illum effectum, quem immediatè ſentimus: & poſtea hac experientia edocti colligimus, illud corpus eſſe præſens, vel propinquum, quando ſimili modo afficitur oculus à ſpeciebus ab eo emiſſis. Aliquando tamen decipitur, quia propter reflexionem, vel alias cauſas, ſpecies eodem modo immutant potentiam, cum tamen obiectum non ſit in eadem diſtantia, vt vidimus.

91. *Inſtabis.* Vrgebis adhuc, quia etiamſi aliquis cæcus à natiuitate fuiſſet, & nunc viſu diuinitus accepto, primum omnium videret hanc chartam, abſque vlla prorſus experientia aliorum obiectorum à ſe viſorum, ſcilicet hanc chartam eſſe in tali loco, & manum extenderet, non retro, ſed ante ſe ad tenendam illam: non ergo propter experientiam ſimilis applicationis, ſed propter meram viſionem præſentem cognoſcit, obiectum eſſe in tali loco; quia nimirum videt & obiectum, & eius vbicationem.

Reſponderi adhuc poteſt, naturæ inſtinctu cognoſci, rem ibi eſſe, vbi operatur; ſicut etiam, clauſis oculis, ſi ſentias intenſum calorem ab extrinſeco illatum in fronte, in occipitio nullum, in lateribus mediocrem, eo ipſo cognoſcis, agens extrinſecum ex aduerſo eſſe directè, non ad latera: atque ideo manum opponis lineæ ex aduerſo directæ ad operiendam & tuendam faciem. Similiter, ſi lumen experiris ex directo intenſum, ad latera remiſſum, cognoſcis faciem, vel ſolem ex aduerſo, non ex obliquo eſſe, & manum, vel velum directè opponis. Sic ergo qui videt chartam per mediam partem pupillæ melius, per latera non ita bene, cognoſcit chartam ex aduerſo directè eſſe, ſiquidem intenſius in illa linea operatur: è contra vero, ſi per latera pupillæ melius eam videt, cognoſcit obiectū ex aduerſo illius partis eſſe, cum per illam lineam melius operetur. Vnde quando refracta apparet virga ſummerſa in aqua propter refractionem ſpecierum, iudicamus virgam eſſe in tali loco, vbi non eſt, quia per illam lineam melius tunc agit: ſicut & in ſpeculo, niſi ſenſum corrigeremus, iudicaremus ibi eſſe obiectū, quia per illam lineam operatur, & extenderemus manum ad illud tangendum. Non ergo prouenit ex eo, quod percipiatur immediatè ipſa vbicatio, ſed quod ab operatione ibi intenſius exercita habemus, præſens eſſe in linea directa, quæ ab eo puncto deducitur. 92. *Reſpondeo.*

Dices, hoc modo explicari, vnde percipiatur, hanc partem eſſe in medio, non tamen cur ex duabus collateralibus percipiatur hæc eſſe in dextra, illa in parte ſiniſtra: vtraque enim videtur minus bene quam media, quia vtraque eſt obliqua oculo. Reſpondetur ex eadem radice reddi poſſe rationem huius, quia ſcilicet pars dextra percipitur melius à tali parte pupillæ, quæ ei magis directè opponitur: ſiniſtra vero ab alia pupillæ parte: inde cognoſcimus, hanc partem eſſe dextram, & illam ſiniſtram. Eodem modo cognoſcimus, hanc eſſe ſupra, illam vero infra medium chartæ; quia percipiuntur melius à diuerſis partibus pupillæ, quibus pro diuerſitate ſui ſitus diuerſimode correſpondent. 93. *Inſtantia.* *Solutio.*

Addi poſſunt duæ aliæ rationes ad confirmandam eandem ſolutionem, & ad probandum poſitiuè, quod vbicatio coloris non ſit obiectū oculi immediatum. Prima eſt quod ſi oculus percipit immediatè *vbi* coloris, poſſet diſcernere vnū *vbi* ab alio, ſaltem quando eſt diuerſitas inter illa, oculus autem non diſcernit eiuſmodi differentiam, etiam quando eſt diuerſitas; ergo non percipit *vbi* coloris immediatè. Maior probatur, quia oculus diſcernit bene colorem album à nigro, & nigrum à ſubnigro, & alios omnes: quia percipit immediatè colores; ergo eodem modo deberet diſcernere *vbi* in ſpatio imaginario Romano ab *vbi* in ſpatio Neapolitano propter magnam diſtantiam, & diuerſitatem illarum vbicationum. 94. *Duæ aliæ rationes confirmant eandem ſolutionem. Prima ratio.*

Minor vero, quòd ſcilicet oculus eam diuerſitatem non diſcernit, etiam quando eſt magna diuerſitas, conſtat clarè; quia ſi aliquis dormiens ex hoc ſpatio Romano transferretur Neapolim, & conſtitueretur in ſimili cubiculo, & lecto: euigilans non diſcerneret illam ſuam vbicationem ab ea, quam antea habebat Romæ. Item quando mouetur in naui ſedens intra cameram, non diſcernit nouum *vbi*, quod acquirit imo nec ſcit, an moueatur. Puto eſſe diuerſitatem magnam inter illas vbicationes, & ſufficientem, vt diſcerneretur, ſi oculus eas immediatè perciperet, probari poteſt, quia percipitur bene 95. *Probatur minor.*

diuerſitas

diuerſitas inter *vbi* nauigij, & *vbi* arboris, quando nauis diſtat longius à littore, quam prius: ſed tam diſtans eſt vbicatio nauis nunc ab vbicatione, quam habebat antea, ſicut *vbi* nauigij, ab *vbi* arboris: ergo ſicut propter diſtantiam maiorem percipitur illa maior diuerſitas inter *vbi* nauigij, & *vbi* arboris, quam modo habent; ſic propter eandem diſtantiam deberet diſcerni *vbi*, quod habet nunc nauis, ab *vbi*, quod prius habebat, ſi vbicationes oculis perciperentur.

96. *Inſtabis.* Dices, vbicationes nauigij, & arboris non ſolum diſcerni propter diſtantiam, ſed etiam propter diſſimilitudinem ſubiectorum, in quibus ſunt; vbicationes autem eiuſdem nauis ſunt ſimiles ex parte ſubiecti, ideo non diſcerni. *Reſponſio.* Sed contra; ponamus vnum lignum manere in littore, & aliud omninò ſimile moueri, tunc vbicationes illæ non ſunt diſſimiles ex parte ſubiecti, vt conſtat, & tamen non minus diſcernerentur; ergo propter ſolam diſtantiam; hæc autem eadem eſt inter duas vbicationes ſucceſſiuas eiuſdem ligni; ergo hæ etiam deberent diſcerni, ſi oculus eas perciperet.

97. *Inſtantia.* Inſtabis, hoc argumentum non minus procedere contra noſtrum dicendi modum: dicimus enim, percipi illam diſtantiam obiectorum, quatenus percipimus diuerſam applicationem pupillæ vel organi ad videndum hoc obiectum, & illud. De hac autem applicatione pupillæ poteſt fieri idem argumentum: nam ſenſus noſter percipit immediate illam applicationem pupillę, quæ nihil aliud videtur eſſe, quam *vbi* ipſius pupillæ, & diſcernit diuerſam applicationem hanc, & illam; ergo deberet percipere diuerſitatem, quando prius erat Romæ, & poſtea dormiens poſitus eſt Neapoli: nam applicatio hæc eſt ipſa præſentia pupillæ, quam habet Neapoli quæ eſt valde diuerſa ab ea, quam habebat Romæ: ergo eodem modo negandum erit, ſenſu percipi poſſe immediate ipſam applicationem pupillæ, cum non percipiat tantum diuerſitatem.

98. *Diluitur.* Reſpondeo, ſenſu percipi applicationem pupillæ in actu primo, hoc eſt, non ipſam vbicationem, ſed impulſum, quo in actu primo applicatur ad mouendam ſe tali, vel tali motu: qui impulſus eſt vnum ex obiectis, quæ potiſſimum percipit tactus, quo ſentimus, & diſcernimus impulſus illos ſolum, qui in nobis imprimuntur, vt explicui, & probaui *in lib. de Anima*. Percipimus ergo impulſum pupillæ, & diſcernimus vnum ab alio; non fortaſſe, quia percipiamus ipſam naturam, & differentiam huius impulſus diſtinctè, ſed quia percipimus, quæ partes pupillæ fortius, quæ lentius impellantur; vnde arguitur impelli ad motum verſus hanc, vel illam partem, ad hoc, vel illud latus: nam quando mouemur retrorſum, magis impelluntur partes anteriores, & è contra. Hinc eſt, non diſcerni impulſum, qui imprimitur Romæ ab eo, qui alibi imprimeretur, ſi vterque impellit verſus latus dextrum, v.g. quia vterque magis impellit partem ſiniſtram, quam ſolum diuerſitatem diſcernit tactus. At vero viſus, ſi percipit immediate vbicationes, debet diſcernere earum differentias quoad diſtantiam vnius ab alia; quia ideo dicunt percipi *vbi* ab oculo immediate, quia oculus diſcernit lignum diſtans à propinquo: ergo eodem modo deberet oculus diſcernere meum vbi, quo ego eram hic, ab eo, quo poſtea ſum alibi, cum tanta ſit diſtantia inter hæc duo *vbi*, quanta erat inter illa duo, vt probatum eſt.

99. *Inſtabis adhuc.* Dices, diſcerni quidem à viſu differentiam illarum vbicationum; requiri tamen ad hoc, quod vtraque exiſtat, vt ex mutua comparatione vtriuſque poſſit diſcrimen percipi; poſtquam vero altera iam non eſt, non poteſt dignoſci ſubſequens, vt diuerſa ab illa. *Satisfit.* Sed contra, quia in coloribus etiamſi iam non obiiciatur color albus, ſed viridis, percipio, hunc eſſe diuerſum ab albo, quem prius videbam; quia nimirum, quando vidi album, vidi id, per quod differt intrinſece à viridi: ſed quando vidi vbicationem in ſpatio A. vidi diſtinctè id, per quod differt intrinſecè ab vbicatione in ſpatio B. alioquin nec etiamſi vtraque ſimul exiſtat, percipiam vnam differre ab alia; ergo etiamſi non ſit iam prior vbicatio, percipere debeo, hanc quæ nunc eſt, diuerſam eſſe ab illa præcedente. Pero enim, quando vtraque vbicatio actu exiſtit, vnde colligis, eſſe diuerſas, & diſſimiles, niſi quia viſus percipit differentiam intrinſecam ſingularum? Sed eodem modo, quando vides ſingulas ſeorſim, percipis differentiam, & prædicata propria ſingularum; ergo poteris nunc comparare hanc, quam nunc vides, cum illa, quam prius vidiſti, & cuius ſpeciem retines in memoria, & hoc modo aduertere differentiam vtriuſque. Si autem hoc non potes, ſignum eſt, quod oculus non percipit immediate ipſas vbicationes, ſed argutiue oſtendit earum differentiam.

Secunda ratio eſſe poteſt, quia ſi oculus videt immediate vbicationem, debet videre immediate etiam vnionem ipſius vbicationis cum colore, ſiue quia ipſum *vbi* eſt entitas modalis, atque ſe ipſa eſt eſſentialiter vnio ſui cum tali colore, ſiue quia licet, vt alij volunt, non ſit modus, ſed res, debet tamen videri vt vnita: nam ſi oculus videt immediatè vbicationem, non videt illam in abſtracto, ſed in concreto, hoc eſt, videt per illam talem colorem reddi vbicatum, & præſentem hic; videt ergo dari vnionem vbicationis cum tali colore: hoc autem videtur difficile, quod oculus videat immediate, & explicitè vnionem coloris cum vbicatione; nam vnio vt vnio non poteſt cognoſci explicite, niſi cognoſcatur vt habens ordinem ad colorem; hoc autem non poteſt videri, niſi cognoſcendo colorem etiam in obliquo, vt terminum ad quem dicit ordinem vnio; qui modus cognoſcendi non videtur poſſe conuenire ſenſui materiali, qui non poteſt cognoſcere vnum in alio, neque ex vno obiecto directè viſo poteſt duci ad cognoſcendum aliud indirectè, ſed omnia, quæ cognoſcit, cognoſcit directè, & immediate; non ergo videt oculus explicite, & immediate vnionem vbicationis cum colore, ſed colorem ſolū ſecundum ſe, licet propter diuerſum modum, quo ab ipſo afficitur, deducat nos in cognitionem præſentiæ, vel diſtantiæ, quā de facto habet obiectum. Eſt ergo tota illa ratio ſatis difficilis, & ideo à tota illa abſtinendum iudico. 100. *Secunda ratio, quia non videri poſſit vbicatio quin videatur ipſa vnio.* *Hic autem modus cognoſcendi nō poteſt conuenire ſenſui.*

Aliter probatur vbicatio intrinſeca.

Facilius ergo probatur vbicatio poſitiua diſtincta ab ipſa re vbicata argumento communi deſumpto à ſeparabilitate, quia Petrum eſſe hic, non eſt aliquod ens rationis: antecedenter enim ad omnem mentis operationem, Petrus vere à parte rei eſt hic, vel illic: ſed ſine hoc, quidquid eſt, poteſt manere tota entitas Petri, vt patet: ergo hoc, quod eſt eſſe hic, eſt aliquid diſtinctum à Petro. Hoc autem non poteſt eſſe aliquid negatiuum, omnis enim negatio noua debet eſſe per ablationem alicuius poſitiui præcedentis; ſed Petrus non dicitur eſſe hic, quia amittit aliquid poſitiuum: ergo hoc, quod eſt eſſe hic, non eſt aliquid negatiuum, ſed poſitiuum diſtinctum ab entitate Petri. 101. *Aliter ergo probatur hoc vbi intrinſecum, argumento communi.*

Secundo probatur, quia motus localis eſt vera actio: ergo vera productio: ergo habet aliquem terminum poſitiuum de nouo productum; omnis 102. *Secundo probatur, quia motus debet habere aliquem terminum.*

enim

Secundo probatur, quia motus debet habere aliquẽ terminum. enim productio, eſt productio alicuius, ſed non eſt aſſignabilis alius terminus huius productionis: ergo per motum localem producitur præſentia localis, qua Petrus eſt hic, alioquin ſi producitur alius terminus, dicas mihi, ſiquidem ille terminus producitur in Petro & vnitur Petro, quem effectum formalem tribuat Petro? Planè nullum, niſi quod Petrus ſit hic præſens: ergo illa forma in abſtracto eſt præſentia localis, ſeu *vbi*.

103. Dico ſecundo, *vbi*, ſeu præſentia localis, qua Petrus eſt hic, vel illic, non eſt extrinſecè denominans, ſed forma intrinſeca in ipſo Petro. Probatur clarè concluſio, quia ablato, vel variato, quovis extrinſeco, manet eadem præſentia Petri hic, vel illic, item inuariato omni extrinſeco, Petrus deſinit eſſe hic per mutationem ipſius Petri: ergo hæc non eſt denominatio extrinſeca, ſed intrinſeca. Antecedens quoad primam partem probatur; quia ſi ab aliquo extrinſeco denominatio illa proueniret, maximè à corpore circundante, ſed variato corpore circundante, adhuc manet Petrus præſens vbi erat antea: ergo non prouenit à corpore circundante. Deinde etiamſi omne corpus extrinſecum annihilaretur à Deo, poſſet manere Petrus hic, vbi nunc eſt, moueri etiam localiter ad aliud ſpatium: ergo hæc denominatio prouenit ab aliquo intrinſeco ipſi Petro, tunc enim nullum eſſet aliud extrinſecum.

104. *Concluſio ſecunda. Probatur.* Quoad ſecundam vero partem probatur antecedens: quia etiamſi omne corpus extrinſecum quieſcat, poteſt moueri Petrus, vel Angelus localiter, & recipere aliam nouam denominationem; ergo hæc non eſt denominatio extrinſeca Petro: denominatio enim extrinſeca noua non poteſt dari niſi per mutationem, aut variationem alicuius extrinſeci.

Confirmatur primo. Confirmatur primo, quia vltima ſuperficies cœli empyrei verè eſt præſens ibi, vbi nunc eſt, & poſſet à Deo moueri localiter, & tunc iam non eſſet ibi, ſed alibi: illa autem ſuperficies non denominatur eſſe ibi ab alio corpore extrinſeco, non enim habet vlterius aliud corpus, à quo circundari poſſit; ergo denominatur eſſe ibi ab aliqua forma ſibi intrinſecè inhærente.

105. *Confirmatur ſecundo.* Confirmatur ſecundo, quia ſi Petrus denominatur eſſe hic ab aliquo corpore extrinſeco: inquiro, an illa denominatio proueniat ab illo corpore extrinſeco ſecundum ſuam entitatem, an ſecundum aliquid ſuperadditum? Si prouenit ab illo corpore ſecundũ aliquod ſuperadditum, de hoc inquiram, quid ſit? Et planè non inuenies aliud, niſi præſentiam localem intrinſecam ipſius corporis, ergo iam illud corpus extrinſecum habet *vbi* intrinſecum: ergo & ipſe Petrus habebit *vbi* intrinſecum; cur enim magis habeat aer *vbi* intrinſecum, quam Petrus? Si vero dicas, illam denominationem prouenire Petro à corpore extrinſeco ſecundum ſuam entitatem: ergo quotieſcũque datur in rerum natura illud corpus exiſtens, denominabitur Petrus ab illo corpore eadem denominatione. Conſequens eſt falſum, quia mutato Petro localiter, licet maneat illud aliud corpus in rerum natura, non denominatur Petrus præſens, vbi erat antea: ergo illa denominatio non proueniebat antea ab entitate aeris, v.g. ſed ab aliquo alio.

106. *Inſtantia.* Dices, non manear eadem denominatio, quoties manet idem corpus, quia non manet cum applicatione requiſita ad tribuendam hanc denominationem. *Diluitur.* Sed contra, quia de hac applicatione inquiro, quid ſit, vtrum ſit aliquid diſtinctum ab ipſo corpore? Si enim non diſtinguitur ab ipſo corpore, ergo quoties manet idem corpus, manebit etiam eadem applicatio: ſi vero applicatio ſit aliquid diſtinctum ab ipſo corpore, hoc eſt quod intendimus applicationem localem eſſe præſentiam localem diſtinctam ab ipſo corpore, & intrinſecam illi.

P. Coninck *in præſenti, q. 72. art. 4. dub. 1.* adhuc conatur his argumentis reſpondere, & negare vllum modum, aut ens ſupradictum corpori, ad eiuſmodi nouas denominationes. Et in primis ad illud argumentum ex motu locali, qui cum ſit verè actio realis, debet habere aliquem terminum realem: reſpondet, *n. 85.* motum localem habere quidem terminum realem, hunc autem non eſſe *vbi*, quod nos ponimus, ſed acquiſitionem noui loci, ſeu coniunctionem realem nouam loci, & locati, quæ nihil aliud requirit, quam vt res illi ſpatio per ſe ipſam immediatè ſit præſens. 107. *Coninch. P. Coninck conatur reſpondere.*

Ego quidem non poſſum mihi perſuadere, quod hic Auctor velit omnino negare omnem modum, vel entitatem intrinſecam, & extrinſecam ad eam denominationem nouam, ſed fortaſsè modum, aut entitatem abſolutam, conceſſa ſolum aliqua relatione reſultante ex motu. Alioquin vir doctus videretur ſibi contradicere in paucis verbis. Si enim terminus motus realis eſt aliquid reale, ſcilicet coniunctio realis noua loci, & locati, ergo datur aliquid reale, quod antea non erat, nempe hæc ipſa coniunctio noua, quam ponis, nam vel hæc coniunctio eſt merum nihil, vel eſt aliquid; ſi nihil eſt, ergo nullus eſt terminus realis motus; ſi eſt aliquid, hoc, quidquid eſt, non erat antea, vt conſtat: ergo eſt accidens nouum, vel abſolutum, vel ſaltem relatiuum (de quo nunc non contendimus:) ergo non eſt præſens res immediatè per ſe ipſam, ſed per illam nouam coniunctionem realem, quam concedunt. 108. *Impugnatur.*

Dices, eam coniunctionem eſſe meram denominationem extrinſecam à motu præterito perſeuerantem, quandiu iterum non mouetur corpus. Sed contra, quia in primis hæc coniunctio eſt aliquid phyſicè præſens: nam ſi nunc Angelus creatur de nouo, qui nihil ſciret de præteritis, adhuc videndo meum corpus, videt, me proximum eſſe huic loco: ergo hæc propinquitas, & præſentia non eſt ſolum motus præteritus, ſed aliquid præſens remanens actu ex illo motu. Secundo, quia poſſet corpus eſſe in hoc loco, licet nullus præceſſiſſet motus localis, potuiſſet enim Deus creare de nouo corpus aliquod in hoc loco, quo caſu non proueniret alia denominatio à motu præterito, cum corpus nunquam motum fuerit: ergo debemus concedere aliam formam præſentem ad quam terminetur motus, & quæ perſeueret poſt motum. 109. *Inſtabis. Reſpondeo.*

Difficilius tamen adhuc fortaſsè intelligitur, quod idem Auctor ibi reſpondet ad illud aliud argumentum deſumptum ex effectu formali, ſeu denominatione reali noua, ad quam requiritur forma noua, & mutatio realis in ſubiecto: reſpondet enim concedendo mutationem realem in ſubiecto, quia *hoc*, inquit, *fieri nequit, niſi acquiram nouum locum. Et quidem ſi loquamur de via naturali, per motum localem, unde tamen non ſequitur, me aliquem eiuſmodi realem modum debere in me ſuſcipere.* Hæc, inquam, reſponſio difficilis eſt: quia ſi conceditur mutatio realis in ſubiecto, eo quod in ipſo ſit noua acquiſitio loci, quæ idem eſt in ſenſu huius Auctoris, ac coniunctio cum loco: ergo illa coniunctio cum loco eſt aliquid intrinſecum ſubiecto exiſtenti in loco, non ergo fit præſens abſque aliquo intrinſeco ſuperaddito ipſi corpori: erit autem quæſtio de nomine, an illud appellandum ſit *vbi*, vel coniunctio corporis cum loco, de quo nunc non curamus. 110. *Difficilius eſt quod ille reſpondet alteri argumento.*

Deinde nunquam reſpondet, nec ſatisfacit fundamento noſtræ ſententiæ, quod ſcilicet non poſſit eſſe denominatio realis abſque forma aliqua reali 111.

Nullo modo ſatisfacit fundamento noſtro ſcilicet quod non poſſit eſſe noua denominatio realis ſine noua forma reali.

reali, à qua proueniat: dicere enim, quod hæc denominatio non prouenit ab *vbi* intrinſeco, ſed à coniunctione rei cum loco, non ſoluit difficultatem: nam de illa coniunctione quæritur ſtatim, quid ſit; an ſit merum nihil, vel aliquid præter illa duo corpora, quæ priùs erant in mundo. Si nihil eſt præter illa, non poteſt eſſe noua denominatio realis; quia res omnes eodem modo ſe habentes ſemper eodem modo denominant; quid enim eſt denominatio formalis, niſi propoſitio, qua de rebus loquimur, & res ſignificamus? Si ergo res omnes ſunt, quæ prius, & eodem modo, propoſitiones, & denominationes erunt eædem, quæ prius, ſi autem illæ non ſe habent eodem modo, ſed illa coniunctio eſt aliquis nouus modus ſe habendi, de illa coniunctione, & de illo modo interrogamus, cum ſit in rerum natura, vbi ſit; an in locato, an in loco: alicubi enim debet eſſe, & in aliquo ſubiecto, cum ſit ens nouum, & non ſit ens per ſe, ſed in alio: non eſt autem in loco: ergo in locato. Ad hoc, inquam, argumentum nunquam reſpondet ille Auctor, cum tamen hoc ſit potiſſimum fundamentum communis ſententiæ.

Impugnatur reſponſio aliorum.

112. Eodem modo peccat reſponſio aliorum recentiorum, qui, multiplicatis ſolum vocibus, conantur hoc explicare, re tamen ipſa manet tota difficultas: dicunt enim, corpus huc diſtare ab illo, non eſſe aliquid intrinſecum, ſed eſſe quod poſſit inter vtrumque tanta quantitas intercipi, eſſe autem propinquum, eſſe quod nihil poſſit intercipi, ſed quod ſe mutuo tangant. Hæ omnes ſunt voces, vt dixi, quæ rem nunquam explicãt: nam de hac ipſa intercapedine, de hoc contactu, de hac negatione intercapedinis ſit ſemper eadem interrogatio, an ſit aliquid nouum actuale, an ſit ſolùm poſſibile, an ſit merum nihil? Merum poſſibile non ſufficit ad nouam denominationem actualem: nam poſſibile vt poſſibile non incipit de nouo, ſed eſt ab æterno: ſi ergo incipit de nouo denominare, id erit propter aliquam nouam circumſtantiam, quæ antea non erat, & ratione cuius intercapedo poſſibilis de nouo denominat; illa autem circũſtantia debet eſſe aliquid actuale nouum: & de hac quæritur ſemper, quid ſit; an ſit poſitiuum aliquid, vel negatio noua? Non poteſt enim eſſe negatio noua, niſi deficiat de nouo aliquid poſitiuum, quod antea erat, & cuius negatio ſit illa, quæ de nouo incipit: alioquin ſi antea etiam deerat illud poſitiuum, cuius eſt hæc negatio, antea erat eius negatio, & per cõſequens non erit negatio noua, nec poterit dare denominationem realem nouam. Reſtat ergo ſemper explicandum, quid ſit illud *poſſe intercipi*, vel illa *intercapedo* noua quam dicunt ſignificari per illam nouam denominationem diſtantis.

Afferunt tantum meras voces.

Similiter explicandum reſtat, quid ſit ille conta-
113. ctus, quem dicunt ſignificari per denominationem propinqui, vel indiſtantis. Nam in ſententia noſtra contactus eſt denominatio realis proueniens ab vtraque vbicatione intrinſeca vtriuſque corporis ſe tangentis: quia enim hoc corpus habet tale *vbi* in tali ſpatio proximo, ideo dicuntur ſe contingere hæc duo corpora, id eſt, habere duas vbicationes tales, vt non poſſit eſſe alia propinquior huic, quam illa, niſi penetretur: negata autem vbicatione, non poteſt explicari, quid ſit ille contactus realis; non enim eſt vnio phyſica, vt conſtat, cum ſupponamus eſſe duo corpora diuiſa, quæ ſe tangunt: non poteſt item eſſe aliqua negatio realis noua, quia redit argumentum ſupra factum, & petimus, quid poſitiuum deſiit eſſe in mundo, cuius negatio de nouo inducta eſt. Debet ergo eſſe aliquid poſitiuum, quod non eſt aliud, niſi præſentia poſitiua vtriuſque corporis, vt aſſignetur.

SECTIO V.

Obiectiones aliquæ contra ſupradicta.

OBiici poſſunt aduerſus hanc doctrinam non-
nulla loca S. Thomæ, quæ affert Suarez *vbi ſupra dicta ſect. 1. n. 4.* quibus ſignificat, præſentiam localem non eſſe aliquid intrinſecum locato. Suarez explicat ea omnia *n. 25.* vt ſolum neget, præſentiam localem eſſe rem aliquam ſuperadditam, non vero neget eſſe modum. Aliam tamen meliorem explicationem colliges ex illatione ſecunda infra. 114.

Obiectio prima. Suarez. Reſpondetur.

Secundo obiicit P. Coninch *loco citato, n. 79.* quia ex noſtra ſententia ſequitur, rem, quoties localiter mouetur, infinitos tales modos acquirere, & alios perdere; quia corpus quoties paululum mouetur, acquirit aliud *vbi*, ſaltem partiale, imo prima & vltima ſuperficies acquirunt locum totalem nouum ad ſingula puncta illius ſpatij, quæ attingunt. Cum ergo hæc puncta aſſignabilia ſunt infinita, conſequens eſt, vt res illa, dum mouetur, infinitas entitates acquirat, & deperdat. 115.

Coninch. Obiectio ſecunda Coninch.

Hoc argumentum licet difficile ſit propter communem difficultatem ortam ex compoſitione continui: non tamen video, quam maiorem difficultatem ingerat in ſententia ponente *vbi* intrinſecum, quam in ſententia eiuſdem P. Coninch, qui admittit motum localem realem intrinſecum ſucceſſiuum, & continuum. In ipſo enim motu fieri poteſt idem argumentum; quia non minus variatur motus ſaltem partialiter per quamlibet exiguam motionem localem: non minus debet prima, & vltima ſuperficies in ſingulis inſtantibus habere ſuum mutatum eſſe totaliter diuerſum; non minus debet ille motus per aliquid diſtinctum attingere ſingula puncta illius ſpatij: vnde eodem modo ſequitur, in motu eſſe tot, ſiue mutationes, ſiue indiuiſibilia ſucceſſiue, quot ſunt indiuiſibilia in ſpatio, quot ſunt inſtantia in eo tempore; quæ ſi abſurda non ſunt, cur erunt magis abſurda in *vbi*, quod eandem omnino, & non aliam diuiſibilitatem habet, quam habeat ipſe motus, quo producitur?

Reſpondetur eſſe communem difficultatem ortam ex compoſitione continui.

Ad argumentum itaque illi, qui dicunt, continuum componi ex ſolis punctis finitis, facile negabunt, ſequi infinitum: ij vero, qui cum communi ſententia ponunt, componi ex partibus diuiſibilibus in infinitum, quidam ex iis, qui & partes, & puncta concedunt, dicunt conſequenter, non eſſe magis abſurdam illam multitudinem infinitam vbicationum, quam ſit infinita multitudo partium, & indiuiſibilium in continuo permanenti; quia ſicut in hoc partes non ſunt infinitæ æquales vni certæ, & ideo non faciunt magnitudinem infinitam: ſic de partibus illius vbicationis ſucceſſiuæ dicendum eſt: & ſicut puncta licet omnia ſint adæquate diſtincta, non tamen componunt extenſionem infinitam propter ſingulorum inextenſionem, & ideo non repugnat ea punctorum infinitudo: ſic vbicationes illæ ſuperficiei in ſingulis punctis ſpatij non repugnant infinitè, quia propter indiuiſibilitatem ſingularum non faciunt *vbi* extenſum infinitum, ſed omnes componunt vnam vbicationem finitam ſucceſſiuam, ſicut omnia indiuiſibilia ſpatij componunt vnum ſpatium finitum; quod idem in motu ſucceſſiuo debet fateri ipſe P. Coninch, vt vidimus. 116.

Qui cõponunt continuum ex punctis finitis facile reſpondebunt.

Mihi tamen magis conſequenter videntur loqui, & minus difficile in illa ſententia, qui negant indiuiſibilia in vtroque continuo, nempe ſucceſſiuo, & permanenti, & dicunt, tempus conſtare ex ſolis partibus ſucceſſiuis; quo poſito, ceſſat illa infinitudo categorematica vbicationum in motu: nam licet 117.

ſint

ſint infinitæ partes temporis, illæ tamen cum ſint proportionales, & ſeſe includentes, non ſufficiunt ad infinitas vbicationes adæquate diſtinctas, & æquales vni tertiæ determinatæ; quia in maiori parte temporis erit maior vbicatio ſucceſſiua, habens in ſe plures partes & correſpondens etiam maiori parti ſpatij, quam in alia minori parte temporis: ſicut ergo partes temporis non ſunt infinitæ non ſe includentes, & æquales vni tertiæ, ſic de ipſis vbicationibus dicendum erat.

118. *Inſtabis.* Dices, ſi corpus habens vbicationem palmarem moueatur ſucceſſiue, fatendum erit ad minus, illud in hora acquiſiſſe infinitas præſentias palmares adæquate diſtinctas; cum enim nulla poſſit aſſignari pars horæ, in qua non acquiſierit præſentiam totaliter diuerſam, & partes horæ aſſignabiles ſint infinitæ, conſequens eſt, poſſe etiam aſſignari infinitas vbicationes palmares adæquare diſtinctas, per totam horam acquiſitas.

Reſpondeo. Reſpondeo; imo nunquam in hora habuit præſentiam aliquam palmarem, quia ſi eam habuit, debuit illam habere totam ſimul, cum ſupponatur corpus eſſe palmare, non potuit autem, dum ſucceſſiuè mouebatur, habere aliquam præſentiam totam ſimul; quia iam ceſſaret ſucceſſiu, in acquiſitione illius præſentiæ, quod repugnat motui ſucceſſiuo; quare fatendum eſt, durante motu, nunquam fuiſſe in ſolo palmo ſpatij; quia corpus palmare in tempore, quo mouetur, ſemper occupat pluſquam palmum ſpatij, cum in tempore occupat partes anteriores, & poſteriores. Ex eo tamen, quod palmare eſt, prouenit ita moueri, vt in quiete debeat manere cum præſentia palmari, quæ vbicatio quietis non fuit eadem, quæ prius acquiſita fuerat per motum: quia illa fuerat ſucceſſiua, ſicut & motus, ſed ex alia diuerſa ex natura ſua permanens, quæ acquiritur tota ſimul, & manet in illo tempore quietis. Non ergo dantur iuxta illam ſententiam infinitæ vbicationes palmares in hora, cum nec vna quidem aſſignari poſſit reſpondens ſoli palmo ſpatij.

119. *Inſtantia.* Vrgebis; dabuntur ſaltem in hora infinitæ vbicationes pluſquam palmares, quia in ſingulis partibus aſſignabilibus temporis habuit corpus vbicationem pluſquam palmarem omnino diuerſam: ergo cum partes aſſignabiles ſint infinitæ, eiuſmodi

Reſpondetur. vbicationes erunt etiam infinitæ. Reſpondetur, illas quidem aſſignari poſſe infinitas, non tamen æquales vni tertiæ, ſed minores, & minores, ſicut & ipſas partes temporis; nam ſi aſſignes vbicationes bipalmares, v. g. illæ non ſunt infinitæ adæquatè diſtinctæ; quia ſpatium bipalmare pertranſitur in tempore determinato, ita vt in minori non poſſit; nec ſunt infinita tempora æqualia illi. Et licet poſſint aſſignari infinitæ præſentiæ bipalmares ad plura & plura ſpatia bipalmaria, quorum vnum retineat minus de primo palmo, & accipiat aliquid de tertio palmo, & rurſus aliud ſpatium retineat minus de primo palmo, & accipiat plus de tertio, & ſic deinceps: illæ tamen præſentiæ non erunt adæquatè diſtinctæ inter ſe, quia ſecunda includit plures partes, quas includebat prima, ſicut & ſpatia ipſa: cum enim ſpatium bipalmare non occupetur totum ſimul, ſed ſucceſſiuè, præſentia etiam ſucceſſiua ad hoc ſecundum ſpatium bipalmare includit plures partes præſentiæ ſucceſſiuæ ad primum ſpatium bipalmare, quod aſſignaſti: ſicut tempus etiam, quo pertranſitur hoc ſecundum ſpatium bipalmare, includit plures partes temporis, quo pertranſitur primum, ſuppoſito quod ſecundum ſpatium non ſit adæquatè diſtinctum à primo, ſed maiori ex parte incluſum in illo, vt conſideranti patebit.

Tertiò arguit idem Auctor *n.* 80. quia ex noſtra ſententia ſequitur, quod ſi eſſet aliquod corpus miraculosè contractum in punctum ſpatij, nullo modo poſſemus illud naturaliter mouere: nam illud *vbi* eſſet ſupernaturale, atque ideo à nobis non poſſet produci. Conſequens autem falſum eſt, quia ſi illud corpus in punctum contractum eſſet intra aliud corpus ſolidum, & concauum, mouendo hoc corpus, neceſſario mouerem illud alterum incluſum: & de facto Sacerdos mouendo ſpecies mouet corpus Chriſti, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. *&* 6. *& can.* 6. docente, nos corpus Chriſti geſtare, & circumferre: & quia alia non verè manducaremus, & deglutiremus corpus Chriſti: hæc enim ſignificant motum localem à comedente procedentem, quo cibum in ſtomachum traiicimus. 120. *Tertio contra obiicit.* *Conc. Trid.*

Hoc etiam argumentum ſoluendum reſt ab eodem Auctore; non enim eſt minus ſupernaturalis motus, quo totum corpus pertranſit ſimul per idem punctum ſpatij, quam *vbi*, quod in eo puncto ſpatij haberet: quia quod *vbi* habet per modum termini, hoc totum habet motus per modum lationis: & non magis repugnat corpori eſſe totum ſimul in puncto ſpatij, quam tranſire totum ſimul per illud punctum. Debet ergo idem Auctor reſpondere, quid fieret in illo caſu de corpore redacto ad punctum ſpatij, quando volumus mouere corpus concauum, intra quod continetur: quomodo etiam Sacerdos producat in corpore Chriſti motum illum ſupernaturalem. 121. *Hoc argumentum omnibus ſoluendum eſt.*

Ad argumentum itaque concedimus ex infra dicendis, illud *vbi* eſſe ſupernaturale; quod idem de motu fatendum eſt; quare virtute naturali produci non poteſt à naturali agente creato, nec Sacerdos immediatè mouet corpus Chriſti, ſed ſpecies Sacramentales, quæ habent virtutem quandam ſupernaturalem ſibi inditam ad trahendum ſecum corpus Chriſti, quocunque ferantur, vt infra explicabimus; & hoc ſufficit, vt corpus Chriſti dicatur propriè & verè moueri, & geſtari à Sacerdote: neque enim mouemus etiam immediatè ſubſtantiam ligni, ſed mediis accidentibus, quæ ſecum trahunt ſubſtantiam; & ideo dicimus mouere lignum in toto rigore. Quando vero corpus contractum ad punctum ſpatij eſſet infra aliud corpus ſolidum concauum: tunc ſi velles mouere corpus illud concauum, non moueres corpus ad punctum redactum, ſed vel penetraretur corpus illud concauum cum corpore ad punctum redacto: eo quod ille modus eſſendi afferat ſecum penetrabilitatem: prout de facto corpus Chriſti ita exiſtens in Euchariſtia, penetratur cum quantitate panis: vel ſi penetrari non poſſet, adhuc poſſet ſolidum corpus moueri, non obſtante illo alio corpore ad punctum redacto: quia nimirum hoc poſſet interim intercipi in poris & meatibus ſubtiliſſimis, quibus vndique ſcatet corpus quantumlibet ſolidum, & per quos tranſeunt craſſiora etiam corpuſcula, nedum punctum indiuiſibile. Quod ſi neque hoc velis poſſe fieri, fatebimur tibi, non poſſe tunc vlterius progredi corpus illud concauum, impediente nimirum, & reſiſtente illo alio corpore, quod ratione illius ſtatus ſupernaturalis impelli non poteſt, aut moueri naturali virtute. 122. *Reſponſio.*

Quartò arguit idem Auctor *num.* 85. quia ſpatium ipſum, vt ſit mihi præſens, non debet in ſe talem modum intrinſecum ſuſcipere: ergo neque ego debeo eiuſmodi modum in me ſuſcipere, vt ſim præſens ſpatio. Reſpondetur, imo ideo debeo ego illum modum recipere, quia hæc eſt denominatio noua realis, & non poteſt eſſe ab aliquo recepto in ipſo ſpatio (quia ſpatium non eſt aliquid reale:) 123. *Quartò obiicit.* *Reſpondetur.*

ergo

ergo debet eſſe ab aliquo in me recepto : ſpatium enim poteſt denominari præſens mihi ab aliquo in me recepto : ego autem non poſſum denominari præſens ſpatio ab aliquo alio, cum nihil in ipſo ſpatio recipi poſſit. Poteſt autem hoc etiam argumentum, ſicut & alia, retorqueri contra eius Auctorem; quia ſicut ego pertranſeo ſpatium per motum; ſic ſpatium pertranſitur: ſicut ergo ſpatium pertranſitur abſque aliquo in ſe recepto, cur non concedis me poſſe pertraſire ſpatiũ abſque aliquo in me recepto? Concedis quippe, neceſſarium eſſe motum realem intrinſecum in eo, qui pertranſit ſpatium, vt denominet ipſum pertranſeuntem, & ſpatium pertranſitum. Sic ergo dicimus nos de ipſo termino motus.

114. *Obiicit quinto.* Quinto arguit ibidem, quia vt ſim in aliqua domo, neque in me, neque in domo requiritur aliquis modus realis, qui non poſſit in nobis perſeuerare, etiamſi deſinam eſſe in domo: non quidem requiritur in domo; nam, me annihilato, manet domus immutata: neque etiam requiritur in me; quia poſſem è contra manere immutatus, annihilata domo: ergo nec requiritur aliquis modus realis in me, vt ſim in tali ſpatio, qui non permaneat, cum ab eo abſim.

125. *Reſpondetur.* Reſpondetur: vt ſim in aliqua domo, requiri non vnum, ſed duos modos, quorum alter ſit in me, alter in domo, ſcilicet *vbi* intrinſecum meum, & *vbi* intrinſecum ipſius domus; quia me eſſe in hac domo, eſt me eſſe in hoc ſpatio per meum *vbi*: & domum eſſe in hoc etiam ſpatio per *vbi* ſuum. Deficiente ergo vel meo *vbi*, vel *vbi* domus, deeſt illa denominatio, quæ ab vtroque *vbi* proueniebat; quare poteſt deficere, manente domo immutata, quia deeſt meum *vbi*: vel è contra, manente me immutato, quia deeſt *vbi* ſolius domus. Vnde ad argumentum negatur antecedens; tantum enim abeſt, quod id poſſit fieri abſque modo intrinſeco, vt nec poſſit fieri abſque duplici modo intrinſeco, vt diximus. Me autem eſſe in hoc ſpatio, requirit vnum ſolum modum intrinſecum in me: quia ſpatium ipſum nihil eſt, ſed per illum modum loquendi ſignificamus ſolum naturam meæ vbicationis intrinſecæ, vt poſteà explicabimus. Aduerte obiter, hoc etiam argumentum procedere contra eum Auctorem: quia eodem modo, vt mouear in hac domo, non requiritur aliquid in me, quod manere non poſſit, ablata domo; nam domo annihilata, ego haberem eundem motum intrinſecum, & non dicerer moueri in hac domo. Ex hoc tamen non poteſt inferri in eius ſententia, quod mouear in hac domo abſque aliquo intrinſeco modo, ſed potius requiri ad hanc denominationem, & motum meum intrinſecum, & præſentiam ipſius domus in hoc ſpatio, quidquid illa ſit: quorum altero ablato, aufertur illa denominatio, quæ vtramque partem includebat.

126. *Sexto obiicit.* Sextò arguit *num.* 86. ab experientia. Senſu enim percipimus, aliquem eſſe in loco, in quo antea non erat, non percipiendo in eo aliquem realem modũ, quem antea non percipiebam: vt cũ ſedens in nauigio mouetur cum nauigio, ego prius vidi illum prope littus; poſtea clauſis oculis iterumque apertis video illum longè à littore, non tamen percipio oculis in ipſo aliquem modum, qui antea non eſſet, ſed illam ſolam diſtantiam à littore: ergo eſſe in tali loco diuerſo non eſt aliquid intrinſecum in illo.

Confirmat obiectionem. Confirmat, quia ex eo, quod videam eandem rem modo magis; modo minus illuminari, nullo modo videndo eam moueri localiter, colligo illuminationem poſſe fieri ſine motione locali rei illuminatæ: ergo ex eo, quod diſtinctè videam rem aliquam modo eſſe in hoc loco, modo in illo, non videndo in illa vllum talem modum, bene colligo, eam non eſſe per talem modum formaliter in loco.

Reſpondeo, idem argumentum retorqueri poſſe contra ipſum ad negandum motum intrinſecum; nam quando aliquis incluſus intra cameram nauis mouetur cum naui, non percipit ſenſibus motum ſuum, aut nauis, licet poſtea percipiat effectum motus, quando videt diſtantiam maiorem, quam habet à littore: ergo illa diſtantia nec eſt motus, nec requirit talem motum intrinſecum, quem ſenſibus non percipimus. Conſequentia hæc non eſt bona: imo quia percipimus diſtantiam, arguimus bene fuiſſe motum, per quem producatur illa diſtantia noua. Sic dicimus, nos eo modo, quo ſenſibus percipimus aliquem eſſe in loco, percipere etiam vbicationem, per quam eſt in loco; cum enim effectus formalis includat formam ipſam in ſubiecto, idem erit percipere effectum formalem, & percipere formam ipſam, à qua formaliter prouenit. 127. *Retorquetur argumentum.*

Aliqui ergo dicunt, nos oculis percipere immediatè rem eſſe in tali ſpatio, & ipſammet præſentiam, ſeu vbicationem intrinſecam, qua eſt ibi, & ideo percipi hominem eſſe iam in diuerſo loco, quia percipio diuerſitatem vbicationis, quam quidem diuerſitatem non percipiebam prius; quia licet perciperem vbicationem, non tamen diuerſitatem vbicationis huius à præcedenti propter vtriuſque ſimilitudinem: ſicut quando contemplamur cœlum, non percipimus eius motũ, nec diſtinctionem huius partis ab illa, quæ prius apparebat; quia licet vtramque percipiamus oculis, non diſcernimus tamen, an ſit eadem vel diuerſa, propter ſimilitudiné vtriuſque. Sic licet videamus vbicationem intrinſecam, & præcedentem, & præſentem; non diſcernimus, an ſit eadem, vel diuerſa, donec comparamus hanc cũ alia, nempe cum præſentia intrinſeca littoris, cui mea vbicatio intrinſeca præcedens erat ſimilior, ſeu propinqua, & vbicatio mea præſens eſt diſſimilior, & tunc diſcerno hanc ab illa alia præcedenti. Iuxta quam doctrinam negabunt antecedens argumenti propoſiti: idem enim eſt percipere, aliquem eſſe in loco, in quo antea non erat, ac percipere vbicationem ipſius, & vbicationé loci, quas, quia videt magis vel minus ſimiles, quam antea arguit, eſſe alias. 128. *Aliqui reſpondent vbicationem videri.*

Alij tamen, vt ſupra vidimus *ſect. præced.* probabilius fortaſsè dicunt, non percipi oculis immediatè vbicationem ipſam, ſed ſolum colorem, arguitiuè vero cognoſci vbicationem ex eo, quod experimur, & ſentimus diuerſam applicationem oculi, & pupillæ ad videndum hoc obiectum nunc, quam antea. Vnde colligimus, obiectum eſſe in alio loco, & in maiori, vel minori diſtantia, quam antea. Iuxta quam doctrinam negatur etiam antecedens illius argumenti: nam eo modo, quo percipimus, aliquem eſſe in loco, percipimus eius vbicationem, neutrum enim percipimus ſenſibus immediatè; ſolum quippe percipimus oculis immediatè colorem, vel lucem: tactu autem percipimus diuerſum impulſum, vel applicationem noſtræ pupillæ, aut oculi ad videndum, ex qua mediatè colligimus poſtea, obiectum habere talem vbicationem, ſeu eſſe in diuerſo loco: idem enim eſt cognoſcere diuerſitatem loci, & diuerſitatem vbicationis: neutrum percipimus ſenſibus immediatè, ſed vtrumque colligimus ex iis, quæ percipimus ſenſibus. 129. *Melius tamen reſpondetur ex doctrina ſuperiori.*

Ad confirmationem conſtat ex dictis: ſupponit enim falsò, me videre diſtinctè, rem aliquam eſſe in diuerſo loco, non videndo in illa eiuſmodi modum vbicationis, nam vel neutrum videmus oculis immediatè, ſed colligimus mediatè, vt dixi, vel ſi oculis percipitur immediatè diuerſitas loci, percipie- 130. *Ad confirmationem conſtat ex dictis.*

tur etiam immediatè diuerſitas vbicationis, quæ idem eſt. Alioquin velim ſcire, quid ſigni fieri P. Coninch, quando dicit, me non poſſe oculis aliquid reale notare, vel vllum modum, qui antea non erat, præter illam coniunctionem cum alio loco. Concedit quippe his verbis, oculis percipi aliquid præter colorem, nempe coniunctionem illam cum alio loco. Certum eſt autem, oculis non percipi denominationes extrinſecas, non viſa forma, à qua proueniunt. Si ergo oculus percipit illam coniunctionem cum alio loco, illa coniunctio aliquid eſt viſibile: non eſt autem præciſe color, qui antea erat abſque illa coniunctione: ergo neceſſe eſt, quod ſit aliquod ſuperadditum reale, quod ipſum nos vocamus vbicationem nouam acquiſitam per motum.

Arguit ſeptimò.

131. Septimo arguit idem Auctor *n.* 87. quod hoc ipſo, quod res aliqua intra tale ſpatium eſt, aut concipitur, etſi mente præſcindas omnes modos ſuperadditos, neceſſario concipitur eſſe in tali loco; ergo non eſt neceſſarius modus ſuperadditus ad hanc denominationem. Hoc argumentum, ſi bonum eſt, tolleret de medio omnia alia accidentia; quia ſi ſemel ſubiectum eſt calidum, etſi præſcindas omnia accidentia ſuperaddita, neceſſario concipitur eſſe calidum; ergo non requiritur qualitas ſuperaddita ad hanc denominationem, & ſic de aliis omnibus. Repugnat ergo concipere rem intra hoc ſpatium, & mente tollere omnes modos ſuperadditos; quia hoc ipſum eſſe intra tale ſpatium, eſt aliquid ſuperadditum, ſine quo poterat hæc res eſſe; ergo non concipis meram ſubſtantiam rei; ſed aliquem ſaltem modum additum ſubſtantiæ.

Reſpondetur hoc argumentum à nimis probare.

Arguit octauò.

132. Octauò arguit eodem *n.* 87. in fine; quia vt res aliqua ſit in hoc tempore, non indiget vllo modo reali, ſed ſe ipſa immediatè eſt in hoc tempore, hoc ipſo, quod ſimul cum eo exiſtat; ergo nec vt ſit in hoc loco, indigebit modo reali ſuperaddito. Aliqui negant conſequentiam; quia prior denominatio non eſt abſque aliquo nouo reali, cum ponatur ſaltem tempus nouum, à quo poſſit prouenire: at vero poſterior denominatio eſſet abſque omni prorſus ente reali ſuperaddito: cum neque in loco ipſo, neque in locato ponatur aliquid, quod antea non eſſet. Facilius tamen negatur antecedens; vt enim alibi ex profeſſo probabo, & ſuppono ex phyſica, non poteſt res durare de nouo abſque duratione noua intrinſeca, à qua proueniat illa denominatio noua.

Reſpondetur.

Nono obiiciunt alij, quia non poteſt aſſignari cauſa huius vbi.

133. Nono obiiciunt alij Recentiores; quia non poteſt aſſignari vlla cauſa huius *vbi*; cauſa enim in eo inſtanti, in quo cauſat, debet eſſe determinata ad producendum potius hunc effectum, quam alium: nulla autem in eo inſtanti eſt cauſa, quæ ſit determinata ad hunc effectum magis quam alium; nam merum corpus ſecundum ſe, & prout præſcindit ab hoc *vbi*, quod nunc acquirit, eſt indifferens ad habendum hoc *vbi*, vel aliud in alio loco, à quo ergo determinatur nunc potius ad hoc *vbi*, quam illud? Nec dicas, determinari à tali motu; quia motus ſecundum partes præcedentes iam non eſt: ſecundum id vero, quod nunc poteſt eſſe præſens, eadem difficultas eſt de ipſo motu, ſeu actione: nam ſicut corpus meum ſecundum ſe eſt indifferens ad hoc, & illud *vbi*, ſic etiam eſt indifferens ſecundum ſe ad hanc vel illam actionem, & productionem vbicationis: à quo ergo determinatur nunc ad hunc motum, vel hanc actionem potius, quam aliam.

Reſpondetur facilè.

134. Reſpondetur facilè, cauſam, quæ producit *vbi*, aliquando eſſe extrinſecam, vt cum vnum corpus impellit aliud; aliquando eſſe intrinſecam, vt cum homo, vel lapis mouet ſe ipſum. Vtraque autem poteſt eſſe vel neceſſaria, vel libera. Cauſa neceſſaria determinatur à propria entitate ad producendum talem motum, vel talem impulſum, lapis v. g. à propria grauitate determinatur ad motum deorſum potius quam ſurſum; cauſa vero libera determinatur à voluntate, qua homo v. gr. vult mouere ſe potius dextrorſum, quam ſiniſtrorſum.

Dicunt à voluntate non determinari ſufficienter: quia, poſita illa voluntate, poſſum non moueri, ſi aliquis me impediat. Reſpondetur, determinari me à voluntate cum talibus circumſtantiis intrinſecis, & extrinſecis, ſcilicet, quod non ſit agens fortius, quod me poſſit impedire, ſicut aqua determinatur à ſua natura, ad frigus in ſe producendum, & à negotio fortioris agentis, qualis eſt ignis, à quo impediri poſſit frigefactio.

Inſtant.

Reſpondemus.

Vrgent adhuc, quia voluntas non eſt immediatum determinatiuum, ſed mediatum, nam voluntas 135.
cauſat motum: motus autem cauſat hoc *vbi*; motus autem non eſt in hoc inſtanti, quo ſit hoc *vbi* permanens: ergo non eſt in hoc inſtanti cauſa determinata ad hoc *vbi*, ſed fuit. Reſpondetur, motum præteritum non eſſe proprie cauſam huius *vbi*, quod ſit in hoc inſtanti, & quod permanet in quiete, ſed fuiſſe ſolum conditionem ad hanc actionem inſtantaneam, qua ſit hoc *vbi* permanens: nam ex eo, quod præceſſerit talis motus, reſultat neceſſario hæc actio in hoc inſtanti, in quo terminatur vltimo motus. Cauſa ergo huius actionis, & huius *vbi* eſt grauitas, vel potentia, aut impulſus præſens, quæ cauſa determinatur ad hanc actionem potius, quam aliam à concurſu determinato Dei, qui debet potius concurrere ad hanc actionem, quam aliam, propter motum talem præcedentem: quo poſito, cauſa prima debet potius hunc concurſum, quam alium.

Vrgent adhuc.

Reſpondetur.

Cauſa vbicationis eſt grauitas vel potentia, vel impulſus.

Porro poſſe cauſam præſentem determinari ad 136.
hanc actionem potius quam illam ratione alicuius conditionis præcedentis exigentis talem actionem poſtea, negari non poteſt, cum conſtet inductione in mille aliis materiis Philoſophicis. Primo, quando aqua calida ſeparatur ab igne, adhuc conſeruatur calor aliquandiu, non quidem ab igne, qui periit, vel abeſt, ſed à Deo ſupplente actionem ignis. Et quidem pro priori naturæ, antequam Deus ſolus conſeruet illum calorem, nihil inuenies præſens, quo determinetur Deus ad eam actionem: nam pro eo priori nondum intelligitur calor præſens: aqua vero potius exigeret frigus, quam calorem. Determinatur ergo cauſa prima ad illam conſeruationem ex eo, quod immediatè ante fuerit calor in aqua, nec poſſit ſimul totus expelli, ſed ſucceſſiue: & ideo in actu primo exigitur à Deo concurſus ad conſeruandas aliquas partes caloris præcedentis, eo quod immediatè ante præceſſerunt ſimul cum illis, quæ expelluntur.

Poſſe cauſam præſentem determinari ad hanc actionem potius quam illam vi alicuius conditionis conſtat.

Exemplo conſeruationis caloris in aqua remoto igne.

Secundo, quando Deus conſeruat Angelum an- 137.
tea productum, conſeruat quidem eum libere, quatenus de potentia abſoluta poſſet eum annihilare: conſeruat tamen eum ex debito connaturalitatis: non poteſt enim vt auctor naturalis negare illam conſeruationem. Ergo in actu primo determinatur vt auctor naturæ ad eam conſeruationem: non determinatur autem ab Angelo præſenti; quia pro eo priori nondum intelligitur Angelus conſeruatus, nec præſens; ergo determinatur ab Angelo præexiſtente immediatè ante: nam ex eo quod Angelus præextiterit immediatè ante, Deus obligatur vt auctor naturæ ad conſeruandum Angelum nunc.

Exemplo conſeruationis Angeli.

Tertio, quando agens naturale agit cum reſiſten- 138.
tia paſſi, vt cum ignis v. g. calefacit aquam; tunc, inquam, pro priori naturæ determinatur ad introducendum ſolum primum gradum caloris: peto, à

Tertio exemplo agentis naturalis.

quo

quo determinatur tunc ad introducendum ſolum primum, & non ſecundum? Dices, quia adhuc tunc perſeuerat in ſubiecto ſeptimus gradus frigoris, qui impedit ſecundum caloris. Sed contra; cur ignis non expellit nunc ſeptimum gradum frigoris, ſicut expellit octauum; aut à quo determinatur, vel impeditur ab expulſione ſeptimi gradus? Nihil prorſus inuenies præſens, ſed præteritum, nempe præfuiſſe immediate ante octo gradus frigoris; & ratione illius præexiſtentiæ non poſſe nunc expelli ſeptimum frigoris; neque introduci ſecundum caloris: quia non poſſunt duo gradus ſimul expelli, vel introduci, ſed ſucceſsiue; Impeditur ergo nunc, & determinatur actiuitas ignis à reſiſtentia paſſi, quæ reſiſtentia includit præexiſtentiam octaui gradus: ſi enim ille non præextitiſſet, non reſiſteret nunc aqua introductioni ſecundi gradus caloris. Determinatur ergo nunc cauſa naturalis ratione alicuius conditionis non præſentis, ſed præteritæ: quia Deus auctor naturæ ab illis conditionibus præcedentibus ſibi adhuc obiectiue præſentibus obligatur ad talem concurſum præſtandum, vel negandum propter exigentiam cauſarum ſecundarum.

139. *Hinc iam cõſtat à quo determinatur cauſa ad productionem talis vbi.* Hinc iam conſtat, à quo determinetur cauſa ad producendum nunc tale *vbi*, nempe à concurſu tali Dei, qui in actu primo debetur talis ratione talis motus præteriti, ad quem neceſſario conſequitur talis actio inſtantanea, per quam fiat tale *vbi*, non quidem à motu præterito, vt à cauſa, ſed à cauſa præſenti determinata à motu præterito, tanquam à conditione. Eodem modo explicandum eſt, quomodo, aut à quo determinetur homo, vt quando mouetur; acquirat potius hoc ſpatium, quam aliud diſtans: vel vt producat talem potius motum, quam alium in ſpatio diſtanti: cum tamen ipſe homo ſecundum ſe ſit omnino indifferens ad hoc ſpatium, vel illud, ad hunc motum; vel illum. Reſpondendum ſimiliter eſt, determinari à tali concurſu cauſæ primæ ad tale *vbi* proximum præcedenti producendum: cauſa autem prima ad offerendum concurſum ad tale *vbi* proximum, & non ad aliud diſtans, determinatur ab *vbi* præcedenti, per quod immediate ante homo applicatus erat ad producendum poſtea *vbi* aliquod immediatum, & proximum illi, & non aliud: quæ exigentia eſt in inſtanti ſequenti pro priori naturæ ratione conditionis præteritæ, vt dictum eſt.

An vbicatio reſpiciat locum realem.

140. *Illatio prima eſt vbi non habere reſpectum intrinſecum ad aliud corpus.* Ex dictis infero primo, *vbi* non habere reſpectum intrinſecum, & eſſentialem ad corpus extrinſecum ſed ſolum ad ſpatium imaginarium. Hæc illatio conſtat ex omnibus argumentis, quibus noſtra ſententia probata eſt; nam ſi quid probant, non ſolum probant, Petrum non denominari formaliter vbicatum à ſpatio reali, in quo eſt, ſed etiam præſentiam intrinſecam Petri non reſpicere ſpatium ſeu corpus reale extrinſecum, quia variato quocumque extrinſeco, manet eadem præſentia Petri hic.

Explicatur exemplo durationis. Quod rurſus confirmari, & explicari poteſt Primo, exemplo durationis realis, quæ quidem non eſt relatio ad tempus reale; nam omni tempore ceſſante, poſſet produci ſolus Angelus, qui haberet durationem realem ſucceſſiuam, vt ſuppono; per quam non fieret præſens vlli tempori extrinſeco reali, cum nullum eſſet, ſed ſolum durationem imaginariæ, ad quam non poteſt dari reſpectus realis, vt conſtat: ergo eodem modo dicendum eſt de præſentia locali: poſſent enim produci duo Angeli ſoli, quorum vnus eſſet intime præſens alteri, & poſſet ab eo magis diſtare, abſque vlla præſentia ad locum realem, qui tunc nullus eſſet.

Secundo, quia vel illa relatio eſt ad locum immediatum; & hoc non poteſt dici, quia quando mouetur vas, aqua ibi contenta manet ſemper cum eadem indiſtantia ad corpus immediatum, nempe ad vas, & tamen non retinet eandem vbicationem. Nam ipſa etiam aqua mouetur localiter, vt conſtat ad oculum. Vel illa relatio eſt ad polos fixos cœli; & hoc etiam eſt falſum; quia licet deſtrueretur cœlum, poſſet Petrus manere præſens in hac aula, ſicut antea: vel denique illa relatio eſt ad omnia alia corpora ſimul; & hoc etiam eſt falſum, quia ſequeretur, quod dum ego quieſco, mutarem ſemper adhuc ſucceſſiuè vbicationem intrinſecam, quia ſemper mutatur aliquod corpus, à quo ego antea eram magis, vel minus diſtans, & per conſ. quens mutabitur mea præſentia localis, & ego ſemper mutabor intrinſece localiter, cum motus localis non ſit aliud, quam acquiſitio illius formæ relatiuæ, quæ me facit præſentem, vel diſtantem reſpectu aliorum corporum. 141. *Secundo probatur.*

Tertio, quia illa relatio non eſt ad cœlum ſecundum ſuam ſubſtantiam; nam poſſet eſſe cœlum in rerum natura, & meum corpus non diſtaret tantum ab eius polis; ergo eſt ad cœlum, prout eſt in tali diſtantia, vel ſpatio primo; ergo eſt ad cœlum, prout habet iam aliam relationem; ergo vna relatio eſt ad aliam, quod in relationibus prædicamentalibus repugnat; quia terminus debet ſupponi, vt reſultet hæc relatio prædicamentalis. 142. *Tertio probatur.*

Quarto, quia illa relatio diſtantiæ, vel propinquitatis præſupponit, rem eſſe hic vel illic, per aliquid aliud: nam res eſſe indiſtantes, eſt vnam eſſe, vbi eſt alia; ergo ſupponit, ſingulas eſſe ibi: ſicut duo alba eſſe ſimilia, eſt vnum habere qualitatem talem, qualem habet aliud: ſingula autem ante relationem ſupponuntur habere talem qualitatem. & ſicut duas res coëxiſtere in duratione, eſt vnam exiſtere, quando exiſtit alia: ſingulæ autem ſupponuntur exiſtere tunc independenter ab illa relatione coëxiſtentiæ. Similiter ergo coëxiſtere localiter ſupponit, ſingula ibi exiſtere, vt reſultet denominatio exiſtentis ibi, vbi eſt alia. *Quarto probatur.*

Hinc infero ſecundo, quid ſit præſentia ad locum, ſeu ad ſpatium reale extrinſecum; quid ſit v.g. Petrum eſſe præſentem huic gymnaſio. De hac enim præſentia dicendum eſt, eſſe denominationem partim extrinſecam, partim intrinſecam ipſi Petro; quia prouenit ab *vbi* intrinſeco huius gymnaſij, & ab hoc *vbi* intrinſeco ipſius Petri. Nihil enim aliud eſt, Petrum eſſe in hoc gymnaſio, quam gymnaſium eſſe hic, ſeu habere tale *vbi*, & Petrum eſſe hic, ſeu habere etiam tale *vbi*, quare ablato *vbi* huius gymnaſij, ſi forſitan gymnaſium moueretur à Deo in alium locum, Petrus poſſet manere hic cum ſuo *vbi* intrinſeco, & non eſſet iam in hoc gymnaſio: vel è contra, ſi moueatur Petrus, & abeat in alium locum, iam non eſt in gymnaſio ex defectu ſui *vbi*, quod prius habebat. Ex quo etiam intelligi poteſt, quo ſenſu verum eſſe poſſit, quod dicebat S. Thomas ſupra, præſentiam localem eſſe denominationem extrinſecam; loquitur enim fortaſſe de præſentia ad locum realem extrinſecum. 143. *Infertur ſecundo quid ſit præſentia ad locum.*

Vna reſtat difficultas, quia ſi tota eſſẽtia huius præſentiæ eſt non in ordine ad locum realem, ſed in ordine ad ſpatiũ imaginarium, quod reſpicit, cum hoc ſpatiũ ſit aliquid fictum, & merum nihil, reſpectus etiã ad illud terminatus non poteſt eſſe realis. Pro huius explicatione neceſſe eſt declarare breuiter, quid intelligamus nomine illius ſpatij imaginarij. 144. *Vnica difficultas quæ reſtat explicatur.*

SECTIO VI.

Quid ſit ſpatium imaginarium, in ordine ad quod explicatur eſſentia præſentiæ localis.

145. *Quid ſit reſpicere ſpatiũ imaginarium.*

DIximus, & dicemus ſæpè, *vbi* ſeu præſentiam localem per ſuam eſſentiam reſpicere non quidem ſpatium reale, ſeu corpus extrinſecum circundans, ſed ſpatium imaginarium immobile, cui facit præſentem rem vbicatam. Oportet, antequam vlterius progrediamur, explicare, quid ſignificetur per hunc modum loquendi, aut quid ſit hoc ſpatium imaginarium, quod reſpicitur ab *vbi*.

Iſtud ſpatium verè eſt purum nihil.

Ratio dubitandi eſt, quia iſtud ſpatium prout condiſtinguitur ab omni corpore extrinſeco, non poteſt eſſe aliquid reale (quidquid ſomniauerint antiqui Philoſophi) neque enim eſt corpus, neque ſpiritus, neque ſubſtantia, neque accidens, imo neque productum, aut creatum à Deo: nam ante omnem mundi creationem erat illud ſpatium vacuum, cui modo præſens eſt mundus; ergo verè hoc ſpatium eſt purum nihil; ergo eſſentia *vbi* realis non ſumitur in ordine ad tale ſpatium; accidens enim tale, quale eſt *vbi*, non poteſt reſpicere, & referri per ſuam eſſentiam ad purum nihil.

Dices eſſe ens rationis.

Dices, ſpatium illud, licet non ſit ens reale, eſſe tamen ens rationis: quare poteſt terminare aliquem reſpectum realem, ſicut chimæra, licet habeat entitatem fictam, terminat tamen reſpectum realem illius

Reſpondeo.

cognitionis, per quam cognoſcitur. Sed contra; quia licet ens rationis terminet actum cognitionis per entitatem fictam, quam habet, hoc tamen non habet, donec ſaltem fingatur per mentem: at vero ſpatium imaginarium ante omnem mentis operationem eſt terminus illius reſpectus, quem habet *vbi*; ergo antequam ſit ens rationis, terminat illum reſpectum; ergo impoſſibilis eſt talis reſpectus ad ſpatium imaginarium.

146. *In contrarium eſt communis modus loquendi.*

In contrarium tamen eſt communis modus loquendi, quo ſignificamus, aliquod eſſe ſpatium commune, in quo recipiuntur omnia entia realia, quæ à Deo creantur; ratione cuius dicimus, hoc *vbi* ex ſua natura habere, quod ponat Petrum hic, ſeu in hoc ſpatio: dicimus item, corpus, & animam eſſe in eodem ſpatio, & omnes partes integrantes Chriſti Domini in Euchariſtia correſpondere eidem ſpatio, & alia huiuſmodi; in quibus omnibus ſupponitur, dari aliquod ſpatium, cui eidem correſpondeant corpus, & anima, & quod diſtinguatur ab alio ſpatio, in quod eſt alius homo: ergo non ſunt neganda hæc ſpatia.

147. *Explicatur quid per hunc dicendi modum intelligi debeat.*

Omiſſis varijs ſolutionibus Recentiorum, quæ rem magis intricant, quam extricant, breuiter dicendum eſt, re ipſa hoc ſpatium eſſe omnino nihil, vt bene probat argumentum: neque à parte rei dari, niſi hanc præſentiam localem, & illam, quæ ſunt duæ entitates poſitiuæ, & abſolutæ. Cæterum hoc *vbi* A, v. g. per ſuam entitatem tale eſt, vt fundet relationem diſtantiæ duorum palmorum ab *vbi* B, hoc eſt fundet relationem maioris diſtantiæ, quam ab alijs vicinis præſentijs, à quibus minus, & minus diſtat, & relationem etiam minoris diſtantiæ, quàm ab alijs præſentijs, à quibus magis, & magis diſtabit. Itaque quando dicimus, hoc *vbi* reſpicere tale ſpatium, nolumus explicare aliquem ordinem, quem tale vbi dicat verè ad illud ſpatium: ſpatium enim nihil eſt quod poſſit terminare vllum reſpectum: ſed ſignificamus, tale vbi fundare talem ordinem diſtantiæ ab alio tali *vbi*. Item, quando dicimus, hoc *vbi* dare Petro, quod ſit hic, per *ly hic*: nolumus ſignificare aliquod ſpatium, cui Petrus ſit præſens per tale *vbi*, ſed ſolum Petrum habere tale *vbi*, per quod tantum, vel tantum differt ab alijs præſentijs. Ac denique, quando dicimus, duos Angelos eſſe ſimul in eodem loco, ſeu vnum eſſe, vbi eſt alius; nolumus ſignificare aliquid commune, quod capiat vtrumque, ſed ſolum dicimus, vtrumque *vbi* fundare ſimiles omnino relationes diſtantiæ, vel propinquitatis cum alijs præſentijs, & fundare etiam relationes indiſtantiæ ad inuicem.

Quia tamen aſſuefacta eſt mens noſtra concipere ſpatium reale, in quo corpora recipiantur, inde eſt, quod explicare ſoleamus noſtros conceptus per ordinem ad ſpatium illud imaginarium, ac ſi eſſet vacuitas quædam magna, quæ repletur rebus locatis per diuerſas præſentias, & in hac vacuitate conſideramus latitudinem, longitudinem, & profunditatem, conſideramus etiam puncta quædam imaginaria fixa, quæ appellamus centrum imaginarium, in ordine ad quod ſumimus diſtantiam, vel indiſtantiam rerum: quod nihil aliud eſt, quàm concipere aliquod *vbi* poſſibile, in ordine ad quod reliquæ præſentiæ habent talem, vel talem relationem diſtantiæ, vel propinquitatis: & quia aliæ ſunt præſentiæ poſſibiles, à quibus magis diſtat meum *vbi*, quam à reliquis præſentijs, quæ de facto dantur, conſideramus vltra cœlum empyreum ſpatia quædam imaginaria latiſſima, quæ nihil aliud ſunt, quam præſentiæ poſſibiles infinitæ ſyncategorematicè, à quibus magis, & magis poſſet diſtare mea præſentia. 148.

Dixi tamen, hoc vbi A, per ſuam entitatem fundare ſolum relationem talis, vel talis diſtantiæ ad aliud *vbi* B, quia revera hoc *vbi* A, per ſuam entitatem non habet reſpectum formalem, ſed ſolum fundamentalem ad illud aliud *vbi* B; nam licet *vbi* B, non eſſet poſſibile, exiſtere poſſe, hoc *vbi* A, cum tota ſua entitate: fundat tamen prædictam relationem diſtantiæ ad *vbi* B, quia ſi illud *vbi* B, ponatur, eo ipſo iſta duo *vbi* per ſuas entitates dicentur taliter inter ſe diſtare: ſicut licet albedo per ſuam entitatem non reſpiciat nigredinem, fundat tamen per ſuam entitatem relationem diſſimilitudinis cum nigredine: hoc eſt, habet talem entitatem, vt eo ipſo, quod extat nigredo, dicatur albedo diſſimilis illi magis, quam rubori, vel alij colori. 149.

Vbi per ſuam entitatẽ fundat ſoltum relationem talis vel talis diſtantiæ ab alio vbi.

Hoc ſuppoſito, nunc facilè intelliges, quæ ſint ſpatia imaginaria extra cœlum empyreum: nihil enim aliud ſunt, quam vbicationes poſſibiles in infinitum ſyncategorematicè magis, & magis diſtantes à noſtro ſpatio: illa tamen appellantur frequenter ſpatia imaginaria ad diſtinctionem noſtri ſpatij; quod, quia repletum eſt corporibus, dici ſolet ſpatium reale: cæterum, vt ſupra viſum eſt, etiam in noſtro ſpatio poſſumus intelligere ſpatium imaginarium, prout diſtinctum à corporibus, quæ in ipſo ſunt. 150.

Hæc ſpatia extra cælum empyreũ ſunt tantum vbicationes poſſibiles in infinitum magis, & magis diſtantes à noſtro ſpatio.

Contra hunc modum explicandi ſpatium imaginarium obiiciunt nobis aliqui Theologi recentiores: Primo, quia ipſamet vbicatio poſſibilis concipitur à nobis, vt conſtituens rem in aliquo ſpatio extrinſeco; igitur ipſamet vbicatio non eſt ſpatium; non enim eſt terminus ſui ipſius. Secundo, quia vnam vbicationem poſſibilem diſtinguimus ab alia per ordinem ad diuerſam partem ſpatij extrinſeci: igitur ipſamet vbicatio non eſt prima menſura huius diſtinctionis, & conſequenter neque ſpatium imaginarium. Tertio denique, quia plures vbicationes poſſibiles concipimus in ordine ad idem ſpatium imaginarium, & dicimus, per illas conſtitui res in eodem ſpatio; ergo vbicatio 151.

Obijciunt quidã Theologi contra hunc modum explicandi. Primo. Secundo. Tertio.

vbicationes ipſæ non ſunt ſpatium imaginarium. Fatendum ergo eſt, ſpatium illud eſſe aliquod fictum ab intellectu, in ordine ad quod explicamus & concipimus vbicationes reales.

152. *Poſſumus quidem & ſolemus confingere tale ſpatium fictum.*

Ego quidem fateor, poſſe, & ſolere aliquando confingi ab intellectu tale ſpatium poſitiuum, ſed non credo, ſemper; imo neque communiter concipi à nobis vbicationes reales cum ordine ad tale ſpatium fictum: nam ſi hoc eſſet, illæ propoſitiones, quibus communiter vtimur, eſſent falſæ in rigore ſermonis. Dicere enim, quod vbicatio conſtituit me realiter in ſpatio ficto, vel quod hæc vbicatio diſtinguitur ab illa per ordinem, quem habet ad diuerſum ſpatium fictum; vel denique quod mea vbicatio hodierna habet ordinem ad idem ſpatium fictum, ad quod habebat ordinem vbicatio heſterna; & aliæ ſimiles propoſitiones non ſunt magis veræ in rigore, quam ſi dicas vbicationem realem dicere ordinem ad chimæram, vel conſtituere me realiter in chimæra: imo neque conciperemus veras vbicationes reales, quando illas conciperemus cum ordine tranſcendentali, & eſſentiali ad ſpatium fictum: nam ſicut talis ordo eſt impoſſibilis, ſic eſt impoſſibilis vbicatio habens per ſuam eſſentiam talem ordinem tranſcendentalem.

153. *Ad argumenta reſpondemus.*

Ad argumenta ergo illa reſpondetur ex dictis, per illas propoſitiones non intendi à nobis explicari ordinem ad ſpatium fictum, ſed nomine ſpatij imaginarij intelligi talem, vel talem claſſem vbicationum poſſibilium; nam ſicut quando dicimus, colorem album, v. g. per ſuam entitatem pertinere ad talem gradum perfectionis intra genus coloris, atque ideo hanc albedinem, & illam pertinere ad eundem gradum perfectionis; non ſignificamus aliquem gradum fictum perfectionis, ad quem referamus illos colores, ſed certam claſſem realem colorum poſſibilium diuerſam à claſſibus aliorum omnium colorum, ad quam claſſem dicimus pertinere hos duos colores: ſic etiam quando dicimus, hanc vbicationem conſtituere me in tali ſpatio; ſignificamus hanc vbicationem pertinere ad talem claſſem vbicationum poſſibilium diuerſam à claſſibus aliarum omnium, & ideo dicimus, hanc vbicationem diſtingui ab illa per hoc ſpatium; hoc eſt, quia eſt talis, nimirum pertinens ad talem claſſem vbicationum; & denique in eodem ſenſu dicimus, hanc vbicationem & illam eſſe in eodem ſpatio, hoc eſt, in eadem claſſe vbicationum poſſibilium. Quia tamen non habemus nomina ad ſignificandam differentiam propriam huius claſſis, quam volumus denotare: hinc eſt, quod recurrimus ad aliquam vbicationem magis notam, per quam ſignificamus claſſem vbicationum poſſibilium, de qua loquimur. Cum enim auditores cognoſcant iam vbicationem huius cathedræ, dico, Petrum heri fuiſſe in hoc eodem ſpatio, in quo ego ſum, hoc eſt habuiſſe vbicationem eiuſdem claſſis, & ſimilem huic vbicationi, quam ego habeo, & in eodem ſenſu dicimus, hanc vbicationem per ſuam eſſentiam reſpicere hoc ſpatium, id eſt, pertinere per ſuam eſſentiam ad eandem, vel ad proximam claſſem vbicationum horum corporum circumſtantium, quæ videmus, & in ordine ad quorum vbicationes nobis notas, explicamus differentiam propriam alterius vbicationis, de qua loquimur: quæ omnia poſſumus ſignificare abſque vllo ente rationis, vel fictione, quæ potius impediret, quam iuuaret ad cogitationem veræ, & realis vbicationis.

Exemplo albedinis.

SECTIO VII.

Infertur ex dictis, qualis ſit præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia.

154. *Infertur primo ex dictis præſentiam Chriſti in Euchariſtia eſſe accidens intrinſecum.*

EX dictis infertur primo, præſentiam Chriſti in Euchariſtia eſſe accidens quoddam vbicationis intrinſecum, & non ſolum denominationem extrinſecam prouenientem à ſpeciebus: quia in qualibet re creata hoc, quod eſt eſſe hic, vel illic, eſt vbicatio intrinſeca, ſine qua non poteſt intelligi, nec explicari hic nouus effectus formalis exiſtendi hic, vel illic: quare cum Chriſtus habeat verè eſſe hic, debet hoc habere per formam ſibi intrinſecam, à qua poſſit tribui ille effectus formalis; vt latius probatum eſt ſupra.

155. *Infertur ſecundo non eſſe accidens reſpectiuum, ſed abſolutum.*

Infertur ſecundo, hanc præſentiam, ſeu vbicationem Chriſti, non eſſe aliquam relationem realem ad locum realem extrinſecum, neque ad ſpecies Sacramentales, ſed accidens quoddam abſolutum, quod concipimus in ordine ad ſpatium imaginarium fixum; quare etiamſi auferrentur ſpecies, & omnis locus realis extrinſecus, poſſet diuinitus perſeuerare corpus Chriſti præſens ibi in eodem ſpatio per eandem numero vbicationem, & præſentiam intrinſecam, quam antea habebat. Hæc eſt contra Vaſquez *ſupra diſp.* 190. c. 4. qui docet, iſtam vbicationem Chriſti eſſe ordinem intrinſecum ad ipſas ſpecies, & non ad ſpatium imaginarium: quare ablatis ſpeciebus, eo ipſo auferretur iſta præſentia Chriſti. Hoc tamen falſum eſſe, conſtat ex dictis; quia Chriſtus non ſolum habet eſſe ſub ſpeciebus, ſed etiam habet eſſe hic vel illic in ordine ad hoc ſpatium imaginarium, ſicut ipſæ ſpecies: ergo ſicut ipſæ ſpecies, eo quod ſint hic, habent vbicationem in ordine ad hoc ſpatium, ſic etiam Chriſtus ob eandem rationem debet illam habere.

Vaſquez.

156. *Infertur tertio hanc præſentiam variari intrinſecè, quoties ſpecies mouentur. Probatur.*

Infertur tertio conſequenter ad prædicta, hanc Chriſti vbicationem variari intrinſecè, quotieſcumque Euchariſtia mouetur localiter. Hæc etiam eſt contra Vaſq. *vbi ſupra*, qui conſequenter docet, quandiu manet Chriſtus ſub ſpeciebus, retinere ſemper eandem numero præſentiam; quia ſcilicet illa præſentia non erat ad ſpatium, ſed ad ſpecies. Cæterum noſtra illatio probatur, quia quando mouentur ſpecies, accipit Chriſtus de nouo hoc quod eſt eſſe hic, vel illic, vbi antea non erat: & verè mouetur, licet ſecundariò, & per accidens ad motum ſpecierum; ergo debet habere nouam formam, à qua proueniat illi hæc noua denominatio. Dices, Chriſtum moueri denominatiuè à motu ſpecierum, non à motu in ipſo recepto. Sed contra, quia repugnat, aliquid moueri, & non intrinſecè: moueri enim eſt aliter intrinſecè ſe habere. Deinde poſſent moueri ſpecies, ſine eo, quod Chriſtus dicatur moueri: ergo motus ſpecierum ſolus non denominat Chriſtum moueri, ſed aliquid aliud in ipſo receptum. Antecedens conſtat, ſi hoſtia gyraretur motu circulari intra idem ſpatium; tunc enim Chriſtus non moueretur, cum non acquireret, nec perderet ſpatium de nouo, & tamen ſpecies mouerentur: ergo hoc quod eſt moueri Chriſtum, non eſt præcisè, moueri ſpecies, ſed alius motus intrinſecus ipſi Chriſto, per quem ponitur Chriſtus de nouo in hoc ſpatio: ita vt annihilatis ſpeciebus, ſi conſeruaretur Chriſtus ibi, maneret diſtans ab aliis corporibus ſicut antea, & cum eadem approximatione reſpectu altaris, &c.

Inſtabis.

Reſpondetur nihil poſſe moueri niſi motu intrinſeco.

157. *Infertur quarto hanc præſentiam non eſſe ſimplicem & indiuiſibilem.*

Infertur quarto, & conſequenter hanc Chriſti præſentiam non eſſe ſimplicem, & indiuiſibilem: nam in primis diſtincta vbicatio partialis competit

animæ, & diſtincta corpori: illa eſt ſpiritualis, hæc materialis; illa poſſet amitti, perſeuerante iſta, ſi Chriſtus extra Euchariſtiam moueretur. Deinde præſentia corporis diuiſibilis eſt pro diuiſibilitate ipſius corporis; ita vt diſtincta partialiter ſit vbicatio pedis, & vbicatio manus, &c. denique eſt diuiſibilis etiam pro diuiſibilitate ſpatij, cui correſpondent ſpecies; ita vt per diſtinctam partem vbicationis ſit Chriſtus in hac parte ſpatij, & per diſtinctam in illa, cum vna poſſit manere, pereunte alia. Ex quo fit, hanc Chriſti præſentiam habere duplicem diuiſibilitatem; primam quaſi ſubiectiuam pro diuiſibilitate ſubiecti; ſecundam, quaſi obiectiuam pro diuiſibilitate ſpatij, cui correſpondet: ita vt in qualibet parte ſpatij ſit multiplex præſentia habens tot partes, quot ſunt partes Chriſti ibi exiſtentes: & rurſus quælibet pars corporis Chriſti habeat tot partes præſentiæ, quot ſunt partes ſpatij, quibus correſpondet.

An præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia ſit ſupernaturalis.

158. *Supponitur quid ſit ſupernaturalitas & quotuplex.* His ſuppoſitis, quæritur de hac præſentia, an ſit ſupernaturalis in ſua ſubſtantia? Suppono autem, entitates ſupernaturales alias eſſe ſupernaturales ſecundum ſubſtantiam, alias vero ſolum quoad modum. Supernaturalis in ſubſtantia dicitur illa cuius entitas talis eſt, vt nunquam naturaliter potuerit poni à parte rei, qualis eſt entitas gratiæ, vnionis hypoſtaticæ, & ſimiles. Supernaturalis vero quoad modum eſt, cuius entitas potuit naturaliter produci, licet hic, & nunc miraculosè producatur; talis eſt viſus cæco reſtitutus: eſt enim in ſua entitate eiuſdem rationis cum viſu aliorum hominum, licet hic, & nunc miraculosè producatur. *Quæritur an hæc præſentia ſit ſupernaturalis & quo modo.* Hoc ſuppoſito, inquirimus, an præſentia, ſeu vbicatio, quam diximus habere intrinſecam corpus Chriſti in Euchariſtia, ſit in ſua entitate, & ſubſtantia ſupernaturalis, an vero ſolùm quoad modum.

159. *Ratio dubitandi.* Ratio dubitandi eſt, quia in illa præſentia, ſi attentè conſideretur, nihil prorſus videtur reperiri, quod idem non poſſet naturaliter exiſtere: nam licet corpus Chriſti naturaliter non poſſet habere præſentiam, qua eſſet totum in toto ſpatio, & totum in qualibet parte ſpatij, ſicut eſt in Euchariſtia, cæterum tota hæc videtur eſſe ſupernaturalis quoad modum, ex eo quod ponantur ſimul in eadem parte ſpatij diuerſæ partes præſentiæ, quæ ſingulæ ſine aliis poſſent ibi exiſtere: ſicut ſi Deus penetret Petrum cum Paulo in eodem ſpatio; non ideo dicemus, illas vbicationes eſſe ſupernaturales in ſubſtantia; quia licet non poſſent naturaliter exiſtere ſimul, potuit tamen quælibet earum ſeorſim ibi eadem naturaliter exiſtere: ergo ſimiliter quælibet pars huius præſentiæ corporis Chriſti in ſua entitate erit naturalis: nam licet manus, v. g. non poſſet naturaliter eſſe ſimul cum pede in eodem ſpatio, potuit tamen manus naturaliter eſſe in hoc eodem ſpatio per hanc eandem præſentiam, ſi ibi non adeſſet pes: ergo totum miraculum ſtat in hoc, quod ſint ſimul plures vbicationes in eodem ſpatio, quarum quævis poſſet ſecundum totam ſuam entitatem eſſe ibi ſine aliis; & per conſequens tota hæc vbicatio nihil ſupernaturale entitatiuè continebit, ſed ſolam multiplicationem vbicationum naturalium in eodem ſpatio.

160. *Aliqui exiſtimant eſſe entitatiuè naturalem.* Aliqui ergo iudicant, eam præſentiam eſſe entitatiuè naturalem; quod probant, quia licet corpus non poſſit naturaliter ita exiſtere, poteſt tamen Angelus: præſentia autem Angeli, qua exiſtit in ſpatio diuiſibili indiuiſibiliter, eſt naturalis, & eſt perfectior, quam præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia: ergo hæc etiam eſt naturalis; non enim poteſt eſſe præſentia naturalis perfectior ſupernaturali. Ita P. Herize 1. p. *diſp.* 48. *n.* 40. cui occaſionem dedit P. Vaſquez *tom.* 2. *in* 1. *part. diſput.* 214. *n.* 25. *&* 34. Herize. Vaſquez.

161. *Hæc doctrina eſt difficilis.* Hæc tamen doctrina difficilis eſt: nam niſi quæſtio fiat de nomine, & mutemus conceptum, & definitionem entis ſupernaturalis, negare non poſſumus, illud eſſe ex ſpecie, & entitate ſua ſupernaturale, quod nunquam ſine miraculo poni poteſt viribus totius naturæ. *Hæc enim præſentia non poteſt poni etiam viribus totius naturæ.* Et quidem licet Angelus poſſit eſſe indiuiſibiliter in loco diuiſibili; corpus tamen non poteſt vnquam eo modo poni viribus naturæ: ille ergo modus, quo corpus ita ponitur, ſuperat totius naturæ vires, neque enim vlla præſentia illius ſpeciei naturaliter eſt poſſibilis: nam præſentia Angeli differt pluſquam ſpecie à præſentia corporis Chriſti. Eſt ergo ſupernaturalis in ſua ſubſtantia: quia coniunctio illius præſentiæ cum ente materiali ſuperat omnes vires naturæ.

162. *Nullum eſt inconueniens quod aliquod naturale ſit perfectius aliquo ſupernaturali.* Nec obſtat, præſentiam Angeli eſſe perfectiorem iſta, & eſſe naturalem: nullum enim eſt inconueniens, quod aliquod ens naturale ſit perfectius aliquo ſupernaturali; ſicut, v. g. ſubſtantia naturalis eſt perfectior aliquibus accidentibus ſupernaturalibus. Cur ergo repugnabit, aliquem modum naturalem ſpiritualem eſſe perfectiorem aliquo materiali ſupernaturali; aut cur non poterit ſpiritualitas compenſare perfectionem ſupernaturalitatis, ſicut ſubſtantialitas eam compenſat; præſertim, *Supernaturalitas non tam dicit excellentiam quàm improportionem.* cum ſupernaturalitas in ſuo conceptu explicito non tam dicat excellentiam, quam improportionem, ſeu non exigi à natura? Imo aliqui addunt, non ſolum non requiri ad ſupernaturalitatem illum exceſſum perfectionis; ſed poſſe eſſe poſitiuè imperfectionem ſupernaturalem, qualis eſſet (inquiunt) pœna ſupernaturalis, qua Deus ſupra vires naturæ aliquem puniret, producendo in illo aliquid ſupernaturale, ſicut in Beatis producit perfectiones ſupernaturales ad eorum gloriam. Quidquid ſit de hoc, non videtur negandum, illud eſſe ſupernaturale, quod nunquam poteſt poni ſine concurſu Dei indebito, & concurrente cauſa ſecunda per potentiam obedientialem; talis autem eſt præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia; de qua non concedes ſuſtentari à corpore Chriſti per potentiam paſſiuam naturalem, ſed per obedientialem, & vt reuelata à Deo; ergo non eſt naturalis. Quæ ratio non procedit in præſentia Angeli: illa enim poteſt naturaliter exiſtere per concurſum Dei debitum Angelo, & per vires naturales Angeli illam efficientis, & recipientis.

163. *Communis & vera concluſio affirmat eſſe ſupernaturalem entitatiuè.* Communis ergo Theologorum ſententia videtur ſupponere, hanc præſentiam corporis Chriſti eſſe entitatiuè ſupernaturalem, & miraculoſam, vt fatetur Suarez *diſput.* 48. *ſect.* 1. & ideo dicunt, non poſſe naturaliter ab Angelo videri, vt docet ſanctus Thomas, & Theologi communiter relati à Suarez *ibi.* Suarez. Difficile tamen eſt, rationem aliquam afferre ad hoc probandum P. Herize 1. *parte*, *diſputat.* 48. *cap.* 3. *num.* 40. dicit, illam præſentiam eſſe ſupernaturalem in ſua ſubſtantia, quia ordinatur ad conſtituendum Sacramentum Euchariſtiæ, quod in ſe continet fontem gratiæ, & ad hoc ipſum datur talis præſentia, vt per illam adſit ibi corpus Chriſti ad conferendam gratiam ſuſcipientibus illud Sacramentum. Propter hanc ergo connexionem, & ordinem ad gratiam, & conſequenter Herize. *Hoc probat Herize.*

ad

ad viſionem Dei eſt ſupernaturalis hæc præſentia Sacramentalis corporis Chriſti.

164. *Reiicitur hac ratio.* Hæc ratio non videtur ſufficiens; primo, quia licet hæc præſentia de facto ponatur à Deo eo animo, vt reſultet Sacramentum cauſatiuum gratiæ; hoc tamen non eſt prædicatum eſſentiale huic præſentiæ, potuit enim poni corpus Chriſti eodem modo ſub ſpeciebus panis ſolum ad oſtendendam potentiam Dei, vel ob alium finem, & non ad cauſandam gratiam; imo non ſolum corpus Chriſti, ſed quævis alia ſubſtantia corporea; lignum, v. g. vel lapis potuit poni à Deo indiuiſibiliter, vt nunc ponitur corpus Chriſti; in quo caſu præſentia non eſſet ſupernaturalis propter connexionem cum gratia habituali, & tamen non eſſet minus miraculoſa, quam nunc eſt; ergo aliunde debet habere ſuam ſupernaturalitatem. Secundo, quia etiam corpus Chriſti poſitum fuit in Virginis vtero, & in hoc mundo, vt eſſet nobis cauſa ſalutis æternæ: & tamen hic finis à Deo intentus non faciebat, quod præſentia illa eſſet ſupernaturalis intrinſecè: ergo quod ponatur in Sacramento ad eundem finem, non reddet illam præſentiam ſupernaturalem, ſi ipſe aliunde non habet aliquam ſupernaturalitatem intrinſecam.

165. Hac ergo, & aliis rationibus omiſſis, quas congerit Suarez ibi, & quas facilè poſſemus reiicere, ex duplici capite poſſumus probare hanc ſupernaturalitatem, ſupponendo ex communi Theologorum cum ſancto Thoma *in 4. diſp. 10 q. 1. artic. 4. quæſtiuncul. 3.* hanc præſentiam corporis Chriſti eſſe ad imitationem præſentiæ ſubſtantiæ ſpiritualis, per quam Angelus, v.g. ponitur totus in toto ſpatio, & totus in qualibet parte ſpatij. Quo ſuppoſito, probatur primo eius ſupernaturalitas; quia præſentia naturalis, quam haberet manus Chriſti, v. g. in hoc ſpatio, non poſſet ex ſe vniri cum præſentia brachij in eodem ſpatio: nam licet ex ſe illa præſentia manus eſſet partialis, & incompleta, & vnibilis cum præſentia brachij, non tamen eſſet incompleta naturaliter in ordine ad præſentiam brachij in eodem ſpatio, ſed in ordine ad præſentiã brachij in proximo ſpatio: at vero præſentia manus in Euchariſtia vnitur per ſe cum præſentia brachij in ordine ad idem ſpatium, & eſt incompleta per vnibilitatem, quam habet cum illa; ergo hæc præſentia habet diuerſum incomplementum, & vnibilitatem, quam præſentia naturalis, & per conſequens eſt entitatiuè diuerſa.

S. Thom.
Suppoſito ſecundo hanc præſentiã eſſe ad imitationẽ præſentia ſpiritualis.
Probatur primo eſſe ſupernaturalem.
Quia præſentia manus, v. g. habet diuerſum incõplementum, & vnibilitatem quam naturalis.

166. *Inſtabis.* Dices, ſi ſubſtantia corporis humani ſepararetur diuinitus à ſua quantitate; tunc omnes partes ſubſtantiæ poſſent, imo, vt aliqui volunt, deberent confluere ad punctum ſpatij, amiſſa extenſione locali, quæ oriebatur à quantitate: ergo haberent præſentiam diuiſibilem ex parte ſubiecti, ſed indiuiſibilem ex parte ſpatij, per quam omnes partes corporis eſſent ſimul, atque adeo præſentia manus vniretur cum præſentia brachij in eodem ſpatio, & quoad hoc eſſet ſimilis præſentiæ Sacramentali corporis Chriſti: non eſt ergo hæc ſupernaturalis in ſubſtantia, cum poſſet ſubſtantia corporea propriis viribus in illo caſu ſimilem præſentiam ſibi comparare.

167. *Reſpondeo.* Reſpondeo, propter hoc argumentum in Philoſophia dixi, in eo caſu non ſe reducturam ſubſtantiam totam ad punctum, quia præſentia illa deberet eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam; ad quam præſentiam adquirendam non haberet virtutem ipſa ſubſtantia, atque ideo ex ſuppoſitione prioris miraculi ablatæ quantitatis, deberet ſubſtantia manere extenſa in loco, ſicut prius, ne cogeretur contrahi ad minus ſpatium. Poſſet fortaſsè ſe contrahere, non tamen ad punctum, ſed ad ſpatium diuiſibile minus, nimirum complicando ſe per inuolutionem, & penetrationem aliquarum partium cum aliis, v.g. manus cum capite, & capitis cum pedibus, quia ablata quantitate, ſicut poſſet aliena manus penetrari cum capite illius corporis, facilius poſſet manus eiuſdem corporis penetrari cum capite, cum vtraque pars careret quantitate: non tamen poſſet manus, v.g. penetrari cum parte ſibi omnino proxima, & continua. Ratio diſcriminis eſſet, quod in priori penetratione non interueniret præſentia ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſed manus haberet eandem præſentiam partialem, quam poſſet habere non penetrata cum capite, & caput haberet eandem præſentiam partialem, quam poſſet habere non penetratum cum manu: ſicut quando corpus Chriſti penetrabatur cum lapide ſepulchri, vtrumque corpus habebat eandem præſentiam, quam ſingula ſeorſim abſque penetratione habuiſſent. Nec enim illa præſentia capitis vniretur immediatè cum præſentia manus in eodem ſpatio, ſed cum præſentia colli in ſpatio proximo: quia ſicut caput non vnitur immediatè cum manu: ſic nec vbicatio capitis vnitur immediatè cum vbicatione manus: non haberet ergo illa vbicatio capitis aliquam vnibilitatem cum vbicatione manus in eodem ſpatio, ratione cuius argueretur ſupernaturalitas in ipſa, quoad ſubſtantiam. At verò, ſi in eodem omnino ſpatio eſſet manus cum parte ſibi proximè continua, tunc vbicatio manus deberet vniri immediatè cum vbicatione brachij in eadem parte ſpatij, quam vnibilitatem non habet vbicatio naturalis ipſius manus, vt diximus, & ideo deberet illa vbicatio tunc eſſe alterius rationis ab vbicatione naturali, & per conſequens intrinſecè ſupernaturalis; quod non ſequitur, ſi ſolum complicentur partes, & conuoluantur, dum non ponantur omnes in eadem parte ſpatij, vt conſideranti patebit.

Subſtantia ſeparata à quantitate non ſe reduceret ad punctum.

Sed quidquid ſit de hoc, ex alio capite probari poteſt ſupernaturalitas intrinſeca huius præſentiæ Sacramentalis, & differentia ſubſtantialis, quam habet ab omni præſentia naturali; quia nimirum præſentia naturalis, quam haberet manus Chriſti in hoc ſpatio, eſſet completa in ratione præſentiæ manus, nec peteret vllo modo compleri per aliam præſentiam eiuſdem manus: nam licet peteret continuari cum præſentia brachij, non tamen cum præſentia eiuſdem manus. At vero præſentia manus in Euchariſtia in hac parte ſpatij non ita eſt completa, vt non poſſit vniri cum præſentia eiuſdem manus in ſpatio proxima: ita vt manus in toto hoc ſpatio habeat plures præſentias partiales, ex quibus integratur vna præſentia totalis, per quam eſt manus in toto hoc ſpatio integro, & in qualibet eius parte; ergo hæc præſentia eſt entitatiuè diuerſa à præſentia naturali: illa enim non haberet vnibilitatem cum altera præſentia eiuſdem manus, qualem vnibilitatem habet hæc præſentia Euchariſtica. 168.

Probatur hæc ſupernaturalitas ex alio capite.

Dices, præſentiam manus in hac parte ſpatij non vniri cum præſentia eiuſdem manus in parte proximi ſpatij, ſed eſſe duas præſentias totales in ſuo genere inunibiles inter ſe, ſicut præſentias, quas habet eadem manus Chriſti in duabus hoſtiis, quæ quidem non vniuntur inter ſe. Sed contra, quia præſentia, quam habet Chriſti corpus in hac hoſtia, eſt ad modum ſubſtantiæ ſpiritualis, vt ſupra dixi; quare ſicut Angelus exiſtens in hoc gymnaſio, non exiſtit in eius partibus per plures vbicationes 169. *Dices.*

Reſpondeo.

totales, & adæquatas, ſed partiales & vnibiles inter ſe ad integrandam vnam præſentiam adæquatam Angeli, licet poſſet contrahere ſe, & manere in dimidio gymnaſio: ſic etiam corpus Chriſti exiſtens in hac hoſtia, licet poſſit exiſtere in dimidia, non tamen habet plures præſentias totales, ſed partiales & vnibiles ad integrandam vnam præſentiam integram in tota hac hoſtia: & ideo vt eſt præciſè ſub hac hoſtia, non dicitur eſſe in pluribus locis, ſed in vno adæquato, ſicut Angelus.

Hæc clarius procedunt in ſententia componente continuum ex partibus infinitis.

170. Hæc ratio clarius procedit in ſententia Ariſtotelia, & communi, componente quantitatem continuam ex partibus in infinitum diuiſibilibus; nam illa doctrina ſuppoſita, non videtur poſſe explicari, quomodo præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia ſit compoſita ex pluribus præſentiis naturalibus, quas ſingulas ſeorſim poſſet naturaliter habere corpus illud, & non miraculosè habet omnes illas ſimul. Non enim poteſt deſignari in omnibus his præſentiis partialibus aliqua, quæ ſeorſim poſſet naturaliter exiſtere: nam ſi conſideremus hanc præſentiam, provt eſt diuiſibilis in ordine ad ſpatium, inueniemus, quod manus Chriſti, v. g. habet præſentiam in toto ſpatio hoſtiæ, & nulla poteſt aſſignari præſentia etiam partialis totius manus, quam eandem poſſet naturaliter habere manus Chriſti, quia quælibet pars huius præſentiæ facit præſentem eandem totam manum pluribus partibus ſpatij, cum nulla ſit pars ſpatij, quæ non ſit diuiſibilis in plures; præſentia autem naturalis nunquam facit præſentem eandem partem ſubiecti pluribus partibus ſpatij, ſed commenſuratiuè ſingulas partes ſubiecti ſingulis partibus ſpatij: ergo nulla pars huius præſentiæ potuit naturaliter eſſe, quia nulla eſt pars aſſignabilis in hac præſentia, per quam non fiat eadem pars ſubiecti præſens pluribus partibus ſpatij, alioquin illa non eſſet pars, ſed indiuiſibile huius præſentiæ. Rurſus, ſi conſideremus eandem præſentiam, provt eſt diuiſibilis ex parte ſubiecti, inueniemus eodem modo, nullam poſſe aſſignari partem præſentiæ ſubiectiuam, per quam aliqua pars corporis Chriſti ſit in hac parte ſpatij, & per eandem non ſint præſentes plures partes corporis Chriſti eidem prorſus parti ſpatij: nam ſuppono, totum corpus Chriſti eſſe in qualibet parte ſpatij per præſentiam diuiſibilem pro diuiſibilitate eiuſdem corporis, atque adeo habentem tot partes præſentiæ, quot ſunt partes in ipſo corpore Chriſti, vt ſtatim dicam.

Præſentia naturalis nunquam facit præſentem eandem partem ſubiecti pluribus partibus ſpatij.

Nulla etiam præſentia naturalis facit plures partes ſubiecti præſentes eidem parti ſpatij.

171. Quo ſuppoſito, dico, nullam poſſe aſſignari partem præſentiæ, qua vna pars corporis Chriſti ſit in hac parte ſpatij, quæ eadem pars præſentiæ potuiſſet eſſe naturaliter: nam illa pars præſentiæ facit præſentes eidem prorſus parti ſpatij plures partes corporis Chriſti, cum nulla ſit pars corporis, quæ non ſit diuiſibilis in plures; naturaliter autem nunquam poſſunt plures partes corporis eſſe præſentes eidem prorſus parti ſpatij: ergo nulla aſſignatur partialis præſentia ex his, quæ ſunt in Euchariſtia, quæ eadem potuiſſet naturaliter eſſe. Quælibet enim, quantumvis exigua, ſi pars eſt, debet facere præſentes plures partes corporis eidem ſpatio, vel è contra eandem partem corporis pluribus partibus ſpatij; quorum neutrum naturaliter potuit eſſe. Vnde non video, quam conſequenter P. Rodericus Arriaga, qui ſe profitetur illam ſententiam communem, & Ariſtotelicam de compoſitione continui amplecti *diſp. 16. Phyſica. ſect. 12. num. 256.* ipſe tamen *diſp. 1. de Anima, ſect. 4. num. 12.* dicat, præſentiam hanc Sacramentalem corporis Chriſti non eſſe entitatiuè ſupernaturalem, ſed eandem omnino quoad ſuas partes intrinſecas, quæ naturaliter haberi potuiſſet. Cæterum adhuc licet neges, illam communem doctrinam, probatur ſupernaturalitas intrinſeca huius præſentiæ argumentis à nobis ſupra factis.

Arriaga.

Infertur hinc hanc præſentiam habere ex ſe intrinſecè penetrabilitatem cum aliis quantis.

Hinc infero; ſicut illa præſentia Euchariſtica habet ex ſe intrinſecè conſtituere eandem partem ſubiecti in pluribus partibus ſpatij, & plures partes ſubiecti in eadem parte ſpatij, & ex vtroque capite eſt ſupernaturalis; ſic habere ex ſe etiam intrinſecè penetrabilitatem cum aliis rebus quantis, ita vt ex vi illius præſentiæ non repugnet corpori Chriſti penetrari cum quolibet alio corpore, nec ſit neceſſarium nouum miraculum ad eam penetrationem: & ex hoc etiam capite eſt intrinſecè ſupernaturalis illa præſentia. Sic enim de facto corpus Chriſti habens illam præſentiam penetretur cũ ſpeciebus, & quantitate panis, quo pacto poſſet etiam penetrari cum qualibet alia quantitate, aut re quanta. Nec dicere debemus, id fieri per nouum miraculum; primo, quia cum ſit poſsibilis præſentia aliqua, quæ ex natura ſua non habeat non exigere impenetrationem actualem cum aliis rebus quantis, magis congruum videtur dicere, eam de facto poſitam fuiſſe in hoc myſterio, in quo ſemper debebat corpus Chriſti penetrari actu cum quantitate panis; ſicut propter eandem rationem diximus, eam præſentiam, quæ de facto poſita eſt, habere ex natura ſua ponere vnam partem Chriſti in pluribus partibus ſpatij. Secundo, quia vidimus, hanc eandem præſentiam de facto eſſe talem, vt ex natura ſua patiatur, imo exigat vnam partem corporis Chriſti penetrari cum aliis partibus quantis eiuſdem corporis: non eſt ergo illa præſentia ex natura ſua exigens impenetrationem ſui ſubiecti cum aliis rebus quantis, ſicut exigit præſentia naturalis; hæc enim non minus exigit manum meam non penetrari cum brachio meo, quam non penetrari cum brachio alterius hominis: cum ergo præſentia corporis Chriſti non impediat ex natura ſua penetrationem manus cum brachio, non eſt fundamentum ad dicendum, quod ex natura ſua impediat penetrationem cum brachio alterius, imo eſt fundamentum ad id negandum, cum aliæ præſentiæ naturales per id, per quod impediunt primam penetrationem, per idem ipſum impediant etiam ſecundam, & è contra. Eſt ergo in hoc etiam ſupernaturalis illa præſentia, quod ex vi illius non impediretur præſentia alterius corporis quanti in eodem ſpatio: de facto tamen impeditur propter quantitatem panis exiſtentem ibi, & non potentem penetrari cum quantitate noſtra. 172.

De facto tamen impeditur penetratio à quantitate panis.

Dices.

Dices, hac tota ratione probari quidem vbicationem corporis Chriſti eſſe ſupernaturalẽ in ſubſtantis, non tamen vbicationem, quam habet in Euchariſtia anima Chriſti: nam vbicatio animæ in primis non vnitur cum alia vbicatione animæ in eadem parte ſpatij; item licet vniatur cum alia vbicatione eiuſdem animæ in parte proxima ſpatij; hæc autem vnibilitas reperitur eodem modo in vbicatione naturali animæ, quæ etiam, dum naturaliter vbicatur, habet diuerſas partes vbicationis pro diuiſibilitate ſpatij (vt dixi in Philoſophia) & quidem vnitas etiam inter ſe ad integrandam vnam præſentiam totalem animæ; ergo nil habet peculiare vbicatio animæ Chriſti in Euchariſtia, per quod poſsit entitatiuà differre ab vbicatione eiuſdem animæ. 173.

Reſpondeo.

Reſpondeo, fatendo reuera me non inuenire rationem, qua ſufficienter probetur, præſentiam animæ Chriſti eſſe ſupernaturalem in ſubſtantia; nec video inconueniens in neganda tali ſupernaturalitate, ſi concedatur illa præſentia ſupernaturalis,

quoad

quoad modum; præſertim cum Auctores, qui concedunt, vel indicant, illam præſentiam eſſe ſupernaturalem, videantur ſolum loqui de præſentia corporis Chriſti, & nihil dicant de eius anima.

An præſentia Sacramentalis ex natura ſua repugnet cum alia.

174. *Quæſitum.* Petes primo, an, ſicut diximus præſentiam corporis Chriſti habere ex natura ſua compatibilitatem alterius corporis quanti, & omnium partium corporis Chriſti in eodem ſpatio, & replicationem earundem partium in ſingulis partibus ſpatij: ſic etiam poſſimus dicere, illam præſentiam differre ab aliis præſentiis naturalibus in hoc etiam, quod aliæ ita conſtituant corpus in hoc ſpatio vt exigant, illud non eſſe alibi, atque adeo repugnent ex natura ſua cum alia præſentia eiuſdem corporis in alio loco: hæc vero præſentia Sacramentalis non habeat eiuſmodi repugnantiam, ſed ſicut compatitur aliud corpus quantum in eodem ſpatio, ſic compatiatur ex natura ſua aliam præſentiam eiuſdem corporis Chriſti in alio loco diuerſo.

175. *Suarez. Vtrumque tuetur Suarez.* P. Suarez *in præſenti diſp.* 48 *sect.* :. vtrumque vt probabile tuetur, ſcilicet hanc præſentiam ex natura ſua eſſe multiplicabilem, ſeu non excludere aliam ſimilem præſentiam in alio ſpatio: & rurſus ex natura ſua repugnare etiam cum alia ſimili præſentia. Quoad primam partem, amplexi ſunt eandem ſententiam alij recentiores Theologi. *Fundamentum eſt quod non repugnet de poſſibili talis modus.* Præcipuum fundamentum hoc eſt, quod non repugnet de poſſibili talis modus præſentiæ, qui ex natura ſua non excludat aliam ſimilem præſentiam eiuſdem corporis in alio ſpatio: nam licet hoc prædicatum ſupernaturale eſſet, & diuerſum ab eo, quod habent omnes præſentiæ naturales; eſſet tamen connaturale illi præſentiæ, quæ ex hoc etiam capite eſſet ſupernaturalis. Sicut ergo omnes præſentiæ naturales corporis quanti excludunt præſentiam alterius corporis quanti ab eodem ſpatio, & circumſcribunt ſuum ſubiectum, ita vt commenſuretur loco, & ſit pars ſola in parte ſola loci; quorum neutrum habet præſentia Sacramentalis ex natura ſua, vt diximus; cur ſimiliter non dicemus; productam eſſe talem præſentiam, quæ ex natura ſua non excludat aliam ſimilem ſimul in alio ſpatio? Imo ſuppoſita inſtitutione huius myſterij, videtur ita dicendum, vt res ſuauius fiant, ne illæ aliæ præſentiæ continuam paterentur violentiam, ſi contra ſuam exigentiam idem corpus replicaretur in tot aliis locis: & ne dicamus, fieri nouum miraculum, quando, diuiſa hoſtia, manet corpus Chriſti ſub ſingulis partibus ſeparatis per duas præſentias totales. Denique, quia hæc præſentia talis eſt, vt non definiat corpus Chriſti alicui ſpatio determinato, cum poſsit in maiori, & in maiori hoſtia conſtitui Chriſtus abſque vllo termino; non eſt ergo præſentia definitiua, & concludens ex natura ſua corpus Chriſti intra hos terminos: ita vt non poſsit ſimul eſſe extra hoc ſpatium per aliam præſentiam.

176. *In hoc tamen hæc præſentia conuenit cum naturalibus.* Exiſtimo tamen, hanc præſentiam, licet ſupernaturalis ſit, conuenire cum aliis præſentiis naturalibus in hoc, quod ex natura ſua exigat, corpus illud non eſſe alibi per aliam præſentiam, ſiue ſimilem, ſiue diſsimilem huic. Et in primis, non video, quam conſequenter P. Suarez ex vna parte concedat, hanc præſentiam ex natura ſua compati aliam præſentiam ſimilem in alio loco: & ex alia parte in §. *Atque hinc ferè conſtat*, dicat, hanc præſentiam ex natura ſua repugnare cum præſentia circumſcriptiua in alio loco, eamque excludere. Hoc, inquam, non videtur ſatis conſequenter dictum. Si enim poſsibilis fuit præſentia, quæ ex natura ſua non exigat corpus Chriſti non eſſe in alio ſpatio diuerſo per aliam præſentiam ſimilem, cur non erit poſsibilis præſentia ex natura ſua non exigens, corpus Chriſti non eſſe in alio ſpatio circumſcriptiuè? Si autem poſsibilis eſt, debuit de facto produci, cum ex inſtitutione huius Sacramenti magis neceſſario ſequatur hæc ſecunda replicatio, quam illa prima: poteſt enim contingere, corpus Chriſti eſſe ſolùm in vno loco per præſentiam Sacramentalem: & non poteſt contingere, quod ſit Sacramentaliter in vno loco, & non ſit ſimul circumſcriptiuè in alio.

177. *Reſpondet Suarez.* Reſpondet Suarez repugnare ex natura ſua hanc præſentiam Sacramentalem cum circumſcriptiua; quia præſentia Sacramentalis includit inextenſionem in ordine ad locum, quæ videtur ex natura ſua pugnare cum extenſione, quam affert præſentia circumſcriptiua. *Impugnatur.* Sed contra; quia licet extenſio, & inextenſio repugnent in ordine ad idem ſpatium, non tamen apparet, cur magis repugnent in ordine ad diuerſa ſpatia, quam duæ aliæ præſentiæ: nam eſſe inextenſum hic, & extenſum alibi, eſt quod hic habeat omnes partes in qualibet parte huius ſpatij, & alibi non ſit hoc modo, ſed habeat ſingulas ſui partes in vna ſola parte illius ſpatij: non videtur autem repugnare aliqua præſentia ſupernaturalis; quæ petat, in hoc ſpatio eſſe omnes partes corporis in ſingulis partibus ſpatij: non tamen excludat, quod in alio ſpatio poſſint eſſe eædem partes corporis ſingulæ in vna ſolum parte ſpatij: cum enim illi ſint duo effectus diuerſi, poterit hæc præſentia petere vnum, & non excludere alium in ordine ad alium locum: quin certum eſt, illa duo non eſſe contradictoria, cum de facto vtrumque habeat Chriſti corpus; cur ergo non erit poſsibilis aliqua præſentia de potentia abſoluta, quæ ex natura ſua vnum illorum ſolum petat, & ab alio præſcindat, ſi poſsibilis eſt præſentia, quæ conſtituat corpus Chriſti, & præſcindat ab eo, quod ſit, vel non ſit in alio loco.

178. *Aliunde petẽ debet ratio repugnantiæ.* Aliunde ergo petenda videtur ratio repugnantiæ magis vniuerſalis ad vtrumque, & negandum etiam de potentia abſoluta poſſe fieri talem præſentiam, quæ ex natura ſua non petat ſubiectũ non eſſe alibi; ſaltem ſi id fieri poſsit ſalua eſſentia ipſius præſentiæ. Ratio autem deſumitur ex natura vbicationis, & præſentiæ, quæ cum ſit accidens rei vbicatæ, petit vniri cum ipſa: vnio autem realis, & phyſica affert ſecum hanc alligationem, vt ibi fuerit vnum extremũ, ſit etiam & aliud, vel certè petat, ne ponatur vnum extremum, vbi aliud poni non poteſt, vt dixi *diſp.* 11. *de Incarnat sect.* 7. & latius dicemus inferius agentes de iis, quæ ponuntur per concomitantiam in hoc Sacramento, *diſp.* 8. *sect.* 8. Cum ergo omnis vbicatio petat vniri phyſicè, & realiter cum ſubiecto, conſequens eſt, vt petat eſſe cum ſubiecto; atque ideo cum ipſa non poſsit ferri ad aliud ſpatium, in quo ſubiectum replicetur; petit ex natura ſua, ne ſubiectum alibi ſit, ne idcirco cogatur vbicatio vnita ſubiecto non comitari ſubiectum ſibi adhuc vnitum: hinc ergo fit, vt omnis vbicatio alliget ex natura ſua ſubiectum ad illud ſpatium, quia nimirum per vnionem phyſicam cum ſubiecto, quaſi per vinculum, & nexum tenet ſubiectum ne ſit alicubi ſine ipſa: quæ alligatio videtur eſſe formaliſſimus conceptus vnionis phyſicæ, & realis. Non poteſt ergo dari vbicatio realis, quæ ex ſua natura ſit indifferens ad hoc, vt ſubiectum ſit in alio ſpatio diuerſo per aliam vbicationem, ſiue ſimilem, ſiue diſsimilem: quia hæc indifferentia argueret, vbicationem illam non alligare phyſicè per vnionem

ſubiectum

ſubiectum ſibi, ſed relinquere illud æquè ſolutum, ſicut antea.

179. *Tamen forte poteſt excogitari aliqua vbicatio cuius eſſentia neceſſario requirit quod ſubiectum illius ſit de facto in aliquo alio ſpatio.*

Dixi tamen, omnem vbicationem debere ex natura ſua petere, ne ſubiectum ſit alibi, ſaltem ſi id fieri poſſit ſalua eſſentia ipſius præſentiæ, ſeu vbicationis: quia poteſt forraſſe excogitari aliqua vbicatio, cuius eſſentia requirat neceſſario, quod ſubiectū ipſius ſit de facto in aliquo alio ſpatio. Si Angelus, v.g. poſitus diuinitus in duobus locis diſtantibus cognoſcat intuitiue, ſe eſſe in illis duobus locis ſimul, illa viſio, ſeu cognitio erit conſequẽter in vtroque loco replicata cum Angelo; imo non poterit naturaliter non eſſe illa cognitio cum duobus locis, cum ea natura ſua ſupponat, Angelum exiſtere in vtroque loco, & petat eſſe vtrobique cum ſubiecto, cui inhæret. Loquendo ergo de vbicatione, qua illa cognitio eſſet in vno loco, v.g Romæ, illa vbicatio vniretur quidem phyſicè, & realiter cum illa cognitione; non tamen eſſet in vtroque loco cum eadem cognitione, cum vbicatio Romana non poſſet eſſe Neapoli; neque etiam peteret ea natura ſua, quod eius ſubiectum, ſcilicet cognitio illa non eſſet alibi, niſi in hoc ſpatio Romano. Cum enim eſſet per ſuam eſſentiam vbicatio cognitionis petentis eſſe ſimul in duplici loco, non poſſet eadem vbicatio petere, quod ſubiectum non eſſet in duplici loco: hoc enim videtur eſſe petere oppoſita, ſcilicet petere ſubiectum, cui connaturaliter debeatur hæc eadem vbicatio, & alia petere connaturaliter, quod ſubiectum non habeat hanc vbicationem, & aliam; in quibus videtur eſſe implicita contradictio: nam ſi ſubiectum petit connaturaliter vtramque illam vbicationem, quomodo poteſt vni ex illis deberi connaturaliter, quod non ponatur vtraque vbicatio? Non poteſt ergo illa vbicatio Romana petere connaturaliter, quod ſubiectum ſuum non habeat ſimul vbicationem in ſpatio Neapolitano.

180. Adhuc tamen in eo caſu verificatur regula vniuerſalis tradita cum illa limitatione, quam addidimus: nam illa vbicatio Romana, cum vere vniatur phyſicè ſuo ſubiecto, ſcilicet illi cognitioni intuitiuæ, alligat eam ſibi, quantum poteſt, ſalua ſua ſubſtantia. Petit enim in primis eſſe cum ſuo ſubiecto in hoc ſpatio; & vlterius petit ex natura ſua, ne ſuum ſubiectum ſit in alio ſpatio, niſi in illo, cuius debitum excludi non poteſt, ſalua ſubſtantia huius vbicationis; quia per ſuam eſſentiam ſupponit iam debitum duplicis ſpatij diuerſi. Hoc ergo ſufficiat, vt vere vniatur, & alligetur cum ſuo ſubiecto, petere ſcilicet eſſe cum illo, & ne illud ſit alibi, niſi in ſpatio, cuius debitum ſupponit eſſentialiter talis vbicatio; quia non poterat petere, ne poneretur etiam in illo ſpatio propter repugnantiam, quæ appareret in illa exigentia, vt viſum eſt.

181. *Hinc iam conſtat ad fundamentũ Suarez.*

Hinc iam conſtat reſponſio ad fundamenta P. Suarez: negamus enim, fuiſſe poſſibilem talem modum præſentiæ, quia ex natura ſua non peteret, corpus Chriſti non eſſe in alio ſpatio propter rationem à nobis aſſignatam. Non petit quidem hic modus præſentiæ, quod corpus Chriſti ſit in hac ſola parte hoſtiæ; poteſt enim iuxta naturam illius præſentiæ eſſe in tota hoſtia, & in maiori ſpatio, ſi hoſtia augeatur: hoc tamen non eſt contra exigentiam connaturalem præſentiæ, quia hæc eo quod vnita eſt, ſolùm petit, quod corpus Chriſti non ſit extra totum ſpatium, quod occupat hæc præſentia totalis. Sicut & aliæ formæ accidentales, quæ vniuntur alicui ſubiecto, non petunt eſſe in ſingulis partibus ſpatij, in quo eſt ſubiectum: nam intellectiones, quæ ſunt in anima, non ſunt in toto ſpatio, quod noſtra anima occupat in corpore, ſed ſolum in ſpatio capitis; petunt tamen animam non poni in aliquo alio ſpatio diuerſo, v.g Neapoli ſine eiſdem intellectionibus. Similiter ſi Angelus ſit in hac aula per vbicationem diuiſibilem, ſingulæ partes illius vbicationis non petunt eſſe in ſingulis partibus aulæ, in quibus eſt idem Angelus; nec petunt, quod Angelus non ſit in aliis partibus aulæ; niſi in hac, in qua eſt hæc pars vbicationis: petunt tamen, ne Angelus ſit alibi in alio ſpatio extra hoc ſpatium totale, qui adeſt per hanc totalem vbicationem. Rationem autem diſcriminis, cur magis petant vnum, quam aliud, reddemus latius infra dicta *diſp.* 8. agentes de concomitantia in hoc Sacramento.

Similiter conſtat, non rectè argui ex inſtitutione huius Sacramenti, aut ex modo præſentiæ, quam Chriſtus habet, quòd habeat etiam illam multiplicabilitatem connaturalem ipſi præſentiæ: nam licet poſſit eſſe in maiori, & maiori ſpatio, ſi ſpecies conſecrabiles augeantur, & hoc non ſit contra exigentiam illius præſentiæ; non tamen poteſt eſſe in alio ſpatio diuerſo: non eſt autem contra exigentiam præſentiæ, quod ſubiectum ſit in alia parte ſpatij per aliam partem præſentiæ facientem vnam integram cum hac alia parte; eſſet autem contra exigentiam præſentiæ, ſi eſſet in alio ſpatio per aliam præſentiam omnino diſtinctam, & diuerſam ab iſta. Nec eſt idem, poſſe idem corpus replicari in diuerſis partibus eiuſdem ſpatij, aut poſſe replicari in alio ſpatio omnino diuerſo; nam per illam primam replicationem non eſt ſubiectum alibi ſimpliciter, ſed alibi ſecundum quid, hoc eſt, non in alio ſpatio, nec per aliam vbicationem, ſed in alia parte eiuſdem ſpatij, & per aliam partem eiuſdem vbicationis. 182. *Nec bene arguitur multiplicabilitas connaturalis ex inſtitutione huius Sacramenti.*

An hæc præſentia ſit definitiua.

Hinc etiam conſtat, an hæc præſentia Sacramentalis corporis Chriſti dicenda ſit definitiua, necne? Aliqui negant, eſſe definitiuã, quos ſequitur Suar. *d.* *ſect.* ..§ *vlt. ex dictũ*, quibus videtur fauere S.Thom. *infra q.* 76 *art.* 5. Alij vocant definitiuam, vt Gabriel, & Palud. quos affert idem Suarez. Sed quæſtio eſt de vocibus. Certum enim eſt, per hanc præſentiam non conſtitui corpus Chriſti definitiue in actu ſecundo, hoc eſt, ita vt de facto non ſit extra terminos ipſius, cum de facto ſit idem corpus in cœlo, & in aliis hoſtiis conſecratis: in quo ſenſu videtur loqui S. Thomas loco proximè citato. Certum etiam eſt, non definiri per hanc præſentiam in actu primo corpus Chriſti ad hoc, vt non poſſit extendi vltra talem terminum magnitudinis ſpatij; quia præſentia hæc Sacramentalis, non eſt ſicut præſentia animæ rationalis, vel Angeli, quibus natura ipſa taxat tantum, vel tantum ſpatij, quod excedere non poteſt eorum præſentia: hæc autem præſentia corporis Chriſti non arctatur ad aliquam certam menſuram, ſed quantum eſt de ſe, poteſt creſcere, & extendi magis, & magis. Cæterum licet in hoc differat ab aliis præſentiis definitiuis, poteſt tamen adhuc dici definitiua, quatenus ea ſe habet continere corpus Chriſti intra aliquod ſpatium finitum; quodcumque illud ſit, ita vt extra illud eſſe non poſſit, connaturaliter loquendo. Nam licet hæc præſentia non taxet ſibi determinate tantum ſpatium, indeterminate tamen, & vage petit habere ſemper aliquod ſpatium finitum, extra quod non poſſit connaturaliter eſſe idem corpus Chriſti; & in hoc ſenſu ſaltem indeterminate definit corpus illud, quantum eſt ex ſe, vt non poſſit extra illos terminos vagari. 183. Suarez. S.Thom. *Quæſtio de nomine.* *Poteſt tamen dici hæc præſentia definitiua.*

184. *Vrgent adhuc aliqui.*

Vrgent adhuc aliqui; quia ſi hæc præſentia Sacramentalis ex natura ſua exigit, corpus Chriſti

non

non eſſe alibi, ſequitur, quod facta conſecratione, & poſito Chriſti corpore ſub ſpeciebus panis, non poſſit idem corpus manere in cœlo abſque nouo miraculo, atque adeo ex vi huius præſentiæ Sacramentalis reddi corpus Chriſti immobile, cum naturali ſua virtute non poſſit amplius acquirere præſentiam in cœlo, impediente nimirum illum motum hac præſentia Sacramentali; quæ omnia ſunt omnino incredibilia.

Reſpondetur. Reſpondetur ex dictis ſupra ſect. 1. num. 26. ſicut ſi Petrus exiſtens Romæ replicaretur diuinitus Neapoli, vtraque præſentia eſſet miraculoſa quoad modum, poſſet tamen vtroque loco ſe mouere ex ſuppoſitione primi miraculi, iuxta id, quod diximus in eo loco; ſic poſito corpore Chriſti ſub ſpeciebus panis, eſſe miraculum, quod ſimul alibi maneat; ex ſuppoſitione tamen illius miraculi deberi in cœlo concurſum illi corpori ad ſuos motus naturales exercendos, propter rationem ibi latius explicatam.

185. *Quæſitum.* Petes ſecundo, quomodo vniantur iſtæ vbicationes inter ſe; an præſentia manus in hac parte ſpatij vniatur immediatè cum præſentia brachij in parte proxima ſpatij? *Satisfit.* Reſpondeo præſentiam manus in hac parte ſpatij vniri immediatè cum præſentia brachij in eadem parte ſpatij, & cum præſentia eiuſdem manus in parte proxima ſpatij, non verò cum præſentia brachij in parte proxima ſpatij: nam illæ ſolùm vniones ſunt ponendæ, quæ exiguntur ad hoc, quod in eadem parte ſpatij corpus Chriſti ſit præſens per vnam vbicationem: & ad hoc, quod eadem manus ſit præſens toti ſpatio per vnã etiam vbicationem: ad hoc autem non requiritur, quod vbicatio manus in hac parte ſpatij vniatur immediatè cum vbicatione, quam habet brachium in alia parte ſpatij. Sicut etiam de facto, quando Angelus eſt præſens huic gymnaſio præſentia diuiſibili, licet natura Angeli habeat diſtinctum modum vbicationis, & ſubſtantia Angeli habeat etiam ſuum modum vbicationis proprium: & licet vbicatio, quam habet natura in hac parte ſpatij, vniatur cum vbicatione eiuſdem naturæ in parte proxima ſpatij, non tamen vnitur cum vbicatione, quam habet ſubſiſtentia in parte proxima ſpatij, ſed omnes partes vbicationis naturæ vniuntur inter ſe, & omnes partes vbicationis ſubſiſtentiæ vniuntur inter ſe: & ſicut etiam calor intenſus vt quatuor, qui eſt in ſubiecto extenſo, licet continuetur per totum ſubiectum, non tamen ita, vt ſinguli gradus huius partis ſubiecti vniantur immediatè cum ſingulis gradibus alterius partis, ſed primus gradus huius partis continuatur immediatè cum primo gradu alterius partis, non cum ſecundo: & ſecundus cum ſecundo, ita vt totus primus ſit continuus, & totus ſecundus ſit continuus, &c. alioquin daretur magna, & impertinens confuſio vnionum, vt conſideranti patebit: non enim vacat in his ampliùs immorari.

SECTIO VIII.

Vtrum præſentia Sacramentalis Chriſti pendeat à præſentia naturali?

186. *Primò ſupponitur.* SVppono primò, aliud eſſe quærere, an ex natura rei præſentia Sacramentalis per habitudinem intrinſecam, & connexionem, quam habet, præſupponat præſentiam naturalem; aliud verò, an de facto ex inſtitutione huius Sacramenti pendeat vna præſentia ab alia, licet aliàs potuerit eſſe Sacramentalis ſine naturali? *Supponitur ſecundò.* Suppono ſecundo, hanc dependentiam, vel exigentiam poſſe conſiderari, vel in primo inſtanti ſeu fieri conſecrationis, vel etiam in toto tempore, quo conſeruatur præſentia Sacramentalis; & in vtroque ſenſu procedit quæſtio.

187. *Concluſio prima.* His ſuppoſitis, dico primò: ex natura rei præſentia Chriſti Sacramentalis non poſtulat ex ſe præſentiam Chriſti naturalem, nec cum illa habet aliquam connexionem. *Suarez.* Hanc docet Suarez cum communi *in præſenti diſp. 48. ſect. 2.* *Vaſquez.* Vaſquez *diſp. 192. c. 1.* vbi plures affert: & *Probatur.* probatur breuiter, quia nullũ datur probabile fundamentum huius intrinſecæ connexionis inter has duas præſentias magis, quam inter duas præſentias Sacramentales aut naturales: imò ſi res attentè conſideretur, potius præſentia Sacramentalis, quantum eſt de ſe, poſtulat, quod corpus Chriſti non habeat præſentiã naturalem, vt ſupra diximus; nam quælibet præſentia definitiua adæquata habet ponere ſubiectum ibi taliter, vt non ſit alibi: ergo præſentia Sacramẽtalis Chriſti nõ poſtulat ex ſe præſentiam naturalem, imò potius ex ſe poſtulat, quod non habeat Chriſtus aliam præſentiam, niſi illam.

188. *Inſtantia.* Dices, præſentia Sacramentalis poſtulat ex ſe corpus Chriſti exiſtens, vt patet: ſed corpus Chriſti dependet ſaltem à poſteriori à præſentia naturali, ſine qua non poteſt naturaliter eſſe: ergo præſentia Sacramentalis dependet ſaltem mediatè à præſentia naturali. *Diluitur.* Reſpondeo; hoc argumentum probaret etiam, creationem quantitatis poſtulare ex ſe eductionem eiuſdem quantitatis è ſubiecto: quia illa creatio non poteſt eſſe ſine quantitate, & quantitas non poteſt naturaliter eſſe ſine eductione è ſubiecto: ergo creatio poſtulat mediatè illam eductionem. Non ergo valet conſequentia ad hanc exigentiam mediatam, quia creatio petit quantitatem tollendo ab ipſa dependentiam ab eductione. Similiter præſentia Sacramentalis pendet à corpore Chriſti tollendo tamen ab ipſo quantum eſt de ſe, quod pendeat à præſentia naturali.

189. *Illatio prima.* Hinc infero primo, poſſe quantum eſt ex parte huius præſentiæ, conſeruari corpus Chriſti ſub ſpeciebus, licet alibi annihiletur: nam licet ex natura rei habeat in Euchariſtia eaſdem mutationes, & formas, quas accipit in cœlo; hoc tamen intelligendum eſt de iis, quæ poſſunt poni per concomitantiam: at vero ſi in cœlo annihilaretur humanitas Chriſti, iam tolleretur fundamentum concomitantiæ, quæ conſiſtit in hoc, quod corpus exiſtens in duobus locis, habet eaſdem formas, & accidentia in vtroque loco: tunc autem iam illud corpus non exiſteret in duobus locis, ſed ſolum in Euchariſtia.

190. *Illatio ſecunda.* Infero ſecundo, potuiſſe, quantum eſt ex parte præſentiæ, poni corpus Chriſti ſub ſpeciebus, ſicut modo, ante Incarnationem factam in vtero Virginis. An vero tunc eſſet idem Sacramentum Euchariſtiæ, pendet ex poſtea dicendis. Aliqui dicunt non potuiſſe tunc repræſentare mortem Chriſti, ſicut modo. Sed immeritò: quia hoc Sacramentum non videtur habere ex ſe determinatè ſignificare mortem Chriſti, vt præteritam: nam in cœna habuit totam rationem Sacramenti, quam modo habet; & totam ſignificationem; & tamen tunc non ſignificauit mortem Chriſti vt præteritam; ergo ex ſe ſolum habet ſignificare mortem Chriſti tali tẽpore exercitam, præſcindendo ab eo, quod ſit præterita vel futura; ergo eodem modo ante Incarnationem potuiſſet ſignificare mortem Chriſti.

191. *Concluſio ſecunda.* Dico ſecundo, nec etiam de facto ex inſtitutione huius Sacramenti pendet neceſſario præſentia Sacramentalis à naturali, quam habet corpus Chriſti in cœlo. Itaque etiamſi corpus Chriſti Domini deſineret eſſe in cœlo, non ideo ex inſtitutione huius Sacramenti ſequeretur, quod deſineret eſſe ſub ſpeciebus conſecratis.

Hæc

192. *Suarez.* Hæc eſt contra P. Suarez vbi ſupra concluſione ſecunda, cuius rationes ſunt parum efficaces, & ideo ex earum ſolutione oſtendetur probabilitas noſtræ concluſionis. Fundatur enim præcipuè, in eo

Fundamentum contrariæ ſententiæ. quod humanitas Chriſti ſit principium phyſicè influens ad præſentiam Sacramentalem; quare licet verba habeant concurſum partialem; quia tamen tunc deeſſet concurſus Chriſti, qui eſt quaſi inſtrumentorum vniuerſale ad effectus Sacramentorum,

Primo euertitur. ideo verba non haberent effectum. Verum hæc ratio vtrinque videtur deficere; nam in primis ſine fundamento ponitur humanitas Chriſti habere illum concurſum Phyſicum inſtrumentalem ad omnes effectus Sacramentorum. Deinde licet hoc gratis admitteretur, non ſequitur ex hoc, quod prærequiratur corpus Chriſti alibi exiſtens cum præſentia naturali: ſufficeret præſupponi corpus Chriſti præexiſtens prius natura præſcindendo ab hac, vel illa præſentia. Nam ſicut de facto corpus Chriſti eſt cauſa materialis ſuæ præſentiæ naturalis; ad quam præſupponitur exiſtens in priori naturæ, non quidem cum alia præſentia, ſed ſecundū ſe: ita licet corpus Chriſti eſſet cauſa efficiens Phyſica præſentiæ Sacramentalis: ſufficeret præſupponi exiſtens prius natura ſecundū ſe abſtrahendo à præſentia naturali vel Sacramentali: potuit enim Deus (vt poſtea videbimus) pro illo inſtanti velle conſeruare corpus Chriſti independenter à verbis conſecrationis, & tamē de facto dare illi ſolam præſentiam Sacramentalem dependentem à verbis, & ab ipſo Chriſto.

193. *Secundo impugnatur. Suarez.* Secundo impugnatur eadem ratio: quia ponamus, poſt conſecrationem factam deſtrui humanitatem Chriſti in cœlo, perſeueraret in Euchariſtia, quod magis probabile cenſet Suarez *d. ſect. 2. in fin.* nam licet in fieri pendeat effectus verborum à Chriſto alibi exiſtente, non tamen in conſeruari ſicut nec alij effectus Sacramentales: tunc ergo cur non poſſet alibi conſecrari etiam, & poni corpus Chriſti ſub aliis ſpeciebus: nam licet non præexiſteret Chriſtus cum præſentia naturali, præexiſtebat tamen iam alibi Sacramentaliter, & vt ibi exiſtens poſſet concurrere cum verbis ad ſecundam præſentiam efficiendam: ergo ex vi huius inſtitutionis poſſet fieri noua conſecratio, etiamſi non ſupponeretur Chriſtus exiſtens cum præſentia naturali.

194. *Tertio impugnatur.* Tertio impugnatur, quia etiamſi hæc phyſica efficientia concedenda eſſet, ſufficeret quod præſupponeretur anima Chriſti exiſtens cum ſua præſentia naturali, licet eius corpus alibi non exiſteret: nam hæc efficientia magis competit animæ, quam Corpori, vt fatetur ipſe Suarez *d. ſect. 2. ante §. vltimum*: ergo poſſet etiam ex vi huius inſtitutionis corpus Chriſti accipere præſentiam Sacramentalem, licet nullibi haberet præſentiam naturalem.

195. *Inſtantia.* Dices, ex vi præſentis inſtitutionis Sacerdos non poteſt conſecrare, niſi vt miniſter Chriſti, & loquēs nomine Chriſti; ergo ex vi præſentis inſtitutionis prærequiritur Chriſtus exiſtens in rerum natura,

Reſpondeo. vt verba ſortiantur effectum. Sed contra: quia ad ſummum ſufficeret Chriſtum exiſtere Sacramentaliter ſub aliis ſpeciebus: quia Sacerdos non debet neceſſario loqui nomine Chriſti exiſtentis naturaliter, ſed nomine Chriſti quomodocumque exiſtentis. Deinde, fortaſſe non requiritur, quod ſupponatur exiſtens humanitas Chriſti: ſufficit, præſupponi animam Chriſti, vt ipſius nomine poſſit loqui Sacerdos tanquam eius miniſter, & vt loquutio ſacerdotis moraliter ſit loquutio animæ Chriſti, ſicut de facto in triduo, dicunt communiter, quod potuit conſecrari corpus Chriſti, & tamen tunc Sacerdos loqueretur nomine Chriſti, quia tunc non erat Chriſtus; ſed ſolum nomine animæ Chriſti, penes quam reſidebat moraliter voluntas præterita ſubſtituendi ſibi talem miniſtrum ad operandum; ergo non prærequiritur ad hoc præſentia naturalis corporis Chriſti: nam etſi tunc corpus Chriſti habebat etiam in ſepulchro ſuam præſentiam naturalem, hoc tamen erat per accidens; quia etiamſi non haberet talem præſentiam, poſſet Sacerdos operari nomine animæ Chriſti.

Dices, ponamus, quod corpus Chriſti in ſua præſentia naturali fuiſſet redactum ad cineres: tunc poneretur ne Sacramentaliter organizatum, an ſub 196 *Inſtantia.*

forma cinerum? Reſpondeo, mihi valde probabile *Reſpondeo.*

eſſe, quod poneretur organizatum: alioquin non verificarentur verba conſecrationis, quæ ſignificant corpus humanum: nam cineres propriè loquendo non ſunt corpus humanum. Dices, materia Chriſti *Inſtabis.*

in Euchariſtia debet habere per concomitantiam ea, quæ habet alibi: ſed alibi haberet formam cineris: ergo & in Euchariſtia. Reſponderi poteſt pri- *Reſpondetur.*

mo, materiam Chriſti habere debere in Euchariſtia, quæ alibi habet, ſi aliunde non obſtent veritati verborum: at vero forma cinerum obſtaret veritati verborum: & ideo ex vi præſentis inſtitutionis non eſſet ponenda in Euchariſtia, licet forſitan ad hoc eſſet neceſſarium aliud miraculum. Petes, qua- *Quæſitum.*

lis ergo forma ſubſtantialis ibi poneretur tunc cum materia? Reſpondeo, nullam, ſed ſolum organiza- *Satisfit.*

tionem accidentalem ſufficientem, vt materia diceretur corpus Chriſti, non vero formam cinerum ob rationem traditam: nec item formam cadaueris, aut animam rationalem, quia hæ ſolum ponuntur per concomitantiam, eo quod alibi informent illam materiam: ergo cum hæc ratio tunc ceſſaret, nulla forma ſubſtantialis ponenda eſſet, ſed id præciſè, quod requireretur ad verificanda verba.

Secundo reſponderi poteſt, licet poneretur tunc 197. *Secundo reſpondetur.*

forma cinerum per concomitantiam, id non obſtare veritati verborum: quia ſicut non de calice dicitur: *hic eſt ſanguis, &c.* licet ibi adſit corpus, quia nimirum verba verificantur de illo, quod ſubſtat accidentibus loco vini, quod eſt ſolus ſanguis: ſic in illo caſu, licèt ibi eſſet forma cineris per concomitantiam: poſſet verè dici: *hoc eſt corpus meum*: quia verba verificarentur de illo, quod ponitur ex vi verborum, & ſubſtat ſpeciebus loco panis, quod ſolum eſſet materia illa cum aliqua organizatione humana.

Vrgebis adhuc, quia ſi non exiſteret alibi cor- 198. *Vrgebis.*

pus Chriſti, non poſſent verificari verba de corpore, quod poneretur ſub ſpeciebus; quia de illo non poſſet dicere anima Chriſti eſſe ſuum corpus: cur enim magis de illo, quam de alio quocumque? Nec ſatisfacit dicere, quod illud fuit antea corpus illius animæ; quia *ly corpus meum*, in verbis conſecrationis non ſupponit pro quocumque corpore, quod antea informatum fuerit ab anima Chriſti, ſed pro corpore, quod tunc eſt ſuum: alioquin ex vi verborum ſufficeret modo ponere corpus infantile, quod habuit Chriſtus, & nihil aliud, quod nemo dicet; imo in rigore non ſufficit ponere, quod habuit in cœna, ſed quod modo habet in cœlo; & ideo præputium etiam ponitur nunc ex vi verborum, vt infra videbimus; ergo in prædicto caſu non verificarentur verba ponendo corpus, quod antea ſolum fuerat Chriſti.

Reſpondeo, illa verba, *corpus meum*, debere veri- *Reſpondeo.*

ficari in rigoroſa ſignificatione: hæc autem eſt, vt ſi loquens habeat de præſenti corpus, ſignificent

illud; ſi vero nunc nullum habet, ſed eſt ſola anima, intelligantur de corpore, ſub quo vltimo fuit tempore mortis: de illo enim dicimus in rigore: hoc eſt corpus S. Petri, id eſt, cum quo vltimo exiſtit S. Petrus; & ideo ad veritatem verborum ſufficeret ponere corpus humanum, quod vltimo habuit anima Chriſti, ſi nunc de præſenti nullum haberet.

199. *Infertur præſentiam Sacramentalem non pendere neceſſario à præſentia naturali corporis Chriſti.*

Ex his ergo concludi videtur, ex vi præſentis inſtitutionis præſentiam Sacramentalem non pendere neceſſario à præſentia naturali corporis Chriſti, ſed ad ſummum prærequiri Chriſtum, & fortaſsè ſ. iam animam alicubi exiſtentem naturaliter, vt Sacerdos poſſit operari nomine ipſius; ſi enim nec ipſa anima exiſteret, non poſſet loquutio Sacerdotis intelligi, quod eſſet loquutio Chriſti, cum nec Chriſtus, nec eius anima eſſet, & per conſequens non poſſet cenſeri retinere primam voluntatem ſubſtituendi talem miniſtrum, vt illa actio eſſet moraliter actio Chriſti. Ad hoc tamen, vt prædixi, ſufficit exiſtentia animæ: imo in vltimo inſtanti prolationis verborum forſitan non prærequireretur anima Chriſti alibi exiſtens, ſed ſufficeret præſupponi in quodam priori exiſtens tunc ipſa anima ſecundum ſe, vt ſic ipſi tribueretur illa loquutio, & ab ipſa cenſeretur moraliter procedere, licet non præſupponeretur cum alia præſentia, ſed poſtea in poſteriori eſſet præſens in ſola Euchariſtia. Nam ſicut ipſa anima præſupponeretur modo ad ſuam præſentiam naturalem in genere cauſæ materialis, & non cum alia præſentia, ſed ſolum ſecundum ſe, ita poſſet tunc præſupponi ſecundum ſe in genere cauſæ efficientis moralis ad ſuam præſentiam Sacramentalem, quam ſolum haberet in poſteriori; quod poſſet contingere, ſi Deus tunc vellet conſeruare animam Chriſti independenter à verbis: dare tamen illi ſolam præſentiam Sacramentalem, & hanc dependenter à verbis; in quo nulla apparet repugnantia in ordine ad potentiam Dei abſolutam.

100. *Nec prærequiritur anima præexiſtens.*

Adde, nec prærequiri animam exiſtentem cum præſentia naturali, ſed ſufficere, quod præexiſteret cum præſentia ſupernaturali ſub aliis ſpeciebus conſecratis; quia (vt dixi) Chriſtus exiſtens in alia hoſtia poſſet intelligi ſubſtituere ſibi miniſtrum, per quem offerat, & conſecret aliam hoſtiam, licet nullibi intelligeretur habere præſentiam naturalem; præſertim cum eiuſmodi operatio moralis, qualis eſt operatio per miniſtrum, non videatur exigere præſentiam naturalem cum aliis conditionibus requiſitis ad operationem phyſicam exercendam; nam licet Chriſtus prout in Euchariſtia non poſſit exercere operationes phyſicas materiales, quæ exigunt debitam extenſionem localem, & applicationem agentis: poteſt tamen exercere operationes morales, maximè quæ ſolum conſiſtunt in denominatione à voluntate præterita non retractata, qualis eſt operatio, quam exercet per miniſtrum eius nomine conſecrantem.

101. *Nec fortè prærequiritur exiſtens humanitas.*

Denique, dixi, *fortaſſe* non requiri, quod ſupponatur exiſtens humanitas, ſed ſola anima: hoc enim non eſt omnino certum; poſſet quippe cum aliis dici, requiri ex vi præſentis inſtitutionis, quod exiſtat Chriſtus homo: quia anima ſola non eſt Sacerdos, ſed homo, & ideo debet exiſtere Chriſtus homo, qui ſit Sacerdos, & offerat ſacrificium miniſterio aliorum Sacerdotum, de quo dicemus infra agentes de ſacrificio *diſp.* 19 *ſect.* 6. Conſequenter autem dicendum eſſet, potuiſſe quidem in triduo conſeruari Sacramentum hoc conſecratum ante Chriſti mortem, & tunc futurum ſub ſpeciebus panis corpus Chriſti abſque anima, & ſanguine, non tamen potuiſſe de nouo conſecrari in illo triduo propter defectum Chriſti Sacerdotis, qui cum ſuo miniſtro conſecrarat, atque ideo ad conſecrationem prærequiri ſemper corpus Chriſti exiſtens, non tamen exiſtens cum præſentia naturali: nam ſicut diximus de anima; ſic dicendum eſſet de corpore, ſi exiſteret ſolum Sacramentaliter in alia hoſtia, id ſufficere, vt Chriſtus ibi exiſtens poſſet moraliter operari per ſuos miniſtros ad conſecrandam aliam hoſtiam: atque adeo neque illa ſententia ſuppoſita, dicendum eſt, præſentiam Sacramentalem ex vi inſtitutionis huius Sacramenti pendere neceſſario à præſentia naturali corporis Chriſti.

DISPVTATIO VI.

De Vnione Corporis & Sanguinis Chriſti cum Speciebus.

SECTIO I. *De vnione corporis, & ſanguinis Chriſti, variæ ſententiæ.*

SECTIO II. *Explicatur vnio corporis, & ſanguinis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus.*

SECTIO III. *Quæ denominationes tribuantur corpori Chriſti ratione ſpecierum: vbi, vtrum corpus Chriſti in Euchariſtia dicatur eſſe in loco.*

1. *Chriſtus habet aliam maiorem vnionem cum ſpeciebus quam præſentiam.*

HVcvsqve ſolum egimus de præſentia, quam habet Chriſtus in ordine ad ſpatium, in quo ſunt ſpecies: & licet hæc præſentia ad hoc, vt dicatur Chriſtus eſſe præſens ſpeciebus, non tamen videtur ſufficiens ad hoc, quod dicatur contineri ſub ſpeciebus, & demonſtrari per ſpecies; nam licet Angelus eſſet intimè præſens alicui cubiculo, vel etiam ſpeciebus; non poſſumus dicere, *hoc eſt Angelus*, ſicut dicimus, *hoc eſt corpus Chriſti*. Ponenda eſt ergo aliqua maior vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus, ratione cuius corpus Chriſti verè dicatur comedi & deglutiri, quando comeduntur ſpecies, & ratione cuius corpus Chriſti dicatur etiam moueri localiter ab eo, à quo mouentur ſpecies, quæ omnia inducant aliquam vnionem intercedere inter corpus Chriſti, & ſpecies.

SECTIO I.

De vnione corporis, & ſanguinis Chriſti, variæ ſententiæ.

2. QValis ſit hæc vnio, difficilè explicatur. Certum eſt enim apud omnes Theologos, non eſſe vnionem inhærentiæ, qualis erat inter ſubſtantiam panis, & eius accidentia; tum quia certum eſt, accidentia panis manere ſine ſubiecto, vt habetur in Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 8. tum quia corpus Chriſti non afficitur ab accidentibus panis, ſicut panis: non enim patitur Chriſtus per calorem, vel frigus ſpecierum, neque immutatur ab agentibus extrinſecis, quæ agunt in ſpecies: ideo non pauci dicunt, illam eſſe vnionem inexplicabilem, & ineffabilem; quia eſt longè diuerſa ab omnibus aliis, quas experimur. Verum hæc reſponſio non ſatisfacit omnino; dat enim aliquam anſam hæreticis negandi poſſibilitatem myſterij, quod ad has anguſtias adducit mentem noſtram, vt eius poſſibilitatem non poſſit concipere; ſicut daretur anſa negandi myſterium Incarnationis, ſi non explicaretur

Conc. Conſt.

Difficillè certè explicatur hæc vnio.

qualis eſſet vnio naturæ humanæ cum Verbo, ſcilicet ad Hypoſtaſim Verbi, & vt ſubſiſteret humanitas. Adde, non poſſe concipi albedinem panis vnitam corpori Chriſti, quin tribuat illi aliquem effectum formalem, quem tamen non poteris facilè explicare.

3. Dices, accidentia panis eo ipſo, quod incipiant eſſe per ſe ſine ſubiecto, petere aliquem modum poſitiuum, quo ſubſiſtant ad modum ſubſtantiæ; quare ſicut humanitas, quia petit hunc modum poſitiuum ſubſiſtentiæ, potuit vniri Verbo ſupplenti defectum propriæ ſubſiſtentiæ reſpectu humanitatis, & illam humanitatem terminanti; ſic etiam accidentia panis vniuntur quaſi hypoſtaticè corpori Chriſti, vt terminentur per illud, & ſubſiſtant in illud. In quem modum dicendi ſe propenſum oſtendit Alanus *lib. 1. c. 34. 35. & ſeqq.* licet non audeat affirmare: & ſanè merito non audet, quia talis vnio deberet eſſe non tam cum corpore Chriſti, quod non eſt ſubſiſtentia, nec habet propriam ſubſiſtentiam, quam cum ipſa perſonalitate Verbi, per quam ſubſiſtit humanitas Chriſti. Ex hoc autem ſequitur primo, perſonalitatem Verbi eſſe in Euchariſtia per ſe ex vi verborum contra ea, quæ infra ex Tridentino dicemus: patet ſequela, quia illa vnio requireretur ad continentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, quæ ſignificatur per verba. Deinde adhuc illa vnio non ſufficeret ad veritatem verborum; nam ex illa vnione non fit, quod corpus Chriſti contineatur ſub ſpeciebus, cum illa vnio eſſet præciſe cum ſubſiſtentia Verbi; hæc autem ſubſiſtentia poſſit eſſe præſens ibi, quin ibi ſit corpus Chriſti, vt de ſe conſtat, conſequens eſt, vt tota illa vnio poſſet manere, quin adeſſet ibi corpus Chriſti; ergo alia vnio ponenda eſt cum ipſo corpore Chriſti; nam illa per accidens ſe habet omnino ad corpus Chriſti.

Alanus dicit accidentia vniri quaſi hypoſtaticè corpori Chriſti, & in illo ſubſiſtere.

Alanus.

Reiicitur hic explicandi modus.

4. Scotus, & alij, quos refert Suarez in præſenti, *diſp. 48. ſect. 3.* negant omnem vnionem inter Chriſtum, & ſpecies, præter inſeparabilitatem quandam ex pacto Diuino. Verum hæc ſententia merito reiicitur communiter: quia etiam ſi Angelus penetraretur localiter cum ſpeciebus, cum voluntate non recedendi ab eis, non diceremus: *Hoc eſt Angelus*; ergo aliquid aliud habet corpus Chriſti reſpectu ſpecierum.

Scotus.

Scotus ponit tantum inſeparabilitatem ex pacto diuino.

Reiicitur.

5. Dicunt ergo aliqui, vnionem propriam eſſe poſſibilem talem, vt licet non faciat accidentia inhærere corpori Chriſti, faciat tamen corpus Chriſti connecti cum illis accidentibus, ita vt non poſſint moueri localiter accidentia panis, quin moueatur etiam corpus Chriſti; hæc enim colligatio eſt propria vnionis phyſicæ; quare in ordine ad hanc colligationem poteſt intelligi corpus Chriſti vnitum phyſicè per modum poſitiuum intrinſecum, & inhærentem corpori Chriſti, terminatum vero ad accidentia panis, quæ reſpiciat, non vt ſubiectum, ſed ſolum vt terminum, cui vnit corpus Chriſti. Hac autem vnione poſita, melius explicatur continentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus: debet enim contineri, quantum fieri poteſt, eo modo, quo prius continebatur ſubſtantia panis, ablata tamen ſuſtentatione, ne corpus Chriſti denominetur ab illis accidentibus: debemus ergo concedere ad minus eſſe vnitum illis, cum hoc poſſit intelligi, abſque eo quod ſuſtentet illa, vel denominetur ab illis.

Alij ponunt vnionem per quam corpus Chriſti connectitur cum illis accidentibus.

Eodem modo quo prius panis ablata tantum ſuſtentatione.

6. Contra hanc tamen vnionem, ſi vera vnio eſt, videtur eſſe primo, quod omnis vera vnio phyſica ſupponit ex parte vnius ſaltem & ex extremis, inter quæ verſatur aliquod incomplementum phyſicum, ratione cuius ſit poſſibilis talis vnio; ideo enim vnus Angelus non poteſt vniri cum alio, neque vna anima rationalis cum alia; quia in ea ratione quilibet Angelus, & quælibet anima ſupponitur completa: Verbum autem Diuinum potuit vniri phyſicè cum natura humana quia hæc ſupponebatur incompleta in ordine ad ſubſiſtentiam aliquam ſubſtantialem. Sed neque ex parte corporis Chriſti, neque ex parte ſpecierum panis ſupponitur aliquod incomplementum in ordine ad effectum formalem reſultantem ex illa vnione; quia per illam non accipit corpus Chriſti eſſe calidum, aut album, vt ſuppono, nec videtur vlla ratione perfici: ſi enim perficitur ab illis accidentibus: iam ergo ab illis afficitur, & alteratur, & per conſequens erit ſubiectum illorum, quidquid ſit, an ea ſuſtentet in genere cauſæ materialis: nam materia prima perficitur etiam à forma rationali, licet eam non cauſet materialiter. Hoc autem videtur omnino falſum, & abſurdum: quia iam per huiuſmodi accidentia, licet corpus Chriſti non calefieret, vel frigefieret, acciperet tamen alios effectus formales in alio genere æquiualente, per quos perficeretur. Si autem dicatur, nullum effectum formalem accipere ab illis accidentibus, tunc in primis difficile intelligitur, quomodo vniatur phyſicè cum calore, & ab eo nullum effectum formalem accipiat, nam effectus formalis nihil aliud eſt, niſi illud totum, quod reſultat ex vtroque extremè vnito: atque adeo, ſi albedo vniretur cum Angelo, licet non denominaret Angelum album propter incapacitatem ſubiecti: daret tamen illi aliquem effectum formalem innominatum: quia non poſſet illi vniri, quin reſultaret aliquod concretum ex vtroque extremo. Deinde redit difficultas ſupra poſita: quia ſi corpori Chriſti ex illa vnione non datur effectus formalis, nec perficitur vllo modo à ſpeciebus: ergo non eſt de ſe incompletum ad tale genus vnionis: nullum enim extremum intelligi poteſt cum incomplemento intrinſeco de ſe ad vnionem cum alio, niſi ex defectu intrinſeco alicuius perfectionis, quam debet acquirere per talem vnionem: ſi ergo non perficitur corpus Chriſti vllo modo per calorem, cui vnitur, non poterit phyſicè cum illo vniri: alioquin dicere poſſet aliquis, quod vna etiam anima rationalis poterit vniri phyſicè, & ſubſtantialiter cum alia ad eum finem, vt habeant alligationem inuicem, & connexionem, quod tamen nemo concedit.

Impugnatur primo.

Omnis vnio phyſica ſupponit aliquod incomplementum phyſicũ.

Difficile intelligitur quomodo vniatur accidentibus, & ab eis nullum effectum formalem recipiat.

Secundo impugnatur illa vnio vera, & phyſica: quia omnis vera & propria vnio phyſica ita alligat vtrumque extremum, vt exigat, quantum eſt de ſe, quod vbicumque ſit vnum extremum, ſit etiam & aliud: hinc enim eſt, quod ſub ſpeciebus Euchariſtiæ, vbi ex vi verborum ponitur corpus Chriſti, ponantur etiam per concomitantiam anima, & omnia accidentia, quæ habet in cœlo: quia nimirum vnio phyſica corporis Chriſti cum anima, vel cum illis accidentibus petit, vt nullibi ſine illis ponatur illud corpus: ſi ergo intercederet vera, propria, & phyſica vnio inter corpus Chriſti, & ſpecies panis, deberet etiam ex vi illius exigi, vt vbicumque eſſet corpus Chriſti, eſſent etiam per concomitantiam illæ ſpecies, cum quibus phyſicè vnitur, atque adeo in ſingulis hoſtiis, & in cœlo habere deberet ſecum accidentia aliarum hoſtiarum: quod cum ſit manifeſtè abſurdum, conſtat à poſteriori nullam intercedere veram, & propriam vnionem phyſicam inter corpus Chriſti & ſpecies Sacramentales; quod argumentum clarius procedit de ipſamet vnione, quæ ſe ipſa vnitur corpori Chriſti, & illud afficit, ac perficit in ordine ad motum: ergo debet replicari cum corpore Chriſti in omnibus hoſtiis. Fatemur 7.

Secundo impugnatur.

Si talis eſſet vnio, ſpecies deberent eſſe vbicumque eſt corpus Chriſti.

ergo

ergo, corpus Chriſti ibi eſſe loco ſubſtantiæ panis, & ſuccedere in eius munere, ablatis tamen imperfectionibus, quarum præcipua eſſet vnio phyſica, & propria cum illis accidentibus: ex ea enim ſequeretur, quod deberet ea accidentia ſecum deferre & habere in cœlo, & in alijs hoſtijs, & quod ab illis deberet intrinſecè perfici; quæ omnia vitari debuerunt alligando corpus Chriſti alio nobiliori modo, quam per phyſicam, & propriam vnionem, per vnionem tamen minus propriam, quam iam explico.

8. *Coninck. Aliter explicat Coninck.* Aliter hanc vnionem explicat P. Coninck in præſenti, *quæſt. 75. art. 2. dub. 1. num. 94. & ſequentib.* dicens, hanc vnionem poſſe intelligi eſſe ſimilem vnioni, quam haberet corpus glorioſum cum alio corpore, cum quo penetratiuè ſimul ita exiſteret, vt, illo alio corpore moto, moueretur, & ipſum neceſſario, quod fieri poſſet, ſi Beatus non permitteret ſe aliter ab illo alio corpore penetrari, quam de facto prius penetraretur. Supponit enim, Beatum, licet poſſit permittere, penetrari ſuum corpus glorioſum ab alio; poſſe tamen, ſi velit, huic penetrationi reſiſtere: vnde poterit ab illo alio corpore impelli, & moueri, ſicut alia corpora mouentur, & impelluntur, quia penetrationi reſiſtunt. Supponit item, quando duo corpora ſemel penetratiuè exiſtunt, non poſſe ab inuicem ſeparari ſine noua penetratione diuerſa, qua ſecundum aliam partem ſe mutuo penetrent. Nam ſi vnum mouetur ad dexteram, & alterum ad ſiniſtram, neceſſe erit, vt pars, quæ prius penetrabat partem alterius dexteram, incipiat penetrare ſiniſtram, & è contra. Vnde corpora non glorioſa ſemel penetrata non poſſent abſque nouo miraculo moueri localiter, niſi vtrumque ſimul moueretur. Hinc infert, Beatum, ſicut poteſt reſiſtere, ne alius homo non glorioſus eum penetret, ſic ſemel penetratum poſſe reſiſtere, ne fiat penetratio noua, & conſequenter illud corpus non glorioſum non poterit ſeparari à glorioſo, cum non poſſit ſeparari abſque noua penetratione: vnde ſi homo non glorioſus velit mouere ſe, debet ſecum neceſſario trahere corpus glorioſum, niſi hoc poſitiuè reſiſtat, tunc enim neutrum corpus mouebitur. Imo hoc ipſum dicendum putat de Angelo, qui; ſicut poteſt reſiſtere, ne ab aliquo corpore penetretur, ſic ſemel penetratum poteſt reſiſtere, ne alia ratione penetretur: atque ideo tunc moto illo corpore, moueretur etiam ab eo Angelus, niſi ipſi motui poſitiuè reſiſteret; tunc enim nec Angelus, nec corpus moueretur.

9. His ſuppoſitis de corpore Chriſti dicit, eſſe vnitum cum ſpeciebus panis, quatenus ita eſt illis colligatum, vt, motis ſpeciebus, neceſſario cum illis moueatur; hæc autem colligatio prouenit ex eo, quod ſemel cum ſpeciebus penetratum per conſecrationem, non permittit fieri aliam penetrationem diuerſam; vnde fit, vt ſpecies moueri non poſſint, quin trahant ſecum ſimul corpus Chriſti, quod illi motioni non reſiſtit, & propter agilitatem abſque vlla difficultate moueri poteſt.

10. *In hac doctrina multa ſupponuntur minus vera. Modus præſentiæ Christi eſt adeo ſupernaturalis, vt non poſſit ab agente naturali produci.* Hæc doctrina ingenioſè excogitata videtur; ſed in ea multa ſupponuntur vel difficilia, vel minus vera. Primo enim ſupponit, agens naturale materiale, quales ſunt ſpecies panis, poſſe propria virtute naturali mouere corpus Chriſti indiuiſibiliter exiſtens in hoc Sacramento: quod videtur incredibile, quia modus ille præſentiæ, quem habet corpus Chriſti, eſt adeo ſupernaturalis, vt non poſſit ab agente materiali naturaliter produci. Sicut enim alia agentia naturalia, v. g. ignis, nix, aqua, non poſſunt agere in corpus Chriſti, & hoc non ſolù propter impaſſibilitatem, quam poſt reſurrectionem acquirent, ſed etiam propter modum exiſtendi Sacramentalem; vt apparuit, quando in Cœna ante Reſurrectionem prima vice conſecrata eſt Euchariſtia: ſic nec poterunt illud localiter mouere, cum non ſit maior ratio de motu locali, quam de aliis actionibus: imo ideo fortaſsè non poſſunt exercere alias actiones circa illud corpus, quia non poſſunt dare illi tale genus præſentiæ, quod habet, vt inferius videbimus *diſp. 9.* Non poteſt ergo reduci hæc colligatio ad vim naturalem, quam ſpecies habeant mouendi ſecum corpus Chriſti.

Reſpondent aliqui, agens naturale non poſſe quidem dare primo corpori Chriſti illud genus præſentiæ Sacramentalis; poſtquam tamen inuenit iam illud reductum per conſecrationem ad talem ſtatum, & cum tali præſentia, poſſe illud mouere, & dare illi aliam ſimilem præſentiam: ſicut nec poſſet agens naturale ponere in loco quantitatem abſque vllo ſubiecto: de facto tamen poſtquam per conſecrationem quantitas panis ponitur abſque ſubiecto, poſſunt agentia naturalia mouere localiter eam quantitatem, quam inueniunt iam ad eum ſtatum reductam per conſecrationem præcedentem. Ita P. Ioannes Præpoſitus infra *quæſt. 70. art. 6. dub. 1. num. 37.* 11. *Reſpondent aliqui.* *Io. Præpoſit.*

Sed debuiſſet attendi ad diſcrimen clarum illius exempli; nam licet ſtatus quantitatis abſque ſubiecto ſit ſupernaturalis: at vero præſentia, quam quantitas habet in loco, nullo modo eſt ſupernaturalis, ſed eadem omnino quam haberet, ſi eſſet in ſubiecto; vnde non mirum, quod produci poſſit ab agente naturali; at verò præſentia corporis Chriſti, non eſt illa, quam haberet in ſtatu naturali, ſed diuerſa, imo ſupernaturalitas ſtatus conſiſtit in illa ipſa præſentia miraculoſa; quare ſicut prima, ita nec ſecunda, nec tertia poterit produci ab agente naturali, cum omnes ſint æquè ſupernaturales: imo retorqueri poteſt exemplum contra Auctorem; quia quantitas panis non ſolum poſtea, ſed tunc quando actu ſeparatur à ſubiecto, & quando primo incipit eſſe ſine ſubiecto, accipit ſuam præſentiam ab agente naturali: nam Sacerdos tenens, vel mouens hoſtiam, quando actu illam conſecrat, dat, vel conſeruat præſentiam illam, quam in ipſo inſtanti conſecrationis habet quantitas panis: ergo ex illo exemplo potius argueretur, quod præſentia etiam prima corporis Chriſti poſſet naturaliter produci ab agente naturali, ſicut producitur prima præſentia quantitatis ſeparatæ à ſubiecto. Adde, ſi corpus Chriſti in Euchariſtia poſſet à ſpeciebus propria virtute moueri, non apparet, cur non poſſet à nobis, & à quovis agente corporeo immediatè moueri; quod tamen falſum eſt, cùm non poſſit à nobis aliter moueri, quam mouendo ſpecies panis. 12. *Eſt clarum diſcrimen illius exempli.*

Secundo, dato quod corpus non glorioſum ſemel penetratum cū glorioſo non poſſet ſe amplius remouere ab illo, ne daretur penetratio diuerſa; in noſtro tamen caſu illud inconueniens nullo modo procedit; quia etiamſi ſpecies mouerentur non moto corpore Chriſti, non ſequeretur eas aliter penetrari cum Chriſti corpore, quam prius: nulla enim pars ſpecierum inciperet penetrari de nouo cum aliqua parte corporis Chriſti cum qua antea non eſſet penetrata, quia nimirum prius omnes, & ſingulæ ſpecierum partes erant penetratæ cum ſingulis, & omnibus partibus corporis Chriſti: non ergo inciperent aliter penetrari ac antea; in quo apparet manifeſtum diſcrimen à corpore illo non glorioſo penetrato cum glorioſo: quia in illo non omnes, & ſingulæ partes fuiſſent prius penetratæ 13. *Alia diſparitas in noſtro caſu.*

cum omnibus & ſingulis corporis glorioſi, & ideo non poſſet moueri localiter, quin aliqua pars ipſius inciperet de nouo penetrari cum aliqua parte corporis glorioſi. In ſpeciebus autem nulla eſt pars earum, quæ non eſſet priùs penetrata cum omnibus, & ſingulis partibus corporis Chriſti; ergo per motum non inciperet penetrari aliter ac antea; atque ideo ex hoc capite non eſſent alligatæ ad non mouendum ſe abſque corpore Chriſti propter nouam penetrationem vitandam.

14. *Inſtantia.* Dices, licèt ſpecies non penetrarentur de nouo cum noua parte corporis Chriſti, penetrarentur tamen diuerſo modo; ſcilicet hæc pars dextra, e.g. ſpecierum in ſiniſtra parte ſpatij, cùm antea hæc pars ſpecierum penetrata eſſet in parte dextra ſpatij. Sed

Reſpondeo. contrà; quia penetrari poſtea cum eodem corpore in alia noua parte ſpatij non debet reddere impoſſibilem motum ſpecierum: nam quando ſpecies mouentur ſimul cum corpore Chriſti, ſicut incipiunt eſſe in nouo ſpatio, ſic etiam incipiunt penetrari cum Chriſti corpore in nouo ſpatio, in quo antea non penetrabantur; & tamen quia penetratio fit earundem cum eodem, poteſt fieri per ea abſque nouo miraculo; ergo poſſet etiam fieri immoto Chriſti corpore, cum penetratio etiam eſſet eiuſdem cum eodem, licet eſſet in ordine ad diuerſum ſpatium.

15. *Tertium quod magis diſplicet.* Vnde tertio magis diſplicet id, quod addit de Angelo, cum ſemel corpori penetratum poſſe poſtea reſiſtere nouæ penetrationi, & tunc corpus non poſſe amplius ſe mouere, niſi trahendo ſimul ſecum Angelum, quia non poteſt ſe denuo aliter cum Angelo penetrare, prout fieret, ſi abſque Angelo ſe moueret. Hoc, inquam, non parum videtur à communi, & vera Philoſophia deficere: nam in primis penetratio Angeli cum corpore nullo modo impedit motum corporis; ſicut nec Angelus exiſtens prius in aliquo ſpatio impedit corpus, ne ponatur in illo ſpatio: hoc enim eſt proprium corporum, vt ſeſe mutuo expellant ab eodem ſpatio, non ſpirituum inter ſe, aut cum corporibus. Poteſt quidem Angelus impellere, vel tenere corpus, ne moueatur, aut progrediatur vlterius; quod quidem præſtat Angelus per vim actiuam, ſeu impulſiuam; non vero poteſt per reſiſtentiam, ſeu incompoſſibilitatem cum corpore impedire formaliter, ne ſit in ſpatio, in quo eſt Angelus, quia nulla eſt talis incompoſſibilitas Angeli cum corpore in eodem ſpatio.

16. Deinde, etiamſi eſſet eiuſmodi incompoſſibilitas, & impenetrabilitas, Angelo tamen ſemel penetrato cum corpore, poſſet corpus moueri propria virtute, & ſeparari ab Angelo; quia per hoc nulla fieret penetratio diuerſa ab ea, quæ erat prius, vt ſupra dicebamus de ſpeciebus panis cum corpore Chriſti; nam per illum motum non inciperet aliqua pars corporis penetrari cum Angelo, cum omnes, & ſingulæ partes corporis fuiſſent iam prius penetratæ cum toto Angelo; quod autem aliqua pars penetraretur de nouo in alio ſpatio nouo, non obſtaret motui, vt oſtendimus in ſimili in ſpeciebus, & corpore Chriſti.

17. *Vltimũ quod ponitur reſiſtere.* Denique diſplicet id, quod additur, quod poſſet corpus ſic penetratum trahere ſecum Angelum non reſiſtentem inuitus; nam licet Angelus habeat virtutem ad mouenda corpora, communiter tamen negatur corporibus virtus naturalis mouendi localiter Angelos: imo Vaſquez non capit, quomodo vnus Angelus poſſit alium localiter mouere; parum itaque refert, quod Angelus non reſiſtat, ſi tamen corpus non habet virtutem ad illum mouendum; porrò corpus non habere talem virtutem, non ſolum probari poteſt ex improportione ipſius ad motum illum ſpiritualem, ſed etiam quia, ſi aliquod corpus diuinitus ponatur penetrabile, non poterit ab alio corpore localiter moueri; nam quoties tangeret illud, & impelleret, penetraretur ab illo, & nihil efficeret; de facto vero mouetur vnum corpus ab alio propter impenetrabilitatem, quatenus expellitur ab alio corpore conante ſe in eo ſpatio conſtituere: in Angelo autem ceſſaret hæc ratio, quia quodlibet corpus abſque difficultate penetraretur cum ipſo; non ergo poſſet à corpore localiter moueri. Poteſt fortaſſe de facto corpus humanum, quando ab aliquo mouetur, trahere ſecum animam ſpiritualem: hoc tamen prouenit ratione vnionis phyſicæ, cuius effectus eſt, vt vnum extremum comitetur aliud: & ideo debetur corpori vnito formæ ſpirituali virtus trahendi ſecum illam formam: vbi tamen talis vnio non intercedit, non apparet, vnde corpus poſſet habere vires naturales ad mouendum localiter Angelum.

Denique totus ille modus colligationis, licet ſufficeret ad colligandum corpus Chriſti cum ſpeciebus in ordine ad motum, vt motis ſpeciebus, moueretur etiam corpus Chriſti; non tamen videretur ſufficiens, vt corpus Chriſti diceretur ſubſtare ſpeciebus loco panis, quod tamen neceſſarium videtur ad hoc, vt poſſit per illa accidentia demonſtrari, & ut dicatur verè comedi, ſuopte ſpeciebus: alia ergo maior vnio ponenda eſt inter corpus Chriſti, & ſpecies, quam iam oportet explicare. 18. *Neque ille modus colligationis ſufficeret vt corpus diceretur ſubſtare accidentibus.*

SECTIO II.

Explicatur vnio corporis, & ſanguinis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus.

Exiſtimo hanc continentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſiſtere in primis in actione quadam, qua corpus Chriſti per potentiam obedientialem actiuam vt inſtrumentum eleuatum conſeruat accidentia panis, ſupplendo concurſum, & ſuſtentationem panis non in eodem genere cauſæ, ſed in genere cauſæ efficientis: per hanc enim cauſalitatem dicitur corpus Chriſti ſubſtare illis accidentibus; ſubſtare, inquam, hoc eſt, exercere circa illa munus potiſſimum ſubſtantiæ: quia cum præcipuum munus ſubſtantiæ reſpectu accidentium ſit illa ſuſtentare, merito dicetur corpus Chriſti ſubſtare illis accidentibus, quæ loco panis ſuſtentat in genere cauſæ efficientis. Ex quo ſequitur, poſſe deſignari corpus Chriſti per accidentia illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*: quaſi dicas, corpus Chriſti eſt ſubſtantia, cuius ſunt hæc accidẽtia, cuius ſcilicet ſunt ſubſtantis, & ſuſtentantis loco panis, licet in alio genere cauſæ. 19. *Concluſio noſtra. Requiritur primo actio qua corpus Chriſti ſupplet concurſum panis. Subſtare autem eſt exercere munus ſubſtantiæ.*

Contra hunc tamen dicendi modum eſt difficultas: quia licet ſuſtentatio in genere cauſæ materialis ſufficiat, vt ſubiectum dicatur ſubſtare, & contineri ſub illis accidentibus, non tamen ſuſtentatio in genere cauſæ efficientis, quia hæc cauſalitas non determinat ad præſentiam intimam cauſæ cum effectu; ergo ex vi illius cauſalitatis non dicitur eſſe corpus Chriſti ſub ſpeciebus. Antecedens patet: quia cauſa efficiens in primis poteſt operari diſtans ab effectu, præſertim ſi operetur vt inſtrumentum diuinitus eleuatum: deinde licet non poſſit prodire illa actio niſi à corpore Chriſti præſente, non tamen alligatur illud ſpeciebus inſeparabiliter; nam licet ignis debeat eſſe præſens ad calefaciendum lignum, non tamen alligatur ligno ex vi illius actionis, cum tam facile poſſit ſeparari à ligno, ac ſi non ageret, ergo illa actio Chriſti in ſpecies non ſufficit, vt dicatur contineri ſub ſpeciebus, & alligari illis. 20. *Difficultas eſt contra hunc modum. Hæc enim ſuſtentatio non determinat ad præſentiam intimam cauſæ cum effectu.*

Poſſet

21. *Poſſet aliquis dicere.* Poſſet aliquis excogitare, illam actionem ſolam eſſe adæquatè rationem huius continentiæ Chriſti ſub ſpeciebus: eo quod illa actio ſapiat naturam cauſalitatis materialis, quam ſupplet; quare ſicut cauſalitas materialis alligat ſubiectũ accidentibus, ita vt nec ſubiectum poſſit non eſſe intimè præſens ad ſuſtentandam formam, nec etiam poſſit ſeparari relicta forma: quia forma ſuſtentata habet eo ipſo vim naturalem, & ius ad trahendum ſecum ſuum ſubiectum, quocumque deferatur localiter; ſic etiam illa actio Chriſti in ſpecies, non videtur eſſe poſſe, niſi à corpore Chriſti intimè præſenti, & aliunde ad illam actionem conſequitur in ſpeciebus vis quædam & ius naturale ad trahendum ſecum corpus Chriſti, quando mouentur: alioquin non haberent accidentia à corpore Chriſti tam perfectè ſuum eſſe, ſicut à ſubſtantia panis, cum ex vi illius actionis non haberent ſecuritatem non admittendi ſuum eſſe ex defectu præſentiæ cauſæ ſuſtentantis; ergo vt corpus Chriſti dicatur per illam actionem ſubſtare ſpeciebus loco panis, dicendum eſt, ex illa actione naſci hanc neceſſitatem intimæ præſentiæ ſub illis.

22. *At certè hæc doctrina non videtur ſolida.* Sed re vera hæc doctrina non eſt vndequaque ſolida: nam licet daremus, ex illa actione oriri ius ſpeciebus trahendi ſecum corpus Chriſti, à quo ſuſtententur, adhuc tamen non probatur debere illud trahere præſentiam intimam ſub ſpeciebus, cum enim ſolum ſuſtententur accidentia efficienter à corpore Chriſti, non requirũt aliam præſentiam cauſæ, quam eam, quæ requiritur ad agendum; hæc autem non eſt præſentia intima totius agentis, ſed approximatio per contactum: quare cum aliundè corpus Chriſti ſit quantum, & ex natura rei non poſſint eius partes inuicem penetrari, non videtur, quod accidentia panis ex vi illius cauſalitatis habeant ius ad trahendum ſecum corpus Chriſti, ita vt exiſtat indiuiſibiliter ſub ſingulis partibus ſpecierum, ſed ad ſummum ad trahendum corpus Chriſti iuxta ſe, vt ſuſtentet efficienter accidentia. Quod ſi cauſalitas materialis exigit præſentiam intimam, & non ſolam approximationem cauſæ, hoc quidem prouenit ex eo, quod ſubiectum non poteſt ſuſtentare formam, quin phyſicè vniatur cum forma; vnio autem ſubiecti, & formæ, non poteſt eſſe ſine intima præſentia vtriuſque: at vero, cum hæc vnio informationis non reperiatur reſpectu corporis Chriſti; non eſt, cur ex vi illius cauſalitatis requiratur intima præſentia: *Chriſtus ſupplet defectum cauſæ materialis ablatis imperfectionibus illius.* quia licet corpus Chriſti ſuppleat cauſalitatem materialem in ſpecies, hoc tamen eſt, ablatis imperfectionibus propriis cauſæ materialis, qualis eſt vnio, & quæ conſequuntur ad vnionem.

23. *Inſtantia.* Dices, non videtur poſſe negari, quod ſit poſſibilis actio aliqua corporis Chriſti in ſpecies, quæ ex propria ſua natura haberet vtrumque, ſcilicet ſupplere concurſum ſubiecti, & dare ius ſpeciebus ad trahendum ſecum corpus Chriſti, & ad trahendum illud ad præſentiam intimam. Si autem poſſibilis eſt talis actio, non eſt cur negemus, poſitam eſſe de facto, & per illam intelligi corpus Chriſti vnitum ſpeciebus, non quidem ſtrictè & cum omni rigore, ſed quantum fieri potuit abſque imperfectionibus ſtrictæ vnionis.

24. *Diluitur.* Reſpondeo in primis, ſi poſſibilis eſt eiuſmodi actio, negari non poteſt, quod eſſet valdè ſupernaturalis; haberet enim aliqua prædicata multum diſparata in ordine ad finem actionis; nam actio vt actio ſolum ordinatur ad bonum ſui termini, cui communicatur eſſe per illam: ad hoc autem licet poſſet habere illud prius de exigenda præſentia corporis Chriſti, & danda virtute ſpeciebus trahendi ſecum corpus Chriſti, ad ſecuritatem ſui eſſe, vt dicebamus, non tamen apparet, cur actio exigeret corpus Chriſti intimum, cum æquè bene poſſet obtinere ſuum finem per approximationem immediatam corporis Chriſti, ſicut per intimam præſentiam. Quamvis enim corpus Chriſti exiſtat ibi ad modum Angeli, & indiuiſibiliter, Angelus tamen ad operandum in paſſum materiale non indiget penetratione intima cum toto paſſo, ſed poteſt agere, ſi ſit proximus paſſo, vel certè intimus alicui eius parti; ſic ergo poſſet etiam corpus Chriſti agere, & influere in totas ſpecies abſque intima præſentia cum totis illis: & per conſequens non videtur poſſe illam intimam præſentiam exigi ab actione, vt actio eſt, cum ad finem actionis parum referat.

Deinde, etiam poſita tali actione, non ſufficeret ipſa ſola, vt ſpecies traherent ſecum de facto corpus Chriſti, ſed ad hoc exequendum neceſſaria eſſet aliqua alia virtus intrinſeca vel extrinſeca, qua ſpecies illud facerent. Poſſet quidem illa actio id exigere, & quaſi dare illud ius ſpeciebus, vt deberetur illis talis virtus ad trahendum corpus Chriſti: ipſa tamen actio non eſſet principium immediatum productiuum illius motus in Chriſti corpore; quia actio non eſt virtus operatiua, ſed productio actualis ſui termini. Si ergo præter illam actionem ponenda eſſet adhuc alia virtus ad trahendum corpus Chriſti, fruſtra ponitur actio cum illo prædicato intrinſeco diuerſo: nam poſita actione qualibet corporis Chriſti in ſpecies, & poſita illa alia virtute in ſpeciebus ad trahendum, & retinendum ſecum intimè corpus Chriſti, intelligitur eadem alligatio. Cum ergo aliunde eſſet valde miraculoſa, & difficilis actio, quæ de ſe haberet illud prædicatum intrinſecum, vt vidimus; non eſt, cur ponamus eam de facto, licet eſſet poſſibilis; ſed alio faciliori modo explicemus illam alligationem. 25. *Neque hæc ſufficeret vt ſpecies traherent de facto ipſum corpus Chriſti.*

Dicendum ergo videtur, hoc, quod eſt corpus Chriſti, ſubſtare illis accidentibus, ſeu contineri ſub illis, duo includere, quorum vnum ſine altero non ſufficit. Primum, & potiſſimum eſt illa actio corporis Chriſti in ſpecies, per quam exercet munus ſubſtantiæ reſpectu earum. Secundum vero eſt alligatio ad ſpecies, ſeu inſolubilitas intimæ præſentiæ, quæ quidem alligatio non eſt illa actio, neque oritur ex illa actione, vt probatum eſt, ſed ex vi quadam diuinitus data ſpeciebus ad trahendum ſecum intimè corpus Chriſti, quocumque ferantur. Nec per hoc conuenimus cum ſententia Scoti: quia ipſe totam hanc continentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus reducebat ad inſeparabilitatem ex pacto Diuino ſine aliquo alio; nos autem ponimus duo, ſcilicet cauſalitatem corporis Chriſti in ſpecies, per quam exercet munus ſubſtantiæ reſpectu earum: & intimam præſentiam prouenientem ex vi ipſarum ſpecierum ad trahendum ſecum corpus Chriſti; quæ ſufficiunt, vt dicatur corpus Chriſti eſſe ſubſtantia horum accidentium. 26. *Duo ergo continet hæc continentia, primum eſt illa actio, ſecundum alligatio cum ſpeciebus orta ex vi quadam diuinitus ſpeciebus data ad trahendum ſecum corpus Chriſti.*

Hinc infero, hanc continentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus non eſſe propriam vnionem cum illis ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſecundum quid; quare melius appellatur vnio cauſalitatis, licet neque ſit adæquatè vnio cauſalitatis, vt vidimus: nam cauſalitas ſola non affert ſecum alligationem vtriuſque extremi. Infero etiam, hanc vnionem eſſe intrinſecam ſpeciebus, non ipſi corpori Chriſti: nam actio Chriſti in ſpecies eſt intrinſeca ſpeciebus, ſicut omnis actio eſt in termino, vt ſuppono ex Philoſophia: deinde quatenus hæc vnio includit intimam alligationem corporis Chriſti ſub ſpeciebus, eſt etiam intrinſeca ſpeciebus, vt poſtea conſtabit. 27. *Hæc continentia non eſt propria vnio.* *Hæc vnio eſt tamen intrinſeca ſpeciebus.*

28. *Obiicitur primo.* Obiicies primo; Sacerdos per verba conſecrationis facit, quod corpus Chriſti contineatur ſub ſpeciebus panis: ſed Sacerdos non efficit, quod corpus Chriſti ſuſtentet ſpecies panis efficienter; ergo illa efficientia corporis Chriſti in accidentia non conſtituit formaliter hanc continentiam. Minor probatur, quia illa efficientia corporis Chriſti in accidentia eſt actio ſolius Chriſti, & non Sacerdotis. Sacerdos autem non conſeruat accidentia efficienter: ſed ad actionem non terminatur alia actio: ergo Sacerdos per ſuam actionem non facit efficientiam corporis Chriſti in accidentia. *Reſpondetur.* Reſpondeo vno verbo, Sacerdotem non operari phyſicè, ſed moraliter continentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus: quare illam etiam efficientiam corporis Chriſti in accidentia operatur Sacerdos per verba moraliter: nam vnam actionem phyſicam vnius agentis poteſt aliud agens operari moraliter, quatenus eſt cauſa moralis, quod aliud agens phyſicè operetur.

29. *Obiicitur ſecundo.* Obiicies ſecundo, quia corpus Chriſti conſeruat efficienter accidentia panis, vt diximus: ergo corpus Chriſti non poteſt accipere vbicationem, ſeu præſentiam efficienter ab ipſis ſpeciebus. Probatur conſequentia, quia in quolibet inſtanti ſpecies, vt producant vbicationem Chriſti, præſupponuntur cum ſuo eſſe accepto efficienter à corpore Chriſti: ergo præſupponitur iam in aliquo priori corpus Chriſti præſens ſpeciebus; non enim poteſt conſeruare ſpecies, niſi præſupponatur præſens: ergo antequam accipiat vbicationem à ſpeciebus, ſupponitur iam pro illo inſtanti cum vbicatione, & præſentia.

30. *Reſpondetur eſſe eandem difficultatem in corpore naturali.* Reſpondeo, hoc argumentum habere eandem difficultatem in compoſito naturali: nam anima equi, v. g. eſt principium motus progreſſiui, quo mouetur totus equus, tam quoad materiam, quam quoad formam, ergo anima equi eſt principium mediatum, vel immediatum illius præſentiæ, quam accipit tunc materia equi. Tunc ſic argumentor: priuſquam forma equi producat illam præſentiam, præſupponitur exiſtens, & per conſequens dependens à materia equi vt à cauſa, ergo pro illo priori intelligitur iam materia equi præſens ad cauſandam formam: ergo antequam accipiat illam præſentiam, intelligitur in illo inſtanti pro aliquo priori cum ſua præſentia. *Corpus Chriſti pro illo priori non intelligitur cum illa præſentia formali.* Reſpõdetur ergo, quod licet corpus Chriſti intelligatur prius dans eſſe ſpeciebus etiam pro illo inſtanti; non tamen intelligitur in illo priori cum præſentia, ſeu vbicatione poſitiua formali; ſicut nec anima equi, aut materia intelligitur pro illo priori ante vbicationem cum vbicatione. Ratio eſt, quia licet ad alios effectus debeat præintelligi cauſa cum ſua præſentia, ſeu vbicatione; ad ipſam tamen vbicationem non poteſt præintelligi cum alia vbicatione, ne detur proceſſus in infinitum. Ex quo fit, quod nec ad ea omnia, quæ antecedunt vbicationem, poſſit præintelligi cauſa cum vbicatione: quare cum ſpecies ſint cauſa vbicationis corporis Chriſti, non poteſt intelligi corpus Chriſti antecedenter ad ſpecies cum vbicatione, ſed ſolum intelligitur pro illo priori cum indiſtantia ad ſummum radicali, hoc eſt, intelligitur cum debito radicali habendi præſentiam poſitiuam ad ſpecies pro poſteriori: ſicut materia equi in illo priori ante vbicationem intelligitur cum debito habendi præſentiam poſitiuam ad animam ratione vnionis ſubſtantialis, quæ iam præſupponitur pro illo priori: & hac ratione vitatur mutua prioritas, quæ videbatur ſequi ex noſtra ſententia.

31. *Obiicitur tertio.* Obiici poteſt tertio, quia ſpecies præcedunt, vt diſpoſitiones adhuc, quod eſt corpus Chriſti eſſe ſub illis, tam in primo fieri conſecrationis, quam in conſeruari; ex quo fit vt cum primum ſpecies corrumpuntur, deſinat eſſe corpus Chriſti ſub illis; ergo corpus Chriſti non eſt cauſa phyſice influens in ſpecies. Probatur conſequentia, quia pro quovis inſtanti intelligitur prius, ſpecies non eſſe corruptas quam corpus Chriſti vniri eis; ergo hæc vnio non poteſt eſſe cauſalitaria; nam effectus non intelligitur pro aliquo priori ante cauſalitatem, per quam procedit. Reſpondetur, pro illo priori ante cauſalitatem Chriſti in ſpecies, non debere intelligi ſpecies exiſtentes, ſed ſufficere quod intelligatur, non eſſe poſitiuas diſpoſitiones contrarias; nam eo ipſo, quod ſpecies extiterint immediate ante, & quod nunc non detur diſpoſitio contraria, datur totum quod requiritur, vt corpus Chriſti conſeruet accidentia panis; imo nec hoc totum præerequiritur, ſed ſufficit, quod non ſit applicatum agens ad producendam diſpoſitionem contrariam; de quo dicemus infra diſputat. 10. ſect. 2. *Reſpondeo.*

32. *Obiicitur quarto.* Obiicies quarto: ergo corpus Chriſti non mouetur localiter à ſacerdote, nec per ſe, nec etiam per accidens. Sequela quoad primam partem, patet; quoad ſecundam vero probatur, quia tunc dicitur aliquid moueri per accidens ab aliquo, quando illud, quod mouetur per ſe, vnitur cum alio, & per conſequens trahit ſecum illud: ſed corpus Chriſti non vnitur cum ſpeciebus; ergo Sacerdos mouens ſpecies non mouet corpus Chriſti, ſed tunc Deus mouet corpus Chriſti independenter omnino à ſacerdote. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando ſequelam: nam licet corpus Chriſti non vniatur propriè cum ſpeciebus; ſpecies tamen habent diuinitus vim trahendi ſecum corpus Chriſti: quare qui mouet ſpecies, dicitur conſequenter mouere corpus Chriſti; quod enim vis ſit naturalis, vel ſupernaturalis, parum refert, quoad præſens attinet.

33. Reſtat tamen explicandum, qualis ſit hæc vis, quam dicimus habere ſpecies ad trahendum ſecum corpus Chriſti, an ſcilicet ſit aliqua qualitas ſupernaturalis intrinſeca in ipſis ſpeciebus ad hunc finem ſuperaddita, an vero merum decretum Dei parati ex ſe ad concurrendum cum ſpeciebus; vt ferant ſecum corpus Chriſti, quocumque ipſæ ſpecies ferantur. Videtur enim hoc ſufficere abſque alia qualitate intrinſeca nam ex vi huius decreti dicetur ſufficienter alligatum, & connexum corpus Chriſti, ſpeciebus, cum non poſſit ex vi illius decreti non comitari ſpecies in omni loco.

34. *Vt melius explicetur vis illa ſpecierum ponimus in illis qualitatem ſupernaturalem.* Probabilius tamen videtur, & aptius ad hoc myſterium explicandum, ſi ponatur in ipſis ſpeciebus qualitas illa ſupernaturalis intrinſeca, qua poſſint trahere ſecum corpus Chriſti, ſicut magnes trahit per naturalem virtutem ſecum ferrum; primo, quia hoc modo inuenitur iam aliquid plus de vnione phyſica inter corpus Chriſti, & ſpecies: nam illa qualitas intrinſeca licet non ſit vera, & rigoroſa vnio; habet tamen non parum de vnione; cum ſit nexus phyſicus, & vinculum in actu primo colligans corpus Chriſti, ita vt non poſſit non ſequi ſpecies: per quod vinculum videtur explicari natura vnionis phyſicæ: debemus autem, ablatis imperfectionibus, vt dixi, & receptione ſpecierum in Chriſti corpore, ponere vnionem, & colligationem, quantum fieri poterit, vt cum maiori proportione ſuccedat corpus Chriſti ſubſtantiæ Panis in eodem munere ſubſtandi accidẽtibus. Dixi tamen, hanc non eſſe adhuc propriè, & in rigore vnionem phyſicam: quia de ratione veræ, & propriæ vnionis eſt ita colligare, vt dixi, vtrumque extremum, vt quandiu vnio durat, debeat poni vnum extremum, vbicumque ponitur alterum: illa autem qualitas ſuperaddita

ſpeciebus,

ſpeciebus, licet det illis vim trahendi ſecum corpus Chriſti, non tamen exigit, poni ſpecies, vbicumque ponitur corpus Chriſti; hoc enim ponitur in aliis hoſtiis abſque his ſpeciebus, ſub quibus eſt in hac hoſtia; non ergo eſt propriè vnio illa, ſed tamen accedit non parum ad rationem, & proprietatem vnionis.

35. *Probatur ſecundo hac qualitas ex maiori connaturalitate.* Secundo videtur ponenda ea qualitas ſupernaturalis in ſpeciebus; quia quoties aliqua cauſa eleuatur ad effectum ſupernaturalem producendum per potentiam obedientialem, videtur connaturalius, quod ipſa in ſe fiat proportionata intrinſece in ordine ad eum effectum: ideo enim intellectus, & voluntas, vt connaturalius eliciant actus fidei, vel ſpei etiam in peccatore, eleuantur per habitus intrinſecos fidei, & ſpei; quia hic modus operandi per virtutem intrinſecam, eſt magis connaturalis, quam ſi ſolum eleuentur per auxilium extrinſecum; eo quod effectus ipſe de ſe exigit procedere magis à cauſa ſibi proportionata, quam ab improportionata: de quo dixi alibi in tractatu de Viſione beata. Si ergo ſpecies eleuantur ad producendum in corpore Chriſti, quod ſecum trahunt *vbi* ſupernaturale Sacramentale: expedit, eas eleuari prius per aliquam virtutem intrinſecam ſupernaturalem, per quam producant effectum illum ſibi improportionatum. Porro ſpecies ipſas concurrere ad trahendum corpus Chriſti, & non ſolum Deum id facere, quando mouentur ſpecies: probatur, quia alioquin non diceretur propriè mouere corpus Chriſti ille qui mouet ſpecies: & per conſequens nec diceretur comedere, aut deglutire corpus Chriſti, quæ actiones ſignificant motum localem: nunc autem dicitur verè mouere corpus Chriſti ſacerdos mouens ſpecies: quia mouet ſpecies, quæ mouent corpus Chriſti, & per conſequens mouet per accidens illud, quod non eſſet ita propriè verum, ſi ſolus Deus ea ſua voluntate id faceret, & moueret Corpus Chriſti, quando mouentur ſpecies; ſicut nec diceret ego mouere lignum, eo quod moueam librum, quo moto, Petrus liberè mouet etiam lignum; nec dicitur dare alapam, qui conſulit dare alapam. Melius ergo declaratur hoc myſterium, ſi ponamus talem qualitatem & vim in ſpeciebus: qua ipſæ trahant ſecum corpus Chriſti, quocumque ferantur.

Alioquin qui mouet ſpecies non diceretur propriè mouere corpus Chriſti.

36. *Inſtantia.* Dices, ſi in ſpeciebus ponitur qualitas intrinſeca, qua eleuentur ad producendam præſentiam corporis Chriſti, ergo etiam in ipſo corpore Chriſti debet poni alia qualitas intrinſeca, qua eleuetur ad conſeruandas efficienter ipſas ſpecies. Nego ſequelam; quia

Diluitur. ſpecies conſeruantur à corpore Chriſti per concurſum creationis, ad quam actionem non poteſt dari qualitas aliqua, quæ ex ſua natura habeat vires, & proportionem; quia nulla cauſa creata poteſt per ſuam virtutem creare, vt ſuppono ex Philoſophia; quare illa actio procedit à potentia obedientiali actiua corporis Chriſti abſque vlla qualitate ſuperaddita.

Contra hunc modum dicendi olim à me explica-

37. *Obiicitur primo.* tum opponuntur aliqua à Recentioribus. Primo opponunt; quod ſi hæc vis eſt in ſpeciebus, ſicut in magnete ad trahendum ferrum, ſequitur, non eſſe vim ad ponendum corpus Chriſti in eodem ſpatio intimo, vbi ſunt ſpecies; nam magnes non trahit ferrum, ita vt ponat illud in eodem ſpatio, in quo

Reſpondeo. eſt ipſe magnes, ſed in ſpatio proximo. Reſpondetur, nos non vti illo exemplo magnetis tanquam ſimili in omnibus, ſed ſolum ad hoc, quod ſicut magnes habet vim naturalem intrinſecam ad trahendum ferrum, & retinendum illud in ſpatio proximo; ſic ſpecies conſecratæ habent vim intrinſecam ſupernaturalem ad trahendum corpus Chriſti, & retinendum illud in eodem ſpatio, in quo ſunt ipſæ ſpecies.

Secundo obiiciunt, quia corpus Chriſti ſuccedit 38. *Obiicitur ſecundo.*
ſubſtantiæ panis, atque adeo debet ſe habere circa ſpecies, ſicut ſubſtantia panis ſe habebat circa illas; ſed in accidentibus non erat talis virtus motiua ad trahendam ſecum ſubſtantiam panis; ergo nec ponenda eſt hæc virtus ſuperaddita, vt trahant ſecum corpus Chriſti.

Reſpondetur. Reſpondetur, ad trahendam ſecum ſubſtantiam panis non fuiſſe neceſſariam in ſpeciebus qualitatem aliam ſuperadditam, ad illum eam motum, vtpote ad operationem ſibi connaturalem, & proportionatam, habebant ſufficientem virtutem. Qualis autem, & quid eſſet illa virtus, non eſt noſtrum in præſenti decernere: varii enim poſſunt eſſe modi id explicandi. Primus eſſe poteſt, ſi dicatur, accidentia panis ab aliquo localiter mota, trahere ſecum ſubſtantiam panis, quatenus exigunt, quod Deus tunc moueat ſubſtantiam cum ipſis accidentibus.

Primus modus explicandi illam virtutem accidentium.

Et quidem etiamſi hoc diceretur, non deberet idem dici in caſu noſtro in ordine ad ſubſtantiam corporis Chriſti; quia in ordine ad ſubſtantiam panis ſufficeret vtcumque illa exigentia accidentium, ad hoc, vt qui moueret accidentia, diceretur etiam mouere mediatè ſubſtantiam panis, quatenus ſcilicet cauſat motum accidentium, ad quem ſequitur ex natura rei motus ſubſtantiæ panis, quod ſatis eſſet, vt hic etiam motus tribueretur mouenti accidentia; ſicut miles dicitur proiicere globum plumbeum, licet hic motus globi fiat ab igne; quia nimirum miles fecit primum motum, ad quem connaturaliter ſequuntur reliqui omnes. At vero in caſu noſtro, cum motus corporis Chriſti non ſequatur ex natura rei, ſed ſolum ex libera Dei voluntate motum ſpecierum, non eſſet ſimilis ratio, vt diceretur mouere corpus Chriſti ille, qui moueret ſpecies Sacramentales. Sed neque reſpectu ſubſtantiæ panis videtur ſatis philoſophicus ille modus explicandi: nam quoties inuenire poſſumus cauſam ſecundam proportionatam ad has operationes naturales, quas experimur, non debemus tribuere illas ſoli cauſæ primæ: cum ergo poſſimus motum ſubſtantiæ reducere in ipſa accidentia, quæ ex natura ſua habent virtutem connaturalem ad trahendam ſecum ſubſtantiam ſibi vnitam, magis rationabiliter tribuetur illis hæc efficientia, quam ſoli cauſæ primæ.

Secundo poſſet dici, virtutem hanc mouendi ſubſtantiam panis eſſe ipſammet vnionem, quam habet 39. *Secundus modus.*
cum ſuis accidentibus: ſicut enim ipſa vnio eſt nexus, & vinculum, ſic eſt vis trahens vnum extremum cum alio, quod mouetur. Et quidem iuxta hunc modum dicendi, conſtat clarè diſcrimen inter noſtrum caſum, & illum; nam in noſtro, cum non detur alia vnio inter ſpecies, & corpus Chriſti, debet addi aliqua virtus ſpeciebus, qua poſſint exercere illum motum ſubſtantiæ, quem reſpectu ſubſtantiæ panis exercebant per vnionem naturalem, qua illi ſubſtantiæ connectebantur.

Tertio denique dici poteſt, illum motum ſubſtan- 40. *Tertius modus.*
tiæ panis non prouenire efficienter tantum à principio, ab vnione cum accidentibus, ſed ab ipſiſmet accidentibus, quæ ad illum [illegible] non indigent virtute ſuperaddita; nam ex natura ſua habent virtutem ad trahendam ſecum ſubſtantiam ſibi vnitam. Si enim res vnita non haberet virtutem ad trahendum ſecum alterum extremum, quando mouetur localiter, ſequeretur quod per vnionem impediretur à propriis motibus, & redderetur immobilis, quia ab ipſa vnione, ſeu ratione illius retineretur ibi, vbi eſt alterum extremum: oportuit ergo ad vitandum hoc inconueniens, quod quidquid verè vni-

Z 4 tur

tur cum alio, habeat virtutem trahendi ſecum illud extremum (ſi trahibile ſit, & non ſit aliquid affixum loco, qualis eſt ipſa vbicatio) atque adeo petat concurſum ad talem motum exercendum : ſic corpus eo ipſo, quod vnitur cum anima rationali, videtur habere vim trahendi ſecum animam, quando corpus mouetur ab extrinſeco ; ſic etiam accidentia, quando corpus mouetur, poſſunt trahere ſecum ſubſtantiam propter naturalem connexionem, & vnionem, quam habent cum illa.

41. *Iuxta hunc modum facilè redditur diſcrimen.*

Iuxta hunc autem dicendi modum reddi poteſt etiam diſcriminis ratio ad ſpecies Sacramentales : hæ enim cum non habeant veram vnionem phyſicam cum corpore Chriſti, vt diximus, non habent ex ſe vim intrinſecam ad trahendum illud ſecum ; quare debent eam habere ſuperadditam per aliquam qualitatem ſupernaturalem ſupplentem eam vim, quam alia accidentia habent per ſe ad trahendam ſecum ſubſtantiam ſibi vnitam; præſertim cum vbicatio producenda in corpore Chriſti ſit ſupernaturalis entitatiuè, atque adeo non poſſit produci à ſola virtute naturali, quæ erat ipſis ſpeciebus ad trahenda alia corpora: nam per illam virtutem producerent ad ſummum in corpore Chriſti vbicationem naturalem, ſicut in ſubſtantia panis.

42. *Obiicitur tertio.*

Obiiciunt tertio, ſi ſpecies habent qualitatem ſuperadditam ad mouendum corpus Chriſti, quando ipſæ mouentur ; ergo debent habere aliam qualitatem ſuperadditam ad mouendam, & trahendam ſecum illammet qualitatem, quando ipſæ mouentur ; nam illa etiam qualitas debet moueri ad motum ſpecierum ; ergo debet moueri ab ipſis per aliam vim motricem ſuperadditam. *Reſponſio.* Reſpondetur negando ſequelam ; primo, quia hæc qualitas eſt vnita verè, & propriè ipſis ſpeciebus ; quare non mirum, ſi ſpecies habeant ex ſe vim ad mouendam illam ſecum quando ipſæ mouentur : quia omne extremum, vt diximus, videtur ex ſe exigere concurſum Diuinum ad trahendum ſecum aliud extremum, ne ſequantur illa inconuenientia ſupra inſinuata ; & licet illa qualitas ſit ſupernaturalis, adhuc tamen ex ſuppoſitione vnionis ſpecierum cum illa qualitate, videtur deberi talis concurſus entitati ſpecierum, qui ex ſuppoſitione erit aliquo modo connaturalis : corpus vero Chriſti non vnitur cum ſpeciebus propria, & vera vnione ; ideo non debetur ipſis concurſus ad mouendum illud. Secundo dici poſſet, qualitatem illam datam ad mouendum corpus Chriſti, eſſe ſimul motricem ſui ipſius, ſeu eſſe vim, qua ſpecies poſſint mouere corpus Chriſti, & ipſam eandem qualitatem ; eſt enim ſicut impulſus lapidi impreſſus, qui eſt qualitas ferens lapidem ſurſum, & ferens ſimul ſeipſam : ſeu per quam & lapis ſurſum tendit, & fert ſecum illam qualitatem ; ſic illa qualitas in ſpeciebus eſt quaſi impulſus ſupernaturalis, quo ſpecies trahunt ſecum corpus Chriſti, & ipſam eandem qualitatem.

43. *Quarto obiicitur.*

Quarto obiici poteſt : quia ſi ſpeciebus ſuperadditur qualitas ad trahendum ſecum corpus Chriſti; ergo & animæ debet ſuperaddi alia qualitas ad trahendam ſecum gratiam habitualem, quando mouetur localiter, & rurſus alia ad ſingula accidentia ſupernaturalia, quæ habet in ſe, & quæ non poteſt propriis naturalibus viribus mouere. Reſpondetur negando ſimiliter ſequelam: quia anima vnitur phyſicè & verè cum gratia, & cum aliis accidentibus ſupernaturalibus, quæ habet: atque adeo ratione illius vnionis poterit, vt dixi, exigere tanquam ſibi debitum concurſum ad trahenda ſecum illa accidentia, quem concurſum non exigunt ſpecies in Euchariſtia, cum non vniantur propriè cum corpore Chriſti. Quod ſi aliquis contendat, animam etiam habere aliquam qualitatem ſuperadditam ad trahendam ſecum gratiam, & reliqua entia ſupernaturalia, quæ habet, non facilè impugnabitur ; nec apparet in eo aliquod abſurdum.

44. *Quæſitum. Solutio.*

Petes, vtrum hæc qualitas ſuperaddita ponenda ſit vna in ſola quantitate panis, an multæ in ſingulis accidentibus panis ? Reſpondeo debere poni in eo accidenti, vel ſubiecto, quod à nobis impellentibus immediatè mouetur, ſeu in quo immediatè imprimitur à nobis impulſus : illud enim eſt, quod ſecum trahit alia omnia. Videtur autem connaturalius, hoc eſſe ſolam quantitatem, nec produci à nobis multos impulſus, ſingulos in ſingulis accidentibus lapidis, quando illum mouemus ; alioquin magis grauitaret lapis, quando haberet plures qualitates : quia ſentiremus in ipſo plures impulſus. *Ponitur hæc virtus in eo ſolo accidenti quod recipit in pane impulſum ab intrinſeco.* Eodem ergo modo videtur ponenda hæc qualitas in illo ſolo accidenti, quod in pane recipit impulſum ab intrinſeco : & trahit ſecum ſubſtantiam panis, & reliqua eius accidentia: quod videtur eſſe ſola quantitas, de quo dicemus latius infra diſp. 10. ſect. 1.

SECTIO III.

Quæ denominationes tribuantur corpori Chriſti ratione ſpecierum : vbi, vtrum corpus Chriſti in Euchariſtia dicatur eſſe in loco?

45. *Quæſtio de modo loquendi.*

QVæſtio hæc eſt de modo loquendi : pendet tamen ex dictis ſectione præcedenti circa vnionem corporis Chriſti cum ſpeciebus : nam qualis fuerit illa vnio, talis debet eſſe communicatio denominationum & prædicatorum à ſpeciebus. *Hæc prædicata ſunt in duplici differentia.* Sunt ergo huiuſmodi prædicata in duplici differentia : alia ſcilicet, quæ ſignificant mutationem localem factam in corpore Chriſti : vt ſi dicas corpus Chriſti eleuatur, defertur, quieſcit, &c. alia vero, quæ ſignificant aliud genus mutationis factæ circa ſpecies, ſeu aliquod prædicatum conueniens propriè ſpeciebus, vt calefieri, frigefieri, videri, tangi, &c. de quibus omnibus poſſunt breuiter duæ regulæ præſcribi.

46. *Prima regula ſit, illa prædicata, quæ ſignificant localem mutationem, tribuuntur corpori Chriſti.*

Prima regula ſit, prædicata prioris generis propriè tribuuntur corpori Chriſti, quia cum corpus Chriſti in Euchariſtia propriè, & intrinſecè moueatur, licet accidens ad motum ſpecierum, & intrinſecè habeat nouam præſentiam, & diſtantiam, non eſt, cur non poſſit propriè ab iis formis denominari. *Secunda regula, alia prædicata, non niſi impropriè tribuuntur.* Secunda regula ſit, prædicata poſterioris generis, quæ ſolum ſunt propria ſpecierum, non poſſunt niſi impropriè, & figuratè attribui corpori Chriſti, ſcilicet vt contento ſub ſpeciebus, quibus propriè tribuitur tale prædicatum. Sic dicimus, Chriſtum videri, tangi, &c. quia licet ſola accidentia ſint obiectũ terminans actum viſionis, dicitur tamen corpus Chriſti viſum mediatè, id eſt, in ſuo continenti: ſicut qui videt burſam, dicitur videre pecuniam in ea contentam. *Neque etiam omnia ſic illi tribuuntur.* Aduertendum tamen eſt, non omnia prædicata ſpecierum attribui Chriſto etiam hoc modo, non enim dicitur Chriſtus calefieri, comburi, &c. calefactis vel combuſtis ſpeciebus.

47. *Difficultas diſparitatis aſſignanda.*

Difficultas eſt, cur magis hæc, quam illa prædicata tribuantur Chriſto impropriè ; cur, ſicut dicitur videri, non dicatur etiam calefieri ? Vaſquez infra *diſp.* 193. *cap.* 2. ponit hanc regulam, vt prædicata, quæ tribui ſolent corpori ratione veſtium, tribui etiam poſſint Chriſto ratione ſpecierum, quæ ſunt quaſi veſtis, qua Chriſtus tegitur. *Regula Patris Vaſquez reiicitur.* Quare ſicut qui tangit veſtem, dicitur tangere hominem, ſic, qui tangit ſpecies, tangere Chriſtum. Verum hæc regula non videtur in vniuerſum vera, quia in primis qui

rumpit

rumpit veſtem, non dicitur rumpere hominem; & tamen fractis ſpeciebus dicitur frangi corpus Chriſti, vt habetur in cap. *Ego Berengarius*, de conſecrat. d. 2. Deinde qui madefacit veſtem, dicitur madefacere hominem, & tamen madefactis ſpeciebus panis, non dicitur madefieri corpus Chriſti. Ad quod

Suarez. probandum P. Suarez *diſp. 47. ſect. 4. in 5. concluſ.* affert textum in cap. *In quadam*, de celebrat. Miſſarum; qui tamen non eſt ad rem: forſitan fuit lapſus calami pro capitulo *Cum Marthæ*, §. *Quæſiuiſti*, eodem titulo, vbi reperiri videtur ille modus loquendi. Illa ergo regula P. Vaſquez non eſt in vniuerſum vera.

Nulla hic aſſignari poteſt vniuerſalis regula. Magis aſſentior P. Suarez nullam in hoc præſcribenti regulam, qui ait, has loquutiones poſſe in hoc ſenſu vſurpari, quæ à ſanctis Patribus vſurpatæ ſunt, nec eſſe facilè extendendas. Quod intellige, niſi ex circumſtantiis ſatis appareat eſſe metaphorica loquutio, vbi tamen eſſet periculum, quod intelligeretur in ſenſu proprio, cauenda eſſet talis loquutio.

48\. Corpus Chriſti propriè dicitur manducari. Hinc infero primo, corpus Chriſti propriè, & ſine figura dici, quod manducetur: quia manducari ſolum importat talem motum localem, per quem ab ore in ſtomachum tranſeat; nec ad hoc neceſſe eſt, quod dentibus confringatur, vel atteratur, nec etiam quod guſtu percipiatur, quidquid dicat Vaſquez vbi ſupra, *num.* 15. alioquin cibus liquidus non manducaretur; vel etiam homo qui ſenſum guſtus amiſiſſet, non diceretur manducare.

49\. Impropriè dicitur frangi. Infero ſecundo, Corpus Chriſti non niſi valde impropriè dici frangi, fractis ſpeciebus; vt habetur in officio Euchariſtiæ: *Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura.* Fractio enim ſignificat diuiſionem partium rei, quæ frangitur: quæ diuiſio non datur inter partes corporis Chriſti. Quare illa loquutio vſurpata à Berengario in confeſſione fidei, non debet intelligi in ſenſu omnino proprio. Oportuit autem Berengarium illo termino vti, vt manifeſta fieret abiuratio ſui erroris negantis veram Chriſti præſentiam in Euchariſtia; vt aduertunt Doctores in præſenti.

50\. Etiam miſceri. Infero tertio, miſtionem propriè non poſſe concedi corpori Chriſti in hoc Sacramento, ſed impropriè, & ratione ſpecierum; quo ſenſu dicimus in Canone: *Hæc commixtio corporis, & ſanguinis Domini.* Hæc eſt contra Vaſquez vbi ſupra *n.* 17. qui contendit, mixtionem propriè conuenire: quia miſtio ex proprio conceptu nec dicit diuiſionem, nec corruptionem miſtiorum, nam grana tritici miſcentur cum granis hordei, quin corrumpantur, vel diuidantur. Cæterum, licet mixtio non includat corruptionem, negari tamen non poteſt, quod includat aliquam diuiſionem partium: ſicut ipſa grana, licet ſingula non diuidantur, aceruus tamen tritici, cui miſcetur hordeum, verè diuiditur per admixtionem hordei: ergo cum ſanguis Chriſti non diuidatur per admixtionem hoſtiæ, ſed ſolæ ſpecies vini, dicendum eſt, mixtionem propriè loquendo ſolum intercedere inter ſpecies.

51\. Inſtabis. Dices, ſi granum tritici miraculoſè replicaretur idem in pluribus locis, ita vt appareret aceruus ex multis granis, & huic aceruo miſceretur aceruus bordei: tunc mixtio fieret ex hordeo & tritico, licet granum non eſſet intrinſecè diuiſum per partes ſui, ſed ſolum ſecundum præſentiam: ergo eodem modo idem ſanguis Chriſti diceretur mixtus aliis ſpeciebus vini non conſecrati, licet idem ſanguis totus ſit in omnibus illis locis.

Reſpondeo. Reſpondeo, in illo caſu fieret mixtio ex præſentiis tritici, & præſentiis hordei, vera & propria, quia illæ eſſent diſtinctæ, & diuiſæ inter ſe: tritici hordeum tamen, & triticum ipſum non eſſet propria, & rigoroſa mixtio, ſed apparens; ſicut & ipſe aceruus tritici non erat verus, ſed apparens. Alioquin ſi illa eſſet vera mixtura, & propria, ſequeretur, ſi vnum granum tritici millies replicatum eo modo miſceretur cum decem granis bordei, & ex illis ſic mixtis fieret panis, poſſe valide conſecrari illum panem; quia ex eiuſmodi maſſa ex mille granis tritici, & decem bordei fieri poſſet panis conſecrabilis; conſequens tamen in illo caſu nemo concedet; quia in vera non eſſet panis triticeus, ſed apparens; nec mixtio eſſet propria, & vera, ſed etiam apparens.

Exemplo Chriſmatis conſirmatur. Vnde in materia Sacramenti Confirmationis, quæ debet eſſe mixta ex oleo, & aliquo balſamo, ſi vaſi olei infunderetur tenuiſſima, & vix perceptibilis gutta balſami, quæ ſecundum ſe non ſufficeret ad mixtionem requiſitam, & ad verum chriſma conficiendum: tunc licet illa gutta diuinitus eadem ſola replicaretur in multis locis, & miſceretur inter partes olei, non multiplicata, ſed ſolum replicata, eſſet quidem mixtio apparens, ſed non eſſet verum chriſma, nec vera mixtio: atque ideo ſi requiritur vera mixtio balſami ad valorem illius Sacramenti, credo, quod non ſufficeret illa materia propter defectum ſufficientis mixtionis, ad quam non ſufficit replicatio eiuſdem inter partes alicui miſcibilis, vt dictū eſt.

52\. Chriſtus non eſt in ſpeciebus tanquam in loco. Ex dictis infertur breuiter reſolutio illius quæſtionis, quæ prolixè ab antiquis tractatur, & quæ ferè eſt quæſtio de modo loquendi: an ſcilicet Chriſtus in hoc Sacramento dicatur eſſe in loco? Quod dubium mouet S. Thomas *quæſtion.* 75. *artic.* 1. & *quæſt.* 76. *artic.* 5. cum quo breuiter dicendum eſt, ſi comparetur ad ſpecies, non eſſe in illis vt in loco; quia ſicut ſubſtantia panis non dicitur eſſe in ſuis accidentibus vt in loco, ita nec corpus Chriſti, quod ſuccedit ſubſtantiæ panis ſub illis accidentibus. An vero, ſi comparetur corpus Chriſti ad locum ſpecierum, poteſt etiam comparari dupliciter: ſcilicet vel corpus Chriſti ſecundum ſe, vel

Eſt tamen propriè in loco. vt denominatum & veſtitum ſpeciebus. In hac ſecunda conſideratione poteſt dici corpus Chriſti eſſe in illo loco circumſcriptiue, non propriè, ſed impropriè, & ſecundum quid: nam ſicut ratione ſpecierum dicitur videri, tangi, &c. impropriè tamen, vt diximus, quia ſpecies videntur, tanguntur, &c. Sic etiam poteſt impropriè dici circumſcribi loco, quia ſpecies circumſcribuntur: cum eadem ſit ratio. Denique ſi ſubſtantia corporis Chriſti ſecundum ſe comparetur ad locum, non dicitur eſſe in loco phyſicè, & quantitatiue, ſeu circumſcriptiue: quia quamuis ſit ibi præſens, propriè loquendo, non tamen per *vbi* circumſcriptiuum, de cuius ratione eſt, quod res vbicata correſpondeat partibus ſpatij per partes ſui ipſius; vt dici in Philoſophia: & in hoc ſenſu negat S. Thomas illo articulo corpus Chriſti eſſe in loco in hoc Sacramento.

53\. An ibi habeat ſit hoc vbi definitiuum, quæſtio eſt de nomine. Maior difficultas eſſe poteſt, an illud *vbi*, quod habet corpus Chriſti, ſit *vbi* definitiuum? Sanctus Thomas illo *artic.* 5. *ad* 1. negat eſſe *vbi* definitiuum: quia non ponitur taliter ibi corpus Chriſti, vt non ſit alibi, verum hoc pertinet omnino ad modum loquendi: nam ſi dicas *vbi* definitiuum eſſe, vt res, quæ eſt in hoc loco definitiue, non ſit alibi, plane non dicetur Chriſtus eſſe definitiue in Euchariſtia: imo neque anima Chriſti vere in cœlo erit definitiue, cum non ſit taliter ibi, vt non ſit alibi. Si vero cum aliis dicas de ratione *vbi* definitiui ſolum eſſe, quod res taliter ſit in hoc loco, vt eo ipſo non poſſit ſine nouo miraculo eſſe in alio loco ſeparato: tunc magis poteſt dubitari, an Chriſtus habeat *vbi* definitiuum in Euchariſtia. De hoc tamen diximus ſupra *diſp.* præcedenti *ſect.* 8.

DISPVTATIO VII.

De Conuerſione Panis, & Vini in Corpus & Sanguinem Chriſti.

SECTIO I. *Quæ requirantur, vt vnum in aliud conuertatur.*
SECTIO II. *Refertur prima ſententia de natura huius conuerſionis.*
SECTIO III. *Impugnatur reſponſio, & ſententia Ægidij de Conin. de neceſſitate nouæ actionis productiuæ corporis Chriſti.*
SECTIO IV. *Examinantur ſolutiones Recentiorum ad defendendam productionem nouam corporis Chriſti.*
SECTIO V. *Referuntur, & impugnantur aliæ duæ ſententiæ.*
SECTIO VI. *Proponitur, & explicatur noſtra ſententia.*
SECTIO VII. *Explicantur iuxta hanc ſententiam omnes conditiones requiſita ad veram conuerſionem in conuerſione Euchariſtica.*
SECTIO VIII. *Diſſoluuntur obiectiones contra noſtram ſententiam.*
SECTIO IX. *Reſpondetur ad alia argumenta Recentiorum contra noſtram ſententiam.*
SECTIO X. *Infertur ex dictis reſolutio aliquarum quæſtionum.*
SECTIO XI. *Vtrum per hanc conuerſionem deſinat omnino ſubſtantia panis?*
SECTIO XII. *Vtrum ſubſtantia panis, & vini annihiletur.*

1. *Potiſſima huius materiæ quæſtio.*

VENIMVS iam ad potiſſimam huius materiæ difficultatem, quomodo conuertatur panis, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti; de qua difficultate agit potiſſimè S. Thomas *art.* 4. huius quæſtionis 75. & cum eo latiſſimè Recentiores; quorum prolixa diſputatio rem ex ſe difficilem non parum, difficiliorem reddidit. Meum munus erit hanc controuerſiam ad eam menſuram reducere, vt facilè poſſit à lectore comprehendi, punctum difficultatis exprimere, aliorum ſententias breuiter reiicere, & noſtram quà fieri poſſit claritate aperire. Oportebit autem in primis præmittere, quid intelligant nomine *Conuerſionis*, quando dicimus panem conuerti in corpus Chriſti: quam quidem quæſtionem vtpote Philoſophicam tractaui in lib. de Generatione. Neceſſe tamen eſſe illam doctrinam in præſenti compendioſè repetere, vt omnino neceſſariam ad noſtram controuerſiam.

SECTIO I.

Quæ requirantur, vt vnum in aliud conuertatur.

2. *Hic tantum eſt conſulendus communis hominum dicendi modus.*

HÆc quæſtio plus habet de nomine, quam de re; non enim quærimus de naturis rerum in ſeipſis, ſed an hæc, vel illa mutatio appellari poſſit conuerſio? Quare ſicut in aliis quæſtionibus de modo loquendi conſulendus nobis præcipuè eſt communis hominum loquendi, & concipiendi modus, & conuerſiones etiam, quæ frequentius occurrunt, & pro quibus hoc nomen impoſitum eſt, vt ex illis ad ſimiles ſolum mutationes hoc vocabulum extendere poſſimus.

3. *Quid ſit conuerſio.*

Imprimis ergo, vt aliqualem conuerſionis definitionem præmittam, conuerſio dicitur *tranſitus vnius rei in aliam*; quod ipſum *conuerſionis* nomen ſonare videtur: ex quo apparet diſcrimen *conuerſionis* ab aliis naturalibus. Nam illuminatio aëris, v.g. eſt mutatio à non lucido in lucidum; non tamen eſt conuerſio, quia non eſt tranſitus à re in rem, ſed à negatione, ſeu priuatione ad formam. Conuerſio ergo ex ſuo conceptu verſatur inter duos terminos poſitiuos; alter dicitur *terminus à quo*, & alter *terminus ad quem*: vt cum lignum conuertitur in ignem, lignum eſt terminus *à quo*, & ignis eſt terminus *ad quem*. *Verſatur inter duos terminos poſitiuos.*

4. *Includit duas mutationes.*

Hinc infertur primo, conuerſionem includere in ſuo conceptu duas mutationes; alteram negatiuam, alteram poſitiuam; nam in exemplo poſito, quando lignum conuertitur in ignem, datur vna mutatio negatiua ligni in non lignum: & altera poſitiua, ex non igne & ignem. Prima mutatio habet pro termino *à quo* lignum & pro termino *ad quem* negationem ligni: ſecunda mutatio habet pro termino *à quo* negationem ignis: & pro termino *ad quem* ipſum ignem. Itaque tota conuerſio ſicut includit duas mutationes, ita verſatur inter quatuor terminos, duos negatiuos, & duos poſitiuos: quod in omni conuerſione facilè reperies. Omnis enim conuerſio eſt deſitio vnius cum ſucceſſione alterius: quare ſolus terminus *à quo* denominatur à conuerſione conuerſus: terminus vero *ad quem* non dicitur conuerſus, ſed ſuccedens alteri per conuerſionem. *Dicit quatuor terminos.*

5. *Multiplex eſt conuerſio.*

Infertur ſecundo, multiplicem dari conuerſionem: alia eſt accidentalis, vt ex frigido in calidum: alia ſubſtantialis, vt ex ligno in ignem: item alia formalis, vt cum ſuccedit vna forma alteri ſub eadem materia, vt in caſu poſito, quando ex ligno fit ignis; alia poſſet eſſe conuerſio materialis, ſi eadem forma è contra diuinitus tranſiret ab vna materia in aliam: alia denique conuerſio ſubſtantialis totalis, vt panis in corpus Chriſti; non enim manet ſubſtantia communis vtrique termino, ſed tota ſubſtantia variatur, & hæc appellatur *tranſſubſtantiatio*, id eſt tranſitus vnius ſubſtantiæ in aliam. *Totalis dicitur tranſſubſtantiatio.*

6. *Requirit connexionem aliquam inter deſitionem termini, & poſitionem alterius.*

Infertur tertio, ad omnem conuerſionem requiri, quod detur connexio aliqua inter deſitionem vnius termini, & poſitionem alterius; ratione cuius deſitio vnius non ſit merè concomitanter cum poſitione alterius: quod in primis conſtat ex omnibus conuerſionibus, quas experimur. Frigus enim repugnat calori, ignis ligno, mors vitæ, &c. quod & nomen ipſum *conuerſionis* ſonare videtur: hoc enim tranſire in illud, non eſt mere deſinere, quando aliud incipit: alioquin ſi nunc deſinat lapis, & Angelus creetur, dicetur lapis conuerſus in Angelum, quod eſt ridiculum: requiritur ergo connexio aliqua inter deſitionem vnius, & poſitionem alterius. An vero hæc connexio debeat eſſe phyſica, & ex natura rei, an vero ſufficiat connexio extrinſeca ex fine, ſeu intentione operantis, nolentis ponere vnum niſi deſtruendo aliquid, dicemus infra ſect. 10.

7. *Non tamen hæc connexio ita ſtricte debet accipi.*

Aduerte tamen, cum dicimus requiri connexionem inter poſitionem vnius, & deſitionem alterius, non debere ita ſtrictè accipi, vt introductio vnius termini ſit cauſa formalis expulſionis alterius: nam licet aliquando ita contingat, calor enim formaliter expellit frigiditatem, & expulſio frigoris eſt effectus ſecundarius proueniens à calore, prius enim intelligitur ſubiectum calidum quam expellatur frigus: & ideo expellitur frigus, quia introducitur calor,

calor, & non è contra; vt dixi in ſecundo Phyſic. agens de cauſa formali. Cæterum aliquando introductio vnius formæ non eſt cauſa formalis expulſionis alterius: nam forma ignis non eſt cauſa formalis expulſionis formæ ligni, vt dixi etiam in prædicto loco: cum enim ante formam ignis dentur in ſubiecto diſpoſitiones ad ipſam in priori naturæ, & per has diſpoſitiones expulſæ fuerint diſpoſitiones requiſitæ ad formam ligni; conſequens eſt, vt independenter à forma ignis expellatur forma ignis ex defectu ipſo ſuarum diſpoſitionum; & per conſequens forma ligni non expellitur formaliter, & immediatè à forma ignis, ſed deſinit ob defectum ſuarum diſpoſitionum, quæ expelluntur non à forma ignis, ſed à calore, & aliis diſpoſitionibus præcedentibus formam ignis. Habemus ergo non requiri ad hoc, vt vnum conuertatur in aliud, quod vnum expellat aliud; nam lignum tranſit in ignem, & tamen forma ignis non expellit formaliter, & immediatè formam ligni. Sufficit ergo ad conuerſionem, quod detur inter vtrumque terminum connexio ſaltem mediata, & ex conſequenti; ratione cuius introductio vnius termini habeat ordinem cum expulſione alterius.

Nec vna forma neceſſario debet aliam expellere.

8. Infertur quarto, ad omnem conuerſionem propriam requiri, quod detur aliquod commune, quod idem perſeueret cum vtroque termino, & in ordine ad quod vterque terminus repugnet. Sic enim videmus contingere in omnibus conuerſionibus, quas experimur; nam forma ligni, & ignis pugnant in ordine ad eandem materiam, quæ manet ſub vtraque, calor & frigus in ordine ad idem ſubiectum; corpus Christi, & ſubſtantia panis verſantur circa eadem accidentia; & ſic de aliis. Ratio autem huius conditionis eſt, quia eo ipſo, quod vnum conuertatur in aliud, dicitur vnum fieri ex alio, & vnum terminum formalem ſuccedere alteri, & poni loco alterius, & ſupplere vicem illius: ſupplere autem debet eſſe in ordine ad aliquod tertium, cui deeſt terminus *a quo*, & cui aduenit terminus *ad quem* in aliquo munere, quod prior terminus exercebat circa aliquod tertium, quod idem munus exerceret terminus adueniens, & ratione cuius ſucceſſionis dicitur hoc ſecundum eſſe quod erat primum. Sic enim dicimus: *Quod erat lignum, iam eſt ignis: Quod erat homo, iam eſt cadauer*: imo in præſenti dicitur aliquando: *Quod erat panis, eſt corpus Chriſti*: qui modus loquendi vſurpari ſolet in quacumque conuerſione, non quod ſignificetur identitas omnimoda vtriuſque extremi, (quam in hoc ſenſu eſſent falſæ prædicationes) ſed ſolum ſucceſſio in eodem munere circa aliquod tertium; quaſi dicas, munus, quod antea exercebat forma ligni, exercet modo forma ignis: ſicut etiam, quando Petrus ſuccedit Paulo in Prætura, dicere vulgo ſolemus, *quod antea erat Paulus in hac ciuitate, eſt nunc Petrus*: qui modus loquendi eſt de intrinſeca ratione conuerſionis, vt patet. Nam eo ipſo, quod audias, aquam fuiſſe conuerſam in vinum, dicere poteris, aquam factam eſſe vinum, ſeu id quod erat aqua, eſſe iam vinum: non poſſet autem hæc loquutio vllo modo vſurpari, ſi non maneret aliquod tertium, in ordine ad quod terminus adueniens ſuccederet præcedenti in eodem munere, vt de ſe conſtat: nam ſi, deſtructo omnino lapide, Deus produceret Angelum, nullo modo dici poſſet: *lapis factus eſt Angelus*: nec, *id, quod erat lapis, eſt iam Angelus*: ergo dicendum eſt, de ratione conuerſionis, prout ab omnibus communiter concipitur, & vſurpatur, eſſe, quod aliquid maneat commune vtrique termino, in ordine ad quod vterque terminus repugnet. Alioquin ſi hoc non requireretur, ſed ſufficeret repugnantia ad exiſtendum ſimul ex decreto Dei, v.g. poſſemus dicere bella, quibus orbis plenus erat ante Chriſti natiuitatem, conuerſa fuiſſe in Chriſtum, quia nimirum Deus ſuſtulit bella, vt Chriſtus cum maiori decentia naſceretur: quod tamen videtur omnino falſum.

Requirit quarto aliquid commune vtrique termino.

Ratio eſt, quia vnum ſuccedit alteri ſuppletque illius vicem.

9. Infertur quinto, in omni conuerſione requiri duplicem terminum poſitiuum *à quo*, & duplicem terminum poſitiuum *ad quem*: terminus *à quo* (& idem eſt de termino *ad quem*) alius dicitur terminus totalis, alius terminus formalis: exemplum ſit in conuerſione, qua ex ligno fit ignis; nam forma ligni eſt terminus formalis *à quo*, id eſt, eſt illud quod expellitur à compoſito; & forma ignis eſt terminus formalis *ad quem*, id eſt, eſt illud, quod de nouo introducitur in illud compoſitum. At vero lignum dicitur terminus totalis *à quo*, & ignis dicitur terminus totalis *ad quem*. Sic etiam in conuerſione Euchariſtica, termini formales ſunt ſubſtantia panis, & corpus Chriſti; terminus vero totalis *à quo*, eſt concretum ex pane & accidentibus; & terminus totalis *ad quem* eſt concretum ex corpore Chriſti, & accidentibus panis.

Requirit quinto duplicem terminum poſitiuum à quo, & duplicem ad quem.

10. Infertur ſexto, in omni conuerſione requiri, quod deſinat ſaltem terminus totalis *à quo*, v.g. vt ex ligno fiat ignis, requiritur, quod lignum deſinat ſimpliciter. Quod ex ipſa voce conuerſionis ſatis conſtat, & ex iis, quæ ſupra diximus de duabus mutationibus, quas conuerſio includit in ſuo conceptu. Alias ſi terminus totalis non deſineret, nihil erit, quod deſinat per conuerſionem. Conuerti autem vnum in aliud, eſt vnum deſinere in aliud, tranſire in aliud: ergo non manet in ſuo eſſe. Maior eſt difficultas, an etiam debeat deſinere terminus formalis *à quo*, an ſcilicet ipſa etiam forma ligni debeat perire; an ſatis ſit exire ab illo compoſito; in quo breuiter dicendum, ad hoc vt lignum dicatur conuerti in ignem, requiri deſtructionem ligni, non deſtructionem formæ ligni: at vero ad hoc, vt non ſolum dicatur lignum conuerti in ignem, ſed etiam forma ligni in formam ignis, requiritur etiam deſitio ipſius formæ ligni. Prima pars reſponſionis probatur, quia homo dicitur conuerti in cadauer, vel in ignem; & tamen forma hominis non deſinit ſimpliciter eſſe, ſed ſolum deſinit informare illam materiam; ergo deſtructio termini formalis non requiritur, vt compoſitum dicatur conuerti in aliud.

Requirit ſexto quod ſaltem deſinat terminus totalis à quo.

Quid dicendũ ſit de termino formali à quo.

11. Secunda vero pars conſtat etiam ex dictis; quia illud, quod dicitur conuerti in aliud, eo ipſo dicitur deſinere in aliud; ergo vt de ipſo termino formali dicatur vere, quod conuertitur in alium terminum formalem, requiritur deſitio ipſius termini formalis. Ex quo fit, quod in caſu poſito licet homo dicatur conuerti in cadauer, non tamen dicitur forma hominis conuerſa in formam cadaueris, quia nimirum forma hominis non deſtruitur: at vero quando perit equus, poteſt dici formam equi conuerti in formam cadaueris; quem modum loquendi habet poſt alios Valentia in præſenti, *diſp.6 quæſt.1.part.3. col.3.* vbi ait, formam nutrimenti conuerti in formam viuentis, id eſt in animam: licet hæc loquutio non ſit tam vſitata inter formas, quam inter compoſita, non ideo eſt minus vera; ſed quia denominationes communiter tribuuntur ſuppoſitis completis, & non vni parti, ideo communiter compoſitum dicitur conuerti in compoſitum, quia illud eſt quod deſinit *vt quod*; & incipit *vt quod*. Cæterum in conuerſione Euchariſtica communiter etiam dicitur conuerti terminus formalis in alium formalem; ſcilicet ſubſtantia panis in corpus Chriſti: quia ſubſtantia panis non ſolum deſinit eſſe in illo compoſito;

Forma hominis non dicitur conuerſa in formam cadaueris.

Valentia.

Conuertitur in Euchariſtia etiam terminus formalis à quo.

poſito, ſed definit eſſe ſimpliciter; & aliunde cùm non ſit forma, ſed integrum ſuppoſitum, non eſt cur non dicatur ſimpliciter, & abſolute conuerti in corpus Chriſti, iuxta doctrinam traditam.

12. *Confirmatur ex modo loquendi quorundā PP.*
Confirmatur que poteſt ex modo loquendi ſanctorum Patrum, qui contra Eutychetem inde probabant, naturam Diuinam non potuiſſe conuerti in naturam humanam, vel aliam naturam, quia ſcilicet natura Diuina non poteſt deſinere eſſe. Sic loquitur Vigilius Martyr, *lib 4. contra Eutychetem, quatuor capitibus ante finem*, vbi ex Hæreticorum etiam confeſſione ſupponit, Verbum non potuiſſe in aliud conuerti, his verbis: *Nam qui paulo ante Dei verbum inconuertibile faſſi fueratis, cur ipſum id neſcio qua conuerſione mutatum aſſeritis valtis.* Gelaſius item Papa de duabus naturis paulo poſt principium, qui vterque habetur in quinto tomo Bibliothecæ Patrum, & alij id pro comperto ſupponunt, ſi Verbum in aliam naturam conuerteretur, id deſitionem arguere Diuinitatis: quia nimirum id, quod in aliud conuertitur, non manet amplius in ſeipſo.
Vigilius Mart. *Gelaſius Papa.*

13. *Prima obiectio Coninck.*
Huic doctrinæ opponit ſe P. Coninck in præſenti, *dub 4. num. 135.* dicens, nunquam denominari à conuerſione ipſas formas, nec dici frigus conuerſum eſſe in calorem, ſed frigidum in calidum, quod eſt ſubiectum conuerſionis: ſed certe negare non poteſt, ipſam etiam formam dici conuerti in aliam: ſic etiam Chriſtus dixit Ioann. 16. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*: vbi nam forma dicitur etiam in aliam frequenter conuerti Eſther c. 9. *Luctus, atque triſtitia in hilaritatem gaudiumque conuerſa ſunt*. & c. 17. *Conuerte luctum noſtrum in gaudium* Leuit. 13. *eo quod omnis lepra in candorem verſa ſit*: & alibi paſſim. Porro ſi vna forma accidentalis conuerti dicitur in aliam, vt triſtitia in gaudium, rubor in albedinē, & c. quanto magis dici poterit vna forma ſubſtantialis conuerſa in aliam, anima equi in formam cadaueris, forma ligni in formā cineris; & ſic de aliis?
Ioann. 16. *Eſther c. 9 & 17* *Leuit. 13.*

14.
Hinc tamen oritur duplex difficultas: prima, an ſicut requiritur deſitio termini formalis *à quo*, vt poſſit dici terminus formalis conuerti in formalem *ad quem*: ſic etiam requiratur inceptio noua termini formalis *ad quem*, ad hoc, vt terminus *à quo* dicatur in ipſum conuerſus? ſic enim ſentiunt plures, qui ideo ponunt in Euchariſtia actionem nouam terminatam ad ſubſtantiam corporis Chriſti in ſe ipſa, quæ ſubſtantia panis dicitur conuerſa in ipſum corpus Chriſti.

15. *Non requiritur inceptio termini formalis ad quē*
Cæterum verius eſt non requiri inceptionem termini formalis *ad quem*; & quidem ſi requireretur talis inceptio, non ſatis eſſet ponere actionem nouam terminatam ad corpus Chriſti; nam illa actio non eſt ſatis, vt corpus Chriſti dicatur ſimpliciter incipere, ſicut nec deſitio illius actionis ſufficit, vt corpus Chriſti dicatur ſimpliciter deſinere, ſed ſolum dicitur incipere, vel deſinere terminare duas actiones; ergo ſi philoſophandum eſſet de inceptione termini *ad quem*, ſicut de deſitione termini *à quo*, dicendum eſſet conſequenter, ſicut ex parte termini *à quo* requiritur ſimpliciter deſitio, ita ex parte termini *ad quem* requiri inceptionem ſimpliciter, & non ſolum inceptionem nouæ actionis ad ipſum terminatæ. Ratio ergo diſcriminis inter terminum *à quo*, & *ad quem*, ſumitur ex ſupra dictis: nam terminus *à quo* eſt, qui denominatur conuerſus, & per conſequens deſinens in aliam; atque adeo ex parte eius requiritur deſitio ſimpliciter; at vero terminus *ad quem* ſolum denominatur per conuerſionem ſuccedens termino *à quo*: ad hoc autem non eſt neceſſe, quod de nouo incipiat habere eſſe, ſed ad ſummum, quod incipiat eſſe in illo munere, in quo ſuccedit termino *à quo*; quod diſcrimen amplius confirmabitur ex dicendis infra pro noſtra ſententia.
Ratio diſcriminis eſt.

Ex hoc autem oritur ſecunda difficultas: an, ſicut ad conuerſionem termini formalis in formalem non requiritur inceptio ſimpliciter termini formalis: ſic etiam non requiratur inceptio ſimpliciter termini totalis *ad quem*, v. g. ſi diuinitus conſeruaretur in vno ſubiecto calor intenſus cum frigore intenſo, & poſtea, ceſſante miraculo, periret frigus, manente calore, an diceretur tunc frigidum conuerti in calidum, ſeu frigus illud in illum calorem? Ratio dubitandi eſt, quia tunc verè deſinit frigus ex vi caloris. Reſpondeo tamen illam non eſſe propriè conuerſionem, quia conuerſio (vt dictum eſt) ſicut denominat conuerſum terminum *à quo*, ita denominat ſuccedentem terminum *ad quem*: ſucceſſio autem ex ſuo conceptu importat inceptionem: ergo terminus formalis *ad quem* licet non incipiat in ſuo eſſe, debet tamen incipere in illo munere, in quo ſuccedit termino *à quo*: & per conſequens terminus totalis *ad quem*, debet de nouo incipere. 16.
Non eſſet tunc propria conuerſio. *Terminus totalis ad quem debet de nouo incipere.*

His ergo de conuerſione in communi ſuppoſitis, videamus iam quomodo in Euchariſtia ratio conuerſionis reperiatur.

SECTIO II.

Refertur prima ſententia de natura huius conuerſionis.

SVppunendum imprimis, in conſecratione Euchariſtiæ non ſolum inueniri poſitionem corporis Chriſti vtcumque ſub ſpeciebus panis, ſed verā, & realem conuerſionem ſubſtantiæ panis in corpus, & ſubſtantiam vini in ſanguinem Chriſti. Quæ doctrina licet in Scriptura ſub his terminis non ſit expreſſa, & licet antiquitus forſitan non fuerit tam dilucide propoſita, ſemper tamen quo ad rem ipſam in Eccleſia credita fuit, vt definit Tridentinū *ſeſſ. 13. cap. 4.* & ſub eodem nomine *conuerſionis* definita fuerat in Florentino in decreto Eugenij, & inſinuata à SS. Patribus paſſim, quorum verba affert Suarez in præſenti *diſp. 50. ſect. 1.* Addit Tridentinum, hanc conuerſionem conuenienter, & propriè ab Eccleſia appellari *Tranſſubſtantiationem*. 17.
Suppono in Euchariſtia reperiri verā conuerſionem. *Conc. Trid.* *Florent.*

Hinc ergo naſcitur huius quæſtionis difficultas; nam imprimis talis conuerſio non videtur poſſe clara colligi ex ſcriptura, ex qua ſolum conſtat, corpus Chriſti contineri ſub ſpeciebus panis; hoc autem potuit ſtare ſine conuerſione panis in ipſum: ergo cum aliunde difficile ſit in hoc myſterio explicare veram rationem conuerſionis ſubſtantialis, non eſt, cur myſterium difficile difficilius reddatur, ſcriptura non cogente. Deinde, non dari in præſenti conuerſionem ſubſtantialem, probatur, quia nulla interuenit actio ſubſtantialis: ergo nec conuerſio ſubſtantialis. Probatur conſequentia, quia conuerſio ſubſtantialis eſt mutatio ſubſtantialis. Antecedens vero probatur, quia non eſt aliquis terminus ſubſtantialis, ad quem talis actio conuerſiua terminetur: non quidem corpus Chriſti: hoc enim iam præſupponitur exiſtens: ſed nec aliqua vnio corporis Chriſti ad ſpecies; nam hæc non eſt ſubſtantialis, ſed mere accidentalis, & impropria, vt conſtat ex diſput. præcedenti. Ergo non poſſumus aſſignare in hoc myſterio aliquam actionem nouam ſubſtantialem, & per conſequens nec ſubſtantialem conuerſionem. 18.

Hæc difficultas diuiſit Theologos antiquiores, & recentiores in varias ſententias, quas quidem omnes ſigillatim referre prolixum eſſet, & inutile; ſunt enim 19.
Diuiſi theologi in explicāda hac conuerſione.

enim innumeræ, & quarum plures falſo forſitan ſuis Auctoribus tribuuntur. Quare operæ pretium duxi eas ſolum afferre, quæ apud recentiores, qui clarius ſuam mentem aperuerunt, communiores ſunt. Nam ex iis, quæ circa has ſententias dicta fuerint, facile erit de aliis iudicare. Videatur tamen Vaſquez, qui plures refert in præſenti, *diſput* 181. *cap.* 1. & ſequentibus.

20. *Prima ſententia requirit nouam actionem, terminatam ad ipſum corpus Chriſti.* Prima ergo ſententia ſit, quæ docet, ad conuerſionem Euchariſticam neceſſario requiri aliquam nouam actionem terminatam ad ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti: nam licet corpus Chriſti ante verba conſecrationis ſufficienter cōſeruetur per actionem, qua pendet à Deo: poſt conſecrationem tamen incipit dependere per aliam nouam actionem, cum non repugnet, aliquem effectum pendere ſimul per duas actiones adæquatas & hæc quidem actio non dicitur proprie productio, ſed conſeruatio corporis Chriſti, eo quod per illam non incipit de nouo exſiſtere extra cauſas. Cæterum, ſi antea non exſiſteret, hæc ipſa actio talis eſt, vt per ipſam ſufficienter produceretur de nouo ille effectus. Itaque hæc ſententia petit, quod actio aliqua de nouo terminata ad terminum formalem conuerſionis in ſe ipſo, quod eſt corpus Chriſti; alioquin non ſaluaretur perfecte, quomodo panis conuertatur ſubſtantialiter in corpus Chriſti. Hanc ſententiam tenent aliqui antiquiores, quos refert, & ſequitur Suarez in præſenti, *diſput.* 50. fere per totam. P. Ægidius Coninck *in præſenti art.* 4. *dub.* 5. & plures recentiores.

Coninck. Suarez.

Fundamentum huius ſententiæ. Fundamentum præcipuum eſt, quia hæc conuerſio eſt ſubſtantialis; ſed actio ſubſtantialis debet terminari ad aliquid ſubſtantiale; ergo per hanc actionem conuerſiuam attingitur aliqua ſubſtantia, non alia; ergo corpus Chriſti ſecundum ſe ipſum.

21. *Hæc ſententia diſplicet ex triplici capite.* Hæc ſententia licet non paucis ſit valde plauſibilis, mihi numquam potuit placere, idque triplici potiſſimum capite. Primo, quia hæc actio non videtur poſſibilis. Secundo, quia non videtur ſufficiens ad conuerſionem. Tertio, quia non eſt neceſſaria ad veram conuerſionem. Et, vt ad primum veniamus, *Primo quia non videtur poſſibilis talis actio.* admitto, poſſe de potentia abſoluta eumdem effectum dependere ſimul à duplici cauſa adæquata, ſiue ab vna, & eadem per duplicem actionem adæquatam. Cæterum in noſtro caſu eſt peculiaris difficultas, vt corpus Chriſti terminet nouam actionem adæquatam; quia illa actio in ſententia Patris Suarez procedit ab humanitate ipſius Chriſti, & per conſequens ſequeretur, idem eſſe cauſam ſui ipſius; quod in omni bona Philoſophia repugnat, *Quia idem eſſet cauſa ſui ipſius.* loquendo de vera & Phyſica cauſalitate; quod non ſolum debet intelligi de prima productione, ſed etiam de conſeruatione, vt docet S. Thomas 1. *part.* q. 104. *art.* 1. *ad.* 2. negans poſſe Deum facere, quod aliqua creatura conſeruet ſe ipſam.

22. *Reſpondet Suarez.* Reſpondet P. Suarez vbi ſupra *ſect.* 5 idem non poſſe eſſe cauſam ſui ipſius quoad primam actionem, per quam accipit eſſe; non vero repugnare, quod eadem res habens iam eſſe per vnam actionem; ſit cauſa ſui ipſius per aliam ſecundam actionem poſteriorem; quia in hoc caſu iam ſupponitur cum tota ſua entitate independenter à ſecunda actione. *Impugnatur primo.* Sed contra; primo, quia hæc doctrina non poteſt ſtare cum definitione cauſæ in communi, quam ipſe Suarez tradit *tom.* 1. *Metaph. diſp.* 12. *ſect.* 2. quod ſcilicet cauſa ſit *principium, per ſe, influens eſſe in aliud*; vbi requiritur ad rationem cuiuſcumque cauſæ diſtinctio inter cauſam, & effectum, nulla facta prorſus exceptione.

23. *Impugnatur ſecundo.* Cōtra ſecundo, quia omnis cauſa ſecundum eſſe, per quod cauſat, debet præſupponi ad effectum: nō poteſt autem corpus Chriſti præſupponi ad ſeipſū prioritate naturæ, de qua loquimur (nam prioritas temporis per accidens ſe habet ad cauſandum) licet enim actio prima, quę præintelligitur corpus Chriſti conſeruari à ſolo Deo, ſit prior quam ſecunda actio, qua conſeruatur in Euchariſtia; & inter illas duas actiones, poſſimus concipere ordinem prioris, & poſterioris; & per conſequens corpus Chriſti vt conſeruatum per vnam actionem ſit prius ſe ipſo vt conſeruato per aliam: cæterum tota hæc prioritas eſt vnius actionis ad aliam, non vero corporis Chriſti ad ſeipſum; quia cum corpus Chriſti conſeruatum per illas duas actiones ſit vnum & idem etiam ratione, non poteſt intelligi, quod ſit prius ſeipſo; prioritas enim realis eſſentialiter eſt ad aliud, vt de ſe conſtat; ergo corpus Chriſti ſecundum ſe non influit per ſecundam actionem in ſeipſum. Patet conſequentia: quia per prioritatem cauſæ ad effectum, non ſolum ſignificamus prioritatem actionis ad effectum, ſed multo magis prioritatem ipſius cauſæ ſecundùm ſuam entitatem ad effectum ſecūdùm ſuam entitatem, imo prioritas, quam habet actio, eſt ſolum prioritas originis, prioritas vero, quam habet entitas cauſæ eſt prioritas naturæ: ergo vbi nō datur hæc prioritas, nō datur vera cauſalitas.

Contra tertio; quia ex illa doctrina non parum infirmátur plura dogmata noſtræ Religionis; quod ſcilicet Deus ſit improductus; quod Spiritus ſanctus diſtinguatur à Filio: quod Filius à Patre; quod vna perſona procedat à ſeipſa, &c. Poſſet enim aliquis dicere, Deum vt præexſiſtentem cum ſuo eſſe independenter ab alio, poſſe eſſe principium actionis, qua iterum habeat idem eſſe à ſeipſo: item Filium vt procedentem à Patre, & vt præintelligitur cum ſuo eſſe accepto à Patre per generationem, poſſe eſſe principium generandi, vel ſpirandi ſeipſum, & per conſequens dandi ſibi iterum idem eſſe, quæ omnia abſurda ſunt, & contra omnem Philoſophiam, & Theologiam. 24. *Impugnatur tertio.*

Contra quarto, quia iam illa actio ſecunda non eſſet adæquata reſpectu corporis Chriſti, vt vocatur ab eis Auctoribus. Probatur ſequela, quia actio adæquata dicitur illa ex vi cuius nulla alia intellecta, quæ terminet idem effectus, ponitur ſufficienter effectus à parte rei; at vero iſta actio eſſentialiter eſt talis, vt præſupponat corpus Chriſti exſiſtēs, & per conſequens conſeruatum per aliam actionem; ergo iſta actio ex ſuo conceptu non eſt adæquata, ſed inadæquata; ſicut actio ſpeciei in actum viſionis ex ſuo conceptu eſt inadæquata, quia non poteſt ponere effectum à parte rei niſi ſimul detur influxus potentiæ viſiuæ in eumdem effectum. 25. *Impugnatur quarto.*

Ex quibus etiam reiicitur euaſio aliorum, qui, ne concederent, aliquid eſſe cauſam ſui ipſius, dixerunt, animam Chriſti producere ſuum corpus, corpus vero producere animam, & per hoc nihil pendere à ſeipſo. Contra hoc tamen eſt, quod iiſdem rationibus, quibus impugnatur productio ſui ipſius, impugnatur etiam mutua cauſalitas & dependentia, nam ex hac ſequeretur, aliquid eſſe cauſam mediatam ſui ipſius, & per conſequens eſſe priorem, & poſteriorem ſeipſa, & Filium poſſe procedere à Spiritu ſancto, & alia huiuſmodi: nam licet ſucceſſiue poſſit aliquid pendere à ſuo effectu (poſſet enim ego nunc reproducere diuinitus meum patrem) cæterum pro eodem inſtanti fieri nō poteſt, vt ego influam nunc in eam entitatem, à qua nunc actualiter accipio meum eſſe. Sed de hoc dixi tomo de Incarnatione, *diſp.* 8. *ſect.* 6. vbi impugnaui aliquos recētiores, qui noſtram doctrinam amplexi ſunt quoad cauſalitatē phyſicam, negant tamen quoad cauſam moralem; 26. *Reiicitur euaſio aliorum qui admittunt animæ cauſalitatem in corpus, & corporis in animā.*

vbi tamen probaui, eandem debere eſſe de vtraque rationem. Quare non eſt, quod amplius in hoc capite immoremur.

27. *Secundo non videretur hæc actio ſufficiens ad conuerſionem.*

Veniam ergo ad ſecundum caput impugnationis, quod ſcilicet prædicta actio, eſto eſſet poſſibilis, non eſſet actio conuerſiua panis in corpus Chriſti; quod quidem probatur, quia actio conuerſiua debet eſſe illa, per quam corpus Chriſti ſuccedit ſubſtãtiæ panis in eodẽ munere in ordine ad eadem accidentia, vt conſtat ex doctrina Sectionis præcedentis: conuerti enim panem in corpus Chriſti, nõ eſt deſinere panem, & produci corpus Chriſti, ſed ſuccedere corpus Chriſti ſubſtãtiæ panis; ergo productio corporis Chriſti formaliter loquendo, non eſt conuerſio panis in ipſum. Explicatur hoc, exemplo generationis humiuis, vbi poſſumus etiam conſiderare duas actiones; alteram, qua creatur anima rationalis; alteram, qua vnitur corpori; illa prior actio, licet præſupponatur ad generationem hominis, non eſt tamen formaliter loquendo, generatio hominis; nam licet anima præexiſteret creata multis retro annis, ſi tamen modo vniatur corpori, nũc diceretur homo generari, ſicut modo dicitur alimentum conuerti in hominem, licèt forma hominis modo non producatur; actio ergo conuerſiua alimenti in ſubſtantiam hominis non eſt actio productiua, ſed vnitiua animæ rationalis. Sic etiã in præſenti actio conuerſiua panis in corpus Chriſti non eſt actio productiua corporis Chriſti, ſed vnitiua, & introductiua ipſius in illud cõpoſitum; ergo illa productio corporis Chriſti neque eſt cõuerſiua, neque conſtituit formaliter conuerſionem, ſed debet poni alia actio diuerſa, quæ ſit formaliter conuerſio.

Explicatur hoc exemplo generationis hominis.

28. *Tertio impugnatur quia talis actio non eſt neceſſaria.*

Denique impugnatur prædicta ſententia ex tertio capite; quia nimirum illa actio, licèt eſſet poſſibilis, non eſt tamen neceſſaria ad explicandum hoc myſterium; ergo cum aliunde ſit difficilis, & valdè miraculoſa, non eſt ponẽda; nec enim oportet multiplicare miraculoſa, aut nouas difficultates congerere, quibus hoc myſterium difficilius reddatur. Porro, non eſſe neceſſariam talem actionem, probari poteſt triplici etiam capite. Primò, quia, quod Fides docet in hoc myſterio, ſolum eſt, quod detur conuerſio panis in corpus Chriſti, quæ conuerſio *tranſſubſtantiatio* appellatur. Ad hoc autem non eſt neceſſaria productio noua corporis Chriſti, ſed ſufficit actio, qua corpus Chriſti denouo introducatur, & ponatur ſub illis accidentibus ſuccedendo ſubſtantiæ panis in eodem munere: ſicut ad hoc, vt dicatur alimentum conuerti in hominem, non eſt neceſſaria productio termini formalis, nempe animæ rationalis, ſed ſufficit productio vnionis, ſeu introductio noua animæ rationalis in illam materiam.

Probatur primo.

29. *Inſtabis.*

Dices, hoc quidem ſufficeret vt terminus totalis diceretur conuerti in totalem, ſicut alimentum dicitur conuerti in ſubſtantiam hominis; non vero vt terminus formalis conuertatur in formalem; non enim dicitur forma alimenti conuerti in animam rationalem. Sed contra, quia in rigore loquendo etiam forma alimenti conuertitur in formam rationalem, vt dixi Sectione præcedenti; hoc enim non ſignificat inceptionem ſimpliciter formæ rationalis, ſed ſucceſſionem in eodem munere, vt ibi dictum eſt, quare ſufficiet etiam, vt dicatur panis conuerti in corpus Chriſti.

Reſpondeo.

30. *Inſtabis iterum.*

Dices iterum, in hoc myſterio non ſolum ponẽdam eſſe conuerſionem panis in corpus Chriſti, ſed etiam conuerſionem ſubſtantialem, quæ ſit tranſſubſtantiatio; hæc autem debet eſſe actio ſubſtantialis, & per conſequens terminata ad aliquem terminum ſubſtantialem: quare cum vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus ſit accidentalis, fatendum eſt, hanc productionem terminari etiam ad ipſum corpus Chriſti ſecundum ſe. Sed contra, quia imprimis Eccleſia ſolum docet, hanc eſſe conuerſionem ſubſtantiæ in ſubſtantiam, & tranſſubſtantiationem: nondum verò dixit, eſſe conuerſionem ſubſtantialem. Quod ſi non ſit idem eſſe conuerſionem ſubſtantiæ in ſubſtantiam, & eſſe ſubſtantialem, non eſt, cur cogamur ad defendendum vtrumque. Re tamen vera cenſeo, dicendam eſſe conuerſionem ſubſtantialem; ad hoc enim non requiritur, quod ſit productio ſubſtantiæ, ſeu quod terminus formalis *ad quem*, & *à quo* conuerſionis ſit ſubſtantialis: ſicut in prædicto exemplo conuerſio alimenti in ſubſtantiam hominis dicitur *conuerſio formalis*, & *transformatio*; quia licèt forma hominis non producatur, eſt tamen terminus formalis, ad quem fit conuerſio; ergo ſimiliter in præſenti poteſt dici conuerſio ſubſtantialis, & tranſſubſtantiatio denominatiue à termino formali conuerſionis; quod amplius explicabitur infra, reſpondendo ad argumenta contra noſtram ſententiam.

Soluitur.

Vt conuerſio dicatur ſubſtantialis nõ eſt neceſſe de nouo produci aliquã ſubſtantiam.

31. *Reſpondent aliqui, vnionem in homine eſſe modum ſubſtantialem.*

Reſpondent aliqui, conuerſionem alimenti non ſubſtantiam hominis eſſe conuerſionem formalem, & transformationem; quia licèt non ſit productio formæ rationalis, eſt tamen productio vnionis, quæ eſt quædam forma modalis ſubſtantialis: at verò in præſenti non dari alium terminum ſubſtantialem, qui poſſit produci per hanc conuerſionem ſubſtantialem, niſi corpus Chriſti. Sed re vera hoc effugiũ eſt valdè friuolum, tum quia modus vnionis non dicitur ſimpliciter forma hominis, ſed vnio formæ; ergo ratione illius non dicitur ſimpliciter conuerſio formalis conuerſio alimenti in hominem: tum etiam, quia eſt per accidens, quod vnio ipſa, quæ producitur, ſit forma modalis ad hoc, quod illa conuerſio ſit formalis, & transformatio: nam mutatio de loco in locum dicitur etiam *tranſlocatio*, & tamen locus ipſe non producitur, ſed acquiritur; illud autẽ, quod producitur, non eſt locus, ſed præſentia ad locum: ergo in eodem ſenſu potuit dici transformatio, licet nõ producatur forma. Item quando aliquid ex paruo fit magnum per aduentum nouæ quantitatis, dicitur augmentatio quantitatiua, licèt illud quod producitur formaliter per talem augmentationem, non ſit quantitas, ſed vnio quantitatis: item ſi alicui materiæ ſuccederet alia materia ſub eadem forma ſubſtantiali, diceretur conuerſio materialis, & tranſmaterializatio, licet materia ſuccedens non produceretur, ſed introduceretur; & tamen tunc vnio, quæ producitur, non eſt materia; ergo ſimiliter poteſt dici conuerſio ſubſtantialis, licet id, quod producitur formaliter, non ſit ſubſtantia, ſed vnio ſubſtantiæ cum accidentibus.

Reiicitur hoc effugiũ.

32. *Confirmatur & explicatur.*

Confirmatur, & explicatur; quia poſſet intelligi diuerſitas maxima inter conuerſiones, quarum vna ſit formalis, & altera non ſit formalis, etiamſi terminus productus vtriuſque ſit idem. Ponamus enim v.g. animam rationalem eſſe prius ſub materia cœleſti, & poſtea loco illius materiæ accipere materiã ſublunarem ſpecie diuerſam, (ſupponamus illas duas materias ſpecie differre) ita tamen, vt nec materia ſublunaris de nouo producatur, nec illa portio materiæ cœleſtis deſtruatur, ſed maneat in rerum natura: illa certè conuerſio non eſſet transformatio, nec conuerſio formalis, ſed materialis, & tranſmaterializatio, (ſi ita licèt loqui) quia verſaretur, non inter formas, ſed inter materias ſuccedentes ſub eadem forma. Comparemus ergo illam

conuerſio

conuerſionem eum ea, quæ de facto fit quando homo reſurgit, & ex cadauere, vel puluere fit homo; in qua variantur formæ circa eandem materiam, atque adeo eſt propriè conuerſio formalis, & transformatio. Quis neget has duas conuerſiones maximè differre inter ſe? Alteram item eſſe conuerſionem formalem, alteram materialem; & tamen quod producitur in vtraque eſt prorſus idem nempe ſola vnio materiæ ſublunaris cum anima rationali præexiſtente: ergo denominatio, & differentia conuerſionum non eſt deſumenda ſolum ab eo, quod producitur, ſed ab eo, quod introducitur; quod quia diuerſum eſt in illis conuerſionibus, ideo ipſæ valde differunt in ratione conuerſionis.

33. *Applicatur hoc argumentum ad caſum noſtrū.* Poſſumus autem hoc ipſum argumentum applicare ad caſum noſtrum, in quo etiam conuerſio duobus modis poſſet fieri. Primo ſi exiſtente corpore Chriſti ſacramentaliter ſub accidentibus olei, loco illorum accidentium ſubrogarentur accidentia panis, non quæ de nouo producerentur, ſed ſub quibus iam antea præexiſtentibus abſque ſubiecto poneretur corpus Chriſti, expulſis accidentibus olei, tunc quidem fieret cõuerſio ex corpore Chriſti ſub accidentibus olei in idem corpus Chriſti ſub accidentibus panis. *Dupliciter hic fieri poteſt conuerſio.* Secundo modo poteſt fieri conuerſio prout fit de facto expulſa ſubſtantia panis, & poſito corpore Chriſti loco illius ſub eiſdem accidentibus. Hæ duæ conuerſiones procul dubio diuerſiſſimæ ſunt; nam prior verſatur inter accidentia olei & panis, tanquam inter terminos formales, ſicut quando ex frigido fit calidum, frigus & calor ſunt termini formales; atque adeo prior illa non eſt conuerſio ſubſtantialis, nec tranſſubſtantiatio, ſed accidentalis & *tranſaccidentatio*, vt ita dicam: poſterior vero verſatur inter ſubſtantiam panis, & corpus Chriſti tanquam inter terminos formales; & ideo eſt conuerſio ſubſtantialis & tranſubſtãtiatio. Et tamen id, quod de nouo producitur, eſt idem omnino in vtraque, ſcilicet vnio, vel introductio noua corporis Chriſti ſub accidentia panis: poteſt ergo, ſtante eodem termino producto, inueniri diuerſitas magna inter conuerſiones propter diuerſitatem terminorum formalium, inter quos verſantur, & à quibus poſſunt accipere denominationem conuerſionis formalis, vel ſubſtantialis.

34. *Probatur idem intentum.* Secundo ergo principaliter probatur idem intẽtum, ſcilicet productionem nouam corporis Chriſti non eſſe neceſſariam; quia illud requiritur ad eſſe ſacramentale Chriſti ſub ſpeciebus in fieri, quod requiritur ad illud in facto eſſe, cum ſit idem eſſe ſacramentale, quod fit, & quod poſtea conſeruatur: ad conſeruandum autem corpus Chriſti ſacramentaliter ſub ſpeciebus, nullo modo requiritur duplex actio terminata ad Corpus Chriſti, ſed ſufficit omnino, ſi corpus Chriſti conſeruatum per eamdem actionem, quam terminat in cœlo, ſit ſub ſpeciebus, dummodo habeatur alia actio vnitiua ipſius cum ſpeciebus; ergo etiam in primo fieri ſacramenti ſufficit illa actio. Hoc enim in vniuerſum verum eſt in fieri cuiuſcumque compoſiti; quod ſi iam ſupponatur extrema producta, ſolum deſideretur actio vnitiua extremorum, vt reſultet compoſitum: ergo cum partes huius compoſiti ſacramentalis ſupponantur productæ, ſolum requiritur actio vnitiua illorum, vt reſultet compoſitum ſacramentale.

35. *Probatur tertio principaliter. Ad veritatem verborum hæc productio nõ requiritur.* Tertio principaliter probatur intentum, quia ad veritatem verborum conſecrationis, non requiritur talis noua productio corporis Chriſti; nam etiam ſine illa eſſet verum dicere: *Hoc eſt corpus meum*, ſi corpus Chriſti contineretur ſub illis ſpeciebus, ablata ſubſtantia panis: ergo neque ad conuerſionem panis in corpus Chriſti requiritur talis productio. Antecedens admittitur à P. Suarez; conſequentia verò probatur ex Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 4. vbi definitur, hanc conuerſionem inferri ex veritate verborum Chriſti. *Trident.* Verba Concil. hæc ſunt. *Quoniam autem Redemptor noſter corpus ſuum, id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuo ſancta hæc ſynodus declarat, per conſecrationem panis, & vini conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius; quæ conuerſio conuenienter, & propriè à ſancta Eccleſia Catholica trãſſubſtantiatio eſt appellata.* Ex quibus verbis ſic arguitur: Verba Chriſti Domini potuerunt ſane eſſe vera, licèt non daretur talis noua productio corporis Chriſti, vt de ſe patet; ſed præciſè ex veritate verborum colligit Eccleſia, dari conuerſionẽ; ergo ſine tali productione corporis Chriſti potuit dari conuerſio; alioquin illatio Eccleſiæ non eſſet bona.

36. *Suarez.* Plures ſolutiones inuentæ ſunt ad ſoluendum hoc argumentum: referemus præcipuas. P. Suarez poſt alias vias tentatas *ſectione* 2. quas benè impugnat P. Vaſquez dicta *diſput.* 181. *cap.* 9 tandem *ſect.* 4. §. *Tertio igitur argumentor*, reſpondet, Eccleſiam intellexiſſe verba Chriſti eſſe vera in eo ſenſu, quo cum maiori proprietate, & decentia verificarentur: atque ideo, licèt alias ſufficeret poſitio corporis Chriſti ſub ſpeciebus ad verificanda vtcumque illa verba; cæterum debuerunt adhuc in ſenſu perfectiori accipi de productione ſubſtantiali: ſicut quando in nuptiis aqua in vinum conuerſa fuit, potuit ſane ille defectus ſuppleri afferendo diuinitus vinum ex alio loco, & transferendo aquam ad alium locum ſine noua productione ſubſtantiæ vini; & tamen Eccleſia ſemper intellexit ibi interceſſiſſe veram conuerſionem aquæ in vinum. *Vaſquez. Soluitur hoc argumentum Suarez.*

37. *Impugnatur ſolutio.* Hæc tamen ſolutio impugnatur; quia modus ille ponendi corpus Chriſti ſub ſpeciebus per ſecundam productionem illius, non eſt perfectior, cum per accidens ſe habeat ad talem poſitionem, quod terminet duplicem actionem: alioquin etiam potuiſſet Eccleſia colligere, corpus Chriſti habere in Euchariſtia nouam quantitatem, & nouam albedinem, & alia noua accidentia; quod eſt abſurdum: ergo ſicut Eccleſia ex eo, quod ponatur ibi corpus Chriſti, non intellexit poni cum aliis accidentibus nouis, ſic nec cum alia actione ſubſtantiali, cum poſſit pariter habere in Euchariſtia eandem actionem, quam habet in cœlo; ſicut poteſt habere eadem alia accidentia.

38. *Nec obſtat exemplũ de aqua cõuerſa.* Nec obſtat exemplum de aqua in vinum conuerſa, tum quia ex modo, quo Chriſtus ſe geſſit iubendo prius impleri hydrias aqua, ſatis oſtenditur, voluiſſe introducere formã vini in materiam aquæ, alioquin fuiſſet inutilis, & nugatorius ille labor afferendi aquam; tum etiam, quia ſi ibi ſolum poneretur vinum per adductionem ex alio loco, & tranſlationem aquæ ad alium locum, non tam eſſet miraculum aptum ad manifeſtationem virtutis Diuinæ, quam præſtigium factibile à dæmone, quare præſumendum eſt, factum, prout decebat Chriſti maieſtatem, iuxta regulam Auguſtini *lib* 18. de Ciuitat. c. 18. Non decebat autem maieſtatem Chriſti, quod aqua in alium locum tranſlata, vinum etiam aliunde adduceretur: hoc enim factum videretur ad illudendum videntibus qui omnes ex circumſtantiis putaſſent, aquam ipſam fuiſſe in vinum conuerſam, ibique aliquid aquæ manere. At verò in præſenti non militat hæc ratio, cum ipſamet poſitio

corporis Chriſti in multis locis conſeruari per eandem actionem ſit opus ſatis miraculoſum, & dignum maieſtate, & omnipotentia Dei, nec ex circumſtantiis poſſet exiſtimari, produci corpus Chriſti: ſolum enim intelligitur aliquid panis ibi manere, ne inutiliter acceptus ſit panis ad conſecrationem; non ergo debet credi aliud magis miraculum; alioquin ſi in quolibet Dei opere deberemus intelligere modum magis miraculoſum ad maiorem oſtenſionem Diuinæ virtutis, deberemus etiam colligere, quoties legimus in hiſtoriis, aliquos Sanctos diuinitus fuiſſe ſimul viſos in diuerſis locis, deberemus inquam colligere, fuiſſe productos in vtroque loco per actiones diuerſas; quod tamen nemo probabiliter colliget, nedum certo, vt Eccleſia colligit conuerſionem ex veritate verborum Chriſti.

SECTIO III.

Impugnatur reſponſio, & ſententia Ægidij de Coninch de neceſſitate nouæ actionis productiuæ corporis Chriſti.

39. *Pater Coninch aliter philoſophatur.*

PAter Coninch in præſenti *art. 4. dub. 3.* vt neceſſitatem actionis terminatæ ad ſubſtantiam corporis Chriſti defendat, docet, non poſſe idem corpus in duplici loco conſtitui etiam de potentia Dei abſoluta, niſi in ſingulis locis nouam, & diſtinctam productionem terminet, & bis producatur; quo principio poſito, dicit omnia facilè explicari: nam corpus bis productum æquiualet duobus atque ideo in ſingulis locis poteſt agere, & pati, ſicut ſi in ſolo illo loco eſſet. Poſſet itaque in vno loco viuere, in altero mori; in vno calefieri, in altero frigefieri; in vno amare Petrum, in altero odio habere; in vno peccare, in altero Deum diligere; & ſic de aliis omnibus; quia virtualiter eſt multiplex.

40. *Hæc doctrina nimis ſingularis eſt. Contra ipſã adducitur Exemplum Angeli.*

Hæc doctrina vt re vera ſingularis eſt nimis, ſic, vt defendi poſſit, eius Auctor conſequenter plurima Philoſophiæ principia receptiſſima deſerere coactus eſt. Nam in primis contra ipſum adducimus exemplum Angeli, qui ſi prius erat in hoc palmo ſpatij poteſt, retento illo, extendere ſe ad occupandos ſimul alios duos palmos ſpatij contigui: nec ad hoc oportet, quod reproducatur, aut terminet nouam actionem ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed ſolum quod producat nouam partem præſentiæ & vbicationis; cur ergo eodem modo non poſſet à Deo poni ſimul in ſpatio diſtanti, non poſita noua productione, ſed noua ſolùm præſentia eiuſdem Angeli? Quod ſi hoc poteſt fieri in Angelo, cur non in corpore?

41. *Reſpondet.*

Reſpondet *num. 121.* imprimis ignorari à nobis quomodo Angelus extendat ſe ad maiorem locum abſque reproductione ſui; quia quæ ad Angelum pertinent, excedunt captum noſtrum. Adhuc tamen admiſſo Antecedenti, negat Conſequentiam. Pro quo ſupponit, Angelum non fieri præſentem nouæ parti ſpatij per nouum *vbi*, ſed per realem ſui extenſionem, & quendam motum localem. Quod vt explicet, aduertit, ſicut corpus ratione quantitatis molis poteſt ſpatium diuiſibile occupare, ſic Angelum ratione ſuæ perfectionis, & quantitatis virtutis id poſſe. Itaque ſicut corpus exiſtens in ſpatio diuiſibili occupat plures partes ſpatij ſæpius & quaſi infinities replicatum in eo loco; nam in ſingulis partibus ſpatij inuenitur verè ſubſtantia ligni eadem omnino in ſpecie, & quodammodo eadem numero propter continuationem omnium partium: ſic Angelus per ſuam ſubſtantiam realiter ſimplicem, ſed virtualiter multiplicem occupat plures partes loci replicatus in ſingulis partibus, ita vt in ſingulis partibus loci ſit totus Angelus, ſed non totaliter, hoc eſt, ita, vt quando ſe extendit ad nouam partem loci, non coexſiſtat nouo ſpatio ſecundum id per, per quod coëxſiſtit aliis partibus præcedentibus, ſed ſecundum partem virtualiter diſtinctam, atque ideo ſecundum aliquid ſui verè moueatur, & ſecundum aliquid quieſcat; quod non quidẽ realiter, ſed virtualiter diſtinguitur ab eo, quod mouetur. Sicut in ſententia non diſtinguente potentias à ſubſtantia Angeli, quando Angelus intelligit, & non vult, operatur ſecundum aliquid ſui, ſcilicet ſecundum intellectum, & ſecundum aliquid ſui virtualiter diſtinctum non operatur, ſed quieſcit ſcilicet ſecundum voluntatem. Sic Angelus in hac parte ſpatij eſt ſecundum aliquid ſui, & in alia parte ſpatij eſt ſecundum aliud virtualiter diſtinctum, ſicut corpus eſt ſecundum aliquid realiter diſtinctũ.

42. *Hic ſunt magna anguſtia.*

Certè non debet homo doctus in haſce anguſtias ſuum intellectum coniicere abſque ingentis difficultatis neceſſitate, qualis hic nulla eſt, niſi quam ipſemet ſibi voluit fabricare, vt ſtatim vidimus. Nec eſt, cur dicamus intelligibile aut imperceptibile nobis eſſe, quomodo Angelus retento priori ſpatio, extendat ſe ad occupandum maius, cum id paſſim in noſtra anima fatendum ſit, dum per augmentationem corporis extendit ſe ad nouum ſpatium occupandum; & hoc abſque vlla reproductione ſuæ ſubſtantiæ, vt conſtat. Illud certè difficilius eſt, & omnem captum ſuperans, quod ille Auctor capere potuit; Angelum ſecundum diuerſas partes virtuales ſuæ ſubſtantiæ extendere ſe ad occupandas diuerſas partes ſpatij.

43.

Nam de illis partibus in primis peto, an, quando Angelus erat in primo palmo ſolo, eſſent ibi omnes illæ, an ſolum aliquæ? Si aliquæ ſolum, ergo illæ reliquæ nullibi erant, atque ideo non erat totus Angelus ibi, ſed aliquid Angeli ibi erat, & aliquid nullibi. Si verò prius omnes illæ partes erant in primo palmo; quæro rurſus, quando adquirit ſecundum palmum retento primo, an moueantur omnes illæ partes, quæ erant in primo palmo, an ſolum aliquæ? Non quidem omnes, quia aliquid Angeli quieſcit, quot ergo partes mouentur? totidem fortaſſe, quot ſunt illæ, quæ remanent immotæ in primo palmo? Sed contra hoc eſt, quia ſi extendatur poſtea ad tertium, retento primo, & ſecundo, oportebit ſubdiuidere illas partes, quæ poſitæ fuerunt in ſecundo, vt aliquæ ex ipſis tranſeãt ad tertium, atque adeo pauciores manebunt in ſecundo, & tertio, quam in primo; vel certè oportebit ex iis, quæ remanſerunt in primo, aliquas ſubminiſtrare ſecundo palmo: quæ diſtributio vt cũ æquitate fiat, non erit committẽda arbitrio ipſius Angeli, qui poſſet fortaſſe ex priuato affectu magis affici ad ſecundũ, quam ad tertium palmũ, & velle ſecundũ plures ſui partes eſſe in ſecundo palmo, quam in aliis. Debet ergo aliquis alius præfici, qui, quando Angelus contrahit ſe ad minus ſpatij, æquali proportione diſtribuat omnes illas partes vacantes, vt accreſcant æqualiter paucioribus partibus ſpatij quod retinetur; & quando Angelus è contra extendit ſe ad maius ſpatiũ, accipiat æqualiter partes illas Angeli neceſſarias ad replendũ nouum ſpatium ex omnibus partibus ſpatij præcedẽtis: quæ õnia difficile credi, aut capi poſſũt.

44. *Impugnatur ſecundo.*

Secundo, ſi Angelus poſitus in duobus locis diſtantibus poteſt in vno amare, & in altero odio habere idem obiectum, quia per replicationem eſt æquiualenter duplex; non video cur idem Angelus exiſtens in loco diuiſibili non poſſit etiam in vna

parte

parte illius loci amare, & in altera parte eiuſdē loci odio habere idem obiectum. Nam tunc etiam eſt aliud virtualiter id, quod ex Angelo ponitur in hac parte ſpatij, ab eo quod ponitur in altera ſpatij parte: ergo eadem multiplicitas virtualis Angeli ſufficiet ad habeodos actus contrarios. Neqne enim Angelus eſt realiter multiplex, ſed ſolum virtualiter, quando replicatur in locis diſtantibus; quare non apparet, cur eadem multiplicitas virtualis non poſſit deſeruire ſemper ad idem.

45. *Dices;* Dices, id fieri non poſſe, quia actus amoris debet eſſe in toto ſpatio., in quo eſt Angelus, atque adeo non poteſt eſſe amor in dimidia parte, & odium in altera dimidia. *Contra.* Sed contra, quia ſicut Angelus, quia eſt virtualiter multiplex. poteſt per te conſtruere aliquid ſui in hac parte ſpatij, & aliquid aliud ſui in illa alia parte; ergo poterit etiam producere actum amoris in ſe; prout eſt io hac parte ſpatij. & non in illo ſuo, per quod correſpōdet alteri parte. Cur enim minus diuidere poterit ſuam ſubſtantiam in ordine ad duos actus, quam in ordine ad duas partes ſpatij? aut cur diſtinctio virtualis, quæ facit, vt Angelus exſiſtens Neapoli non habeat actum, quem habet Romæ; quia eſt virtualiter diuerſa ſubſtantia Angeli Romæ exſiſtens; cur, inquam, ſimilis diſtinctio virtualis non ſufficit, vt poſſit in vna parte ſpatij non habere actum, quem habet io alia? aut cur, cum ipſe actus amoris habeat ſimilem diſtantiam virtualem ad occupandum minus vel maius ſpatium, non poterit Angelus contrahere præſentiam ſui actus, ſicut poteſt ſuam, ſi poteſt non habere actum amoris, vbicumque ipſe ſit.

46. Omitto, quod cum non poſſint determinari partes ſpatij, quibus ſaltem de potentia Dei abſoluta poteſt Angelus eſſe præſens, & ſingulis debeat reſpondere aliquid Angeli virtualiter diſtinctum, conſequens eſt, quod iam nunc ſint in Angelo omnes illæ partes virtualiter diſtinctæ, per quarum ſingulas poſſit correſpondere aliis, & aliis partibus nouis ſpatij in infinitum, licet nunc non ſint extenſæ, & euolutæ, ſed quaſi complicatæ.

Ad exemplum quod afferebat Reſpōdetur. Denique hinc patet ad exemplum, quod afferebat de potentiis Angeli virtualiter ſolum diſtinctis inter ſe, & à ſubſtantia Angeli: quod potius poterit contra ipſum retorqueri. Nam voluntas, v. g quia diſtinguitur virtualiter ab intellectu, nunquam, pro vt ſic virtualiter diſtincta producit intellectionem, neque è contra intellectus volitionem: at vero illa perfectio, ſeu illa pars virtualis Angeli, quæ eſt in ſecundo palmo ſpatij, illa eadem erat in primo palmo, antequam ſe extenderet Angelus ad ſecundum: ergo illa, prout ſe tenet ex parte Angeli, non diſtinguitur virtualiter ab illa parte, quæ manet in primo palmo. Vnde oritur alia differentia, quod ſcilicet id, per quod concurrit Angelus ad volitionem, prout condiſtinguitur à principio intelligendi, ita eſt aliquid Angeli, vt ſi deeſſet, non maneret totus Angelus, licet maneret totum principium intelligendi. At vero id, per quod Angelus eſt in ſecūdo palmo, non ita diſtinguitur ab eo, per quod eſt in primo. Si enim manet totum id, quod eſt in primo palmo, manet totus Angelus realiter, & virtualiter; nam poſtquam Angelus ſe extendit ad ſecundum palmum, non eſt minus Angeli in primo palmo, quàm erat antea. ſed antea erat omnio totus Angelus in primò palmo; ergo ſi manet totū id, quod eſt in primo palmo, manebit totus Angelus realiter, & virtualiter; ergo id quod eſt in ſecundo, non addit aliquid virtualiter ſupra id quod eſt in primo, ſicut voluntas addit ſupra intellectum. Ratio autem eſt, quia in ſingulis palmis eſt totus Agelus adæquate; ita vt poſſit manere cum ſola entitate, quam habet in hoc palmo; ergo non poteſt diuidi virtualiter eius ſubſtantia pro diuiſibilitate ſpatij, in quo eſt.

Quid ſit diuiſibilitas virtualis in Angelo. Fateor ego) quod fortaſſe potuit eſſe occaſio æquiuocationis) Angelum, ſicut etiam animam rationalem, habere diuiſibilitatem eminentialem, ſeu virtualem, quatenus eadem anima, v. g. indiuiſibilis poteſt occupare locum diuiſibilem, ſicut ſi haberet artes: hoc tamen non arguit,. non eſſe totam animam etiam virtualiter in ſingulis partibus ſpatij. Aliud enim eſt, quod ſit multiplex perfectio virtualiter in anima poſſe eſſe in multis partibus ſpatij, quod in ſano ſenſu concedi poteſt, aliud vero, quod ſit alia perfectio animæ, quæ eſt in hac parte ſpatij, alia quæ eſt in illa. Nam illud primum in aliquo ſenſu eſt verum; quia poſſe animam eſſe io pluribus partibus ſpatij, eſt habere in ſe perfectionem plurium partium, ſeu animæ habentis plures partes; quare ſi anima non poſſet eſſe in ſecundo palmo ſpatij, ſed ſolum in primo, deeſſet animæ aliqua perfectio intrinſeca, quam modo habet, nempe poſſe eſſe in duplici palmo. Poſtquam verò anima habet illam vtramque perfectionem in ſe, tota illa perfectio debet eſſe in ſingulis partibus ſpatij, quia in ſingulis eſt anima rationalis perfecta, potens eſſe in pluribus; quod idem de Angelo dicendum eſt.

49. *Explicatur exemplo durationis.* Explicatur hoc ipſum exemplo durationis; nam ſicut Angelus, vel anima rationalis propter ſuam perfectionem intrinſecam exigunt durare in æternum, quod non exigit anima equi; atque adeo æquiualent multis formis corruptibilibus exigentibus minorem durationem; ſic exigunt propter ſuam perfectionem eſſe in ſpatio diuiſibili: ſicut ergo non eſt Angelus nunc per aliquid ſui, & poſtea per aliquid aliud ſui virtualiter diſtinctum ab eo, quod eſt nunc, ſed potius nunc eſt tota perfectio, & ſubſtantia Angeli, & poſtea eſt eadem tota, variato ſolum modo durationis ſuperaddito; ſic non poterit eſſe hic per aliquid ſui, & illic per aliquid aliud ſui, ſed in ſingulis partibus ſpatij debet eſſe totus, & tota eius perfectio eſſentialis, variata ſolum parte vbicationis accidētalis, ſi diuiſibilis ſit Nā ſicut multiplicitas virtualis, quam habet Angelus in ordine ad plures durationes habendas, non facit, quod nunc non ſint omnes partes virtuales illius perfectionis, ſed quod habeat entitatem æquiualentem pluribus in ordine ad petendas plures durationes; ſic multiplicitas virtualis in ordine ad ſpatium non facit, quod non ſit hic tota illa perfectio, & omnes eius partes, ſed quod habeat entitatem æquiualentem pluribus partibus in ordine ad exigendas plures partes ſpatij. Alioquin non eſſet tunc tota perfectio intrinſeca, & eſſentialis Angeli, ſed ſucceſſiue pars poſt partem, ſaltem virtualiter, ſicut per te non eſt hic tota eius perfectio, ſed pars in hac parte ſpatij, & pars in alia parte ſpatij ſaltem virtualiter.

50. *Aliud difficile in illa ſententia.* Rurſus difficile eſt mihi in illa ſententia, quod corpus Diuinitus replicatum io diuerſis locis ita ponit eſſe æquiualenter multiplex in ordine ad agendum, & patiendum, vt mutationes, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales, quas in vno loco habet, non debeat habere in alio: per hoc enim videtur tolli de medio radix tota concomitantiæ quam Tridentinum agnouit, vt in Euchariſtia ponantur aliqua per concomitantiam propter connexionem, quam habent cum corpore Chriſti alibi exſiſtente. Nam ſi ſtupa Romæ applicata igni ibi comburentur, & non Neapoli vbi eadem ſtupa eſt, vt fatetur ille Auctor *num.* 1 to. & ſequentibus, ſi idem corpus in duplici loco exſiſteos poteſt, imo debet in vno loco eſſe animatum, & in altero inanime, ſi agentia diuerſa

applicentur, prout fatetur *n.*112. poſſet ergo, imo & deberet corpus Chriſti animatum exſiſtens in Euchariſtia, manere adhuc ibi animatum, quando in cruce moriebatur: poſſet item, & deberet nunc poni abſque ſanguine ſub ſpeciebus panis, licet in cœlo habeat ſanguinem, quia verba non ſignificant ſanguinem, & coniunctio, quam partes habent in alio loco, non eſt ratio ſufficiens per ſe, vt in omni loco ponantur ea, quæ alibi accipit, vel habet; quare non videtur efficax ratio Tridentini, qua concomitantia probatur, ſcilicet connexio partium inter ſe, quod quidem non videtur abſque inconuenienti poſſe cõcedi. Dicere enim, ex ſolo decreto Dei prouenire, quod cum corpore Chriſti ponatur eius anima, vel ſanguis ſub ſpeciebus panis, & non ex neceſſitate naturali fundata in ipſa vnione, & coniun-

51. ctione naturali; prout videtur ſentire ille Auctor infra *q.76. artic.* 2. *num* 4. non videtur ſatis conſonum verbis Tridentini illis *ſeſſ.*13 *cap.*3. vbi definit, *corpus Chriſti eſſe ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur: Diuinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem.* Non ergo ponũtur ex mero decreto libero Dei, ſed ex naturali exigentia vnionis, & coniunctionis naturalis, hoc enim ſignificat, *vi naturalis illius connexionis:* ſicut etiam Diuinitas eſt ibi, *propter admirabilem illam eius vnionem.* vnio ergo exigit, quod non ſit ibi vnum extremum ſine alio: ſi autem ex decreto libero Dei id fieret abſque exigentia vnionis partium, nullo modo fieret *vi naturalis illius vnionis.* Vnde S. Thomas infra *quæſt.76. artic.*1. totum hoc fundauit in ipſa cõiunctione, quæ exigit naturaliter, vt in alio etiam loco ſint coniuncta. *Ex naturali autem* (inquit) *concomitantia eſt in hoc ſacramento illud, quod realiter eſt coniunctum ei, in quod prædicta conuerſio terminatur. Si enim aliqua duo ſunt realiter coniuncta, vbicumque eſt vnum realiter, oportet & aliud eſſe.* Alioquin (vt bene notauit Vaſquez infra *diſp.*194. *c.*4. *n.*31.) non apparet, cur fuerit magis congruum naturis rerum, poni per concomitantiam in Euchariſtia ea, quæ ponuntur, quam non poni: imo in ſententia P. Coninck magis connaturale eſſet, quod non ponerentur, cum vnio id non exigat, niſi agentia in vtroque loco ſint applicata.

52. *Deniq. hæc omnia dicũtur ſine neceſſitate.* Denique diſplicet, quod in has omnes difficultates ſeſe ſponte iniecerit abſque vlla neceſſitate aut fundamento probabili, ſed ex falſis principiis ſibi fabricatis, vt ex eorum ſolutione conſtabit. Primo

Obÿcit primo. ergo arguit *num.*105. quia nec corpora, nec Spiritus ſunt in loco per modum aut *vbi* ſuperadditum, ſed per ſe immediate, & coniunctionem ſui cum loco; ergo non poſſunt replicari in alio loco per meram

Reſpondet. productionem talis vbicationis. Hoc argumentum procedit ex falſo principio, vt ſatis oſtendimus in ſuperioribus. Sed licet verum eſſet, nihil concluderet: nam ſicut quando homo, vel Angelus, relicto vno loco, acquirit alium, non fit reproductio ſubſtantiæ, ſed collatio noua, ſeu coniunctio cum nouo loco, in quo ponitur, & ſubſtantia & conſeruatio eadem ſubſtantiæ: ſic quando replicaretur in alio loco, poſſet id fieri abſque reproductione ſubſtantiæ, ſed, poſita noua locatione, aut coniunctione ſubſtantiæ cum loco (quidquid illa coniunctio ſit;) cur enim non ſufficeret ad illam nouam denominationem, ſicut ſufficit, quando res eſt in vnico loco?

53. *Obÿcit ſecundo.* Obiicit ſecundo, quia ſi Deus Petrum exſiſtentem Louanij velit ponere Romæ, tunc vel Deus producit illud *vbi* Romanum in Petro exſiſtente Louanij, vel in Petro exſiſtente Romæ. Si primum ergo *vbi* Romanum poneretur Louanij, quod repugnat. Si ſecundum; ergo ante productionem illius *vbi* iam Petrus ſupponitur Romæ. Nam vel illud *vbi* producitur Romæ, vel alibi, vel nullibi. Alibi nõ poteſt produci, quia *vbi* Romanum alligatur Romæ. Nullibi non poteſt; quia quod nullibi eſt, non eſt. Reſtat ergo, vt producatur Romæ; ergo prius ſupponitur Petrus exſiſtens Romæ; quia non poteſt Deus aliquid hic in me producere, niſi ego hic ſim.

Hoc argumentum iiſdem verbis fieri poteſt, 54.
quando res eſt in vno loco: nam ſi Angelus ex palmo A, in quo eſt, tranſeat immediate ad palmum B, quæri poteſt de illa præſentia in palmo B, an producatur in Angelo exſiſtente in palmo A, an vero in Angelo exſiſtente in palmo B. Non primum, quia præſentia illa non poteſt eſſe in ſpatio A. Si ſecundum, ergo ante illam præſentiam Angelus erat iam in palmo B. Quod ergo ad hoc dictum fuerit, dici debet in caſu noſtro.

Ad argumentum itaque reſpondetur facile, in 55. *Reſpondetur.*
aliquo ſenſu *vbi* Romanum produci in Petro exſiſtente Louanij, ſcilicet materialiter, & ſpecificatiue, non vero formaliter, & reduplicatiue, hoc eſt, *vbi* Romanum ponitur in Petro, qui tunc eſt Louanij, non tamen ponitur Louanij, ſed Romæ; imo ad eius productionem non ſupponitur Petrus exſiſtens Romæ, vel Louanij, ſed ſolum exſiſtens cum indifferentia ad hoc, & illud *vbi.* Non ergo ſequitur bene, quod Petrus prius ſupponatur Romæ ex eo, quod Deus producat Romæ *vbi* in Petro: ſicut non ſequitur bene, Petrum ſupponi calidum, quia Deus in eo producit calorem. Poſſumus enim eodem modo interrogare: ſi Deus in Petro habente frigus vt octo producat calorem vt octo, an producat calorem in Petro frigido, an in Petro calido? Ad quod reſpon- *Confirmatur reſponſio exẽplo caloris.*
deri debet, produci in Petro antea frigido, ſed tunc calido per ipſum calorem, qui producitur: atque ideo pro priori naturæ, non ſupponi Petrum frigidum, nec calidum, ſed Petrum exſiſtentem. Sic producitur *vbi* Romanum in Petro, non præſuppoſito cum *vbi* Romano, ſed incipiente eſſe Romæ per ipſum *vbi*; quod clariſſimum eſt, & ipſis tyronibus in Phyſica manifeſtum.

Ad hoc exemplum caloris, & frigoris reſpondet 56. *Reſpondet ad noſtrum exemplum. Reÿcitur.*
ille Auctor *n.*107. in primis inſinuando frigus præſupponi debere pro priori naturæ in Petro in illo inſtanti reali, quo producitur calor. Sed vix credo, potuiſſe id concedi ab illo Auctore: ſequuntur enim grauiſſima inconuenientia in Philoſophia, & Theologia, ſcilicet formas ſubſtantiales contrarias eſſe ſimul pro aliquo inſtanti reali, quando primo fit generatio; item gratiam eſſe ſimul cum peccato actuali in primo inſtanti, quo homo peccat mortaliter, ſubſtantiam panis eſſe pro priori naturæ ſub ſpeciebus eo inſtanti reali, quo primum ponitur ſub illis corpus Chriſti; & alia ſimilia, quæ oportet concedere; ſi admittas pro priori naturæ intelligi adhuc formam, quæ expellitur, quando primum introducitur forma expellens. Repugnat ergo omnino, frigus eſſe pro priori naturæ, cum eodem inſtanti expellatur & corrumpatur; expelli enim, & corrumpi eſt tunc primo non eſſe, ſeu iam non habere eſſe, quod antea habebat: non poteſt autem in eodem inſtanti reali habere eſſe, & negationem ſui; quia hoc eſſet, ſimul realiter eſſe, & non eſſe.

Addit ille Auctor, dato antecedenti, nõ ſequi quod 57. *Addit idem Auctor.*
intendimus, nec exemplum eſſe ad rem, quia calor non ſupponit neceſſario ſubiectum frigidum, aut calidum. Si poteſt diuinitus produci in ſubiecto,

nec

nec frigido, nec calido. At *vbi* debet neceſſario produci alicubi, & ideo ſupponit neceſſario, ſubie-
Impugnatur ctum eſſe alicubi. Sed contra; quia ſicut calor produci debet in ſubiecto concomitanter calido per ipſum calorem, ſed quod antecedenter non debeat ſupponi calidum, aut frigidum: ſic *vbi* Romanum debet produci in ſubiectu, quod concomitanter fit Romæ per ipſum *vbi*, ſed quod antecedenter non præſupponatur neceſſario Romę vel alibi pro priori naturæ. Cur enim non poteſt præſcindi pro priori ab hoc illo *vbi*, ſicut præſcindit à frigido & calido?

58. Inſtantia. Dicit, non poſſe præſcindi, præſertim quando ſubiectum præſupponitur quantum, & extenſum;
Solutio. quia quod extenſum eſt, non poteſt concipi abſque loco. Reſpondeo; pro priori naturæ ſubiectum intelligi quantum; intelligi etiam extenſum localiter radicaliter, hoc eſt, exigens extenſionem localem actualem: non tamen intelligi pro eo priori extenſum localiter formaliter, & actualiter, ſed indifferens ex ſe ad hanc, & illam extenſionem actualem: nam extenſio actualis localis, eſt ipſamet collocatio actualis partium vnius extra aliam in ordine ad locum; quod habetur formaliter ab actuali vbicatione. Quod quidem omnes debemus concedere; nam ſi corpus Chriſti non eſſet in cælo, ſed ſolum in Euchariſtia, adhuc pro priori naturæ intelligitur quantum, & exigens de ſe extenſionem localem actualem, quam tamen pro poſteriori naturæ non acciperet, ſed præſentiam ſacramentalem. Nam pro priori naturæ intelligeretur ſolum corpus illud productum, vel conſeruatum; & quidem illa conſeruatio de ſe indifferens eſt, vt corpus extendatur, vel non extendatur in ordine ad locum; ergo pro priori naturæ nũ intelligeretur actu extenſum, vel inextenſum. Sic ergo dicimus, pro priori naturæ ante *vbi* Romanum, corpus intelligi quantum, & de ſe exigens extenſionem aliquam actualem; non tamen concipitur iam habens illam, & multo minus habens extenſionem in ſpatio Romano.

59. Vrget idem Auctor. Sed vrget *nu.* 108 quia *vbi* illud (etiamſi tale *vbi* concedatur) non eſt ſicut calor, ſed potius ſicut inhærentia, vel vnio caloris cum ſubiecto; nam ſicut per illam vnionem coniungitur calor cum ſubiecto, ſic per *vbi* coniungitur locus cum locato; atque ideo *vbi* erit vnio, ſeu coniunctio loci cũ ſubiecto. Quo ſuppoſito, arguit ſic: ſi calor prius exſiſtat, quam vniatur cum ligno, idque in loco diſtante, nó poteſt concipi, quod producatur in calore vnio cum ligno, niſi aut ſimul reproducatur calor ipſe in ligno, aut prius natura fiat illi localiter coniunctus, vel certe non diſtans: quomodo enim concipi poteſt, calorem Romæ exſiſtentẽ inhærere Petro exſiſtenti Louanij abſque vlla alia actione; ergo ſimiliter, vt ille, qui eſt Louanij, coniugatur cum loco Romano, neceſſe erit, quod vel producatur ſimul Romæ, vel certè prius adducatur Romam.

60. Reſpõdetur. Reſpondetur facilè, in primis *vbi* non eſſe vnionem loci cum locato, ſed formam accidentalem, realem, vel modalem, abſolutam, fundantem tamen relationem indiſtantiæ à tali loco, vt in ſuperioribus latè explicuimus. Sed quidquid ſit de hoc, etiamſi eſſet vnio, non oporteret, quod prius præſupponeretur Petrus Romæ ad recipiendum illud *vbi* Romanum; ſicut nec calor ſupponitur prius in ligno antequam inhæreat illi, ſed per ipſam inhærentiam ponitur in ligno: ſic Petrus per ipſum *vbi* ponitur in tali loco. Nec in rigore loquendo debet ſupponi ſubiectum præſens formæ, antequam recipiat illam; nam quando equus mouet ſe, prius eſt pro priori naturæ animam equi eſſe vnitam materiæ, à qua dependet in ſuo eſſe, antequam producat motum localem, & vbicationem, quam acquirit; poteſt ergo benè intelligi forma vnita materiæ pro aliquo priori naturæ ante præſentiam localem actualem; quia vnio non eſt præſentia, nec ſupponit neceſſario præſentiam, ſed affert neceſſitatem præſentiæ, atque adeo eſt præſentia radicalis, ſeu debitum præſentiæ. Debet ergo intelligi ante vnionem actualem aptitudo ad habendam præſentiam actualem eodem inſtanti reali, quæ poteſt vocari indiſtantia radicalis. Vnde Petrus exſiſtens Louanij poteſt fieri præſens Romæ, non prout eſt Louanij, ſed idem Petrus, qui pro illo priori nondum intelligitur Romæ, vel Louanij, ſed cum aptitudine, vt ſit Romæ. Sicut etiã calor exſiſtens Louanij poterit vniri Romæ ligno, nec vnietur prout eſt diſtans, ſed ſecundum ſuam entitatem per vnionem, quæ affert neceſſitatem exſiſtendi Romæ, vbi eſt lignum, cui vnitur.

Arguit tertio *num.* 109. quia vel corpus poſitum 61.
hoc modo in diuerſis locis habebit neceſſario vtrobique eadem accidentia, vel non; neutrum autem dici poſſe, probat longo diſcurſu. Sed eius quæſtio- Arguit ſecundo.
nis plena ſolutio conſtat ex dictis ſupra *diſp.* 5. *ſect.* 2. Nec addit quidquam, quod noua reſponſione indigeat. Ibi enim *ſect.* 3. explicuimus, quomodo, & cur accidentia, quæ pendent à loco, non debeant, nec poſſint poni eadem vtrobique cum corpore. Conſtat ex dictis ſolutio.

Vrget tamen, *n.* 115. quia de facto corpus Chri- 62.
ſti in Euchariſtia non habet aliqua accidentia, quæ habet in cœlo independentia à loco v. g. extenſio- Vrget vlterius.
nem localem, & talem ſitum corporis, vt ſtandi, vel ſedendi, quæ accidentia poſſent de ſe poni in diuerſis locis; nam homo ſedens in naui mutat locum, & retinet eamdem ſeſſionem, & extenſionem: & corpus Chriſti in diuerſis hoſtiis habet eundem Reſpondeo.
modum exſiſtendi ſacramentaliter. Reſpondeo, in his omnibus ſupponi ab hoc Auctore principia falſa; nam modus exſiſtendi ſacramentaliter eſt quidem ſimilis in omnibus hoſtiis, non eſt tamen idem numero: quis hoc cogitauit? ſed diſtinctum in ſingulis. Extenſio localis actualis iuxta veriorem ſententiam, quam explicabimus infra *diſp.* 8. *ſect.* 2. non diſtinguitur à tali præſentia, & vbicatione actuali; quod idem à fortiori dicendum eſt de ſeſſione, aut ſitu, quæ non ſunt aliud, niſi complexio talium vbicationum ſingularum partium ſic diſpoſitarum; quare homo, qui ſedet in naui, non retinet eamdem ſeſſionem metaphyſicè, ſed moraliter, nec eamdem extenſionem actualem localem metaphyſicè, niſi radicaliter, & in actu primo, vt in eodem loco probauimus: quare omnia exempla, quæ adducit, ſupponunt falſum. Extenſio localis actualis non diſtinguitur ab vbicatione.

Quarto arguit; quia illæ duæ vbicationes ſunt 63.
duæ formæ oppoſitæ, ſicut calor, & frigus: vnde qui Arguit
ſupernaturaliter eſſet in duobus locis hoc modo quarto.
poſitus, non poſſet poſtea virtute naturali moueri in vllo loco, quia non poſſet virtute naturali producere *vbi* repugnans cum illo alio *vbi*, quod habet in alio loco. Ad hoc tamen argumentum reſpondimus latè ſupra *diſp.* 5. *ſect.* 2. Nunc addo, eamdem videri, quoad hoc eſſe difficultatem in ſententia illius Reſponſio.
Auctoris: nam licèt corpus terminet in duobus locis duas actiones diuerſas; negari non poteſt, habere duas etiam præſentias locales & illas eſſe ex natura rei oppoſitas, cum non poſſit idem corpus naturaliter habere niſi vnicam præſentiam. Nec refert duplex actio terminata ad idem corpus: per hoc enim corpus ipſum nullo modo fit duplex, ſed ſolum actio, quare ſicut ſi corpus in eodem loco terminaret duas actiones adæquatas, non eſſet duplex corpus. Nec poſſet habere motus locales contrarios, aut recipere ſimul qualitates, vel formas oppo-

ſitas ſic in duobus locis per multiplicationem actionum non debet corpus in ſe multiplicari, quia non accipit duplex eſſe, ſed vnum & idem per vtramque actionem. Aliunde verò, cum illa actio ſit accidens independens ab hoc loco, non apparet cur ſicut alia accidentia abſoluta poſſunt diuinitus replicari, & poni in diuerſis non poſſit etiam, & ipſa actio poni eadem in duobus locis, ſimul; præſertim cum poſſit poni ſucceſſiuè: nam ſicut Petrus tranſit ex hoc loco ad illum, abſque eo, quod ibi producatur de nouo, ſic & actio terminata ad Petrum tráſiret, abſque eo quod terminet nouam ſui productionem; ergo eodem modo poterit eadem actio
65. poni in duplici loco abſque noua ſui productione.
Inquiritur hæc reproductio. Non ergo requiritur noua reproductio corporis vt ponatur ſimul in duobus locis, prout ille Auctor contendebat.

SECTIO IV.

Examinantur ſolutiones Recentiorum ad defendendam productionem nouam. Corporis Chriſti.

64. *Modus reſpondendi quorundam Thomiſtarum reiicitur.*

OMitto modum reſpondendi aliquorum Thomiſtatum recentiorum, qui dicunt, in hac cóuerſione interuenire quidem actionem ſubſtantialem, non qua producatur corpus Chriſti, ſecundum ſe, ſed corpus Chriſti, prout ex pane, ſeu vt id, in quod conuertitur panis, ita vt terminus huius actionis ſit corpus Chriſti, prout in ipſum ſubſtantialiter conuerſus eſt panis. Hic modus dicendi nec rem explicat nec intelligi poteſt; quia corpus Chriſti eſt id, in quod conuertitur, & deſinit eſſe panis, vel addit aliquid ſupra ſubſtantiam corporis Chriſti, vel nihil. Si nihil addit, ergo ipſa ſubſtantia corporis Chriſti eſt terminus productus, vel conſeruatus per illam actionem. Si verò addit aliquid, hoc vel eſt accidentale, & tunc actio non habet terminum formalem productum ſubſtantialem, ſed accidentalẽ, vel eſt ſubſtantiale, & debebit aſſignari quid ſit hic ſubſtantiale præter corpus Chriſti. Nam dicere, quod corpus Chriſti, prout eſt terminus, in quem deſinit panis, terminat actionem, videtur eſſe, quod actio terminetur ad ſeipſam; quia corpus Chriſti terminare illam cóuerſionem, eſt denominatio proueniens formaliter à tali actione conuerſiua: ſi ergo terminat actionem, prout eſt terminus conuerſionis terminat per illam denominationem, quam accipit ab eadem actione; atque adeo actio terminabitur ad ſeipſam, hoc eſt ad denominationem prouenientem ab eadem actione, & ſemper reſtat explicandum quid ſit, quod producitur, vel accipit eſſe per illam actionem diſtinctum ab eadem actione.

Reſponſio aliorum. Hac ergo reſponſione omiſſa, alij Recentiores ingenue fatentur, actionem illam terminari ad producendam, vel conſeruandam ſubſtantiam corporis Chriſti, ſiue proueniat moraliter ab eodem corpore Chriſti prius exſiſtẽti, ſiue non, ſed à ſolo Deo. Porrò hanc actionem neceſſariam eſſe ad explicandum hoc myſterium, dicunt colligi, nó quidẽ ex eo, quod abſque illa actione non poſſet dari vera conuerſio ſubſtantialis, & tranſubſtantiatio (hoc enim fatentur conuinci argumentis à nobis ſupra poſitis;) ſed quia hoc Sacramento non ſolum fit cóuerſio vnius termini totalis in alium totalẽ, ſed etiam vnius termini formalis in alium formalem, ſcilicet panis in corpus Chriſti. Sicut ergo ad hoc vt panis denominetur conuerſus, requiritur quod deſinat, & deſtruatur ſubſtancia panis: ſic ad hoc vt dicatur corpus Chriſti eſſe id in quod ſubſtantialiter conuertitur panis, requiritur, quod ipſum corpus Chriſti ſubſtantialiter producatur. Fides autem vtrumque docet, dari ſcilicet tranſubſtantiationem, & conuerti panem in corpus Chriſti, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 13. c. 3.

Sed vrgeri poteſt contra illos, ſi quidem potuit 66.
eſſe conuerſio ſubſtantialis, & tráſubſtantiatio abſque productione ſubſtátiali corporis Chriſti, licet tunc non conuertatur panis in corpus Chriſti, ſed vnum totum in aliud totum. vnde de facto colligere potuit Eccleſia, dari conuerſionem panis etiam in corpus Chriſti, hoc eſt, non ſolum termini totalis in totalem, ſed etiam vnius termini formalis in formalem; nam ex veritate verborum non videtur id potuiſſe colligi, cum potuerit eſſe vera tráſſubſtantiatio abſque eo, quod corpus Chriſti terminaret actionem productiuam. *Impugnatur.*

Reſpondent, id eſſe magis connaturale, quod 67.
terminus formalis etiam conuertatur in formalem, & ideo præſumi, hanc etiam conuerſionem talem eſſe, vt fiat connaturaliori modo. Sicut quando aqua in vinum à Chriſto conuerſa fuit, omnes ſupponunt; formam aquæ conuerſam fuiſſe in formam vini; nec ſolum fuiſſe introductam, ſed etiam productam formam vini, vt conuerſio fieret modo magis congruo. Sed contra, quia de ratione conuerſionis naturalis in communi non eſt, quod terminus formalis conuertatur in formalem, vt patet in morte hominis quando homo conuertitur in cadauer, tunc enim terminus formalis, nempe forma hominis, non conuertitur in formam cadaueris; ſicut neque è contra, quando homo nutritur, producitur de nouo terminus formalis, ſed introducitur in materiam alimenti. Vnde potius retorqueri poteſt argumentum; nam quoties terminus formalis præſupponitur exſiſtens, non producitur, vt conuerſio fiat, ſed ſolum introducitur, vt conſtat in nutritione humana, & in reſurrectione hominis, in qua forma non reproducitur; ergo cum corpus Chriſti præſupponatur exſiſtens, non debet reproduci, vt fiat conuerſio panis, ſed ſolum introduci iuxta communem legem aliarum conuerſionum. Quando verò aqua conuerſa fuit miraculosè in vinum, illa, forma vini non præexſiſtebat, ideo oportuit illam non ſolum introduci, ſed produci; quando autem terminus formalis vini non præexſiſtebat, nunquam inuenimus reproduci in aliis conuerſionibus, vt connaturalius fiant. *Reſpondent id eſſe magis connaturale.* *Sed contra.*

Dicunt, id colligi ex loquutionibus Patrum, qui 68.
docent corpus Chriſti fieri ex pane, quod quidem non poteſt habere ſenſum verum, niſi terminus formalis reproducatur; nam in nutritione, vel reſurrectione hominis, non dicemus ex forma alimenti vel terræ fieri animam rationalem, ſed ex alimento, vel terra fieri hominem. Sed contra, quia quidquid ſit de illa loquutione Patrum de qua dicemus quádo reſpondebimus argumentis; nunc tamen manet difficultas integra; cum enim abſque productione corporis Chriſti potuerit fieri tranſubſtantiatio, & verificari loquutio Chriſti, vnde potuerunt Patres colligere illum peculiarem modum conuerſionis cum noua productione corporis Chriſti? ſi autem illum non potuerunt colligere, oportebit Patrum verba in eo ſenſu intelligere, quem ſolum potuerunt certo colligere ex veritate verborum Chriſti. *Dicunt primo colligi ex locutionibus PP.*

Propter hæc alij recentiores Theologi, vt adhuc 69.
defenderent per conuerſionem produci ſubſtátialiter corpus Chriſti, excogitarunt alium modum dicendi paulo diuerſum à præcedenti: concedunt enim actionem nouam terminatam ad corpus Chriſti: dicunt etiam, hanc actionẽ non procedere phyſicè ab humanitate Chriſti, ſed ſolum moraliter, ne *Alia reſponſio.*

cogantur

cogantur dicere, idem eſſe cauſam ſui ipſius; imo addunt, nec verba cõſecrationis influere pluſquam moraliter in corpus Chriſti; quia verba illa etiam præſupponunt Chriſtum præexiſtentem, cum ſint verba ipſius Chriſti. Denique dicunt, Eccleſiam collegiſſe ex veritate verborum hanc productionem nouam corporis Chriſti, quia licet illa verba ſine tali noua actione potuerint eſſe vera veritate ſpeculatiua, non tamen veritate practica, quæ conſiſtit in eo, quod verba operentur quod ſignificãt. Quare cũ Eccleſia intellexerit, verba Chriſti fuiſſe operatiua, hinc intellexit, ex vi verborum non ſolũ poni, ſed produci corpus Chriſti, quia verba non ſolum ſignificant, ibi eſſe corpus Chriſti, ſed etiam ſignificant, contentum ſub ſpeciebus eſſe corpus Chriſti; ergo vt faciant quod ſignificant, non ſatis eſt facere quod ibi ſit corpus Chriſti, ſed etiam facere vt contẽtum ibi ſit entitatiue corpus Chriſti, quod non poteſt fieri, niſi per actionem, quia illud ens accipiat eſſe corpus Chriſti.

Hæc ſententia licet magis apparenter tueatur nouam productionem corporis Chriſti, re tamen vera excogitata eſt ad mere ſoluenda argumenta ſupra poſita, & ex animo non recedendi à productione ſubſtantiali, quam ſemel imbiberant eius Auctores, & deſerere recuſant.

Diſplicet primo hic modus loquendi. Diſplicet ergo hic modus loquendi. Primo, quia licet non concedat, actionem illam procedere phyſice à corpore Chriſti, ſed ſolum moraliter, re tamen vera hæc cauſalitas moralis videtur afferre ſecum eadem ſere inconuenientia, quæ cauſalitas phyſica. nam cum hæc cauſalitas moralis procedat in præſenti nõ à cauſa prout futura, ſed prout præſẽti, neceſſario præſupponit exiſtẽs corpus Chriſti in hoc inſtanti, & per conſequens vi huius cauſalitatis, corpus Chriſti eſt prius quam effectus, cũ autem effectus ſit ipſummet corpus, conſequens eſt, vt idem ſit etiam prius ſe ipſo, quod repugnat vt vidimus loco citato de Incarnatione. Nec valet dicere, corpus Chriſti eſſe prius quã ipſummet, vt productum per ſecundam actionẽ, quia cauſa moralis prærequiſita ad cauſandum in hoc inſtanti, non ſolum habet prioritatẽ reſpectu actionis, ſed etiam reſpectu effectus; quia non ſolum eſt vera cauſa actionis, ſed etiam eſt vera cauſa effectus.

71. Deinde eo ipſo, quod corpus Chriſti ſit prius quam ipſa actio cõuerſiua, ſequitur habere prioritatem reſpectu ſui ipſius; nam actio conuerſiua eſt prior quam ſuus terminus, cum ſit via ad illum; ſed corpus Chriſti eſt prius quam actio conuerſiua, vt patet, cum ſit eius cauſa; ergo eſt prius, quã terminus illius actionis, qui eſt ipſum corpus Chriſti. Denique eſto non concedas, corpus Chriſti eſſe prius ſeipſo teneris ſaltem fateri, corpus Chriſti eſſe prius, & poſterius reſpectu actionis conuerſiuæ; prius quidem, quid eſt cauſa illius, & præſupponitur exiſtens, vt detur talis actio; poſterius vero, quia eſt terminus illius actionis, vt tu concedis, ergo repugnat hæc etiam cauſalitas moralis corporis Chriſti reſpectu ſui ipſius.

72. *Secundo diſplicet.* Secundo diſplicet hæc ſententia quoad ſecundã partem, quatenus dicit, fuiſſe neceſſariam hanc actionem ad veritatem practicam verborũ Chriſti, eo quod prædicatum illius propoſitionis ſit *corpus Chriſti*: veritas autem practica cõſiſtit in eo, quod verba operentur id, quod prædicant, & enunciant. Quæ ſane doctrina claudicare videtur ex vtraque parte; nam in primis ſupponit illud, *Hoc*, in verbis conſecrationis eſſe ſubiectum illius propoſitionis, & poni ſubſtantiue, cum tamen ſit adiectiuum, vt poſtea videbimus; deinde quia licet eſſe ſubſtantiuum, non eſſe neceſſarium ad veritatem practicam verborum, quod producerent ipſum corpus. Et vt ab hoc vltimo incipiamus, exemplum poteſt facile afferri in aliis ſimilibus propoſitionibus practicis; vt, ſi Princeps deſignaturus prætores dicat: *Prætor Romanus ſit Ioannes*: *Prætor Bononienſis ſit Petrus*, &c. certe licet *Prætor* ſumatur ſubſtãtiue, & ponatur ante copulã, *Ioannes* autẽ ponatur poſt copulã, nemo cordatus dixerit, vt hæc verba habeant veritatem practicam, oportere quod Princeps per illa verba producat Ioannem: ſatis erit, ſi faciat Ioannem eſſe Prætorẽ, licet non faciat quod ille homo ſit Ioannes. ergo ſimiliter cum Chriſtus dixit: *Hoc eſt corpus meum*, quod eſt idem ac dicere: *contentum ſub his accidentibus eſt corpus meum*, licet illud, *hoc*, vel illud, *contentum*, ſumatur ſubſtãtiue, non oportebit ad veritatẽ prædictã illorum verborũ quod verba faciãt corpus eſſe corpus, ſed ſatis erit facere, quod ſit contentum ſub iis accidentibus. *Ad veritatẽ verborũ requiritur tãtum quod faciant corpus Chriſti contineri ſub accidẽtibus.* Ratio autem eſt, quia illa propoſitio: *Prætor eſt Petrus*, & aliæ ſimiles, licet quoad ſonum verborum videantur prædicare Petreitatẽ de Prætore, re tamen vera ex communi hominum acceptione generant in audientibus alium ſenſum, quem reipſa intendunt, ſcilicet explicitè ſolum ſignificare, quod Prætura conuenit Petro. Quod ſimiliter habet illa propoſitio: *Hoc eſt corpus meum*, licet illud, *Hoc*, ſumatur ſubſtantiue; nã reuera, quod intendũt explicare illa verba, eſt, quod corpori Chriſti conueniat eſſe *hoc*, ſeu contentum ſub his accidentibus; ergo ad hoc, quod ea verba ſint practica, id ſolũ debent operari.

Dices, hæc propoſitio, *Prætor eſt homo* eſt eſſentialis, quia ſignificatum formale eſt *homo*, non *prætor*; alias eſſet accidentalis: ergo in hac etiã prædicatione, *Prætor eſt Petrus*, ſignificatum formale, & explicitũ non eſt *Prætor*, ſed *Petrus*. 73. *Inſtabis.* Reſpondeo negando conſequentiam. *Reſpondeo.* Ratio vero diſcriminis inter illas duas prædicationes hæc eſt, quod prima propoſitio habet hunc ſenſum, *ille qui eſt Prætor eſt homo*, in quo ſenſu non poteſt ſignificatum explicitũ, & formaliter intentum eſſe, quod homini conueniat eſſe prætorem; hoc enim non tam explicatur quã præſupponitur ex parte ſubiecti, nã cum dicis *Prætor*, dicis, *homo qui eſt Prætor*; ergo iam ſupponis, homini cõuenire eſſe Prætorem; ergo hoc non intendis explicare per illam prædicationem: ex quo fit, vt prædicatio relinquatur iuxta communem acceptionem in ſuo rigore communi, & cenſearis explicare illud, quod panis ex parte prædicari ſcilicet *homo*: at vero in ſecũda propoſitione, licet ex parte ſubiecti ſupponas, aliquem hominem eſſe Prætorem, non tamen ſupponis hoc ipſum conuenire Petro; quare potuiſti hoc ipſum explicare per illam prædicationem, non tam ſignificando formaliter Petreitatem quam vnionem Præturæ cum Petro. Quæ differentia poteſt etiam applicari ad verba conſecrationis: nam ſi verba diceret, *hoc eſt ſubſtantia*, fortaſſe ſignificatum formale iuxta communem acceptionem eſſet *ſubſtantia*; quia fortaſſe illud *hoc* ſupponit aliquam ſubſtantiam contineri ſub his accidentibus, & ideo non potuiſſet ſignificatum formale eſſe continẽtia alicuius ſubſtantiæ ſub illis accidẽtibus, ſed relinqueretur propoſitio in ſuo rigore communi, vt cẽſeretur formaliter explicari, quod ponitur ex parte prædicati. At vero per hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, licet, *hoc*, accipiatur ſubſtantiue, & per conſequens ſupponatur, iam quod aliqua ſubſtantia contineatur ſub his accidentibus, non tamen ſupponitur corpus Chriſti conuenire hanc continentiam, & ideo hæc conuenientia poteſt explicari, & ſignificari formaliter per illã propoſitionem

poſitionem, vt conſtat ex exemplo ſupra poſito. Fundatur autem totum hoc in communi modo ſignificandi, quem habent homines per tales propoſitiones; nam regulariter loquendo, in huiuſmodi propoſitionibus quaſi indirectis magis intendunt formaliter explicare, quod ponunt ex parte ſubiecti; vt ſi dicas, *album eſt homo*; *dulce eſt lac*, *&c.* niſi contingat ex parte etiam prædicati poni terminum adiectiuum, vt *album eſt dulce*, tunc enim *dulce* erit ſignificatum formale, vel niſi ex aliis circumſtantiis conſtet oppoſitus modus ſignificandi.

74. *Secundò impugnatur. Illud, hoc, ſumitur adiectiuè.* Secundo tamen impugnatur prædicta doctrina; quia re vera in verbis conſecrationis illud, *hoc*, non ſumitur ſubſtantiuè, ſed adiectiuè; quare ſenſus illius propoſitionis nō eſt iſte: *ſubſtantia, quæ continetur ſub his accidentibus, eſt corpus meum*, ſed potius ille: *corpus meum eſt cōtentum ſub his ſpeciebus*. Scio, plures intelligere illa verba in priori ſenſu: mihi tamen ſecundus videtur ſincerus, & germanus eorūm ſenſus, vt ſuppono ex *q.78.infra*; vbi cum aliis id late probat P. Vaſquez *diſp.* 201. & conſtat clare ex forma conſecrationis ſanguinis, vbi non ponitur, *hoc*, ſed, *hic eſt ſanguis meus*; vt habetur Matth. 26. & Marc. 14. quia nimirum *ſanguis* eſt in genere maſculino, & pronomen adiectiue ſumptum debuit concordare in eodem genere; ergo illud *hoc* in conſecratione corporis non ideo ponitur in neutra terminatione, quia ponatur ſubſtantiue, ſed quia *corpus*, cum quo debuit adiectiue cōcordare, erat neutrius generis. Quod ſi loco corporis poneretur *caro*, non diceremus, *hoc eſt caro*, ſed *hæc eſt caro*, ſicut dicimus, *hic eſt ſanguis meus*: nec vnquam apud Hiſpanos, apud quos diuerſas terminationes habent maſculinum, & neutrum genus, vertuntur illa verba ſubſtantiue: *eſto es mi cuerpo*; ſed potius adiectiue: *eſte es mi cuerpo*; *eſta es mi ſanguine*.

75. *Ianſenius.* Scio Ianſenium in concordia c. 131. contendere illa verba, *hic eſt ſanguis*, potuiſſe bene & conuenienter ad textum Græcum conuerti per, *hoc*, in neutro genere: *hoc eſt ſanguis*; quia vox Græca poteſt vtrumque ſonare; & ita Cyprianus legiſſe videtur epiſt. 63. ad Cæcilium: *hoc eſt ſanguis meus, &c.* Cæterum ego hac in parte magis credo noſtræ Vulgatæ, & eius Interpreti, qui bene calluit vim illius pronominis, & vidit, non ideo poſitum in neutra terminatione in textu Græco, quia ſubſtantiue ſumeretur; ſed quia concordabat adiectiue cum *ſanguine*, qui apud Græcos eſt in genere neutro, & ideo Latine tranſtulit, *hic*, in maſculino genere, vt concordaret cum ſanguine. *Locus ille Cypriani eſt corruptus.* Locus item Cypriani corruptus eſt: nam in emendatioribus codicibus non legitur, *hoc*, ſed, *hic eſt ſanguis*; vt obſeruarunt Pamelius ibi, & claudius Sainctes repetione 7. cap. 7. Videatur noſter Maluonatus in *c.26.* Matth ſuper illa Chriſti verba, vbi late hunc ſenſum ex cōtextu Græco deducit, & addit, in contraria ſententia non poſſe excuſari Chriſtum à barbariſmo. Nā ſi quis (ait) deſignando ſuum fratrem, diceret: *hoc eſt frater meus*, virgis cædendus eſſe, quod præter conſuetudinem Latini ſermonis loqueretur.

76. *Dicunt. Hæc ſolutio friuola eſt.* Dicunt aliqui, etiam in conſecratione Calicis illud, *hic*, poni ſubſtantiue ex parte ſubiecti, quaſi dicat: *hic potus eſt ſanguis meus*. Hæc tamē ſolutio friuola eſt: quis enim credat, attendiſſe Interpretem ad hoc, quod potus eſſet maſculini generis, vt concordaret pronomen, *hic*, cum illo, & non magis attendiſſe ad *ſanguinem*, qui eſt illius generis? aut cur etiam non dixit de corpore: *hic eſt corpus meum*, ſcilicet ſub intelligendo: *hic cibus eſt corpus meum*? Fatendum ergo eſt, illud, *hoc*, in conſecratione panis ſumi adiectiue, vt ſēſus ſit: *corpus meum eſt contentum, ſeu continetur ſub his ſpeciebus*; in quo ſenſu ſatis liquet illud, *hoc*, eſſe ſignificatū formale illius enunciationis; nam quod ponatur ante copulam, parum intereſt, cum eo ipſo, quod ponatur adiectiue, niſi aliud conſtet ex circumſtantiis & modo loquendi, ſignificet per modum alteri adiacentis, vt ſi diceres: *bonus eſt Petrus*, ſignificatum formale nō eſſet *Petrus*, ſed bonitas, quæ ſignificatur per terminū adiectiuum; quod præcipue locum habet in pronomine *hoc*, quod elegantiæ gratia conſueuit copulæ anteponi: ergo cum per illud, *hoc*, ſolum ſignificetur corpus Chriſti contineri ſub his accidentibus, quæ continentia non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis, vt ſupra viſum eſt, conſequens eſt, vt ad hoc, quod illa verba ſint rigoroſè practica, non debeant operari aliquid ſubſtantiale, ſed accidentale, quod ſolum formaliter, & primario enunciant de corpore.

Dices, prædicta verba ſaltem formaliter ſignificant, quod corpus Chriſti ſit *hoc*: ſed eſſe hoc, eſt aliquid ſubſtantiale; cum non ſolum differentia ſpecifica, ſed etiā vltima hæcceitas corporis Chriſti ſit ſubſtantialis, vt ſuppono ex Dialectica; ergo verba illa formaliter ſignificant aliquid ſubſtantiale, & per conſequens debent operari aliquid ſubſtantiale. 77. *Inſtabis*

Reſpōdeo, illud. *hoc*, poſſe ſumi dupliciter, primo metaphyſicè, & vt ſic non ſignificat ad ſenſum, ſed ad intellectum hæcceitatem quidditatiuam rei, & in hac acceptione qui diceret: *Petrus eſt hic homo*, enunciaret de illo prædicatum ſolum ſubſtantiale. Secundo, ſumitur, *hoc*, ſenſibiliter, demonſtrando rem in ordine ad ſenſus per accidentia, quibus ſubſtat, & in hoc ſenſu non ſignificat prædicatum mere ſubſtantiale, & quidditatiuum rei, ſed potius accidentale, ſcilicet quod res illa ſubſtet his, vel illis accidentibus. Conſtat autem, in verbis conſecrationis non ſumi, *hoc*, in primo ſenſu, ſed in ſecūdo, ſignificans, corpus Chriſti ſubſtare, ſeu contineri ſub iſtis accidentibus panis. *Reſpondeo.*

SECTIO V.

Referuntur, & impugnantur aliæ duæ ſententiæ

NVnc breuiter impugnemus alias duas ſententias. Prima eſt Gregorij de Valētia in præſenti *diſp.6.q.3.p.3.* qui conuenit nobiſcum in ſupradictis, quod attinet ad productionem corporis Chriſti, quam ingenue fatetur non eſſe neceſſariam ad hanc conuerſionem. Cæterum exiſtimat neceſſariā eſſe productionem alicuius rei, vel modi ſubſtantialis, vt hæc conuerſio poſſit ſubſtantialis appellari: quare cum non producatur per conuerſionem ſubſtantia corporis Chriſti, fatendum eſt, produci habitudinem quandam ſubſtantialem, quam habet corpus Chriſti ad accidentia panis: pro quo ſupponit, ſubſtantiam panis habere duas habitudines ad ſua accidentia; altera eſt, qua erat ſubiectum, in quo erant illa accidentia; altera vero eſt habitudo prima, & radicalis coniunctio ad accidentia, ex qua naſcitur illa altera habitudo ſubiecti, & ratione eius ita alligatur accidentibus, vt non poſſint accidentia localiter moueri, quin moueatur cum illis ſubſtantia. Quo ſuppoſito dicit, corpus Chriſti non habere habitudinem ſubiecti ad accidentia panis, habere tamē alteram habitudinem, & coniunctionem, quæ quidem eſt ſubſtantialis, & ratione cuius dicitur hæc conuerſio productio ſubſtantialis. 78. *Sententia Valentiæ. Valentia. Ponit aliquē modum ſubſtantialem.*

Hæc ſententia facile reiicitur; tum quia quantūcunque conetur non poteſt explicare, qualis ſit illa 79. *Hæc ſententia reijcitur.*

habitudo

habitudo ſubſtantialis corporis Chriſti ad acciden- tia: tum quia iuxta bonam Philoſophiam ſubſtantia panis duplicem ſolum habitudinem habet ad accidentia, ſcilicet vnionis & ſuſtentationis; imo in aliquorum ſententia ſuſtentatio non diſtinguitur ab vnione, ſed demus diſtingui, vtraque tamen eſt modus accidentalis: nam vnio caloris cum ſubiecto eſt modus caloris pertinens reductiue ad prædicamentum qualitatis; item ſuſtentatio eſt paſſio quia ſubiectum cauſat materialiter calorem, v. g. Paſſio autem, ſicut & actio non poteſt eſſe aliquid ſubſtantiale; præſertim cum terminus eſt accidentalis: ergo nulla reſtat habitudo ſubſtantialis, quam corpus Chriſti poſſit exercere reſpectu illorum accidentiū.

80. Alio modo poſſet aliquis contendere, interuenire in præſenti actionem ſubſtantialem, ſupponendo, accidentia panis eo ipſo, quod maneant ſine ſubiecto, debere accipere modum aliquem poſitiuum exiſtendi per ſe ſimilem illi, quem habet ſubſtantia, vt exiſtit per ſe; quare cū iſte modus ſit proprius rerum ſubſtantialiū, videtur eſſe ſubſtantialis, & per conſequens productio illius modi eſſendi per ſe erit productio ſubſtantialis. Sed nec hoc modo defendi poteſt illa ſententia: nā in primis, licet aliqui concedant, accidentia panis in Euchariſtia habere nouum modum poſitiuum exiſtendi per ſe, vt conceſſimus *diſp.* 12 de Incarnat. *n.* 49. non eſt tamen probabile, illum eſſe modum ſubſtantialem; imo eſt contra conceptum modi ſubſtantialis eſſe modum accidentium, nam ſicut ipſa accidentia non poſſunt pertinere ad componendum ens per ſe, & ſubſtantiale, nec modus ipſorum accidentium poteſt conſtituere compoſitum ſubſtantiale. Deinde licet ille eſſet modus ſubſtantialis, conuerſio tamen non diceretur ſimpliciter ſubſtātialis ab illa productione; quia conuerſio magis per ſe denominatur productio à productione termini *ad quem*: productio autē illius modi exiſtendi per ſe, non eſſet productio termini *ad quem*, ſed quid conſequutum ad introductionem corporis Chriſti ſub illis accidentibus: ergo cum actio illa vt verſatur circa terminum *ad quem*, eſſet accidentalis, verius diceretur illa conuerſio productio accidentalis, quam ſubſtantialis.

81. *Vaſquez.* *Sententia Vaſquez;* Secunda ergo ſententia eſt, quam docuit late P. Vaſq. in præſenti *diſp.* 181. *cap.* 11. *& ſeqq.* vbi poſtquam latè probauit, nullam hic interuenire productionem ſubſtantialem, concludit conuerſionem hanc non eſſe actionem, ſed ordinem ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſeu denominationē quamdam extrinſecam, qua panis dicitur conuerſus, & corpus Chriſti dicitur ſuccedens pani, ſeu eſſe id, in quod panis conuertitur: quod totum poteſt reperiri ſine aliqua actione noua. Fundamentum autem huius relationis, ſeu denominationis dicit eſſe deſitionem panis, non vtcumque, ſed vt habentem connexionem cum corpore Chriſti prout ſignificatur per verba: nam *Fundamentum huius relationis eſt deſitio panis habens connexionem cū corpore Chriſti.* corpus Chriſti prout ſignificatur per verba conſecrationis, affert negationem omnis alterius ſubſtantiæ ſub illis accidentibus vt verba ſint vera: ex quo fit, vt panis non deſinat per annihilationem, ſed per directam ſignificationem verborum, quæ ſignificando directè corpus Chriſti indirectè, & obiter tollunt ſubſtantiam panis; quod totum fundatur in eo, quod verba per vnum ſimplicem, & indiuiduam ſignificationem ſignificent corpus Chriſti præſens, & abſentiam panis: nam illud *hoc*, demonſtrat corpus Chriſti ſub illis accidentibus, obiter indicando, non eſſe ibi ſubſtantiam panis; nam ſi illa adeſſet, non poſſet corpus Chriſti demonſtrari per accidentia panis, vt poſtea videbimus. Quare ſi conſecratio fieret per alia verba, ſcilicet, *hic eſt corpus Chriſti, & non eſt ſubſtantia panis*, tunc non daretur conuerſio; quia ſingulæ partes illius orationis haberent ſuum effectum per diuerſam ſignificationem; nunc autem, cum per eandem ſignificationem ſignificetur corpus Chriſti præſens, & abſentia panis, hinc eſt, quod verba ponendo corpus Chriſti expellunt panem, quia ſignificando operantur; ſignificando ſcilicet corpus Chriſti, ponunt illud; ſignificando abſentiam panis, expellunt illum, ſignificare autem corpus Chriſti, & ſignificare panem abeſſe, eſt idem in verbis; ergo de primo ad vltimum ponendo corpus Chriſti expellunt panem; ergo datur conuerſio, quæ ſolum petit, quod vnum deſinat ex poſitione alterius.

Hæc eſt breuiter ſententia P. Vaſq. quam tuetur etiam P. Luiſius Turrianus in Opuſculis Theologicis, *Opuſc.* 14. *diſp.* 3 *dub.* 8. quam acriter impugnant aliqui Recentiores: ſed reuera fere omnia, quæ contra eam opponunt, non tangunt rem ipſam, ſed ſolum modum loquendi Auctoris, qui paululum alienus eſt à communi Schola. Quod enim dixit, conuerſionem eſſe relationem, & ordinem inter ſubſtantias, &c. non ita debet intelligi, vt loquatur de rigoroſa relatione reſultante, cum ipſe plane fateatur, hic non interuenire, plus quam relationem rationis, vel denominationem extrinſecam (quod apud ipſum idem eſt;) quare ſicut alibi ſæpe per relationes, vel entia rationis explicat plura prædicata realia, ſic etiam loquitur in præſenti, quod ſemper intelligendum eſt de ente rationis fundamentaliter ſumpto, vt ſcilicet conuerſio hæc ſit relatio rationis, id eſt, ſi fundamentaliter ſumatur, conuerſio ſit fundamentum illius relationis; ſi vero formaliter, ſit ipſa relatio reſultans: qui modus loquendi iam eſt apud noſtros minus vſitatus, & ideo melius diceretur, ipſam conuerſionem formalem eſſe aliquid reale, ſcilicet illam denominationem extrinſecam, qua deſitio panis denominatur habere connexionem cum poſitione corporis Chriſti propter repugnantiam vtriuſque ſubſtantiæ ortam ex ſignificatione indiuidua, qua ſimul ſignificatur, & ponitur deſitio vnius cum introductione alterius. 82. *Turrianus.* *Quomodo intelligendus ſit Vaſq.*

Cæterum quidquid ſit de modo loquendi, ſententia hæc, licet acute ſanè ſit excogitata, diſplicet tamen ex duobus, vel tribus capitibus. Primum ſit, quatenus dicit, ad rationē conuerſionis non requiri nouam actionem vnitiuam corporis Chriſti cum ſpeciebus panis, cuius oppoſitum docuimus ſupra; alioquin non poſſet dici ſuccedere vnus terminus alteri, ſicut mortuo Petro, & manente Paulo, non diceretur Paulus ſuccedere Petro in exſiſtētia, ſi vterque antea ſimul præexſiſtebat. Requiritur ergo ad hanc conuerſionem noua actio, ſi non productiua, vnitiua ſaltem corporis Chriſti cum ſpeciebus. 83. *Diſplicet primò hæc ſententia.*

Secundo diſplicet illa ſententia quatenus totam connexionem, quam ponit inter corpus Chriſti, & deſitionem panis, reducit ad indiuiſibilitatem ſignificationis, quæ verba directe ſignificant corpus Chriſti præſens, & obiter ſignificant, non eſſe panem, quia re vera tota illa videtur eſſe mera concomitantia inter deſitionem vnius, & poſitionem alterius, & non connexio requiſita ad conuerſionem. Ad conuerſionem enim requiritur talis connexio, & ſubordinatio inter has duas mutationes, vt vna ſit cauſa alterius. Hæc autem ſubordinatio non reperitur in noſtro caſu, ſed mera ſimultas orta ex eo, quod verba illa ſignificant ſimul vtramque; ſicut ſi verba hæc, *ego vos abſoluo*, proferrentur à Sacerdote ſuper peccata duorum hominum, tunc eadem indiuidua ſignificatione ſignificaretur vtriuſque hominis iuſtificatio, non tamen cum ſubordinatione, ſed 84. *Secundo diſplicet.* *Ad conuerſionē requiritur talis connexio inter ambas mutationes vt vna ſit cauſa alterius.*

mere-

mere concomitanter, quatenus verba illa non poſſunt ſignificare vnum ſine alio: ſic ergo in præſenti verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, ex vi ſuæ ſignificationis æquiualent omnino iſtis, *corpus meum, & nihil aliud ſubſtat his ſpeciebus*; quare habent virtualiter duplicem ſignificationem, & duo ſignificata, quorum vnum non eſt cauſa alterius ſecundum ſe; nec etiam ratione ſignificationis, quia ſignificatio vnius non eſt cauſa ſignificationis alterius, ſed eſt ipſamet ſignificatio alterius, ergo ratione huius ſignificationis, licet poſſit dici, quod verba cauſando vnum, cauſant aliud; non tamen poteſt dici, quod cauſalitas vnius pendet à cauſalitate alterius.

85. *Inſtabis.* Dices, ad conuerſionem non requiritur, quod vna mutatio ſit proprie cauſa alterius, ſed ſufficit connexio aliqua inter introductionem vnius termini, & expulſionem alterius, vt diximus ſupra Sect. 1. ergo ſufficiet ad conuerſionem Euchariſticam connexio illa, quam habent poſitio corporis Chriſti, & expulſio panis ratione indiuiſibilis ſignificationis, quia ab eiſdem verbis vtraque mutatio ſimul ſignificatur.

86. *Diluitur.* Sed contra hoc eſt, quia imprimis repugnantia hæc orta non ex conditione ipſarum mutationum, ſed præciſe ex conditione talis cauſæ non potentia operari vnum, quin operetur aliud, non videtur ſufficiens ad conuerſionem in ſententia ipſius Vaſq. ipſe enim fatetur, quod non fieret conuerſio per illa verba, *hic ſit corpus meum, & non ſit panis*; ex quo caſu arguitur etiam ad noſtrum: nam tunc etiam illa verba ſignificarent vtrumque, & non poſſent cauſare vnum ſine alio; imo ad cauſandam præſentiam Chriſti, deberent etiam ſignificare abſentiam panis: nam ſuppono, quod omnia illa verba requirerentur ad ponendum ibi corpus Chriſti, ecce tunc ſignificando corpus Chriſti præſens, expellerent etiam panem, & è contra, & tamen non daretur conuerſio, quia vna mutatio non haberet connexionem cum alia, ſed haberent ſe concomitanter; ergo nec etiam nunc datur conuerſio propter eamdem rationem, cum tota hæc connexio ſit neceſſaria concomitantiæ in ordine ad verba, quæ non poſſunt cauſare vnum ſine alio.

87. *Explicatur.* Confirmatur, & explicatur; quia iuxta eam ſententiam non ſolum corpus Chriſti ſecundum ſe non pugnat cum ſubſtantia panis, ſed nec etiam poſitio eius. Fateor, ſignificationem, qua verba ſignificant corpus Chriſti præſens, pugnare cum ſubſtantia panis, quia per eamdem ſignificationem indicatur abeſſe panem. Cæterum illa ſignificatio non eſt poſitio corporis Chriſti, ſed potius principium illius poſitionis; verba enim non operantur per ſignificationem, tamquam per actualem operationem, ſed tamquam per virtutem operatiuam, qua conſtituuntur in actu primo in ratione principij operatiui, & à qua poſtea procedit actualis operatio, ſiue ſit cauſalitas phyſica, ſiue ſolum moralis. Comparando ergo operationem verborum in actu ſecundo, qua expellunt panem, cum operatione, qua ponunt corpus Chriſti, hæ duæ operationes inter ſe non habent connexionem immediatam, ſed ad ſummum mediatam, quatenus quælibet earum procedit à principio potente, & debente eiicere alteram, ſcilicet à ſignificatione verborum, quæ eſt principium vtriuſque: hæc autem connexio non tam ſe tenet ex parte ipſarum operationum, quam ex parte principij: ſicut etiam in caſu poſito, quando illa propoſitio hypothetica eſſet forma cõſecrationis, tota illa propoſitio cum tota ſua ſignificatione eſſet principium vtriuſque mutationis, & per conſequens non poſſet poni corpus Chriſti, quin ſimul expelleretur panis; non tamen diceretur quod poſitio corporis ſecundum ſe pugnaret cum pane, ſed quod principium poſitionis corporis Chriſti pugnaret cum pane, ſcilicet tota illa propoſitio hypothetica, quæ erat principium poſitionis corporis Chriſti, & quæ eandem habeat virtutem ad deſtruendum panem. Quamuis ergo non requiratur, quod vna mutatio ſit cauſa alterius, requiritur tamen, quod ipſi termini ſecundum ſe habeant aliquam repugnantiam, ratione cuius introductio vnius afferat aliquo modo ſecum expulſionem alterius. Vnde reddi poteſt ratio à priori, quia iuxta illam ſententiam non ponitur repugnantia in ordine ad ſubſtandum; quia non ponit corpus Chriſti ſubſtare vere accidentibus panis; quod tamen requiritur ad verificanda verba, vt vidimus, & iterum videbimus.

Denique diſplicet illa ſententia, quod affectans facilitatem huius myſterij, non modicam difficultatem iniicit ad explicandum rationem conuerſionis, & pugnæ vtriuſque ſubſtantiæ, cum tamen hoc ipſum cum maiori proprietate, & claritate ex ipſa phyſica rei natura poſſit explicari, vt videbimus Sectione ſequenti. Argumenta vero, quæ P. Vaſquez habet pro ſe ex auctoritate S. Thomæ & aliorum, ſolum probant, hanc conuerſionem non eſſe ſolam productionem, nec ſolam deſitionem, ſed ordinem vtriuſque, ſeu vtramque ſimul, prout ſeſe inuicem denominant: quod veriſſimum fateor, vt conſtabit ex dicendis. 88. *Diſplicet iterum illa ſententia.*

SECTIO VI.

Proponitur, & explicatur noſtra ſententia.

Reiectis ſupradictis ſententiis, ex quarum impugnatione aliæ poſſunt facile impugnari, reſtat vt noſtram iam breuiter explicemus. Conuenit igitur cum P. Vaſquez & P. Valentia in eo, quod non interueniat aliqua productio, vel conſeruatio noua corporis Chriſti, imo nec vlla etiam productio alicuius termini ſubſtantialis, ſed ſolùm introductio noua corporis Chriſti ſub his ſpeciebus; quæ quidem actio non debet appellari actio adductiua, tum quia adductio ſolum terminatur ad præſentiam localem, quæ non ſufficit ad conuerſionem iſtam, quæ fit in ordine ad ſubſtandum accidentibus; tum etiam quia adductio ſonat, corpus Chriſti venire per motum localem ſucceſſiuum tranſeundo per medium, quod falſum eſt; & ideo merito diſplicet communiter ſententia, quæ tranſſubſtantiationem vocat actionem adductiuam. Melius ergo dicitur actio conſtitutiua corporis Chriſti ſub ſpeciebus, connotando etiam deſitionem ſubſtantialem panis: nec enim vnitio ſecundum ſe, nec deſitio ſecundum ſe, eſt adæquatè conuerſio, ſed vtraque ſimul componit conuerſionem conſtantem ex vtraque mutatione, ex deſitione, & vnitione; à qua conuerſione panis denominatur conuerſus, & corpus Chriſti denominatur ſuccedens pani, ſeu id in quod ſubſtantialiter conuertitur panis. Pro qua ſententia poſſunt afferri plures Auctores negantes productionem ſubſtantialem corporis Chriſti, quos refert Vaſquez vbi ſupra *cap.* 2. & 11 & videtur eſſe de mente S. Thomæ in præſenti *art.* 4. vbi ſupponit, tranſſubſtantiationem conuenire cum conuerſione formali in eo, quod ſicut vna forma ſuccedit alteri in eodem ſubiecto, quam vocat conuerſionem formalem, ita in tranſſubſtantiatione tota ſubſtantia conuertitur in aliam; ergo 89. *Explicatur noſtra ſententia.* *Primo nō requiritur vlla productio ſubſtantialis.* *Ex vnitione & deſitione componitur adæquatè hæc conuerſio.* S.Thom.

ſecundum

ſecundum S. Thomam hæc conuerſio fit per ſucceſſionem vnius ſubſtantiæ ad aliam, ſine productione etiam ſubſtantiæ ſuccedentis, ſicut conuerſio formalis fit ſine productione formæ ſuccedentis, vt ſupra probatum eſt. Quam etiam ſimilitudinem conuerſionis formalis vſurpauit Catechiſmus Romanus Pij Quinti dicens, quod *ſicut generatio naturalis dicitur transformatio rectè, & propriè, quia forma in eo mutatur* (non dixit, quia producitur,) *ita etiam in Euchariſtia, quia tota vnius rei ſubſtantia in totā alterius tranſeat; verbum tranſſubſtantiationis rectè, & ſapienter à maioribus noſtris inuentum eſt.*

Catechiſm.

90\. *Ratio noſtræ ſententiæ.* Ex qua etiam ſimilitudine fit ratio noſtræ ſententiæ; quia conuerſio formalis non eſt productio nouæ formæ ſuccedentis, ſed vnitio eius cum materia, connotando expulſionem alterius formæ; ergo ſimiliter conuerſio ſubſtantialis, ſeu tranſſubſtantiatio non erit productio nouæ ſubſtantiæ ſuccedētis, ſed poſitio eius ſub accidentibus, connotando deſitionem alterius ſubſtantiæ præcedentis, à qua actione dicitur confici Euchariſtia, ſicut à productione vnionis dicitur fieri homo; quare ſicut, ablata illa actione, non manet homo, licet maneat conſeruatio formæ; ſic etiam ablata poſitione corporis Chriſti ſub ſpeciebus, non manet Euchariſtia, quamuis perſeueret omnis productio, & conſeruatio ipſius corporis Chriſti; ergo cum illa ſolum actione conuertatur panis in corpus Chriſti, qua conficitur Euchariſtia, hæc autem non ſit productio, ſed poſitio corporis Chriſti ſub ſpeciebus, hæc etiam ſola, & non alia, erit actio conuerſiua.

91\. *Explicatur quid ſit hæc actio vnitiua.* Reſtat tamen explicare, qualis ſit hæc actio vnitiua, & quem habeat terminum productum, & quomodo in ratione huius actionis reperiantur in hac conuerſione omnes conditiones requiſitæ ad veram conuerſionem: quas numerauimus ſuprà *ſect.* 1. Et quod ad primum attinet, facile illud intelliges, ſi memineris, quæ dicta ſunt diſp. præcedenti *ſect.* 2. vbi explicuimus, qualis vnio reperiatur inter corpus Chriſti, & accidentia panis: diximus enim, hanc non eſſe vnionem informationis, ſed cauſalitatis, quatenus corpus Chriſti ſuccedit ſubſtantiæ panis in munere ſuſtentandi illa accidentia in diuerſo genere cauſæ, & ſine imperfectione, à qua ſuſtentatione denominatur corpus Chriſti ſubſtare illis accidentibus, quia per illam exercet munus proprium ſubſtantiæ circa accidentia. Ex quo fit, poſitionem corporis Chriſti ſub accidentibus eſſe illam actionem, qua corpus Chriſti ſuſtentat accidentia.

92\. *Inſtantia.* Dices, actio illa terminatur ad ipſa accidentia; eſt enim quidam concurſus creatiuus per modum conſeruationis, quo Chriſtus conſeruat accidentia panis; ergo illa actio non eſt vnitiua; nam vnitio debet terminari ad ipſam vnionem. *Diluitur.* Reſpondetur, illam actionem habere quidem pro termino producto, ſeu conſeruato accidentia, & non vnionem; ipſam tamen actionem in ſua entitate eſſe ipſam vnionem, quia Chriſtus conſeruando accidentia vnitur ipſis, cum hæc vnio ſit cauſalitatis; imo ipſa actio eſt non ſolum vnitio, ſed vnio, non quia habet vnionem pro termino producto, (quia hoc eſſet habere ſeipſam pro termino) ſed quia eſt talis vnio, quæ non indiget alia actione, qua fiat, ſed ſe ipſa fit; hoc enim eſt commune omnibus actionibus, vt ipſa actio ſit productio ſui ipſius: cum ergo illa cauſalitas corporis Chriſti in ſpecies ſit actio Chriſti, conſequens eſt, vt per illam formaliter non ſolum dicatur corpus Chriſti conſeruare accidentia, ſed etiam producere ipſam actionem, & per conſequens, ipſam vnionem corporis Chriſti cum accidentibus: vnio enim cum accidentibus eſt conſeruatio, ſeu ſuſtentatio ipſorum accidentium.

Dices, actio conuerſiua eſt introductio termini formalis, vt ſæpe dictum eſt: introductio autem debet eſſe actio terminata ad vnionem termini formalis; ergo hæc actio corporis Chriſti in ſpecies non eſt actio conuerſiua; hæc enim non terminatur ad vnionem, ſed ad ipſa accidentia. Reſpondeo, negando minorem; nam ad rationem actionis conuerſiuæ non requiritur, quod terminetur ad vnionem, ſed quod per ipſam fiat vnio: hæc autem actio Chriſti in accidentia, licet non terminetur ad ſeipſam, & per conſequens, nec ad vnionem, vere tamen eſt productio vnionis, & productio ſui ipſius, ſicut omnis actio dicitur fieri ſe ipſa, licet non dicatur eſſe terminus ſui ipſius, quia non eſt vltimum, quod per illam actionem producitur. 93. *Reſponſio.* *Inſtantia.*

Cæterum, quoniam dicta Sect. 2. Diſputationis præcedentis diximus, hanc continentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, non ſolum importare ſuſtentationem accidentium, ſed etiam includere alligationem quandam corporis Chriſti ad ſpecies, quæ quidem alligatio non oritur ex natura rei ex cauſalitate Chriſti in accidentia (poteſt enim Chriſtus ſuſtentare efficienter accidentia fine intima præſentia cum illis, vt ibi dictum eſt,) ſed potius eſt vis quædam, qua accidentia diuinitus poſſunt ſecum trahere corpus Chriſti, quocumque deferantur; hinc eſt, quod illa ſuſtentatio accidentium ſecundum ſe non eſt adæquate actio vnitiua corporis Chriſti cum accidentibus, niſi prout denominatur ab alligatione prouenlente ex illa vi accidentium attractiua corporis Chriſti: nam corpus Chriſti vnitum, vel quaſi vnitum accidentibus, ſeu ſubſtare illis includit hæc duo (vt ſæpe dixi,) (ſcilicet corpus Chriſti ſuſtentare accidentia efficienter, & habere intimam præſentiam inſeparabilem ab illis. Primum prouenit formaliter ab illa actione Chriſti in accidentia; ſecundum à virtute accidentium ad trahendum ſecum corpus Chriſti. 94. *Intelligitur, etiā alligatio quædam corporis Chriſti ad ſpecies.*

Dices, ſubſtantia vt ſubſtantia non ſuſtentat accidentia efficienter, ſed materialiter; ergo corpus Chriſti ſuſtentando accidentia panis in genere cauſæ efficientis non ſuccedit in proprio munere ſubſtantiæ, & per conſequens non ſubſtat illis accidentibus. Reſpondeo, corpus Chriſti non ſuccedere in munere proprio ſubſtantiæ cum ſuis imperfectionibus: ſuccedit tamen in aliquo proprio ſubſtantiæ; quia ſuſtentare cum alligatione intima proprium etiam eſt ſubſtantiæ. Sicut qui ponunt ſpeciem impreſſam poſſibilem ad videndum clare Deum, vocant illam ſpeciem; quia licet non habeat omnes imperfectiones aliarum ſpecierum (non enim concurreret ad ſupplendum loco obiecti non potentis immediate cōcurrere, vt contingit in aliis ſpeciebus) adhuc tamen exerceret præcipuum, & proprium munus ſpeciei, ſcilicet concurrere loco obiecti cum potentia exigente concurſum obiecti. Sic etiam corpus Chriſti, licet non exerceat munus ſubſtantiæ panis cum eiuſdem imperfectionibus, quia tamen exercet potiſſimum & proprium munus ſubſtantiæ, ſcilicet ſuſtentare cum alligatione, ideo dicitur ſubſtare loco panis eius accidentibus. 95. *Inſtantia.* *Diluitur.*

Dices iterum, ſubſtantia habet duo, ſcilicet cauſalitatem, & vnionem cum accidentibus: ergo cum corpus Chriſti exerceat ſolum vnum, non exercet adæquate munus ſubſtantiæ, ſed inadæquate. Reſpondeo, non requiri illa duo ſimul ad ſubſtandum, ſed disiunctim; ſcilicet vel vnionem vel ſuſtentationem cum alligatione intima: nam de facto Angelus ſubſtat ſuæ creationi, quam tamen in ſen- 96. *Inſtabis iterum.* *Reſponſio data.*

B b tentia

tentia probabiliori non ſuſtentat in genere cauſæ materialis; ſed recipit vt ſubiectum adhæſionis, non inhæſionis: ergo contra ſufficiet ſuſtentare accidentia cum alligatione intima, licet non cum propria vnione, vt corpus Chriſti dicatur ſubſtare illis. Et quidem omnes debemus fateri, ad hanc denominationem ſubſtantis non requiri in corpore Chriſti totum id, quod aliæ ſubſtantiæ habent reſpectu ſuorum accidentium; nam ij etiam, qui ponunt veram vnionem phyſicam corporis Chriſti cum accidentibus panis, dicunt tamen, illam non eſſe ſimilem vnioni, quam habet ſubſtantia panis, vel aliæ ſubſtantiæ cum ſuis accidentibus, ſed diuerſæ rationis, ac mirabilem, & extraordinariam. Sicut ergo corpus Chriſti dicitur ſubſtare accidentibus panis, licet non vniatur cum illis eo modo quo aliæ ſubſtantiæ vniri ſolent cum ſuis accidentibus, quia nimirum per vocem *ſubſtandi* non eſt neceſſe ſignificare in corpore Chriſti illam vnionem, quam ſignificare ſolemus in aliis ſubſtantiis, ſed aliquam vnionem: ſic non dicimus, ſubſtare corpus Chriſti illis accidentibus, licet nullum habeat propriam vnionem phyſicam cum illis accidentibus, ſicut habere ſolent aliæ ſubſtantiæ, quia per illam vocē non eſt neceſſe ſignificare ſemper propriam vnionem.

97. *Quid ſit ſubſtare in toto rigore.*

Ratio autem eſt, quia *ſubſtare* in toto rigore illud dicitur, quod eſt prima radix intima eorum accidentium ſub illis contenta: quod totum habet corpus Chriſti in ordine ad accidentia panis, ſuccedit enim loco panis ad ſupplendum non ſolum munus cauſæ materialis in genere cauſæ efficientis, ſed etiam ad ſupplendum influxum, quem ſubſtantia panis habebat ad conſeruanda, vel reſtituenda accidentia propria (ſiue id fiat per propriam efficientiam, ſiue per aliud genus emanationis.) nam eodem modo corpus Chriſti conſeruat & reſtituit accidentia panis, ſicut faceret ipſa panis ſubſtantia. Quod autem id non præſtet vt ſubiectum vnitum, parum refert; quia de facto forma ſubſtantialis panis dicitur ſubſtare accidentibus panis, quatenus eſt radix illorum accidentium exigens, & conſeruans, ac reſtituens illa, quando amittuntur, licet non ſit ſubiectum vnitum cum iis accidentibus, ſiquidem inhærent (vt ſuppono) ſoli materiæ, & tamen non ſola materia, ſed etiam forma dicitur proprie ſubſtare illis: ergo ſimiliter corpus Chriſti ſuſtentans, & conſeruans illa accidentia, ac ſupplens quod præſtaret materia, & forma panis, dici poterit ſubſtare illi, licet non habeat phyſicam, & rigoroſam vnionem cum illis.

98. *Aliũde obiicitur illam alligationẽ non eſſe neceſſariam.*

Poſſet aliunde è contrario obiici, ſufficienter ſaluari totam rationem conuerſionis huius adæquate in ſola actione corporis Chriſti in accidentia, abſque eo quod intelligamus alligationem ipſius ad eadem accidentia: nam per illam actionem formaliter intelligitur corpus Chriſti ſuccedere ſubſtantiæ panis in munere ſuſtentandi accidentia; ergo eo ipſo intelligitur iam ſucceſſio vnius ſubſtantiæ ad aliam in eodem munere, & reſpectu eorumdem accidentium, quod ſufficit ad conuerſionem. *Reſpondeo.* Reſpondeo, ſi non intelligeretur alligatio corporis Chriſti ad ſpecies, ſed ſola ſuſtentatio accidentium, intelligeretur quidem quædam quaſi conuerſio cauſalis, ſeu cauſarum, quatenus vna cauſa ſuccederet alteri cauſæ in ordine ad eumdem effectum: non tamen intelligeretur tranſſubſtantiatio, quia ad hoc requiritur non ſolum quod terminus ſuccedens ſit ſubſtantia, ſed quod ſuccedat formaliter vt ſubſtantia, ſeu exercendo munus ſubſtantiæ quod eſt ſubſtare accidentibus. Subſtare autem non eſt ſolum ſuſtentare accidentia, niſi etiam contineatur ſub illis: ergo vt hæc conuerſio ſit tranſſubſtantiatio, requiritur etiam illa alligatio corporis Chriſti ad ſpecies, ratione cuius dicatur Chriſtus contineri ſubſtantialiter ſub ſpeciebus. Sicut ad conuerſionem, quæ ſit transformatio, non ſufficit, quod terminus deſinens, & ſuccedens eſſet formæ. v. g. ſi forma aquæ conſeruaret diuinitus gratiam, & ſuccederet forma ignis in hoc eodem munere, non diceretur illa transformatio; quia illa forma non ſuccederet circa gratiam in munere proprio formæ, ſcilicet informando illam; ergo ſimiliter in præſenti, vt dicatur tranſſubſtantiatio, requiritur quod corpus Chriſti ſuccedat pani in munere proprio ſubſtantiæ circa accidentia, ſcilicet ſubſtando illis. Denominatio autem ſubſtantiæ prouenit formaliter non ſolum à ſuſtentatione, ſed etiam ab alligatione ad intimam præſentiam ſub ſpeciebus, quia *ſubſtare* (vt verbum ipſum oſtendit) eſt, *ſtare ſub*, quod ſignificat contineri ſub alio, ita vt cum illo moueatur, & cum illo quieſcat inſeparabiliter.

Efſet quidem cauſalis conuerſio, nõ tamen trãſſubſtantio.

Petes per quid formaliter cõſtituatur hæc denominatio ſubſtantiæ, ſeu contenti ſub ſpeciebus, an per alligationem in actu primo prouenientem ab illa virtute data ſpeciebus ad trahendum ſecum corpus Chriſti; an vero ab ipſa etiam actuali præſentia, qua in actu ſecũdo corpus Chriſti ſit formaliter præſens ſpeciebus? Videtur enim ſufficienter prouenire ab illa alligatione, quæ eſt in actu primo; ſeu à neceſſitate exſiſtendi in eodem loco cum ſpeciebus; quæ neceſſitas in actu primo eſt illa virtus, & efficacia, quam ſpecies habent ad trahendum, & retinendum ſecum in eodem loco corpus Chriſti in actu ſecundo. Nam antecedenter ad præſentiam localem actualem forma ſubſtantialis intelligitur vnita materiæ, & ratione vnionis dicitur ſufficienter eſſe in materia. Item ipſa accidentia panis antecedenter ad præſentiam actualem localem intelliguntur vnita pani, & inhærere pani, & ratione inhærentiæ intelligitur ſubſtantia panis contineri ſub illis accidentibus, & ſubſtare illis: quando enim panis mouetur localiter, pro priori naturæ ad motum, & vbicationem, quam acquirit, intelligitur ſubſtare quantitati, & aliis accidentibus, quæ neceſſario requiruntur ad motum; ergo illa vnio ſufficit ad hanc denominationem, & per conſequens corpus Chriſti, quod ſuccedit ſubſtantiæ panis, dicetur etiam ſubſtare ſpeciebus formaliter per alligationem, quam habet in actu primo ante actualem præſentiam, quæ alligatio eſt neceſſitas proueniens à virtute, qua ſpecies poſſunt ſecum trahere, & retinere intime Corpus Chriſti. 99. *Quæſitũ per quid conſtituatur hæc denominatio contenti ſub ſpeciebus.*

Aliunde vero videtur debere omnino intrare ipſamet præſentia actualis corporis Chriſti ad denominationem *ſubſtantis*; quia reliqua omnia abſque præſentia hac poſſet manere de facto, & corpus Chriſti non diceretur ſubſtare ſpeciebus panis; ergo hæc denominatio debet prouenire ſaltem partialiter ab ipſa actualis præſentia. Conſequentia patet quia, manentibus omnibus quæ intrinſece componunt effectum formalem, non poteſt non manere idem effectus formalis; ergo ſi, deficiente ſola præſentia actuali, & manentibus aliis omnibus, non manet denominatio *ſubſtantis*, ſignum eſt, quod deeſt aliquid illius concreti: ſi enim nihil illius deeſt, manebit idem concretum, ſicut antea. Antecedens vero, quod ſcilicet poſſint manere alia omnia abſque præſentia actuali, & tunc corpus Chriſti non diceretur *ſubſtans*, probatur, quia poſſet Deus concurrere cum corpore Chriſti ad ſuſtentandas ſpecies panis in genere cauſæ efficiẽtis ſicut modo, 100. *Videtur omnino requiri præſentia actualis.*

&

& ponere in ipſis ſpeciebus virtutem ad trahendum ſecum corpus Chriſti ſicut modo; & tamen nolle concurrere cum ſpeciebus, & cum virtute illis data ad trahendum de facto corpus Chriſti, in actu ſecundo, ſicut poteſt, data grauitate, vel impulſo lapidi, nolle concurrere cum lapide ad motum. Porro in eo caſu corpus Chriſti non eſſet præſens ſpeciebus, ſed conſeruaret illas agendo in diſtans de potentia abſoluta; addito duplici miraculo, altero, quod ageret in diſtans; altero, quod virtus ſpecierum ad trahendum corpus Chriſti non operaretur ſuum effectum. Tunc autem corpus Chriſti non ſubſtaret ſpeciebus; quia, oſtenſis accidentibus illis non poſſemus verè dicere: *Hoc eſt corpus Chriſti*, cum re vera non eſſet corpus Chriſti ſub illis accidentibus; ergo illa alia omnia abſque actuali præſentia non ſufficiunt ad dandam illam denominationem *ſubſtantis*, in ſenſu proprio & rigoroſo.

101. *Non poteſt eſſe difficultas de re.* In hoc puncto non videtur poſſe eſſe de re ipſa difficultas: conſtat enim ex dictis, antecedenter ad ipſam præſentiam actualem intelligi in actu primo alligationem aliquam corporis Chriſti cum ſpeciebus, illam tamen non ſufficere, vt dicatur corpus Chriſti eſſe præſens ſpeciebus. Vnde quoad modum loquendi, poſſumus diſtinguere, & concedere, quod in actu primo intelligatur alligatio radicalis, & corpus Chriſti radicaliter ſubſtans ſpeciebus panis; poſita verò præſentia, intelligatur per ipſam ſubſtans complete in actu ſecundo, hoc eſt, ſtans ſub illis, quod quidem non haberet, deficiente ſola præſentia actuali, & manentibus omnibus aliis.

102. *Ad rationē dubitandi. Reſpondetur.* Ad rationem verò dubitandi, & exemplum adductum ex vnione eorumdem accidentium cum ſubſtantia panis, per quam vnionem dicebatur panis ſubſtare accidentibus antecedenter præſentiam actualem. Reſponderi poteſt, in primo eſſe diſcrimen, quatenus vnio phyſica accidentium cum ſubſtantia panis eſt talis alligatio, vt non poſſit manere vnio illa in rerum natura abſque eo quod forma ſit præſens, & intima ſubiecto cui vnitur; non enim poſſet eſſe anima vnita corpori, ita vt corpus eſſet ſolum Romæ, & anima ſolum Neapoli, numquam verò anima eſſet præſens corpori: vnde non mirum, quod intelligendo ſolam illam alligationem, ſeu vnionem formæ ſubſtantialis, vel accidentalis cum ſubiecto, intelligamus ſubiectum eſſe ſub illa forma. At verò in noſtro caſu non interuenit talis, tantaque alligatio, & vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus: poteſt enim manere tota illa alligatio antecedens, abſque eo quod ſequatur præſentia actualis corporis Chriſti ad ſpecies, vt vidimus; & ideo abſque illa actuali præſentia nondum intelligitur completè, & formaliter corpus Chriſti ſubſtare illis ſpeciebus.

103. *Addere poſſumus.* Addere tamen poſſumus, eamdem doctrinam, & diſtinctionem applicari etiam poſſe cum proportione ad exemplum, & vnionem accidentium cum ſubſtantia panis. Nam poteſt dari vnio illa accidentium cum pane abſque eo quod, oſtenſis accidentibus, poſſimus dicere: *hic eſt panis*; poteſt enim ſubſtantia panis Neapoli eſſe ſub illis accidentibus, & eadem accidentia poſſunt replicari Romæ, non poſita Romæ ſubſtantia panis; tunc autem datur in rerum natura vnio accidentium cum pane, & tamen oſtenſis Romæ accidentibus, non poſſumus dicere: *hic eſt panis*; ergo ad veritatem huius propoſitionis non ſufficit illa alligatio antecedens, & vnio accidentium cum pane, ſed requiritur ipſa actualis præſentia panis; quæ quia deeſt Romæ, non poſſumus proferre illam propoſitionem. Eodem ergo modo non ſufficit illa alligatio antecedens corporis Chriſti cum ſpeciebus ad dicendum: *Hoc eſt corpus Chriſti*. Vel quod corpus Chriſti ſubſtat his ſpeciebus, niſi includatur præſentia actualis corporis Chriſti ad ſpecies.

Dices pro eo priori intelligitur corpus Chriſti eſſe radix illorum accidentium, quatenus loco ſubſtantiæ panis ea conſeruat, & reſtituit, radix autem eo ipſo intelligitur ſubſtare, ergo pro eo priori corpus Chriſti ſubſtat accidentibus panis. Reſpondeo ex dictis, pro eo priori corpus Chriſti intelligi radicem incomplete, & virtualiter; non tamen omnino complete formaliter: quia eſſe radicem formaliter, videtur includere hoc, quod eſt actu eſſe ſub illis, quorum eſt radix: quamuis autem corpus Chriſti pro eo priori conſeruet, & ſuſtentet efficienter accidentia panis, & exigat eſſe ſub illis propter virtutem, quam accidentia habent ad trahendum ſecum ipſum: nondum tamen intelligitur eſſe ſub illis, & ideo non videtur habere totam denominationem radicis formalis completam. 104. *Inſtantia.*

SECTIO VII.

Explicantur iuxta hanc ſententiam omnes conditiones requiſitæ ad veram conuerſionem in conuerſione Eucharistica.

His ſuppoſitis circa primum quod propoſuimus explicandum, qualis ſcilicet eſſet hæc continentia, ſeu hæc actio introductiua corporis Chriſti ſub ſpeciebus; reſtat nunc ſecundum, ſcilicet videre, quomodo ratione huius introductiuis Chriſti ſub ſpeciebus ſine aliqua noua productione corporis, reperiantur hic omnes conditiones, quas *ſect.* 1. poſtulauimus ad omnem veram conuerſionem. Et in primis clarè conſtat, dari aliquod tertium commune, in ordine ad quod pugnet vterque terminus formalis, panis, & corpus Chriſti, & quod ſub vtroque idem perſeueret, nempe accidentia panis. Conſtat etiam, dari vnam mutationem, negatiuam ſcilicet ab eſſe panis ad non eſſe illius, & aliam poſitiuam, ſcilicet à non eſſe corporis Chriſti ſub ſpeciebus, ad eſſe illius ſub ſpeciebus. Conſtat tertio, dari vnum terminum formalem *à quo*, ſcilicet ſubſtantiam panis, & alium terminum formalem *ad quem*, ſcilicet corpus Chriſti, item terminum totalem *à quo*, ſcilicet compoſitum ex pane, & accidentibus; & terminum totalem *ad quem*, ſcilicet corpus Chriſti cum accidentibus. Item conſtat, terminum totalem *à quo* incipere ſimpliciter, & terminum totalem *ad quem* incipere ſimpliciter; item terminum formalem *à quo* deſinere etiam ſimpliciter, vt non ſolum verum ſit, compoſitum ex pane, & accidentibus conuerti in compoſitum ex corpore Chriſti, & accidentibus, ſed etiam ſubſtantiam panis conuerti in corpus Chriſti iuxta doctrinam ibi traditam. 105. *Datur primo aliquod tertium commune. Secundo mutatio negatiua & poſitiua. Tertio terminus à quo & ad quem. Conſtat tertio terminos à quo deſinere, ad quem incipere.*

106. *Explicatur alia conditio quomodo ſcilicet detur pugna inter vtrumque terminum.* Difficultas ſolum reſtat circa aliam conditionem requiſitam ad conuerſionem, ſcilicet quod detur pugna inter vtrumque terminum formalem, quomodo verificetur ibi. Et omiſſis variis ſententiis in declaranda hac repugnantia, breuiter dicendum eſt, corpus Chriſti vt ſubſtans ſpeciebus, ex natura rei pugnare cum ſubſtantia panis: quia vt ſubſtans includit ſuſtentationem accidentium in genere cauſæ efficientis, quæ cauſalitas ex natura rei petit, quod accidentia non pendeant à ſubſtantia panis, & per conſequens quod panis non ſubſtet iam illis accidentibus ne detur duplex cauſalitas adæquata circa eumdem effectum: nam eſto, hæc diuinitus non repugnet, repugnat ſaltem connaturaliter

& ſine nouo miraculo; quare ex ſuppoſitione prioris miraculi, & quod accidentia conſeruantur à corpore Chriſti, connaturaliter ſequitur ablatio alterius cauſalitatis, quia illa accidentia conſeruabantur à ſubſtantia panis.

107. *Inſtantia.* Dices, adhuc poſita ſcientia infuſa, qua anima Chriſti cognoſcebat Leonem, v.g. non fuit impedita ſcientia naturalis eiuſdem obiecti; ergo nec poſita cauſalitate, qua accidétia pédent ſupernaturaliter à corpore Chriſti debuit, cónaturaliter impediri cauſalitas qua naturaliter pendebāt à ſubſtantia panis.

Diluitur. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, quod illa ſcientia naturalis tribuebat nouam perfectionem animæ Chriſti per ſe amabilem, adhuc poſita ſcientia infuſa; non verſabatur enim circa idem omnino obiectum, ſed habebat obiectum diuerſum, & nouum modum, ſed cognoſcendi illud obiectum: at verò cauſalitas ſecũdá nullam habet amabilitatem nec vtilitatem: poſita alia; nam cauſalitas ſolum eſt vtilis, vt effectus habeat eſſe: non poteſt autem habere duplex eſſe, nec magis eſſe à duplici cauſa: ergo ſecunda cauſalitas ſuperflua omnino eſſet, & inutilis termino. Vide quæ diximus tomo de Incarnatione *diſp.* 12. *ſect.* 6. *n.* 70. & *diſp.* 20. *n.* 27.

108. *Inſtabis.* Dices iterum, ex vi illius cauſalitatis, qua accidentia pendent à corpore Chriſti, ſolum tollitur dependentia, qua ſuſtentabantur à ſubſtantia panis, non verò tollitur vnio eorum cum ſubſtantia panis: aliud enim eſt, accidens ſuſtentari à ſubiecto, aliud vniri, vt ſuppono ex Philoſophia, quia ſuſtentatio identificatur cum actione; ergo adhuc poſſent ex natura rei manere illa accidentia vnita pani.

Reſpondeo. Reſpondeo negando antecedens: nam licet vnio non ſit ipſamet ſuſtentatio, cæterum, ablata ſuſtentatione, aufertur vnio, quia ipſa vnio caloris, v.g. dependebat à ſubiecto per eandem cauſalitatem per quam calor ipſe, vt ſuppono ex Philoſophia quia cum naturaliter loquendo, numquam calor detur ſine vnione, neque è contra, vtrumque terminat eandem cauſalitatem: non enim ſunt multiplicandi modi ſine neceſſitate; ex quo fit, vt ablata dependentia caloris à ſubiecto, auferatur dependētia vnionis, quæ erat eadem, & per conſequens auferatur ipſa vnio, quia ſubiectum non habet virtutem naturalem ad conſeruandam vnionem per aliquam cauſalitatem non terminatam etiam ad calorem; cum enim illa cauſalitas non eſſet naturaliter poſſibilis, eſſet ſupernaturalis, & miraculoſa, ad quam non poteſt habere ſubiectum virtutem naturalem; ergo de primo ad vltimum ablata dependentia caloris, & aliorum accidentium à ſubiecto, ſequitur ex natura rei, vt non maneant vnita cum ſubſtantia panis, & per conſequens ex introductione corporis Chriſti ſub illis accidentibus ſequitur ex natura rei, quod iam non ſint accidentia panis.

109. *Dicet aliquis.* Dicet aliquis, hoc principium, quod forma materialis, & vnio eius cum ſubiecto fiant eadem actione, incertum eſſe, & fortaſſe falſum; magis enim connaturale videtur, quod ſingulæ terminent actionem diſtinctam: nam forma eſt ſubiectum etiam vnionis, quia vnitur cum materia, ergo eſt cauſa materialis vnionis, ergo eſt prior natura, quam vnio, & per conſequens debet intelligi producta forma pro aliquo priori naturæ, antequam producatur vnio ipſius cum ſubiecto: vnde neceſſe eſt, quod productio formæ non ſit productio vnionis; quia eadem productio non poteſt eſſe prior natura ſeipſa: non poteſt ergo auferri vnio accidentium cum ſubiecto ex eo præciſe, quod tollatur eorum dependentia à ſubiecto, vt à cauſa materiali.

Reſpondeo, in primis principium illud Philoſophicum, licet non ſit certum, eſſe tamen ſatis probabile; quia vt diximus, non debemus de facto multiplicare actiones, & modos abſque neceſſitate; nulla autem eſt neceſſitas ponendi duas actiones ad formam materialem, & ad eius vnionem, cum termini non ſint naturaliter ſeparabiles, ſed pereunte vno, pereat ſemper, & alter. Nec neceſſe eſt, quod forma ſit cauſa materialis vnionis: poteſt enim vnio recipi in ſola materia ſeu ſubiecto formæ; vt in ſubiecto ſuſtentante, ſeu inhæſiue; in forma vero ſolum adhæſiue, ſicut creatio recipitur in termino iuxta communem ſententiam. Sed quidquid ſit de hoc, addere poſſumus, de facto non pendere veritatem conuerſionis Euchariſticæ ab his opinionibus Philoſophicis. Nam Eccleſia ex veritate verborum Chriſti agnouit ſub iis ſpeciebus eſſe corpus Chriſti ſubſtans illis, atque adeo non eſſe amplius ſubſtantiam panis, quia alioquin non poſſet ſimpliciter dici, *hoc eſt corpus Chriſti*; vt poſtea videbimus. Siue ergo accidentia panis ſeparata fuerint à pane propter phyſicam repugnantiam, quam haberent vt ſuſtentata à corpore Chriſti cum vnione priori ad ſubſtantiam panis: ſiue propter repugnantiam moralem ex indecentia, quæ eſſet, ſi vtraque ſubſtantia eſſet ſimul ſub illis accidentibus; certo tamen credidit Eccleſia ſubſtantiam panis ſeparatam fuiſſe omnino ab illis accidentibus propter aduentum corporis Chriſti, quod ſufficit ad veram conuerſionem; ad quam non ſemper requiritur repugnantia omnino Phyſica inter terminos, ſed ſufficit aliqua moralis, vt poſtea dicemus: ſed re vera in præſenti inuenitur etiam repugnantia Phyſica, qua ſubſtantia panis deſtruitur propter aduentum corporis Chriſti ad illas ſpecies. 110. *Reſpõdetur.* *Ad conuerſionem non ſemper repugnantia omnino Phyſica, ſed etiam moralis.*

Vrgebis; licèt ex cauſalitate Chriſti in accidentia ſequatur, quod ſubſtantia panis non ſit illorum ſubiectum, non tamen ſequi ex natura rei deſtructionem ipſius panis; ergo corpus Chriſti vt ſub ſpeciebus non pugnat cum ſubſtantia panis taliter, vt ideo deſinat panis, quia ponitur corpus Chriſti ſub eius accidentibus. Reſpondeo negando aſſumptum: nam eo ipſo, quod accidentia illa non vniantur ſubſtantiæ panis, non dantur in eius materia diſpoſitiones ſufficientes ad formam panis, ſine quibus ſtatim naturaliter perit forma panis. Deinde ablata forma, naturaliter perit ipſa materia; quia materia ſine forma non poteſt naturaliter conſeruari. 111. *Vrgebis.* *Reſpondeo.*

Dices, materiam non pendere à forma à priori, ſed ſolum à poſteriori; ergo prius eſt materiam exſiſtere, quam carentiam formæ; ergo illa conſeruatio materiæ non tollitur per ſubſequentem carentiam formæ; iam enim inuenitur ſemper materia pro aliquo priori, in quo nihil deeſt requiſitum ad talem conſeruationem: ideo enim Philoſophi dicunt: ſi Deus ſepararet materiam ab omni forma ſubſtantiali (prout diuinitus fieri poteſt) conſeruandam fore materiam eodem prorſus concurſu, & eadem actione, qua conſeruatur, quando eſt ſub forma; cum enim forma non influat, vt vera cauſa dans eſſe materiæ, non oportet, quod Deus ſuppleat aliquem verum influxum: atque ideo conſeruabitur materia eadem actione, qua prius, quæ tamen erit miraculoſa quoad modum, quatenus conſeruatur materia abſque omni forma, quod eſt miraculum. Hoc tamen non videtur ita intelligendum, vt miraculum conſiſtat in ipſa conſeruatione materiæ, hæc enim videtur eſſe debita materiæ ſemel creatæ, ſicut Angelo: vnde miraculum potius eſſet, quod materia deſtrueretur: totum ergo miraculum 112. *Inſtantia.*

videtur

videtur eſſe conſequens, quatenus materiæ non datur vlla forma ſubſtantialis, cum illi ſit debita; imo in rigore non videtur dicenda tunc miraculoſa conſeruatio materiæ, ſed ſola carentia formæ ſubſtantialis. Nam actio miraculoſa, etiam quoad modum, eſt illa, quæ in his circumſtantiis non deberet poni, ſed potius eſt contra ordinem naturæ, quod ponatur: hoc autem debet intelligi de circumſtantiis antecedentibus, non de conſequentibus, qualis eſt carentia formæ ad conſeruationem materiæ. Cum enim carentia formæ ſit aliquid conſequens exiſtentiam materiæ, non poteſt hæc carentia formæ exigere, ne conſeruetur materia; quia in quocumque inſtanti conſideretur hæc carentia formæ, ſupponitur iam materia illo eodem inſtanti pro priori naturæ, in quo apparet magnum diſcrimen inter hanc actionem, & illam, qua reſtituitur cæco viſus: actio enim, qua reſtituitur cæco viſus, eſt ſupernaturalis quoad modum; quia procedit à Deo in talibus circumſtantiis antecedentibus, quæ exigunt iuxta naturæ ordinem, ne fieret talis actio, & iis non obſtantibus, Deus diſpenſat, & reſtituit viſum. At vero ad actionem, qua conſeruatur materia abſque omni forma, non præuenitur Deus, (vt ita dicam) ab aliqua circumſtantia antecedente, & exigente, ne ponatur talis conſeruatio: ſi quæ enim eſſet eiuſmodi circumſtantia, maxime carentia formæ; hæc autem non antecedit, ſed ſubſequitur actionem illam, qua conſeruatur materia; non eſt ergo hæc actio miraculoſa quoad modum, ſicut illa, qua viſus cæco reſtituitur. Totum ergo miraculum huius actionis eſſe videtur conſequens ipſam actionem, & conſiſtere, non quidem in eo, quod Deus velit conſeruare materiam per illam actionem, ſed quod poſt illam actionem non tribuat materiæ vllam for-

113. mam ſubſtantialem. Sicut quando Deus conſeruauit ignem Babylonicum non comburentem pueros, miraculum quidem non fuit, quod ignis conſeruaretur; nec actio, qua ignis conſeruabatur, erat miraculoſa, imo fuiſſet nouum miraculum deſtruere ignem: ſed totum miraculum fuit, quod ignis conſeruatus non calefaceret. Nec dicendum etiam eſt actionẽ qua ignis conſeruabatur, fuiſſe miraculoſam, ſuppoſito quod ignis non calefaciebat: prius enim erat ignem naturaliter, & ex debito conſeruari, quam non calefacere, atque adeo negatio calefactionis non poterat ſupponi ad impediendam conſeruationem ignis. Sic ergo conſeruatio materiæ nõ eſſet in ſe miraculoſa, ſed debita totumque miraculum conſiſteret in negatione ſubſequenti formæ ſubſtantialis; quare ex hac negatione non videtur poſſe argui debitum vllum deſtruẽdi materiam primam panis, quæ antecedenter ad eiuſmodi negationem formæ intelligitur ex debito conſeruata.

114. *Reſpondeo ſi Deus conſeruaret materiã ſine forma, cõſeruationem illã fore miraculoſam etiam antecedẽter.*

Reſpondeo, ſi Deus conſeruaret materiam primam abſque omni forma, conſeruationem illam futuram eſſe miraculoſam & ſupernaturalem, ſaltem quoad modum, non ſolum conſequenter, ſed etiam antecedenter; nec ſolum futuram miraculoſam negationem formæ conſequentem, ſed etiam ipſam conſeruationem materiæ: deeſſet enim aliqua conditio requiſita ad conſeruationem naturalem materiæ; quia licet materia non præſupponat formam ad ſui conſeruationem, præſupponit tamen voluntatem Dei conſeruandi materiam in ordine ad habendam formam, & ad conſtituendum compoſitum ſubſtantiale: tunc autem illa conſeruatio materiæ non procederet à tali voluntate Dei, ſed ab alia voluntate conſeruandi materiam ſine reſpectu ad formam, & compoſitum; ergo non procederet illa actio à Deo operante vt auctore naturæ, ſed operante ſupra legem naturæ, ac per conſequens etiam pro eo priori ante carentiam formæ iam intelligeretur illa actio cum aliqua ſupernaturalitate, quatenus non procederet à voluntate Dei auctoris naturæ, neque ex debito naturæ fine: in quo apparet diſcrimen inter eiuſmodi conſeruationem materiæ, & conſeruationem ignis Babylonici; nam conſeruatio ignis ſecundum ſe erat naturalis antecedenter ad carentiam operationis; quia adhuc procedebat à Deo operante vt auctore naturæ, & volente conſeruare illum ignem iuxta exigentiam cauſarum ſecundarum, & ad plures alias operationes, quas ignis ille poterat exercere, prout de facto exercebat comburendo miniſtros Regios. At verò materia abſque omni forma nullum haberet finem naturalem, propter quem conſeruaretur; eſſet enim omnino inutilis, & otioſa, atque adeo in eius conſeruatione Deus non intenderet finem naturalem, ſed alium, & per conſequens non operaretur vt auctor naturæ. Conſtat ergo ex his, quomodo ex corruptione formæ ſubſtantialis arguatur bene, quod materia etiam panis debeat perire, & conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti ſuccedentis ſub eiſdem accidentibus: quam ductrinam olim à me explicatam in Philoſophia; & in hac materia de Euchariſtia video placuiſſe P. Roderic. de Arriaga in ſuo Curſu Philoſoph. *diſp. 2. Phyſ. ſect. 6. ſubſect. 4.* vbi bene diſſoluit aliqua, quæ obiici poſſent. *Hinc ergo conſtat ex corruptione formæ bene ſequi deſtructionem materiæ.* Arriaga.

115. *Noua difficultas ſoluitur.*

Sed adhuc reſtat ſcrupulus, quomodo ex ablatione illorum accidentium ſequatur deſtructio materiæ: nam perditis illis accidentibus, potuit materia in eodem inſtanti ab agentibus naturalibus accipere alias diſpoſitiones, & aliam formam ſubſtantialem; ergo non eſt, cur ex ablatione formæ panis, & illorum accidentium debeat ex natura rei deſinere materia. Reſpondetur, materiam, amiſſa forma panis, quantitate, & aliis accidentibus, non potuiſſe naturaliter in eodem inſtanti accipere aliam quantitatẽ, & aliam formam, nam vel hoc debuit eſſe in eodem ſpatio, vbi erat antea, vel in alio diuerſo: non quidem in eodem, quia non potuit manere aliud corpus quantum in eodem ſpatio cum ſpeciebus panis; ſed neque in ſpatio proximo diuerſo; quia cum ipſa materia ſit diuiſibilis, debuit occupare ſpatium proximum diuiſibile, ad quod occupandum debuit naturaliter loquendo moueri ſucceſſiue; ergo non potuit in primo inſtanti occupare aliquod ſpatium, vbi poſſet accipere illam nouam formam.

116. *Addere poſſumus.*

Adde, non eſſe iuxta rerum naturam, quod Deus conſeruando totam quantitatem panis, conſeruaret alibi illam materiam cum alia quantitate; quia iam daretur maior quantitas intra cœli ambitum, quàm antea; quod fieri naturaliter non poteſt, quia forſitan in prima rerum creatione quantitas materiæ fuit omnino adæquata cum capacitate huius ſpatij, ita vt nulla pars ſpatij relicta fuerit, quam noua pars quantitatis potuerit occupare; quod dicendum videtur iuxta communem Philoſophorum doctrinã, quæ docet, nullum nec minimum quidem vacuum dari in natura; & licet potuiſſent per condenſationem corpora comprimi, vt darent locũ nouæ quantitati ſuperadditæ, id tamen non eſſet connaturale. Fatendum enim eſt, eam quantitatem fuiſſe productam in prima rerum creatione, quam connaturaliter poſtulabat hæc elementorum, & rerum ſeries, vt res connaturaliter cum debita raritate, & denſitate exiſterent: nam ſicut ordo huius vniuerſi poſtulabat tantam quantitatem corporum rariorum, ſcilicet ignis, & aëris & tantam craſſiorum, vt ſic connaturalius, & melius conſeruaretur in ordine ad finem vniuerſi: ſic etiam poſtulauit tantam quantitatem

produci, quanta ſufficeret ad illam corporum proportionem, & menſuram, & non plus; quia quo plus quantitatis produceretur, eo deberent eſſe corpora denſiora, & eo plus præualerent elementa craſſiora ad quæ denſitas diſponit. In omni ergo ſententia aſſignari poteſt repugnantia naturalis ad hoc, vt poſt ſeparationem accidentium à ſubſtantia panis, maneret materia panis in rerum natura.

117. *Infertur concluſio Tridentini.* Ex dictis infertur, quam merito dixerit Concilium Tridentinum, Eccleſiam ex veritate verborum collegiſſe conuerſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti: nam verba illa non potuerunt eſſe vera, manente ſubſtantia panis ſine nouo miraculo: verba enim illa ſignificant corpus Chriſti contineri, non vtcumque ſub illis accidentibus, ſed vt ſubſtans illis, & ita vt non maneat ibi ſubſtantia panis, alioquin ſi ſubſtaret panis illis accidentibus, non vere diceretur: *hoc eſt corpus Chriſti*; vt videbimus infra; ex hoc autem, quod ſubſtantia panis non ſubſtet illis accidentibus, colligitur perire formam panis, quæ non poteſt conſeruari ſine propriis diſpoſitionibus, denique ex hoc ipſo infertur deſtinctio materiæ, cũ nõ poſſit eo naturaliter perſeuerare ſine forma, nec poſſit aliam accipere in illo, nec in alio ſpatio, vt ſupra probatum eſt. Ex quo tandem fit, ſubſtantiam panis conuerti in corpus Chriſti, cum deſinat tota panis ſubſtantia ob poſitionem corporis Chriſti ſub iiſdem accidentibus, & in ordine ad idem munus ſubſtantiale, quod gerebat ſubſtantia panis.

118. *Quæſitum.* Pro complemento tamen huius dubij quæri poteſt, an ad veram conuerſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti ſufficeret connexio moralis ex decreto Dei inter poſitionem corporis Chriſti, & deſitionem panis, licet vtraque mutatio non haberet inter ſe phyſicam connexionem ex natura rei. Negant plures, ſed ſine firmo ſatis fundamento. *Satisfit.* Ego quidem de facto concedo, dari connexionem phyſicam (vt probaui;) cæterum non credo, hanc conditionem requiri ad quamlibet conuerſionem vnius in aliud. Primo quia, ſi canonicus fiat Monachus, dicitur ſimpliciter in Monachum conuerti, & Canonicatum mutari in Monachiſmum; licet ex natura rei non repugnent ſimul in eodem homine Canonicatus, & ſtatus Regularis ſed ſolum moraliter ex decreto Pontificis nolentis durare Canonicatũ in Monacho; ergo ſimiliter, licet ex natura rei non repugnent lux. & calor; ſi tamen Deus nollet vtramque qualitatem ſimul conſeruare, poſſet dici conuerti ſubiectum à lucido in calidum. Secundo, & à priori probari, quia in prædicto caſu reperiũtur omnes conditiones cõuerſionis, ſcilicet ſucceſſio vnius ad aliud in eodem tertio communi, & in ordine ad idem munus. & talis item ſubordinatio inter expulſionem vnius, & introductionẽ alterius, vt nõ ſe habeant mere concomitãter, ſed vna ſit cauſa alterius; ergo non eſt, cur non dicatur ſimpliciter conuerſio.

119. *Inſtabis.* Dices, ad conuerſionem requiri, quod terminus *à quo* deſinat ex vi termini *ad quem*: tunc autem non deſineret ex vi termini *ad quem*, ſed ex vi decreti Dei nolentis vtrumque ſimul conſeruare. Sed contra; quia licet non deſineret phyſice ex vi termini *ad quem*, deſineret tamen moraliter ex vi illius, hoc eſt, *Reſpondeo.* terminus *ad quem* vt introductus, eſſet cauſa moralis expulſionis alterius. Quare ſicut Sacramenta dicuntur ſimpliciter cauſare gratiam, licet ſolum cauſent moraliter illam; ſic etiam tunc terminus *ad quem* diceretur ſimpliciter expellere alium terminum licet non phyſice, ſed moraliter. Cum ergo ad conuerſionem ſolum requiratur, quod vnus terminus ſimpliciter deſinat in aliũ ſeu ob repugnantiam cũ alio, non eſt cur non dicatur conuerſio ſimpliciter, quando vnus terminus moraliter expellit alium? nec diſcrimen aliquod probabile poteſt afferri, cur cauſa moralis dicatur ſimpliciter cauſa, & non dicatur ſimpliciter expellere alium terminum.

120. *Inſtantia.* Dices, ergo deſitio termini *à quo* eſſet ſimpliciter annihilatio: nam illa deſitio ſecundum ſe non haberet connexionem cum actione aliqua poſitiua. *Reſpondeo.* Reſpondeo, annihilationem eſſe deſitionem, quæ non ſolum ſecundum ſe, ſed neque extrinſece ex decreto agentis ſubordinatur actioni poſitiuæ, nec eſt ex vi actionis poſitiuæ, qua ſuccedat terminus in eodem munere termino deſinenti: nam ſi deſinit ex vi talis actionis, iam non deſinit in purũ nihil, ſed in aliud, nẽpe in id quod ſuccedit, de quo infra *ſect.* 12.

121. *Inſtabis iterum.* Sed contra inſtabis, ergo ſi Deus nollet cõſeruare ſimul duos Angelos, & ideo producendum vnum deſtrueret alterum prius creatum, hic diceretur cõuerti in illum qui producitur de nouo: nam licet illa deſitio ſecundum ſe non haberet connexionem cum productione alterius, haberet tamen connexionem moralem ſeu extrinſecã ex decreto Dei nolentis cõſeruare vtrumque Angelum ſimul, atque ideo Angelus deſtructus non abiret in purum nihil, ſed in alium Angelum; ergo conuerteretur in illum: ſi enim non annihilatur, debet conuerti in alium.

Reſpondeo. Reſpondeo concedendo, deſitionem Angeli in eo caſu non fore annihilationem, quia vere non tenderet deſtructio in purum nihil, ſed in aliquid nego tamen intercedere veram conuerſionem vnius Angeli in alium; ad conuerſionem enim non ſufficit, quod vnum deſinat ex vi alterius, ſed requiritur vlterius, quod vnum ſuccedat alteri in eodem munere intra aliquod compoſitum, vt ſupra diximus; quæ conditio deeſſet in prædicto caſu; & ideo eſſet tunc deſitio media inter annihilationem, & conuerſionem; neque enim eſt vniuerſaliter verum, quod quidquid non deſinit per annihilationem, deſinat per conuerſionem in aliud; quia plus eſt conuerti in aliud, ſeu abire in aliud, quã deſinere propter aliud.

122. *Hæc quidem vera eſt loquendo de conuerſione in communi, non tamen de Euchariſtica.* Cæterum, licet hoc verum ſit, loquendo de conuerſione in communi; loquendo tamen de conuerſione Euchariſtica, vix potuit Eccleſia in hoc myſterio conuerſionem agnoſcere, niſi cum connexione fere omnino phyſica inter poſitionem corporis Chriſti, & deſitionem panis; tum quia Eccleſia totam hanc conuerſionem collegit ex veritate verborum (vt dixit Tridentinum) quæ ſignificant, corpus Chriſti conuerti ſub accidentibus vt exercens munus ſubſtantiæ circa illa, & per conſequens ſuſtentare illa ſaltem efficienter, ex quo naturaliter ſequitur, accidentia non ſuſtentari à ſubſtantia panis, & deſinere panem, vt ſupra probatum eſt, tum etiam, quia ſi ſubſtantia panis non deſineret ex natura rei ob poſitionem corporis Chriſti, non haberet Eccleſia fundamentum ad credendum, quod deſineret ex decreto Dei. Cur enim non potuit vel manere in eodem loco ſine vnione ad ſpecies, vel in alio etiam loco, aut vnde Eccleſia oppoſitum colligeret ex verbis, ſi penderet ſolum ex decreto Dei, & non conſequeretur ex ipſa rei natura? Ergo de facto conuerſio Euchariſtica vndique, vel fere vndique affert connexionem phyſicam poſitionis corporis Chriſti, & deſitionis panis.

SECTIO VIII.

Diſſoluuntur obiectiones contra noſtram ſententiam.

NOn potuimus ſectionibus præcedentibus noſtram ſententiam explicare, quin obiter præ- 123.

cipuas

cipuas difficultates diſſoluerimus, quæ contra illam poterant militare. Nunc alias afferamus, vt ex omnium ſolutione ſinmior maneat & clarior. Prima

Prima obiectio.

obiectio oritur ex modo loquendi Patrum, qui iudicant, per verba conſecrationis corpus Chriſti non ſolum poni ſub ſpeciebus, ſed etiam ipſum corpus fieri, conſici, creari, &c. his enim, & aliis vocibus ſimilibus vtuntur ad declarandũ hoc myſterium, quæ cũ toties à Patribus vſurpentur in declaratione huius myſterij, non eſt credendum, quod ſemper vſurpatæ fuerint figuratè, & in ſenſu minus proprio.

124. *Soluitur.*

Locutiones iſta PP. ad tres claſſes reducuntur. Prima claſſis eorum qui dicunt ſubſtantiam panis mutari in corpus Chriſti.

Reſpondeo, loquutiones Patrum, quæ ab aduerſariis adducuntur, ad duas potiſſimum, vel tres claſſes poſſe reduci. In prima ſunt, qui dicunt, *ſubſtantiam panis mutari in corpus Chriſti*, ſeu, *tranſire in illius naturam*, &c. & hic modus loquendi propriiſſimus eſt; ad quem tamen nulla requiritur productio corporis Chriſti ſecundum ſe, ſed ſola introductio illius in hoc compoſitum, vt ſupra declaratum eſt, & poſtea iterum declarabitur.

Ad hanc etiam claſſem pertinent alij plures, qui dicunt, *ex pane, & de pane fieri corpus Chriſti, panem fieri corpus Chriſti*; qui modus loquendi reperitur apud plures Patres, quorum aliquos affert Soarez *diſp. 50. ſect. 4. §. ſecundo principaliter*, & habetur etiam in hymno Feſti corporis Chriſti: *Verbum caro panem verum, verbo carnem efficit, fitque ſanguis Chriſti merum*, &c. videntque poſſent magis propriæ, quia ſolum ſignificant tranſitum vnius in aliud ſine noua productione corporis Chriſti. Illa verò propoſitio, *de pane fit corpus Chriſti*, reiicitur à S. Thom. in præſenti *artic. 8* in ſenſu proprio; quia illud, *de*, ſignificat conſubſtantialem, ſeu quod vterque terminus habeat aliquam ſubſtantiam communem. Quod ſi aliquando reperiatur apud aliquem Patrum, pie exponenda eſt, accipiendo illud, *de*, in ſenſu lato, vt ſit idem quod *ex pane*, vbi nota, Ambroſium apud quem ille modus loquendi reperitur, aliter legi

Sotus.

emendatum apud Sotum *in 4. diſtinct. 9 quæſt. 2. art. 9* An vero præpoſitio, *ex*, dicat etiam aliquam improprietatem, dicemus infra *ſect. vl*. Denique illæ propoſitiones: *panis fit corpus Chriſti, vinum fit ſanguis* &c. non habent ſenſum proprium, ſed improprium, vt docet latè S. Thom. *d. art. 9.* quia non datur aliquod ſubiectum commune vtrique ſubſtantiæ, de quo poſſit verificari, fuiſſe panem, & factum eſſe corpus Chriſti, vſurpantur tamen impropriè & per ſimilitudinem ad alias conuerſiones, in quibus manet ſubiectum commune; quia licet in præſenti non maneat commune ſubiectum, manent tamen accidentia communia vtrique ſubſtantiæ, quare idẽ dicemus, panem fieri corpus Chriſti, ac dicere, corpus Chriſti ſuccedere pani ſub iiſdem accidentibus. Immerito ergo ex hoc primo capite arguitur ad probandam productionem corporis Chriſti, cum ferè omnes hæ loquutiones vſurpentur à Patribus

Suarez.

impropriè, vt fatetur ipſe Suar. *d. diſp. 50. ſect. 9.* Si quæ verò in ſenſu proprio dicuntur, nullo modo probant productionem, ſed ſolam conuerſionẽ. Dicere enim quod *ex pane fit corpus Chriſti*, non eſt dicere, quod fit ſimpliciter corpus Chriſti, ſed quod panis tranſit in illud, ſeu quod corpus Chriſti ſit terminus formalis illius cõuerſionis: fit enim non quod corpus Chriſti ſit corpus, ſed quod corpus Chriſti ſit ex pane, ſeu quod ſit terminus in quem deſinit

Vaſquez.

panis; vt aduertit Vaſq. in præſenti *diſp. 181. n. 154.* Quod ſi verbum, *fit*, denotet aliquam productionẽ corporis Chriſti, ex hoc capite habebunt illæ propoſitiones aliquam improprietatem, vt voluit Bo-

Bonauent.

nauentura *in 4. d. 11. p. 1. artic. vnic. quæſt. 6. in fine*; & quidem raro inuenies apud Patres *ex pane fieri corpus Chriſti*, licet aliquando dicant, *ex pane conſici*, de quo ſtatim dicam.

125. *Secunda claſſis eſt eorum qui dicunt corpus Chriſti conſici, creari, perfici, &c.*

Ad ſecundam claſſem pertinent loquutiones, quibus dicitur, corpus Chriſti conſici, creari, perfici, &c. & hæ quidem ſunt in duplici differentia: in quibuſdam enim dicitur abſolutè corpus Chriſti creari; in aliis verò imo ferè omnibus, non dicitur ſimpliciter, ſed cum addito oſtendente, non eſſe ſermonem de corpore Chriſti ſecundum ſe, ſed de illo cũ accidentibus panis: in quo ſenſu veriſſimæ ſunt & propriæ. Sic dixit Cyprianus adductus à Suarez,

Cyprian.

quod *Chriſtus vſque hodie hoc veraciſſimum, & propriiſſimum corpus ſuum creat, & ſanct[illegible]ficat, & benedicit & diuidit*, &c. vbi ſatis manifeſtè conſtat ipſum loqui de compoſito corporis Chriſti, & accidentiũ, quod ſimpliciter dicitur corpus Chriſti, quod ſolum dicit in recto, vt conſtat ex dictis ſupra *diſp. 1* Alioquin non dixiſſet propriè, quod *diuiditur*, & *ſanctificatur*, & *benedicitur*: nam corpus ſecundum ſe non diuiditur, ſed vt ſub accidentibus; nec ſanctificatur per conſecrationem; quod enim propriè ſanctificatur, eſt compoſitum illud, in quod introducitur ipſa ſanctitas corporis Chriſti & per illam quaſi formaliter ſanctificatur totum compoſitum, & benedicitur; ergo ſicut illa omnia non poſſunt propriè intelligi de corpore Chriſti ſecundum ſe, ſed de compoſito, ſic nec verbum *creandi* debet accipi de corpore Chriſti ſecundum ſe, ſed de toto compoſito. Quem ſenſum intendit Eccleſia in Canone Miſſæ, dum dicit: *Per quem hæc omnia ſemper Domine, bona creas, ſanctificas viuificas, & benedicis*, &c. Non enim loquitur de creatione corporis Chriſti, ſed de creatione illius compoſiti, quod eſt in altari; quod quidem per corpus Chriſti quaſi formaliter ſanctificatur, viuificatur, benedicitur, vt ſupra dictum eſt. Sic etiam intelliguntur verba Beſſarionis ibidem adducta: *Tota Trinitas hoc corpus altaris creat* Non enim dixit creari ſimpliciter hoc corpus *ſed hoc corpus altaris*, ſeu prout in altari. Ad hunc etiam ſenſum reducuntur illæ loquutiones, quibus Patres dicunt aliquando, Sacerdotes proprio ore conficere corpus, & ſanguinem Chriſti, quaſi dicant, conficere ſacramentũ corporis, & ſanguinis Chriſti, ideo enim non dixerunt *faciunt*, ſed *conficiunt*, vt indicarent, ſe loqui non de affectione ſimplici, ſed de confectione alicuius compoſitij, *confectio* enim in rigore coniunctionẽ ſignificat plurium in vnum compoſitum.

126. *Auguſt.* *Rariſſima ſunt hæ locutiones.*

Denique loquutiones, quibus corpus Chriſti ſimpliciter dicitur creari, vel fieri, rariſſimæ ſunt. Nam Auguſtinus, qui communiter affertur ex cap. *Verum ſub figura* de conſecrat. *d. 2.* non dixit, corpus Chriſti ſimpliciter creari, ſed *panem, & vinum in myſterio vere carnem, & ſanguinem Chriſti conſecratione Spiritus ſancti potentialiter creari*, hoc eſt, panem creari carnẽ, ſeu *panem fieri carnem*; quæ loquutio impropria eſt, vt ſupra vidimus ex S. Thoma; & adhuc non eſt contra noſtram ſententiam, cum ſolum ſignificaret panem tranſire in carnem, quod non negamus. Quod ſi aliquis alius inferioris notæ aliquando ſimpliciter, & ſine addito dixit corpus Chriſti conſecratione creari, rariſſimus erit, & piè intelligẽdus de corpore Chriſti ratione vnionis ad ſpecies: nam (vt ſupra diximus Diſp. præcedenti) ſæpè tribuuntur Chriſto in Euchariſtia prædicata ſpecierũ, quanto magis prædicata ipſius vnionis ſacramentalis, à cuius productione dicitur corpus Chriſti produci, impropriè tamen. Imo aliqui ex aduerſariis agnoſcunt aliquã improprietatem in illa loquutione: nã verbũ *creandi* dicũt non poſſe in rigore vſurpari in hoc myſterio; dicunt enim, non dari creationẽ, vbi præceſſit terminus *à quo* realis, & poſitiuus;

 ſicut

ſicut nec panis annihilatur, quia deſinit in terminum realem & poſitiuum. Ex quibus omnibus conſtat, quam inefficax argumentum ſumatur contra noſtram ſententiam ex Patrum auctoritate, cum ferè omnes apertè indicauerint, ſe loqui de productione corporis Chriſti ſecundum eſſe ſacramentale, ſeu de conuerſione panis in corpus Christi, non de productione corporis Chriſti ſimpliciter & alſiũde ipſi etiam aduerſarij teneantur concedere quamplures ex illis loquutionibus accipiendas in ſenſu minus proprio vt de ſingulis earum probatum eſt.

127. *Obiectio ſecunda.* Secunda obiectio eſt, quia in hoc myſterio interuenit conuerſio ſubſtantialis; ergo debet habere terminum ſubſtantialem; ergo terminatur ad ſubſtantiam corporis Chriſti. *Soluitur.* Reſpondetur concedendo totum: neque enim in mentem nobis venit, quod aduerſarij exiſtimant, negare ſcilicet, quod corpus Chriſti ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit terminus formalis huius conuerſionis. *Corpus Chriſti non eſſe id quod producitur, ſed quod introducitur.* Fatemur ſane ita eſſe; ſed dicimus corpus Chriſti non eſſe id, quod producitur per hanc conuerſionem, ſed ſolum quod introducitur; itaque conuerſio vt conuerſio habet pro termino formali corpus Chriſti; vt productio vero non habet producere corpus Chriſti, ſed producere vnionem corporis Chriſti cum ſpeciebus: ſicut conueſio formalis, qua ex alimento fit noua pars hominis, habet pro termino formali conuerſionis animam rationalem, quæ introducitur in materiam alimenti; non tamen eſt productio animæ, ſed ſolius vnionis animæ cum illa materia.

128. *Inſtabis. Reſpondeo.* Dices, conuerſio vt conuerſio eſt actio; ergo qui fuerit terminus conuerſionis, erit terminus productionis. Reſpondeo, etiam introductio, vt introductio eſt productio, & tamen non eſt idem terminus introductus, & productus; anima enim introducitur, vnio verò producitur. Similiter dicendum eſt de conuerſione: nam licèt conuerſio vt conuerſio ſit productio, non tamen eſt productio eiuſdem termini, qui denominatur à conuerſione terminus ſuccedens; ſed eſt productio vnionis termini formalis ſuccedentis; eadem enim conuerſio dat diuerſas denominationes diuerſis terminis, quos habet, alterum denominat productum, alterum introductum ſeu ſuccedentem; ſicut etiam actio vt actio reſpicit principium & terminum, illudque denominat agens, hunc verò productum.

129. *Inſtabis iterum.* Dices iterum, hæc eſt conuerſio ſubſtantialis, ergo eſt actio ſubſtantialis; ergo etiam vt actio eſt productio alicuius ſubſtantiæ, nam ſi ſit productio ſolius accidentis, non poteſt eſſe productio ſubſtantialis. *Reſpondeo omnes actiones in ſua entitate eſſe accidentales.* Reſpondeo, hanc actionem conſideratam in ſua entitate eſſe aliquid accidentale, imo (in mea ſententia) omnes actiones, quantumuis ſint productiones termini ſubſtantialis, ſunt in ſua entitate accidentales. Cæterum ſicut productio hominis, v.g. licèt ſit entitatiuè accidens, denominatur tamen productio ſubſtantialis à termino producto, qui eſt ſubſtantia: ſic etiam hæc actio denominatur conuerſio ſubſtantialis à termino formali conuerſionis, qui eſt ſubſtantia corporis Chriſti, & dicitur ſimpliciter conuerſio ſubſtantialis, hoc eſt, conuerſio ſubſtantiæ in ſubſtantiam; nam licèt in Conciliis nunquam dicta fuerit conuerſio ſubſtantialis, ſed ſubſtantiæ in ſubſtantiam, conformius tamen ad modum loquendi Conciliorum appellatur conuerſio ſubſtantialis. Sub nomine autem *actionis*, aut *productionis* non video, cur ſit neceſſe eam appellare actionem ſubſtantialem: actio enim vt actio ſolum denominatur ſubſtantialis à termino producto, ergo cum hæc actio nec in ſe ſit entitatiue ſubſtantialis, nec terminus productus ſit ſubſtantialis; non eſt, cur debeat appellari actio ſubſtantialis, ſed accidentalis licet ſit conuerſio ſubſtantialis.

130. *Tertia obiectio.* Tertia obiectio eſt, quia ex noſtra ſententia ſequitur ſubſtantiam panis magis conuerti in ſpecies panis remanentes, quam in corpus Chriſti; probatur ſequela, quia ſubſtantia panis deſinit non ex vi productionis corporis Chriſti, ſed ex vi actionis, quia corpus Chriſti ſuſtentat efficienter accidentia; illa autem actio tota terminatur ad ipſa accidentia, quorum eſt conſeruatio; ergo panis deſinit ex vi conſeruationis accidentium, & per conſequens deſinit in ipſa accidentia, & non in corpus Chriſti. *Reſponſio.* Reſpondeo negando ſequelam, & ad probationem negatur etiam conſequentia; nam conuerti hoc in aliud, non eſt præciſe quod deſinat hoc ex vi actionis, qua illud conſeruatur, ſed ex vi actionis, qua illud ſuccedit huic in eodem munere, & in ordine ad idem tertium, vt ſupra dictum eſt. Hoc autem non reperitur reſpectu accidentium, nam accidentia non ſuccedunt poni in eodem munere, & in ordine ad idem tertium: reperitur tamen reſpectu corporis Chriſti, quia panis deſinit ex vi illius actionis, per quam licet non producatur, ſuccedit tamen corpus Chriſti ſubſtantiæ panis in eodem munere, & circa eadem accidentia, quare merito dicitur panis conuerti in corpus Chriſti, & non in accidentia.

131. *Obiicitur quarto.* Quarto obiicies, ſi ad conuerſionem ſubſtantialem non requiritur productio ſubſtantiæ, ſed mera ſucceſſio, ergo etiamſi panis non periret, dummodo ſepararetur ab accidentibus; eo quod corpus Chriſti ſuccederet ſub illis in eodem munere, diceretur conuerſio ſubſtantialis, & tranſſubſtantiatio. *Reſpondetur. Confirmatur reſponſio exemplo manifeſto.* Reſpondeo, nullum eſſe inconueniens in conſequenti: nam ſicut ſi materia mea informaretur nunc forma Pauli, & amitteret meam formam, diceretur illa conuerſio formalis, & transformatio, licet non eſſet deſitio, vel productio alicuius formæ, ſed ſucceſſio formarum in ordine ad informandam eamdem materiam; ſic in caſu poſito, licèt non daretur deſitio, vel productio alicuius ſubſtantiæ, dummodo daretur ſucceſſio ſubſtantiarum in ordine ad ſubſtandum eiſdem accidentibus, diceretur conuerſio ſubſtantialis, & tranſſubſtantiatio. Cæterum in alio caſu licèt diceretur, compoſitum ex pane & accidentibus conuerti in compoſitum ex corpore Chriſti, & eiſdem accidentibus: non tamen diceretur, ſubſtantiam panis conuerti in corpus Chriſti, quia (vt dictum eſt *Sect.* 1.) ad hoc vt dicatur vnus terminus formalis conuerti in alium, oportet quod terminus formalis *à quo* ſimpliciter deſinat eſſe ob aduentum termini formalis *ad quem*. *Inſtabis.* Dices, materia ſola ſuſtentabat accidentia; ergo illa ſola eſt cui ſuccedit corpus Chriſti in eodem munere; ergo non eſt totus panis terminus formalis *à quo* huius conuerſionis. *Reſpondeo.* Reſpondeo, totam ſubſtantiam panis ſubſtare ſuis accidentibus; quia licèt materia ſola ſuſtentet, ſed tamen forma etiam ſubſtat, hoc eſt, eſt radix determinata accidentium ſaltem propriorem, quod eſt propriè ſubſtare.

132. *Obiectio quinta.* Sed contra obiicies quinto, ergo quando vnum corpus ſubſtantiale ſuccedit alteri in eodem loco reali, datur tranſſubſtantiatio, quia iam tunc datur ſucceſſio ſubſtantiarum in ordine ad eundem locũ. *Reſpondeo.* Reſpondeo, dato quod illa ſit aliqualis conuerſio vnius compoſiti reſultantis ex loco, & locato, in aliud compoſitum reſultans ex loco, & locato non tamen eſſe tranſſubſtantiationem: quia ad hanc requiritur ſucceſſio ſubſtantiarum in proprio munere ſicut ſubſtãtiæ, ſed eſt ſubſtare accidentibus; ſicut è contra ad transformationẽ non ſufficeret ſucceſſio formarum in ordine ad ſubſtandũ accidentibus.

niſi

niſi ſuccederent in ordine ad informandum idem ſubiectum, vt dixi *Sect. præcedenti.*

133. *Inſtabis.* Dices, conuerſio alimenti in hominem eſt conuerſio ſubſtantialis, & tamen non ſuccedit forma in munere ſubſtandi; ergo ſimiliter, licet corpus ſuccedens localiter non ſubſter loco, erit conuerſio ſubſtantialis. *Reſponſio.* Reſpondeo, negando minorem: quia prima conuerſio habet pro termino formali formam ſuccedentem in aliquo munere non ſubſtantiæ vt ſic, ſed formæ ſubſtantialis, ideo illa eſt conuerſio ſubſtantialis formalis.

134 *Inſtabis* *Reſpondeo* *Licet replere locum ſit munus ſubſtantiæ non vt ſubſtantis loco, ſed vt replentis.* Dices, replere locum, etiam eſt munus ſubſtantiæ. Reſpondeo, inprimis etiam eſſe munus quantitatis; deinde eſt munus ſubſtantiæ, ſed non vt ſubſtantis loco; ſed vt replentis: conuerſio vero formalis eſt ſubſtantialis, quia id quod aduenit de nouo, exercet munus ſubſtandi in loco compoſito, quod reſultat: locatum autem non habet hoc, quia locatum non aduenit vllo modo ad ſubſtandum.

135. *Obiectio ſexta.* *Quia verba conſecrationis habent de ſe vim ad producendũ corpus Chriſti.* Obiicies ſexto: verba conſecrationis habent de ſe vim ſufficientem ad producendum corpus Chriſti; ergo de facto producunt illud. Conſequentia videtur bona, quia cauſa cum virtute, & applicatione ſufficienti, non eſt cur non operetur. Antecedens autem probatur, quia ſi corpus Chriſti non exſiſteret nunc in cœlo, adhuc ex vi verborum poneretur in Euchariſtia. Præſentia enim, quam habet in Euchariſtia non pendet à præſentia naturali, vt dictum eſt *diſput.* 5. ergo verba de ſe habent vim producendi corpus Chriſti in Euchariſtia.

136. *Reſponſio aliquorum.* Nonnulli negant antecedens primum, & fecundum, & fatentur, quod corpus Chriſti alibi non eſſe, non conſecraretur: nec hoc (inquiunt) derogat efficacitati verborum, non enim debuerunt habere virtutem ad caſum impoſſibilem de lege ordinaria: ſufficit, quod habeant virtutem operandi exſiſtente corpore Chriſti, cum aliunde certum ſit, corpus Chriſti ſemper exſtiturum. Et quidem, ſi ad conſecrationem huius ſacramenti prærequiratur Chriſtus viuus (de quo infra in Tractatu de ſacrificio) non eſt dubium, quin verba non habeant vim producendi corpus Chriſti. Quidquid tamen de hoc ſit, *Aliter reſpondetur.* quod ad præſens attinet, admittere poſſumus in verbis illam vim, ita vt ſi corpus Chriſti redactum eſſet in cineres, poſſet conſecrari, & poni in Euchariſtia cum organizatione humana: ille enim caſus, licet de facto non erat futurus, erat tamen ſimpliciter poſſibilis, naturaliter loquendo: verba autem debuerunt ex inſtitutione habere virtutem ad verificandum ſe in omni caſu naturaliter poſſibili, ſicut nunc de facto Euchariſtia habet virtutem ad producendam gratiam in aliquo homine, cui numquam de facto applicabitur.

137. Dixi autem *in cauſa naturaliter poſſibili*; quia ad caſus naturaliter impoſſibiles, & qui numquam ſunt ponendi, forſitan non habent virtutem ſacramenta ex præſenti inſtitutione. Nam ſi miraculoſe omnes animæ hominum ponerentur in vnico corpore, non poſſet vnus alium baptizare vel abſoluere ex vi præſentis inſtitutionis, nec oportuit ad illum caſum impoſſibilem dari virtutem & efficaciam: & per conſequens forſitan verba conſecrationis non habent virtutem ad producendam materiam corporis Chriſti, quia non poteſt naturaliter contingere, quod materia ipſa non exſiſtat in rerum natura ſub aliqua forma. Cæterum, quia poteſt naturaliter contingere, quod materia illa exſiſteret ſub forma cinerum, & ſine organizatione requiſita ad hoc, vt eſſet corpus humanum, ideo admitti poteſt, quod verba habent virtutem ad producendam illam organizationem requiſitam ad corpus humanum; & conſequenter, quod verba conſecrationis calicis habent virtutem ad producendam formam ſubſtãtialem ſanguinis, quia potuit illa materia eſſe iam ſub alia forma; & tunc ad veritatem verborum oportebat reproduci formam ſanguinis in illa materia ſub ſpeciebus vini.

138. *Reſpondetur ergo his poſitis ad argumentum.* Ad argumentum ergo admiſſo antecedenti, negatur conſequentia; nam verba ex præſenti inſtitutione habent vim moralem ad operandum totum id, quod requiritur ad ſui veritatem: id autem, quod non requiritur, non poſſunt operari; quare licet, non exſiſtente corpore Chriſti, poſſent illud producere, quia tunc illa productio requireretur ad veritatem verborum; nunc tamen non poſſunt illud producere, quia de facto non requiritur talis productio, cum iam ſupponatur productum, ſed ſolum requiritur, quod ponatur ſub ſpeciebus.

139. *Inſtabis.* Dices, verba nunc de facto non ſupponunt corpus Chriſti exſiſtens, antequam operentur; nam licet corpus Chriſti habeat de facto ſuam exſiſtentiam naturalem independenter à verbis, illa tamen exſiſtentia corpus Chriſti non prærequiritur ad hoc vt verba operentur, & per conſequens non ſe habet antecedenter ad operationem verborum; ergo poſſunt verba de facto illud producere, ac ſi vere non exſiſteret.

Reſpondeo. Reſpondeo, verba nunc de facto, priuſquam operentur, præſupponere exſiſtens corpus Chriſti; quia priuſquam operentur, debent ſignificare, vt infra dicetur: verba autem in illo priori ſignificant, & ſupponunt pro corpore Chriſti ſimpliciter, quod eſt idem ac ſupponere pro corpore, quod tunc habet, vel vltimo habuit, vt dixi vbi ſupra; ergo in illo priori ſupponunt pro corpore tunc exſiſtenti; ergo antequam operentur verba, præſupponunt exſiſtens corpus Chriſti, quod in poſteriori ponant ſub ſpeciebus. Poſſet quidem poni corpus Chriſti ſub ſpeciebus, licet tunc non ſupponeretur exſiſtens; quia tunc verba pro illo priori ſupponerent pro corpore, quod vltimo habuerat Chriſtus; nunc tamen de facto, cum ſupponant pro corpore, quod nunc habet, iam præſupponunt illud exiſtens, priuſquam operentur.

140. *Inſtabis iterum.* Dices iterum, verba habent vim ſaltem in aliquo caſu ad producendum corpus, vel ſanguinem Chriſti; ergo prædicatum formale, quod enunciant, eſt ratio corporis, vel ſanguinis, & non ſola continentia ſub ſpeciebus, quia verba non habent vim ad producendum, niſi id quod formaliter enunciant. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando conſequentiam; nam verba, quibus data eſt vis ſufficiens ad verificandum ſe ipſa, licet potiſſime habeant vim ad operandum prædicatum formale, habent tamen vim ad producendum ſubiectum, ſi non ſupponatur exſiſtens: itaque ſi huic propoſitioni, *Bucephalus eſt albus*, Deus daret vim ad verificandam ſe ipſam, non ſolum poſſent hæc verba dare albedinem Bucephalo, ſed etiam producere Bucephalum, ſi non ſupponeretur iam exſiſtens.

141. *S. Thom.* *Vltima obiectio.* Vltimo obiici ſolet contra noſtram ſententiam auctoritas S. Thomæ, qui licet nuſquam dixerit, hanc conuerſionem eſſe productionem corporis Chriſti, videtur tamen illud ſæpe ſupponere. Primo, quia ſæpe negat Chriſti corpus eſſe in hoc ſacramento per mutationem localem; ſecundo, quia in præſenti *art.* 8. in corpore, & *ad* 2. negat, hanc actionem eſſe ex præſuppoſito ſubiecto; ergo ſentit, non eſſe actionem adductiuam; tertio, quia ſupra *q.* 2. *art.* 1. in corpore docet, naturam humanam non potuiſſe conuerti in naturam diuinam: quia natura diuina ingenerabilis eſt; ergo ſentit conuerſionem eſſe productionem termini, in quem fit conuerſio.

Reſpondeo,

142. *Reſpondeo* Reſpondeo, S. Thomam magis eſſe pro noſtra ſententia infra *quæſt.* 78. *art.* 5. in corpore, vbi ſic ait: *Non enim faciunt hæc verba, quod corpus Chriſti ſit corpus Chriſti, ſed quod contentũ ſub ſpeciebus ſit corpus Chriſti.* Hæc eſt ipſa eadem concluſio, quam defendimus. *Reſpondetur ad primum locum.* Ad loca cõtraria, Reſpondeo ad primum; nos etiam fatemur, hanc actionem non eſſe adductiuam, ſed vnitiuam corporis Chriſti cum ſpeciebus, vt ſæpe dictum eſt in ſuperioribus. *Ad ſecundum.* Ad ſecundum, inprimis S. Thomas non negat ſubiectum huius actionis, ſed ſolum negat, dari ſubiectum commune vtrique termino huius cõuerſionis, quod veriſſimum eſt. Deinde etiamſi loqueretur de ſubiecto actionis, vere illud negaret; quia actio, qua Chriſtus ſuſtentat efficienter accidentia, quæ eſt poſitio Chriſti ſub accidentibus, vt ſupra dictum eſt, non habet ſubiectum, cum ſit actio creatiua in ſua entitate. *Ad tertium.* Ad tertium Reſpondeo, S. Thomam ibi ſolum probare, quod natura humana non poteſt conuerti in diuinam per commixtionem, ſicut vnum elemẽtum conuertitur in aliud; & hoc bene probat ex ingenerabilitate naturæ diuinæ; quia ad talẽ modum conuerſionis oporteret, quod in materiam naturæ humanæ introduceretur materia Diuina: quod argumentum non probat de conuerſione per tranſſubſtantiationem, vt bene notauit Caietan. ibi. An vero ex alio capite repugnet etiã naturæ diuinæ eſſe terminũ tranſſubſtãtiationis, videbimus poſtea *Sect.* 10.

SECTIO IX.

Reſpondetur ad alia argumenta Recentiorum contra noſtram ſententiam.

143. *Hurtado. Primo obiicit Hurtado.* HAnc ſententiam impugnant ex profeſſo duo Auctores recentiores, quorum argumentis oportebit ſatisfacere, quatenus contra ſolutiones ſupra poſitas aliquid addunt. Primus eſt P. Petrus Hurtado *Diſput.* 2. de generatione, §. 19. in prima editione; in vltima vero editione *diſput.* 1. de generatione *ſect.* 4. *n.* 34. *& ſequentibus*; ex quo poſſunt nonnullæ aliæ obiectiones fieri. Prima eſt, quia compoſitum ex corpore Chriſti, & accidentibus panis eſt vnum per accidens, & non per ſe: ergo actio per quam fit, non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis. Rurſus nec poteſt dici conuerſio ſubſtantialis; quia actio, qua homo ex albo fit niger, terminatur etiam ad compoſitum ex humano corpore, & nigredine; & tamen illa non eſt conuerſio ſubſtantialis, licet ſint diuerſa compoſita ex corpore, & albedine, & ex eodem corpore, & nigredine; & licet albedo, & nigredo repugnet eidem corpori ſimul; ergo ſimiliter actio Euchariſtica non erit conuerſio ſubſtantialis.

144. *Reſpondetur ex dictis.* Reſpondetur facile ex dictis, illam non eſſe actionem ſubſtantialem, eſſe tamen conuerſionem ſubſtantialem; quia terminus formalis conuerſionis eſt ſubſtantia. Vnde patet diſcrimen ab illo exemplo: nam ibi termini formales ſunt accidentales, ſcilicet albedo, & nigredo, licet ſubiectum commune ſit ſubſtantia; at in noſtro caſu è contra termini formales ſunt ſubſtantiales, licet tertium commune vtrique termino ſint accidentia: denominatio autem conuerſionis deſumitur à termino formali, vt conſtat in tranſformatione, quæ appellatur conuerſio formalis, eo quod expellatur & introducatur forma; & ſic de aliis.

145. *Secunda obiicit idẽ Auctor.* Secunda obiectio ex eodem eſt, quia ſi Deus mihi vniat quantitatem, quam habet Petrus, non poteſt dici tranſſubſtantiatio Petri in me; alioquin homo albus tranſſubſtantiaretur in ſeipſum, quando fit niger. Reſpondetur ex dictis, illam conuerſionem poſſe tripliciter fieri. *Reſpondetur etiam ex dictis, illam conuerſio poteſt tripliciter fieri.* *Primo.* Primo, ſi mea ſubſtantia accipiat vnam quantitatem, & perdat aliam; & tunc erit conuerſio accidentalis quantitatiua, quia termini formales ſunt quantitates, & ſubiectum commune eſt ſubſtantia. *Secundo.* Secundo poteſt fieri, ſi eidem quantitati ſuccedat mea ſubſtantia, & expellat aliam ab eadem quantitate, & tunc erit conuerſio ſubſtantialis, quia termini formales ſunt ſubſtantiæ. *Tertio.* Tertio denique, ſi fiat vtrumque, ita vt ſub accidentibus Petri introducatur mea ſubſtantia, & ſub meis accidentibus ſubſtantia Petri; & tunc erit conuerſio mixta, ſeu quaſi duplex conuerſio, in quarum vna ſubſtantia ſit ſubiectum, circa quod fiat conuerſio, excluſis, & introductis accidentibus; in altera vero accidentia ſint terminus communis, circa quod fiat expulſio, & introductio ſubſtantiæ prior erit accidentalis, poſterior ſubſtantialis. Sicut ſi in materiam Petri induceretur mea anima rationalis, & in materiam meam anima Petri, fieret etiam duplex conuerſio, altera formalis per expulſionem, & inductionem formæ circa eamdem materiam; altera materialis per excluſionem, & commutationem diuerſæ materiæ circa eamdem formam. *Duplex conuerſio materialis & formalis.* Imo in vtroque caſu conſiderari poſſunt quatuor conuerſiones; *In vtroque caſu quatuor conuerſiones.* nam in primo caſu duæ eſſent conuerſiones accidentales, altera circa ſubſtantiam Petri, quæ acquireret mea accidentia, perditis ſuis; altera circa ſubſtantiam meam, quæ etiam ex habente ſua accidentia tranſiret in habentem accidentia Petri, amiſſis ſuis: & duæ aliæ eſſent conuerſiones ſubſtantiales; altera circa accidentia mea, ſub quibus deſineret eſſe mea ſubſtantia, & inciperet eſſe ſubſtantia Petri; altera circa accidentia Petri, ſub quibus deſineret eſſe ſubſtantia Petri, & inciperet eſſe mea. Sicut & in ſecundo caſu eſſent aliæ quatuor conuerſiones. Prima, in qua materia mea tranſiret ex habente meam animam in habentem animam Petri. Secunda, in qua materia Petri ex habente animam Petri fieret habens animam meam; & hæc vtraque eſſet conuerſio formalis. Tertia, in qua anima mea ex informante meam materiam fieret informans materiam Petri. Quarta denique, in que anima Petri ex informante materiam Petri fieret informans materiam meam, & hæc vtraque eſſet conuerſio materialis. Quæ omnia ex principiis à nobis ſupra poſitis facile colligi poſſunt. Hinc tamen non fit, Petrum tranſſubſtantiari in me, quando mea ſubſtantia poneretur ſub eius quantitate; ad hoc enim oporteret ſubſtantiam Petri deſinere; & multo minus dici poſſet, Petrum tranſſubſtantiari in ſe ipſum quando ex albo fit niger, cum in neutro caſu ſubſtantia deſineret, atque ideo non poſſet dici conuerti; & in ſecundo caſu ſubſtantia non ſit terminus formalis *à quo*, nec *ad quem* conuerſionis, ſed ſolæ qualitates.

146. *Tertia obiectio.* Tertia obiectio ex eodem eſt, quia Eccleſia, & Patres dicunt, panem fieri corpus Chriſti; ergo datur productio corporis: non enim ſufficit ad hanc loquutionem, quod ſubſtantia incipiat vniri illis accidentibus. Sicut quando materia vnitur animæ rationali, non dicitur fieri materia; & quando, reſurgente homine, anima vnitur de nouo materiæ, non dicitur fieri, vel produci anima; nec denique quando homo albeſcit, dicitur fieri homo, ſed fieri albus.

Reſponſio. Quid ſit panem fieri corpus Chriſti. Reſpondetur ex dictis, *panem fieri corpus Chriſti*, non eſſe, *corpus Chriſti fieri*, ſed panem conuerti in ipſum. Et quidem hæc etiam loquutio non eſt omnino propria, vt vidimus *Sectione præcedenti.* Ad eam tamen non ſufficit, rem aliquam de nouo vniri alteri; ſed requiritur, quod terminus *ad quem* ali-

cuius

cuius conuerſionis : vnde nec materia, nec anima, nec homo dicuntur fieri, quando vniuntur de nouo formæ, vel corpori, vel albedini, quia tunc potius conſiderantur vt ſubiectum, quam vt terminus conuerſionis. Si verò anima v.g. conſideretur vt terminus conuerſionis, vt cum ex cadauere fit homo, tunc poterit facilius admitti in aliquo ſenſu illa loquutio: *forma cadaueris facta eſt forma hominis.* Non eſt tamen ita communis ſicut illa; *cadauer factum eſt homo*; quia hæ denominationes tribui ſolent non partibus, ſed totis; & ideo etiam in conuerſione Euchariſtica facilius admittuntur inter ipſos terminos formales, & dicitur, *Panis fit caro Christi, Vinum fit Christi ſanguis*; quia nimirum termini formales ſunt totum, ſcilicet ſubſtantia illius compoſiti, quod reſultat ex accidentibus, & ipſo termino formali. Hæc tamen non ſignificant productionem vllam terminatam ad ſubſtantiam corporis Chriſti.

147. *Arriaga.* Magis ex profeſſo impugnat hanc meam ſententiam, quam olim in Hiſpania tradidi, quidam Auctor modernus, P. Rodericus Arriaga in ſuo Curſu Philoſophico *diſp.* 1 de generat. *ſect.* 3. vbi ſingulis ferè meis argumentis, & ſolutionibus, imo & verbis ad ſuum examen vocatis, multa opponit, quibus breuiter oportebit ſatisfacere. *S. Thom. Primo obiicit Arriaga.* Primo ergo opponit S. Thomam ſupra *quæſt.* 2. *art.* 1. de quo tamen teſtimonio iam ſupra dictum eſt. Deinde *num.* 17. arguit ratione; quia in quæſtione de nomine, qualis eſt hæc de ſignificato huius vocis *conuerſio*, ſtandum eſt communiori acceptioni, communior autem ſenſus eſt, vt debeat produci terminus formalis *ad quem*; Nos enim fatemur ſupra *ſect.* 2 *num.* 21. illam ſententiam eſſe ſatis plauſibilem; ergo ita dicendum eſt. Secundo ex ſimili argumento; quia in omnibus conuerſionibus naturalibus, pro quibus hoc nomen *conuerſio* impoſitum primo eſt, hæc conditio reperitur, vt nos fatemur; ergo illa ſignificatur per hoc nomen.

148. *Reſponſio.* Reſpondeo, non video, vbi confeſſionem illam inuenire potuerit, cum expreſſe probatum à nobis ſit, non reperiri illam conditionem in conuerſione naturali, qua alimentum conuertitur in hominem, quæ tamen à Philoſophis appellatur pleno ore *conuerſio formalis*, & *transformatio*, licèt non producatur terminus formalis. Vnde conſtat etiam apud Philoſophos, à quibus vox illa deſumpta eſt, non fuiſſe impoſitam ad ſignificandam ſemper talem conditionem, cum abſque illa admittant conuerſionem formalem, & per conſequens abſque eadem conſequenter admittere debeant conuerſionem ſubſtantialem. Adde, tantum abeſſe, quod apud Theologos illa ſignificatio, & eſſentia conuerſionis ſit magis communis, vt præter vnum Gabrielem, nullum ex antiquioribus pro illa ſententia eſſe, probet *Vaſquez. Valentia.* P. Vaſq. in præſenti *diſp.* 181. *cap.* 5. Imo P. Valentia in præſenti *diſp.* 6. *quæſt.* 3. *p.* 3. §. *Quarto ſequitur*, illam appellauit *ineptam quorundam Recentiorum opinionem*, & addit, eſſe contra communem ſenſum omnium Theologorum, & omnium, qui contra Hæreticos ſcribunt. P. Henriquez *lib.* 8. *de Euchariſtia, cap.* 53. §. 9 dicit, eam ſententiam nullum habe- *Henriq. Turrian.* re antiquum aſſertorem. P. Luiſius Turrianus in opuſc. Theologicis, *Opuſc.* 14. de Tranſubſtantiatione, *diſp.* 1. *dub.* 5. eodem modo de illa loquitur; vt appareat, quam debile fundamentum deſumatur ex *Nihil maiori plauſu excipitur apud vulgus quã nouitas.* communi Theologorum ſenſu. Nec debuit ille Auctor arguere (vt de facto arguit) ex verbis illis à me dictis inter referendam eam ſententiam; dixi enim ſupra Sect. 2. eam ſententiam eſſe *non paucis valde plauſibilem*; aliud enim eſt, eſſe antiquam, & fundatam; aliud eſſe plauſibilem: imo nihil maiori plauſu apud vulgus excipitur, quã nouitas; nã vt dixit ille,

Eſt quoque cunctarum nouitas gratiſſima rerum.

Non ergo fatemur, illum eſſe communem Philoſophorum, & Theologorum ſenſum, ſed id omnino negamus.

149. *Tertio obiicit.* Tertio obiicit. *num.* 18. quia vt terminus totalis in alium totalem conuertatur, requiritur deſtructio termini totalis *à quo*, & productio termini totalis *ad quem*; quia præciſè ille dicitur conuerſus, & iſte ſuccedens: ergo ſimiliter, vt terminus formalis dicatur conuerſus in terminum formalem, requiretur *Reſpondeo.* deſtructio illius, & productio huius. Reſpondetur ex ſupra dictis; negando conſequentiam: ratio eſt clara, quia ad omnem conuerſionem requiritur ſaltem ſucceſſio termini *ad quem*: non poteſt autem eſſe ſucceſſio, niſi incipiat terminus formalis *ad quem* exercere circa aliquod tertium commune *Quid ſit incipere terminum totalẽ conuerſionis.* illud munus, quód prius exercebat terminus formalis *à quo*. Hoc autem ipſum eſt incipere de nouo terminum totalem *ad quem*, hoc eſt, illud compoſitum reſultans ex tertio communi, & ex termino formali *ad quem* incipiente exercere tale munus. Vnde retorquetur clarè argumentum; quia vt terminus totalis conuertatur in totalem, non ſufficit, quod totalis *ad quem* incipiat terminare nouam actionem, ſed requiritur, quod incipiat eſſe ſimpliciter; nam ſi ſubiectum eſſet antea calidum ſimul, & frigidum, licet poſtea deſtrueretur frigus, non diceretur conuerti frigidum in calidum, etiamſi idem calor inciperet conſeruari actione noua. *Confirmatur multis exẽplis.* Item, ſi aliquis ſimul eſſet Canonicus, & Abbas, & poſtea relinqueret Canonicatum, non diceretur Canonicus mutatus in Abbatem, etiamſi poſſideret nouo titulo Abbatiam; quia nimirum frigidum mutari in calidum, & Canonicum in Abbatem, iuxta omnium ſenſum eſt calidum ſucceſſiſſe frigori in eodem munere, & Abbatiam Canonicatui. Et tamen corpus Chriſti, licèt incipiat terminare nouam actionem, non tamen incipit eſſe, nec ſuccedit ſimpliciter pani; ergo non benè arguitur ab inceptione neceſſaria termini totalis ad nouam productionem neceſſariam termini formalis, in quem dicitur conuerſus alius terminus formalis.

150. *Obiicit quarto.* Similis ferè eſt quarta obiectio eiuſdem eodem *num.* 18. quia nos concedimus, neceſſariam deſtructionem termini *à quo* vt dicatur conuerti in terminum formalem *ad quem*; ergo neceſſe erit, vt ſit etiam productio noua termini *ad quem*: cur enim magis requiritur deſitio ſimpliciter termini *à quo*, nec ſufficit deſitio in aliquo munere, & non requiritur inceptio ſimpliciter termini *ad quem*, ſed ſufficit incipere in aliquo munere.

Retorquetur argumentũ. Hoc argumentum eodem modo retorquetur, vt dixi in ſuperioribus; quia terminus *à quo*, vt dicatur conuerti in formalem *ad quem*, non ſufficit, ſi amittat aliquam actionem, qua prius conſeruabatur, ſed requiritur, quod deſinat eſſe ſimpliciter; & tamen corpus Chriſti non debet incipere ſimpliciter, ſed ſatis eſt, quod incipiat terminare aliquam nouam actionem; ergo non benè arguitur ex deſitione, ſeu deſtructione neceſſaria, termini formalis *à quo*, ad productionem neceſſariam termini formalis *ad quem*. Ad argumentum itaque reſpondi in ſu- *Deſinere eſt perdere ſuũ eſſe ſimpliciter.* perioribus negando conſequentiam; quia conuerti vnum in aliud, eſt deſinere in illud; deſinere autem eſt perdere ſuum eſſe ſimpliciter: quod verò in hoc aliud conuertatur, non eſt hoc incipere eſſe, ſed ſuccedere illi in eo munere, quod gerebat.

151. *Impugnat hanc reſponſionem.* Hanc reſponſionem impugnat acriter ille Auctor, *num.* 19. quia continet petitionem principij.

Nam

Nam ſicut terminus, in quem fit conuerſio, dicitur ſuccedens, ita terminus *à quo*, ſeu conuerſus poteſt appellari cedens; quia cedens, & ſuccedens ſunt correlatiua. Si ergo, vt ſuccedat, non debet de nouo produci, ſed ſufficit quod de nouo exerceat munus præcedentis; ſic etiam vt dicatur conuerſus, ſeu cedens, non requireretur, quod deſinat ſimpliciter, ſed quod cedat in munere; nam dicere, quod ſit differentia quoad hoc inter cedentem, & ſuccedentem, eſt dare concluſionem pro ratione.

152. *Ad id quod retorquebamus reſpondet dupliciter.*

Ad id verò, quod contra ipſos retorquebamus de differentia, quam omnes debent concedere quoad hoc inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*, quatenus terminus conuerſus debet deſinere ſimpliciter, & terminus *ad quem* non debet ſimpliciter incipere; Reſpondet dupliciter: primo, eſſe differentiam; quia ipſi ſolum contendunt, terminum *ad quem* debere produci, ſicut terminus *à quo* deſtruitur: eſt autem differentia inter *produci*, & *deſtrui*; quod *deſtrui* ſit terminus negatiuus, & ideo vt verificetur, non ſufficit ceſſare aliquam actionem, ſed requiritur, nullo modo manere in rerum natura; quia negatio æquiualet vniuerſali: produci autem, cum ſit terminus affirmatiuus, non requirit primam productionem, ſed aliquam; quæ differentia, licet ſit de nomine, debuiſſet in hac quæſtione de nomine ponderari.

153. *Hac reſponſio vim argumenti non ſoluit.*

Sed antequam vlterius progrediar, hæc reſponſio (ni fallor) vim noſtri argumenti non ſoluit, & verius ipſa continet petitionem principij. Admitto enim *deſtructionem*, quia eſt terminus negatiuus, eſſe vniuerſalem, & ideo afferre omnem negationem; productionem verò, quia eſt affirmatiuus, non eſſe vniuerſalem: quæſtio tamen noſtra non eſt, cur terminus *à quo*, vt dicatur deſtrui, debeat amittere totum eſſe, & terminus *ad quem* non debeat omnino incipere? ſed quæſtio eſt, cur terminus *à quo*, vt dicatur conuerſus, debeat amittere totum eſſe, & terminus *ad quem*, vt dicatur ſuccedens, non debeat incipere omnino? Dicis, quia *deſtructio* eſt terminus negatiuus. Sed ego peto, quare vt dicatur conuerſus, debet deſtrui? aut cur, ſicut poteſt terminus ſuccedere abſque eo quod vniuerſaliter incipiat, non poterit cedere abſque eo quod vniuerſaliter deſinat, ſeu deſtruatur, ſed ſolum pereunte vna actione ex multis, quibus conſeruabatur? Dicere itaque, quod debeat terminus conuerſus deſtrui, quia conuerti eſt deſtrui, erit reſpondere per concluſionem. De qua controuertitur. Debent ergo ipſi etiam quærere rationem differentiæ inter terminum *à quo*, & *ad quem*, cur vnus ſignificetur vt omnino deſinens, & alter non vt omnino incipiens; quam, quæcumque ſit, poterunt reddere, cur etiam terminus *ad quem* non ſignificetur produci, licèt terminus *à quo* ſignificetur deſtrui.

Inſtabis. Reſpondeo.

154. *Secundo aliter reſpondet.*

Ideo ſecundo aliter reſpondet *num.* 21. concedendo, nullam eſſe differentiam, ſed ſicut terminus *ad quem* dicitur ſuccedens, ſi terminet de nouo aliquam actionem, licèt non incipiat eſſe ſimpliciter: ſic terminum *à quo* poſſe dici conuerſum, ſi deſinat terminare aliquam actionem, licèt non deſinat eſſe ſimpliciter. Vnde inferunt, poſſe concedi, quando de facto ſpecies conſecratæ corrumpuntur, vel comeduntur a mure, corpus Chriſti conuerti in murem, vel in excrementa. Sicut enim conceditur, potuiſſe Verbum Diuinum vniri hypoſtaticè muri, & excremento, quo caſu eſſet mus, vel excrementum, non eſt abſurdum, quod de facto dicatur conuerti Chriſtum in hæc omnia. Imo de facto Verbum aſſumpſit hypoſtaticè ſanguinem, & alios humores, vnde ſequitur, dici poſſe Deum eſſe ſanguinem, eſſe choleram, pituitam, &c. Similiter ergo illæ aliæ propoſitiones concedi poſſunt, non tamen vſurpandæ apud plebem, quæ non eſt capax omnium myſteriorum. Denique addit, poſſe ex alio capite negari, corpus Chriſti conuerti in murem, excrementa, &c. quia licèt ad conuerſionem ſufficeret deſitio illius conſeruationis ſubſtantialis, requiritur tamen, quod vterque terminus formalis verſetur circa aliquod tertium commune: quod in hoc caſu non datur, quia quantitas non manet eadem (ſupponunt enim, quantitatem non eſſe accidens diſtinctum,) cætera autem accidentia non manent eadem: ideo enim deſinit eſſe corpus Chriſti, quia corrumpuntur accidentia panis, & producuntur accidentia muris, v. g. cum quibus corpus Chriſti non habet ſpecialem repugnantiam magis quàm cum præcedentibus; quare ex hoc etiam capite non datur conuerſio, quia ad conuerſionem requiritur repugnantia aliqua phyſica inter vnum, & aliud.

155. *In hac reſponſione primum eſt difficile, quod corpus Chriſti dicatur conuerti in vermes.*

In hac reſponſione multa ſunt mihi difficilia. Primum eſt corpus Chriſti de facto conuerti ſubſtantialiter in vermes, excrementa, &c. quod nemo hucuſque conceſſit: quia conuerti in vermes, & corrumpi, apud omnes pro eodem omnino reputantur. Et quidem cum ipſi fateantur, quod apud plebem offenſionem pareret hæc loquutio, fieri poteſt meliori iure contra ipſos argumentum, quo ij vtuntur. Nam in quæſtione de nomine, qualis eſt hæc, conſulendus eſt ſenſus hominum, quid ipſi concipiant nomine *conuerſionis*. Si ergo omnes ſcandalizantur audientes, corpus Chriſti conuerti in excrementa, vel vermes, cum tamen ſciant, deſtrui illud compoſitum, & corpus Chriſti amittere eſſe Sacramentale, quod habebat, conſequens eſt, vt per conuerſionem corporis Chriſti in vermes aliquid aliud omnes concipiant, ſcilicet deſtructionem ſimpliciter illius, quod dicitur conuerti in aliud. Quod quidem non procedit in illo caſu, quo Verbum aſſumeret hypoſtaticè naturam muris; nam ille caſus ſolum eſt poſſibilis: & fatemur, multa poſſe fieri à Deo; quæ ſi fierent, parerent offenſionem, & quæ ea de cauſa non fient: aliud verò eſt dicere, de facto id fieri, quod ſi fidelibus proponatur, omnes ſcandalizabuntur, & Hæretici ſubſannabunt myſteria noſtræ fidei. Adde, non ſolum plebem, ſed Theologos ipſos ſcandalizandos, cum eorum princeps S. Thomas infra *quæſt.* 77. *articul.* 5. in corpore; id indubitatum eſſe apud omnes doceat his verbis: *Manifeſtum eſt enim, quod ex corpore, & ſanguine Chriſti, quæ ibi veraciter ſunt, non generatur aliquid, cum ſint incorruptibilia.* Vides, idem eſſe apud S. Thomam, corpus Chriſti non corrumpi, & corpus Chriſti non conuerti in aliud, quod ex ipſo fiat. Non ergo ſufficit deſitio vnius actionis, vt corpus Chriſti concedi poſſit, de facto in excrementa reſolui contra id, quod omnes huc vſque docere, & concipere ſoliti ſunt.

156. *Secundo diſplicet illud exemplum de vnione Verbi. Rectè non dicitur, Deus eſt pituita, ſanguis, &c.*

Secundo, diſplicet exemplum illud de vnione Verbi cum ſanguine, & aliis humoribus; ratione cuius dici poſſit: *Deus eſt cholera; Deus eſt pituita:* hoc, inquam, non eſt ſolide dictum. Oportebat enim meminiſſe vnionem Verbi cum ſanguine, & humoribus concedi quidem ab omnibus: illas tamen propoſitiones, *Deus eſt ſanguis; Deus eſt pituita*, &c. negari communiter à Theologis, eo quod Verbo non tribuantur prædicata partium, qualis eſt ſanguis; ſicut nec dicitur: *Deus eſt digitus, Deus eſt pes*, &c. propter eamdem rationem.

Admittitur

Admittitur quidem illa: *Deus eſt caro*, per figuram, vſurpando partem pro toto, retenta tamen ſignificatione partis, non admitteretur: ſic etiam homo poteſt dici caro, numquam tamen dicitur homo pictura, vel ſanguis.

157. *Tertio diſplicet.* Tertio diſplicet, quod dicunt, ideo non conuerti corpus Chriſti in murem, vel vermes, quia non manent eadem accidentia in verme, quæ prius fuerant in Euchariſtia. Hæc, inquam, ratio difficilis eſt: nam vel ſenſus eſt non manere omnia eadem accidentia vtrobique, vel non manere vlla. Si dicatur primum, veriſſimum eſt; id tamen non requiritur ad conuerſionem. Sæpe enim continget, non manere omnia prorſus accidentia poſt conſecrationem, quæ prius fuerant in ſubſtantia panis; quia ſi actu calefiat hoſtia ſucceſſiue, neceſſe eſt, aliquid caloris fuiſſe immediate ante in pane, quod iam non ſit, quando ſuccedit corpus Chriſti: hoc tamen non obſtat veritati conuerſionis: ad hanc enim, vt ipſi aduerſarij fatentur, ſolum requiritur, quod detur aliquod tertium commune vtrique termino formali; manet autem eiuſmodi tertium commune, licet non maneant omnia prorſus eadem accidentia, cum maneant aliqua, & fere omnia. Si ergo dicatur ſecundum, ſcilicet in caſu noſtro non eſſe conuerſionem, quia nulla manent accidentia ex prioribus id conuincitur falſum, cum ipſi concedant, accidentia corrupti manere in genito. Et quidem quando ſpecies panis in ſtomacho corrumpuntur, vel quando ſpecies vini vltimo diſponunt ad formam aceti, manent omnia accidentia, quæ erant prius cum corpore, & ſanguine Chriſti, excepta vltima diſpoſitione, quæ expulſa fuit per introductionem vltimæ diſpoſitionis ad formam contrariæ; quæ quidem vltima diſpoſitio vel eſt quid indiuiſibile, vel quaſi indiuiſibile; vnde ex hoc capite negari non poteſt, dari aliquod tertium commune, quod prius erat cum corpore Chriſti, & poſtea eſt cum ſubſtantia ſequenti, ſufficiens ad veram conuerſionem vnius ſubſtantiæ in aliam.

Quæ accidentia quando ſpecies corrumpuntur remaneant.

158. *Diſplicet vltimo illa ratio quam afferunt.* Denique diſplicet illa ratio, quam afferunt ad negandam conuerſionem corporis Chriſti in ſubſtantiam ſuccedentem, ex eo quod corpus Chriſti non habeat ſpecialem repugnantiam magis cum accidentibus muris, v. g. quam cum accidentibus panis. Hæc, inquam, ratio non videtur apta; quia illa eadem repugnantia, ſiue ſpecialis, ſiue generalis, quam vtraque ſubſtantia habet in ordine ad eadem accidentia ſuſtentanda fuit ſufficiens, vt fieret vera conuerſio panis in corpus Chriſti; ergo eadem repugnantia inter corpus Chriſti, & ſubſtantiam ſubſequentem in ordine ad ſuſtentanda eadem accidentia, erit ſufficiens, vt corpus Chriſti dicatur conuerti in ſubſtantiam ſequentem. Probatur, & explicatur conſequentia, quia tota connexio inter expulſionem panis, & introductionem corporis Chriſti oritur ex eo, quod Deus voluerit corpus Chriſti ſuſtentare illa accidentia, vel ſubſtare, aut contineri ſub illis, ex quo prouenit repugnantia vtriuſque ſubſtantiæ, ſiue illa ſit Phyſica, ſiue moralis. Sed Deus poſtea vult, quod ſubſtantia muris, v. g. ſuſtentet illa accidentia, vel ſubſtet, aut contineatur ſub illis; ergo non minor orietur repugnantia huius ſubſtantiæ cum corpore Chriſti, nec minor connexio inter aduentum huius ſubſtantiæ, & expulſionem corporis Chriſti. Quare neque ex hoc capite negari poſſet vera conuerſio corporis Chriſti in illam ſubſtantiam, ſed recurrendum omnino eſt ad rationem legitimam, ex eo quod corpus Chriſti non deſtruatur, nec deſinat ſimpliciter eſſe, quod omnino requiritur ad hoc, vt aliquid dicatur vere conuerti in aliud.

159. *Non igitur requiritur productio termini formalis in conuerſione.* Conſtat ergo ex his omnibus, argumentum illud ab omnibus ſoluendum, & fatendum eſſe diſcrimen inter terminum formalem *à quo*, *& ad quem*; nec debere requiri productionem huius, prout requiritur deſtructio illius, vt dicatur vnus in alium conuerti: ſicut nec requiritur inceptio huius, prout requiritur ſimpliciter deſitio illius. Nunc itaque ad argumentum reſpondemus, non fieri petitionem principij in ratione differentiæ à nobis tradita: quia in quæſtione de nomine ratio tota petenda eſt ex vſu nominis de quo controuertitur. Conſtat autem, homines vſurpantes hanc vocem, *conuerſio* velle ſignificare deſtructionem, & deſitionem rei, quæ conuertitur, & non velle ſignificare productionem, vel inceptionem termini formalis in quem fit conuerſio. Primum conſtat ex vſu omnium: nemo enim applicuit hanc vocem ad res, quæ non deſinunt. Nemo dixit, animam rationalem conuerti in formam cadaueris, aut vermium, aut in diminutione continua, qua deperduntur aliquæ hominis partes, eamdem animam conuerti in formam excrementi. Et quidem ipſum nomen *conuerſionis* id videtur ſonare: nam quod conuertitur in aliud, tranſit in aliud: ſi autem tranſit, non manet in eſſe, quod habebat; non enim dicitur transformari id, quod retinet priorem formam, nec transfigurari id, quod retinet priorem omnino figuram: ſic nec dicimus commutari, aut contineri in aliud id, quod retinet totum ſuum eſſe, quod habebat.

Reſpondemus iam.

Quid homines velint ſignificare vſurpantes hanc vocem conuerſio.

160. *Non exigitur inceptio termini formalis.* Secundum vero, ſcilicet homines in vſu illius vocis non exigere eodem modo inceptionem, vel productionem termini formalis, in quem aliud dicitur conuerti: conſtat etiam ex communi modo loquendi: nam imprimis vulgare eſt illud, & ab omnibus ex Auguſtino *lib. 7. Confeſſionum*, *cap.* 10. receptum, quod Chriſtus in hoc ſacramento non mutatur in nos, ſed nos in ipſum: quod licet de conuerſione non phyſica, ſed morali intelligatur; inde tamen ſumitur argumentum ad explicandum vſum illius vocis: dicimur enim mutari, & conuerti in Chriſtum, quia deſinit eſſe in nobis noſtra vitioſa conſuetudo, & incipiunt eſſe in nobis Chriſti mores; ita tamen vt noſtra quidem vitia omnino pereant, Chriſtus autem, ſeu eius mores, & inclinatio non intelligatur ſimpliciter incipere eſſe, ſed incipere eſſe in nobis; quod ſufficit, vt dicamur mutari in Chriſtum, ſeu noſtra propenſio, & inclinatio in propenſionem, quam habet Chriſtus. Sic etiam dicitur amicus mutari in amicum, & affectu dicimur transformari, & conuerti in rem amatam. Sic enim dixit Auguſtinus: *Amando Deum efficimur dij, ergo amando mundum, mundus dicimur*: non quia Deus, vel mundus incipiat ſimpliciter eſſe, ſed quia incipit eſſe de nouo in eo, à quo diligitur. Denique in eodem ſenſu dicitur aliquis ſuam ſententiam mutaſſe in ſententiam magiſtri, vel alterius; quia licet hæc iam præexiſteret in magiſtro, & per conſequens non incipiat ſimpliciter eſſe, incipit tamen eſſe in illo, qui eam de nouo amplectitur, & ſic de aliis; quæ oſtendunt, nolle homines eiuſmodi loquutionibus neceſſario exigere productionem, vel inceptionem ſimpliciter rei, in quam fit conuerſio, ſed ſolum inceptionem in tali munere, in quo ſuccedit.

Auguſtin. Tom. 10. ſerm. 27. in Append.

161. *Illud quod vltimo dicebatur de correlatiuis nihil probat.* Illud vero, quod dicebat, *cedens*, & *ſuccedens* eſſe correlatiua, & ideo debere habere ſimiles conditiones, nihil probat: nam etiam pater, & filius ſunt correlatiui; & tamen filius debet incipere eſſe,

vt ſit filius; patet verò non debet deſinere eſſe, vt ſit pater: item teſtator, & hæres ſunt correlatiui; teſtator autem debet mori, & deſinere, quia per mortem confirmatur teſtamentum, & defertur hæreditas; hæres vero non debet incipere, aut naſci, vt ſit hæres. Sic ergo poſſet dici in præſenti de cedente, & ſuccedente: ſed reuera concedimus, illos eſſe pares nec enim cedens debet deſinere, ſicut nec ſuccedens debet incipere; quia non omnis terminus cedens eſt conuerſus, ſed conuerſus plus dicit, nempe deſinere ſimpliciter in ſuccedentem, & licet *conuerſus* etiam & ſuccedens ſint correlatiui, non debent tamen habere eaſdem conditiones, vt vidimus in aliis correlatiuis.

162. *Obycit idem Auctor.* Deinde (omiſſis aliis argumentis, quæ in ſuperioribus à nobis ſoluta ſunt) pergit ille Auctor, & obiicit nobis, *num.* 28 N. ſi detur productio corporis Chriſti, non magis eſſe conuerſionem ſubſtantialem, quam ſi vna ſubſtantia ſuccedat occupando præciſe locum alterius. Nam quod dicimus, corpus Chriſti ſubſtare ſpeciebus panis, & ideo ſuccedere in munere proprio ſubſtandi, falſum eſt, quia corpus Chriſti non conſeruat efficienter accidentia panis: prior enim eſt conſeruatio accidentium, quam corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus; & ideo corpus Chriſti eſt ibi, quia accidentia durant, non è contrario; ergo accidentia non conſeruantur à corpore Chriſti ſacramento, ſed potius corpus Chriſti eſt ſacramentatum, quia accidentia perſeuerant, & conſeruantur. *Reſpondeo.* Sed debuiſſet probari illud antecedens, quod conſeruatio accidentium ſit prior quam corpus Chriſti contineri ſub illis: iam enim fuerat à nobis explicatum, quomodo pro priori naturæ, antequam corpus Chriſti incipiat, vel perſeueret conſeruare accidentia panis, non debeant præintelligi, ipſa accidentia formaliter exſiſtere, ſed radicaliter ratione exſiſtentiæ præteritæ, & negationis alterius cauſæ aptæ ad eorum deſtructionem, vt videbimus *diſp.* 10. *ſect.* 2. quæ doctrina nondum eſt impugnata.

163. *Probat vlterius idem intentum.* Probat vlterius idem intentum, quod licet corpus Chriſti conſeruet efficienter accidentia, hoc tamen non eſt proprium munus ſubſtantiæ; vnum enim accidens poteſt efficienter aliud conſeruare; & Deus etiam conſeruat accidentia efficienter, licet non ſubſtet illis. *Reſpondeo.* Reſpondeo, iam explicuimus ſupra num. 97. quomodo exerceat corpus Chriſti aliquod proprium munus ſubſtantiæ. Ad exempla vero in contrarium adducta, dicimus: ad primum, ſi accidens aliquod ſeparatum à ſubſtantia eleuaretur à Deo ad conſeruanda efficienter alia accidentia, prout nunc conſeruantur à corpore Chriſti, tunc exerceret quidem aliquod munus proprium ſubſtantiæ, non tamen diceretur illa conuerſio ſimpliciter ſubſtantialis, qua ſuccederet ſubſtantiæ in illo munere; quia ſicut conuerſio formalis debet eſſe inter formas in munere informandi, ſic conuerſio ſubſtantialis debet eſſe inter ſubſtantias in munere ſubſtantiæ; atque ideo eſſet conuerſio mixta, partim ſubſtantialis, partim accidentalis: & propter eamdem rationem fortaſſe non poſſet dici ſimpliciter, quod accidens ſubſtaret aliis accidentibus; quia *ſubſtare* ſimpliciter eſt eſſe ſubſtantiam illorum accidentium: accidens autem exerceret munus ſubſtantiæ circa illa accidentia; non tamen eſſet eorum ſubſtantia, vt conſtat.

164. *Quid requiratur ad id quod eſt alteri ſubſtare.* Ad ſecundum, Deus non ſubſtat accidentibus, quia non conſeruat cum alligatione, & continentia, quod tamen ſupra diximus requiri ad hoc vt aliquid dicatur ſubſtare. Sed contra hoc arguit iterum, quia falſo dicimus, corpus Chriſti, eo quod ſit alligatum ſpeciebus panis in ordine ad motum localem, exercere munus ſubſtantiæ; neque enim ſubſtantia ita alligatur ſuis accidentibus, vt trahatur ab illis; ſed potius è contra accidentia trahuntur à ſubſtantia quæ mota mouet ſecum accidentia ſua. Vnde non ideo verificantur verba, *Hoc eſt Corpus meum*; quia corpus Chriſti exerceat munus ſubſtantiæ circa illa accidentia; ſed quia in illis continetur, ſicut aurum continetur in ciſta, & ideo poteſt per ciſtam demonſtrari.

Tota hæc inſtantia, & doctrina, quam ſupponit, difficile probabitur: nam imprimis, quis vnquam ex Philoſophis libenter concedet, motum localem exerceri immediate circa ſubſtantiam panis, & non potius circa eius accidentia, quæ mota trahunt ſecum ſubſtantiam? præſertim cum Sacerdos eodem prorſus modo moueat hoſtiam conſecratam, ſicut non conſecratam: non agit autem Sacerdos immediate, nec impellit immediate corpus Chriſti, ſed mediantibus ſpeciebus, quas immediate impellit, & mouet: habet ergo virtutem ad mouenda immediate accidentia panis; alioquin non mouemus nos hoſtiam, ſed Deus ad occultandum miraculum id facit, & per conſequens non deglutimus, non traiicimus ſpecies, non circumferimus, quæ omnia falſiſſima ſunt; & ideo fatendum eſt, nos habere virtutem ad agendum in quantitatem, & ſpecies panis, & mouendum illas. Sicut enim alij ſenſus non verſantur immediate circa ſubſtantiam, ſed circa accidentia, nempe colorem, ſaporem, odorem, ſonum, ſic nec tactus: & ſicut alij ſenſus eodem modo verſantur circa ſpecies conſecratas, ſicut prius, ſic & tactus: quare ſicut oculus non videt immediate ſubſtantiam panis, ſed albedinem, &, mediante albedine, ſubſtantiam, quia, deficiente ſubſtantia, adhuc eodem modo videmus hoſtiam; ſic nec tactus verſatur immediate circa ſubſtantiam; quia, deficiente ipſa, eodem modo tangimus, & mouemus hoſtiam; falſum ergo eſt illud, quod arguens aſſumit, accidentia panis moueri quatenus trahuntur a ſubſtantia, circa quam immediate verſatur motus. 165. *Tota hæc doctrina difficile probatur.* *Certum eſt nos habere virtutem ad agendum in ſpecies panis*

Exemplum etiam illud de auro, contento in ciſta, quod demonſtratur illis verbis: *Hoc eſt aurum*; licet non ſubſtet ciſtæ, ſed contineatur in illa, hoc, inquam, non eſt ad rem; illa enim verba, *hoc eſt*, &c. aliter vſurpantur ad demonſtrandum contentum in vaſe, vel ciſta, aliter ad demonſtrandam ſubſtantiam accidentium; nec poſſunt abſque æquiuocatione turpiſſima vſurpari ad demonſtrandum ſolum contentum, quando ex circumſtantiis ſignificant potius ſubſtantiam accidentium. Ponamus enim vas vitreum vacuum, de quo vere dicebamus, *hoc eſt vitrum*; poſtea deſtructa ſubſtantia vitri maneant diuinitus eius accidentia abſque ſubiecto, intus vero totum vas repleatur inuiſibiliter auro: ſi tunc aliquis dicat, *hoc iam non eſt vitrum, ſed aurum*; hæc propoſitio certe in illis circumſtantiis vel eſſet falſa, vel ludricam æquiuocationem contineret: omnes enim intelligerent aurum ſucceſſiſſe loco vitri, & demonſtrari non tanquam contentum intra vas, ſed tanquam ſubſtantiam per accidentia, ſicut prius demonſtrabatur vitrum: quare licet verum eſſet, aurum contineri intra vas, & poſſe per illud demonſtrari, non tamen in illis circumſtantiis, ſicut nec poſſet vere dici, vitrum conuerſum fuiſſe in aurum; quod tamen illa propoſitio eo modo prolata videretur ſignificare. Sic ergo in noſtro caſu continentia illa, qua aurum continetur in ciſta, non ſufficit ad verificanda verba Chriſti in ſenſu, in quo ab audientibus accipiuntur. Accipere enim panem in manus, & dicere, *hoc eſt corpus meum*, perinde eſt 166. *Exemplum de auro contento in ciſta non eſt ad rē*

ac

ac ſi dicat, *hoc iam non eſt panis, ſed Corpus meum*; demonſtrat ergo Corpus ſuum illud *hoc*, non vt demonſtratur aurum in ciſta, ſed eo mudo, quo demonſtrabatur ſubſtantia panis per ſua accidentia; ideo enim ex modo demonſtrandi intellexit Eccleſia, ſubſtantiam panis conuerſam fuiſſe in ſubſtantiam corporis Chriſti ſicut in caſu poſito intelligeretur vitrum conuerſum fuiſſe in aurum, & hoc ſucceſſiſſe vitro in munere ſubſtandi accidentibus, non vt contentum intra vas admodum liquoris. Vides, nec doctrinam, nec exemplum eſſe ad rem; atque ideo argumantum totum non ſubſiſtere.

167. *Obiicit prætetea.* Obiicit prætetea *num.* 30. retorquendo contra nos argumentum illud, quo ſupra impugnauimus illam nouam reproductionem corporis Chriſti, ex eo quod Eccleſia ex veritate verborum colligit hanc conuerſionem; verba autem æque vera eſſent, etiamſi corpus Chriſti non reproduceretur, ſed ſolum introduceretur. Hoc, inquam, argnmentum dicunt, eodem modo procedere contra nos; quia Eccleſia ex veritate verborum collegit hanc conuerſionem, ergo abſque deſtructione ſubſtantiæ panis poſſet fieri hæc conuerſio; quia verba eodem modo fuiſſent vera, licet ſubſtantia panis maneret alibi in rerum natura.

168. *Ex veritate verborum colligitur deſtructio panis ne multiplicentur miracula.* Ad hoc iam reſpondimus ſupra, Eccleſiam ex veritate verborum optimè colligere deſtructionem panis, quia miracula non neceſſaria non præſumuntur; non poſſet autem, ſtante veritate verborum, manere ſubſtantia panis in rerum natura abſque nouo miraculo. Hanc noſtram reſponſionem multis impugnat ille Auctor *num.* 31. Primo, quia iam non ex ſola veritate verborum prout contendamus, *Vrget idem Auctor.* ſed ex veritate verborum cum alio adminiculo colligitur conuerſio: ſic ergo poterunt ipſi dicere colligi illam actionem nouam ex veritate verborum, *Reiicitur.* & aliquo alio principio. Reſpondetur facile, id, quod ex veritate verborum colligitur, non debere ex illa ſola colligi; ſicut quod ex Dei reuelatione colligitur, non colligitur ex illa ſola, ſed ſuppoſita alia præmiſſa, nempe, quod Deus ſit verax. Sic in præſenti conuerſio panis, & eius deſtructio colligitur ex veritate verborum Chriſti, adiuncto tamen alio principio certo, ſcilicet quod non ſint alia miracula extraordinaria non neceſſaria ad hoc myſterium, quale eſſet conſeruare alibi ſubſtantiam panis, ſeparatis ab ea accidentibus.

169. *Arguunt id gratis dici.* Sed contra arguunt ſecundo, quod voluntariè dicamus; vnde enim Concilium collegit in hoc myſterio, vbi tot reperiuntur miracula, non inueniri etiam iſtud, quo panis alibi miraculoſe conſeruaretur? præſertim, quod fortè eſt maius miraculum deſtrui panem, quam ipſum conſeruari ſine accidentibus. *Reſpondeo. Alias regulas Philoſophicas Patres ſecuti ſunt.* Reſpondeo, Patres Concilij alias regulas Philoſophicas fuiſſe ſequutos, & merito; ſentiebant enim iuxta aliorum omnium hominum mentem quoties deſunt diſpoſitiones ad formam corruptibilem, & ſubſtantia illa amplius non comparet, eam certiſſime periiſſe; ſentiebant, materiam primam ſine forma non poſſe naturaliter conſeruari; quod licet ille Auctor in dubium reuocet *diſp.* 2. *Phyſic. ſect.* 6. *ſubſect.* Patres tamen Concilij, ne de omnibus receptis principiis dubitarent, id pro certo ſuppoſuerunt, & ideo conſequenter putarunt, atqui bene deſtructionem totius ſubſtantiæ panis, accedente præcipuè communi ſenſu fidelium, qui ex Chriſti verbis ſincere intellectis idē perpetuo collegerant.

170. *Primò dicūt ad argumentum.* Sed quid tandem ij ad noſtrum argumentum reſpondent? Dicunt cum P. Suarez, ideo ex Chriſti verbis deductam fuiſſe veram conuerſionem ſubſtantiæ panis, quia Concilia, & Patres ea verba intellexerunt in ſenſu perfectiori: perfectius autem explicantur, poſita deſtructione panis, & productione noua corporis Chriſti; ſicut in Cana Galilææ aqua creditur deſtructa, & vinum de nouo ſubſtantialiter productum, ob eamdem rationem. Nec neceſſe (inquiunt) eſt, omnia, quæ Patres ex aliquibus verbis Scripturæ intulerunt, contineri in illis verbis adæquatè; ſed ſæpe Deus accepta occaſione ab illis verbis, aliquid amplius reuelat Doctoribus, & Patribus.

171. *Hoc iam ſupra eſt reiectum.* Ad hoc iam diximus ſupra *ſect.* 2. in fine, vbi oſtendimus differentiam miraculi in nuptiis facti, & cur ibi debuerit intelligi vera productio ſubſtantialis vini, ne Chriſtus illuſiſſe crederetur imperans aquæ infuſionem. Quod vero dicunt, poſtea reuelaſſe Doctoribus hanc nouam productionem corporis Chriſti, vellem ſcire, cui facta fuerit hæc reuelatio, vt eam aliis communicaret, & proponeret. Certè ſi reuelatio peculiaris interceſſit, non ex verbis Chriſti cognita fuit eiuſmodi noua productio: nam Chriſti verba nullo modo eam ſignificabant: non ergo cognita fuit vera conuerſio panis in corpus Chriſti ex eo, quod verba Chriſti vera debebant eſſe, vt Tridentinū dixit ſed quia illa alia reuelatio peculiaris vera debebat eſſe. Sed de his ſatis.

SECTIO X.

Infertur ex ſupradictis reſolutio aliquarum quæſtionum.

172. *Quomodo ſit vera hæc propoſitio, de pane fit corpus Chriſti.* Ex dictis in hac diſputatione, facile erit definire aliquas quæſtiunculas, quæ hic ſolent controuerti; nam in primis quæſtio illa de qua S. Thomas *art.* 8. an hæc ſit vera propoſitio *ex pane*, ſeu, *de pane fit corpus Chriſti* tractata eſt ſufficienter *ſect.* 8. Item illa quæſtio: an hæc conuerſio fiat in inſtanti? non habet peculiarem difficultatem in hoc Sacramento, ſed communem cum aliis, quando cauſent verba, an in vltimo ſui eſſe, an immediatè poſt? de quo diximus in materia de Sacramentis in genere *diſp* 4 *ſect.* 6. Conſtat item reſolutio quæſtionis de ſubiecto huius conuerſionis. Nam ſi ſermo ſit de ſubiecto denominationis, tota hæc conuerſio denominat vtrumque terminum; alterum ſcilicet conuerſum, alterum vero id, quod fit conuerſio. Si vero ſermo ſit de ſubiecto inhæſionis ſeu adhæſionis, diſtinguendum eſt; nam vt, conſtat, ex ſupradictis conuerſio hæc includit deſitionem panis, quæ eſt mutatio negatiua; & quoad hanc partem, non indiget ſubiecto poſitiuo; imo eo modo, quo habet ſubiectum, poteſt dici, quod ſubiectatur in ipſo pane deſtructo. Cōtinet etiam actionem poſitiuam, qua corpus Chriſti ſuſtentat accidentia panis, & hæc quidem actio eſt in ipſis accidentibus, ſicut omnis actio in ſuo termino, non inhæſiuè, ſed adhæſiue, vt dixi in Philoſophia. Denique includi poteſt in hac conuerſione actio, qua producitur præſentia Chriſti in ſpatio ſpecierum, & hæc actio eſt intrinſecè in ipſo Chriſto, vt de ſe conſtat.

173. *Quæritur an corpus Chriſti corruptis ſpeciebus conuertatur in ſubſtantiam ſubſequentem.* Reſtare tamen videbatur duplex quæſtio paulo difficilior. Prima, an ſicut in conſecratione conuertitur panis in corpus Chriſti, ſic etiam corruptis ſpeciebus panis quando Chriſtus deſinit eſſe ſub illis, ſuccedente alia ſubſtantia, dicatur etiam corpus Chriſti conuerti in ſubſtantiam ſuccedentem: de quo P. Suarez *diſp.* 54. *ſect.* 3. vbi abſolutè negat, dari ibi conuerſionem, aut tranſſubſtantiationem. *Suarez negat.* De hoc tamen diximus *ſect. præced.* contra non neminem id concedentem. *Reſoluitur quæſtio ex ſupradictis.* Et quidem iuxta noſtra principia diſtinguendum eſt: nam ſi ſermo ſit de con-

uerſione corporis Chriſti in ſubſtantiam ſubſequentem, certum eſt ex principiis poſitis, non conuerti corpus Chriſti in illam ſubſtantiam; ad hoc enim oporteret, quod corpus Chriſti ſimpliciter deſineret eſſe, vt in vniuerſum diximus *ſect.* 1. Si vero ſermo ſit de conuerſione, non quidem corporis Chriſti, ſed illius compoſiti reſultantis ex corpore Chriſti, & ſpeciebus panis in compoſitum, quod reſultat ex ſubſtantia ſubſequenti, & eiſdem ſpeciebus, non video, cur non poſſit concedi illud compoſitum conuerti in iſtud, cum inter deſitionem vnius, & productionem alterius detur aliqua connexio, & detur aliquid commune vtrique termino formali, ſcilicet eadem quantitas, & eadem accidentia, ſub quibus ſuccedit noua ſubſtantia in eodem munere ſubſtandi, quod habebat ſubſtantia panis corporis Chriſti, licet in diuerſo genere. Nec in hoc inuenio aliquam peculiarem difficultatem, quæ non facile diſſoluatur ex ſupradictis.

174. *Quæritur an quælibet res poſſit in aliam conuerti. Suarez. Vaſquez. Turrianus.* Secunda quæſtio eſſe poterat, an quælibet res poſſit diuinitus in aliam conuerti; de quo Suarez *diſp.* 51. *ſect.* 10 Vaſquez *diſp* 184. per totam; & P. Luiſius Turrianus in Opuſcul. Theolog. *diſp.* 2. de Tranſſubſtantiatione, *dub.* 1. *& ſequentib.* vbi varias ſententias referunt, quas cenſui omnino omittendas, quia hæc quæſtio eſt merum corollarium doctrinæ præcedentis; & in ea ſinguli iuxta ſua principia conſequenter loquuntur: quare tota impugnatio in hac quæſtione pendet ex impugnatione principiorum circa naturam conuerſionis.

Quæ res poſſint in alias conuerti. Conſequenter ergo ad noſtram doctrinam ſupra traditam duas regulas breuiter in re hac ſtatuere debemus. Prima ſit, loquendo de tranſſubſtantiatione, poſſe quidem inter eas omnes, & ſolas res intercedere, quarum vna poteſt alteri ſuccedere in munere ſubſtandi eiſdem accidentibus. Secunda regula ſit, loquendo de quolibet genere conuerſionis, poſſe intercedere inter eas omnes & ſolas res, quarum vna poterit ſuccedere alteri circa idem tertium commune in eodem munere cum connexione inter expulſionem vnius, & inductionem alterius; vt conſtat ex dictis *ſect.* 1.

175. *Angelus in lapidem & viciſſim. Dices.* Hinc infero primo, poſſe dari tranſſubſtantiationem Angeli in lapidem, & è contra; quia poſſet lapis ſuccedere loco Angeli in munere ſubſtandi eiſdem accidentibus Angeli, vel è contra. Dices, Angelus non pendet à ſuis accidentibus, ſicut forma panis pendet à ſuis: vnde licèt alius Angelus, vel ſubſtantia lapidis poneretur ſub illis, non ideo periret ſubſtantia Angeli, atque ideo ſi deſineret eſſe, non deſineret propter repugnantiam cum termino *ad quem*, ſed illa deſitio haberet ſe diſparate ad introductionem termini *ad quem*: cum ergo ad conuerſionem vnius in aliud requiratur connexio inter deſitionem vnius termini, & ſucceſſionem alterius propter repugnantiam vtriuſque, conſequens eſt, quod in illo caſu non diceretur Angelus conuerti in lapidem, vel in alium Angelum ſubſtantem eiſdem accidentibus.

176. *Reſpondeo. Supponitur quod Angelus habeat accidentia realiter diſtincta.* Reſpondeo, in primis doctrinam ſupra poſitam de conuerſione poſſibili Angeli in lapidem, debere intelligi ex ſuppoſitione, quod Angelus habeat accidentia, quæ poſſint manere ſeparata ab ipſo; quales eſſent potentiæ diſtinctæ à ſubſtantia Angeli. Si enim non habet potentias diſtinctas, non inuenimus facilè alia accidentia, quæ poſſint ab ipſo ſeparari. Si autem habet potentias diſtinctas, tunc licet Angelus non pendeat ab illis dependentia à priori, pendet tamen ab illis à poſteriori: ſicut materia non poteſt naturaliter conſeruari abſque omni forma ſubſtantiali, quia Deus vt auctor naturæ non debet eam conſeruare, niſi in ordine ad compoſitum ſubſtantiale; ſic Angelus non poſſet naturaliter conſeruari abſque omnibus ſuis potentiis, quia Deus vt auctor naturæ non debet Angelum conſeruare, niſi in ordine ad operationes; vnde probabile videtur, quod ablatis omnibus potentiis, Angeli ſubſtantia deberet naturaliter deſinere, & conuerteretur in ſubſtantiam ſuccedentem ſub eiſdem potentiis. Quidquid tamen de hoc ſit, ſufficeret ad conuerſionem repugnantia moralis vtriuſque termini; 177. *Sufficit ad conuerſionem repugnantia moralis.* diximus enim ſupra ſufficere eiuſmodi repugnantiam ad conuerſionem vnius in aliud. Poſſet autem excogitari talis repugnantia, ſi Deus decreuiſſet v.g. iuſtas ob cauſas non conſeruare aliquem Angelum niſi ſub accidentibus lapidis, tunc ſi poneretur Gabriel ſubſtans eiſdem accidentibus, & expelleretur ab eis Michaël, eo ipſo Michaël deſineret eſſe, & per conſequens diceretur conuerſus in Gabrielem, cum eius deſitio haberet connexionem cum introductione Gabrielis, & oriretur ab ea. Eodem modo conuerti poſſet in ſubſtantiam lapidis, ſi hæc poneretur ſub illis accidentibus, & ideirco expelleretur, & deſtrueretur ſubſtantia Angeli, quæ antea illis ſubſtabat.

178. *Auguſt. Obiicitur Auguſtin.* Contra hoc obiicitur Auguſtinus *lib.* 7 de Geneſi ad litteram *cap.* 12. vbi ait: *Corpus, aut aliquid, ſiue terrenum ſiue celeſte, conuerti in animam, fierique naturam incorpoream, neque quemquam ſenſiſſe hoc ſcio, nec fides hoc habet.* Quod idem habet Boëtius *lib. de duabus naturis.* Reſpondeo, Auguſtinum loqui de conuerſione, per quam corpus non ſolum ſit terminus *à quo*, ſed etiam ſit materia ſeu ſubiectum, ex quo fiat anima, ſicut ex luto fit vas, vt patet ex Auguſtini contextu. *Reſpondetur.*

179. *Obiicitur idem Auguſtinus.* Obiicitur item idem Auguſtinus lib. de immortalitate animæ, *cap.* 16. in principio; vbi ait animam rationalem non poſſe conuerti in irrationalem. Reſpondeo tamen, ibi non loqui in ordine ad potentiam abſolutam, ſed ſolum negare, quod de facto in compoſito humano id fiat; quia alioquin iam non maneret anima rationalis, & per conſequens nec homo. *Reſpondetur.*

Quæſitum. Petes, ſi ſuccederet albedo, v.g. loco lapidis ſuſtentans accidentia lapidis; diceretur ne tranſſubſtantiatio lapidis in albedinem? Reſpondeo negatiua, quia tranſſubſtantiatio, ſeu conuerſio ſubſtantialis neceſſario poſtulat eſſe inter terminos ſubſtantiales; quare illa eſſet conuerſio mixta, partim ſubſtantialis ex termino *à quo*, & partim accidentalis ex termino *ad quem*, vt diximus Sectione præcedenti. *Reſpondeo.*

180. *Deus non poteſt conuerti in quidquam aliud.* Infero ſecundo, Deum non poſſe conuerti in quid aliud, quod certum eſt apud omnes; cum Deus non poſſit deſinere eſſe, quod neceſſe erat, vt diceretur ſimpliciter conuerti in aliud. Cæterum ex hoc non ſequitur, quod non poſſit Deus eſſe terminus formalis *à quo* in aliqua conuerſione, qua hoc totum conuertatur in aliud; ad hoc enim non requiritur deſitio termini formalis, vt de facto in conuerſione *Poteſt tamen Deus eſſe terminus formalis à quo.* hominis in cadauer, anima rationalis eſt terminus formalis *à quo*, licet non deſinat eſſe anima rationalis; nec dicatur ipſa conuerti in formam cadaueris. At verò Deus poſſit eſſe hoc modo terminus formalis *à quo* alicuius conuerſionis, pendet ex altera quæſtione an Deus poſſit eſſe terminus *ad quem* alicuius conuerſionis? Difficultas ergo eſt, an aliquid poſſit conuerti in Deum? Negant non pauci, vnuſquiſque conſequenter ad ſua principia. Ego tamen non video, cur non poſſit Deus eſſe terminus formalis alicuius conuerſionis. Nā ſi natura Petri aſſumeretur nunc hypoſtaticè à Deo, fieret tunc conuerſio perſonalis, ſuccedente perſonalitate diuina perſona- *Deus poteſt eſſe terminus formalis alicuius conuerſionis.*

litati

nalitati creatæ circa illas naturas, & diceretur vna perſona tranſire in aliam; imo ipſa perſonalitas creata diceretur conuerti in diuinam. Ratio autem eſt, quia ad hoc non requiritur productio termini formalis, ſed vnitio noua, ſeu introductio illius in illud compoſitum, cuius ſine imperfectione capax eſt Deus. Ex quo etiam fit, poſſe tunc perſonalitatem diuinam eſſe terminum formalem *à quo* reſpectu alterius conuerſionis, per quam iterum natura Petri acciperet perſonalitatem propriam, & relinqueretur à diuina; nam licèt tunc non deſineret ſimpliciter perſonalitas diuina, & ideo non diceretur conuerti in perſonalitatem creatam; cæterum illud compoſitum ex natura Petri & perſonalitate diuina conuerteretur in aliud compoſitum ex eadem natura, & perſonalitate creata, in qua conuerſione perſonalitas diuina eſſet terminus formalis *à quo*.

181. *Inſtantia.* Dices, ergo de facto cauſa creata conuertitur in Deum, quando, v. g. ex deſitione alicuius cauſæ ſecundæ Deus incipit conſeruare aliquo tempore eius effectum; vt cum perit forma equi, aliquandiu conſeruatur eius temperamentum partiale, nempe aliquis calor viuentis in cadauere; tunc enim cauſa prima ſuccedit cauſæ ſecundæ in eodem munere conſeruandi illum effectum; ergo dicetur cauſa ſecunda conuerti in cauſam primam. *Diluitur.* Reſpondetur, tunc conuerti quidem concretum in concretum; ſcil. licet effectum cauſatum à cauſa ſecunda in eundem effectum cauſatum à cauſa prima. non tamen dicit cauſam ſecundam conuerti in cauſam primam; quia terminus formalis illius concreti non eſt cauſa, ſed cauſalitas; quare dicetur benè cauſalitatem cauſæ ſecundæ conuerſam eſſe in cauſalitatem cauſæ primæ; cauſalitas enim cauſæ ſecundæ eſt, quæ expellitur, & quæ deſinit eſſe, ſicut cauſalitas cauſæ primæ eſt, quæ introducitur, & facit cum effectu concretum *cauſati*, tanquam forma illius.

182. *Cauſalitas cauſæ ſecundæ benè conuertitur in cauſalitatē cauſæ primæ.* Si autem loquamur de illo, alio concreto cauſæ cauſantis, dicendum eſt, non conuerti vnum concretum in aliud, ſcilicet concretum cauſæ ſecundæ cauſantis talem effectum, in concretum cauſæ primæ cauſantis eundem effectum; & multo minus cauſam ſecundam in primam: quia ad conuerſionem (vt ſupra dictum eſt) requiritur quod maneat aliquod tertium commune vtrique termino formali; in illis autem duobus concretis nihil tertium commune perſeuerat: quia cauſa ſecunda non manet, neque eius cauſalitas, quæ duæ ſolæ conſtituebant illud concretum cauſæ ſecundæ cauſantis talem effectum; neque enim effectus ipſe intrat ad componendum illud concretum, ſed ſola cauſa, & cauſalitas; ergo non eſt vera conuerſio vnius concreti in aliud, & per conſequens multo minus vnius cauſæ in aliam, cum non participent aliquid idem, cum quo faciunt concretum. Poſſet quidem dici minus propriè vnū concretum conuerti in aliud, ſicut ſi Abbatia aliqua mutetur in Epiſcopatum; tunc etiamſi Epiſcopatus daretur alteri ab eo, qui prius fuerat Abbas, diceretur Abbas talis Eccleſiæ conuerſus in Epiſcopum, & Abbas factus Epiſcopus; quia nimirum apprehenditur aliquid commune perſeuerans ſub Abbatia, & Epiſcopatu, ſcilicet ratio cōmunis eius, qui perficitur tali Eccleſiæ, cui ſubiecto conuenit vterque terminus formalis. Sic in caſu proprio minus propriè diceretur cauſa ſecunda cauſans talem effectum conuerſa in cauſam primam cauſantem eundem effectum, quia apprehenditur aliquid cōmune perſeuerans ſub vtraque cauſalitate, ſcilicet cauſa talis effectus, vel è contra cauſalitas in communi talis effectus perſeuerans ſub vtraque cauſa. Sic etiam dicitur vnus Prætor mutatus in alium Prætorem; quia apprehenditur eadem Prætura cōmunis perſeuerans ſub vtroque, quæ loquutiones ſunt minus propriæ. At verò in conuerſione Euchariſtica vnum concretum cōuertitur propriè in aliud; quia licèt coniunctio cum ſpeciebus non ſit eadem, nec ſubſtatio (vt ita dicam) ſit eadem; accidentia tamen ſunt eadem, ex quibus & ex corpore Chriſti reſultat aliquod concretum nouum, cuius pars intrinſeca ſint eadem accidentia, cum quibus ſubſtantia panis prius componebat illud compoſitum, & cum quibus poſtea corpus Chriſti componit aliud compoſitum reſultans ex corpore Chriſti, & ſpeciebus, quorum compoſitorum vnum dicitur propriè conuerti in aliud, & ideo terminus formalis *à quo*, nempe panis, dicitur conuerti in terminum formalem *ad quem*, nempe corpus Chriſti. *In Euchariſtia vnum concretū propriè cōuertitur in aliud.*

183. *Inſtabis.* Inſtabis, poſſe etiam concipi aliquod compoſitum reſultans ex cauſa ſecunda, & effectu cauſato, in quod compoſitum intret ipſe etiā effectus, & aliud compoſitum reſultans poſtea ex cauſa prima, & eodem effectu ab illa conſeruato, in quod etiam compoſitum intret idem effectus, quorum compoſitorum vnum conuertetur in aliud, quia perſeuerat aliquid commune ſub vtroque, nempe idem effectus, & per conſequens terminus formalis *à quo*, ſcilicet cauſa ſecunda in caſu ſupra poſito, quando deſinit eſſe, dicetur conuerti in cauſam primam ſuccedentem in eodem munere conſeruandi eundem effectum. *Reſpondeo.* Reſpondeo, neque etiam inter illa compoſita, quæcumque illa ſint, dari veram & propriam conuerſionē, ſed impropriam, & multo minus inter ipſas cauſas ſecundam, & primam; quia ad propriam conuerſionē requiritur, quod termini formales habeant coniunctionem cum illo tertio communi perſeuerante ſub vtroque. Sic forma ſubſtantialis vtraque eſt in eadem materia, quando fit conuerſio formalis: calor & frigus ſucceſſiue ſunt etiam in eodē ſubiecto, quando conuertitur calidum in frigidum: panis, & corpus Chriſti coniunguntur ſucceſſiue cum eiſdem accidentibus in conuerſione Euchariſtica, & ſic de aliis. Cauſa autem efficiens, vt talis eſt nullam habet coniunctionem intrinſecam, aut intimā cum effectu; ideo non dicitur proprie conuerti vna in aliā; quia per hanc vocem intelligunt quod ibi, ſeu in eo ſubiecto, aut termino, vbi cernebatur vnum, poſtea inueniatur aliud, in quod illud primū conuerſum dicitur, vt conſtat ex omnibus conuerſionibus tā fabuloſis, quam veris, quibus hoc nomen vnquā applicatū eſt. Poſſet ergo illa appellari conuerſio impropria, non tamen propria, & ſtricta.

184. *Nulla creatura tranſſubſtantiari poteſt in naturam diuinam.* Infero tertio, non poſſe aliquam creaturam trāſſubſtantiari in naturam Diuinam, quia licet natura Diuina poſſet ſuccedere ſubſtantiæ lapidis in munere ſuſtentandi accidentia lapidis in genere cauſæ efficientis, non tamen diceretur Deus ſubſtare illius accidentibus. *Subſtare* enim, vt ex ſuperioribus conſtat, non ſolum dicit ſuſtentationem, ſed etiam alligationem, ratione cuius dicatur contineri ſub illis accidentibus: natura autem Diuina, vt talis, non poteſt contineri, & alligari ad aliqua accidentia; quia talis continentia ſignificat rem contentam ex vi illius præſentiæ non eſſe extra illud ſpatium accidentium, & moueri cum illis quocumque ferantur; quod in Deo reperiri non poteſt.

SECTIO XI.

Vtrum per hanc conuerſionem deſinat omninò ſubſtantia panis.

184. COmplectemur in hac ſectione, & ſequēti duas difficultates, quæ reſtant: an deſinat omnino

ſubſtantia panis, & annihiletur? De quibus agit S.
S. Thom. Thomas *art.* 2. *&* 3. vt maneat integrè explicata to-
Certum eſt de fide nihil ſubſtantia panis manere. ta *quæſt.* 7. S. Thomæ; nam de materia *art.* 5. agemus
diſp. 9. Et quod attinet ad primam deciſionem ſub-
ſtantiæ panis, certum de fide eſt, nihil ſubſtantiæ
panis, & vini manere in ſacramento Euchariſtiæ,
Conc. Lateran. ſed totam illam conuerti in corpus & ſanguinem
Chriſti, vt habetur in Concilio Lateran. ſub In-
Conc. Conſtant. nocentio III. *cap.* 1. in Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. & clarius
Conc. Trid. in Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 4. & *can.* 2. & in aliis; & ex
communi Patrum conſenſu, quos vide apud Aucto-
res in præſenti. Res enim facilis eſt, & ferè ad me-
ram controuerſiam ſpectans; quare breuiter ſub-
ſtantiam totius doctrinæ colligemus.

186. Fundamentum ergo huius veritatis ſumitur po-
Fundamentum ſumitur ex Chriſti verbis. tiſſimè ex Chriſti verbis; *Hoc eſt corpus meum*; nã ſi
ibi adeſſet ſubſtantia panis, licèt ibi eſſet ſimul cor-
pus Chriſti, non diceretur verè ſimpliciter; *Hoc eſt
corpus Chriſti*, ſed deberet dici: *Hoc eſt corpus Chri-
ſti, & panis.* Sicut, ſi miſceatur ſanguis humanus cum
vino, non poteſt dici ſimpliciter; *iſte eſt ſanguis*, ſed,
hic eſt ſanguis, & vinum, quia non poſſunt deſignari
accidentia, ſub quibus eſt ſanguis, non deſignatis illis,
ſub quibus eſt vinum propter commixtionem; nec
etiam oſtenſo calice, ex vino, & lacte poſſum ſim-
pliciter dicere: *Hoc eſt vinum*; ergo multo minus in
præſenti poteſt dici ſimpliciter: *Hic eſt ſanguis*; cum
ſint eadem omnino accidentia, ſub quibus contine-
retur ſanguis, & vinum; & illud, *hoc*, vel, *hic*, ſignifi-
cet totam ſubſtantiam contentam ſub illis acciden-
tibus; nec etiam poterit dici. *Hic eſt calix ſanguinis*,
ſi in illo calice contineretur etiam vinum.

187. Dices, verba illa: *Hoc eſt corpus Chriſti*, æquiua-
Inſtabis. lent huic propoſitioni; *corpus Chriſti continetur ſub
his accidentibus*; hæc autem eſſet vera, licet ibi con-
Reſpondeo. tineretur panis, ergo & prima. Reſpondeo negando
antecedens, niſi addatur aliqua particula; nam illa
verba æquiualent huic propoſitioni; *corpus Chriſti
continetur totaliter ſub his accidentibus*, ſeu, *ipſum ſo-
lum continetur*; hæc enim eſt vis illius Pronominis,
hoc, vt conſtat ex communi hominum vſu.

188. Vrgebis; quia quando eſt duplex, vel triplex ſup-
Vrgebis. poſitum in eadem natura, vt in natura Diuina poſ-
ſumus dicere: *hic Deus eſt Pater*, non explicando
alia ſuppoſita; ergo eodem modo, licet eſſet duplex
ſubſtantia ſub eiſdem accidentibus panis, poſſemus
dicere: *Hoc eſt corpus Chriſti*, non explicando ſub-
Reſpondeo. ſtantiam panis. Reſpondetur negando conſequen-
tiam. Ratio diſcriminis eſt, quia illud, *hoc*, vel, *hic*, vt
diximus *diſp.* 13. de Incarnatione *ſect.* 3. habet vim
determinandi naturam, non ſuppoſitum, quando
additur concreto naturæ; nam *hic homo*, non eſt, *hoc
ſuppoſitum humanitatis*, ſed *ſuppoſitum huius humani-
tatis*. Similiter: *hic Deus*, non eſt, *hoc ſuppoſitum na-
turæ Diuinæ*, ſed *ſuppoſitum huius naturæ Diuinæ*, &
ideo eſt vera illa propoſitio: *Hic Deus eſt Pater*,
quaſi dicas, *aliquod ſuppoſitum huius naturæ Diuinæ
eſt Pater*. At in noſtro caſu eſſet falſa propoſitio: *hoc
eſt corpus Chriſti*, ſi eſſet etiam ibi ſubſtantia panis,
quia illud *hoc* determinat non ſolum accidentia, ſed
etiam contentum ſub illis, vt conſtat ex vſu homi-
num, non enim dicunt, oſtenſa burſa, in qua ſit au-
rum, & plumbum *hoc eſt aurum* neque, oſtenſo va-
ſe, in quo ſit lac, & vinum, *hoc eſt vinum*, quia nimi-
rum illud, *hoc*, determinat totum contentum ſub
continente, quod oſtenditur.

189. Sed contra inſtabis, quia ſi in eodem ſuppoſito
Inſtabis. ſit duplex natura, vt in Chriſto eſt natura Diuina,
& humana, tunc oſtenſo illo, poſſumus dicere: *hoc
eſt homo*, non explicando alteram naturam, quia il-
lud, *hic*, non eſt neceſſe, quod explicet omnem na-
turam contentam in illo ſuppoſito, ergo neque
erit neceſſe quod explicet omnem ſubſtantiam
contentam ſub illis accidentibus. Reſpondetur *Reſpondetur.*
negando conſequentiam, quia prædicatio, quæ fit
in concreto, poteſt fieri de vna parte non explicã-
do aliam; ſecus verò quando fit in abſtracto. Sic di-
cimus: *homo eſt ſanguineus*; *homo eſt materialis*, &c.
non verò dicimus, *homo eſt ſanguis*; *homo eſt materia*,
quia nunquam poteſt prædicari realiter pars de
toto in recto, poteſt tamen in obliquo: dicere
enim hominem eſſe ſanguineum, eſt ſolum dicere,
ipſum habere ſanguinem, quod verum eſt. Sic
etiam dicimus de Chriſto: *hic eſt homo*, quia hoc
eſt dicere, illud ſuppoſitum habere naturam hu-
manam. At in noſtro caſu prædicaretur in recto
pars de toto, ſi exiſtente etiam ſub ſpeciebus
ſubſtantia panis diceremus, *hoc eſt corpus Chriſti*,
quia ſenſus eſſet, *ſubſtantia contenta ſub his acci-
dentibus eſt corpus Chriſti*, quod perinde eſſet hac
dicere, *hæc eſt materia prima*, oſtenſa tota huma-
nitate.

Dices, de facto ponitur ſub ſpeciebus vini cor- 190.
pus Chriſti, & eius anima, & tamen dicitur verè. *Dices.*
hic eſt ſanguis, non explicando ſubſtantiam corpo-
ris, & animæ: ergo poſſet etiam dici, licet ibi eſſet
ſubſtantia vini. Negatur conſequentia: quia corpus, *Reſpondeo*
& anima Chriſti, licèt ſint in calice, non tamen ſub-
ſtant illis accidentibus, neque gerunt circa illa mu-
nus, quod gerebat ſubſtantia vini, ſed ſolus ſanguis,
ſicut in hoſtia corpus, & non ſanguis, ſubſtat acci-
dentibus loco panis: hinc eſt, poſſe per accidentia de-
monſtrari ſolum ſanguinem, quia ſolum demon-
ſtratur ſubſtantia eorum accidentium. Si verò eſſet
ibi ſubſtantia vini, deberet demonſtrari, quia illa
potiſſimum eſſet ſubſtantia eorum accidentium, &
quæ primo loco, eis deſignatis, deberet intelligi,
vtpote ſubſtantia eorum propria, & non aliena. 191.

Hinc infertur primo, non poſſe verificari verba *Illatio prima.*
Chriſti ratione vnionis, quæ ſit inter panem, & cor-
pus Chriſti, vt volunt Lutherani: nam vnio inter
duo extrema non ſufficit ad prædicandum vnum de
alio. Dices, hanc vnionem eſſe hypoſtaticam, quæ
ſufficit ad illam prædicationem: nam ſicut Verbum
aſſumpſit ſemel naturam humanam, ſic quotidie
aſſumit naturam panis in Euchariſtia, qui modus
dicendi tribuitur Ruperto. Sed contra hoc eſt; quia,
etiam data illa vnione, non diceretur verè de pane
eſſe corpus Chriſti, ſed eſſe Chriſtum, ſicut nec mo-
do dicitur de ſanguine eſſe corpus Chriſti, licèt
vtrumque ſit aſſumptum ab eodem Verbo: nam
hæc aſſumptio non ſufficit ad hoc, vt vna pars præ-
dicetur de alia, vel natura integra prædicetur de
vna parte. Nec etiam potuit panis aſſumi hypoſta-
ticè ab ipſo Chriſti corpore immediatè, vt voluit
quidam Ioannes Pariſienſis, quia vnio hypoſtatica
non poteſt fieri naturæ ad naturam, ſed naturæ ad
ſubſiſtentiam, vt ſuppono. 192.

Infertur ſecundo, hanc fidei veritatem ſufficien- *Illatio ſecunda.*
ter ex Chriſti verbis haberi, & non ſolum ex Ec-
cleſiæ definitione: quod minus cautè negauit Sco-
tus, contra quem obſeruare oportet doctrinam
Tridentini vbi ſupra docentis, hanc doctrinam ſem-
per habitam in Eccleſia Dei ex veritate verborum
Chriſti Domini. 193

Infertur tertio contra Durandum, non ſolum non *Illatio tertia.*
manere ſubſtantiam panis integram, ſed neque,
eius materiam primam vnitam animæ Chriſti: quia
Concilium abſolutè docet, manere duntaxat ſpe-
cies ſeu accidentia panis: tum etiam, quia ſi ideo ſo-
lũ daretur conuerſio, quia ſuccederet alia forma ſub
eadem materia: ergo illud corpus Chriſti reſultans
ex

ex illa materia non eſſet, quod erat in cœlo, nec quod tradendum, & crucifigendum erat, ſed aliud diuerſum.

194. *Illatio quarta.* Infertur quarto, nec etiam manere in Euchariſtia aliquam rationem ſubſtantialem indiuiduam eamdem numero, quæ erat in pane, ſcilicet eandem rationem entis vel ſubſtantiæ, &c. quod immerito forſitan tribuitur Caietano: & conſtat clare, tum quia eſſet contra definitionem Tridentini, tum quia impoſſibile eſt, illam rationem, ſeu formalitatem, quæ antea diſtinguebatur à corpore Chriſti, modo identificari cum illo, & prædicari de illo: tum denique, quia destructa ratione ſpecifica panis non potuit non deſtrui ratio ſubſtantiæ, & entis, vt ſuppono ex Dialectica.

195. *Illatio quinta.* Infertur quinto, nec etiam ſubſtantiam panis manere: quia hæc eſt aliquid ſubſtantiæ panis, nec etiam exiſtentiã, vt voluit Banes 1. *p. q.* 4. *art.* 2. *dub.* 7. *in* 1. *editione*, qui licet in ſecunda editione eam ſententiam reliquerit, dixit tamen adhuc, eam eſſe probabilem, quia probabile eſt, accidentia exſiſtere per exſiſtentiam ſubſtantiæ: quare cum maneant accidentia panis, probabile eſt, manere exiſtentiam panis, per quam exſiſtant illa accidentia. Re tamen vera illa ſententia eſt omnino improbabilis, & contra omnes Theologos, quorum aliqui grauiori cenſura eam notant, vt videri poteſt apud Suarez in præſenti; quia videtur aperte contra definitionem Tridentini vbi ſupra dicentis, nihil ſubſtantiæ panis remanere: præſertim quod principia, quæ ſupponit ex Philoſophia, ſunt falſa, vtpote exiſtentiam diſtingui ab eſſentia, & eſſe ſeparabilem ab illa: poſſeque manere exſiſtentiam Petri mortuo Petro: accidentia item non habere propriam exſiſtentiam diſtinctã ab exſiſtentia ſubſtantiæ: & alia huiuſmodi.

196. *Explicantur loca quorundam PP.* Contra hanc fidei doctrinam plura ſunt argumenta pro ſingulis ſententiis reiectis: ſed quæ facile quiuis poterit diſſoluere ex ſupra dictis. Solum habent aliquam difficultatis ſpeciem tria teſtimonia, Gelaſij, Chryſoſtomi, & Theodoreti, qui dicunt Deum non deſtruxiſſe in Euchariſtia naturam panis. Verum duo priora non ſunt Gelaſij, & Chryſoſtomi, ſed ſuppoſita, vt obſeruant noſtri Auctores communiter: & ad omnia ſimilia reſpondetur, ibi per panis naturam intelligi accidentia, & proprietates panis, late accepto nomine *natura* pro conditionibus innatis: ſicut dici ſolet, conſuetudinem eſſe alteram naturam. Præſertim cum ipſe Theodoretus fateatur in hoc ſacramento mutationem inuiſibilem fieri, quod ſine deſitione ſubſtantiæ panis non poſſet concedere.

197. *Obijcitur modus loquendi Patrum.* Obici etiam poteſt modus loquendi Patrum, qui ſæpe dicunt, poſt conſecrationem *id, quod erat panis, eſſe Corpus Chriſti*; vt habetur apud Ambroſium relatum in c. *Panis*. & in c. *Re vera*, de conſecratione *d.* 2. & alios: ergo aliqua entitas panis manet in corpore Chriſti; alioquin ſi nihil manet, ergo corpus *Explicatur.* Chriſti non eſt quod erat panis. Reſpondetur ſenſum huius propoſitionis non eſſe, quod eadem numero entitas, quæ erat in pane, ſit in corpore Chriſti; ſed quod idem prædicatum, quod tribuebatur pani, tribuatur eodem modo corpori Chriſti: ſicut dicere ſolemus, *quod antea erat Petrus, eſt modo Paulus*; quia ſcilicet ſucceſſit ei in Prætura; non quia Paulus ſit eadem entitas numero, quæ erat Petrus, ſed quia prædicatum, quod antea tribuebatur Petro, dicitur tunc de Paulo, ſcilicet eſſe Prætorem. Sic etiam de corpore Chriſti dicitur nunc idem prædicatum, quod antea de pane, ſcilicet contineri ſub his accidentibus, & ideo dicimus, nunc eſſe corpus Chriſti, quod antea erat panis, ſcilicet habere illud prædicatum, quod antea habebat panis.

198. *Instantia.* Dices non poteſt aliquod prædicatũ tribui ſubiecto, quin ſit idem cum ſubiecto; ergo ſi conueniat pani, & corpori Chriſti idem prædicatum, conſequens eſt, vt eadem numero realitas, quæ antea erat *Diluitur.* panis, ſit modo corpus Chriſti. Reſpondeo negando conſequentiam: ratio eſt, quia prædicatum, quod tribuitur pani, & corpori Chriſti; licet reſpectu vtriuſque ſeruet eamdem ſignificationem, non eſt prædicatum terminatum, & ſimplex, ſed vagum, nec verificatur reſpectu vtriuſque eodem modo. Prædicatum eſt: *contentum ſub his accidentibus*, ſeu, *eſſe illud, quod cõtinetur ſub his accidentibus*: per quod non ſignificatur determinate hoc vel illud contentum, ſed in confuſo, & vage illud, quod continetur, ſiue ſit hoc, ſiue illud; quãdo autem dicitur de pane, verificatur de pane, quia panis eſt tunc illud, quod continetur; & quãdo dicitur de corpore Chriſti, verificatur de ipſo, quia ipſum eſt ſua entitas, quæ tunc continetur ſub ſpeciebus: itaque prædicatum, prout ſignificatur per illam vocem, idem eſt, non tamen eſt aliquid determinatum, ſed aliquid vage ſignificatum: in huiuſmodi autem prædicatis non valet conſequentia ad identitatem vtriuſque ſubiecti inter ſe ex eo quod participent idem prædicatum; nam de Petro dicimus eſſe Prætorem, & de Paulo etiam dicimus eſſe Prætorem cum eadem ſemper ſignificatione ex parte prædicati; & tamen non tribuimus eamdem entitatem determinate Petro, & Paulo, nec verificatur illud prædicatum de vtroque, ratione eiuſdem determinatæ entitatis, ſed ratione diuerſarum; quia prædicatum vagum nunc verificatur ratione vnius; & poſtea ratione alterius, licet ſemper ſit idem prædicatum; quare, in toto rigore non eſt vera in ſenſu proprio illa propoſitio, *quod prius erat panis, nunc eſt corpus Chriſti*, ſed in ſenſu minus proprio; quia non verificatur ratione alicuius determinati, quod idem fuerit panis, & ſit corpus Chriſti.

Poteſt adhuc obiici Ambroſius *lib.* 4. de ſacramentis. *ca.* 4. vbi ſic ait: *Si tanta vis fuit in ſermone Chriſti, vt inciperent eſſe, quæ non erant: quanto magis operatorius erit, vt ſint quæ erant, & in aliud conuertantur?* Ergo panis non deſinit omnino, ſed adhue perſeuerat. Reſpondetur, in primis illum locum Ambroſij aliter haberi apud Landfrancum, ſcilicet, *quanto magis operatorius eſt, vt quæ erant, in aliud mutentur.* & hoc modo inquit haberi in aliis codicibus. Reſpondetur ſecundo, Ambroſium non velle manere ſubiectum pani, proprie loquendo, ſed panem, qui erat, partim manere (quoad accidentia,) & partim cõuerti in corpus Chriſti; vel denique panem, qui erat, eſſe poſtea non retinendo ſuam entitatem, ſed factum corpus Chriſti; qui modus loquendi, leſt impro- prius, aliquando vſurpant ad declaran: am a nuer- ſionem, vt ſupra vidimus. 199. *Obijcitur Ambroſij locus. Ambroſ.* *Explicatur*

SECTIO XII.

Vtrum ſubſtantia panis, & vini annihiletur?

Quæſtio hæc eſt omnino de nomine, & quæ ex ſupradictis facile poteſt expediri: nam licet ſententia aſſerens ſubſtantiam panis annihilari, non ſit digna vlla cenſura Theologica, vt cum aliis fatetur Luiſius Turrianus ſupra *dub.* 15. aſſerendum tamen cum S. Thoma in præſenti *art.* 3. & communi Theologorum, illam non eſſe annihilationem, vt magis diſtemus ab Hæreticis, qui contendunt, panem non poſſe conuerti in corpus Chriſti, quia inquiunt, nos ponere panis annihilationem. Omiſſis autem pluribus rationibus, quibus hanc commu- 200. *Turrianus. S Thom.*

Suarez. Vaſquez.

nem concluſionem probant Theologi, quas videre poteris apud Suarez in præſenti *ſect.* 7. & Vaſquez *diſp.* 185 probari poteſt breuiter ſupponendo, quid intelligatur nomine *annihilationis*. Enim annihilatio vt nomen ipſum ſonat, eſt talis deſitio, per quam id, quod deſinit, tendit ad pure nihil. Quare licet ſubſtantia panis ita deſinat, vt nihil prorſus ipſius maneat, non tamen annihilatur; quia eius deſitio non tendit ad nihil, ſed ad aliquid, ſcilicet ad corpus Chriſti, in quo conuertitur panis: annihilari enim eſt ad nihilum abire; panis autem non abiit in nihilum, cum abierit in ſubſtantiam Corporis Chriſti. Fateor, panem abire in nihil panis cum nihil maneat ipſius; non tamen abit in nihil ſimpliciter, cum tranſeat in corpus Chriſti: & ideo iiſdem rationibus, quibus probatur panem conuerti in corpus Chriſti, probatur etiam, panem non annihilari.

201. *Probatur quod nō ſufficiat ad annihilationē, quod nihil remaneat rei deſinentis.*

Quod autem ad annihilationem non ſufficiat, quod nihil maneat rei deſinentis, probatur etiam à ſimili ex creatione, quæ eſt productio rei ex nihilo: & licet forma equi, quando generatur, producatur ex nihilo ſui (nihil enim formæ equi præſupponebatur, antequam generaretur) non tamen dicitur creari, quia non fit ex nihilo ſimpliciter; fit enim ex præſuppoſito ſubiecto: ergo ſimiliter res, quæ deſinit in aliquid aliud, licet deſinat in nihil ſui, non dicetur ſimpliciter annihilari.

202. *Obiectio prima.*

Obiicies, annihilatio reſpondet creationi, & corruptio generationi; ergo quotieſcumque deſinit res, quæ conſeruabatur per concurſum creatiuum, dicetur annihilari. Reſpondeo, annihilationem correſpondere creationi, non in hoc quod ſemper creationi debeat ſuccedere annihilatio, ſed in eo, quod, ſicut creatio eſt ex nihilo ſimpliciter, ita annihilatio fit ad nihilum ſimpliciter, & ſicut ad creationem non ſufficit, quod ante rei productionem nihil prorſus ipſius præſupponeretur; ſic enim ad annihilationem non ſufficit, quod poſt rei deſitionem nihil prorſus maneat rei deſinentis.

Reſponſio.

203. *Obiectio ſecunda.*

Obiicies ſecundo: ergo ſi forma equi taliter deſineret, vt non ſuccederet alia forma in materia, ſed maneret materia ſine forma; diceretur annihilari, quia iam tunc deſinit in nihil ſimpliciter. Aliquis fortaſſe concedet ſequelam propter rationem poſitam: Ego tamen in quæſtione de nomine, malo appellare illam corruptionem, quam annihilationem. Alioquin deberes conſequenter fateri, quando actus voluntatis, vel intellectus deſinit ſine eo quod ſuccedat alius actus amoris, vel cognitionis, deſinere per annihilationem; & per conſequens meam voluntatem habere vim ad annihilandum ſuos actus; quod videtur eſſe contra communem loquendi modum, quem ſeruat S. Thomas 1. *part. quæſt.* 104. *artic.* 4. Reſpondeo ergo, illam non eſſe annihilationem, quia quamuis non conuertatur in aliud, non tamen deſinit ſimpliciter in nihilum omni modo, ſed remanet adhuc illa forma in potētia ſubiecti, ex quo fuerat educta. Quare ſicut ad creationē requiritur, quod res ita fiat ex nihilo, vt nō præcedat aliquid in ſubiectū ex quo fiat res: nam ideo forma equi nō dicitur creari, quia fit ex ſubiecto. Sic etiam ad annihilationem requiritur deſitio in nihil taliter, vt nec deſinat res in alium terminum *ad quem*, nec etiam maneat in potentia ſubiecti; quia ſicut illud, *ex nihilo*, in definitione creationis tollitur per hoc, quod res, quæ producitur, educatur ex potentia ſubiecti: ſic illud *in nihilum*, in definitione annihilationis tollitur, ſi res, quæ deſinit, reducatur in potentiā ſubiecti, vnde educta fuerat; quia ſicut in generatione cenſetur forma quaſi educi ex ſubiecto, in quo latebat; ita in deſitione formæ cenſetur quaſi reduci iterum forma ad ſubiectum, vnde fuerat educta, & ita non annihilari, ſed reſtitui ſuo ſubiecto, vnde fuerat antea accepta. Quod licet magnam vim faciat in modo loquendi, ad quæſtionem tamen mere de nomine ſatis eſt, quòd nomina vſurpata fuerint iuxta hunc vulgatem modum loquendi, & concipiendi.

S. Thom.

Reſpondeo.

Ad annihilationem requiritur quod res qua deſinit non maneat in potentia ſubiecti.

Recentiores aliqui hunc noſtrum modum dicendi impugnauerunt; quia etiam quando deſtrueretur totaliter equus, & periret etiam eius materia prima, adhuc forma equi maneret in potentia aliarum partium materiæ, quæ remanerent in rerum natura; & tamen tunc concedimus, annihilari vere totum equum, tam formam, quam materiam; ergo quod maneat forma in potentia ſubiecti, non impedit, quod dicatur annihilari. Ad illud vero, quod afferimus ex actibus voluntatis, qui non dicuntur annihilari, quando deſinunt eſſe abſque eo quod ſuccedat alius actus. Reſpondetur negando caſum, quia non eſt poſſibilis pura omiſſio libera, atque ideo voluntas non poteſt ſuſpendere ſuum concurſum, niſi per alium poſitiuum. 204.

Obiiciunt aliqui.

Sed in primis, licet voluntas non poſſit libere omittere per puram omiſſionem, poterit tamen habere omiſſionem puram neceſſariam, vt ſi per ſomnum, alia de cauſa obiectum non amplius proponatur: tunc enim & in voluntate, & intellectu deſinunt conſeruari actus abſque aliorum productione. Et quidem Sanctus Thomas 1. *part. quæſt.* 104. *artic.* 4. *ad* 3. non alia de cauſa dicit, accidentia non annihilari, niſi quia, quando pereunt, cenſetur manere in potentia ſubiecti. Vnde ad inſtantiam illorum Recentiorum reſpondetur, quando cum forma equi periret ſimul eius materia, dici quidem poſſe annihilatum equum, quia tunc non cenſetur forma equi reducta ad potentiam ſubiecti, à quo fuerat accepta, non enim cenſetur reduci ad potentiam, quod ex potentia non fuerat eductum; quare ſicut forma equi producta per creationem, ſi poſtea deſtruatur, dicetur annihilari, quia non fuerat educta, & vbi non fuerat educta, non ſequitur reductio: ſic nec cenſetur reducta in illud ſubiectum, ex quo non fuerat educta, & ideo licet maneat in potentia aliarum partium materiæ, dicitur annihilari, quia non reducitur per illam deſtructionem ad potentiam ſubiecti, è quo fuerat educta: quod totum, vt dixi, pertinet ad modum loquendi; ſed loquendum eſt cum multis. 205.

Reſpondemus primo.

Cur equus dicatur annihilatus licet maneat in potentia aliarum partiū materiæ.

Obiici poteſt vltimo, quia anima rationalis de facto vere producitur per creationem à Deo, licet non fiat ex nihilo in omni ſenſu, nam licet non educatur ex potentia ſubiecti, habet tamen terminum *à quo* poſitiuum; quia producitur per conuerſionem embryonis in hominem, & per conſeqens terminus formalis *à quo* eſt forma embryonis, quæ deſinit eſſe, & conuertitur in animam rationalem, quæ eſt terminus formalis *ad quem*, in illa conuerſione formali: ergo ſimiliter terminus formalis poſitiuus *ad quem* non impediet, quod ſubſtantia panis dicatur annihilari. Probatur conſequentia; quia ſicut annihilatio eſt deſitio in nihilum, ſic creatio eſt productio ex nihilo; ergo ſicut illud, *ex nihilo* in creatione non excludit terminum poſitiuum *à quo* conuerſum in id, quod creatur, ſed ſolum ſubiectum, ex quo educatur: ſic illud *in nihilum*, in annihilatione non excludet terminum poſitiuum in quem conuertatur id, quod annihilatur, ſed ſolum ſubiectum, in cuius potentiam reducatur. 206.

Obiectio vltima.

Reſpondetur, productionem animæ rationalis de facto eſſe veram creationem in rigore loquendo; licet minus proprie loquendo, non ſit creatio, ſed conuerſio formæ embryonis in animam. deſitionem 207.

Reſpondetur

vero

vero panis non eſſe proprie annihilationem. Ratio diſcriminis deſumenda eſt ex vtriuſque definitione: nam *annihilari* eſt deſinere in nihilum; ad hoc autem requiritur, quod nec deſinat res in aliquid, vt in ſubiectum, nec vt in terminum; quia vtraque modo deſinit in aliquid. At vero *creatio* eſt productio ex nihilo, vbi præpoſitio *ex* in rigore ſermonis ſolum competit ſubiecto: nam licet ſoleat vſurpari illud, *ex*, minus proprie ad ſignificandum etiam ordinem terminationis frequentius, quam præpoſitio *de*, & ideo S. Thomas admiſerit magis illam propoſitionem: *ex pane fit corpus Chriſti*, quam illam: *de pane fit corpus Chriſti*; in rigore tamen vtraque propoſitio videtur habere eamdem vim, vt docent Bonauentura, Alexand. Gabriel, & alij quos refert, & ſequitur Vaſquez *diſp.* 181. *c.* 14. atque ideo vtraque videtur ſignificare in rigore, quod res, quæ fit ex aliquo, educatur, vel extrahatur ex potentia ſubiecti; nam eo modo, quo dicitur educi ex ſubiecto, dicitur fieri ex illo, vel certe ſignificat aliquam conſubſtantialitatem, ſeu quod id, quod fit ex alio, vel de alio, participet intrinſece aliquid illius, ex quo, vel de quo dicitur fieri. Sicut enim homo dicitur *fieri ex embryone, aut ſemine*, quia aliquid embryonis, vel ſeminis manet in homine: ſic dicitur *ex albo fieri nigrũ*, quia manet aliquid albi in nigro, nempe idem ſubiectum: non poteſt autem dici eodem rigore, quod ex albedine, vel de albedine fiat nigredo, quia nihil albedinis manet in nigredine. Similiter ergo non poterit in ſenſu rigoroſo dici, quod de forma, vel ex forma embryonis fiat anima rationalis, quia anima non participat intrinſece aliquid formæ embryonis, & ideo in rigore fit ex nihilo, quia forma embryonis non eſt id, *ex quo*, ſed terminus *à quo* illius conuerſionis formæ embryonis in animam rationalem, licet embryo ſit etiam ex quo fit homo, eo quod homo retinet intrinſecè aliquid embryonis.

Diſcriminis deſumitur ex vtriuſque definitione.

Vaſquez.

108\. Cæterum, quamuis loquendo in toto rigore id verum ſit, & ideo anima rationalis dicatur ſimpliciter fieri ex nihilo, & creari, in ſenſu tamen minus rigoroſo dici poterit forma embryonis id, ex quo fit forma rationalis, ita vt illud, *ex*, ſignificet ſolum ordinem terminorum, & in illa ſignificatione poſſet dici vel animæ rationalis productionem non eſſe ſimpliciter creationem, quia non eſſet omnino ex nihilo, ſed eſſe conuerſionem formæ embryonis in animam: vel poſſet etiam ſuſtineri, quod dicenda ſit creatio, quia de ratione creationis non eſt, quod ſit ex nihilo in omni ſenſu, ſed ſolum in ſenſu rigoroſo, & proprio, in quo ſolum excluditur pars præcedens vel concurſus ſubiecti, ex cuius potentia educatur. Hæc ergo eſt differentia inter creationem, & annihilationem, quod illud, *ex nihilo*, quod ponitur in definitione creationis, ſolum intelligitur de ſubiecto ſubſtante, vel de parte præcedente; & idem ſit dicere, *fieri ex nihilo*, ac dicere non præſupponere partem ſui, nec ſubiectũ ex cuius potentia educatur: at vero illud, *in nihilum*, quod ponitur in definitione annihilationis, extenditur ad excludendum etiam terminum poſitiuum ſubſequentem; ita vt *deſinere in nihilum* ſit non manere partem illius, quod deſinit, nec ſubiectum, ex quo fuerat eductum, nec terminum poſitiuum, in quem conuerſum fuerit quod deſinit: propter maiorem enim latitudinem illius præpoſitionis, *in*, poſſunt hæc omnia comprehendi ſub illis vocibus, quod non poteſt melius probari, quàm ex communi modo concipiendi, & loquendi.

In ſenſu minus rigoroſo dici poteſt animam rationalẽ fieri ex forma embryonis.

209\. Ex dictis infero primo, deſitionem materiæ primæ, adhuc perſeuerante forma, futuram annihilationem, quia tunc materia deſineret in nihil, cum nullum haberet terminum *ad quem*, nec etiam reduceretur in potentiam ſubiecti, vnde fuerat educta; non enim fuerat educta ex aliquo ſubiecto: idem dicendum de anima rationali quæ quidem, perſeuerante materia, cui vnitur, poteſt deſinere per annihilationem ob eamdem rationem. Denique forma equi deſineret etiam per annihilationem, ſi, pereunte illa, periret etiam materia, cui vnitur & non ſuccederet per conuerſionem aliquis terminus *ad quem*: tunc enim iam deſitio formæ equi non eſſet reductio eius ad potentiam ſubiecti, vnde fuerat educta, cum non maneret tale ſubiectum: & per conſequens illa deſitio eſſet in merum nihil.

Deſitio materiæ perſeuerante forma eſſet annihilatio.

Infero ſecundo, deſitionem panis ſecundum ſe (quod idem applicari poteſt ad deſitionem aliarum rerum) non eſſe intrinſece annihilationem, nec etiam deſitionem alterius ſpeciei oppoſitæ ad annihilationem; quia hæc eadem deſitio numero ſecundum totum intrinſecum, quod habet, poſſet eſſe annihilatio ſi non coniungeretur cum ſucceſſione corpus Chriſti ſub ſpeciebus, quare eſſe vel non eſſe annihilationem, eſt denominatio extrinſeca reſpecto huius deſitionis ſecundum ſe. Similiter deſitio formæ equi, quæ modo eſt corruptio, eadem numero eſſet annihilatio, ſi coniungeretur cum deſitione materiæ, & ſine ſucceſſione alterius termini *ad quem*; vnde illa deſitio ſecundum ſe, & intrinſece, nec eſt corruptio, nec annihilatio, ſed deſitio formæ equi. 210.

Eſſe vel non eſſe annihilationem eſt denominatio extrinſeca.

Infertur tertio, non requiri ad annihilationem, quod res non deſinat ex vi alicuius actionis poſitiuæ: poſſet enim aliquid annihilari, & tamen deſinere ex vi actionis poſitiuæ. Hæc illatio eſt contra modum, quo aliqui probant, deſitionem panis non eſſe annihilationẽ, ex eo quod deſinit per actionem poſitiuam. Videtur tamẽ mihi conſequenter concedenda ad principia poſita in hac Diſputatione; quia ad hoc, vt aliquid non annihiletur, requiritur vt deſinat in aliud, vt ſupra diximus, ſeu vt non tendat in nihil. Poteſt autem contingere, vt res deſinat ex vi actionis poſitiuæ, & tamen non tranſeat nec conuertatur in aliud; ergo quod annihiletur. Minor conſtat ex dictis *Sect.* 1. Diximus enim, ad cõuerſionem requiri, quod res quæ ſuccedit, ſuccedat in eodem munere, & in ordine ad idem tertium perſeuerans ſub vtroque termino: alioquin non dicitur conuerti vnum in aliud: ergo ſi res deſineret ex vi poſitionis alterius, ſine iſta tamen ſucceſſione in eodem munere, non diceretur res deſinẽs deſinere in aliud, ſeu tranſire in aliud; ergo vere deſineret in nihil: Poſſe autem contingere, quod deſinat ex vi poſitionis alterius ſine ſucceſſione in eodem munere, probari poteſt; quia ſi Deus decerneret non conſeruare ſimul duos Angelos ob aliquam rationem congruentiæ, & tunc ſuppoſito hoc decreto, deſtrueret vnum ad creandum alium, deſineret quidem vnus ex vi voluntatis creandi alium, ſeu quia creabatur alius: tunc autem non conuerteretur vnus in alium, quia non daretur ſucceſſio ſecundi in ordine ad aliquid commune perſeuerans; ergo tunc prior Angelus, licet deſineret ex vi poſitionis alterius, nõ tamen deſineret in alium, ſed in purum nihil. 211.

Illatio tertia.

Petes, an forma panis in Euchariſtia deſinat per corruptionem? Reſpondeo, non appellari illam proprie corruptionem; quia corruptio videtur ſignificare deſitionem, per quam forma educta ex ſubiecto reducitur ad eius potentiam; quare, pereunte ſubiecto, non dicitur forma corrumpi; erit ergo deſitio illa innominata, & quæ ſecundum ſe nec ſit corruptio, nec annihilatio: poſſet tamen eadem eſſe corruptio, ſi maneret ſubiectum, aut annihilatio, ſi nõ ſuccederet corpus Chriſti, nec alius terminus *ad quem*. 212.

Deſitio formæ panis eſt innominata.

DISPV

DISPVTATIO VIII.

De modo, quo exſiſtit Chriſtus in Euchariſtia.

SECTIO I. *Vtrum Chriſtus ſecundum totum, quod includit, ſit in hoc Sacramento.*
SECTIO II. *Vtrum corpus Chriſti habeat in Euchariſtia eamdem figuram, quam habet in cœlo?*
SECTIO III. *Vtrum totus Chriſtus ſit ſub qualibet ſpecierum parte?*
SECTIO IV. *Quid ſignificetur per* Corpus *in verbis conſecrationis.*
SECTIO V. *Quid ponatur in calice ex vi verborum.*
SECTIO VI. *Vtrum Diuinitas & Perſonalitates Diuinæ ſint in Euchariſtia ex vi verborum*

1. SANCTVS Doctor *q.76. art.1.* quærit, An ſit totus Chriſtus in hoc Sacramento? *Art.2.* Vtrum ſit totus ſub vtraque ſpecie; *Art. 3.* Vtrum ſit totus ſub quauis parte ſpecierum; *Art.4.* Vtrum ſit tota quantitas Chriſti? quibus omnibus reſpondet affirmatiuè. *Art.5.* Vtrum corporis Chriſti ſit in Euchariſtia, ſicut in loco? Reſpondétque negatiuè: de quo dictum eſt ſatis in ſuperioribus. *Art.6.* Vtrum corpus Chriſti ſit mobiliter in Euchariſtia? Et reſpondet, moueri non per ſe, ſed per accidens. *Art.7.* Vtrum corpus Chriſti in Euchariſtia poſſit videri oculis corporeis? Cui reſpondet negatiue. Denique *Art.8.* Vtrumſquádo in hoc Sacramento appàret miraculoſe caro, vel puer, ſit ibi vere corpus Chriſti? Cui reſpondet ſub quadam diſtinctione. Materiam huius quæſtionis in ſequentibus examinabimus.

SECTIO I.

Vtrum Chriſtus ſecundum totum, quod includit, ſit in hoc ſacramento?

2. NOmine *Chriſti* intelligimus ſuppoſitum diuinum Verbi ſubſiſtens in duplici natura, humana & Diuina, vt docet Auguſtinus *Ser. 49.* de tempore; & Theologi cum S. Thoma 3. *part. q.17. art.1. & 2.* Quo ſuppoſito, certum eſt de fide, totum Chriſtum ſecundum totum quod includit, eſſe in Euchariſtia, & ſub qualibet ſpecie. Habetur in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.13* in Baſil. *ſeſſ. 30.* in Florent. ſub Eugenio in Decreto Fidei poſt vltimam ſeſſionem; in Tridentino *ſeſſ.13. cap.3. & ſeſſ 21. cap.3.* Probari poteſt ex communi Patrum conſenſu ab ipſis Apoſtolis deriuato, & ab Eccleſia ſemper vnanimiter accepto: de quo videatur Vaſquez *diſp. 185. cap.1.* qui bene aduertit, aliqua ſcripturæ loca, ea quibus hæc veritas ſolet communiter probari, non habere efficaciam; poſſunt enim facile in contrarium explicari.

Auguſtin. S. Thom. Conc. Conſtant. Conc. Baſil. Florent. Trident.

3. Ratione item probatur, quia licet non omnia, quæ Chriſtus includit, ponantur in Euchariſtia ex vi verborum, omnia tamen poni debent ſaltem per concomitantiam ratione connexionis, quam ea omnia habent inter ſe: quare Concilium Tridentinum dicta *ſeſſ.13. cap.3.* poſtquã dixit, corpus eſſe ea vi verborum ſub ſpeciebus panis, & ſanguinem ſub ſpeciebus vini, ſic addit: *ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque vi naturalis illius connexionis, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur: Diuinitas porro propter admirabilem eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem.* Hæc ſunt verba Concilij; poſt quæ reſtat difficultas, in quo fundetur hæc cõcomitantia ratione vnionis, ita vt poſito corpore in hoſtia, neceſſe ſit poni etiam animam.

4. P. Vaſquez vbi ſupra *n.9.* & diſp.189. & *cap.4.* & diſp.192. *c.3.* dicit, totum hoc fundari in eo, quod ea, quæ conueniunt alicui antecedenter ad locum, conueniunt ei ſecundum ſe, & ideo impoſſibile eſt etiam de potentia abſoluta, vt conueniant ei in vno loco, & non in alio: quare cum anima, v.g. vniatur corpori antecedenter ad locũ, vnitur illi ſecundum ſe; & per conſequens vbicũque fuerit illud corpus, debent neceſſario eſſe animatum. Verum in hac doctrina & fundamento ſupponit eius Auctor falſa principia Philoſophiæ. Verius enim eſt, poſſe diuinitus idem corpus in vno loco eſſe album, & in alio carere albedine; quia ad hoc vt ſit album vtrobique, non ſufficit habere albedinem, ſed requiritur etiam duplex præſentia albedinis in vtroque loco: poteſt autem Deus dare albedini vnam præſentiam, & non aliam. Ex quo patet ad fundamentum P. Vaſquez; nam licet albedo vniatur ſubiecto ſecundum ſe, & independenter ab hoc loco; ipſa tamen albedo pendet à poſteriori ab aliquo loco, in quo ſit per propriam vbicationem; & ideo licet antecedenter ad locum denominet Petrum album, non tamen denominat Petrum album in duplici loco, niſi ipſa albedo ſit in duplici loco; de quo dixi latius ſupra diſp.5. ſect.3.

Vaſquez. *Fundamentum Patris Vaſquez.* *Reiicitur.*

5. Dicendum ergo eſt hanc concomitantiam fundari in connexione, & vnione partium inter ſe; nam eo ipſo, quod partes, ſunt vnitæ, poſtulant ex naturali ratione vnionis, vt quocumque feratur vna, ferantur etiam, & aliæ partes: hæc enim eſt natura vnionis, vt ſit modus quidam, ratione cuius colligentur extrema inter ſe, & habeant aliquam inſeparabilitatem: ſicut modus, quo colligantur duo extrema alicuius funiculi, reddit vtramque partem aliquomodo inſeparabilem; & per hanc exigentiam declaratur optimè eſſentia vnionis Phyſicæ, prout differt ab aliis modis relatiuis: nam actio, qua ignis calefacit lignum, licet poſtulet, quod agens ſit proximum paſſo, non tamen poſtulat, quod abeunte paſſo, habeat etiã agens cũ illo; nec è contra; & ideo etiamſi illud lignum, & calor productus poneretur in duobus locis, non poneretur ignis vtrobique: at verò modus vnionis Phyſicæ taliter colligat vtrumque extremum, vt perſeuerante vnione, neceſſe ſit ex natura rei, quodlibet extremum, vbicumque ponatur, afferre ſecum aliud, cum quo vnitur; quantum eſt ex vi vnionis, niſi obſtet peculiaris ratio, & natura ipſius extremi, vt contingit in præſentia locali: nam licet corpus Chriſti afferat ſecum alia accidentia, quæ habet in cœlo, non tamen habet in Euchariſtia præſentiam, quam habet in cœlo; quia illa præſentia eſſentialiter eſt affixa tali ſpatio imaginario, nec poteſt diuinitus poni in alio ſpatio diuerſo, & ideo non poteſt poni per concomitantiam in duplici loco.

Hæc concomitantia fundatur in connexione partium inter ſe. *Probatur.*

6. Obiicies primo; Verbum vnitur cum humanitate Chriſti; & tamen non vbicumque eſt Verbum, ponitur humanitas Chriſti; ergo vnio inter partes humanitatis non ſufficit, vt ex natura rei, vbi eſt vna, ponatur aliæ. Reſpondeo negando conſequentiam.

Obiectio prima. *Reſponſio.*

quentiam. Ratio diſcriminis eſt, quia Verbum eſt vbique vt in ſpatio adæquato, hic vero vt in ſpatio inadæquato; quare non oportet, quod habebat hic aliud extremum, cui vnitur: vnio enim ſolum poſtulat, quod vbi vnum extremum eſt vt in ſpatio adæquato, adſit etiam aliud extremum; non vero quod in omnibus partibus ſpatij adæquati, vbi eſt vnum extremum, adſit etiam aliud vt patet experientia animæ rationalis, quæ licet ſit in pede & in capite, non poſtulat habere in capite vnionem, quá habet in pede; quia ſcilicet in capite non eſt adæquatè vt in ſpatio adæquato, ſed partialiter: at vero ſi omnia poneret in alio loco adæquato, poſtularet habere etiam ibi caput, & pedem, &c vt diximus ſupra *Diſp.* 5. & iterum in materia de Incarnatione *Diſp.* 11. *Sect.* 7. Ratio autem huius diuerſæ exigentiæ eſt quod res, vbi adæquatè exiſtit, debet ſecum habere totam ſuam ſupellectilem (vt ita dicam) & omnia ſua ſecum portare, quia taliter ibi exſiſtit, ac ſi nuſquam alibi exſiſteret; at vero vbi exſiſtit inadæquatè, non debet habere ea omnia, quia præſentia inadæquata connotat rem alibi etiam inadæquatè exſiſtere, vbi habeat, quæ hic illi deſunt. Hinc ergo fit, Verbum non habere ſecum humanitatem in aëre, v. g. quia illud ſpatium non eſt adæquatum ſed inadæquatum Verbo; ſicut locus capitis eſt inadæquatus animæ rationali.

Vnio non poſtulat quod in omnibus partibus ſpatij adæquati adſit aliud extremum.

7\. *Inſtabis.* Dices, ergo ſanguis Chriſti non debet poni per concomitantiam in tota hoſtia cum corpore, ſed in aliqua parte hoſtiæ, quia non eſt corpus in ſingulis hoſtiæ partibus per præſentiam totalem, ſed per partialem, ex quibus omnibus conflatur vna integra totalis in tota hoſtia. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando ſequelam, quia etiam in ſingulis partibus hoſtiæ habet corpus Chriſti præſentiam adæquatam, prout nunc loquimur de præſentia adæquata, id eſt, talem, quæ ſola poſſet ſufficienter manere, ablatis aliis: nam licet illa poſſit continuari cum aliis, poteſt tamen manere ſine aliis; ſicut præſentia Angeli, qua eſt in dimidio gymnaſio, licet poſſit vniri cum alia præſentia, qua ſit in alio dimidio, poteſt tamen ſufficienter manere ſine alia; & ideo Angelus in quauis parte huius ſpatij debet habere omnia ſua accidentia; quia in quauis parte ſeorſim poteſt ſufficienter manere vt in ſpatio adæquato, & ſufficienti. Sic etiam corpus Chriſti ſacramentaliter exſiſtens taliter eſt in quauis parte hoſtiæ, quod illa ſola ſufficeret ad præſentiam ſacramentalem.

8\. *Vrgebis.* Vrgebis adhuc, in ſententia ponente minima naturalia, corpus Chriſti, prout eſt in dimidio minimo panis, non habet ſpatium ſufficiens ad exſiſtendum ibi ſolum ſacramentaliter; ergo prout eſt ibi, non debet habere per concomitantiam ea omnia, quæ habet in cœlo; ſufficiet ea habere in aliqua parte minimi. *Reſpondeo.* Reſpondeo, etiam admiſſa illa ſententia; corpus Chriſti habere in ſingulis partibus minimi omnia, quæ habet in cœlo; quia licet ex Diuina ordinatione non poſſit eſſe niſi in vno minimo, eo quod nolit Deus conſeruare præſentiam ſacramentalem, niſi ſub ſpeciebus panis naturalis: cæterum quantum eſt ex natura illius præſentiæ, & illius modi eſſendi, ſufficienter poſſet manere in medio illius ſpatij; quia ſicut Angelus poſſet ibi ſufficienter exſiſtere, ita & corpus Chriſti exſiſtens ad modum rei ſpiritualis, & per præſentiam ſimilem præſentiæ Angelicæ.

9\. *Obiicit ſecundo.* Obicies ſecundo principaliter contra doctrinam traditam, quia ſanguis non vnitur phyſicè corpori Chriſti, nec informatur animæ rationali iuxta probabiliorem ſententiam, quam ſuppono ex Philoſophia; ergo ſi tota concomitantia fundatur in vnione partium inter ſe, non eſt cur ſanguis ponatur in hoſtia per concomitantiam cum corpore; neque è contra. Reſpondetur, ſanguinem, licet non vniatur phyſicè cum carne, eſſe tamen partem hominis, quæ vna cum carne componit intrinſece vnam humanitatem (vt dixi in tractatu de Incarnatione *Diſp.* 14.) non vnitate mathematica per continuationem perfectam, ſed per vnitatem phyſicam, quæ reſultat ex coniunctione vtriuſque partis ſibi inuicem ſubordinatæ in ordine ad eamdem animam rationalem, quæ licet non informet vtramque partem vtraque tamen vtitur, & indiget ad ſuas operationes: quare non poteſt caro poni ſine ſanguine, neque è contra; quia vtraque entitas partialis de ſe, & incompleta, & per conſequens vbicumque ſit, poſtulat eſſe in ſtatu connaturali; non eſſe autem in ſtatu connaturali, niſi compleretur per aliam compartem; ſicut materia non eſſet in ſtatu connaturali, ſi eſſet ſine forma, cum qua componit totum ad quod ordinatur. Propter hanc ergo naturalem connexionem, & exigentiam, qua vna pars petit compleri per aliam, ponitur caro cum ſanguine, & è contra, etiamſi ſanguis non animetur, & licet caro, & ſanguis non vniantur aliqua vnione continuatiua inter ſe.

Reſpondet illi eſt ſanguis non vniatur phyſice cum carne, eſt tamen pars hominis.

10\. *P. Arriag. Diſput. 14 Phyſic. Sect. 10 num 151.* Huic noſtræ ſententiæ, quam olim tradidimus, & huic modo declarandi neceſſitatem concomitantiæ, poſtea alij dupliciter ſe oppoſuerunt. Primo, quidam Auctor modernus obiicit nobis, quod gratis, & abſque fundamento hoc aſſeratur. Ego tamen exiſtimo, non vnicum, ſed plura à nobis fuiſſe adducta fundamenta. *Prima ratio cur ita dicatur.* Primum ex hoc myſterio, in quo replicantur ea, quæ Chriſtus habet in cœlo. *Secunda.* Secundum ex Tridentino docente, id fieri vi vnionis, & connexionis partium inter ſe. *Tertia.* Tertium à priori ex natura, & quidditate vnionis phyſicæ, quæ affert colligationem, & inſeparabilitatem, atque adeo exigentiam replicationis, vtriuſque extremi, quoties alterum illorum replicatur. *Quarta.* Quartum ab exemplo Verbi Diuini, & animæ rationalis quæ non habent in ſingulis partibus ſui ſpatij adæquati omnia, quibus alicubi vniuntur: vnde colligitur illam exigentiam non eſſe pro ſingulis partibus ſpatij adæquati, ſed pro ſingulis ſpatiis adæquatis: cuius diuerſitatis rationem aliquam à priori reddidimus: non eſt ergo gratis, & abſque fundamento conficta doctrina illa, præſertim cum ea poſita, omnia bene cohæreant, & explicentur.

11\. *Obiicit ſecundo.* Obiicit ſecundo, quia ex noſtra doctrina ſequitur, animam etiam rationalem in capite debere habere omnia, quæ habet in aliis partibus corporis: nam anima poteſt manere in ſpatio capitis tanquam in ſpatio adæquato: poteſt enim ibi manere, licet pes abſcindatur. *Reſpondet.* Reſpondetur, ſuppoſita vnione animæ cum corpore integro, non poſſe manere animam in ſpatio ſolum capitis, ſed debere eſſe in ſpatio totius corporis, vel deſtrui vnionem; non eſt ergo in ſpatio capitis tamquam in ſpatio adæquato, vel ſufficienti ſibi ſecundum præſentem ſtatum coniunctionis cum tali corpore.

12\. *Inſtabis.* Dices, Angelus etiam, quando eſt in tota aula per vnum *vbi* indiuiſibile, non exſiſtit in quauis parte ſpatij, vt in ſpatio adæquato; nam per illam vbicationem reſpicit ſingulas partes ſpatij, vt ſpatium inadæquatum, cum non poſſit per illud *vbi* eſſe præſens ſoli dimidio illius ſpatij, & tamen in ſingulis partibus illius ſpatij habet omnia ſua accidentia; ergo idem debemus dicere de anima rationali. *Reſpondeo.* Reſpondeo; Angelum in prædicto caſu eſſe in ſingulis partibus ſpatij, vt in ſpatio ſibi ſufficienti; quia antecedenter ad vbicationem ipſam nihil habet Angelus

gelus, ratione cuius exigat tot partes ſpatij, ſed poſſet æque bene eſſe in dimidia, vel quarta parte, licet non per illam vbicationem, ſed per aliam: eſt ergo in ſingulis vt in ſpatio ſibi ſufficienti, & quod ſolum poteſt retinere per aliam vbicationem. At verò anima rationalis antecedenter ad vbicationem habet iam talem ſtatum, & modum eſſendi propter coniunctionem ad tale corpus, vt exigat præſentiam ad tot partes ſpatij, & non pauciores; vnde in ſingulis non eſt vt in ſpatio ſibi ſufficienti, & quod poſſet ſolum retinere etiam per aliam vbicationem, ſed vt in parte ſpatij adæquati quod exigit; & ideo non eſt neceſſe, quod in ſingulis partibus habeat omnia ſibi vnita: ſicut nec Verbum Diuinum habet in ſingulis partibus ſui ſpatij humanitatem ſibi phyſice vnitam.

13. *Reſpondet ille Auctor.* Reſpondet ille Auctor, Verbum non habere humanitatem in ſingulis partibus ſpatij; quia humanitas non petit natura ſua vniri cum Verbo Diuino; imo hoc illi naturaliter repugnat: illa autem ſola debent replicari, & eſſe in omnibus locis in quibus eſt ſubiectum, quæ ſunt illi connaturalia. Addit autem *num.* 147. neque etiam eiuſmodi accidentia vel quaſi accidentia connaturalia debere replicari cum ſubiecto diuinitus replicato in duobus locis, ſed ea ſolum, quæ pertinent ad naturale ſubiecti complementum, vnde replicata materia, debet quidem replicari forma ſubſtantialis; & hac replicata, debet replicari materia, & paſſiones, non vero cognitiones vel appetitiones; imo eſſet nouum miraculum hæc alia replicari, cum abſque illis poſſit ſubiectum connaturaliter eſſe.

14. *Impugnatur hæc doctrina primo quia ſequeretur Chriſtum nõ poni in Euchariſtia cũ gratia habituali.* Hæc doctrina difficilis, & duriuſcula eſt; primo, quia conſequenter debet hic Auctor concedere, animam Chriſti in Euchariſtia non poni de facto cum gratia habituali, quam habet in cœlo, & cum aliis ſimilibus perfectionibus ſupernaturalibus; imò nec cum perfectionibus naturalibus, quales ſunt habitus intellectus, & voluntatis, quia hæc omnia non pertinent ad naturale complementum humanitatis, ſed abſque illis poteſt connaturaliter eſſe: cum ergo miracula noua non ſint præſumenda & connexio vnionis phyſicæ hoc non exigat, non debet præſumi, quod hæc omnia ponantur cum Chriſto per concomitantiam, ſed ea ſolum, quæ Tridentinum numerauit, quæ pertinent ad naturale complementum rei, quæ ponitur ex vi verborum, conſequens autem non poteſt ſine nouitate concedi.

15. *Secũdo vnio hypoſtatica petit eſſentialiter vniri cũ Verbo.* Secundo, licet humanitas non petat ex natura ſua vniri cum Verbo, vnio tamen humanitatis cum Verbo petit ex natura ſua, & eſſentialiter vniri cum Verbo: ergo ſicut gratia habitualis Angeli, quia ex natura ſua petit vniri cum Angelo, petit etiam eſſe in ſingulis partibus ſpatij adæquati, in quo eſt Angelus vt ille Auctor concedit: eodem modo vnio hypoſtatica propter eamdem rationem debet eſſe in toto ſpatio adæquato, in quo eſt Verbum; non enim minus ordinatur hæc vnio ad Verbum, ſed multo magis, quam gratia ordinetur ad Angelum. Denique nulla apparet ratio cur res in quolibet loco, vbi replicatur, petat habere ſuum naturale complementum, & non petat habere omnes alias perfectiones, quæ licet non ſint ita neceſſariæ, ſunt tamen vtiles ipſi. Nam ſicut de facto anima eſt in pede abſque accidentibus, quæ habet in capite, ſic etiam anima eſt in pede abſque organis, quæ ſunt in capite: & tamẽ ſi poneretur in alio loco, deberet ſibi habere omnia ſua organa, & omnes ſuas paſſiones: ergo ex illo argumento non poteſt colligi minor exigentia habendi in vtroque loco alia accidentia, quam proprias paſſiones. Vnde Catechiſmus Romanus de Sacramẽto Euchariſtiæ §. 14. ex mera vnione phyſica colligit concomitantiam vniuerſalem omnium quæ interſe vniuntur. *Si enim duo aliqua* (inquit) *inter ſe reipſa coniungantur, vbi vnum ſit, ibi etiam alterum eſſe neceſſe eſt.* *Catechiſm. Rom.*

16. *Obiiciunt primo contra nos Salmaticenſes.* Alij ergo Theologi recentiores Salmaticenſes aliter huic noſtræ doctrinæ aduerſantur Dicunt itaque, rem in pluribus locis replicatam debere ex natura rei in illis omnibus habere omnes ſuas perfectiones intrinſecas, vel ea omnia, per quæ intrinſece mutatur, vel à quibus dependet: ideo humanitas Chriſti debet habere ſecum Verbum, quia ita cum illo vnitur, vt ab eo dependeat: ideo debet habere ſecum omnes ſuas perfectiones, quia per illas in ſe intrinſecè mutatur: ideo vero Verbum non debet habere ſecum vbique humanitatem, quia nec ab ea dependet, nec per vnionem cum illa ipſe intrinſecè mutatur. Rationem autem diſcriminis reddunt, quia res, quando in alio loco replicatur, debet poni qualis eſt in ſe intrinſecè; ergo debet replicari cum omnibus ſuis perfectionibus intrinſecis, non vero cum extrinſecis, quia per extrinſeca non aliter ſe habet in ſe. Recedunt autem à noſtro explicandi modo, ſolum, quia ex ipſo ſequitur. Angelum non neceſſitari ad habendum ſuum actum intellectionis, vel amoris in toto ſpatio, in quo eſt, cum ſufficiat habere illum in aliqua parte ſpatij adæquati; quod ſi ſemel concedatur, non eſt cur dicamus, viſionem beatam eſſe in toto ſpatio, in quo eſt anima: & ſic de aliis.

17. *In hoc modo explicandi adhuc ſunt aliquæ difficultates. Prima eſt.* In hoc modo explicandi adhuc ſunt aliquæ difficultates, prima, quia anima etiam mutatur intrinſecè per ſuos actus; & tamen non vbicumque eſt anima, ſunt eius actus; ergo recurrendum eſt ad illam rationem de ſpatio adæquato, & inadæquato; vel alia ratio magis vniuerſalis aſſignanda eſt. Secunda, quia ij Auctores non reddunt rationem ſuæ regulæ, cur ſcilicet replicata re, debeant replicari quæ illam afficiunt intrinſecè, non verò alia, quæ licet vniantur, non tamen afficiunt eam intrinſecè: dicere enim, debere replicari rem pro vt eſt in ſe, eſt reſpondere com concluſione; nam res pro vt eſt in ſe intrinſecè, eſt res cum iis, quibus intrinſecè afficitur. De hoc autem petitur ratio, cur debeat replicari cum iis quibus intrinſecè afficitur, & non cum iis, quibus phyſicè vnitur. Tertia, & à priori, quia omnis vnio phyſica eo modo, quo phyſicè vnit, alligat, vt ex ipſo vnionis conceptu conſtat: quid enim eſt phyſicè vnire, niſi connectere, & ligare? ergo omnis vnio debet colligare extrema, & exigere, vt, vbi reperitur vnum, ſit etiam aliud, ſiue vnio afficiat intrinſecè, ſiue non: alioqui non participabit proprium conceptum vnionis. *Tertia.* Quarta denique, quia argumentum, propter quod illi Theologi à noſtro modo explicandi receſſerunt, non eſt tanti ponderis: iam enim ſupra reſpondimus, Angelum eſſe in quauis parte ſui ſpatij, vt in ſpatio ſufficienti, & ideo in quauis parte debere habere ſuas intellectiones & reliqua accidentia; quod non procedit in anima rationali, quæ non eſt in quauis parte vt in ſpatio ſufficienti ſecundum ſtatum, & modum exiſtendi, quem habet coniunctionis ad tale corpus humanum? *Quarta.*

18. *Quæ partes Chriſti ponantur in Euchariſtia.* Hoc ſuppoſito, dubitari poteſt, primo, an ponatur in Euchariſtia tota ſubſtantia, quæ in Chriſto Domino reperitur? Et in primis certum eſt, non ſolum carnem, ſed oſſa, & neruos eſſe in Euchariſtia; quia licet aliquando ſolius carnis fiat mentio, vt cum dicitur, *Caro mea vere eſt cibus*, &c. caro tamen ſignificat ſæpe ſæpius illam partem hominis, quæ

condiſtin

condiſtinguitur à ſpiritu, vt in ſymbolo Athanaſij: *Anima rationalis, & caro vnus eſt homo*; quare in præſenti nomine *carnis* intelligitur tota Christi ſubſtantia corporea, excepto ſanguine, qui dicitur eſſe potus, & à quo ex modo loquendi diſtincta fuit caro, quando actum fuit de hoc ſacramento. Dubitari poteſt de præputio, an ſit in Euchariſtia: item de aliis partibus, quas forte non habuit Chriſtus tempore Cœnæ, ſed poſtea per nutritionem acquiſiuit; & è contra de aliis, quas tunc habuit, & poſtea tempore mortis fuerant deperditæ, & denique de vnguibus, capillis, ſaliua, & aliis huiuſmodi, quas nunc habet, vel habuit ſaltem in cœna.

19. Reſpondetur breuiter; quidquid ſit, an hæc ponatur ex vi verborum, vel ſolum per concomitantiam (de quo poſtea) poni tamē in Euchariſtia: quia præputium, v.g. nunc coniunctum eſt in cœlo cum aliis partibus corporis Chriſti, quæ hic ponūtur: vngues item, capilli, & dentes iuxta probabiliorem ſententiam informantur anima rationali, ſed etſi non informentur, ſunt partes integrantes corpus humanū; & ideo ponuntur etiam in Euchariſtia, quod à fortiori dicendum eſt de ſpiritibus animalibus & vitalibus, & de humoribus; hæc enim omnia ſunt partes hominis non minus quam ſanguis; ſaliua autem, & alia excrementa, quæ erant in corpore Chriſti tempore cœnæ, non pertinent ad integritatem corporis; ſicut nec cibus indigeſtus, quem habebat in ſtomacho; & ideo hæc non fuerunt in Euchariſtia. Denique partes illæ ſui corporis, quas poſt cœnam forſitan per reſolutionem perdidit, & poſtea non recuperauit, non ponuntur modo de facto; ſicut nec partes illæ ſanguinis, quas probabile eſt in terris manſiſſe in ſpinis, vel ſudario adhærentes, non quidem ſub forma ſanguinis, ſed in aliquam ſubſtantiam tubram mutatas: hæ tamen non ponuntur in Euchariſtia, ſed ſolum ſanguis, quem modo habet in cœlo. Dices, ad veritatem verborum requiri, quod ponatur totus ſanguis effuſus: dicitur enim, *hic eſt Sanguis, qui pro vobis effundetur*, &c. Reſpondeo, ſicut ad veritatem verborum non requiritur, quod totus ſanguis Chriſti, qui ponitur in Euchariſtia, effuſus ſit; nam forſitan aliquid illius non fuit effuſum, & ſaltem aliquis ſanguis erat in Chriſto in cœna non effundendus, eo quod ante Paſſionem erat conuertendus in carnem, & tamen cœna poſitus fuit ſub ſpeciebus vini; ita etiam non requiritur ad veritatem verborum, quod totus ſanguis effuſus ponatur in Euchariſtia, ſed ſolum quod ponatur ille, qui nunc eſt ſanguis Chriſti; & de quo eſt verum dicere ſimpliciter effuſum eſſe pro nobis, licet nec quoad omnes partes ſit effuſus, nec habeat etiam omnes partes, quæ effuſæ ſunt. De hoc tamen dicam poſtea ſect. 5. vbi quid ponatur ex vi verborum in calice.

Ponitur tantum ille ſanguis & illæ partes quas modo habet in cœlo.

20. Secundo dubitari poteſt, vtrum tota quantitas, & alia accidentia communia Chriſti ſint in Euchariſtia; De quo S. Thomas *art.* 4. & Vaſquez *ibi*. Suar. latè *diſp.* 51. *ſect.* 2. Res tamen eſt facilis, & quæ aliquid habet de nomine. Durandus, & alij negant, quantitatem Chriſti poni in Euchariſtia. Durand. quia licet putet quantitatem eſſe accidens diſtinctum à ſubſtantia, cenſet tamen repugnare illi modum exſiſtendi indiuiſibiliter. Alij vero, quia vel dicunt, quantitatem non diſtingui ab actuali partium extenſione, vel ſaltem non denominari ſubſtantiam formaliter quantam ſine hac extenſione.

Quæ accidentia Chriſti ponantur in Euchariſtia. S. Thom. Vaſquez. Suarez. Durand.

21. Communis, & vera ſententia docet, poni totam Chriſti quantitatem in Euchariſtia P. Vaſquez *diſp.* 187. *cap.* 1. probat hanc ſententiam ex eo, quod ſubſtantia ſine quantitate non habet partium diſtinctionem; quare corpus Chriſti ſine quantitate non eſſet corpus humanum, cum non haberet partes. Cæterum hæc ratio ſupponit ſententiam Philoſophicam falſam. Certum enim mihi eſt, ſubſtantiam, ablata quantitate habere diſtinctionem entitatiuam partium, licet non habeat impenetrationem actualem; de quo dixi in Metaphyſica.

Vera ſententia vult totam quantitatem.

22. Pater Suarez vbi ſupra probat ex eo, quod ſubſtantia ſine quantitate non eſſet corpus organicum; quia organizatio fit per diuerſitatem quantitatis, & aliorum accidentium, quibus afficiuntur diuerſæ partes ſubſtantiæ. Cæterum neque hæc ratio eſt efficax; quia probabilius eſt, dari organizationem ſubſtantialem, per quam ipſæ partes ſubſtantiales ſunt ſubſtantialiter heterogeneæ, vt dixi in libro de Anima; atque ideo ſine quantitate poſſet manere corpus organicum: quod tandem amplexus eſt ipſe Suarez lib. 1. de Anima, cap. 1. à num. 16.

Alij probant; quia ſi non eſſet quantitas, non eſſent alia accidentia, quæ ſubiectantur in quantitate. Sed neque hæc ratio eſt pro omnibus firma; quia probabile eſt, accidentia non ſubiectari immediate in quantitate, ſed in ſubſtantia: quam ſententiam defendit cum aliis P. Hurtado *diſp. Phyſic.* 6 §. 55. & P. Arriaga *diſp* 5. *Phyſic. ſect.* 2. *ſub ſect* 5. Hurtado. Arriaga.

23. Melius probari poteſt, quia vel quantitas eſt diſtincta à ſubſtantia, vel non. Si ſecundum; ergo poſita in Euchariſtia ſubſtantia corporis Chriſti, ponitur eius quantitas, quæ non diſtinguitur à ſubſtantia. Si vero dicas primum, debes conuenire in definitione quantitatis, ne fiat quæſtio de nomine. Eſt enim quantitas accidens, quod eſt proxima radix, ratione cuius ſubſtantia poſtulat impenetrationem cum alio corpore quanto. Hoc autem cum ſit quoddam accidens abſolutum à loco, non eſt cur non ponatur in Euchariſtia, ſicut anima rationalis, & alia ſaltem per concomitantiam propter vnionem, & connexionem.

Ratio concluſionis.

24. Dices, quantitatem non poſſe poni ſine actuali extenſione partium. Sed contra, quia licet quantitas poſtulet actualem partium extenſionem localem; poteſt tamen diuinitus carere illa; ſicut licet poſtulet actualem impenetrationem cum alio corpore quanto, poteſt tamen diuinitus carere hac impenetratione, vt de facto caruit, quando corpus Chriſti Domini quantum penetratum fuit cum vtero Virginis, cum lapide Sepulchri, & cum ianuis Cœnaculi: ergo ſimiliter poterit diuinitus carere extenſione partium, cum non magis eſſentialiter petat iſtam, quam actualem impenetrationem.

Inſtantia. Diluitur.

25. Dices, effectus formalis quantitatis eſt reddere ſubiectum extenſum, & diuiſibile; ergo repugnat poni in ſubiecto inextenſo & exiſtenti indiuiſibiliter. Sed contra; quia duplex eſt extenſio, ſeu diuiſibilitas ſubiecti. Altera entitatiua, & in ordine ad ſe, quod nihil eſt aliud, quam habere entitatiue plures partes, & hæc quidem diuiſibilitas non prouenit formaliter à quantitate; nam, ablata quantitate, manebunt in ſubiecto totidem partes, quot antea: & hanc diuiſibilitatem retinet corpus Chriſti in Euchariſtia. Altera extenſio eſt in ordine ad locum, per quam vna pars non eſt vbi eſt alia: & hæc extenſio, dato quod proueniat à quantitate, non tamen vt effectus formalis primarius, ſed vt effectus ſecundarius, ſeu quaſi in genere cauſæ efficientis, quatenus quantitas poſtulat talem vbicationem, per quam vna pars ſubiecti non ſit vbi eſt alia. Cæterum poteſt diuinitus carere hac extenſione actuali, remanente cum ſolo effectu primario, quod eſt petere, quantum eſt de ſe, proximè talem extenſionem actualem, & impenetrabilem.

Inſtabis. Reſpondeo.

26. Dices iterum, quantitatem eſſe ipſum modum

Dices iterū

actualis extenſionis, quo quidem caret corpus Chriſti in Euchariſtia. Sed contra; primo quia hic modus variatur, quoties cumque corpus mutatur localiter; non enim differt ab ipſa actuali præſentia partium, vt probaui in Philoſophia; ergo toties variatur quantitas, quod eſt contra omnes Philoſophos. Contra ſecundo, quia antecedenter ad actualem extenſionem datur in ſubiecto aliquid, ratione cuius debeatur illi impenetratio cum alio corpore; hæc ergo erit quantitas ſiue ſit diſtincta à ſubſtantia, ſiue non. Quantitas enim, ſecundum communem modum loquendi appellat illa radix proximis impenetrationis. Et iam reducetur res ad quæſtionem de nomine, in qua debemus ſeruare communem modum loquendi Philoſophorum.

Reſpondeo primo.

Reſpondeo ſecundo.

27\. Hinc infero, reliqua omnia accidentia independentia à loco, quæ habet Chriſtus in cœlo, poni etiam in Euchariſtia; quia in omnibus militat eadem ratio vnionis, & connexionis naturalis cum corpore Chriſti. Illa autem, quæ dependent à tali loco, non poſſunt poni in Euchariſtia, quia non poſſunt eſſe in alio loco, qualia ſunt præſentia localis, extenſio partium, ſitus, quem habet, &c. quia hæc omnia includunt talem vbicationem dependentem à tali loco. Petes, an corpus Chriſti habeat in Euchariſtia eandem figuram, quam babet in cœlo: De hoc dicemus ſectione ſequenti.

Reliqua omnia accidentia independentia à loco in Euchariſtia ſunt.

SECTIO II.

Vtrum corpus Chriſti habeat in Euchariſtia eamdem figuram, quam habet in cælo?

28\. Figura eſt duplex: alia organica, alia ſitualis. Figura organica eſt talis vnio talium partium inter ſe, ratione cuius inter iſtam, & illam partem mediant plures, vel pauciores, & ratione cuius pupilla oculi, verbi gratia, licet in Euchariſtia non occupet ſpatium rotundum, taliter tamen habet partes vnitas, & diſpoſitas inter ſe, vt poſtulet extenſionem localem circularem: nam licet omnes partes Chriſti correſpondeant eidem ſpatio, non tamen vniuntur omnes immediate inter ſe, ſed manus vnitur cum brachio, non cum capite, & caput cum collo, & non pede. Talis ergo vnio, & diſpoſitio, partium inter ſe, appellatur figura organica. Figura vero ſitualis, eſt talis diſpoſitio partium in ordine ad locum, qua ſcilicet caput eſt ſurſum, pedes deorſum, manus ad latera: & ſic de aliis. De figura organica, conceditur, eamdem, quam Chriſtus babet in cœlo, habere etiam in Euchariſtia; quia licet ibi omnes partes Chriſti ſint in eadem parte ſpatij, habet tamen talem ordinem vnionis inter ſe, vt ratione illius caput ſit immediatum collo, non manentibus, & ratione cuius etiam exigunt talem diſpoſitionem localem, ſi connaturali modo locentur. Videatur Suarez *diſt.* 48. *ſect.* 1. circa finem. De hoc enim non poteſt eſſe difficultas.

Duplex figura organica & ſitualis.

29\. Maius dubium eſſe poteſt de figura ſituali: hæc enim videtur eſſe accidens independens à loco: nam poteſt homo retinens eamdem figuram ſitualem mutare diuerſa loca, ſicut & artefacta, clauis, v. g. vel vas aureum, retinet eamdem figuram clauis, vel vaſis, licet mutetur ab hoc loco in alium. Vnde aliqui Philoſophi ſupponunt, figuram artificialem eſſe aliquid diſtinctum ab aliis accidentibus naturalibus ut permanens in artefacto. Sic etiā multi Philoſophi docent de ſitu, eſſe aliquod accidens modale diſtinctum ab *vbi*; nam homo ſedens in lectica mutat ſucceſſiue vbicationem, & retinet ſemper eumdem modum ſeſſionis. Conſequenter ergo dicendum videtur figuram ſitualem eſſe aliquod accidens independens ad hoc & illo loco, atque adeo quando idem corpus exiſtens Romæ, replicaretur Neapoli, poſſet ibi habere eamdem numero figuram ſitualem, quam babet Romæ, licet non poſſit habere ibi vbicationem Romanam.

Dubium eſt de figura ſituali.

30\. In mea ſententia hoc facile explicatur. Sentio enim in primis, figuram artificialem non addere aliquid poſitiuum ſupra vbicationes partium, ſed eſſe tales vbicationes partium cum talibus negationibus. Et quidem ſententiam contrariam irridet Pereira *lib.* 7. *Phyſ. c.* 3. Noſtra autem facile probatur, & explicatur in ſtatua lignea, vel lapidea, circa quam ars nihil prorſus efficit, niſi tollere aliquas partes, quibus ablatis, aliæ partes, quæ remanent manent cum tali diſpoſitione, & diſtantia inter ſe, vt eo ipſo ſit facta ſtatua. Tunc ergo artifex nihil prorſus poſuit, ſed abſtulit vnionem partium remanentium cum illis, quas abſtulit; ergo forma artificialis non eſt aliquod accidens productum de nouo per artem diuerſum ab accidentibus, quæ ſine arte haberent, ſed vbicationes talium partium cum negatione vbicationum aliarum partium, quæ ablatæ ſunt.

Res facile noſtra ſententia explicatur. Pereira.

31\. Confirmatur primo: tolle hoc accidens, quod dicis productum de nouo in ligno: relinque has ſolum partes ligni in hoc loco, vbi nunc ſunt, & ſine aliis partibus, quæ abſciſſæ ſunt, procul dubio manebit ſtatua, ergo non eſt neceſſaria illa forma, quam ſuperaddis. Confirmatur ſecundo, quia hæc forma artificialis ſtatuæ non eſt indiuiſibilis; ergo eſt para in parte ligni, & pars in alia parte. Accipio ergo partem minutiſſimam illius ligni, & peto, quodnam accidens peculiare ſit in illa parte, quod non poſſet eſſe abſque villa arte? Nullum plane; quia illa para ligni cum omnibus ſuis accidentibus poteſt diuidi ab aliis partibus, & tunc non deferet ſecum aliquod accidens, quod abſque arte eſſe non poſſet; ergo in hac parte non eſt illud accidens peculiare ſuperadditum, ſed neque eſt in aliis partibus ſeorſim; ergo in nulla; ergo fatendum eſt, hanc formam artificialem nihil aliud eſſe præter diſpoſitionem partium taliter inter ſe vnitarum, & diſtantium, hoc eſt, tales vniones, & vbicationes partium cum negationibus aliarum, dum enim hæc intelliguntur, ſufficienter intelligitur perfecta ſtatua.

Confirmatur primo.

Confirmatur ſecundo.

32\. Confirmatur tertio, & explicatur clarius in artefactis, quæ ſunt entia per accidens, & conſtant ex multis entibus completis non vnitis phyſice inter ſe qualis eſt menſa v. g. vel ſcamnum, cuius artificiū conſiſtit in eo, quod vna tabula clauis ſit confixa ligno. Pero enim, hæc forma artificialis ſuperaddita in quo ſubiecto ſit: Non quidem in tabula ſuperiori, quæ intrinſece nihil debet de nouo ex eo, quod facta ſit menſa; clauos enim, quo configitur, non eſt accidens intrinſecum tabulæ, vt ſubiectetur in ipſa: ſed neque in pedibus menſæ recipitur hæc forma accidentalis, quia ligna illa eodem modo ſe habent intrinſece; nullibi ergo recipitur hoc accidens ſuperadditum de nouo, quia nihil aliud eſt metaphyſice loquendo forma menſæ, quam eædem figuræ partiales, quas tabula, & ligna antea habebant, additis clauis in tali loco. Quod clarius adhuc apparet, ſi abſque clauis ſolum funibus colligentur partes artefacti. Item clarius apparet in exercitu artificioſe compoſito, & ordinato: peto enim illud artificium, vbi reſideat? An pars in vnoquoque milite; an totū in ſingulis? Nihil aliud dici poteſt, niſi quod ſit aggregatum ex ſitu, ſeu vbicationibus omnium militum; quibus ſolis poſitis intelligitur perfecta, & artificioſa ordinatio, & diſpoſitio totius exercitus.

Confirmatur tertio.

33\. Obiiciunt: veſtis, vel pilleus perdidit præſentiam localem

Obiicitur.

localem, quando mouetur localiter ab vno loco in alium:& tamen non perdidit, ſed retinet formam artificialem veſtis vel pilei; idem enim pileus manet in hoc loco, & in alio; ergo forma artificialis conſtitutiua pilei diſtinguitur à præſentia locali, & à *Reſpondeo.* diſtantia partium inter ſe. Reſpondeo, eodem modo perſeuerare formam veſtis, vel pilei, quo perſeuerat diſtantia partium inter ſe: hæc autem metaphyſice loquendo non perſeuerat eadem, cum non maneat eadem vbicatio partium, ſed ſolum moraliter, & vulgariter; quo etiam modo manet eadem forma artificialis veſtis vel pilei. Dicitur autem moraliter perſeuerare eadem, quamdiu poſt artificis operam ſic manent partes inter ſe depoſitæ, vt abſque nouo artificio poſſint ſimilem diſtantiam, & proportionem ad inuicem retinere. Hinc eſt, exiſtimare eundem calicem, & retinere conſecrationem quamdiu non frangitur: imo licet calix tornatilis ſit, & ita poſſit cuppa à pede ſeparari, & iterum coniungi abſque nouo artificio; ſemper cenſetur manere idem calix nec indiget noua conſecratione, licet re vera per illam ſeparationem non minus perdatur phyſice loquendo prior figura calicis, quã ſi per fractionem fuiſſent partes ſeparatæ; quo caſu indigeret calix noua conſecratione. Moraliter tamen, quando calix tornatilis eſt, cenſetur manere eadem forma artificialis, quia ex vi præcedenti artificij poſſunt partes facile redire ad ſimilem diſtantiam, & proportionem inter ſe. Sic etiam Alba Sacerdotalis cenſetur eſſe eadem, etiam quando complicata eſt, licet tunc non retineat eamdem figuram, & diſtantiam partium, quia nimirum adhuc ex vi, præcedentis artificij poſſunt eius partes extendi, & habere ſimilem figuram, & diſtantiam: ſi vero manicæ ſeparentur, non cenſetur eadem alba, ſed indiget noua benedictione, quando poſtea aſſuantur, quia indiget nouo artificio: ſecus eſſet, ſi manicæ ab initio non fuiſſent aſſutæ, ſed globulis ſericis coniungerentur, ita vt ſeparari, & coniungi facile poſſent, tunc enim ſemper cenſeretur eadem Alba, nec indigeret noua benedictione propter illam manicæ ſeparationem. Vides, quantum ſit moralitatis in hac perſeuerantia eiuſdem figuræ artificialis, licet phyſice loquendo eius intrinſeca conſtitutiua varientur. Hoc modo olim explicui formam artificialem *in 2. lib. Phyſicorum*; quam doctrinam video poſtea placuiſſe philoſophis Recentioribus, quorum aliqui ſcripta ſua typis mandarunt.

P. Arriaga, Diſput. 16. Phyſ. ſect. 2.

34. *Extenſio actualis non eſt accidens diſtinctum vbicationibus.* Eodem etiam modo, & propter eaſdem rationes dixi in Philoſophia, extenſionem actualem partium in ordine ad locum non eſſe aliquod accidens, quale ab aliis ponitur diſtinctum ab vbicationibus partium, quod idem perſeueret, quando corpus localiter mouetur, ſed eſſe ipſamet vbicationes partium; nam eo præciſe quod intelligatur caput in hoc loco, & collum in alio, ac ſingulæ partes in diuerſis partibus ſpatij, ablato quocumque alio accidenti, intelligitur extenſio localis partium, ſicut impenetratio actualis cum alio corpore non eſt accidens ſuperadditum, ſed talis vbicatio intrinſeca vtriuſque corporis in diuerſis partibus ſpatij & negatio vbicationis in eodem ſpatio. Sic etiam extenſio actualis partium, quæ fere idem eſt, quod impenetratio actualis earum inter ſe, nihil eſt aliud niſi vbicationes partium in diuerſis partibus ſpatij, & negatio vbicationis earum in eadẽ parte ſpatij; nec oportet addere aliud accidens permanens poſitiuum, ſed quando corpus localiter mouetur, cenſetur retinere eamdem extenſionem actualem localem partium; quia moraliter eandem diſtantiã habet abſque vlla interruptione per inextenſionem, ſeu penetrationem actualem earumdem partium inter ſe.

35. *Nec ſitus eſt accidens diſtinctum.* Eodem modo, & propter eaſdem rationes dixi in Metaphyſica, ſitum non eſſe aliquod accidens poſitiuum phyſice diſtinctum ab vbicationibus omnium partium animalis, & loci: ſedere enim hominem v.g. nihil eſt aliud quam partes animalis eſſe in talibus locis taliter diſtantibus inter ſe, & ſedem eſſe in tali loco: his quippe poſitis & ablato quolibet alio accidenti poſitiuo, intelligitur homo ſedere; dicitur autem homo ſedens in lectica retinere eandem ſeſſionem, quando mouetur lectica, quia retinet eam moraliter, non metaphyſicè, ſicut de forma artificiali, & extenſione locali dictum eſt.

36. *Facile iam ſoluitur quæſtio propoſita.* His ſuppoſitis, facile iam explicatur, quam & qualem figuram corpus afferat ſecum ad Euchariſtiam. Dicimus enim, habere ibi eamdem figuram organicam, quam habet in cœlo: non tamen eamdem figuram ſitualem. Nam figura organica eſt talis vnio partium inter ſe, ratione cuius exigit talem poſitionem in ordine ad locum: ex eo enim, quod partes pupillæ, v.g taliter inter ſe vniuntur, exigunt talem poſitionem in ſpatio rotundo cum tali diſtantia partium à centro, &c. quam exigentiam, & rotunditatem organicam habet pupilla in Euchariſtia; non tamen habet ibi rotunditatem, & figuram ſitualem, quia non occupat ibi ſpatium rotundum, ſed omnes partes pupillæ penetrantur inter ſe. Sic etiam non habet ibi extenſionem actualem localem partium, nec ſitum, quem habet in cœlo, quia extenſio actualis localis, & ſitus includit tales vbicationes partium, quæ vbicationes cœleſtes non replicantur in Euchariſtia, vt conſtat.

37. *Inſtantia.* Dices, non omnis figura organica Chriſti conſiſtit in vnione partium inter ſe; nam ſanguis non vnitur phyſice cum venis, ſed continetur intra illas ſicut aqua in vaſe, quæ continentia non videtur eſſe aliud, quam talis vbicatio ſanguinis, & venæ; ergo in Euchariſtia, in qua ſanguis non continetur intra venas, non datur tota figura organica Chriſti; non enim datur continentia organica ſanguinis intra venas, nec habet ibi maiorem coniunctionem ſanguis cum venis, quam cum capillis.

Diluitur. Reſpondetur, hanc etiam figuram organicam ſanguinis, & venæ dari ſuo modo in Euchariſtia; nam ſicut ibi eſt oculus in capite, & non in pede propter vnionem continuationis, quam habet oculus cum capite, ratione cuius exigit ex ſe vbicationem proximam capiti, & non pedi: ſic ſanguis licet non habeat vnionem propriam continuationis cum venis, habet tamen exigentiam, qua ex ſe exigit poni intra venas & non in capillis; & venæ habent exigentiam continendi ſanguinem, ita vt petant præſentiam localem fundantem talem propinquitatem ad ſanguinem; quæ exigentia fundata in ipſa natura ſanguinis, & venarum, dici poteſt figura organica ſanguinis, & venarum.

38. *Quæſitum.* Petes, an, ſi poneretur ſacramentaliter vas aureum, vel crux, aut aliquod aliud artefactum ſub ſpeciebus panis, ſicut ponitur caro Chriſti; an, inquam, poneretur vere ſub ſpeciebus forma crucis, vel vaſis, an ſolum lignum, vel aurum? Ex dictis enim videtur ſequi, ponendam ſolam materiam; quia forma artefacti ſunt tales vbicationes, quæ ibi non ponerentur.

Satisfit. Reſpondeo, in aliquibus artefactis poneretur quidem etiam figura non ſitualis, ſed organica, in alis vero neutra. Prima pars probatur, quia globus, vel ſphæra aurea v. g. ſub ſpeciebus panis haberet etiam rotunditatem organicam non minus, quam illam de facto habet pupilla oculi Chriſti. Sicut

enim pupilla habet ſub ſpeciebus figuram, & rotunditatem organicam, quatenus ibi etiam eius partes taliter vniuntur inter ſe, vt propter talem vnionem, & tale temperamentum aliqua accidentia exigant occupare ſpatium rotundum: ſic partes globi aurei propter talem vnionem, quam habent ad inuicem, & propter carentiam aliarum partium, & talem denſitatem, & duritiem exigunt naturaliter occupare ſpatium rotundum; ergo non minus diceretur retinere ſuam figuram rotundam organicam, quam pupilla oculi de facto eam retineat.

39. Secunda vero pars, quod ſcilicet aliqua alia artefacta neutram figurã retinerent ſub ſpeciebus, probatur in exemplo adducto crucis: cum enim crux conſtituatur per approximationem talem duorum lignorum, conſequens eſt, vt ſub ſpeciebus panis, in quibus omnes partes crucis eſſent ſibi æquè proximæ, non eſſet magis figura crucis, quam alia; quia non eſſet aliqua vnio, vel aliquid aliud phyſicũ exigens in actu primo ex ſe talem figurã magis quam aliã. Quod idem de menſa, ſcamno, & aliis ſimilibus dicendum eſt: imo idem fortaſſe eſſet de imagine cerea, quæ cum ſit mollis, ex ſe non videtur magis exigere hanc figuram, quam illam; atque ideo nec organice fortaſſe retineret ſub ſpeciebus panis rationem imaginis, licet retineret tales vniones partium inter ſe: quia cum eiſdem vnionibus poſſet fortaſſe formari in aliam figuram. Sed de his ſatis.

SECTIO III.

Vtrum totus Chriſtus ſit ſub qualibet ſpecierum parte?

40. *Suppoſitum primum.* Conc. Florentin. Trident. SVpponendum primo, totum Chriſtum eſſe ſub qualibet ſpecierum parte, ſeparatione facta. Eſt de fide, vt conſtat ex Florentino in vnione Armen. ex Trid. *ſeſſ.* 13. *cap* 3. & *can.* 3. & ex multis Patribus, quos afferunt Recentiores in præſenti. Ad quod facit quod dicitur de Manna, quod erat figura Euchariſtiæ, de quo refert Scriptura, quod *qui plus collegerat, nõ habuit amplius; nec qui parauerat minus, reperit minus.* Imo de ſemine coriandri (cui ſimile

Philo. erat manna) refertur apud Philonem 2. *Allegor. Regum*, poſt medium, quod quamuis in minutas partes diuiſum ſeminetur, tantundem excreſcit de qualibet particula, quantum de integro grano, quia perfecta virtus ſaluatur in qualibet particula. Colligitur item ex facto Chriſti, qui conſecratum calicem dedit diſcipulis diuidendum, vt ſinguli ſcilicet totum ſanguinem biberent.

41. *Suppoſitum ſecundum.* Supponendum ſecundo, etiam ante ſeparationem eſſe totum Chriſtum ſub ſingulis partibus ſpecierum; quod licet non ſit tam expreſſum de fide ſicut præcedens, eſt tamen omnino certum; & habetur fere expreſſum in Tridentino d. *ſeſſ.* 13. c. 3. in fine, & in cap. *Vbi pars*, de conſecratione, *diſt.* 2. &

Prima ratio. aliis. Et probatur facile; primo, quia ſi non eſſet totus Chriſtus ſub ſingulis partibus continuis, ſed ſemel ſolum in tota hoſtia, ergo ideo quia omnes eius partes non poſſunt correſpondere eidem ſpatio, ergo in exigua hoſtia non erit totus Chriſtus; ad hoc enim etiam oportet ponere plures partes in eo-

Secunda. dem ſpatio. Secundo, quia ſi conſecretur panis maior homine, Chriſtus debet nimium dilatari, vt repleat totum illud ſpatium per vnicam præſentiam non replicatam; item nunc eſſet caput ſurſum, v.g. & pedes deorſum ex quo fit non omnibus partibus illius ſpatij rotundi correſpondere corpus Chriſti, quia corpus humanum non poteſt habere talem ſitum, quo repleat ſpatium rotundum magnum, nulla prorſus vacuitate relicta, niſi aliquæ partes corporis ponantur in pluribus partibus illius ſpatij, vel niſi intelligamus oſſa, & partes duriores corporis Chriſti liquefieri, vt ad modum ceræ, vel maſſæ poſſit recipere illam poſitionem rotundam hoſtiæ; quod indecens valde eſt.

Tertio, quia partes hoſtiæ ſeparatæ ſingulæ continent totum Chriſtum, ergo & ante ſeparationem: 42. *Tertia.* ſeparatio enim non dat nouam conſecrationem; item è contra, ponamus duos calices conſecrari ſeorſim, & poſtea illas ſpecies coniungi; pero an per coniunctionem deſinat eſſe totus Chriſtus ſub ſingulis partibus? Si deſinit, ergo deficit veritas verborum conſecrationis: nam de dimidia parte dictum fuerat eſſe totum ſanguinem Chriſti. Si vero non deſinit, ergo iam tunc poteſt eſſe totus Chriſtus ſub partibus vnitis illius ſpeciei, ergo poſſet etiam ſub illis eſſe, licet vnica conſecratione fuiſſent conſecratæ. *Inſtantia.* Dices, quando datur vnica conſecratio, veritas verborum ſolum petit, quod in toto *Diluitur.* illo ſit totus ſanguis v. g. non quod in ſingulis partibus ſit totus: ſed contra; ergo etiamſi ſeparentur partes conſecratæ, non debet per conſecrationem poni totus ſanguis ſub ſingulis partibus; quia nec hoc exigebat veritas verborum.

Dicendum ergo eſt, totum Chriſtum contineri 43. *Concluſio.* ſub ſingulis partibus ſpecierum etiam continuis; nec aliud fortaſſe voluerũt Altiſiodoren. & Albertus, quibus oppoſita ſententia communiter tribuitur; eos tamen excuſat Vaſq. *diſp.* 183. *c.* 2. quia non *Probabilius eſt in ſingulis partibus ſpecierũ dari ſuam præſentiam partialem ſeparabilem ab aliis.* dixerunt totum Chriſtum non eſſe ſub ſingulis partibus, ſed non eſſe in illis ante ſeparationem per plures præſentias, ſed per vnam: quod quidem non pertinet ad materiam erroris; licet mihi probabilius ſit, in ſingulis partibus ſpecierum dari ſuam præſentiam partialem ſeparabilem à præſentia, quæ eſt in aliis partibus; vt dixi ſupra *diſp.* 6.

Contra hanc doctrinam inſurgunt duæ difficul- 44. *Prima difficultas cõtra hanc doctrinam.* tates; prima eſt, quia ſi totus Chriſtus eſt in ſingulis partibus ſpecierum: ergo cum partes ſpecierum ſint in infinitum diuiſibiles, conſequens eſt, vt Chriſtus habeat infinitas præſentias, per quas illis omnibus correſpondeat. Propter hanc forte difficultatem, Bonauentura, & alij dixerunt, Chriſtum *Bonauent.* totum eſſe in partibus finitis, ſcilicet iis ſolum, quæ attingunt minimum naturale requiſitum ad conſecrationem panis. Alij, licet talia minima naturalia non admittant, cenſent tamen, excogitari poſſe aliquam particulam panis adeo exiguam, vt licet habeat vere partes, non tamen poſſit diuidi, imo nec diſcerni ab homine, neque ab Angelo naturali virtute ob imperceptibilitatem partium: & ſub huiuſmodi particulis, quæ finitæ ſunt, erit totus Chriſtus, non tamen ſub ſingulis earum partibus; quod dicunt ſufficere ad ſaluandas loquutiones Patrum, de exiſtentia Chriſti ſub ſingulis partibus Euchariſtiæ.

Re tamen vera hæ ſententiæ non ſunt probabi- 45. *Hæ ſententiæ reiiciuntur.* les; quia Patres in vniuerſum loquuntur de omnibus partibus ſpecierum quantumuis minimis. Deinde, quia ſi ponamus, hoſtiam habere ſeptem particulas minimas, & diuideretur per medium, deberet diuidi vna particula minima, & in eius partibus diuiſis, vel non maneret Chriſtus, vel poneretur de nouo, cum antea non eſſet ibi niſi pars Chriſti. Denique incredibile eſt, illud, quod additur, poſſe eſſe adeo imperceptibiles partes alicuius particulæ, vt neque ab Angelo poſſint diſcerni; quomodo enim ſtaret, Angelum illam comprehendere, ſi eius partes non diſcerneret.

Propter hæc eſt ſententia aliorum, qui dicunt 46. *Aliorum ſententia.*

Chriſtum

Chriſtum totum eſſe in ſingulis partibus quantumuis minimis, & in ſingulis earum partibus; cæterum non habere infinitas præſentias quia in ſingulis particulis adeo exiguis, vt humana induſtria non ſint diuiſibiles, non habet Chriſtus plures præſentias, ſed vnam indiuiſibilem, qua eſt totus in illa particula, & totus etiam in ſingulis partibus. Quod ſi forte, quando diuiditur hoſtia, contingat, diuidi aliquam ex his particulis minimis ſimul cum aliis, reſpondent, vel Deum ab initio illas præſentias diſponere in iis particulis, quas nouit non diuidendas vel præſentiam illam amitti, & extendi præſentias partium proximarum. Huic ſententiæ tandem adhæret

Ægidius. Leſſius. P. Ægidius in præſenti *art. 3. num. 49.* & ſequentibus, & Leſſius *lib. 12.* de Perfectionibus Diuinis *num. 126.* & non eſt improbabilis. Diſplicet tamen eo, quod ſine neceſſitate confugiat ad illas præſentias pro numero particularum naturaliter indiuiſibilium, cum facilius ponatur illa præſentia tota continua, & diuiſibilis pro diuiſibilitate ſpatij; nullum enim inconueniens nouum apparet in partibus illius præſentiæ quod non ſit in partibus ſpecierum, & in partibus cuiuſlibet continui; quare ſicut partes ſpecierum communiter dicuntur infinitæ ſolum ſyncategorematicè: ſic etiam de partibus illius præſentiæ dicendum eſt, cum omnino commenſurentur partibus ſpatij.

Diſplicet hæc ſententia.

47. *Obiectio Coninch.* Obijcit P. Coninch vbi ſupra *num. 37.* eſſe maiorem abſurditatem in diuiſibilitate illius præſentiæ in infinitum, quam in diuiſibilitate partium continui: quia illæ præſentiæ ad diuerſas partes ſpecierum non ſunt plures partiales, ſed totales; primo, quia ſi omnes componerent vnam ſolam præſentiam, ſequeretur Chriſtum ſemel tantum ibi eſſe ante diuiſionem ſpecierum; quod tamen in hac ſententia non admittitur. Secundo quia in ſingulis replicationibus Chriſtus eſt actu integre, & complete, independenter à quacumque replicatione. Tertio, quia hæ replicationes non ſunt propriè continuæ inter ſe, ſicut duæ guttæ aquæ, ſed ſolum contiguæ, ſicut arenæ in cumulo; nam per diuiſionem ſpecierum nihil intrinſecum in illis replicationibus perijt, alioquin quoties franguntur ſpecies, periret aliquid intrinſecum corpori Chriſti, quod videtur abſurdum. Confirmatur, quia ſi Deus annihilaret ſpecies, & cõſeruaret corpus Chriſti, tunc illæ replicationes eſſent vere inter ſe diſcretæ; ergo & nunc: cũ non habeant vllam phyſicam cõnexionem cum ſpeciebus.

48. *Soluuntur hæc omnia.* Hæc omnia ſuppoſita illa ſententia Philoſophica de diuiſibilitate continui in infinitum, nihil habent difficultatis. Ad primum reſpondetur, ſicut in

Ad primum reſpondetur. ſpeciebus ſunt plures partes componentes vnam quantitatem, verbi gratia, totalem; ſic illam præſentiam corporis Chriſti habere plures partes pro diuiſibilitate ſpatij quarum ſingulæ ſunt partiales, & omnes componunt vnam præſentiam integram, totalem ad totum illud ſpatium. Vnde in aliquo ſenſu Chriſtus eſt ſemel in illo ſpatio, non ita vt non ſit totus in ſingulis partibus ſpatij, ſed ita vt non ſit per plures præſentias totales, ſed per plures partiales, atque ideo eſt ſemel totaliter, ſed pluries partialiter non partialitate corporis, ſed partialitate præſentiæ: ſicut Angelus, vel anima eſt pluries partialiter in ſuo ſpatio, hoc eſt, per plures partes præſentiæ, quarum ſingulæ faciunt præſentem totum Angelum vel animam parti ſpatij, ſed omnes componunt vnam præſentiam totalem, ſicut plures partes aquæ vnam aquam: quod quidem in præſentia corporis Chriſti facilius intelligitur, cum ſit materialis & poſſit habere abſque difficultate eandem diuiſibilitatem, quam habent res materiales.

Ad ſecundum concedimus, in ſingulis partibus ſpatij contineri totum Chriſtum integrum, & completum, non tamen omnino integre, & complete ex parte præſentiæ; nam licet illa præſentia partialis poſſit etiam dici integra in aliquo ſenſu, quatenus illa ſola poſſet exſiſtere abſque omnibus aliis de facto tamen non eſt integra, ſed partialis propter vnionem, qua connectitur cum aliis partibus præſentiæ, ſicut quæuis pars aquæ poſſet exſiſtere abſque alia, & eſſe aqua integra: de facto tamen, quando componit cum aliis partibus, non eſt integra, id eſt, totalis, ſed pars aquæ maioris. Hoc ipſum dicimus de præſentia ſacramentali. 49. *Ad ſecundum.*

Ad tertium, negamus, illas præſentias partiales eſſe ſolum contiguas, ſicut arenam in cumulo, ſed dicimus eſſe continuas, ſicut guttas aquæ, & ſicut partes præſentiæ Angeli, vel animæ. Quando verò rumpuntur ſpecies: vel illa fractio fit, manentibus partibus ſpecierum in eodem loco, in quo erant antea ſolumque ablata earum continuatione; vel fit (prout ſemper contingit) ſingulis partibus hoſtiæ mutatis aliquantulum à priori loco. Si hoc ſecundo modo fiat, non eſt dubium, quod fit mutatio intrinſeca in ipſa præſentia, & in corpore Chriſti, perditur enim non ſolum vnio inter partes præſentiæ, ſed & præſentia, ſaltem quoad illas partes correſpõdentes ſpatio, quod relinquitur; & acquiritur præſentia, ad partes noui ſpatij, quod per motũ acquiritur. Si vero fractio ſpecierum fiat primo modo tunc negamus, fieri mutationem intrinſecam in præſentia corporis Chriſti: nam licèt partes ſpecierum perdant continuationem, quam habebant inter ſe, partes tamen præſentiæ corporis Chriſti manẽt adhuc continuæ inter ſe, quia ad continuationem partium præſentiæ ſolum requiritur vnitas ſubiecti, & ſpatij, quæ adhuc maneret, licèt ſpecies non eſſent amplius continuæ, ſed contiguæ. Vnde ad confirmationem dicimus, ſi annihilatis ſpeciebus maneret præſentia corporis Chriſti, futuram continuam, ſicut prius; quia ex ſe non pendet à continuatione, vel præſentia ſpecierum; ſed ſicut ſi annihilato corpore, vel diſcontinuatis eius partibus, maneret anima rationalis in eodem ſpatio, adhuc eius præſentia eſſet continua, & vna ſicut prius; ſic dicendum omnino eſſet de præſentia corporis Chriſti, quæ imitatur omnino præſentiam animæ rationalis in corpore. 50. *Ad tertium.*

Secunda difficultas eſt, quia ex dictis videtur ſequi, quod totus Chriſtus ſit etiam ſub indiuiſibilibus, & punctis ſpecierum. Conſequens autem negatur communiter à Theologis; imo aliquando cum Salmanticæ defenderetur, offenſionem peperit apud Doctores; quia corpus Chriſti in Euchariſtia ſuccedit loco ſubſtantiæ panis: ergo vbi non erat panis, non eſt corpus Chriſti; ergo non eſt in punctis ſpecierum, quia ibi non erat panis; alioquin cum diuiditur panis, & reſultant ſuperficies quantitatis terminatiuæ, reſultaret etiam aliquid panis de nouo, & per conſequens aliquid materiæ, & formæ, & iam eſſet plus panis in pane diuiſo, quam in pane integro, quæ omnia videntur abſurda. Deinde, quando diuiditur hoſtia conſecrata, reſultant ſimiliter noua indiuiſibilia, vt terminent de nouo illas partes: ergo ponitur Chriſtus de nouo in illis indiuiſibilibus ſine noua conſecratione, & ſine conuerſione alicuius ſubſtantiæ in corpus Chriſti; quod videtur abſurdum; nam prout eſt ibi corpus Chriſti, non ſuccedit alicui ſubſtantiæ, quæ ibi antea eſſet, quia ſub illa ſuperficie de nouo reſultante (vt ſuppono) nulla fuit antea ſubſtantia, ſed ſolũ ponitur corpus Chriſti loco ſubſtãtiæ poſſibilis, quæ foret ibi, ſi nõ eſſet corpus Chriſti, quod non ſufficit ad hoc vt ponatur 51. *Secunda difficultas, vtrum corpus Chriſti ſit ſub punctis ſpecierum.*

ibi per conuerſionem. Hæc ſunt, quæ potiſſimum probant, corpus Chriſti non eſſe in indiuiſibilibus ſpecierum; quam ſententiam cum aliis tenet P. Vaſquez *diſp.* 188. *cap.* 4.

Vaſquez.

52. Addunt aliqui, quando ſpecies vini conſecratæ miſcentur cum vino non conſecrato, & reſultat indiuiſibile nouum continuatiuum, non fore, cur magis ponatur ſub illo indiuiſibili ſanguis Chriſti, quam ſubſtantia vini, cum indiuiſibile, ſit copulatiuum vtriuſque quantitatis. Nec ad veritatem verborum conſecrationis requiritur, quod ponatur ibi ſanguis Chriſti: nam licet ibi non ponatur, erunt vera verba præterita; pone enim, antea dixiſſe: *hoc eſt vinum album*; vera ſunt hæc verba, licet poſtea miſceatur cum vino rubro potentiori, & ideo in continuatiuo ponatur forma vini rubri, quod præualet & non vini albi; ergo ſimiliter vera ſunt verba: *hic eſt ſanguis Chriſti*, licet poſtea miſceantur ſpecies cum vino rubro potentiori, & ideo ſub indiuiſibili continuatiuo non ſit ſanguis Chriſti, ſed ſubſtantia vini rubri potentioris. Confirmatur, quia ad veritatem verborum ſolum requiritur, quod ſanguis Chriſti ſuccedat loco vini albi, quod in ipſum conuertitur, & præſter, quod præſtaret illa ſubſtantia vini: ergo ſi vinum album non eſſet futurum ſub illo indiuiſibili copulatiuo, non requiritur ad veritatem verborum, quod ſanguis Chriſti ponatur ſub illo in prædicto caſu.

Addunt aliqui.

Confirmatur

53. Reſponderi fortaſſe poſſet ex ipſo argumento, quod ſcilicet in eo ſolum caſu deberet poni ſanguis Chriſti ſub illo indiuiſibili, quando debuiſſet poni ſubſtantia vini conuerſi in ſanguinem, cuius loco ſuccedit ipſe ſanguis: quare ſi vinum rubrum poſtea adueniens potentius ſit, & ideo debeat ipſum ſolum eſſe ſub illo indiuiſibili, non oportebit, quod ponatur ibi ſanguis Chriſti. Quid tamen, ſi vtrumque vinum æqualis actiuitatis, & virtutis ſit? Tunc dici poſſet: ſi ſub illo indiuiſibili copulatiuo quantitatis reſultat ea natura rei indiuiſibile ſubſtantiæ ſimilis reliquo vini, reſultaret etiam in prædicto caſu, atque ideo non eſſet ibi ſanguis Chriſti, ſed illud indiuiſibile ſubſtantiæ nouum, quod nunquam fuiſſet conſecratum, nec ad veritatem verborum requireretur eius conuerſio. Si verò ſub indiuiſibili copulatiuo quantitatis futura eſſet ſubſtantia vtriuſque vini (prout aliqui volunt) ſaltem inadæquatè, dici poſſet, futurum etiam ibi ſanguinem Chriſti, & ſubſtantiam vini, quod de nouo admiſcetur.

Reſponderi poſſet.

54. Hæc tamen non tollunt difficultatem, ſed augent; quia ſi ſub indiuiſibili quantitatis copulatiuo reſultat nouum indiuiſibile ſubſtantiæ vini, quod quia conſecratum non fuit, manet non conuerſum in ſanguinem, ſequitur primo, quod ob eandem rationem, quando ſpecies conſecratæ diuiduntur, & reſultant noua indiuiſibilia terminatiua quantitatis, debeant etiam reſultare indiuiſibilia ſubſtantiæ panis & vini, quia illa indiuiſibilia quantitatis non fuerunt conſecrata, atque ideo ſub illis non erit Chriſtus, ſed nouum indiuiſibile ſubſtantiæ reſultans ex diuiſione. Item, quando per motum localem aliæ partes conſecratæ aliis conſecratis continuantur in calice, toties reſultant noua indiuiſibilia quantitatis, & per conſequens noua indiuiſibilia ſubſtantiæ non conſecratæ; quare in calice conſecrato erunt poſt paululum temporis multa indiuiſibilia ſubſtantiæ vini de nouo producta admixta ſpeciebus conſecratis. Denique ex hoc fit, quod etiamſi totum vinum album conſecratum ſit potentius, & robuſtius, quam rubrum, cui poſtea miſcetur, adhuc reſultabit indiuiſibile copulatiuũ ſubſtantiæ nouum ſimile aliis, quæ erant vino albo, atque ideo aliquam ſubſtantiam vini albi ibi eſſe non conuerſam in ſanguinẽ Chriſti; quæ omnia videntur abſurda, & ideo non videtur concedendum corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe ſub indiuiſibilibus ſpecierum.

Non tamen tollitur difficultas, ſed augetur.

Oppoſitam tamen ſententiam, quod ſcilicet corpus, & ſanguis Chriſti ſint ſub indiuiſibilibus, tenet cum aliis P. Suarez *diſput.* 52. *ſect.* 3. & probari videtur, primo quia non magis repugnat totum Chriſtum eſſe in ſpatio indiuiſibili, qua in ſpatio diuiſibili exiguo; ergo cum neceſſe ſit concedere hoc ſecundum, non eſt cur negetur primum. Secundo, quia ſi ſolum eſſet in ſpatio indiuiſibili, ergo ſi contingat, hoſtiam diuidi per dimidium illius, ſequitur, vel diuidetur Chriſtus, vel incipiet eſſe totus in ſingulis partibus, vbi antea non erat totus. Tertio, quia corpus Chriſti eſt in hoc ſpatio, ſicut Angelus, ſed Angelus non ſolum eſt in partibus, ſed etiam in punctis; alioquin præſentia Angeli eſſet interrupta per vacuitates indiuiſibiles, ergo idem dicendum eſt de Chriſto. Quarto, quia ſub indiuiſibilibus quantitatis præerat aliquid ſubſtantiæ panis: nam omne accidens etiam indiuiſibile inhæret ſubſtantiæ, ſed nihil ſubſtantiæ panis remanet poſt conſecrationem; ergo illud conuertitur in corpus Chriſti ibi ſuccedens. 55.

Pater Suarez tenet oppoſitam ſententiam.

Suarez.

Probatur primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quarto addere poſſumus, quia anima noſtra tota correſpondet ſingulis indiuiſibilibus corporis; alioquin haberet præſentiam interruptam; nõ enim poteſt eſſe in ſpatio cõtinuo, ſi non ſint partes præſentiæ continuæ inter ſe mediis continuatiuis indiuiſibilibus, ergo nec anima Chriſti in Euchariſtia poteſt habere præſentiam continuam, niſi correſpondet tota ſingulis indiuiſibilibus ſpatij. Denique idem argumentum fieri poteſt de ipſo corpore Chriſti, quod niſi totum correſpondeat ſingulis indiuiſibilibus ſpatij; neceſſe eſt quod eius præſentia non ſit continua, ſed interrupta; quod cum non poſſit cõcedi, oportet, quod ſit etiam in indiuiſibilibus, non poteſt autem correſpondere pars ſola corporis Chriſti indiuiſibili ſpatij; iam enim eſſet vna pars corporis in vno indiuiſibili, & alia in alio; ergo debet totum corpus, ſicut tota anima, & ſicut tota ſubſtantia Angeli correſpondet. 56.

Additur exemplum animæ.

Vides vtriuſque partis argumenta ſatis difficilia: ego quidem neutris puto ſufficienter poſſe fieri ſatis. Vnde iuxta diuerſas Philoſophorum ſententias dupliciter diſſoluenda exiſtimo: nam illi, qui quantitatem componunt ex ſolis indiuiſibilibus, & negant diuiſibilitatem illam partium in infinitum, facile ſe expediunt ab hac quæſtione: concedunt enim, corpus Chriſti eſſe ſub ſingulis indiuiſibilibus ſpecierum; nec contra hos vrgent argumenta propoſita; quia in ea ſententia per continuationem non reſultant noua indiuiſibilia continuatiua, nec per diuiſionem noua terminatiua, ſed illa quæ prius erant continuatiua fiunt terminatiua, & è contra, ablata ſolum vel poſita eorum vnione inter ſe. Et ſicut ſub ſingulis punctis quantitatis præerat aliquod indiuiſibile ſubſtantiæ panis, ſic loco illius ponitur poſt conſecrationem totum corpus Chriſti per veram conuerſionem. In ſententia vero communi Philoſophorum ponente partes continui diuiſibiles in infinitum; exiſtimo conſequenter neganda eſſe omnia eiuſmodi indiuiſibilia tam in continuo permanenti, quam in ſucceſſiuo: hoc enim modo vitantur omnes fere difficultates, quæ ex illo principio paſſim in Philoſophia, & Theologia occurrunt, & aliud minus difficile ſoluuntur, quæ ad probanda ea indiuiſibilia ſolent afferri: de hoc tamen alio loco, Deo volente, dicemus ex profeſſo. 57.

Vtriuſque partis argumenta ſunt difficilia.

Res hac facilis eſt ſecundum opinionem componentem quantitatem ex ſolis indiuiſibilibus.

SECTIO

SECTIO IV.

Quid ſignificetur per ly corpus, in verbis conſecrationis.

38. Vidimus, quid ponatur in Euchariſtia; nunc iam incipimus examinare, quid ponatur ex vi verborum, & quid per concomitantiam: pro quo ſuppono, ex vi verborum poni ea, quæ ſignificantur per verba, & ſine quibus non eſſent vera verba conſecrationis; reliqua autem ponuntur per concomitantiam, quo ſuppoſito, quærimus inprimis quid ponatur ſub ſpeciebus panis ex vi verborum, quod eſt quærere, quid ſignificetur per *corpus*, quod ponitur in conſecratione panis?

59. *Prima ſententia.* *Gabriel.* *Suarez.* *Vaſquez.* *Reiicitur.* Prima ſententia docet, ſignificari materiam Chriſti Domini ſine aliquo alio. Hæc tribuitur Gabrieli, & aliis, quos afferunt P. Suarez *diſp.* 57. *ſect.* 4. & P. Vaſquez *diſp.* 186. *cap.* 1. Impugnatur tamen, quia materia ſola ſecundum ſe non dicitur corpus humanum, quale in præſenti ſignificatur: alioquin etiamſi illa materia eſſet iam ſub forma cineris, vel vermium, poſſet dici corpus Chriſti; quod falſum eſt.

60. *Secunda ſententia.* Secunda ſententia docet, ſignificari materiã connotando formam ſubſtantialem rationalem: itaque corpus ſolum includit materiam in recto, licet connotet formam in obliquo. Ita Sotus, & Ledeſma apud Vaſquez vbi ſupra *num.* 16. *Sotus.* *Ledeſma.* *Reiicitur.* Hæc etiam reiicitur, quia ſi anima ſignificaretur, licet de connotato; vere tamen ſignificaretur; & per conſequens anima poneretur ex vi verborum, & non per concomitantiam, quod eſt contra Tridentinum *ſeſſ.* 13 *cap.* 3.

61. *Tertia ſententia.* Tertia ſententia docet ſignificari materiam cum forma quadam partiali corporeitatis diſtincta realiter ab anima; per quam conſtituitur in eſſe corporis, & cum qua ſola remanet materia, abeunte anima, & ratione cuius dicitur eſſe idem corpus viuum, quod poſtea eſt mortuum. Hæc tribuitur Scoto, & aliis. Addũt tamen aliqui, illam formam non ſolum conſtituere corpus vtcumque, ſed organicum: conſtituit enim per diuerſas partes, quas habet, diuerſa membra, caput, manus, pedes, &c. ita vt ſit quædam forma ſubſtantialis incompleta diſponens ad formam viuentis. Ita opinatur & acerrime defendit P. Ægidius de Coninch in præſenti *art.* 2. *Coninch.* quia alioquin, ſi materia acciperet nouam formam cadaueris, quando moritur homo, ſequitur, corpus Chriſti mortuum fuiſſe vere corruptum: illud enim dicitur proprie corrumpi, quod in aliam ſubſtantiam diuerſam mutatur. Conſequens autem eſt contra illud Act. 2. *Neque caro eius vidit corruptionem.*

62. *Hæc ſententia ſupponit rem in Philoſophia difficilem.* Hæc tamen ſententia ſupponit rem in Philoſophia minus veram, quod ſcilicet in homine datur ſimul alia forma ſubſtantialis corporeitatis cũ anima rationali in eadem materia; quod impugnaui *int. Phyſic. diſp.* 3. & breuiter reiicitur, quia in primis illa forma, quæcumque ſit, non facit eum materia vnum ens completum) alioquin non poſſet materia rurſus actuari per formã rationalem;) ergo, abeunte anima, non poteſt materia naturaliter manere cum ſola illa forma, ſicut poteſt manere ſine vlla prorſus forma ratione ſui incomplementi. Adde, conſequenter idem dicendum eſſe de cadauere equi, quod in eo manet eadem forma ſubſtantialis corporitatis, cum neque in eo producatur de nouo forma cadaueris, vt ipſi ſupponunt; imo idem dicendum erit de arbore exciſſa, quod maneat lignum cum eadem forma ligni, quam antea habebat, licet non cum eadem anima vegetatiua. Quis autem credat, lignum mortuum eſſe ens minus completum, quam ferrum, vel lapidem, ſed materiam ſolam cum forma quadam incompleta. Denique nulla eſt neceſſitas confingendi illam formam ſubſtantialem, quæ ſimul ſit cum anima; nam quidquid accipit materia ab illa forma, poteſt accipere ſufficienter ab accidentibus ipſius & ab ipſa anima. Non ſunt autem multiplicandæ formę ſubſtantiales in materia abſque neceſſitate. *Non ſunt multiplicandæ formæ ſubſtantiales in materia ſine neceſſitate.* Nos quidem ponimus in corpore mortuo formam ſubſtantialem cadaueris; non tamen abſque neceſſitate, ſed ne maneat materia prima abſque forma: & quia proprietates, & operationes ligni, v. gr. non minus arguunt in ipſo formam ſubſtantialem, quæ ſit earum principium intrinſecum, quam in ferro, vel lapide, vt dicebamus: quare cum forma ferri, vel lapidis ſit ſubſtantialis completa, cogimur idem de ligno, vel eſſe mortuo fateri. At vero, dum viuit, non eſt cur aliam formam ſubſtantialem multiplicemus vltra animam.

Adde, non eſſe iuxta naturam, quod corrumpatur aliqua forma ſubſtantialis abſque introductione alterius, corruptio enim non intenditur propter ſe, ſed propter generationem, & ideo dicitur generatio vnius eſſe corruptio alterius, quando ergo corrumpitur viuens, debet introduci alia forma noua ſubſtantialis; alioquin dabitur corruptio vnius abſque generatione alterius. Item dabitur e contra generatio vnius abſque corruptione alterius: nam quando in materiam embryonis introducitur forma viuentis, fit generatio ſubſtantialis abſque corruptione formæ embryonis; quia ſicut formæ cadaueris ſunt illæ formæ partiales, quæ erant in viuente, ſic formæ embryonis ſunt eædem formæ partiales, per quas prius organizatur, & diſponitur materia ad formam viuentis, & quæ remanent in viuente: generatur ergo ſubſtantialiter viuens abſque corruptione aliqua ſubſtantialis, & corrumpitur ſubſtantialiter abſque generatione ſubſtantiali, quod videtur eſſe contra mentem Philoſophorum dicentium, corruptionem non intendi per ſe, ſed per accidens, occaſione generationis, quæ de nouo ponitur. 63.

64. *Quod hic dicitur non ſatisfacit.* Nec ſatisfacit, ſi dicas, corruptionem poni propter generationem, & formam ſubſtantialem, non quæ de præſenti introducitur, ſed quæ poſtea introducetur: corrumpitur quippe viuens, vt poſtea ex ipſo generentur vermes; & in hoc ſenſu corruptio affert generationem, ſcilicet præſentem, vel futuram; hoc, inquam, non ſatisfacit; primo, quia finis ille, & eius aſſequutio longe nimis diſtat, quando v. gr. corrumpitur anima vegetatiua cedri, vt poſt tria, vel quatuor annorum millia, quibus cedrus incorrupta manet, poſſint ex ipſa generari vermes: certe Philoſophi non ſignificant concomitantiam adeo diſtantem inter generationem vnius, & corruptionem alterius. Deinde, ſi illa intentio generationis futuræ ſufficeret ad ponendam corruptionem poſſet etiam dici, quando alimentum prius conuertitur in chylum, vt poſtea conuertatur in ſanguinem, corrumpi quidem ſubſtantialiter alimentum, non tamen introduci formam ſubſtantialem, ſed accidentia, quia illa corruptio fit propter productionem ſanguinis futuram, atque adeo in ſpe futuræ generationis ſpoliari materiam forma alimenti, abſque alia forma ſubſtantiali præſenti, ſed futura; quæ omnia non ſatis Philoſophice dicerentur.

65. *Addunt aliqui.* Addunt aliqui, formas illas partiales fore, & non fore ſubſtantiales: fore quidem, quia ita ſupponuntur a ſuis aſſertoribus; non fore item, quia ſubſtantia eſt prima radix cæterorum; illæ autem formæ non ſunt prima radix, ſed ipſæ potius radicantur in anima, quæ eas exigit, ſicut & alias diſpoſitiones accidentales; ergo non eſſent ſubſtantiales, ſed

accidentales. Hoc tamen argumentum non eſt efficax, quia illæ formæ non ſupponunt, ſed potius præcedunt animam; non ergo radicantur in illa.

66. *Inſtantia. Diluitur.* Dices ergo è contra, anima non erit ſubſtantialis, quia iam ſupponit primam radicem ſubſtantialam. Reſpondeo negando ſequelam; quia conceptus ſubſtantiæ, vt alibi dixi, non eſt, quod ſit prima radix vtcumque, ſed radix determinata, alioquin forma non eſſet ſubſtantialis, quia ſupponit materiam, quæ eſt prima radix formarum; quia tamen nondum eſt prima radix determinata, ſed ipſa materia cum forma, componit primam radicem determinatam; ideo forma, etiam eſt ſubſtantialis. Illæ ergo formæ partiales non ſunt prima radix determinata formæ viuentis, quia ſicut materia eſt indifferens ad formam viuentis, & non viuentis; ſic illæ formæ partiales non exigunt determinate animam, cum poſſint eſſe etiam in embryone, vel cadauere: non ergo impediunt, quod forma viuentis ſit etiam ſubſtantialis.

67. *Inſtabis.* Dices, iuxta hanc regulam ipſæ formæ partiales non erunt ſubſtantiales, quia ſupponunt primam radicem determinatam ſui ſcilicet diſpoſitiones præ-requiſitas ad illas formas. *Reſpondent aliqui.* Reſpondens aliqui diſpoſitiones non eſſe radicem formæ, ſed potius è contra; quia licet forma ordine naturæ ſubſequatur, præcedit tamen ordine intentionis; ſufficit autem ad conceptum ſubſtantiæ, quod ſit prima radix ſaltem in genere cauſæ finalis: & quidem certum eſt, diſpoſitiones eſſe propter formam, & non è contra formam propter diſpſitiones.

68. *Reiicitur hæc reſponſio.* Hoc tamen reſponſum, & extenſio ſubſtantiæ ad primam radicem in genere cauſæ finalis, non videtur eſſe iuxta mentem philoſophorum; & aliunde videtur continere petitionem principij. Philoſophi enim nomine *ſubſtantiæ* intelligunt id, quod ſubſtat aliis, id eſt, quod quaſi fundamentum cæterorum ea ſuſtinet, & reſtaurat, ſicut radix reſtaurat frondes, & ramus amiſſos in arbore; quod certe non eſt munus cauſæ finalis. Nec poterunt abſque petitione principij ea ratione diſcernere ſubſtantias ab accidentibus: quando enim dubitatur, an diſpoſitiones ſint ſubſtantia, dicis, non eſſe ſubſtantiam, quia ipſæ ſunt propter formam. Si turſus quæram, vnde

69. ſcis eas eſſe propter formam? Reſpondebis, quia accidentia ſunt propter ſubſtantiam, & non è contra: & nunquam reddes rationem, cur forma ſubſequens ſit ſubſtantia, niſi recurras ad illam communem Philoſophis, quia ſcilicet præter diſpoſitiones datur aliud, quod reſtaurat ipſas diſpoſitiones ex parte amiſſas, quod eſt eſſe radicem determinatam aliorum: hoc autem non conuenit diſpoſitionibus: nam licet ſemper aliquæ diſpoſitiones præcedant conſeruationem formæ, non tamen hæ determinatæ; v. gr. in homine requiritur ad eius temperamentum tanta humiditas, tantus calor, frigus, & *Vnde conſtet diſpoſitiones non eſſe formam compoſiti.* ſiccitas. Si caſu decreſcat frigus à debito gradu, non ideo moritur homo, ſed potius forma ſubſtantialis paulatim reſtaurat gradū frigoris amiſſum, & reducit temperamentum ad ſtatum debitum; quod idem facit, ſi decreſcat calor, vel ſiccitas, &c. niſi ita ſit notabilis mutatio in qualitatibus, vt iā non poſſit perſeuerare forma vnita. Vnde conſtat, diſpoſitiones illas non eſſe ſubſtantiam hominis; quia hæc debet eſſe aliqua radix, quæ eadem manens ſit fundamentum aliorū: diſpoſitiones autem non ſunt tales, quia variantur, creſcentibus, & decreſcentibus, modo his, modo illis, & datur aliud principium, quod idem manens reſtaurat ea, quæ de temperamento perduntur: illud ergo aliud principium merito appellamus ſubſtantiam, & non temperamentum diſpoſitionum. Adde, aliud temperamentum nihil aliud eſſe niſi conflatum ex multis qualitatibus; quarum ſingulæ non ſunt ſubſtantia, ſed accidens, vt conſtat de ſingulis gradibus caloris, frigoris, &c. ergo nec totum, quod reſultat, poteſt eſſe ſubſtantia; quia ex accidentibus non poteſt componi ſubſtantia. Hoc obiter dixerim, quia exiſtimo, non ſatis efficaciter impugnare illo argumento, formas partiales ſuperadditas animæ; licet hæ formæ partiales, vt dixi, ex aliis capitibus non mihi probentur.

Nunc iam ad fundamentum, quod pro ipſis afferebat P. Coninch de corruptione corporis Chriſti; quod non eſt ad rem, quia ideo dicitur corpus Chriſti incorruptum, ſicut illa corpora Sanctorum, quia licet fuerit verum cadauer, non tamen abiit in vermes vel cineres, ſed ſemper manſit verum corpus humanum: ideo licet compoſitum præcedens fuerit corruptum, non tamen ipſum cadauer. 70. *Reſpondetur ad argumentum Patris Coninch.*

Quarta ſententia docet, per *corpus* ſignificari materiam cum forma ſubſtantiali, non quidem determinata, & ſingulari, ſed ſecundum gradum ſuperiorem, & rationem communem, in qua conueniunt forma rationalis, & forma cadaueris humani, quatenus vtraque cum materia conſtituit corpus humanum organicum, abſtrahendo à viuo & mortuo. Ita Suarez vbi ſupra, cum aliis. Hanc ſententiam impugnat Vaſquez duplici argumento: primo, quia caro viua, & mortua non habent rationem communem carnis, in qua conueniant; dicuntur enim æquiuoce *caro*: ergo per *corpus* non poteſt ſignificari forma ſubſtantialis ſecundum gradum communem carni viuæ, & mortuæ, cum nullus detur talis gradus communis. Antecedens probat ex Ariſtotele 2. *de generatione animalium*, cap. primo, his verbis: *non enim eſt facies, niſi animam habeat, neque caro; ſed corrupta æquiuocè dicitur facies, aut caro, perinde quaſi lapidea, lignea facta ſit.* 71. *Quarta ſententia.* *Suarez. Vaſquez. Hanc ſententiam impugnat Vaſq.*

Hoc tamen argumentum, & teſtimonium Ariſtotelis nimium probaret; probaret enim etiam contra ipſum Vaſquez, non ſolum non dari rationem communem carnis viuæ, & mortuæ, ſicut non datur ratio communis cani latrabili, & cæleſti; ſed etiam quod caro mortua non eſt proprie, & ſimpliciter caro, ſicut nec caro lapidea; ex quo ſequitur non fore vera proprie verba conſecrationis, niſi poneretur caro Chriſti viua. Quare dictum illud Ariſtotelis omnes debemus vel reiicere, vel ita explicare, vt non omnino neget conuenientiam inter carnem viuam, & mortuam, ſed dicat tantam eſſe inæqualitatem & diſtantiam, vt ferè videatur intercedere analogia; ſicut rationem communem entis appellare ſolent analogam, vel æquiuocam ob maximam diſtantiam accidentis à ſubſtantia, & entis creati ab increato; licet reuera ſit in rigore vniuoca, vt probaui in Dialectica. 72. *Hoc argumentum nimis probat.*

Secundo arguit P. Vaſquez ſupra *num.* 8. quia ſi *corpus* ſignificat concretum totale ſecundum gradum genericum; ergo non poteſt Chriſtus dicere, *hoc eſt corpus meum*: ſic nec dicimus, *hoc eſt animal meum*, vel *viuens meum*; loquendo de ratione generica animalis, vel viuentis in nobis reperta; quia illud *meum* debet cadere ſupra id, quod eſt pars phyſicè, & realiter, vel quod ſignificatur ad modum partis: gradus autem genericus non ſignificatur vt pars realis, & phyſica; alioquin non poſſet prædicari de toto; vt de facto prædicatur. Cæterum nec hoc argumentum eſt efficax; quia licet gradus genericus animalis, vel viuentis in concreto non ſignificetur vt pars, quia animal nō ſolum dicit naturam, ſed etiam ſubſiſtentiam; at vero animalitas, in abſtracto vere eſt pars, dici autem poſſet, quod corpus intelligitur 73. *Secundò arguit Vaſq.* *Neque hoc argumentum eſt efficax.*

in

in abſtracto pro natura corporis prout diſtincta à ſubſiſtentia, quare ſicut in abſtracto poteſt Chriſtus dicere: *hac, eſt mea animalitas*, ſic poteſt dicere: *hoc eſt corpus meum*, loquendo de natura corporis in abſtracto. Differt autem corpus ab animalitate in hoc, quod animal in concreto & abſtracto ſignificatur per diuerſas voces: corpus autem ſiue in concreto, ſiue in abſtracto ſignificatur per eamdem vocem; ſicut etiam ſubſtantia, quæ eſt genus ſupremum ſignificatur per eamdem vocem in concreto, & in abſtracto; & ideo poſſumus dicere. *Chriſtus eſt ſubſtantia*, ſumendo illam in concreto, & poſſumus etiam dicere *hac eſt mea ſubſtantia*, ſumendo illam in abſtracto Ex quo etiam fit, vt licet non poſſimus tamen dicere *verbum aſſumpſit animal, ſed animalitatem* poſſimus tamen dicere *verbum aſſumpſit ſubſtantiam*, & ſimiliter: *verbum aſſumpſit corpus*; & licet non poſſimus dicere, quod panis conuertitur per ſe in ſubſiſtentiam Chriſti, dicimus tamen conuerti per ſe in corpus Chriſti; quia ſcilicet corpus non includit ſubſiſtentiam, nec ſumitur in concreto, ſed in abſtracto: ergo *corpus* poteſt ſignificari vt pars, licet *animal* non poſſit.

74. *Melius ergo impugnatur prædicta ſententia.* *Trident.* Melius ergo impugnatur prædicta ſententia ex Concilio Tridentino *dicta ſeſſ. 13. cap. 3.* vbi dicitur, animam Chriſti poni ſub ſpeciebus panis per concomitantiam: ergo ex vi verborum non ponitur aliqua forma, ſubſtantialis ſignificat in recto; ergo *corpus* non ſignificat compoſitum ex materia & forma. *Reſpondet Suarez.* Reſpondet Suarez, animam non poni ex vi verborum, quatenus anima eſt, ſed quatenus forma corporis organizat vero vt animam eſt ponitur per concomitantiam. *Hæc ſolutio impugnatur.* Sed hæc ſolutio impugnatur, quia ex vi verborum ponimr non ſolum corpus in communi ſed hoc numero corpus in particulari; ergo non ſolum ponitur forma in communi; ſed hæc numero forma in particulari, patet conſequentia, quia in ratione huius corporis, non conſtituitur per formam in communi, ſed per hanc numero formam, ſaltem intellectum cum vltima hæcceitate ex hoc autem ſequitur, differentiam ſpecificam non poni per concomitantiam; quia hæc differetia ſpecifica non ponimr propter coniunctionem ſeu vnionem realem cum eo, quod ponitur ex vi verborum, ſed propter identitatem cum hæcceitate formæ, quæ ponitur ex vi verborum: hæc autem non eſt concomitantia, de qua loquitur Concilium, illa enim fundatur in inſeparabilitate naturali vnius partis ab alia, cum qua vnitur: hæc vero in identitate eſſentiali vnius formalitatis cum alia. Confirmatur, quia pari ratione poſſet aliquis contendere, ſanguinem poni ſub ſpeciebus panis ex vi verborum, non quidem vt ſanguis eſt, ſed vt eſt pars corporis humani: quod tamen ſatis alienum eſſet à mente Tridentini.

75. *Alij reſpondent.* Aliqui recentiores reſpondent, non eſſe nouum, quod cauſa producens aliquem effectum, habeat quidem virtutem ad producendam rationem communem illius formaliter loquendo, nõ vero ad particularem, atque ideo ratio particularis non tribuatur illi cauſæ formaliter loquendo, ſed alteri comprincipio. Sic enim Deus concurrit cum voluntate humana, quando fit actus malus, & Deo quidem tribuitur ratio communis, non vero differentia actus mali. Item intellectus concurrit cum lumine gloriæ ad actum viſionis Dei, & Intellectui tribuitur vitalitas, non ſupernaturalitas viſionis. Sic ergo verba conſecrationis ex ſe habent virtutem ad ponendum corpus Chriſti ſecundum rationem communem corpori viuo, & mortuo: atque ideo, quando de facto ponitur viuum, verbis tribuitur ratio communis, differentia autem viui non verbis, ſed Deo, qui illam actionem determinat ad corpus viuum, & ad animam potius, quam ad formam cadaueris eo quod de facto anima, & non forma cadaueris ſit vnita tali materiæ, & in hoc ſenſu dicitur anima poni per concomitantiam, ſeu ratione vnionis, quam de facto habet cum materia. Sicut ergo ignis ex ſe habet virtutem producendi calorem, non tamen poteſt ex ſe producere hunc numero calorem in indiuiduo, niſi determinetur à cauſa prima ad hoc indiuiduum caloris iuxta communem Philoſophorum ſententiam, & ideo indiuidatio huius caloris non tribuitur igni, neque eſt ex virtute ipſius, ſed ex determinatione Dei: ſic verba conſecrationis ex ſe poſſunt ponere corpus Chriſti, non tamẽ poſſunt determinate ad viuum, & ideo corpus Chriſti ponitur ex virtute verborũ, determinatio vero ad viuum ex voluntate Dei propter ſtatum vitæ, quem corpus illud de facto habet: & ſicut ignis de ſe petit, quod cauſa prima determinet eius indifferentiam ad aliquod indiuiduum in particulari: ſic verba petunt, quod Deus determinet eorum indifferentiam ad corpus viuum vel mortuum: ipſa tamen determinatio ad corpus viuũ nõ exigitur à verbis, nec tribuitur verbis. Idem autem eſt, aliquid nõ tribui virtuti verborum, & non poni ex veritate verborũ: quia verba agunt, & operantur propter veritatem, quam ſignificant: vnde ſicut veritas verborum exigit corpus Chriſti, non tamen viuũ, ſic differentia viui non ponitur ex vi, aut veritate verborum formaliter, ſed ſola ratio communis corporis humani Chriſti. 67.

Sed quidquid ſit de tota hac doctrina, applicari non poteſt ad præſentem difficultatem explicandam, quia ſi nomine *corporis* intelligitur compoſitum ſubſtantiale importans in recto materiam, & formam ſubſtantialem, pro vt hi Auctores intelligunt, non poteſt negari, quod de facto hæc forma ſubſtantialis, ſcilicet anima rationalis ponatur ex veritate, & virtute verborum conſecrationis Ad veritatem enim verborum non ea ſolum requiruntur, ſine quibus in nullo caſu verba eſſent vera, ſed ea omnia, ſine quibus hic, & nunc verba non eſſent vera, ſed falſa: nam ſi Chriſtus haberet, v. g. corpus ieiuniis magis attenuatum, verba eſſent vera, licet non poneretur corpus ita plenum, quod de facto habebat: nunc tamen ad perfectam veritatem verborum oportuit poni idem corpus, quale de facto habebat Item ſi temporis decurſu perdidiſſet plures partes, & acquiſiſſet alias, verba eſſent vera, licet non ponerẽtur hæ partes, quas modo habet: nunc autem ad veritatem verborũ oportet poni corpus cum his partibus, quas de facto habet, quia verba vt ſint vera, debet poni illud idem corpus, quod de facto habet Chriſtus; non aliud, quod potuiſſet habere, & quod ſi haberet, illo poſito, verba eſſent vera: ſimiliter ergo ſi hoc corpus conſtituitur de facto per hanc formam ſubſtantialem, & ad veritatem verborum requiritur, quod ponatur illud corpus, quod de facto Chriſtus habet, conſequens eſt, vt verba ad ſui veritatem exigant hic & nunc, quod ponant tale corpus cum tali forma ſubſtantiali; ergo hic, & nunc anima rationalis ponetur ex veritate verborum. 76. *Quidquid ſit de tota hac doctrina applicari non poteſt ad præſentem difficultatem.*

Fateor, non requiri animam ad veritatem verborum in quocumque caſu, ſed neque hæc materia requiritur ad veritatem verborum in omni caſu: nam ſi paulatim deperditæ eſſent hæ partes, & aliæ acquiſitæ, non deberent poni hæ partes, ſed aliæ, vt verba eſſent vera; ſicut ergo de facto hæc materia ponitur, non per concomitantiam, ſed ex veritate verborum, quia de facto hæc materia conſtituit hoc corpus Chriſti, ſic de facto hæc forma ponetur ex veritate verborũ; quia de facto Chriſtus habet tale corpus, *Fateatur ab requiri animam ad veritatem verborũ in quocũque caſu.*

quod conſtituitur in ratione talis per talem formam, non minus quam per talem matariam.

77. *Quinta ſententia.*

Quinta ſententia docet per *corpus* ſignificati non materiam ſolam, ſed vt accipit eſſe corporis à forma ſubſtantiali, non quidem rationem communem corporis, ſed diſiunctum ex corpore viuo vel mortuo, ita vt neutrum ſignificetur determinate; ſed hoc vel illud diſiunctim, quaſi dicas: hoc eſt corpus Chriſti viuum, vel mortuum. Hinc eſt, ad veritatem huius propoſitionis non requiri determinate animam, nec determinare formam cadaueris, ſed vnam vel alteram; quare quod ponatur anima de facto, non prouenit ex mera ſignificatione verborum, ſed ex eo, quod de facto corpus Chriſti reperitur in cœlo cum anima rationali. Hanc tenet pater Vaſquez vbi ſupra *cap. vltimo* cum aliis: & probat ex impugnatione aliarum, & quia hoc modo ceſſant omnes difficultates. Hæc ſententia non diſplicet, ſi aliquid addat, & aliter explicetur, quod forſan non erit contra mentem ſuorum Auctorum, ideo eam impugnare nolo.

78. *Concluſio. Quid per corpus intelligatur. Duplex eſt organizatio.*

Dico ergo per vocem *corpus* non ſignificati determinate compoſitum ſubſtantiale, ſed materiam cum organizatione ſufficienti ad hoc, quod habeat diuerſitatem partium, carnis ſcilicet, oſſis, cordis &c. Pro quo aduerte, corpus organicum habere duplicem organizationem, alteram ſubſtantialem, alteram accidentalem; prima prouenit à forma ſubſtantiali, tali vel tali modo vnita materiæ. Suppono enim ex Philoſophia, partes viuentis eſſe ſubſtantialiter heterogeneas; ita vt caput ſubſtantialiter differat à manibus, ſiue ratione diuerſæ formæ partialis in brutis, ſiue ſaltem ratione diuerſæ vnionis ſubſtantialis in homine; itaque in ipſa ſubſtantia hominis datur organizatio, & diuerſitas partium ſufficiens ad cōponendum corpus humanum, etiam ſi nullum eſſet accidens. Alia eſt organizatio accidentalis orta ex diuerſitate accidentium, & diſpoſitionum; ratione cuius materia, etiam ſi careret forma ſubſtantiali, diceretur vere organizata, & corpus humanum aptum ad recipiendam animam rationalem, vel formam cadaueris. Hoc ſuppoſito, videtur veriſimile materiam primam, vt ſubeſt cuilibet ex his organizationibus, intelligi poſſe appellatione *corporis*: nam vt ſubeſt illis eſt materia organizata, & componens cum forma ſubſtantiali compoſitum vel viuentis vel cadaueris, & quidem hanc eſſe ſignificationem corporis in prædictis verbis, probari poteſt ex impugnatione aliarum ſententiarum, & ex communi modo loquendi, quo corpus non ſignificat totum compoſitum, ſed partem illius diſtinctam ab anima; nam licet aliquando apud Philoſophos *corpus* accipiatur pro toto compoſito ſubſtantiali, & prædicetur in recto de homine: cæterum in modo communi loquendi vix accipitur *corpus* in hac ſignificatione, ſed pro vna parte compoſiti humani, prout condiſtinguitur ab anima; & ideo dicimus hominem habere corpus, conſtare ex corpore, & anima: Verbum aſſumpſiſſe humanitatem conſtantem ex corpore, & anima; & in eodem ſenſu dicitur in Symbolo Athanaſij, quod *anima rationalis, & caro vnus eſt homo*; & denique in hoc ſenſu loquitur Tridentinum vbi ſupra de corpore Chriſti, quod ponitur in Euchariſtia ex vi verborum, vt de parte condiſtincta ab anima; dicit enim, *corpus poni vnà cum anima*, & corpus poni ex vi verborum, animam vero per concomitantiam partium inter ſe: quibus ſatis indicat, loqui de corpore, & anima, vt ſunt duæ partes hominis condiſtinctæ realiter inter ſe.

Probatur ex impugnatione aliarum ſententiarū.

79. Cum ergo nomine *corporis* debeat intelligi vna hominis pars; hæc autem non poſſit eſſe ſola materia prima ſecundum ſe, vt ſupra probatum eſt, quia ſola materia ſecundum ſe non eſt corpus humanum: neceſſe eſt intelligere materiam, vt ſubeſt organizationi humanæ, & diuerſitati membrorum hoc autem habet materia, tum ex accidentibus, vt dixi, tum etiam ex vnione cum forma ſubſtantiali; quia licet omnia illa accidentia diuinitus tollerentur ab homine, poſſet diuinitus manere homo; & per conſequens eſſet verum dicere de illo, quod conſtaret ex corpore & anima, ſine quibus non datur homo; ergo eſſet etiam verum dicere, *hic adeſt corpus Petri*, v.g. ergo poſſent verificari verba conſecrationis poſita materia prima præciſè cum organizatione ſubſtantiali; ergo ad veritatem verborum ſolum requiritur materia cum altera ex illis organizationibus: quælibet enim ſufficit, vt illa denominetur corpus humanum. Ex quo infertur, materiam poni ex vi verborum, non vero animam rationalem quia licet anima non poneretur, poſſent eſſe vera verba ratione organizationis accidentalis: ponitur tamen de facto anima propter vnionem, quam de facto habet cum materia, vt dixit Tridentinum vbi ſupra.

Corporis nomine debet intelligi vna hominis pars.

80. *Obiectio prima.*

Obiicies primo; nomine *corporis* intelligitur aliqua pars compoſiti humani, vt diximus, ſed corpus organicum, quod reſultat ex materia, & organizatione ſubſtantiali, non eſt pars, ſed totum, cum includat materiam & formam ſubſtantialem, à qua prouenit formaliter illa organizatio ſubſtantialis; ergo nomine *corporis* non poteſt intelligi materia, pro vt ſubeſt organizationi ſubſtantiali; ſed ſolum pro vt ſubeſt organizationi accidentali; vt ſic enim eſt pars hominis.

81. *Reſpondeo.*

Reſpondeo, negando minorem; quia dempta organizatione accidentali, poſſet diuinitus manere homo, vt dicebam; & non poſſumus negare, quin ille homo conſtaret ex corpore, & anima; ergo in illo compoſito intelligimus duas partes; quarum vna ſit corpus. Dices, illa pars non eſſet materia ſola, quia materia ſecundum ſe non eſt corpus humanum; ergo eſſet materia cum anima; ergo non eſſet pars, ſed totum. Reſpondeo, illam partem eſſe materiam in recto, connotantem tamen in obliquo formam ſubſtantialem: itaque illa pars eſſet materia organizata: & ſicut materia organizata non eſt homo, nec materia animata eſt homo, licet habeat formaliter ab anima eſſe animatam, vel organizatam: ſic etiam licet habeat formaliter ab anima eſſe corpus humanum, non tamen eſt idem corpus humanum quod humanitas; quia hæc dicit in recto vtramque partem: eſt enim materia & forma vnita; corpus vero non eſt humanitas, quia non dicit in recto vtramque partem, ſed alteram; eſt enim materia informata, & organizata ſubſtantialiter ab anima. Scio, nomine *corporis* aliquando ſignificari apud Logicos aliquod prædicatum ſuperius compoſitum ex materia, & forma, quod prædicatur de inferioribus: ſed tamen in vulgari ſermone non habet hanc ſignificationem, ſed ſupponitur pro vna parte phyſica compoſiti humani; in quo ſenſu non dicit in recto niſi ſolam materiam; in obliquo vero organizationem ſubſtantialem, vel accidentalem. Nec obſtat *corpus* eſſe nomen ſubſtantiuum: ſunt enim aliqua nomina ſubſtantiua, quæ dicunt aliquid in recto, & aliud in obliquo: ſicut *Sacramentum* non eſt ſignificatio, ſed id quod habet ſignificationem; & *mater* non eſt ſubiectum, & maternitas, ſed ſubiectum habens maternitatem: ita etiam *corpus* eſt materia habens organizationem, quod non poteſt, melius probari quam ex communi modo

Inſtabit.

Reſpondeo. Illa pars eſt materia in recto, connotans in obliquo formam

Corpus dicit tantū vnam partem in recto.

Sunt aliqua ſubſtantiua quæ dicunt aliquid in recto, & aliud in obliquo.

conci piendi,

concipiendi, & loquendi, nam ſi importaret in recto vtramque partem, non diceretur homo conſtare ex corpore, & anima, ſed ex materia, & anima, vt dixi, *homo* vero ſignificat vtramque partem in recto non præciſe, quia eſt ſubſtantiuum, ſed quia ad ſic ſignificandum impoſitum eſt, vt conſtat ex vſu: non enim dicimus, *materia eſt homo.*

82. *Obiectio ſecunda.* Obiicies ſecundo ex Suarez vbi ſupra, quia in conſecratione datur ex vi verborum vera tranſſubſtantiatio, ergo conuerſio totius ſubſtantiæ panis in totam ſubſtantiam, ergo non in ſubſtantiam partialem ſolam, qualis eſt materia. *Reſponſio.* Reſpondeo, hoc argumento probari etiam eſſe ex vi verborum ſubſiſtentiam Verbi, quia humanitas prout condiſtinguitur à ſubſiſtentia, non eſt ſubſtantia integra & completa, (non enim deſineret tota ſubſtantia panis, niſi deſineret etiam ſubſiſtentia panis, (ergo vt detur tranſſubſtantiatio, deberet eſſe etiam ex vi verborum ſubſiſtentia Chriſti, quod eſt contra ipſum Suarez. Ad argumentum ergo reſpondeo, ad *Non requiritur ad tranſſubſtantiationem quod terminus formalis ſit ſubſtantia completa.* tranſſubſtantiationem non requiri, quod terminus formalis ſit ſubſtantia completa, ſed ſolum quod conuerſio fiat in ordine ad eadem accidentia, quibus antea ſubſtabat vna ſubſtantia, & nunc ſuccedit alia in eodem munere ſubſtandi, quæ tota eſt terminus formalis conuerſionis, ſiue hæc ſit ſubſtantia completa, ſiue incompleta.

83. *Obiicitur tertio.* Tertio obiici poteſt ex eodem Suarez, quia terminus qui ponitur ex vi verborum, debet eſſe aliquid, quod naturaliter poſſit exiſtere ex vi ſuæ ſubſtantiæ, ſed non eſt huiuſmodi ſola materia, ergo *Reſpondeo.* non ſola illa ponitur ex vi verborum. Reſpondeo, hoc argumentum habere mille inſtantias in ſententia ipſius Suarez contra ipſum; quia humanitas non poteſt exiſtere ſine ſubſiſtentia; & tamen ſubſiſtentia non eſt ex vi verborum: item ſanguis non poteſt conſeruari naturaliter ſine corpore, neque è contra; & tamen corpus non ponitur ex vi verborum cum ſanguine, neque è contra; ergo prima propoſitio, quæ aſſumitur in hoc argumento, eſt omnino falſa.

84. *Infertur deciſio alterius quæſtionis.* Ex dictis infertur deciſio alterius quæſtionis, de qua Sanctus Thomas *art.* 4. in corpore, vtrum quantitas, & alia accidentia corporis Chriſti ponantur ex vi verborum. Poteſt autem ſermo eſſe vel de accidentibus pertinentibus ad organizationem corporis humani, vel de aliis. Et quidem de aliis facile reſpondetur, ea omnia eſſe in Eucharistia per concomitantiam, vt dictum eſt ſupra *ſect.* 1. in fine; vbi obiter notandum eſt, P. Vaſquez *diſp* 193. *num.* 14. licet concedat, Chriſtum habere in Euchariſtia qualitates, quas habet in cœlo, dicere tamen non habere ibi paſſiones, quas alibi; quare in Euchariſtia erit calidum ex calore alibi accepto, non tamen erit in Euchariſtia calefactus, quia non habet in Euchariſtia calefactionem, ſed calorem; pro quo affert S. Thomam infra *quæſt.* 81. *art.* 4. in corpore. Cæterum ſi ſermo ſit de actionibus, & paſſionibus, quæ non ſignificant motum, vel propinquitatem localem, ego non dubito, poſſe corpus Chriſti, & debere ab ipſis in ſacramento denominari; quia in Euchariſtia habet non ſolum qualitatem, ſed etiam actionem ipſam, quare ab vtraque debet ibi denominari. Nec oppoſitum docuit S. Thomas: loquitur enim de flagellatione, conſputione, &c. quæ ſignificant

85. approximationem localem duorum corporum, v.g. *Difficultas eſt de accidentibus pertinentibus ad organizationem.* flagelli, & carnis, &c. quam approximationem non haberet in Euchariſtia.

Difficultas ergo eſt de accidentibus pertinentibus ad organizationem accidentalem, de quibus P. Vaſquez *diſp.* 187 *cap* 4. docet, ſignificari ex vi verborum, quia ex vi verborum ſignificatur caro, & corpus humanum: debet autem conſtitui in eſſe carnis, & corporis organici per aliquam organizationem accidentalem, ſine qua non intelligitur diuerſitas organorum; ergo organizatio accidentalis debet etiam ſignificari per verba. Reſpondet P. Suarez dicta *ſect.* 5. in fine, accidentia organizationis ſignificari per verba non per ſe primo, ſed concomitanter. Sed contra, quia repugnant ſignificari per *Reſpondeo.* verba, & concomitanter: concomitans enim in præſenti dicitur illud, quod non ſignificatur, nec requiritur ad veritatem verborum; ergo ſi verba non ſunt vera ſine organizatione accidentali, hæc ponitur ex vi verborum, & non concomitanter: ſi autem poſſunt eſſe vera ſine illa; ergo non ſignificatur per verba vllo modo. Verius tamen exiſtimo cum P. Suarez *diſp.* 51. *ſect.* 5. accidentia non poni ex vi verborum, quæ eſt ſententia S. Thomæ dicto *art.* 4. & probatur breuiter ex noſtris principiis, quia *corpus* non ſignificat organizationem accidentalem, vel ſubſtantialem determinate, ſed aliquam diſiunctim; ergo neutra ponitur ex vi verborum; poſſunt enim eſſe vera verba, licet accidentia non ponerentur: nunc ergo ponuntur ratione vnionis, & coniunctionis, quam habent cum corpore Chriſti.

Dices; ex vi verborum ponitur aliqua organizatio in materia; ergo illa, quam de facto habet corpus Chriſti, quia de facto ponitur ex vi verborum illud corpus, quod de facto habet Chriſtus, & cum illis partibus integrantibus, quas habet, &c. ergo cum illa organizatione, à qua de facto habet eſſe corpus humanum; alioquin non videretur poni idem corpus, ſed aliud. Reſpondeo in primis, licèt de facto ponerctur illa materia in Euchariſtia cum alia organizatione, forſan ſufficeret, vt eſſet idem corpus; quia hoc corpus non importat in recto niſi hanc materiam; variato autem illo ſolum, quod importatur in obliquo, non variatur corpus; & ita ex vi verborum non videtur ponenda organizatio, quam habet corpus Chriſti in cœlo. Sed addo, licet id requireretur, non tamen poni determinate organizationem accidentalem, vel ſubſtantialem ex vi verborum; quia verba neutram determinate ſignificant, ſed aliquam diſiunctim. 86. *Inſtantia.* *Diluitur primo.* *Addo tamen*

Dices adhue, verba operantur, quod ſignificant, 87. ſed ſignificant aliquam organizationem; ergo ponunt aliquam, ergo accidentalis, vel ſubſtantialis *Inſtabis adhuc.* ponitur ex vi verborum. Reſpondeo, verba operari *Reſpondeo verba operantur quidem quod ſignificant, hoc tamen fieri non poteſt quin operentur aliquid quod non ſignificant.* quod ſignificant; cæterum non poſſe hoc fieri, quin operentur aliquid etiam, quod non ſignificant, quia licet poſſint ſignificare organizationem ſub diſiunctione, non tamen poſſunt ponere aliquam, quæ non ſit determinata, & per conſequens ponitur cum determinatione, quam verba non ſignificant. Sicut qui vouet recitare vnum Pſalmum, non poteſt illud votum implere, quin faciat aliquid, quod non promiſit, ſcilicet recitare hunc determinate, ad quod non tenebatur ex vi voti: quare ex vi præciſa illius voti non poteſt poni determinate aliquid, ad quod teneatur ex vi præciſa obligatione voti. Fatemur ergo quod ex vi verborum ponitur aliqua forma diſiunctim; quia poni ex vi verborum, eſt poni, & ſignificari per verba, & ideo licet ponatur hæc determinate, non ponitur ex vi verborum hæc determinate, ſed ex vi verborum diſiunctim, hoc eſt, ſignificantium illam diſiunctim, & exigentium, poni hanc, vel illam; non tamen concedimus, hanc, quæ de facto ponitur, poni ex vi verborum; quia ſine hac verba eſſent vera.

88. Obiicies iterum, verba conſecrationis habent *Obiicies* vim

vim ad aliquid ponendum; ſed non poſſunt aliqoid ponere, niſi ponant aliquid determinate; ergo babent vim ponendi aliquid determinate; & non ſolum diſiunctim; ergo aliquid determinate ponitur ex vi verborum. *Reſpondetur.* Reſpondetur diſtinguendo minorem, & vtrumque conſequens. Debent ponere aliquid determinate, ſi illud *determinate* teneat ſe ex parte effectus, concedo, ſi teneat ſe ex parte virtutis, ſeu exigentiæ verborum, nego: verba enim ex ſe concurrunt indifferenter ad ponendam hanc organizationem determinatam, vel illam aliam determinatam, atque ideo exigunt aliquam concauſam, nempe Deum, qui determinet illam indifferentiam verborum, & ponat talem organizationem potius quam aliam. Vnde ea organizatio, quæ de facto ponitur, non ponitur vt talis ex vi verborum: quia poni ex vi verborum, non eſt ſolum poni ex efficacia verborum, ſed ita poni virtute verborum, vt, ſi non poneretur, non eſſent vera verba hic & nunc prolata.

Organizatio qua ponitur, non ponitur, vt talis ex vi verborum.

89. *Quæſitum.* Petes, quid ergo eſt, quod de facto ponitur ex vi præciſa, & veritate verborum? non enim ponitur ſola materia prima, quia hæc nuda non eſt corpus humanum; ergo ponitur aliqua organizatio; ergo ea, quæ de facto ponitur, ponitur ex vi verborum; ergo anima rationalis, à qua formaliter corpus eſt ſubſtantialiter organizatum, ponitur de facto ex vi verborum.

Satiſfit. Reſpondeo, eandem interrogationem fieri poſſe in exemplo ſupra adducto, quando ſcilicet pœnitens debet ex præcepto Confeſſarij dicere vnum Pſalmum pro pœnitentia, & poſtea dicit Pſalm. *Miſerere*, v.g. tunc, inquam, quæri poteſt ſimiliter, quid dicat pœnitens præciſè ex obligatione, & præcepto Confeſſarij. Non enim dicit Pſalmum *Miſerere* ex tali præcepto præciſe, cum poſſet aliũ Pſalmum breuiorem & diuerſum dicere. In vtroque ergo caſu reſpondendum eſt eodem modo, ſcilicet pœnitentiam ex præciſo præcepto Confeſſarij dicere Pſalmum; quod vero ſit hic Pſalmus, eſſe ex ſua libera deuotione: ſic etiam ex præciſa vi, & veritate verborum poni ſub ſpeciebus corpus Chriſti, hoc eſt, talem materiam organizatam quod vero ſit cum hac organizatione numero, eſſe propter vnionem, quam talis organizatio habet de facto cum materia Chriſti.

Ex vi verborum ponitur materia organizata præciſe, non vero talis aut talis organizatio.

90. *Inſtabis.* Dices, id, quod ponitur à parte rei ex vi verborum, eſt aliquid determinatum, ſed corpus ponitur ex vi verborum: ergo *corpus*, prout ponitur ex vi verborum, ſignificat aliquam organizationem determinatam. *Reſpondeo.* Reſpondeo, id, quod ponitur à parte rei, eſſe aliquid determinatum, non tamen poni determinatum ex ſola vi, & veritate verborum: nam poni ex vi verborum, dicit duo, ſcilicet, poni, & ſignificari per verba, poſitio eſt aliquid phyſicum, & terminatur ad organizationem determinatam: ſignificatio vero eſt aliquid intentionale, & poteſt tendere ad aliquid indeterminatum, vel indeterminate, organizatio ergo, quæ de facto ponitur, licet ipſa determinate ſit, quæ ponitur, non tamen ſignificatur determinate per verba, ſed vel ſecundum rationem communem, vel ſub diſiunctione; & ideo non ponitur ipſa ex vi præciſa verborum, quia deeſt altera pars, ſcilicet, quod hæc organizatio ſignificetur per verba, ſicut in exemplo poſito, Pſalmus, qui dicitur à pœnitente, eſt Pſalmus determinatus, ſed tamen hic Pſalmus non ponitur ex præciſa obligatione; quia poni ex obligatione, eſt poni, & præcedere obligationem dicendi hunc Pſalmum; primum eſt verum, & ſecundum falſum: fatendum ergo eſt, non poni ex præcepto Confeſſarij Pſalmum determinatum, nec ex vi verborum conſecrationis organizationem determinatam.

Id quod ponitur eſt quidem determinatũ, non tamen ex ſola vi verborum

91. *Vrgebis.* Vrgebis adhuc; id, quod ponitur per concomitantiam, non debet eſſe idem realiter cum eo, quod ponitur ex vi verborum; ponitur enim non propter identitatem, ſed propter vnionem, ſeu connexionem, quam habet cum illo, quod ponitur ex vi verborum: ſed indiuiduatio, ſeu determinatio huius organizationis, quæ ponitur per concomitantiam, eſt idem realiter cum ratione communi organizationis, quæ ſignificatur, & ponitur per verba; ergo non poteſt illa ſola determinatio poni per concomitantiam, ſi ponitur ex vi verborum ratio communis organizationis ſignificata in obliquo.

Reſpondeo. Reſpondeo primo, per *corpus* non ſignificari organizationem in communi, ſed diſiunctim hanc vel illam: eſt enim hoc corpus hæc materia prima cum aliqua organizatione humana, hac, vel illa: quare hæc organizatio, quæ ponitur de facto, non identificatur cum illo diſiuncto; nec ponitur propter identitatem, quam habeat cum illo, quod ſignificatur per verba: poſſet enim poni illud diſiunctum, quod ſignificatur per verba abſque hac organizatione; ergo hæc organizatio non eſt idem, nec ponitur propter identitatem, quam habeat cum illo diſiuncto, ſed propter connexionem, & vnionem, quam habet à parte rei cum hac materia prima, quæ ponitur ex vi verborum.

Per corpus non intelligitur organizatio in cõmuni, ſed diſiunctim hæc vel illa

92. *Reſponderi poteſt ſecundo.* Secundo reſponderi poteſt; admittendo, quod per *corpus* ſignificetur organizatio in communi: non enim diſplicet ex hoc capite quarta ſententia Franciſci Suarij, & aliorum ſupra relata, quod doceat, ſignificari, & poni ex vi verborum rationem communem formæ ſubſtantialis, ſed quia docent, formam ſubſtantialem ſignificari in recto, vt conſtitutiuum directum corporis humani; inde enim fit, quod hoc corpus debet importare hanc formam ſubſtantialem, atque ideo non poſſe poni ex vi verborum hoc corpus Chriſti (prout debet de facto poni) quin ponatur etiam ex vi verborum hæc forma ſubſtantialis. Nos vero dicimus, *hoc corpus* in recto ſignificare ſolum hanc materiam primam, in obliquo vero organizationem; quare eſſe idem numero corpus variata organizatione, ſicut eſt idem numero pater, variata paternitate; quo ſuppoſito, poſſet etiam aliquis dicere, *hoc corpus* ſignificare hanc materiã in recto, rationem verò cõmunem organizationis in obliquo. Tunc autem ad argumentum propoſitum poſſet reſponderi, id, quod ponitur per concomitantiam, non debere identificari adæquatè cum eo, quod ponitur ex vi verborum; poſſe tamen identificari inadæquate, prout rationale idẽtificatur cum ratione communi animalis. Ratio autem differentiæ eſt, quia identificaretur adæquate, non poneretur ratione vnionis, ſed propter identitatem, cum non poſſit poni aliquid ſub ſpeciebus, non poſito toto illo, quod eſt idem realiter, & adæquatè cum ipſo. Id verò, quod ſolum identificatur inadæquate, non poneretur propter identitatem: nam eiuſmodi identitas non cogit ad ponenda omnia, quæ eo modo identificantur, poſita enim ratione communi animalis, non oportet poni etiam rationale, non ergo poneretur hæc organizatio ſub ſpeciebus propter identitatem, quam habet cũ ratione cõmuni organizationis ſignificata per verba, ſed ſi ponitur, erit propter connexionem, & vnionem realem, quam de facto habet cum hac materia prima, quæ ponitur ex vi verborum, vt ſæpè diximus.

Poſſet dici hoc corpus ſignificare hanc materiam in recto & in obliquo organizationem in cõmuni.

93. *Quæſitum.* Petes rurſum: ſi corpus Chriſti fuiſſet redactum in cineres tempore mortis, quid eſſet ex vi verborum, & quid per concomitantiam ſub ſpeciebus panis?

panis? Deberet enim eſſe materia cum organizatione aliqua humana, alioquin non eſſet corpus humanum, prout verba ſignificant, illa autem organizatio non eſſet tunc per concomitantiam, quia non eſſet propter vnionem, quam alibi haberet cum illa materia; illa enim materia alibi non ſupponitur organizata, ſed redacta in cineres; ergo illa organizatio eſſet ex vi verborum; ergo & nunc, quia verba non magis ſignificarent tunc illam organizationem determinatam quàm nunc, & tamen nunc poneretur ex vi verborum.

94. Satisfit. Reſpondeo, tunc ex vi verborum futuram materiam primam Chriſti cum aliqua organizatione humana neceſſaria ad verificanda verba de corpore humano; illam autem organizationem determinatam, quæ tunc eſſet, prout talem non futuram ex vi verborum, ſicut nec modo eſt, nec etiam futuram tunc per concomitantiam; quia non eſſet propter vnionem quam alibi haberet cum materia, ſed futuram ex voluntate Dei determinantis exigentiam indifferentem verborum ad talem potius organizationem determinatam, quàm ad aliam. Nunc quidem omnia ſunt, vel ex vi verborum, vel per concomitantiam, quia corpus Chriſti in ſua præſentia naturali habet organizationem ſubſtantialem, & accidentalem, & alia omnia, quæ conſequuntur corpus humanum viuum, & ideo Tridentinum ſolum numerat quæ ponuntur ex vi verborum, vel per concomitantiam; quia loquitur de iis, quæ de facto ponuntur, & non de caſu illo, quem Deus præſciuit non ponendum, quando inſtituit hoc ſacramentum; in quo caſu non eſt inconueniens, quod aliquid poneretur nec per concomitantiam, nec præciſe ex veritate verborum, ſed ex voluntate Dei determinantis id, quod ſub disiunctione ſolum exigerent verba ad ſui veritatem.

Obiicies vltimo; panis conuertitur in id, quod
95. Obiectio vltima. ponitur ex vi verborum; ſed panis ſolum conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti; ergo nec determinate, nec disiunctim ponitur ex vi verborum aliquid aliud, niſi ſubſtantia corporis Chriſti; ergo ſolum ponitur ex vi verborum organizatio ſubſtantialis determinate.

Vaſquez. Reſpondet Vaſquez. Reſpondet Vaſq. ex *diſp.* 187. *num.* 12. concedendo, ſubſtantiam panis conuerti in accidentia etiam corporis Chriſti, & ad Concilium dicit, expreſſiſſe id, quod præcipuum eſt in termino conuerſionis, non tamen negaſſe reliqua, quæ requiruntur ex parte illius. Ego quidem non audeo concedere, panem conuerti in accidentia Chriſti; quia iam illa conuerſio non eſſet mera tranſſubſtantiatio, nec mera conuerſio ſubſtantialis, ſed mixta ex ſubſtantiali, & accidentali, ſaltem ex parte termini *ad quem*.

Aliter reſpondemus. Quare reſpondeo, licèt accidentia organizationis ponerentur determinate ex vi verborum, non fore terminum conuerſionis, quia accidentia Chriſti non ſuccedunt ſubſtantiæ panis, in munere ſubſtandi accidentibus panis, ſed ſola ſubſtantia corporis Chriſti; cum autem ad omnem conuerſionem requiratur, quod vnus terminus ſuccedat alteri in eodem munere circa aliquod tertium, vt ſæpe dictum eſt Diſputatione præcedenti, hinc eſt, panem conuerti in ſolam ſubſtantiam, non vero in accidentia corporis Chriſti; quia ſola ſubſtantia, & non accidentia ſubſtant accidentibus panis.

96. Inſtabis. Dices, ſi ex vi verborum ponuntur etiam accidentia corporis Chriſti, cur non ſubſtabunt ipſa accidentia ſpeciebus panis, ſed ſola ſubſtantia? Re-
Reſpondeo. ſpondeo, ſolam ſubſtantiam corporis Chriſti ſuſtentare ſpecies panis in genere cauſæ efficientis; quod tum ex ipſis verbis conſecrationis colligi poteſt, quibus corpus dicitur ſubſtare, tum etiam quia non eſt conſentaneum naturis rerum, vt accidentia ſubſtent accidentibus, ſed ſola ſubſtantia, imo forſitan, licet accidentia corporis Chriſti ſuſtentarent efficienter ſpecies panis, non dicerentur ſubſtare illis, quia ſubſtare accidentibus panis eſt eſſe ſubſtantiam illorum accidentium; accidentia autem non poſſunt eſſe ſubſtantia aliorum accidentium; merito ergo dicimus, ſolam ſubſtantiam corporis Chriſti eſſe, quæ ſuccedit pani in munere ſubſtandi ſpeciebus.

Ex dictis intelligitur, quam vim habeat ratio 97. Ex dictis intelligitur quam vim habeat ratio D. Th. ſupra allata.
S. Thomæ vbi ſupra, ad probandum, quantitatem Chriſti non poni ex vi verborum; quia conuerſio non fit in quantitatem, ſed in ſubſtantiam ſolum, vbi videtur innuere, quod ſi poneretur ex vi verborum, deberet conuerti panis in ipſam quantitatem Chriſti, quod ex principiis ſupra poſitis verum eſt; nam panis ſolum conuertitur in id, quod directè ſignificatur per *ly corpus*; quia ſcilicet illud, in quod fit conuerſio, debet ſignificari in recto per verba, & per conſequens deberet eſſe id, quod ſubſtat ſpeciebus loco panis: ſubſtare autem ſoli conuenit ſubſtantiæ, vt ſupra vidimus; ergo de primo ad vltimum hæc accidentia ſicut non ſunt terminus conuerſionis, nec ſignificantur in recto; ita non ponuntur ex vi verborum, quia ſi ponerentur ex vi verborum, ſignificarentur in recto, & per conſequens eſſent ſubſtantia; nunc autem, quia non ſignificantur in recto, non ponuntur hæc ex vi verborum, ſed ſolum verba exigunt, poni aliqua, hæc vel illa, vel aliquam organizationem disiunctim.

Obiiciunt aliqui, panis conuertitur in corpus 98.
Chriſti; ergo conuertitur in totum id, per quod cõ- Obiiciunt aliqui.
ſtituitur corpus Chriſti; ergo ſi corpus in ratione corporis conſtituitur per organizationem accidentalem, & quantitatem, panis debet in hæc accidentia conuerti. Reſpondeo ad hoc, vt panis conuertatur in corpus Chriſti, non eſt neceſſe, quod conuertatur in ea etiam, quæ corpus Chriſti includit in obliquo: ſatis eſt, quod conuertitur in ſubſtantiam, Conc. Trid.
quam dicit in recto: vnde Concil. Trident. illa *ſeſſ.* *c.* 4. melius explicuit ſenſum illius propoſitionis dicens: *Totam ſubſtantiam panis conuerti in ſubſtantiã corporis Chriſti, & totam ſubſtantiam vini in ſubſtantiã ſanguinis Chriſti*, pro eodem vſurpans, *panem conuerti in corpus Chriſti*, & *panem conuerti in ſubſtantiã corporis Chriſti*. Sufficit ergo cõuerti in ſubſtantiã corporis, vt dici poſſit, conuerti in corpus Chriſti.

Dices, ergo ſi corpus Chriſti conſtituitur etiam 99. Inſtabis.
in ratione corporis per organizationem ſubſtantialem, neceſſe eſt, quod ſubſtantia panis conuertatur non in ſolam materiam primam, ſed etiam in organizationem ſubſtantialem corporis, alioquin non conuerteretur in ſubſtantiam corporis, ſed in partem ſubſtantiæ corporis Chriſti, cum corpus vt corpus includat aliquid aliud ſubſtantiale præter ipſam materiam.

Reſpondeo negando ſequelam: ſufficit panem Reſpondeo.
conuerti in ſubſtantiam illius, quod dicit in recto corpus, licet non conuertatur in ſubſtantiam, quam affert in obliquo: ideo fortaſſe Tridentinum in verbis proxime adductis diuerſo modo loquitur de termino *à quo*, & de termino *ad quem*; dixit enim, *fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam corporis, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiã ſanguinis Chriſti*; vbi de ſubſtantia panis, & vini dixit, totã conuerti, non verò dixit, conuerti in totam ſubſtantiam corporis, & ſanguinis, ne includerentur ea etiã, quæ fortè ſignificantur in obliquo. Ratio autem eſt quia tota ea conuerſio colligitur ex verbis Chriſti,

vt dixit Concilium ibidem: quia nimirum Chriſtus dixit, *hoc eſt corpus meum*, ad quantum verborum veritatem requiritur, quod corpus Chriſti ſuccedat ſubſtantiæ panis in munere ſubſtandi illis accidentibus, vnde fit, corpus Chriſti eſſe terminum cõuerſionis, cum ſit id, quod ſuccedit circa accidentia ſubſtantiæ panis, quæ expellitur. Ad verificanda autem illa verba ſufficit, quod rectum corporis ſuccedat ſuſtentando illa accidentia: de recto enim ſolum dicitur, *hoc eſt*, licet enim requiratur, quod ſit ibi etiam organizatio corporis, non tamen requiritur, quod ipſa organizatio ſit, quod ſubſtat, & ſuſtentat accidentia, ſed quod corpus organizatum ſubſtet accidentibus: non potuit ergo ex illis verbis colligi, organizationem eſſe terminum formalem, in quem fieret conuerſio, ſed ſolum ſubſtantiam illius, quod *corpus* dicit in recto. Porro Patres Concilij dicentes, panem conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti, per *ſubſtantiam corporis* noluiſſe includere organizationem ſubſtantialem prouenientem formaliter ab ipſa forma rationali, conſtat ex eo, quod loquuti ſunt de ſubſtantia corporis, prout corpus eſt pars hominis condiſtincta ab anima: dicunt enim corpus eſſe ex vi verborum, animam vero per concomitantiam, ſub ſpeciebus panis; ergo dum addunt, panem conuerti in ſubſtantiam corporis, ſenſus eſt, conuerti in ſubſtantiam, quam includit corpus, prout eſt pars condiſtincta ab anima: vnde ſi corpus, quod eſt pars hominis diſtincta ab anima, includit formas illas ſubſtantiales partiales, quas aliqui ponunt, in illas etiam conuertitur panis, quia illæ ſunt ſubſtantia corporis, prout eſt pars condiſtincta ab anima, & tunc corpus dicet in recto materiam primam, & illas formas partiales. Si vero non dentur illæ formæ partiales, ſed materia denominetur corpus humanum à forma rationali à qua ſubſtantialiter organizatur, vt à cauſa formali, vel ab accidentibus, quibus formaliter organizatur, tunc corpus dicet organizationem ſolum in obliquo, & conuerſio fiet ſolum in ſubſtantiam materiæ habẽtis talem organizationem, quia illa ſola eſt ſubſtantia corporis, prout corpus eſt pars condiſtincta ab anima: de hac enim comparte, & de eius ſubſtantia, prout talis eſt, loquitur Concilium ibi, vt ex ipſo contextu capitis tertij, & quarti apertè conſtat.

Quid conuertatur ex vi verborum, ex parte termini à quo.

100. *Dubitatur de termino à quo con-* Pro complemento reſtat breue dubium. Vidimus enim, quid ponatur ex vi verborum ſub ſpeciebus panis ex parte termini *ad quem* huius conuerſionis. Dubitari poteſt ex parte termini *à quo*, quid conuertatur ex vi verborum: an poſſimus ſimiliter in pane diſtinguere, ita vt aliquid panis conuertatur, & deſinat ex vi verborum, aliquid verò ſolum per concomitantiam. Ratio dubitandi poteſt eſſe duplex. Prima, quia ſicut in Chriſto non tota ſubſtantia ipſius eſt terminus conuerſionis formaliter loquendo, ſed denominatiuè; corpus enim ſolum eſt, quod formaliter terminat conuerſionem, quia ipſum ſolum eſt, quod immediatè ſuccedit in munere ſubſtandi accidentibus loco panis, totus autem Chriſtus denominatiuè à corpore dicitur ſuccedere pani, & ſubſtare accidentibus, & panem conuerti in Chriſtum: ſic etiam in pane non tota eius ſubſtantia ſubſtabat immediatè accidentibus, ſed materia prima ſola erat, in qua immediatè recipiebantur accidentia panis, quæ remanent, vt docet verior, & communior ſententia Philoſophorum; ergo ſola materia prima est, cui formaliter ſuccedit corpus Chriſti in munere ſubſtandi accidentibus; atque adeo ſola materia prima erit, quæ formaliter, & immediatè conuertitur, forma autem panis, & eius ſubſiſtentia ſolum denominatiuè, ſicut ſolum denominatiuè, & non formaliter ſubſtabant illis accidentibus, circa quæ fit conuerſio.

Secunda ratio dubitandi eſſe poteſt, quia id ponitur ex vi verborum ex parte termini *ad quem*, quo non poſito, verba non eſſent vera; ergo id etiam conuertitur ex vi verborum, quo non deſinente, vel non conuerſo, verba non eſſent vera; ſed licet forma panis, v. g. non deſtrueretur, nec conuerteretur in corpus Chriſti, ſed adhuc maneret in rerum natura, verba eſſent vera; ergo forma panis non conuertitur ex vi verborum, ſed per concomitantiam. 101. *Secunda ratio dubitandi.*

In hoc puncto duo attinguntur diuerſa; primum, an tota ſubſtantia panis conuertatur proximè, & formaliter; an verò aliquid illius formaliter, & aliquid ſolum denominatiuè? Secundum eſt? an tota ſubſtantia panis conuertatur ex vi verborum: an verò aliquid ex vi verborum, & aliquid ſolum per concomitantiam? Quoad primum, exiſtimo, totam ſubſtantiam, quæ includitur in natura panis, conuerti formaliter, & proximè in corpus Chriſti, & quoad hoc eſſe differentiam inter ſubſtantiã Chriſti, quæ introducitur, & ſubſtantiam panis, quæ expellitur; quia non tota ſubſtantia Chriſti, ſed ſolum corpus eius ſubſtat accidentibus panis loco ſubſtantiæ panis: anima vero Chriſti, & alia ſolum denominatiuè, in quo ſenſu poteſt dici, panem conuerti in Chriſtum, prout loqui videtur Gregorius Nyſſenus *in Orat. Catech. cap. 37.* in vltimis verbis, quæ, prout referuntur apud Valentiam in præſenti *diſput. 6. quæſt. 3. part. 2. §. 3.* hæc ſunt: *Chriſtus ſe per carnem inſerit omnibus credentibus, commiſtus, & contemperatus corporibus illorum, vt vnione cum eo, quod eſt immortale, ſit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat virtute benedictionis, in illum tranſelementata eorum, quæ apparent natura.* Vbi Nyſſenus videtur dicere, naturam panis conuerti in illum, hoc eſt, *in Chriſtum*. Sed neſcio, vbi P. Valentia inuenerit illam verſionem. Omnes enim, quas videre potui, non habent, *in illum*, ſed *in illud*, quod refertur ad corpus Chriſti, de quo dixerat eſſe immortale, & communicare incorruptionem. Et quidem non poterat aliter verti ex textu Græco, in quo legitur in genere neutro εἰς ἐκεῖνο. vnde non dicit, conuerti in Chriſtum, ſed in corpus Chriſti. Si tamen illud primum dixiſſet, debet intelligi ſaltem denominatiuè, vt monui. At verò in pane tota eius ſubſtantia ratione ſui ſubſtabat accidentibus; nam licèt recipiantur immediatè in ſola materia, multa tamen eorum dimanant à forma ſubſtantiali panis, atque ideo forma eſt radix, & ſubſtantia eorum, imo magis propriè, quam materia, cum forma ſit radix magis determinata eorum, quod eſt proprium ſubſtantiæ. Denique vnio ſubſtantialis inter materiam, & formam panis, ſuo etiam modo ſubſtabat accidentibus, quia forma non eſt radix eorum, niſi prout eſt vnita materiæ: ſi enim eſſet extra materiam, non orirentur ab ea talia accidentia, ſicut nec ab anima rationali ſeparata dimanant accidentia humana; De ſubſiſtentia panis dici poteſt, quod ſolum denominatiuè ſit ſubiectum, vel radix accidentium panis, quatenus denominationes ſunt ſuppoſitorum, & ideo ſuppoſitum denominatur habere, vel eſſe principium talium accidentium, quia natura illius ſuppoſiti ſuſtentat, vel cauſat in ſe talia accidentia. 102. *Duo hoc attinguntur. Primum eſt. Secundũ eſt. Tota ſubſtãtia panis conuertitur formaliter, & proximè in corpus Chriſti.* *Greg. Nyſſ.* *Valentia.* *Panis non conuertitur in Chriſtum ſed in corpus Chriſti.*

Quoad ſecundum verò, an ſcilicet tota ſubſtantia panis conuertatur ex vi verborum: diſtinguendum 103.

Tota ſubſtantia panis conuertitur ex vi verborum in vno ſenſu.

dum eſt: nam ſi ſenſus ſit, quod tota ſubſtantia panis ſit ex vi verborum terminus formalis *a quo* illius conuerſionis ſubſtantialis; reſpondendum eſt affirmatiue: ſi enim aliquid ſubſtantiæ panis remaneret ſubſtans illis accidentibus, non eſſent vera verba in toto rigore, vt ſupra vidimus: quare ex vi, & veritate verborum tota ſubſtantia panis expellitur ab iis accidentibus, & per conſequens tota eſt terminus formalis *a quo* illius conuerſionis ex vi verborum; quia eſſe terminum formalem *à quo*, nihil aliud eſt, quam eſſe illud, quod expellitur, vt ſuccedat aliud in eodem munere circa aliquod tertium perſeuerans.

104\. *Secus in alio*

etiamſi ſubſtantia panis remaneret in rerum natura, adhuc vera eſſet forma.

Si vero ſenſus ſit, quod ex vi verborum tota ſubſtantia panis deſinat eſſe in rerum natura, quam deſitionem diximus ſupra neceſſariam eſſe, vt tota ſubſtantia panis dicatur conuerti in corpus Chriſti, tunc fatendum eſt, non conuerti ex veritate præciſa verborum, ſed quaſi per concomitantiam, ſeu conſequentiam neceſſitatis; nam licet ſubſtantia panis maneret in rerum natura, dum tamen non maneret ſub illis accidentibus, verba eſſent in omni rigore vera, & tamen tunc non conuerteretur ſubſtantia panis in corpus Chriſti, ſed illud totum ex pane, & accidentibus conuerteretur in aliud totum ex eiſdem accidentibus, & corpore Chriſti: nunc ergo ſubſtantia panis deſinit propter neceſſitatem conſequentem ad ſeparationem ab accidentibus, vt ſupra explicuimus, atque ideo conſequenter etiam & non ex præciſa veritate verborum fit conuerſio ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti; ad veritatem enim verborum ſatis eſſet conuerſio illius compoſiti ex pane, & accidentibus in illud aliud compoſitum ex corpore Chriſti & eiſdem accidentibus panis. Eſt ergo differentia quoad hoc inter terminum formalem *à quo*, & terminum formalem *ad quem* huius conuerſionis, quod ex vi verborum debet expelli tota ſubſtantia panis ab illis ſpeciebus: non vero debet ex vi verborum poni tota ſubſtantia Chriſti ſub eiſdem ſpeciebus: vnde oritur, quod ex vi verborum debeat conuerti totum compoſitum ex tota ſubſtantia panis, & accidentibus, non vero debeat ex vi verborum conuerti in compoſitum ex tota ſubſtantia Chriſti & accidentibus panis, ſed ſolum per concomitantiam non tamen requiritur, quod ex vi verborum præciſa conuertatur, & deſinat eſſe ſubſtantia panis, ſed quod expellatur ab illis accidentibus, vt iam diximus.

SECTIO V.

Quid ponatur in calice vi verborum.

105\. Ex dictis de corpore, facile erit intelligere, quid de ſanguine ſentiendum ſit. Dubitari ergo poteſt, primo an ex vi verborum ponatur forma ſubſtantialis in calice; an ſola materia cum accidentibus ſanguinis? Reſpondetur diſtinguendo: nam ſi ſupponatur, ſanguinem informari anima rationali, ſicut carnem, tunc eodem modo dicendum eſt, ex vi verborum poni materiam disiunctim vel cum accidentibus ſanguinis, vel cum informatione ſubſtantiali, qua habeat eſſe ſubſtantialiter ſanguineum, quia eadem ratio eſt quoad hoc de ſanguine, & de corpore. Si vero iuxta probabiliorem ſententiam dicas, ſanguinem non animari, ſed habere peculiarem formam ſubſtantialem ſanguinis, conſequenter dicendum videtur, hanc formam poni ex vi verborum: contra hoc enim non vrgent rationes ſupra factæ contra formam rationalem: & aliunde videtur verius, quod ſanguis in ratione ſanguinis dicit

Ponitur etiam forma ſanguinis ex vi verborum iuxta probabiliorem ſententiam.

in recto illam formam ſubſtantialem, ſicut lac in ratione lactis, & vinum in ratione vini, dicunt in recto ſuas formas ſubſtantiales, ac per conſequens ſanguis vt ſanguis non requirit ad veritatē verborum aliqua accidētia nec determinata, nec ſub disiūctione, ſed ſolam materiam, & formam ſubſtantialem.

106\. *Inſtantia.*

Dices, etiamſi ſanguis non animetur, probabile tamen eſt, non ſemper habere eamdem formam, ſed dum eſt in corpore, habere formam ſanguinis quaſi vitalis, extra corpus vero habere aliam formam quaſi cadaueris ſanguinis: quo ſuppoſito dubitari poteſt, quæ forma iſtarum ſignificetur ex vi verborum; videtur enim neutram poni ex vi præciſa verborum, ſed ſolum per concomitantiam. Reſpondeo, etiamſi admittatur probabilitas Antecedentis, poni ex vi verborum nunc de facto formam ſubſtantialem ſanguinis, quam habet in cœlo; quia ſanguis importat in recto materiam, & formam ſubſtantialem, ſicut alia concreta ſubſtantialia; quare cum ex vi verborum ponatur idem numero ſanguis, qui eſt in cœlo, debet poni cum eadem numero forma; quia ex vi verborū debet poni ille numero ſanguis, quem de facto Chriſtus habuerit. Ex quo fit, vt ſi de facto ſanguis Chriſti eſſet effuſus & cum forma cadauerica, prout erat fortaſſe in triduo, deberet poni ex vi verborum cum illa forma; quia tūc illud compoſitum ex illa materia, & illa forma erat ſanguis Chriſti. *Diluitur.*

107\. Secundo dubitatur, an totus Chriſti ſanguis ponatur ex vi verborum? Quidam voluerunt, ſolum poni ex vi verborum ſanguinem, qui fuit effuſus, propter illa Chriſti verba: *hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur* &c. Addunt tamen, nunc poni ex vi verborum totum Chriſti ſanguinem; quia Chriſtus reſurgens ſolum reſumpſit ſanguinem effuſum. Verius tamen eſt, ex vi verborum etiam in cœna poſitum fuiſſe totum Chriſti ſanguinem; primo, quia iuxta probabilem ſententiam Chriſtus totum ſanguinem effudit, vt ex vulnere lanceæ conſtat. Secundo, quia licet non totus eſſet effundendus quoad ſingulas partes, de toto tamen dici potuit, effundendus, ſicut licet non totum corpus martyris deuoretur à beſtiis quoad ſingulas partes, & oſſa; de toto tamen dici poterat: *Hoc corpus deuorabitur*, &c. Tertio, quia verba illa, *Hic eſt ſanguis meus*; non dependent in ſua ſignificatione a verbis ſequentibus, quia (vt videbimus infra) per illa priora fit conſacratio; ſed illa ſecundum ſe ſunt indefinita; ergo ſupponunt pro toto ſanguine. Vltimo, quia Tridentinum, vbi ſupra, vniuerſaliter & indefinite docet ex vi verborum poni ſanguinem; ergo non debet limitari ad partem ſanguinis.

Totus Chriſti ſanguis ponitur ex vi verborū.

108\. Tertio dubitari poteſt, an ponatur ex vi verborum totus ſanguis, qui effuſus eſt in paſſione? Hæc dubitatio pendet ex alia quæſtione, an manſerit in terris aliqua particula ſāguinis effuſi? de quo Suarez *1. tom. in 3. part. diſp. 47. ſect. 3.* & Vaſq. *1. tom. in 3. p.* *36. cap. 8.* & nos *diſp. 14. de Incarnat. ſect. 6.* vbi diximus verius eſſe quod aliqua pars remanſerit; vt apparet in ſpinis, ſudario, lancea, &c. non tamen ſub forma ſanguinis, ſed ſub alia diuerſa, retento priſtino colore: quo ſuppoſito, dicendum eſt, nunc de facto poni ſolum ſanguinem, quem Chriſtus habet; nam ille qui remanſit, iam non eſt ſanguis Chriſti, imo nec ſanguis.

Remanſit aliqua pars ſanguinis in terris, non tamen ſub forma ſanguinis.

109\. *Quæſitum.*

Petes, an ſi fieret vera conſecratio tempore paſſionis, quando pars ſanguinis erat effuſa, & pars effundenda, deberet vtraque poni ex vi verborum? Ratio dubitandi eſt, quia digitus antea abſciſſus non poneretur ex vi verborum appellatione corporis; ergo nec pars ſanguinis ſeparata à reliquo

Reſpondeo tamen, vtramque partem ponendam; quia vtraque vera erat ſanguis Chriſti. Ad exemplum autem de digito abſciſſo, quidquid ſit de veritate antecedentis, dici poteſt, diſcrimen eſſe, quod corpus in ratione corporis importat continuationem, & vnionẽ partium inter ſe; quare licet appellatione corporis ſignificaretur illud ſolum, quod eſt per modum vnius continui ſufficientis, vt dicatur corpus humanum: ſanguis tamen non poſtulat ex ſua ſignificatione talem continuationem, ſicut neque aqua, aut alia huiuſmodi. Quomodo autẽ ad id conducat diſtãtia, vel cõiunctio moralis effuſionis vel abſciſſionis, diximus illa *diſp.* 14. *ſect.* 5. An vero ſanguis in triduo manſerit congelatus, an liquidus, ſaltem quoad partes reaſſumendas, non conſtat; illud mihi veriſſimũ eſt, manſiſſe ſub vera forma sãguinis incorrupti eo modo, quo corpus manſit in ratione corporis incorrupti: nam eadem videtur eſſe ratio de vtroq; & vnio hypoſtatica Verbi ad ſanguinem, quæ etiam in triduo durauit, id poſtulabat.

Dubitatur quarto. Quarto dubitari poteſt, an totus ſanguis in Euchariſtia ex vi verborum ſit continuus: Ratio dubitandi eſt, quia poteſt contingere, non eſſe totum continuum intra venas, præſertim in triduo. P. Suarez *diſp.* 51. *ſect.* 3. *Reſpondet Suarez.* reſpondet affirmatiue, quia res liquidæ eo ipſo quod habeant approximationẽ localem, vniuntur & continuantur; ergo cum totus ſanguis ponatur in diſtans, eo ipſo ponitur continuus.

110. *Reiicitur primo.* Hæc tamen ſententia nullo modo placet; primo, quia hinc ſequitur in Euchariſtia ſingulas particulas ſanguinis vniri cum ſingulis, & quamlibet cum omnibus aliis; quia omnibus, & ſingulis eſt æque præſens. *Secundo.* Secũdo, quia ſequeretur, ſanguinem Chriſti in Euchariſtia habere modum ſubſtantialem abſolutum, quem non haberet in cælo; quod nouum *Tertio.* eſt apud Theologos. Tertio, quia indiſtantia, quam habent partes ſanguinis in Euchariſtia, tantum abeſt, quod conducat, vt potius obſit ad continuationem: tum quia propinquitas requiſita ad vnionem continuatiuam eſt propinquitas vtriuſque extremi per contractum, & iuxta poſitionem, non per intimam præſentiã in eodem omnino loco: tum etiam, quia ſanguis Chriſti, prout in Euchariſtia, eſt incapax ſecundum illum ſtatum patiendi aliquid ab agente naturali (vt vidimus *diſp. ſeq.*) ergo illa præſentia partium nõ eſt ſufficiens, vt reſultet vnio inter illas. Alioquin ſi iuxta ſpecies conſecratas poneretur alius ſanguis humanus, continuaretur etiam cum ſanguine Chriſti, eo quod haberet approximationem ſufficientem ad continuationem, quod eſt valde abſurdum.

SECTIO VI.

Vtrum Diuinitas, & Perſonalitates Diuinæ ſint in Euchariſtia ex vi verborum?

111. *Quæſtionis ſtatus.* NOn dico, *verum ponãtur*, quia certum eſt naturam, vel perſonalitates Diuinas non accipere nouam præſentiam ad ſpecies; ſed *vtrum ſint?* hoc eſt, an ſignificẽtur ex vi verborum, vt præſentes in Euchariſtia. Et in primis certum eſt perſonã Verbi eſſe ad minus per concomitantiam in Euchariſtia propter vnionem cum humanitate Chriſti; vt docet Tridentinum vbi ſupra, dicto *cap.* 3. Difficultas ta- *Ratio dubitandi.* men eſt, an ſit etiã ex vi verborũ. Ratio dubitandi oritur ex verbis, quibus dicitur in perſona Chriſti *hoc eſt corpus meum*; nam *li meũ* ſignificat, illud corpus eſſe proprium perſonæ loquentis; ergo ſignificat, quod terminatur per illam perſonalitatem; ergo ex vi verborũ ſignificatur illud corpus eſſe vnitum hypoſtaticè Verbo Diuino; ergo ex vi verborum ſignificatur vnio, & per conſequens ipſa perſona Verbi.

Reſpondent aliqui, hoc argumẽto ſolum probari, eſſe ex vi verborum vnionem hypoſtaticam ad Verbum, non tamen ipſam perſonam Verbi; quia vnio ſola ſufficit ad denominandum illud corpus Chriſti. Sed contra, quia ſi argumentum aliquid probat, probat etiam de perſonalitate, quia licet hoc, quod eſt, corpus eſſe vnitum, proueniat formaliter à ſola vnione; cæterum hoc, quod eſt eſſe ſubſiſtens, non prouenit à ſola vnione, ſed ab ipſa ſubſiſtentia; ergo cum *li meum* ſignificet, corpus eſſe terminatum ſubſiſtentia perſonæ loquentis conſequens eſt, vt non ſola vnio, ſed etiam ſubſiſtentia ipſa ſignificetur. 112. *Reſpondent aliqui.* *Impugnantur.*

Propter hanc rationem videtur aliquibus probabilis hæc pars: communis tamen, & vera ſententia negat, perſonam Verbi eſſe ex vi verborum, & conſtat ſatis ex Tridentino ſupra dicente, Diuinitatem eſſe in Euchariſtia propter admirabilem eius cum corpore, & anima vnionem: vbi ex contextu conſtat, Concilium non numerare Verbum in iis, quæ in Euchariſtia ſunt ex vi verborum. Neque obſtat argumentum ſupra factum. Ad quod P. Vaſquez *diſp.* 185. *n.* 14. indicat, pronomen *Meum* non referre ſuppoſitum, ſed naturam humanam, cuius dicitur eſſe illud corpus: & ideo non debere ſuppoſitum eſſe ſub ſpeciebus ex vi verborum. 113. *Communis & vera ſententia negat perſonam Verbi eſſe ex vi verborũ.*

Hoc tamen aſſertum indiget explicatione, nam re vera illud *meum*, magis directe, & immediate ſignificat ſuppoſitum, quam naturam loquentis. Dicere enim *corpus meum*, idem eſt, ac ſi dicas, *corpus mei*; illud autem, *mei*, eſt genitiuus pronominis *Ego* & quidem illud pronomen *Ego*, nõ ſignificat directe naturam, ſed ſuppoſitum loquentis: non enim poſſum dicere: *ego ſum natura humana*, ſed, *ego ſum perſona*; ergo illud *Ego* ſtat pro ſuppoſito in recto, non pro natura; & per conſequens *corpus mei* erit idem ac corpus ſuppoſiti, quod *ſũ ego*: ſemper enim loquitur ſuppoſitũ in perſona ſua, nec poteſt loqui nomine naturæ in recto, quia omnes voces impoſitæ ſunt ad ſignificandam loquutionem ſuppoſiti. 114. *Explicatur aſſertio.*

Fateor tamen, illud *Meum*, licet magis directe ſignificet, & referat ſuppoſitum, magis tamen determinate ſignificare naturam loquentem: omnis enim loqnutio creata, eſt actio immediata alicuius naturæ intellectualis, quæ per illam loquutionem exprimit ſuam mentem, & per conſequens neceſſario exprimitur natura, cuius mens exprimitur, & exprimitur talis natura determinata, quæ eſt principium proximum loquutionis; ſed magis directe, licet minus determinate, exprimitur ſuppoſitum per illud pronomen *Ego*, & *Meum*. Nã ſicut *Diſputat.* 13. de Incarnat. *Sect.* 3. diximus, illas voces *hic homo*, ſignificare directe ſuppoſitum, & indirecte humanitatem, ſed tamen hanc determinatã, ſuppoſitum vero in confuſo, ita vt, *hic homo*, idem ſit ac, *ſuppoſitum huius humanitatis*: ſic dicendum eſt de illo pronomine *Ego*, quod idem ſit ac ſuppoſitum huius naturæ loquentis. Quare, quando dicu: *hæc eſt humanitas mea*, idem eſt ac dicere, hæc eſt natura humana ſuppoſiti, quod terminat hanc naturam loquentem. Hinc enim eſt, quod Deus loquens de ſe ipſo per loquutionem procedentem immediate à natura Diuina, & non à ſuppoſitis, poſſit dicere: *Ego ſum Pater, ego ſum Filius, ego ſũ Spiritus ſãctus*, quia ſcilicet illud *ego* determinat ſemper ſolam naturam loquentem, non vero ſuppoſitum, vt ſenſus ſit: ſuppoſitum huius naturæ loquentis, eſt Pater, eſt Filius, eſt Spiritus Sanctus: quod verum eſt, 115.

non

non de eodem ſuppoſito, ſed de ſuppoſito vage accepto.

116. *Colligitur illorum verborũ primo ſenſus.* Hinc colligitur iam primo ſenſus illorum verborum *corpus meum*; idem enim ſignificant, ac corpus naturæ humanæ, quæ eſt humanitas ſuppoſiti, quod terminat hanc naturam loquentem. Vnde illa verba nõ ſolum ſunt vera prolata à natura humana Chriſti, quæ de facto loquebatur, ſed etiam prolata non ab humanitate, ſed à natura Diuina Verbi vera eſſent. Nam ſi Verbum aſſumpſiſſet naturam leonis, potuiſſet Verbum vt Deus dicere de corpore leonis: *hoc eſt corpus meum*, ſcilicet corpus illius naturæ leoninæ, quæ eſſet vere natura ſuppoſiti, quod terminat naturam Diuinam loquentem. Sic ergo de facto Verbum per naturam Diuinam poſſet loqui, & de Chriſti corpore dicere: *hoc eſt corpus meum*, ſcilicet, eſt corpus humanitatis ſuppoſiti quod terminat naturam Diuinam loquentem.

117. *Colligitur ſecundo.* Colligitur ſecundo; ſi ad veritatem illius pronominis, *meum*, in verbis conſecrationis requireretur, quod in Euchariſtia eſſet illud, per quod illud corpus habet id, quod ſignificatur per illud, *meũ*; oporteret vtique, ſub ſpeciebus eſſe ex vi verborum ſuppoſitũ Diuinum Verbi terminans tale corpus. Probatur ex dictis, quia eſſe *meum* eſt eſſe corpus illius naturæ humanæ, quæ eſt natura ſuppoſiti terminantis naturam loquentem: hoc autem includit multa, ſcilicet, hoc corpus pertinere ad talem humanitatem, & illam humanitatis pertinere ad ſuppoſitum, quod terminat naturam loquentem. Si ergo deberet ſub ſpeciebus eſſe totum id, per quod corpus illud habet, quod à Chriſto poſſit appellari *ſuum*, oporteret poni ex vi verborum coniunctionem illius corporis cum ſuppoſito talis naturæ loquentis, per quam coniunctionem corpus illud poteſt dici *meum* à Chriſto loquente.

118. *Inſtantia.* Dices, ſi natura humana Chriſti terminaretur ſimul per perſonalitatem Patris, & Filij, vel per ſubſiſtentiam Verbi, & per ſubſiſtentiam creatam propriam, tunc non oporteret ad veritatem verborum eſſe vtramque ſubſtantiam ſub ſpeciebus, ſed ſufficeret altera illarum; nam ratione ſingularum poſſet Chriſtus dicere verè, illud eſſe corpus ſuum; ergo illa ſubſiſtentia, quæ eſſet ſub ſpeciebus, non eſſet ex veritate verborum, cum abſque poſitione illius verba adhuc poſſent eſſe vera. *Diluitur.* Reſpondetur, in primis nos ſupponere, quod vt verius amplexi ſumus *diſp.* 12. de Incarnat. *ſect.* 6. non poſſe humanitatem terminari ſimul ſubſiſtentia propria, & aliena, vel duplici diuina: quo ſuppoſito, non poteſt poni ille caſus, in quo ſubſiſtentia Verbi non eſſet neceſſaria ad veritatem verborum. Deinde, quidquid ſit de eo caſu, nunc tamen de facto, cum natura humana ſubſiſtat ſola ſubſiſtentia Verbi, neceſſarium eſſet ad veritatem verborum, quod hæc ſubſiſtentia ſit ſub ſpeciebus, ſi ad eiuſmodi veritatem requireretur, poni ſub ſpeciebus id quod ſignificatur per eſſe *meum*; quia de facto nihil aliud eſt, quod illud corpus ſit Chriſti, niſi corpus illud eſſe talis naturæ humanæ, & illam eſſe naturam ſuppoſiti terminantis naturam loquentem illa verba, ſed de facto in tantum eſt natura ſuppoſiti terminantis talem naturam loquentem, in quantum humanitas illa terminatur à ſuppoſito Verbi, cuius humanitas loquitur; ergo de facto non poſſent eſſe vera verba, niſi ſub ſpeciebus eſſet hoc, quod eſt illam humanitatem terminari à ſuppoſito Verbi.

119. *Reſpondetur aliter ad argumentum principale.* Aliter ergo ad argumentum principale reſpondendum eſt, ad veritatem illius pronominis, *meum*, nõn requiri, quod ſub ſpeciebus ſit id, per quod formaliter habet illud corpus eſſe illius, qui loquitur; itaque licet per *li meum* ſignificetur, corpus illud terminari perſona loquentis, non tamen quod terminetur ibi, vbicumque eſt; quare licet in Euchariſtia non eſſet vnio hypoſtatica, poſſet Verbum dicere de illo, eſſe corpus ſuum, cum eidem corpori vniatur in cælo; quia *li meum* ex communi hominum acceptione non ſumitur reduplicatiue, ita vt ſignificetur ibi eſſe rationem formalem, quia conſtituitur in eſſe *mei*, ſed ſpecificatiue, ſignificando, illud corpus eſſe quod abſolute eſt meum. Ex quo fit, vt licet per poſſibile, vel impoſſibile corpus illud in Euchariſtia haberet propriam ſubſiſtentiam creatam, & non Diuinam, poſſet tamen Verbum de illo dicere, ibi eſſe corpus ſuum, quia ad hoc ſatis eſſet, quod in cœlo ſubſiſteret ſubſiſtentia Verbi.

120. *Quid ſignificet illud meum.* Confirmatur, quia illud *meum* non ſolum ſignificat, vt dicebamus quod natura illa, cuius eſt corpus, ſit natura ſuppoſiti terminantis naturam loquentem, ſed etiam quod corpus ſit corpus illius naturæ: hoc autem, quod eſt eſſe corpus illius naturæ humanæ, eſt coniungi aliis partibus eiuſdem naturæ: quæ tamen coniunctio corporis cum aliis partibus humanitatis non ponitur in Euchariſtia ex vi verborum, ſed per concomitantiam; ergo nec hoc, quod eſt terminari tali ſubſiſtentia, debet eſſe ex vi verborum: ſed patet conſequentia, quia *li meum* tam includit coniunctionem corporis cum natura loquentis, quam cum ſuppoſito; ergo ſi verificatur illud pronomen *meum*, non poſita ex vi verborum coniunctione corporis cum natura loquentis, poterit etiam verificari, licet non ſit ex vi verborum terminatio corporis per ſubſiſtentiam loquentis.

Adde, licet illud corpus nec in Euchariſtia, nec alibi vniretur Verbo, ſufficeret vnio præterita, vt anima Chriſti poſſet dicere, illud eſſe corpus ſuum; ſicut anima S. Petri poſſet dicere de ſuo cadauere, illud eſſe corpus ſuum; nam iuxta communem modum intelligendi *li meum* ſolum ſignificat, illud corpus pertinuiſſe ad naturam loquentis, quando vltimo corpus habuit.

121. *Obijcitur primo.* Obijcies primo, licet corpus dicat in recto ſolam naturam primam, & organizationem humanam in obliquo, debet tamen ad veritatem verborum poni ſub ſpeciebus corpus vt organizatum, hoc eſt, aliqua organizatio, quia debet ibi habere eſſe organizatum; ergo ſimiliter debet ibi poni non ſolum id corpus ſpecificatiue, quod eſt meum, ſed reduplicatiue, ſeu id, per quod conſtituitur in eſſe talis. *Reſpõdetur.* Reſpondetur negando conſequentiam. Ratio diſcriminis deſumenda eſt ex diuerſa ſignificatione, quam iuxta hominum placitum habent diuerſæ voces; nam, vt notauimus ſupra *diſp.* 1. *ſect.* 4. aliquæ ſunt, quæ ſignificant formam præſentem, aliæ præſcindunt à præſente, vel abſente: ſic enim, quando dicimus, hic eſſe obiectum cognitum, vel amatum, non ſignificamus, *Aliquæ voces ſignificãt formam præſentem, aliæ præſcindunt:* hic eſſe formam, à qua conſtituitur in eſſe cogniti, vel amati; quando vero dicimus, hic eſſe ſubiectum album, ſignificamus, hic haberi albedinem: illud ergo prædicatum, *meum*, eſt omnino ex illis prædicatis, quæ non ſignificant præſentem formam conſtitutiuam ſui; nam alia omnia, quæ dicuntur mea, vt libri, ſerui, prædia, non habent ibi, vbi ſunt, & vbi appellantur mea, id, per quod dicuntur mea. Homines ergo audiẽtes, hoc eſſe corpus meum, non intelligunt, hic eſſe etiam rationem formalem conſtitutiuã in eſſe mei, ſed ſolum ſpecificatiue hic eſſe corpus, quod eſt meũ. Aliud vero eſt denominatione *organizati*, quæ ſicut ſignificat formam intrinſecam, ſic etiam formam præſentem ibi, vbi dicitur eſſe corpus organizatum; quod non poteſt

melius probari, quàm ex vſu loquendi hominum per eiuſmodi voces.

112. *Obiicitur ſecundo.* Obiicitur ſecundo, quia *li ſanguinis* in conſecratione calicis non ſignificat naturam ſanguinis in abſtracto, quæ poſſet dici *ſanguineitas*, ſed in concreto; ſicut ignis, & aqua; ergo ex vi verborum ſignificatur aliqua ſubſiſtentia. *Reſpondet.* Reſpondeo, ſanguinem non ſignificare ſubſiſtentiam, ſed naturam ſanguinis; quia licet ſanguis non animetur, eſt tamen vere pars humanitatis; nomina autem partis non ſignificant ſubſiſtentiam, quia non ſignificant illam vt exiſtentem per ſe; quare licet caput habeat ſubſiſtētiam partialem, hæc tamen non ſignificatur per nomen *capitis*: dicimus enim, Verbum aſſumpſiſſe caput, & manus, &c. non Poſſet autem dici Verbum aſſumpſiſſe caput ſubſiſtens; & ſimiliter dicimus, non ſolum hominem, ſed humanitatem conſtare ex capite manibus, &c. Quod idē locum habet in ſanguine: dicimus enim: Verbum aſſumpſiſſe ſanguinem; & humanitatem conſtare ex carne & ſanguine; ergo per hanc vocem *ſanguinis* non ſignificatur natura ſanguinis cum ſubſiſtentia.

113. *Inſtantia.* Dices, licet ſanguis, dum eſt in homine, ſit pars; at vero quādo eſt effuſus, iam non eſt pars; ergo, quādo loquimur ſaltem de ſanguine effuſo, loquimur de illo cum ſubſiſtētia. *Diluitur.* Reſpondeo, ſanguinem etiā effuſum ſemper retinere nomen, & conceptum partis, ſicut caput abſciſſum, vel animam ſeparatam: quare ſicut hac de cauſa non diceretur Verbum eſſe caput, ſi caput maneret abſciſſum, nec de facto in triduo Verbum dicitur anima, ſed vniri animæ, & capiti; ſic nec Verbum dicitur in triduo ſanguis, ſed retinuiſſe aſſumptum ſanguinem, vt fatentur omnes Theologi. Ex quo clare cōſtat, per ſanguinem etiam ſeparatum non ſignificari ſubſiſtentiam, ſed naturam; quia licet minus proprie, adhuc concipitur vt pars humanitatis mortuæ.

114. *Obiicitur ſecundo.* Secundo obiicitur; quia in termino *à quo* huius conuerſionis expellitur ſubſiſtentia panis ex vi verborum; ergo in termino *ad quem* debet eſſe ſubſiſtentia ex vi verborum. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando conſequentiam; quia etiam in termino *à quo* expellitur forma ſubſtantialis ex vi verborum, & tamen ex parte termini *ad quem* non ponitur forma ſubſtantialis ex vi verborum, vt ſupra vidimus; neque eſt neceſſaria hæc proportio; quia verba ſignificant, ibi non manere aliquid ſubſtantiæ præcedentis; non tamen ſignificant poni formam, vel ſubſiſtentiam ſubſtantiæ ſequentis.

Infertur nec diuinitatē, nec vnionem eſſe ex vi verborum. Hinc infero, nec Diuinitatem, nec vnionem hypoſtaticam eſſe ex vi verborum, ſed ſolum per concomitantiam; quod conſtat ex rationibus ſupra factis; & ſatis indicatur à Tridentino vbi ſupra.

115. *Difficultas eſt de Patre, & Spiritu ſancto. Adſunt etiā hæ perſonæ per concomitantiam.* Reſtat difficultas, an Pater, & Spiritus ſanctus ſint etiam in hoc Sacramento? In quo licet aliqui nimis formidauerint, dicētes, ſolum Chriſtum eſſe in hoc Sacramento, non tamen videtur dubitandum, quin etiam aliæ Perſonæ adſint, non ſolum vt in aliis rebus, ſed ſpeciali titulo propter coniunctionem cum Verbo; nam ſicut vnio animæ cum corpore ſufficit, vt, poſito corpore Chriſti, ponatur etiam anima per concomitantiam: cur etiam non dicimus, adeſſe per concomitantiam perſonam Patris, & Spiritus ſancti, cum adſit Diuinitas, quæ cum illis non vnitur, ſed realiter identificatur? Itaque ſicut cum humanitate Chriſti adſunt ſpeciali titulo Pater, & Spiritus ſanctus ratione vnionis ad Verbum, ſic etiam in Euchariſtia, ita vt ſi per impoſſibile tota Trinitas non eſſet vbique, deberet eſſe in Euchariſtia propter præſentiam humanitatis Chriſti. *Suarez. Vaſquez.* Videatur Suarez *diſputat. 51. ſect. vltima*, in fine; & Vaſquez *diſput.* 185 *num. 17.* Nec hic modus loquendi alienus eſt à ſanctis Patribus, ſed valde vſitatus, nam S. Thomas *S. Thom.* *Opuſ. 63. cap. 2 p. 3. § Eſt ibi aliud*, dicit: *Deus Pater in Euchariſtia totum, quod ipſe eſt, & habet, cum Spiritu ſancto dedit.* Et infra, *quoties à Sacerdote oblatum fuerit hoc ſacrificium, toties Deus Pater cum Filio & Spiritu ſancto ſe totum ad fruendum exhibet.* Anton. *Ant. Reimpingolus.* Reimpingolus Serm. de corpore Chriſti effert Bernardum dicentem: *O Sacramentum Sacramentorum, in quo Pater, Filius, & Spiritus ſanctus datur!* Idem habet Lanſpergius tractatu de Euchariſtia, qui habetur cum Pharetra Diuini amoris. *Lanſperg. Viguerius. Gabriel.* Viguerius in Sūma *cap. 16. § 3. verſ. 4.* Gabriel *Lect. 42.* in Canon. & alij.

116. *Quæſitum.* Petes primo, an ratione huius concomitantiæ dici poſſit, quod manducatur Pater, & Spiritus ſanctus à ſumente Euchariſtiam? P. Vaſquez vbi ſupra videtur concedere, & defendere illam loquutionem: *Vaſquez.* vnde mirum eſt, P. Liuiſium Turrianum in *Turrianus.* Cenſuris Theologicis *Cent. 1. dub. 5.* acerbè cenſurare illum modum loquendi. *Satisfit.* Ego tamen exiſtimo, illam eſſe loquutionem impropriam, quia manducari importat motum localē, quo ab ore in ſtomachum traiicitur cibus, quod non poteſt proprie conuenire Patri, vel Spiritui ſancto. Verbo autem conuenit propter communicationem idiomatum cum humanitate, quæ vere manducatur.

117. *Quæſitum.* Petes ſecundo, an poſſit dici, quod panis conuertitur in Patrem, & Spiritum ſanctum ſaltem per concomitantiam? Ad hoc enim non videtur requiri, quod adſint ex vi verborum. *Satisfit.* Reſpondeo tamen negatiue; quia illud, in quod fit conuerſio, debet ſuccedere loco panis in ordine ad ſuſtentanda accidentia; vt conſtat ex *diſputat. præcedenti.* Pater autē & Spiritus ſanctus non ſuccedunt in hoc munere, ſed ſolus Filius, qui per ſuum corpus ſuſtentat accidentia panis efficienter; & ideo panis dicitur conuerti in ſolum Filium, non in alias perſonas.

118. *Illatio.* Hinc infero, licet ſignatis accidentibus panis, dici poſſit, *iſte eſt Filius Dei, & iſte eſt Deus*, tamen poſſe dici, *iſte eſt Pater, vel Spiritus ſanctus*: nam licet ibi ſint Pater, & Spiritus ſanctus, non tamen ſubſtant illis accidentibus, & ideo licet poſſimus dicere, ibi eſſe, non tamen, iſtum eſſe Patrem; quia (vt conſtat ex *diſput. 6.*) non ſufficit præſentia vtcumque ſine ſubſtentatione, vt poſſit ſubſtantia aliqua demonſtrari per accidentia per *li hoc*.

119. *Inſtabis.* Dices, perſona Verbi non ſubſtentat immediate accidentia panis, & tamen quia per concomitantiam eſt cum corpore Chriſti, quod ſuſtentat ea accidentia, dici poteſt: *iſte eſt Filius*; ergo ſufficiet hæc concomitantia ſub illis accidentibus, vt poſſimus dicere: *iſte eſt Pater.* *Reſpondeo.* Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, quod Verbum eſt ſuppoſitum, in quo eſt corpus Chriſti; denominationes autem corporis tribuuntur toti ſuppoſito, ſicut dicimus hominem album, licet albedo ſit in ſola materia; ideo dicitur Verbum ſubſtare, quia ſubſtat corpus Verbi. At Pater, & Spiritus ſanctus ſunt alia ſuppoſita, quibus nullo modo communicantur denominationes humanitatis Chriſti. An vero poſſimus dicere, *hæc eſt diuinitas*, communis eſt quæſtio, de aliis prædicatis humanitatis, an tribui poſſint Diuinitati, vt ſi dicas, *Deitas eſt paſſa*; Deitas reſurrexit, &c. de quo Suarez *1. tom. in 3. p. diſp. 35. ſect. 2.* & Vaſquez *diſp. 63. cap. 5.* & noſtri Damnat *diſput. 23. de Incarnat. ſect. 5. num. 32.*

DISPV

DISPVTATIO IX.

De his, quæ poteſt Chriſtus agere, aut pati in Euchariſtia.

SECTIO I. *Vtrum Chriſtus, prout in Euchariſtia, poſſit pati, aut agere aliqua actione Phyſica.*

SECTIO II. *Vtrum Chriſtus, prout in Euchariſtia, poſſit cognoſcere, & cognoſci.*

SVb hoc titulo comprehendimus non ſolum actiones, & paſſiones phyſicas, vt calefacere, & calefieri, ſed etiam intentionales, vt cognoſcere, & cognoſci; nam difficultas de vtraque ex iiſdem ferè principiis definienda eſt. De mutatione verò, per quam deſinit Chriſtus eſſe ſub ſpeciebus, dicemus *diſp. ſeq.* vbi etiam quid dicendum, quando in Euchariſtia apparet caro, vel puer, de quo S. Thom. *art.* 8.

SECTIO I.

Vtrum Chriſtus, prout in Euchariſtia, poſſit pati, aut agere, aliqua actione phyſica.

1. PRima difficultas poteſt eſſe de motu locali; de quo ſuppono ex dictis *diſp.* 6. *&* 7. corpus Chriſti moueri à Sacerdote per accidens ad motum ſpecierum, quia Sacerdos immediatè mouet ſpecies, quæ virtute diuinitus accepta ferunt ſecum corpus Chriſti, vt ibi latè dictum eſt. Difficultas ergo eſt, an primo, & per ſe corpus Chriſti in Euchariſtia poſſit moueri à ſe vel ab alio agente extrinſeco naturali virtute ſiue humana, ſiue Angelica.

2. *Communis ſententia negat de motu locali.* Communis ſententia negat; & omiſſis aliis rationibus, probatur, quia præſentia Sacramentalis corporis Chriſti eſt entitatiua ſupernaturalis, vt diximus dicta *diſp.* 6. Ergo nulla potentia naturalis habet virtutem ad producendam illam præſentiam in corpore Chriſti; ergo corpus Chriſti ſecundum illum ſtatum nec à ſe, nec ab alio agente creato poteſt naturaliter moueri. *Probatur quia talis motus eſt ſupernaturalis.*

Dices. Dices, licèt Angelus non poſſit dare præſentiam ſupernaturalem corpori Chriſti, poterit tamen auferre iſtam, quam habet, producendo aliam præſentiam naturalem, & per conſequens poterit mouere corpus Chriſti. Sed contra, quia nec iſto modo poteſt moueri ab Angelo: nam vel illud corpus moueretur totum ſimul, vel ſucceſſiuè pars poſt partẽ. Si totum ſimul, ergo deberet accipere aliam præſentiam ſupernaturalem, qua eſſet totum ſimul in eodẽ ſpatio: ſi verò ſucceſſiuè, ergo vna pars moueretur prius, quam aliæ; ergo illa pars haberet præſentiam naturalem, manentibus aliis cum præſentia ſupernaturali, hoc autem repugnat, quia vnum corpus continuum petit habere omnem ſuam præſentiam continuam; quare cum non poſſint naturaliter continuari præſentia naturalis cum ſupernaturali, conſequens eſt, vt non poſſit pars illius corporis accipere ab Angelo præſentiam naturalem, manentibus aliis partibus cum præſentia ſupernaturali.

3. *Inſtabis iterum.* Dices iterum: ſi Petrus ponatur in duplici loco quantitatiue, adhuc poterit in vtroque loco moueri à ſe, vel ab alio agente extrinſeco: & tamen illa ſecunda præſentia eſſet ſupernaturalis, nec ad illam datur capacitas naturalis in ſubiecto; ergo ſimiliter, licèt præſentia Chriſti in Euchariſtia ſit ſupernaturalis, poterit tamen accipi ab agente naturali ex ſuppoſitione prioris miraculi. Reſpondeo illam vbicationem Petri in priori caſu eſſe ſupernaturalem, quoad modum extrinſecum, non verò in ſua entitate; quare ad illam datur verè in agente extrinſeco virtus naturalis actiua, & in ipſo Petro potentia naturalis receptiua: at verò præſentia Chriſti eſt in ſua entitate ſupernaturalis, ad quam nulla prorſus virtus actiua reperitur in Angelo. *Reſpondeo.*

4. *Vrgebis.* Vrgebis adhuc, licèt præſentia Petri ſit naturalis, & ad ipſam habeat virtutem connaturalem cauſa ſecunda, non tamen debetur illi concurſus hic & nunc ad iſtum effectum, quando Petrus habet alibi aliam præſentiam; & tamen ex ſuppoſitione prioris miraculi datur iſte concurſus; ergo ſimiliter poſſet dari Angelo concurſus indebitus ad præſentiam ſupernaturalem. Reſpondeo, in caſu antecedentis ex natura rei Petrum habere capacitatem, vt in vno ſaltem loco moueatur ab agentibus extrinſecis; Deum autem ex ſuppoſitione prioris miraculi debere concurſum, vt poſſit à ſeipſo, vel ab aliis moueri propter rationem à nobis latè explicatam *diſp.* 6. *ſect.* 1. quæ ratio nullo modo procedit in præſenti caſu. *Reſpondeo.*

5. *Secunda difficultas eſt de aliis actionibus corporeis.* Secunda difficultas eſſe poteſt de aliis actionibus, & paſſionibus corporeis, vt de calefactione, frigefactione, &c. & nõ eſt ſermo, an poſſit Chriſtus paſſiones alibi acceptas habere per concomitantiam in Euchariſtia; de hoc enim dictum eſt ſupra; ſed an, prout in Euchariſtia, poſſit eas primo habere: nec etiam loquimur de corpore Chriſti, prout de facto glorioſum eſt, & impoſſibile, ſed de illo prout in cœna, v.g. quando paſſibile erat, an prout in Sacramento poſſet ab agentibus extrinſecis alterari, vel etiam in ſe, vel in aliud agere. In qua quæſtione aliqui affirmant in vniuerſum, Chriſtum Dominum prout in Euchariſtia poſſe ex natura rei illas actiones exercere, & paſſiones recipere; quia ad agendum, vel patiendum ſolum requiritur approximatio agentis ad paſſum: quod verò hæc approximatio ſit ſine extenſione quantitatiua, non obſtat, imo videtur magis conducere, quia eo minus diſtabunt omnes partes Chriſti ab agente, vel paſſo extrinſeco; quare ſicut Angelus intime penetratus cũ paſſo poteſt agere; & ſicut anima rationalis agit in corpus, & corpus in animam exiſtentem in eodem loco, cur etiam Chriſtus indiuiſibiliter exiſtens non poterit agere, & pati ab agentibus extrinſecis. *Sententia prima affirmat.*

6. *Communior negat.* Communior tamen ſententia negat, & omiſſis aliis rationibus, quæ videri poſſunt apud Suarez in præſenti *diſp.* 53. *ſect.* 2. & apud Vaſquez *diſp.* 191. *cap.* 5. quod attinet ad paſſiones, probari poteſt ex ſupra dictis, quia omnis paſſio, & qualitas in Chriſto producta deberet poni in ipſo indiuiſibiliter in ordine ad locum, ſicut eſt ipſe Chriſtus; hunc autem modum exſiſtendi, ſeu hanc præſentiam nullum agens naturale poteſt tribuere, vt diximus; ergo corpus Chriſti prout in Euchariſtia nec à ſe, nec ab alio naturali virtute pati poteſt. Dices, quando paſſum eſt in duplici loco, agens non poteſt ponere calorem vtrobique; & tamen poteſt producere calorem; ergo ſimiliter in præſenti poſſet producere calorem, licet non præſentiam. Reſpondeo, duplicem præſentiam non eſſe paſſionem caloris; quare non refert, quod non poſſit vtraque produci; at verò vna præſentia eſt paſſio caloris, quæ debet tribui à producente hic calorem. *Probatur ex ſupradictis de præſentia ſupernaturali.* *Inſtantia.* *Diluitur.*

7. *Maior difficultas eſt cur non poſſit Chriſtus agere in aliud paſſum.* Maior difficultas eſt, cur non poſſit Chriſtus agere in aliud paſſum; in actione enim tranſeunti ipſius Chriſti non militat ratio adducta; quia illa actio non eſt in Chriſto, ſed in paſſo, in quo poſſet habere præſentiam naturalem. De actione loco moti-

De actione loca motiua patet ex ſupradictis. ua, qua aliud corpus impellat, ratio eſt clara ex dictis, quia vnum corpus non poteſt aliud loco mouere, niſi prius in ſeipſo aliquid agat; cum autem corpus Chriſti non poſſit in ſe aliquid agere, non mirum, quod non poſſit mouere aliud corpus. Cæterum de calefactione, aut frigefactione tranſeunte *De calefactione, v.g. maior eſt difficultas.* difficile eſt, cur corpus Chriſti per ſuum calorem, v.g. non poſſit calefacere manum tangentis, certè vix poteſt adduci ratio conuincens. Quare aliqui *Aliqui fatentur non repugnare.* negantes de paſſionibus fatentur planè, non repugnare ex natura rei, quod Chriſtus indiuiſibiliter exiſtens agat in paſſum proximum; Deum tamen de facto impedire huiuſmodi actiones ob meritum *Alij contra.* noſtræ fidei. Alij dicunt, repugnare, quod agens corporeum agat in paſſum, niſi illi approximetur per contractum phyſicum. Cæterum hoc videtur difficile: nam ſpecies impreſſa materialis cauſat actum viſionis in eodem loco, vbi eſt ſpecies, & multa agentia materialia operantur in ſeipſis, cum tamen ſibi non non approximetur per contractum.

8. *Poſſet dici aliquod præſentiam naturalem.* Poſſet fortaſſe dici, quod omne agens naturale prærequirit ad agendum approximationem aliquam, (vt ſuppono ex Philoſophia) hæc autem approximatio, ſeu præſentia debet eſſe naturalis; quia conditio naturaliter requiſita ad operandum naturaliter, debet eſſe conditio naturalis: ideo namque cognitio ſupernaturalis non diſponit ſufficienter ad habitum naturalem; quia habitus naturalis ſolum exigit actum naturalem, à quo procedat. Cum ergo Chriſtus non habeat præſentiam naturalem in Euchariſtia, conſequens eſt, vt non habeat approximationem naturaliter requiſitam ad operandum.

9. *Impugnatur hæc doctrina.* Sed contra hoc eſt, quod ſubſiſtentia etiam prærequiritur, vt conditio ex parte naturæ ad operandum; & tamen humanitas Chriſti Domini, licèt careat ſubſiſtentia naturali, & ſubſiſtat ſupernaturaliter, operatur tamen connaturaliter; ergo licèt præſentia ſit conditio ad agendum, ſufficiet tamen præſentia ſupernaturalis.

Reſponderi poteſt. Reſponderi poteſt negando conſequentiam, quia ſubſiſtentia naturalis in humanitate Chriſti ſuppletur optimè per ſubſiſtentiam Diuinam, quæ præſtat totum, quod præſtare poſſet ſubſiſtentia creata: at verò præſentia naturalis requiſita ad agendum non ſuppletur per præſentiam ſacramentalem, quæ licèt ſit præſentia, non eſt tamen extenſio: agens autem materiale non ſolum requirit ad agendum præſentiam, & approximationem, ſed extenſionem, ſicut enim requirit quantitatem, qua quaſi extenditur in ordine ad ſe: ſic videtur exigere extenſionem localem, qua extenditur in ordine ad locum: hoc verò non præſtatur, nec ſuppletur per præſentiam ſacramentalem, quæ non eſt extenſio, ſed inextenſio. *Cæterum poſſet adhuc hæc reſponſio vladi.* Cæterum videtur adhuc inquirendum, cur ſicut ad operandum non requirit ſubſiſtentiam creatam ſeu materialem, ſed ſubſiſtentiam, & ideo poteſt ſuppleri per ſubſiſtentiam increatam ſpiritualem; ſic etiam non dicemus, requiri quidem approximationem, & præſentiam, non verò præſentiam cum extenſione, atque adeo poſſe ſuppleri per approximationem, & præſentiam, quæ non ſit extenſio.

10. *Ratio à poſteriori. Quia calefactio illa eſſet ſupernaturalis.* Poſſumus addere aliam rationem à poſteriori ad probandum, quod requiratur extenſio in agente naturali materiali: quia actio illa, quæ procederet ab igne inextenſo, & reducto ad punctum, v. g. ſpatij, eſſet diuerſæ rationis in ſua entitate intrinſeca ab omnibus actionibus, quæ ſunt naturaliter poſſibiles, & quæ oriri poſſunt ab igne extenſo localiter; ergo actio illa eſſet ſupernaturalis entitatiuè, & quę non contineretur intra vires naturales eiuſdem ignis: quomodo enim poteſt ignis habere ex ſe virtutem naturalem ad illam actionem, quæ numquam poteſt ab illo naturaliter, & abſque miraculo prodire? Antecedens verò probatur, quia omnis actio, *Probatur.* quam hic ignis in ſuo ſtatu naturali, & extenſo poteſt exercere ad calefaciendum, v.g. vel illuminandum paſſum ſibi approximatum, talis eſt, vt per ſuam entitatem dicat ordinem tranſcendentalem ad illum ignem, & ad omnes eius partes, ita vt quæcumque pars deeſſet in illo igne agente, non eſſet eadem actio, ſed alia pro varietate agentis. Suppono enim ex communi ſententia Philoſophorum, quando plura agentia partialia concurrunt ad aliquem effectum producendum, non concurrere per plures actiones, ſed omnia concurrere per vnam actionem, quæ reſpicit omnia illa tanquam cauſas partiales: & idem à fortiori eſt, quando vnum agens habens plures partes concurrit ad aliquem effectum; ſit enim vnica actio pendens ab omnibus partibus illius agentis, tanquam à principiis partialibus. Sic vnus ignis applicatus calefacit lignum proximum, ad quam calefactionem concurrunt omnes partes illius ignis per vnicam actionem pendentem à toto illo igne, & reſpicientem omnes, & ſingulas eius partes, tanquam principia partialia.

Quo ſuppoſito, probatur iam, illam actionem, 11. qua hic ignis extenſus calefacit hoc lignum, non *Actio ignis extenſi non poteſt eſſe eadem cum illa ignis inextenſi.* poſſe eſſe in ſua entitate eamdem cum illa alia actione, qua idem ignis exiſtens abſque extenſione locali calefaceret idem lignum: quia actio prior naturalis non ſolum reſpicit omnes partes huius ligni, ſed reſpicit illas inæqualiter: cum enim paſſum, ſeu lignum, quod calefacit, non æqualiter diſtet ab omnibus, & ſingulis partibus illius ignis (hoc enim affert ſecum extenſio localis agentis, vt magis diſtent à paſſo aliquæ partes agentis, & aliæ minus) conſequens eſt, vt calor in ligno productus magis dependeat à partibus ignis magis propinquis, & minus à partibus magis remotis; ergo actio, ſeu calefactio illa, licèt reſpiciat omnes partes ignis agentis; non tamen reſpicit eas æqualiter, ſed inæqualiter, hoc eſt, aliquas vt magis influentes, quia magis propinquæ ſunt, alias vt minus influentes, quia magis remotæ ſunt; & tales oportet eſſe omnes actiones agentis materialis extenſi in paſſum externum. Actio autem, qua idem ignis inextenſus ageret, & calefaceret idem lignum, non eſſet eiuſmodi, ſed æqualiter reſpiceret omnes, & ſingulas partes illius ignis agentis, quia omnes æquè diſtarent à paſſo, & per conſequens æque agerent, & influerent, effectuſque non magis penderet ab vna parte agentis quam ab alia; ergo illa actio, ſeu calefactio quæ tunc fieret, haberet aliquod prædicatum intrinſecum diuerſum, quod non haberet actio vlla, qua idem ignis extenſus calefaceret idem lignum ſibi approximatum. Differret ergo entitatiuè ab omnibus actionibus naturalibus; & per conſequens illa talis actio non contineretur in virtute naturali agentis materialis naturalis.

Dices, hoc idem argumentum fieri poſſe, quan- 12. do duo corpora penetrarentur, ſi duo ignes, v.g. *Inſtabis idem dici poſſe ſi duo ignes, v. g. penetrarentur.* diuinitus penetrarentur. Nam calefactio etiam illa, qua de facto calefieret lignum proximum reſpiceret æqualiter vtrumque ignem, cum propter penetrationem vterque æquè diſtaret à paſſo; ergo actio illa haberet aliquod prædicatum intrinſecum diuerſum, quod non haberet actio, qua iidem ignes impenetrati calefacerent idem lignum, nam hæc ſemper reſpiceret illos ignes inæqualiter,

ſollicet vnum magis influentem, quā magis propinquus eiſet, alterum minus influentem, quia magis remotus eſſet; ergo fatendum etiam eſſet, ſi duo ignes penetrarentur, tunc lignum approximatum non calefaciendum; quod tamen videtur incredibile, quia vterque ignis haberet extenſionem ſibi debitam; & de facto, quando corpus Chriſti naſcentis penetratum fuit cum virginali clauſtro matris, negari non poteſt, quod tunc etiam eius cor ageret calefaciendo partes propinquas, ſicut prius; non ergo impediebatur eius operatio naturalis propter penetrationem cum alio corpore etiam calido, & à quo poterat partialiter tunc illa operatio procedere.

13. *Reſpondet.* Reſpondetur tamen, non eſſe eamdem rationem de igne penetrato cum alio igne, ac de igne poſito abſque extenſione; ratio enim à nobis adducta, ſi quid probat, probat quidem in ſecundo caſu, non in primo de duplici igne penetrato; quia tūc poſſet eadem actio procedere ab igne penetrato, quæ potuiſſet procedere ab eodē nō penetrato. Dato enim, quod non poſſet vterque ignis penetratus naturaliter agere, eo quod actio illa reſpiceret vtrumque ignem æqualiter, propter æqualem diſtantiā vtriuſque à paſſo; quem modum reſpiciendi nulla actio naturalis poſſet habere; dici tamen poteſt, quod in eo caſu Deus vt auctor naturæ determinaret vnum ex vtroque illo igne penetrato, qui ſolus ageret, perinde ac ſi ſolus eſſet in illo ſpatio. Quando enim adeſt cauſa cum ſufficienti virtute ad agendum, & non poteſt prodire in operationem, non propter defectum virtutis, vt ita dicam, ſed propter abundantiam, pertinere videtur ad cauſam primam determinare illam indifferentiam ad vnum effectum limitatum. Sic, iuxta communem ſententiām Philoſophorum, ignis, qui ex ſe habet virtutem ad producendum hunc numero calorem, & illum, nō tamen vtrumque ſimul naturaliter, determinatur à cauſa prima, vt producat hunc, & non illum; nam ex ſe habebat virtutem ad plures effectus, & quia non poſſet omnes, vel duos ſimul producere, nullum produceret, niſi determinaretur illa indifferētia à cauſa prima. Sic in noſtro caſu è contrario adſunt duæ cauſæ potentes ſingulæ ſeorſim producere eumdem effectum, non tamen vtraque ſimul, eo quod illa actio eſſet entitatiue ſupernaturalis. Pertineret ergo ad cauſam primā determinare cauſam, vt effectus, qui procedere poterat à ſingulis, ſed nō ab vtraque ſimul, procedat ab hac potius quam ab illa; ſicut nūnc determinat cauſam potētem producere duos effectus, ſed non vtrumque ſimul, vt producat hunc potius quam illum. Hoc autem fieri non debet, quādo agens, ignis, v.g. totum exiſteret ſimul abſque extenſione locali: quia nō deberet determinari aliqua pars eius ignis, quæ ſola ageret abſque aliis; nam quæcumque pars determinaretur, haberet in ſe alias partes, quæ cum omnes eſſent ſimul, & agerent, ſequeretur idem inconueniens, quod actio illa reſpiceret omnes æqualiter.

Deus determinaret vnū ex vtroque, qui ſolus ageret, dato quod non poſſit vterq; naturaliter agere.

Quod autem fieri non debet quando agens totum exiſteret abſque extenſione.

14. *Idem etiā dicimus iuxta ſententiam cōponentem quantitatem ex ſolis punctis.* Adde, licet quantitas poneretur compoſita ex ſolis punctis, non poſſet connaturaliter operari in ſtatu ſacramentali: poſſet quippe aliquis, illa ſententia admiſſa, contendere, quod in ſingulis punctis ſpatij Deus etiam poſſet, & deberet connaturaliter determinare vnum indiuiſibile ignis, prout ibi exſiſtens, ageret in paſſum; in puncto autem ſequenti ſpatij aliud indiuiſibile eiuſdem ignis; ita vt ſi ignis, v.g. conſtat ex viginti punctis, & eſſet ſacramentaliter in hoſtia conſtante ex viginti punctis, totus ignis in ſingulis punctis hoſtiæ, tunc, inquam, actio procederet ab illis, ſicut ſi eſſent ſingula in vno ſolo puncto ſpatij, nempe à puncto A, prout ſolum eſt in puncto ſpatij A, & à puncto B, ſicut ſi eſſet in immediato ſolo puncto ſpatij, & ſic de aliis, determinante Deo, in ſingulis punctis ſpatij vnum punctum ignis, quod ſolum prout in illo puncto ſpatij operetur. Hoc tamen, vt dixi, non ſatisfacit; quia actio naturalis, qua de facto ſingula puncta naturaliter operantur, non poſſet procedere ab vno indiuiſibili diuiſo ab aliis, etiamſi quantitas componeretur ex ſolis punctis finitis: ſicut enim non poteſt naturaliter exſiſtere vnum punctum ſeorſim, ita nec operari propter ſuam imperfectionem; præterquirit ergo coniunctionem vnius puncti cum aliis, & eodem modo prærequirit præſentiam vnius puncti eſſe coniunctam cum præſētia ſequentis puncti, quod operatur cum iſto: nam ſicut requiritur vnitas ex parte agentis, & compoſitio ex multis punctis, ſic requiritur præſentia vna compoſita ex multis præſentiis punctorum. In illo autem caſu non daretur talis vnitas ex parte præſentiæ, quia licet præſentia, v.g. manus Chriſti in tali parte ſpatij vniatur immediate cum præſentia brachij in eadē parte ſpatij, & cum præſentia eiuſdē manus in parte proxima ſpatij vt vidimus *diſp.* 5. non tamen vnitur immediate cum præſentia brachij in parte proxima ſpatij, vt ibidem diximus: non ergo fit vna præſentia extenſa ex præſentia manus in hac parte hoſtiæ, & ex præſentia brachij in parte proxima hoſtiæ, quia illæ duæ præſentiæ non vniuntur immediatè inter ſe. Non ergo haberent illa duo puncta ignis vnam præſentiam continuam ad duo puncta ſpatij, ſed eſſent quidem in ſpatio continuo, per duas tamen præſentias non continuas inter ſe. Sicut autem vnum indiuiſibile ignis diuiſum ab aliis non ageret naturaliter, ſic vna præſentia ad vnum ſolum indiuiſibile ſpatij diuiſa ab aliis non videtur ſufficiens præſentia ad agendum naturaliter, & ſicut indiuiſibile ignis ad cauſandum non ſolum requirit eſſe contiguum cum aliis, quæ operantur, ſed etiam eſſe continuum, & vnum cum illis: ſic præſentia vnius puncti ignis requiſita ad cauſandum naturaliter, non ſolum requirit eſſe contiguam cum aliis præſentiis aliorum punctorum, quæ agunt, ſed etiam eſſe continuam, & vnam cum illis; non enim apparet, cur requiratur maior vnitas in ipſa virtute cauſandi, quam in conditione requiſita, qualis eſt approximatio. Cū ergo in Euchariſtia præſentia vnius puncti in hoc ſpatio non vniatur cum præſentia alterius pūcti in ſpatio proximo, ſed ſint quaſi præſentiæ diſparatæ, quarum quælibet componit præſentiā integram totius corporis in illa parte ſpatij; nō videtur dari ibi præſentia agentis corporei naturaliter requiſita ad agendum naturaliter. Video, hāc rationem totam neque eſſe demonſtrationem, neque talem, quæ non ſit adhuc expoſita pluribus obiectionibus; ſed tamen in re dubia præſtat aliqualem rationem reddere, quam recurrere ſemper ad noua miracula, quæ fiant ad occultandum myſterium.

Duo pūcta ignis nō haberēt vnam præſentiam continuam.

Sūt præſentia diſparata quarū quælibet cōponit præſentiam integram totius corporis in illa parte ſpatij.

SECTIO II.

Vtrum Chriſtus prout in Euchariſtia, poſſit cognoſcere, & cognoſci?

15. *Hæ quæſtiones procedūt cōnaturaliter loquendo.* PLures quæſtiunculas ſub hoc titulo comprehēdimus, quas breuiter definiemus, vtpote ferè Philoſophicas. Suppono ergo primo, quæſtionem procedere connaturaliter loquendo; nā de potentia abſoluta bene poſſet Chriſtus, prout in Euchariſtia elicere quemcūque actum cognitionis, & cognoſci

etiam

etiam ab aliis, ſaltem cognitione intellectuali. Item, non quærimus, an per concomitantiam habeat Chriſtus in Euchariſtia etiã actus cognoſcendi, & appetendi, quos habet in cælo. Suppono enim, eos habere, quia omnes ſunt independentes à loco.

Suppono ſecundo, non poſſe prout in Euchariſtia elicere connaturaliter actum ſenſationis internum, vel externum, nec actum appetitus: quia hæc omnia ſunt accidentia materialia: quare cum non poſſit accipere ab agente creato qualitatem materialem propter rationem traditam *ſect. præcedenti*, non poterit etiam à ſeipſo.

Suppoſitio ſecunda.

Suppono tertio, poſſe bene elicere actus ſpirituales ſcientiæ Infuſæ, per quam operatur independenter à phantaſmatibus; nihil enim impedit, quod iſti actus producantur primo, & per ſe indiuiſibiliter in Euchariſtia.

Suppoſitio tertia.

Prima difficultas.

Difficultas ergo eſt primo de actibus intellectus

16. qui dependent à phantaſia, an poſſint elici connaturaliter à Chriſto, prout in Euchariſtia? P. Suarez *ſect.* 3. in fine negat, niſi forſitam Chriſtus exſiſtens naturaliter in alio loco, habeat ibi actum phantaſiæ: tunc enim etiam actus phãtaſiæ non poneretur per concomitantiam in Euchariſtia, ſufficeret haberi in alio loco, vt etiam in Euchariſtia poſſet intellectus determinari ad intelligendum; nam diſtantia, vel propinquitas localis ipſorum actuum parum refert; quod idẽ concedit P. Vaſquez *diſp.* 191. *n.* 27. & 28.

Difficultas eſt de actibus intellectus qui dependent à phantaſia. Suarez.

Vaſquez.

17. Ego paulo aliter dicendum cenſeo, in primis ſi actus phantaſiæ ſit ſolum in cœlo, non poſſe intellectum determinari prout in Euchariſtia ab actu phantaſiæ ad intelligendum; quia hæc excitatio non fit ſolum formaliter, ſed efficienter, quatenus per phantaſma generatur, vel augetur aliqua ſpecies intellectualis; vt dixi in lib. de anima. Quare cum phantaſma ſit agens naturale, conſequens eſt, vt intellectus prout in Euchariſtia non poſſit determinari phantaſmate abſente, quia non poteſt phantaſma diſtans operari efficienter: imo neque à phantaſmate præſenti ob defectum extenſionis debitæ ad operandum; ſi, prout Suarez admittit, requiritur ſemper extenſio debita in agente materiali, vt poſſit agere: nam phantaſma in Euchariſtia non habet eiuſmodi extenſionem.

Concluſio.

18. Cæterum, quoniam in iiſdem lib. de anima dixi, dependentiam intellectus à phantaſia non ſemper eſſe à priori, ſed aliquando à poſteriori; quia licet ſæpe intellectus excitetur à phantaſia, aliquando tamen excitatur ab aliis actibus intelligendi, & tunc pendet à phantaſia conſequenter, quatenus ſcilicet phantaſia excitatur ab eodem intellectu, vt exerceat operationem circa idem, vel ſimile obiectum propter connexionem vtriuſque potentiæ (de quo late ibi;) tunc ergo, quando intellectus habet iam ſpecies obiectorum, & excitantur aliunde per alios præcedentes actus intellectus, non eſt, cur non poſſit operari prout in Euchariſtia, quia licet prout ibi non poſſit phãtaſia comitari intellectum, non ideo minus, imo magis expedite operabitur intellectus, cum ad illos actus non indigeat conſortio phantaſiæ, neque antecedenter (vt ſuppono,) neque etiam conſequenter ob impedimentum phantaſiæ, ſicut ſi Deus phantaſiam deſtruxiſſet.

Quando intellectus habet ſpecies obiectorum, & excitatur ab aliis actibus intellectus, poteſt operari.

19.

Secũda difficultas an videri poſſit oculo corporeo.

Secunda difficultas.

Secunda difficultas eſt, vtrũ corpus Chriſti in Euchariſtia poſſit naturaliter videri oculo corporeo; & eadem fere difficultas eſt de aliis ſenſibus, ex iis tamen, quæ de viſu dicentur, poterit reſolutio inferri ad alias ſenſationes. Nominales aliqui docent, poſſe naturaliter videri, niſi diuinitus impediretur ad occultandum myſterium. Communis tamen, & verior ſententia negat; quia corpus Chriſti, prout in eo ſtatu, non poteſt producere ſpecies ſui in medio, vt conſtat ex ſupra dictis, ſine quibus naturaliter videri non poteſt.

Sententia Nominaliũ. Communis ſententia negat.

Tertia difficultas.

Hinc oritur tertia difficultas, an diuinitus poſſit videri corpus Chriſti in Euchariſtia? Negat Suarez in præſenti *ſect.* 4. Probabilior tamen videtur pars affirmatiua, quam cum aliis docet Vaſquez *diſput.* 191. *cap.* 2. quia nulla in hoc apparet contradictio. Dicunt, illum modum præſentiæ eſſe extra totam latitudinem obiecti viſibilis, non ſolum primarij, quod eſt lux & color, ſed etiam ſecundarij, quod eſt præſentia quantitatiua; ergo non magis poteſt eleuari viſus ad percipiendum illud obiectum, quam ad ſaporem, vel ſonum. Reſpondetur, illam præſentiam eſſe quidem ſupernaturalem, non tamen eſſe extra latitudinem obiecti viſibilis; quia ſicut lux ſupernaturalis eſt intra latitudinem lucis, & ſicut poteſt etiam vi ſua eleuari ad videndam lucem indiuiſibilem, ita facilius ad videndam præſentiam diuiſibilem coloris exſiſtentem in ſpatio indiuiſibili; hoc enim non eſt plus quam videre plures partes coloris in eadem parte ſpatij, quod non extrahit à latitudine obiecti viſibilis. 20.

Negat Suarez. Probabilius affirmat Suarez, quia nulla eſt contradictio. Obiiciunt. Reſpõdetur.

Obiiciunt aliqui primo, quia corpus Chriſti in hoc ſacramento imitatur omnino, quoad modum eſſendi, res ſpirituales; hæ autem ſunt omnino extra ſphæram viſus corporei; ergo & corpus Chriſti in Euchariſtia. Probatur conſequentia, quia ſi aliquis ſapor poneretur diuinitus taliter, vt imitaretur colorem, & appareret in omnibus color, nõ poſſet vllo modo percipi per guſtum, qui non poteſt etiam diuinitus percipere colorem; ergo viſus corporeus, qui non poteſt percipere res ſpirituales, non poterit etiam diuinitus percipere corpus Chriſti, quando in omnibus imitatur ſubſtantias ſpirituales. 21.

Obiiciunt.

Reſpondetur, quantumcumque imitetur res ſpirituales, adhuc retinere ſuum eſſe materiale; quare adhuc habet differentiam eſſentialẽ, per quam poſſit percipi à potentia illa, quæ non poteſt percipere obiecta vere ſpiritualia. Sic etiã ſapor ille, qui imitaretur colorem, adhuc eſſet verus ſapor, atque ideo adhuc poſſet diuinitus percipi à guſtu, qui cognoſceret verum ſaporem, qui aliis appareret color. 22.

Reſpondetur.

Sed contra obiiciunt ſecundo, quia viſus non poteſt vllo modo percipere obiectum indiuiſibile: ſed corpus Chriſti in Euchariſtia, licet re vera in ſe ſit diuiſibile, exſiſtit tamen ad modum indiuiſibilis, ita vt etiamſi diuinitus videretur, adhuc oculos non perciperet diuiſibilitatem ipſius: hanc enim non poteſt oculus percipere, niſi ex extenſione locali obiecti eo quod vna pars apparet in alio loco ab alia parte. Vnde ſi duo ignes penetrarentur inter ſe, non perciperet oculus, quod ibi ſint duo ignes, vel vnus; perciperetur ergo corpus Chriſti ad modum vnius indiuiſibilis. 23.

Obiiciunt ſecundo.

Reſpondetur, in primis falſum eſt obiecta penetrata non percipi niſi ad modum obiecti ſimplicis, & indiuiſibilis; quando enim percipitur color intenſus, qui conſtat ex pluribus gradibus coloris penetratis, non percipitur ſicut color remiſſus, ſed percipitur ipſa intenſio; ergo percipitur pluralitas graduum penetratorum. Similiter quando tactu 24.

Reſpõdetur.

percipi

percipimus temperamentum ex quotquot qualitatibus, omnes illas percipimus, licet ſint penetratæ in eadem parte ſubiecti, & percipimus aliud, quam ſi eſſet vna ſola ex illis qualitatibus. Sic ergo qui diuinitus videret corpus Chriſti in vna parte hoſtiæ, hoc eſt, omnes partes corporis Chriſti ibi exſiſtentes, vere plus perciperet, quam ſi videret ſolá vnam partem; videret enim omnes illos colores omnium partium, licet propter penetrationem non diſcerneret ſufficienter ad indicandum eſſe plures, ſed tamen videret plus quam ſi videret vnam ſolam partem, vel vnum ſolum colorem; iudicaret tamen eſſe aliquem colorem mixtum propter confuſionem, qua omnes illi colores ſimul perciperentur.

15\. *Reſpondetur deinde ad id quod dicitur de obiecto indiuiſibili.* Deinde, ad id, quod obiicitur de obiecto vere indiuiſibili, quod ſeorſim oculus videre non poſſet, reſponderi poteſt primo, ſi detur indiuiſibile lucis, & illud ſit lux, & ſeparetur diuinitus ab omnibus partibus, poſſet quidem diuinitus eleuari oculus ad illud percipiendum, præſertim cum poſſet illud indiuiſibile lucis diuinitus conſtitui in ſpatio extenſo, & magno, prout de facto indiuiſibilia corporis Chriſti ſingula ſunt in toto ſpatio hoſtiæ. Si ergo ita conſtitueretur lux indiuiſibilis in ſpatio centum palmorum, percipi etiam poſſet; imo non poſſet diſcerni ex illa viſione, an eſſet lux indiuiſibilis, an diuiſibilis, & extenſa, cum totum illud ſpatium extenſum eſſet lucidum. Si autem indiuiſibile lucis non ſit lux, transeat, illud non poſſe videri ſolum; negatur tamen paritas de corpore Chriſti in Euchariſtia; quia licet totum exſiſtat indiuiſibiliter, id tamen, quod videretur, non eſſet indiuiſibile, ſed diuiſibile, atque adeo verus color, qui eſt obiectum viſus. Et quidem ſi indiuiſibile coloris non eſt color, oculus videns diuinitus colorem diuiſibilem etiam in puncto ſpatij, bene diſcerneret illum ab eo, qui non eſt color, quamuis propter confuſionem cognitionis non poſſet diſcernere, an eſſet entitas diuiſibilis, vel indiuiſibilis: ſicut de facto oculus videns colorem intenſum diſcernit bene illum à colore remiſſo, licet non diſcernat, an ſit aliquid diuiſibile, vel indiuiſibile. Denique licet concedatur, quod non poteſt color exſiſtens in ſolo indiuiſibili ſpatij percipi viſu corporeo etiam diuinitus, non ſequitur, corpus Chriſti non poſſe percipi in Euchariſtia. Sicut enim non repugnat, videri indiuiſibilia coloris ſimul cum aliis partibus, quæ iam obiectum occupat ſpatium extenſum; ſic non repugnabit videri corpus Chriſti, exſiſtens totum ſimul in indiuiſibili, quando non videretur exſiſtens in ſolo indiuiſibili, ſed ſimul in partibus ſpatij, iam non videretur in ſpatio extenſo, ſicut indiuiſibile lucis occupans diuinitus ſpatium bipalmare, poſſet diuinitus videri, ſi eſſet vera lux in ſua entitate.

16\. *Tertia obiectio.* Tertio obiiciunt, quia viſus corporeus numquam percepit rem, quin percipiat eius figuram, & pulchritudinem; ſi videret autem corpus Chriſti in Euchariſtia, non perciperet eius figuram: qualem enim triangularem, rotundam, vel quadratam? ergo ſicut figura, & pulchritudo viſibilis eſt, & tamen in Euchariſtia non poteſt percipi, ſic neque ipſe color in illo ſtatu Sacramentali.

Reſponde. Reſpondetur, figuram, vel pulchritudinem organicam non eſſe obiectum viſus, ſed ſitualem eo modo, quo videri poteſt; quæ non addit aliquid poſitiuum ſupra præſentiam actualem, vt ſupra diximus *diſp. 8. ſect. 2.* & ex qua argutiua cognoſcitur figura, & pulchritudo organica. In Euchariſtia ergo perciperetur color, non viſa pulchritudine, aut figura ſituali, quia nulla eſſet. Sicut in caſu poſito, ſi lux indiuiſibilis poneretur in ſpatio bipalmari, & oculus videret totum illud ſpatium illuminatum, non videret tamen figuram ſitualem lucis, quia figura eſt diſpoſitio partium, illa autem lux non haberet partes; ſic in Euchariſtia videret colorem, non viſa figura ſituali, quia hæc eſt diſpoſitio partium in ordine ad diuerſas partes ſpatij occupandas, quod non habent in Euchariſtia, cum omnes partes ſint in qualibet parte ſpatij. Loco tamen figuræ ſitualis, quæ eſt talis vbicatio partium, videret oculus illam aliam vbicationem ſupernaturalem, quam partes habent in hoc Sacramento. Videret, inquam, eo modo, quo explicatum eſt ſupra *diſp. 5. ſect. 4.*

Petes, vtrum poſſit videri corpus Chriſti extenſum prout in Euchariſtia? Negat Suarez, vbi ſupra. Ego tamen probabile cenſeo, poſſe in hoc ſenſu, quod (ſi quidem totum corpus eſt in quauis parte ſpatij) Deus oſtendat in vna parte ſpatij vnam ſolam partem corporis, v.g. caput, cum ſola præſentia capitis, quam ibi habet, & in parte proxima collum, &c. & ſic de ſingulis; quare ſi ponatur hoſtia magnitudinis humanæ, appareblt vere Chriſtus in tota hoſtia, & non in quauis parte, oſtendente Deo in ſingulis partibus hoſtiæ vnam partem Chriſti, & occultando præſentias aliarum partium. 17. *Quæſitum. Satisfit.*

Ex dictis de viſu conſtat, quid dicendum ſit de aliis ſenſibus; nam ſimiliter poteſt diuinitus ſentiri Chriſtus in Euchariſtia per guſtum, olfactum, auditum, & tactum: licet, quod attinet ad figuram, non poſſet percipi per tactum, quia non retinet ibi figuram ſitualẽ niſi forſitan faceret Deus; quod in vna parte hoſtiæ ſentiretur vna ſola pars oſſis, & in parte proxima hoſtiæ alia pars oſſis, donec perciperetur totum os, ſicut diximus, poſſe videri hoc modo totum Chriſtum, cum aliqua quaſi extenſione, impediente Deo cognitionem aliarum partium. 18. *Iam ex his de viſu conſtat quid dicendum ſit de aliis ſenſibus.*

Quarta difficultas.

Quarta difficultas eſſe poteſt, vtrum præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia poſſit cognoſci ab intellectu creato naturali virtute? Certum eſt poſſe cognoſci ſcientia beata, vel infuſa, & abſtractiue etiam lumine fidei: certum etiam mihi eſt, abſentiam panis cognoſci à dæmone virtute naturali, licet poſſet forte formidare, an ſibi occultetur illa ſubſtantia, cum videat ibi manere accidentia. Deniquè mihi valde probabile eſt, myſterium hoc, quoad eius poſſibilitatem poſſe ſciri ab intellectu Angelico; ſicut etiam naturali virtute ſciri poteſt, Deum poſſe operari miracula, & entia ſupernaturalia. Dubitatur ergo, an naturali virtute Angelus cognoſcere poſſit actualem exiſtentiam præſentiæ corporis Chriſti? Affirmat Scotus cum aliis, quos affert Suarez in præſenti *ſect. 5.* Negat tamen communis, & vera ſententia, eo quod illa præſentia eſt entitatiue ſupernaturalis: quare ſicut gratia, vnio hypoſtatica, & aliæ entitates ſupernaturales non ſunt naturaliter cognoſcibiles ab Angelo; ſic nec illa præſentia; quæ eſt quæſtio generalis pertinens ad materiam de Angelis. Fateor, hac ratione ſolum probari de præſentia corporis, non de præſentia animæ Chriſti in Euchariſtia, quam ſupra *diſp. 6.* diximus non videri ſupernaturalem in ſua entitate. 19. *Multa hic ſupponuntur certa.* *Status quæſtionis.* *Communis & vera ſententia.*

Quinta difficultas.

Hinc naſcitur vltima difficultas, an, ſi corpus Chriſti alibi non exſiſteret, niſi in Euchariſtia poſſit naturaliter cognoſci ab Angelo exſiſtentia ipſius corporis, licet lateret modus præſentiæ. Reſpondeo, verius videri poſſe, quia exſiſtentia ipſius corporis 20. *Alia difficultas ſoluitur.*

eſt entitas naturalis; ergo illa eſſet intra ſphæram cognitionis Angelicæ. Dices, cognitio intuitiua terminatur ad obiectum vt præſens; ergo eo ipſo, quod Angelus videret corpus Chriſti, videret illud eſſe præſens ib. & per conſequens videret eius præſentiam. Reſpondeo, cognitionem intuitiuam intellectualem ſolum terminari ad rem vt exiſtentem: ſciret ergo Angelus, corpus Chriſti exiſtere, non tamen vbi exiſteret: ſicut Deus pro illo priori, quo corpus antecedit ad ſuam vbicationem, intuetur exiſtentiam corporis exigentis vbicationem: & tamen pro illo priori non cognoſcit præſentiam localem ipſius corporis. Cur ergo ſimiliter non poſſet intuitio Angeli terminari ad ſolam exiſtentiam corporis Chriſti, & non ad præſentiam.

DISPVTATIO X.

De accidentibus panis, & vini, quæ remanent in Euchariſtia.

SECTIO I. *Quæ accidentia maneant in Euchariſtia; & quomodo.*

SECTIO II. *Quomodo ſpecies agere, pati vè poſſint; & an ex ipſis aliquid generetur.*

SECTIO III. *Quando, & quomodo accidentia deſinant continere Chriſtum Dominum.*

DE hoc agit S. Thomas per totam *q. 77.* Hæc etiam materia magna ex parte philoſophica eſt, ideo breuiter percurrenda, vt ad ea, quæ magis Theologica ſunt, progrediamur.

SECTIO I.

Quæ accidentia maneant in Euchariſtia; & quomodo?

1\. Conc. Flor. Lateran. Trident. Conſtant.

CErtum de fide eſt, manere aliqua accidentia, vt habetur in Concilio Florentino, in Decreto Eugenij, in Conc. Lateran. relato in cap. *Firmiter.* §. *Vna vero.* de Summa Trinitate & in Tridentino *ſeſſ.* 13 *can.* 2. in Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. Certum item eſt, manere ſine ſubiecto, vt habetur in *ſeſſ.* 8. Concil. Conſtant. vbi damnatur propoſitio hæc Ioannis VViclefi: *Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in hoc Sacramento.* Dubitari tamen poteſt, primo, quæ accidentia panis, & vini maneant in Euchariſtia: Et in primis certum eſt, accidentia modalia, quæ immediate afficiebant ſubſtantiam panis, non manere, ex. gr. vbicationem panis & alia huiuſmodi; quia modus nec diuinitus poteſt eſſe ſine re, cuius modus eſt. De accidentibus vero realibus non eſt dubium, quin maneant omnia illa, quæ ſenſibus percipi poſſunt: de his enim ad minus loquuntur Concilia, dum dicunt ſpecies panis, & vini manere. Difficultas eſt, an aliquæ qualitates occultæ maneant.

Dubitatur quæ accidentia maneant

Accidentia modalia non remanent, ſecus alia.

2\. Suarez. *Sententia Suarez.*

P. Suarez in præſenti *Diſp.* 56 *ſect.* 1. cenſet, omnia manere, quia omnia ſubiectantur in quantitate quæ remanet: cæterum addit, hoc non eſſe de fide, niſi quoad qualitates ſenſibiles, quæ vocantur ſpecies, quia earum habemus ſpecies; nec ex veritate myſterij, nec ad ipſum occultandum neceſſarium erat, alia accidentia manere.

3\. Vaſquez. *Sententia, & fundamentum Vaſquez.*

P. Vaſquez in præſenti *diſp.* 149. *cap.* 1. docet, de fide eſſe, quod manent omnia accidentia realia, tum quia definitiones Conciliorum ſunt indefinitæ, & per conſequens vniuerſaliter accipiendæ, tum etiam quia, manentibus quatuor primis qualitatibus, non potuerunt non manere aliæ omnes ſecundæ; quia omnes oriuntur ex temperamento primarum. Cæterum hoc fundamentum philoſophicum, quod ipſe appellat firmiſſimum, facile dilui poteſt; quia licet aliæ qualitates dicantur ſecundæ, quia oriuntur ex primis, non tamen oportet, quod oriantur ex primis immediate, exempli gratia, licet potentia viſiua oriatur ex temperamento primarum qualitatum, non tamen immediate, ſed mediate, quatenus primæ qualitates diſponunt materiam ad introductionem animæ, à qua dimanat potentia viſiua: quare, ablata anima, etiamſi maneret idem temperamentum, non flueret connaturaliter potentia viſiua: ergo ex eo, quod maneat temperamentum panis, non fit, quod etiam, ablata ſubſtantia, debeant connaturaliter manere omnes paſſiones panis.

Hoc fundamentum non eſt tam firmum.

4\. *Melius arguit Vaſquez.*

Melius arguit idem Vaſquez ad hominem pro ſua ſententia; quia ſi nomine ſpecierum non intelliguntur omnia accidentia realia panis, ſequitur eſſe de fide, quod non omnia maneant (quod nemo concedet;) ſequela probatur ex Tridentino ſupra docente, manere *duntaxat* ſpecies panis; ergo alia omnia præter ſpecies non manent. Certum ergo eſt, manere omnia accidentia realia panis, & vini; quod ratione etiam philoſophica probari poteſt; quia nulla poteſt excogitari qualitas panis, vel vini, quæ vel in ſe ipſa, vel ſaltem in ſuo effectu ſenſibus non percipiatur; nulla enim eſt qualitas adeo occulta, quæ non ſit ordinata ad effectum ſenſibilem, qualis eſt qualitas occulta piperis ad calefaciendum, vel mordacitas vini, & alia huiuſmodi; ergo cum certum ſit, ſpecies manere, certum iam erit manere omnes qualitates; omnes enim ſunt ſpecies, quatenus mediate, vel immediate ſenſibus deprehenduntur.

Certum ergo eſt manere omnia accidentia. Probatur ratione philoſophica.

5\. *Alia quæſtio quæ pertinet ad phyſicā.*

Secundo dubitari poteſt, vtrum alia accidentia maneant in quantitate, an omnia æque per ſe? Hæc quæſtio ſupponit, quantitatem eſſe quoddam peculiare accidens diſtinctum à ſubſtantia; quod in præſenti non eſt diſputandum, ſed ſupponendum cum communi ſententia. Ex dicendis tamen poteſt aliquod fundamentum deſumi ad confirmandam illā communem ſententiam. Quæſtio ergo præſens eſt mere Phyſica, vtrum quantitas ſit commune ſubiectum aliorum accidentium? quam tractaui in 1. *Phyſic.* vbi dixi, ſtando in ratione non eſſe improbabile, quod omnia accidentia ſubiectentur immediate in ipſa ſubſtantia: nec enim oppoſitum ſufficienti ratione oſtenditur; & conſequenter concedendum eſſet, omnia accidentia panis manere æquè per ſe, & ſine ſubiecto mediato, & immediato. Item in Euchariſtia non dari album, ſapidum, &c. ſed albedinem, ſaporem, odorem, &c. item qualitates illas non poſſe pro illo ſtatu naturaliter corrumpi, vel produci ab agentibus naturalibus quia omnes conſeruantur concurſu creatiuo: Deum tamen ad præſentiam agentis creati illas deſtruere, vel producere, occultandi myſterij cauſa: & denique mota quantitate localiter, non moueri alia accidentia ex vi vnionis, quam habeant cum quantitate, ſed vel à Deo immediate, vel ab ipſa quantitate, aut corpore Chriſti habente diuinitus vim trahendi ſecum illa accidentia, quando localiter mouetur. In quam ſententiam vltra alios auctores acceſſit P. Leſſius de Perfectionibus Diuinis *lib.* 12 *n.* 121 Eandem ſententiam amplexi ſunt P. Hurtado *Diſp.* 6. *Phyſic. ſect.* 6. & P. Arriaga *Diſp.* 5 *ſect.* 2. *ſub ſect.* 5.

Quæſtionis reſolutio.

In Euchariſtia non datur album &c. ſed albedo

Leſſius. Hurtado. Arriaga.

6\. *Obijcitur. Reſpondent.*

Obiici poteſt, hoc eſſe multiplicare miracula ſine neceſſitate. Reſpondent diſtinguendo, multiplicari ſine

ſine

ſine neceſſitate euidenti, tranſeat ſine probabili negatur. Illam enim multiplicationem miraculorum vitandam eſſe, qua quis aſſerit, factum opus miraculoſum; quod nullo modo conſtat factum eſſe, vt ſi quis diceret ſubſtantiam panis conſeruari à Deo poſt conſecrationem ſeparatam à ſpeciebus. At vero quando conſtat, opus aliquod factum eſſe, & dubitatur, vtrum ſit ſupra naturam, vel non; hoc non tam eſt multiplicare miracula, quam inueſtigare vires naturæ, quæ quidem ratione naturali examinandæ ſunt, vt ex his conſtet, an illud opus fuerit miraculoſum. In noſtro autem caſu conſtat, qualitates panis manere ſine ſubſtantia. Prius ergo ratione naturali inquirenda eſt natura harum qualitatum, an ſit eſſe in ſubſtantia, vel in quantitate, vt hinc conſtet, an ſit ſupra naturam ſtatus quem habent ſine ſubſtantia. Certum enim eſt, Deum feciſſe omnia miracula, quæ neceſſaria fuerunt ad hoc myſterium, in quo fecit memoriam ſuorum mirabilium.

7. *Non eſt tamen recedendum à ſententia ſancti Thomæ.*

Re tamen magis conſiderata exiſtimo, non recedendum à ſententia S. Thomæ & communi, ſed concedendum, accidentia illa manere in quantitate, vt in ſubiecto immediato, in quo prius etiam immediate recipiebantur. Id enim videtur magis colligi ex hoc myſterio, quam quod omnia panis accidentia maneant, tanquam ſcopæ diſſolutæ, aut arena ſine calce, abſque vlla vnione, aut connexione inter ſe. Difficile enim ſemper remanet, quomodo, mota quantitate panis à Sacerdote, moueantur conſequenter alia panis accidentia; quia ſiue id fiat à Deo immediate cauſa occultandi myſterij, ſiue à quantitate habente virtutem ſupernaturalem ad trahenda ſecum alia accidentia, ſicut trahit ſecum corpus Chriſti, numquam videtur ſufficienter explicari connexio debita inter eos motus.

8. *Probatur primo ex motu accidentium.*

Et in primis, ſi Deus ſolus, mota quantitate, moueret, & deferret alia accidentia, quæ nullam colligationem, aut vnionem habent cum quantitate, non apparet, quomodo verè, & propriè Sacerdos dicatur mouere, comedere, & deglutire hoſtiam; hæc enim ſignificant motum localem prouenientem ab ipſo Sacerdote: tunc autem Sacerdos moueret ſolam quantitatem, ad cuius motum Deus moueret alia omnia, atque ideo Sacerdos proprie comederet ſolam quantitatem, non alia accidentia panis; facere enim aliquid, quo poſito, alius moueat aliquid, non denominat me mouentem phyſice, ſed ad ſummum moraliter; deglutire autem non ſignificat motum moralem, ſed phyſicum, vt conſtat.

9. *Adde poteſt.*

Adde, motum illum traiectionis ſpecierum in ſtomachum fieri media grauitate ipſarum ſpecierum: poſitis enim ſpeciebus vini in ore, illæ propria grauitate deſcendunt in ſtomachum, & ideo Sacerdos dicitur eas bibere, & traijcere. Si autem alia accidentia nõ recipiuntur in quantitate, non deſcendunt ob grauitatem; nam quantitas de ſe nec eſt grauis, nec leuis, ſed indifferens, cum eadem quantitas, nunc grauitet ſub forma terræ, nunc leuitet ſub forma aëris, vel ignis; ergo quantitas vini à Sacerdote poſita in ore non magis moueret Deum ad mouendas ſpecies deorſum, quam ſurſum, atque ideo ille motus non proueniret à grauitate.

10. *Inſtantia.*

Dices, mota quantitate à Sacerdote, Deum mouere alia accidentia vini, & ponere in ore ſimul cum quantitate; tunc autem illa alia accidentia grauitare, ac deſcendere deorſum, & Deum mouere quantitatem, vt feratur deorſum cum aliis accidentibus vini. Sed contra; primo, quia iam quantitas vini non ferretur deorſum à grauitate, ſed à Deo ſolo libere eam deferente occultandi myſterij cauſa, atque adeo non videretur propriè deglutiri à Sacerdote, ſed apparenter.

11. *Diluitur primo.*

Diluitur ſecundo. Contra ſecundo; illa grauitas ſpecierum vel eſt qualitas diſtincta ab aliis, vel eſt aggregatum ex quatuor primis qualitatibus, v.g. & aliis accidentibus vini. Si eſt qualitas ſuperaddita, illa ſola grauitabit, non aliæ cum non ſupponantur vnitæ inter ſe immediatè, neque etiam omnes connectantur, & recipiantur in eodem ſubiecto communi, quod eſt quantitas: tota ergo hoſtia mouetur immediate à Deo, ſolaque grauitas tendit deorſum ex ſe, atque ideo illa ſola propriè, & vere deglutitur & bibitur. Si vero grauitas non ſit accidens ſuperadditum, ſed aggregatum ex aliis, tunc non grauitaret; quia illæ qualitates non faciunt grauitatem, niſi prout connexæ, & vnitæ inter ſe aliquem mediate; nam mera penetratio caloris cum humiditate non facit, quod calor magis grauitet, vt conſtat, quando corpus Chriſti penetrabatur cum lapide, tunc enim qualitates Chriſti non magis grauitabant ex eo quod eſſent penetratæ cum qualitatibus lapidis. Nec etiam dici poteſt, quod ſingulæ ſaltem grauitarent partialiter, eo quod ſingulæ ſecundum ſe ſint grauitas partialis, & ideo ſingulæ ſeipſas ferrent deorſum; hoc, inquam, dici non poteſt, tum quia aliquæ ex illis qualitatibus ſecundum ſe nullo modo grauitant, vt calor, atque ideo, deſcendentibus aliis, deberent ipſæ remanere: tum etiam, quia ad minus non omnes ſecundum ſe grauitant æqualiter; alioquin omnia temperamenta eſſent æque grauia, quod eſt falſum; non ergo deſcenderent omnes ſimul, ſi ſingulæ deſcenderent conductæ à ſola grauitate, quam ſingulæ ſecundum ſe habent. Denique, ſi ſingulæ qualitates haberent grauitatem partialem, ſequeretur, quod creſcente qualibet qualitate, creſceret grauitas, atque ideo ſi albedo hoſtiæ fiat magis intenſa, hoſtia deberet eſſe grauior, quod eſt contra experientiam. Fatendum ergo eſt grauitatem eſſe aliquid receptum in quantitate, quod facit grauitare quantitatem, & ferre ſecum omnia alia accidentia in quantitate recepta.

Mera penetratio caloris cum humiditate nõ facit, quod calor magis grauitet.

Vnde impugnari ſimiliter poteſt ille alius modus explicandi per hoc, quod quantitas habeat vim aliquam ſupernaturalem ad trahenda ſecum alia accidentia, ſicut habet ſimilem virtutẽ ad trahendum ſecum corpus Chriſti. Hoc, inquam, patitur eaſdem fere difficultates; quia in primis, cum ipſa quantitas ſecundum ſe non ſit grauis, nec leuis, & aliunde non habeat in ſe receptam grauitatem non poſſet ipſa trahere ſecum alia accidentia; cur enim magis traheret deorſum, quam ſurſum, ſiquidem ipſa quantitas poſita in ore non magis tenderet ſecundum ſe deorſum, quam ſurſum, ſed eſſet indifferens ad vtrumque? Nec etiam dici poteſt, quod quantitas virtute ſupernaturali trahat ſecum alias qualitates ad os, & tunc aliæ qualitates ſimili virtute ſupernaturali trahant ſecum deorſum quantitatem. Contra hoc enim ſunt argumenta ſupra facta, quod aliæ qualitates ſi non ſint vnitæ inter ſe, mediante quantitate, non faciunt grauitatem, nec grauitabunt omnes, nec æqualiter, &c. 12. *Impugnatur ſimiliter alius modus.*

Denique, contra vtrumque modum dicendi eſt, quod ſi ſemel concedatur fieri ſiue à Deo immediate, ſiue media virtute ſupernaturali indita quantitati, & aliis accidentibus, motum illum ſpecierum deorſum, qui exterius apparet prouenire à grauitate hoſtiæ, eodem modo dicet alius, fieri à ſolo Deo operationes alias, quæ fieri videntur ab accidentibus panis, & vini, atque ideo calorem, qui ibi eſt, non calefacere manum, nec albedinem producere ſpecies, quia accidentia abſque ſubiecto operari non poſſunt, ſed Deum hæc omnia agere ad occultandum 13. *Vltimo vterque modus impugnatur*

myſterium; vnde alius docet, quantitatem hoſtiæ non reſiſtere penetrationi, quia non diſtinguitur quantitas à ſubſtantia, ſed Deum impedire, ne manus vlterius progrediatur ad occultandum myſterium: quæ omnia non poſſunt abſque abſurdo concedi, quia iam ſpecies, quæ remanent, non manerent ſenſibiles, & per conſequens non eſſent pars ſacramenti, cum non poſſent illud conſtituere in ratione ſigni ſenſibilis, imo ſi non manent ſenſibiles, non eſt vnde probetur eas manere; ex hoc enim ſolum dicimus, eas remanere, quia ſentiuntur: ſi ergo non ſunt ſenſibiles non manent, ſed præſtigiis illudimur, dum experimur eoſdem effectus, quos experiremur ſi remanerent. Denique nec ipſa verba conſecrationis vera eſſent, dum enim dicitur: *hoc eſt Corpus meum*, ſenſus eſt, ſub his ſpeciebus: quas ſentimus, eſſe corpus Chriſti: ſi ergo non ſunt ſpecies ſenſibiles, propoſitio erit de ſubiecto non ſupponenti. Fatendum ergo omnino eſt, ſpecies non apparenter, ſed vere, & abſque vlla deceptione ſentiri, quia vere calor ſpecierum nos calefacit, & color mirum ſpeciet & ſapor guſtatur, & grauitas pendet, & tendit deorſum, atque ideo ſpecies deſcendunt in ſtomachum per naturalem virtutem proprij ponderis, & grauitatis. In quo ſenſu locum habere poteſt illud, quod ſupra dicebatur, non eſſe multiplicanda in hoc myſterio miracula, ea ſcilicet, per quæ miraculo attribuantur operationes ſpecierum, quas ſentimus, & quæ ab omnibus naturales iudicantur, quia ſi ſemel negetur, eas operationes procedere naturaliter à ſpeciebus, datur anſa, vt & ipſæmet ſpecies remanere negentur.

Sequeretur ſpecies, quæ remanent nō manere ſenſibiles.

14. *Neque verba conſecrationis vera eſſent.*

15. *Aliqui probant accidentia non recipi in quantitate, quia ſunt diſpoſitiones ad formam.*

Aliqui, vt probent accidentia communia recipi immediate non in quantitate, ſed in ſola materia, vtuntur hoc argumento: quia ſcilicet accidentia diſponunt ad formam ſubſtantialem; ergo debent recipi in illo ſubiecto, quod diſponunt: non diſponunt autem quantitatem, ſed materiam; quia forma ſubſtantialis non debet recipi in quantitate, ſed in ſola materia: ergo in materia ipſa, & non in quantitate debent recipi diſpoſitiones.

Hoc argumentum olim reiectū eſt.

Hoc tamen argumentum reieci olim in Philoſophia vt parum efficax, non enim oportet eſſe immediate in materia, vt diſponant materiam ad talem formam, quia diſponere eſt determinare indifferentiam materiæ: poſſunt autem determinare, licet ſint in quantitate, prout de facto determinant etiam cauſam efficientem ad producendam potius talem formam, quam aliam, licet non ſint in cauſa efficiente: ſic poſſunt determinare cauſam materialem, vt prorumpat potius in talem formam, licet non inhæreant immediate materiæ: vtrumque enim principium, efficiens & materiale, determinat per exigentiam determinatam, qua exigunt talem formam pro tali ſubiecto. Quaſi diſpoſitiones ipſi ſint milites præcedentes ad occupandam arcem Regio nomine: quos ſane non eſt neceſſe ingredi ad ipſam cameram intimam, in qua Rex cubaturus eſt: ſed eo ipſo, quod occupent mœnia, portam, & atria, intelligitur iam caſtrum illud pertinere ad Regem: ſic diſpoſitiones, & accidentia ſunt veluti milites, quos natura præmittit ad præoccupandam arcem materiæ nomine talis formæ. Ad hoc autem non oportet, quod ingrediantur immediate in entitatem intimam materiæ, ſed eo ipſo, quod occupant quantitatem illius materiæ, quæ eſt quaſi exterius atrium, intelligitur iam materia illa deſignata ad talem formam ſubſtantialem.

16. *Hurtado. Obiectio*

Obiicit nobis P. Hurtadu loco citato, quod non loquamur conſequenter, dum in libro de Anima, exigimus, quod intellectio recipiatur in eodem ſubiecto immediato, in quo debet recipi volitio, ad quam diſponit, & non exigamus eodem modo, quod diſpoſitio recipiatur immediate in eadem materia, in qua debet recipi forma ſubſtantialis, ad quam diſponit. Verum differentia eſt nimis clara: nam intellectio diſponit ad volitionem, oſtenſa bonitate obiecti; vnde non diſponitur ad volendum, niſi ſubiectum, quod cognoſcit bonitatem obiecti; debet ergo eadem anima immediate cognoſcere, & velle, quia ſi aliud eſſet ſubiectum cognoſcens, & aliud volens, ſequeretur, quod iſtud tenderet in incognitum, nec poſſet ex bonitate, quam non cognoſcit, affici ad obiectum. At vero materia non diſponitur oſtenſa ſibi bonitate formæ, ſed præoccupata (vt dicebam) à ſatellitibus formæ; qui eo ipſo determinant agens ad introducendam illam formam, quatenus Deus auctor naturæ ad exigentiam talium diſpoſitionum debet dare agenti naturali concurſum ad talem formam generandum, & non aliam; ad quod non requiritur diſpoſitiones recipi immediate in materia.

Oſtenditur diſparitas.

17. *Hinc colligitur argumentum aliquod ad probandā quantitatē.*

Hinc obiter colligere poteris argumentum aliquod ad probandam diſtinctionem quantitatis à ſubſtantia, quæ alioquin non ita facile probatur. Ex dictis autem videtur, poſſe ex hoc myſterio colligi aliqua neceſſitas quantitatis diſtinctæ; quia ſi argumēta adducta aliquid probāt, videntur probare, dari aliquod ſubiectum commune aliorum accidentiū, quæ remanent, in quo ea omnia recipiantur, & mediante quo omnia connectantur, & vniantur inter ſe. Alioquin non apparet, quomodo accidentia poſſint naturaliter à Sacerdote moueri, & quomodo propria grauitate deſcendāt in ſtomachum, & omnia ſimul æque grauitent, niſi vna, & eadem ſit omnium grauitas, qua moueatur ſubiectum commune omnium, & conſequenter omnia illi: hoc autem commune ſubiectum appellamus quantitatem, media qua recipiuntur alia accidentia in materia.

18. *Tertia dubitatio.* *Supponitur ex philoſophia.*

Tertio dubitari poteſt, an hæc accidentia in ſtatu ſeparationis deperdant, vel acquirant aliquem modum poſitiuum? Suppono ex Philoſophia, deperdere inhærentiam ad ſubiectum, deperdere etiam influxum eductiuum, quo antea conſeruabantur dependenter à ſubiecto; & accipere influxum creatiuum, quo poſtea conſeruantur ſine ſubiecto: hæc enim omnia philoſophica ſunt, & clara. Illud eſt difficilius, vtrum accipiant aliquem modum poſitiuum perſeitatis ſeu ſubſiſtentiæ, quo terminentur; ſicut ſubſtantia eſt per ſe poſitiue per modum poſitiuum ſubſiſtentiæ.

19. *Probabilius eſt dari quendam modum perſeitatis accidentalis, &c.*

Plures negant, quia non eſt neceſſarius talis modus; alij tamen affirmant, quos ſequuntur Pater Suarez & P. Vaſquez in præſenti, propter analogiam quam habent accidentia in ſtatu ſeparationis cum natura ſubſtantiali: quare ſicut ſubſtantia, vt exſiſtat per ſe, exigit modum poſitiuum ſubſtantialem: ſi hæc accidentia in ſtatu ſeparationis, vt connaturaliter ſint per ſe, exigunt modum poſitiuum, non ſubſtantialem, ſed accidentalem, & ſibi proportionatam: quæ ratio probabilis eſt, & ideo dixi hanc partem eſſe probabiliorem *diſp.* 11. de Incarnat. *ſect.* 7. *num.* 94.

20. *Inſtantia.*

Dices, ergo accidentia, etiam quando ſunt in pane, ſubſiſtunt partialiter per ſubſiſtentiam panis, ſiquidem ſeparata habent terminum, per quem totaliter ſubſiſtunt: ſic enim anima rationalis, quæ in ſtatu ſeparationis acquirit modum nouum ſubſiſtentiæ, per quem exſiſtit per ſe, antea etiam, quando erat in compoſito, ſubſiſtebat partialiter per ſubſiſtentiam totius compoſiti. Reſpondetur negando ſequelam; quia ſubſiſtere partialiter cōuenit iis, quæ ſunt pars

Soluitur.

primæ

primæ radicis, quæ eſt in illo ſuppoſito: accidentia autem, quando ſunt in pane, non ſunt pars primæ radicis, ſed eam ſupponunt, vt ſupra vidimus: ideo tunc non terminantur partialiter per ſubſtantiam totius; anima vero rationalis erat pars primæ radicis; ideo etiam in compoſito ſubſiſtit partialiter. Denique, quando accidentia panis ſunt in ſtatu ſeparationis, habent modum proprium ſubſiſtentiæ; quia pro eo ſtatu ſeparationis ſunt prima radix ſaltem negatiue, quia tamen hoc non habent ex natura ſua, ideo non ſunt etiam in eo ſtatu ſubſtantia, quia non poſſunt mutare eſſentiam ſuam, ſed quia imitantur modum eſſendi ſubſtantiæ, ideo accipiunt etiam modum perſeitatis ſibi proportionatum ſimilem modo, quem habet ſubſtantia. Dixi

21. *Illa accidentia ſunt prima radix ſaltē negatiue in illo ſtatu.*

autem, hæc accidentia in eo ſtatu eſſe primam radicem *ſaltem negatiuè*; non ſunt enim prima radix determinata poſitiue: nam ſi quæ eſſet talis, maxime eſſet temperamentum panis conſtans ex quatuor qualitatibus, ad quod conſequuntur ſecundæ qualitates: illud tamen temperamentum non eſt aliquid omnino determinatum, ſed aliquomodo vagum, conſiſtens aliquando cum minori humiditate, & calore, aliquando cum minori humiditate, & maiori frigore; & ideo non eſt prima radix determinata, vt ſupra diximus: nulla ergo eſt prima radix determinata aliorum accidentium poſitiue, ſed negatiue, quatenus in eo ſtatu non habent ibi aliam primam radicem determinatam; quod ſufficit ad hoc, vt imitentur modum eſſendi ſubſtantiæ, & exigant aliquem modum perſeitatis ſibi proportionatum.

Mitto ſententiam aliquorum Thomiſtarum, quid dicunt accidentia accipere etiam modum exſiſtentiæ nouum, quia antea exiſtebant per exiſtentiam panis, qua ablata, accipiunt aliam exſiſtentiam. Verum hæc ſententia procedit ex falſis principiis, quod eſſentia differat ab exſiſtentia, & quod accidentia exſiſtant per exſiſtentiam ſubſtantiæ, quæ late impugnaui in Metaphyſica.

SECTIO II.

Quomodo ſpecies agere, patiue poſſint; & an ex ipſis aliquid generetur.

22. *Prima concluſio.*

HÆc etiam quæſtio eſt fere Phyſica, in qua ſinguli iuxta propria principia loquuntur. Ego igitur conſequenter ad ea quæ dixi in Philoſophia; Dico primo, accidentia hæc habere virtutem naturalem ad effectus accidentales producendos, calorem, v.g. ad calefaciendum, colorem ad productionem ſpecici intentionalis, &c. quia hoc etiam effe-

Et quidem aliqua operatio quæ prouenire non poteſt ab ipſis accidentibus.

ctus antea adæquate producebant per propriam virtutem. Fateor, aliquam eſſe operationem accidentalem, quæ non poteſt prouenire ab ipſis accidentibus, nempe cum ſpecies vini recuperant pristinum frigus: cum enim hæc recuperatio propriæ paſſionis antea proueniret, vel à ſubſtantia vini, vel à generante, aut conſeruante ipſam iuxta veriorem ſententiam, fatendum eſt, abſente ſubſtantia vini, illum effectum prouenire à Deo, qui ſupplet defectum ſubſtantiæ in ordine ad omnes eius operationes ad occultandum myſterium.

23. *Aliqui tamen pro his ponunt qualitates occultas.*

Aliqui ad has operationes, quibus ſubſtantiæ reducunt ſe ad debitum ſtatum, ponunt qualitates occultas, quibus mediis id fiat; ſicut etiam in grauibus ad motum deorſum, & in leuibus ad motum ſurſum. Conſequenter autem dicendum eſt, quando ſpecies vini conſecrati reducunt ſe ad priſtinum frigus, v.g. illam operationem prouenire ab ea qualitate occulta, quam habebat vinum, & quæ remanet cū aliis accidentibus vini, & ſentitur per operationem illam, quam experimur, cum recuperatur frigus debitum. Verum hæc qualitas occulta difficile creditur, quia vel illa producitur ab ipſa eſſentia, &

Reiicitur hæc occulta qualitas.

conſeruatur ab ipſa, vel (vt aliqui volunt) producitur à generante, vt eius defectum ſuppleat, & reſtituat, quando oportuerit, paſſiones, quas generans in prima generatione dedit, & produxit; ſi dicatur primum, quod fiat ab eſſentia ipſa; ergo ſicut eſſentia poteſt producere immediate illam occultam qualitatem, poterit etiā producere, vel reſtituere ſibi ſuas paſſiones abſque multiplicatione illius qualitatis.

24. Si vero dicatur ſecundum, ſcilicet illam qualitatem occultam produci à generante, vt eius defectum ſuppleat, & quando neceſſe fuerit, reſtituat paſſiones, contra hoc eſt, quod ſuppoſito, quod in prima productione ſpectat ad generantem producere paſſiones; congruentius dicetur poſtea in abſentia generantis pertinere hoc munus ad eam cauſam, quæ conſeruat eſſentiam. Producitur v.gr. hic aqua ab aliquo agente naturali, quo abſente, adhuc perſeuerat eadem aqua producta, conſeruaturque à Deo, qui gerit vices cauſæ primo producentis. Sicut

...Deus primo generanti in munere conſeruandi eſſentiam & paſſiones.

ergo Deus ſucceſſit primo generanti in munere conſeruandi eſſentiam aquæ, ſic etiam conſequenter dicendum videtur, eundem Deum ſuccedere in munere conſeruandi paſſiones, & eas reſtituendi, ſi amittantur. Si enim generans, quia produxit eſſentiam, debuit producere paſſiones quia, qui dat formam, debet dare conſequentia ad formam: ſic etiam ad cauſam conſeruantem eſſentiam ſpectabit conſeruare paſſiones eiuſdem eſſentiæ: non ergo oportebit addere illam qualitatem occultam ad hoc munus, ſi in prima productione paſſiones à generante productæ fuerunt. Concurret ergo eſſentia ad reſtitutionem illarum paſſionum ſaltem per exigentiam, qua à Deo conſeruante ipſam, petit etiam conſeruationem, vel reſtitutionem ſuarum paſſionum; vnde in Eucharistia, in qua non adeſt eſſentia panis, & vini, quæ eas paſſiones producat vel exigat, fatēdum erit, reſtitui à Deo ad occultandum myſterium.

25. *Nec obſtat quod ſupra diximus.*

Nec obſtat, quod diximus ſupra, non debere reduci ad Deum eos effectus, quos experimur in Euchariſtia, ſed ad ipſas ſpecies, quæ idcirco ſenſibiles ſunt. Hoc enim intelligitur, prout ibi diximus, de effectibus, qui ab ipſis ſpeciebus apparent fieri, vt calefacere, emittere ſpecies ad viſum, & ſeſſus, grauitare per propriam grauitatem, &c qui omnes ſunt effectus prouenientes ab accidentibus, & per quos experimur ipſa accidentia, quæ remanent; non vero intelligitur de effectibus, qui non proueniunt ab accidentibus panis, etiam quando adeſt panis, qualis eſt reſtitutio paſſionum, & generatio alterius ſubſtantiæ: hos enim abſque inconuenienti poſſumus tribuere Deo operanti aliquando ad occultandum myſterium, aliquando iuxta debitum naturæ.

Similiter enim fatemur iuxta noſtra principia Philoſophica, productiones ſubſtantiales (ſi quæ 26.

Productiones ſubſtantiales non procedunt immediate à ſpeciebus, ſed à Deo.

fieri videtur à ſpeciebus) non procedere ab ipſis immediate, ſed à ſolo Deo: quia accidentia vini, v.g. præſente vino, non influunt immediate ad effectus ſubſtantiales, ſed ſola vini ſubſtantia; ergo abſente ſubſtantia, Deus ſupplet eius defectum in iſta productione. Dixi autem (*ſi quæ tales productiones fieri videntur à ſpeciebus*,) quia forſitan nulla contingit talis productio; panis enim non habet vim ad producendum alium panem, nec vinum aliud vinum, vt dixi *diſput.* 4. Nec apparet, quæ alia mutatio ſubſtantialis poſſit procedere à pane. & vino in exteram materiam, quam oporteat ſuppleri à Deo.

27. *Quæſitum.*

Petes, dato, quod vinum poſſit generare formam

vini in gutta aquæ admiſta, & quod Deus hoc præſtet in Euchariſtia loco vini, an illa actio Dei ſit debita ex natura rei, an ſolum ad occultandum myſterium? Reſpondeo, poſſe dici debitam ex natura rei; quia ſpecies conſecratæ habent vim naturalem ad alterandam materiam aquæ, diſponendamque vltimò illam ad formam vini: poſita autem vltimò diſpoſitione vini, non manet diſpoſitio requiſita ad aquam; ergo perit forma aquæ; ergo materiæ ſic vltimo diſpoſitæ debetur forma vini, quam ſi non poteſt dare cauſa ſecunda, quia non adeſt, debet dare cauſa prima, ne maneat materia vltimo diſpoſita ad formam vini ſine forma vini.

[margin: ...triſſit.]

28\. *Concluſio ſecunda.* Dices ſecundo, ſpecies non ſolum agunt, ſed patiuntur ſicut antea, nam diuiduntur, condenſantur, augentur, remittuntur, &c. Aduerte tamen, debere concedi aliquam mutationem harum fieri à ſolo Deo, & non ab agentibus extrinſecis, ab iis, qui tenent hæc omnia accidentia eſſe æque per ſe, & non in quantitate; qui etiam conſequenter dicere debent, hæc accidentia, quæ de nouo producuntur, non produci per actionem eductiuam, ſed creatiuam, & per conſequens à ſolo Deo ad occultandum myſterium, neque etiam deſtrui à cauſis ſecundis, ſed à ſolo Deo, ob eandem rationem. Ex quo etiam fit, frigus hoſtiæ non expelli formaliter à calore ibi producto, quia cum non habeant ſubiectum commune, non datur pugna, aut contrarietas, ratione cuius detur formalis expulſio: ſed frigus deſtruitur à Deo ad præſentiam caloris propter incompoſſibilitatem vtriuſque ex decreto Diuino; ſicut loquendo de forma ignis, quam hoſtia conſecrata accipit ab igne applicato, concedit plane P. Vaſquez *diſp.* 195. *n.* 32. produci à ſolo Deo, & non ab igne applicato, de quo poſtea. Hæc tamen duriuſcula ſunt, & oſtendunt magis probabilitatem communis ſententiæ ponentis ex omnia accidentia in quantitate, vt in ſubiecto immediato. Nam ſicut experimur accidentia panis & vini, quæ remanent, per operationes, quas exercent, dum nos calefaciunt, v. gr. frigefaciunt, madefaciunt, &c. ſic eadem accidentia experimur per actiones, quas circa ipſa exercemus, dum ea calefacimus, frigefacimus, liquefacimus, &c. per quas etiam mutationes fiunt nobis ſenſibiles illæ ſpecies: ſicut ergo non debemus negare actionem illis accidentibus ob inconuenientia ſupra adducta; ſic nec debemus negare paſſiones ob eadem inconuenientia. Si enim tu dicis, ſpecies vini non calefieri ab igne, quando igni applicantur, ſed Deum ad præſentiam ignis producere per actionem creatiuam calorem per ſe ſubſiſtentem, & non vnitum cum ſpeciebus vini: dicam etiam ego, manum meam non frigefieri, aut madefieri ab eiſdem ſpeciebus, ſed Deum ad earum præſentiam ad occultandum myſterium producere frigus, vel humiditatem in mea manu. Falſum ergo erit ſpecies conſecratas vini frigore congelari, & igne poſtea liquefieri: falſum erit, nos concoquere, & dirigere ſtomachi virtute illas, aut ſtomachum ab ipſis per reactionem repati. Vt quid ergo indigemus ſpiritibus vitalibus ad eas ſpecies concoquendas, ſi ſtomachus in eas nihil agit, ſed Deus ſolus ad præſentiam ſtomachi expellit, ſeu potius deſtruit aliquas ex illis qualitatibus, & producit alias per actionem creatiuam, nobis interius nihil prorſus agentibus? Hæc certe ſunt contra omnium fidelium mentē, qui ideo illas ſpecies aliquando in piſcina, vel loco humido collocant, vt ab humiditate loci corrumpantur, vel etiam aliquando igne conſumunt, vt decenter corrumpantur ab igne, & denique experiuntur, non minus fatigari virtutem actiuam ſtomachi agendo in eas ſpecies, quam circa alium cibum, & potum, in quibus omnibus non putant, ſe illudi, ſed vere ita eſſe, quod agunt, & patiuntur, ſicut experiuntur, ſe agere & pati ab illius ſpeciebus.

[margin: Vaſquez.] *[margin: Hæc omnia ſunt duriuſcula.]* *[margin: Quid dicendum ſit ab ijs qui ponunt hæc accidentia non eſſe in quantitate.]* *[margin: Sicut non debemus negare actiones illis accidentibus, ſic neque paſſiones.]*

Illud iam reſtat examinandum, quod magis controuerſum eſt, quomodo ex ſpeciebus conſecratis generetur alia ſubſtantia, v. g. chilus vel vermes; Supponimus, generari aliquam, & nutriri hominem, qui ſpecies comedit. Nam licet Guillelmus Pariſien. in ſuo ſacramento, referat de duobus Sacerdotibus, qui volentes viuere ſoliis hoſtiis conſecratis, breui tempore mortui ſunt; hoc tamen vel ideo fuit, quia ſolus panis non eſt ſanum alimentum, vel in pœnam illorum, qui tantum panis quantitatem temere conſecrabant, vel hiſtoria eſt apocrypha; vt dicit Argent. *in* 4. *d.* 12. Quæſtio ergo eſt, illa forma ſubſtantialis noua ex qua materia educatur? 29. *Guilliel. Pariſien.* *Argentin.*

S. Thomas in præſenti *art.* 5. refert, & impugnat varias ſententias; & ipſe tandem videtur docere, formam illam educi ex quantitate accipiente diuinitus virtutem ſubſtantiæ; quam ſententiam tuentur plures Thomiſtæ: alij tamen eam impugnant, interpretantes mentem S. Thomæ. Cæterum cuiuſcumque ſit, videtur difficilis. Primo, quia ex quantitate, & forma vermis non poteſt reſultare vnum ens per ſe; neque illi erunt vermes, ſed monſtrum. Secundo, ſi homo longo tempore viueret ſolis ſpeciebus conſecratis, iam tandem non eſſe homo, ſed compoſitum ex anima rationali, & quantitate. Tertio, ſi poſt varias tranſmutationes contingat, illam quantitatem accipere formam panis, & conſecrent, non erit valida conſecratio; quia illud non erat vere panis, ſed forma panis cum quantitate, & mille alia abſurda, quæ poteris imaginari. 30. *S. Thom.* *Opinio S. Thomæ. Reijcitur primo.* *Secundo.*

Dico ergo tertio, produci in illo inſtanti à Deo materiam primam, quæ ſubiiciatur generationi ſubſtantiali. Hæc eſt iam communis, & veriſſima: ſic enim vitantur facile omnia inconuenientia. Dubitatur, quæ materia producatur? an eadem, quæ fuerat ante ſub forma panis, an alia? Verius videtur, reproduci eamdem, non tamen facile redditur ratio connaturalis. Vnica ſeſe offert veri ſimilis; quia iuxta probabilem ſententiam accidentia per ſuam indiuiduationem exigunt tale ſubiectum determinatum, & non aliud: ergo hæc numero quantitas, & alia plura accidentia, quæ fuerunt in materia panis, & adhuc perſeuerant (vt ſuppono) exigunt illud met numero ſubiectum, & non aliud. Adde, licet hæc albedo indifferens ſit de ſe ad hoc, vel illud ſubiectum, poſtulare tamen ex ſua natura, poſtquam eſt in hoc ſubiecto, non tranſire ad aliud: ergo cum hæc accidentia fuerint iam ſemel in materia, quæ fuit ſub forma panis, exigunt connaturaliter, non eſſe vmquam in alia materia, niſi in illa. 31. *Concluſio tertia reproducitur eadem à Deo pro illo inſtanti materia prima eadem.* *Ratio veriſimilis.*

Dubitari vltimo poteſt, à quo agente producatur forma ſubſtantialis, quæ de nouo introducatur in illam materiam. P. Vaſquez in præſenti, *cap.* 3. docet, produci à ſolo Deo; quia agens creatum non habet virtutem producendi formam ſubſtantialem in materia, quam prius non diſpoſuerit: ergo cum hæc materia tempore antecedenti non fuerit diſpoſita ab agente creato, ſed in hoc inſtanti creatur à Deo, non poteſt accipere formam ſubſtantialem ab agente creato, ſed à ſolo Deo. Verum hæc ratio infirma eſt; quia hæc materia, licet nunc creetur, præcedit tamen pro aliquo priori cum diſpoſitioni requiſitis ad formam ignis (vt ſuppono;) quare cum ſit vltima diſpoſita, & agens proxime applicatum; non eſt cur non poſſit ab eo accipere formam ignis, licet ab eo non acceperit diſpoſitiones. 32. *Vltimo dubitatur.* *Vaſquez.* *Sententia Vaſquez reijcitur.*

Petes

33. *Quæſitum. Suarez.* Petes, de ipſis diſpoſitionibus à quo agente ponentur in materia in hoc vltimo inſtanti. P. Suarez *ſect.*3. reſpondet poni à ſolo Deo; quia agens creatum nec poteſt ſubito diſponere materiam, nec producere quantitatem, quæ eſt paſſio connata ipſi materiæ; addit tamen, poni quantitatem in materia per actionem eductiuam eiuſdem rationis cum actione, quæ poſtea conſeruatur dependenter à materia. *Suarez. reiicitur.* Hæc doctrina difficilis eſt quoad ſecundam partem; quia in illo inſtanti prius intelligimus, quantitatem, & alias diſpoſitiones exſiſtere, quam reproduci materiam; ideo enim reproducitur materia, & deſinit Chriſtus eſſe ſub ſpeciebus, quia venit diſpoſitio vltima ad formam ignis, v. g. & tollitur diſpoſitio requiſita ad panem, ergo quantitas & alia accidentia non poſſunt in hoc inſtanti habere eſſe dependenter à materia, quia antecedenter ad materiā intelliguntur cum toto ſuo eſſe. Cæterum aliunde videtur, quod accidentia illo inſtanti dependent à materia, nam in hoc inſtanti ſunt in materia, & diſponunt eam ad formam ignis: ergo inhærent illi.

34. *Hæc difficultas duplici modo poteſt diſſolui.* Reſpondeo hanc difficultatem poſſe duplici modo diſſolui. Primo, ſi dicas, Deum vnire accidentia cum materia, ita vt pro illo primo inſtanti non pendeant è materia, ſed afficiant illam, vt materia ſit diſpoſita; ſicut anima rationalis pendet à Deo per creationem, & informat materiam ſine dependentia. Secundo, dici poſſet accidentia non præſupponi ad reproductionem materiæ: ſolum enim ſupponitur, quod tempore antecedenti præceſſerint cum penultima diſpoſitione ad ignem, & quod nūc perſeueret applicatum agens potens inducere vltimam diſpoſitionem: quo poſito, Chriſtus deſinit eſſe ſub illis accidentibus, & reproducitur materia, & accidentia incipiunt pendere ab illa, & poſtea introducitur vltima diſpoſitio, & tandem forma ſubſtantialis: qui modus videtur facilior & magis accommodatus naturis rerum, & conſequenter dicendum videtur vltimam diſpoſitionem produci ab agente creato, cum ad productionem illius præſupponatur iam materia cum aliis accidentibus.

35. *Inde colligitur.* Vnde obiter colliges, eodem modo cum proportione ordinanda eſſe ſigna prioris, & poſterioris inter permanentiam diſpoſitionum, & permanentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus; quod tetigimus ſupra *diſp. 6. ſect.* 2. Nam ſicut ante reproductionem materiæ non præintelligitur corpus Chriſti iam expulſum, nec vltima diſpoſitio contraria producta, ſed ſolum præceſſiſſe tempore antecedenti diſpoſitionem penultimam, & nunc eſſe applicatum agens naturale potens introducere vltimam, quibus intellectis reproducitur materia, & expellitur corpus Chriſti; ſic ad hoc, quod corpus Chriſti perſeueret ſub ſpeciebus, non debemus intelligere pro priori naturæ, accidentia panis poſitiuè permanere, quia (vt ſuppono) ea accidentia dependent in conſeruari ab ipſo corpore Chriſti in genere cauſæ efficientis; ergo non poſſunt intelligi permanere ea accidentia, antequam intelligatur corpus Chriſti permanens ſub illis. Sufficit ergo ad hoc vt corpus Chriſti permaneat, & influat in ea accidentia; quod pro priori naturæ intelligatur non eſſe applicatum aliquod agens naturale potens introducere tunc vltimam diſpoſitionem contrariam, & quod pro tempore præcedenti præexſtiterint diſpoſitiones ſufficientes; his enim ſtantibus corpus Chriſti perſeuerat, conſeruans illa accidentia, & permanens ſub illis: & ſicut, vt reproducatur materia, non præintelligitur poſitiue vltima diſpoſitio contraria pani, ſed debitum ponendi illam; ſic, vt corpus Chriſti non expellatur, ſed perſeueret ſub ſpeciebus, non præexigitur negatio vltimæ diſpoſitionis contrariæ, ſed ſolum debitum non ponendi illam.

SECTIO III.

Quando, & quomodo accidentia deſinant continere Chriſtum Dominum.

36. *Supponuntur aliqua.* Certum eſt deſinere Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus, cùm ad eum gradum corruptionis peruenniunt, vt non eſſent aptæ continere ſubſtantiam panis, nec vini: tunc autem non deſinere Chriſtum ſimpliciter in ſuo eſſe, ſed quoad eſſe ſolum ſacramentale; hoc eſt, quoad munus ſubſtandi ſpeciebus, ac per conſequens amittere aliquid intrinſecum, ſcilicet præſentiam ad ſpatium; quare hæc deſitio, licèt ſit mutatio intrinſeca in corpore Chriſti, non eſt tamen poſitiua, ſed merè negatiua, quia non adquirit de nouo præſentiam, vel quid aliud loco illius, quod amiſit. Certum [illegible] Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus niſi in iis caſibus, in quibus deſineret ſubſtantia panis vel vini, cuius loco ſubrogatus eſt. Quare omnino fatendum eſt, etiamſi ſpecies ſumantur à peccatore, vel à mure ſiue iaciantur in lutum, aut locum ſordidum, nec ſolum dum ſunt in ore, ſed etiam in ſtomacho, retinere corpus Chriſti; quia in omnibus iis locis retinent formam panis; imo etiā in illo loco ſordido poſſent conſecrari; ergo à fortiori retinere conſecrationem. Videatur Suar in præſenti *ſect.* 2 & Vaſq *d.* ſ.195.*c.*5.

37. *Tria difficilia. Primum eſt, Ledeſma.* His ſuppoſitis, quæ certa ſunt, tria ſunt difficilia. Primum, caſu, quo corpus vel ſanguis Chriſti non eſſet alibi, niſi in Euchariſtia, an corruptis ſpeciebus deſineret ſimpliciter eſſe in rerum natura, an verò maneret cum præſentia naturali? Ledeſma *quæſt.* 17. *artic.*6.*dub.*6. dicit primo, quod de corpore Chriſti tunc fieret ſecundum diuinam voluntatem: quis dubitat? Dicit ſecundo, quod rebus vt nunc ſtantibus, ſolum deſineret accidentaliter. Ego quidem exiſtimo in primis ex vi præſentis inſtitutionis non poſſe dari caſum, quo ſaltem materia corporis, & ſanguinis Chriſti non exiſtat alibi cum præſentia naturali, vt dixi *diſp.*7. *ſect.*8. vbi etiam dixi, admiſſo, quod potuerit ex vi præſentis inſtitutionis fieri conſecratio etiamſi in ſua præſentia naturali corpus Chriſti eſſet redactum ad cineres, vel ſanguis eſſet corruptus; in eo caſu per conſecrationem producendam de nouo organizationem aliquam corporis Chriſti, & formam ſubſtantialem ſanguinis eius: & per conſequens, corruptis ſpeciebus, deſineret etiam eſſe illa organizatio corporis, & forma ſubſtantialis ſanguinis, materia verò non deſineret ſimpliciter eſſe, ſed deſineret eſſe ſub ſpeciebus, & deſineret habere illam organizationem, vel illam formam ſanguinis. Ratio eſt, quia illa materia in ſuo eſſe conſeruabatur independenter à ſpeciebus, & à verbis conſecrationis; ergo maneret cum ſuo eſſe, ſicut antea: verò organizatio, & forma ſanguinis, ſicut acceperant ſuum eſſe dependenter à ſpeciebus, ita, corruptis ſpeciebus, illud amitterent.

38. *Inſtabis.* Dices, licèt in prima productione habuerint illam dependentiam à ſpeciebus organizatio, & forma ſanguinis, cæterum poſtquam ſemel productæ ſunt, non videtur connaturale, quod priuentur exſiſtentia, ſicut forma equi, licèt in primo fieri pendeat à generante, poſtea tamen conſeruatur à ſolo Deo etiam in abſentia generantis. *Reſpondeo.* Sed contra; quia organizatio illa repugnat ſemper cum alio tēperamento cineris, v.g. exſiſtenti tunc temporis in eadem materia, vt ſuppono, & forma ſanguinis repugnat cum

alia forma ſubſtantiali exiſtenti tunc in eadem materia; ergo conſeruatio illius formæ ſeu organizationis nunduraret niſi quantum opus eſſet ad veritatem verborum, vt pote quæ eſſent violenta, & contra exigentiam alterius formæ, & accidentium, quæ eſſent in eodem ſubiecto: ergo corruptis ſpeciebus, deberent deſinere eſſe ſimpliciter.

39. *Obijcitur.* Opponunt nobis in hoc in conſequentiam aliqui Theologi Salmanticenſes; quia, ſi propter repugnantiam vnius formæ cum alia deberet tunc deſtrui organizatio corporis, vel forma ſanguinis, quæ fuerat producta per conſecrationem; ergo propter eamdem repugnantiam debuiſſet prius deſtrui forma cinerum, vel quæ prius erat in materia repugnãs cum ea, quæ poneretur ex vi conſecrationis: non eſt enim maior ratio, cur propter formam illam cinerum, v.g. deſtruatur forma ſanguinis, quam propter formam ſanguinis productam ex vi verborum deſtrueretur forma cinerum repugnans cum forma ſanguinis: ergo, vel non debet deſtrui forma ſanguinis propter [illegible] repugnantiam, vel propter eam debuit prius deſtrui forma cinerum.

40. *Reſpondeo.* Reſpondeo tamen, in hoc non eſſe inconſequentiam; nam licet repugnantia naturalis æqualis ſit, & mutua inter illas formas, nos tamen loquimur, ſuppoſita inſtitutione huius ſacramenti, ex vi cuius certum eſt, Deum voluiſſe operari omnia, quæ neceſſaria ſunt ad occultandum hoc myſterium, quod per antonomaſiam appellatur *myſterium fidei*; atque ideo arcanum, & occultum. Quid autem magis neceſſarium ad occultandum myſterium, quam non alterare, aut immutare materiam Chriſti in ſua præſentia, & ſtatu naturali quem haberet? Sic enim combuſto Chriſti corpore, & redacto in cineres, conſecraret Sacerdos hoſtiam, & ſtatim ex vi conſecrationis cineres illi amitterent formam cinerum, & acquirerent organizationem humanam, quam materia illa acquiſiſſet ſub ſpeciebus panis, manifeſta fieret omnibus virtus; & veritas conſecrationis, quam tamen Deus voluit eſſe occultum, & percipi ſola fide. Poſtquam verò corrumperentur ſpecies hoſtiæ conſecratæ, & deſineret eſſe ſub illis corpus Chriſti, nihil iam obſtaret, vt repugnantia inter illas duas formas ſortiretur effectum, antea enim neutra deſtrui poterat: non quidem organizatio humana propter veritatem verborum conſecrationis, neque etiam caſu cinerum propter occultationem myſterij; at verò corruptis ſpeciebus panis, ceſſaret prior ratio veritatis verborum; & ideo deſtrueretur illa forma, quæ prius conſeruabatur, non obſtante illa repugnantia, propter verborum veritatem; non eſt ergo eadem ratio adæquata conſeruandi eam organizationem, corruptis ſpeciebus, quæ fuerat conſeruandi formam cinerum poſt conſecrationem.

ſtat ex dictis.

41. *Dubitatur Secundo.* Secundo dubitatur, an per commixtionem ſpecierum conſecratarum cum aliis rebus, v.g. cum alio vino non conſecrato, deperdatur conſecratio, & *S. Thom.* præſentia Chriſti de quo agit S. Thomas *artic.* 8. & eius doctrina communiter non ſolum difficilis, ſed minus probabilis reputatur: docet enim per huiuſmodi cõmixtionem, ſiue vina ſint eiuſdẽ ſiue diuerſæ ſpeciei, deperdi conſecrationem: Contrariam tamẽ *Communis ſententia.* ſententiam communiter docent Recentiores, niſi tanta ſit vini aduenientis diuerſitas, vt ſufficeret ad *Probatur.* deſtruendam ſubſtantiam vini conſecrati. Videatur Suarez & Vaſquez in præſenti, qui plures referunt. Probatur hæc communis ſententia, quia per illam commiſtionem non deperditur id, quod requiritur, vt ſpecies conſecratæ maneant eædem numero, licet in plures particulas ſeparatæ ſicut ergo per diuiſionem ſpecierum conſecratarum in plures particulas non deperditur conſecratio, ita nec per admixtionem. Confirmatur ex Innocentio tertio in cap. *Innoc. III.* *cum Martha*, de celebratione Miſſarum; vbi docet, ſi *Confirmatur* aliud vinum infundatur ſpeciebus conſecratis, manere quidem mixtum ſpeciebus conſecratis, non tamen conſecratum quoad partem de nouo infuſam. Item ex Ordine Romano antiquo, *cap.* 4. iubetur, *Ord. Rom.* ſpecies conſecratas miſceri cum alio vino, vt ex illo totus populus poſſit accipere, & ſanctificari; ergo non amittitur conſecratio per illam mixtionem; alioquin non liceret talis mixtio. Poſſet tamen probabilis videri ſententia S. Thomæ, ſi ſupponatur vinum habere minimum naturale, vt plures concedunt; quia poſito, quod vinum adueniens miſceatur per minutiſſimas partes cum ſpeciebus conſecratis, cum partes ſint tenuiſſimæ, probabile eſt, manere omnes vel plures partes conſecratas diuiſas inter ſe in partes minores minimis: & per conſequens ſub ſingulis non poſſe manere ſanguinem Chriſti, quia in minori minimo ſeorſim poſito non retinetur conſecratio, vt diximus ſupra *diſp* 4 *sect.* 6. Quod autem illæ particulæ coniunctæ ſint aliis partibus vini, non videtur referre, quia dimidium minimi ſicut non poteſt accipere, ita nec retinere conſecrationem etiamſi vniatur actum cum aliis partibus non conſecratis; quia illa dimidia pars non diceretur ſpecies vini, cum non eſſet adæquatè ſufficiens ad conſeruandum vinum; quare nec erit ſufficiens ad continendum adæquatè ſanguinem Chriſti, ergo cum per mixtionem diuidantur partes ſpecierum in minores minimis, nulla illarum erit ſufficiens ad continendum ſanguinem Chriſti, licèt vniantur cum aliis partibus non conſecratis.

42. *Hoc tamen ſatis eſſe non videtur.* Hoc tamen non ſufficit ad illam ſententiam tuendam. Et in primis, ſuppoſita veriori ſententia Philoſophica; quod in pane, & vino non dentur ea minima, non eſt difficultas. Admiſſa tamen ſententia contraria, adhuc non poſſumus dicere, quod per mixtionem ſpecierum conſecratarum cum vino non conſecrato perdatur omnino conſecratio, & deſinant continere ſanguinem Chriſti. Vidimus enim ſupra *diſp.* 4. *ſe.* 6. fatendum omnino eſſe, poſſe Chriſti ſanguinem contineri in minori minimo ſpecierum vini, quod tamen continuum ſit cum accidentibus alterius vini non conſecrati, vbi adduximus inconuenientia, quæ ex oppoſito ſequerentur, nec oportet hic ea repetere; ſiue ergo dentur ea minima, ſiue non dentur, admixtio mera non tollit conſecrationem ſpecierum.

43. *Difficultas alia maior.* Maior eſt difficultas, quando miſcerentur ſpecies conſecratæ cum alio vino diuerſo. In eo enim caſu aliqui ſuppununt pro certo, perdi conſecrationem, ſi vinum cui miſceatur, potentius ſit: tandiu enim debet ſolum manere ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus, quandiu ſolum maneret ſub illis ea ſubſtantia vini, qui in ipſum conuerſa fuit; ſed adueniente mixtione cum vino diuerſo potentiori, iam non maneret ſubſtantia prioris vini, ſed, illa corrupta, generaretur aliud vinum diuerſum per introductionem nouæ formæ ſubſtantialis in aliam materiam; ergo non debet in eo caſu manere amplius ſanguis Chriſti ſub illius ſpeciebus, ſed noua ſubſtantia vini diuerſi de nouo per actionem potentioris vini genita. Vnde aliqui inferunt, ſi vinum album, & rubrum (prout nonnulli volunt) ſpecie ſubſtantiali differũt, non licet Sacerdoti, qui conſecrauit in vino albo, purificare calicem cum vino rubro, quia exponeret ſe manifeſto periculo corrumpendi illas ſpecies conſecratas, quæ adhuc adhærent calici: cum enim ſit longè maior quãtitas vini infuſi ad purificationem,

quàm

quàm guttæ illæ conſecratæ, quæ relictæ erant in calice, neceſſe erat, vt vinum illud rubrũ agat in ſpecies cõſecratas; & corruptis illis, introducet ſub eis ſubſtantiam vini rubri; atque ideo ante ſumptionem purificationis corrumperentur magna ex parte ſpecies conſecratæ. Denique addunt nonnulli, hanc doctrinam non ſolum habere locum, quando mixtio fit cum vino alterius ſpeciei, ſed etiam cum vino eiuſdem ſpeciei: poteſt enim contingere intra eandem ſpeciem tanta diſſimilitudo, & diuerſitas indiuidualis, vt poſſit vnum indiuiduum agere in aliud vſque ad ablationem debiti temperamenti, & corruptionem ſubſtantialem. Cur enim non poterit per ſuam indiuiduationem exigere tale vel tale temperamentum diuerſum ab alio indiuiduo?

44. *Quid conſequenter dicendum ſit.* Conſequenter tamen contrarium dicendum videtur, ſcilicet per mixtionem ſpecierum cum alio vino ſiue ſpecie, ſiue numero diuerſo, ſiue potentiori, ſiue debiliori, conſecrationem non perdi. Et quidem, ſi verum eſt id, quod diximus ſupra *diſp. 4. ſect. 2.* vinum extra vuam non habere virtutem ad producendum aliud vinum, ſed illud debere produci à virtute nutritiua vuæ, ſicut ſanguis non poteſt produci, niſi à virtute animalis, quæ reſidet in iecore, vel alibi; conſequens erit, quod quantumuis miſceantur ſpecies cum vino potentiori, & diuerſæ ſpeciei, non fiet generatio ſubſtantialis nouæ partis vini, cum non adſit potentia nutritiua vuæ, quæ ſola poteſt ex alimento, & ſucco per venulas attracto generare verum muſtum, & vinum.

45. *Quod alteratio probatur.* Deinde, quidquid de hoc ſit, & dato, quod vnum vinum poſſit agere in aliud vt conuertat illud in vinum alterius rationis, vel ſpeciei ſubſtantialis; adhuc non videtur concedendum, quod ſanguis Chriſti deſinat propter hoc eſſe ſub ſpeciebus ſemel conſecratis, quamdiu illæ aptæ ſunt ad continendã ſubſtantiam vini. Quod quidem à poſteriori colligi videtur clare ex ſenſu fidelium. Si enim aliquis ante conſecrationem miſceat vinum album, & rubrum in calice, & ſtatim illud totum conſecret, contingere poteſt, vt quia breuiſſimo illo tempore non potuit vinum robuſtius agere, quantum poterat in vinum debilius, perſeueret adhuc alteratio, & actio illa aliquandiu poſt conſecrationem, atque ideo ſpecies vini rubri, verbi gratia, pergant agendo in ſpecies vini albi, & aliquam partem diſponant ad receptionem formæ vini albi, & tamen nemo dicet, poſt aliquantulum moræ iam non eſſe in illo calice ſolum ſanguinem Chriſti, ſed ex parte eſſe vinum, cum prius totum illud poculum conſecratum fuerit; ergo alteratio illa ſpecierum, quæ non reddit illas ineptas ad continendam ſubſtantiam vini, non intelligitur ſufficiens, vt deſinant continere ſanguinem Chriſti.

46. *Idem argumentum fieri poteſt de aqua.* Idem argumentum fieri poteſt de aqua mixta vino ante conſecrationem: nam poſita ſententia probabiliori, quod etiamſi non præconuerſa ſit in vinum, conuertitur cum vino in ſanguinem Chriſti, & poſito, quod poſſit vere conuerti in vinum, contingere poteſt, vt tempore conſecrationis nondũ fuerit conuerſa in vinum, ſed mixta cum vino conuertatur in ſanguinem Chriſti, poſtea vero continuata actione ſpecierum vini, ſpecies aquæ diſponantur ad formam vini, nemo autem dixit, quod poſtquam conuerſa fuit aqua in ſanguinem Chriſti, deſinant poſtea continere illum eius ſpecies, eo quod factæ fuerint ſpecies vini, & per conſequens, quod iam non ſit ibi ſola ſubſtantia ſanguinis Chriſti, ſicut erat prius: ergo à fortiori per actionem vini potentioris non creditur deſinere ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus vini cõſecratis; minor enim mutatio, & alteratio interuenit, quando ſpecies vini debilioris, fiunt ſpecies vini potentioris, quam quando ſpecies aquæ fiunt ſpecies vini.

Secundo colligi hoc ipſum poteſt, quia ſi ea alteratio ſpecierum ſufficeret ad tollendam conſecrationem, debuiſſet vtique Eccleſia præcauere illud periculum, & mouere, ac præcipere, ne prima ſaltem purificatio calicis fieret cum vino alterius rationis, aut robuſtiori, quam fuiſſet illud, quod fuerat prius conſecratum, ne ſpecies relictæ in calice corrumperentur: poteſt enim contingere, vt, deficiente interim illo vino, quod eſt in ampulla, afferatur ex alio vino ad purificandum calicem; de quo nemo adhuc ſcrupulum habuit conſcientiæ, nec Eccleſia curauit, ſed ſolum, quod calix, infuſo vino, purificetur ſolum præſcribens vinum, quodcumque illud ſit. Certum autem eſt ſacerdotes præſertim Theologicis ſubtilitatibus non inſtructos, audito illo præcepto Eccleſiæ, non curaturos de hoc, vel illo vino; ergo ſignum eſt, neque Eccleſiam curaſſe de illo periculo, alioquin debuiſſet [illegible] aliquomodo præmonere. 47. *Secundo hoc ipſũ colligitur.*

Ratio denique à priori ea eſt, quia ſanguis Chriſti continetur ſub ſpeciebus, quandiu eius continentia ſignificata eſt per verba: ſenſus autem verborum non eſt, quod ſanguis Chriſti contineatur ſub illis accidentibus ſolum loco illius numero ſubſtantiæ, quæ tunc erat, aut ſolum, quandiu illa numero ſubſtantia fuiſſet ſub illis; ſed ſenſus eſt, ſanguinem Chriſti eſſe ſubſtantiam illius poculi, illius inquam poculi, quamdiu moraliter manet illud poculum, hoc eſt ſanguinem Chriſti eſſe ſub accidentibus illius poculi, quamdiu moraliter manent illa accidentia: ergo ad veritatem verborum oportet quod maneat ſanguis Chriſti, quamdiu illa accidentia poſſent continere ſubſtantiam vini. Probatur conſequentia: quia quamdiu illa accidentia poſſunt continere ſubſtantiam vini, non variantur moraliter in ordine ad vſus humanos magis, quam vnum vinum variatur ab alio: non eſt autem diuerſitas moralis inter hoc & illud vinum etiam admiſſo, quod ſit diuerſitas ſpecifica phyſica; ergo neque ipſa accidentia alterata ſunt moraliter à ſe ipſis, eo quod diſponant ad aliam formam vini phyſice diuerſam. 48. *Ratio à priori*

Confirmatur & explicatur primo, quia Chriſtus præſcribens ſubſtantiam huius ſacramenti dixit etiam: *hoc facite in meam commemorationem.* Per illud autem, *hoc*, non alligauit Sacerdotes ad conſecrandum in vino albo, vel rubro in quo ipſe conſecrauit, ſed ad conſecrandum poculum, quod moraliter in ordine ad vſus humanos non differret ab illo; ergo eodem modo dicens: *hic eſt calix ſanguinis mei*, &c. non alligauit continentiam ſanguinis ſui ad illa accidentia; ita vt facta qualibet alteratione, non continerent illum; ſed ad illa accidentia, quamdiu moraliter durarent in eodem ſtatu in ordine ad vſus humanos: reputabuntur autem idem ſtatus accidentium, quamdiu ſunt apta ad continendum vinum; ſicut reputatur idem poculum in ordine ad vſus humanos quod ſit ex vino, quodcumque, & qualecumque illud ſit. 49. *Confirmatur primo.*

Confirmatur ſecundo, quia verba Chriſti debuerunt eſſe vera in eo ſenſu, in quo ſimilia verba dicuntur communiter ab hominibus: ſi autem aliquis de poculo diceret: *hoc eſt vinum*, ad veritatem eorum verborum requiritur, quod tamdiu ſit vinum, quamdiu accidentia illa non alterentur ad aliam formam, quæ non ſit forma vini; atque ideo, quod poſita mixtione cum alio vino, adhuc maneat vinum: ſimiliter ſi dictum fuiſſet; *hoc eſt lac*, requiritur quod maneat lac, etiamſi miſceatur cum alio 50. *Confirmatur ſecundo.*

lacte meliori, dummodo non alterentur accidentia ad aliam formam, quæ non ſit lactis: ergo cum ſanguis Chriſti ſuccedat loco vini, tamdiu requiritur continentia ſanguinis ad veritatem illorum verborum, quamdiu requireretur continentia vini, ſi dictum fuiſſet, *hoc eſt vinum*: ſcilicet, quamdiu non alterantur ſpecies ſufficienter ad recipiendam aliam formam diuerſam diuerſitate morali, & in ordine ad vſus humanos.

51. *Quæſitum.* Petes primo, an, quando continuantur ſpecies conſecratæ cum vino non conſecrato, ſit ſanguis Chriſti in puncto continuatiuo vtriuſque quantitatis; non enim apparet maior ratio de ſubſtantia vini, quam de ſanguine Chriſti, cum illud indiuiſibile ſit commune vtrique parti; ponere autem vtramque ſubſtantiam ſimul ibi, non videtur tutum. *Satisfit.* Reſpondeo, in ſententia ponente continuum conſtare ex indiuiſibilibus finitis, & immediatis, nulla eſt difficultas; quia per continuationem non reſultat aliquod indiuiſibile continuatiuum de nouo, sed [illegible] quorum alterum continet Chriſtum, alterum ſubſtantiam vini. In ſententia vero communi componente continuum ex partibus diuiſibilibus in infinitum, iam diximus ſupra *Diſp.* 8. *ſect.* 3. magis conſequenter, & minus difficile negari omnia eiuſmodi indiuiſibilia, & conſequenter ſanguis Chriſti non erit in puncto continuatiuo vtrarumque ſpecierum; quia nullum eſt tale punctum, ſed erit ſub parte ſpecierum conſecrata, vinum autem erit ſub parte immediata non conſecrata.

52. *Quæſitum, alterum.* Petes ſecundo, quid faciendum de vino, cui admiſcetur gutta aliqua ſpecierum conſecratarum? Suarez cum aliis dicit eſſe ſeparandum ad vſus ſacros. Hoc tamen videtur durum: quid enim, ſi cadeRet ſupra ſtagnum integrum vini? præſertim quod tunc ſinguli bibentes non exponunt ſe periculo probabili bibendi ſanguinem Chriſti.

53. *Tertium dubium.* Tertia dubitatio eſſe poteſt, vtrum quando miraculoſe apparet caro, vel puer in Euchariſtia, cenſeatur deſinere Chriſtus ſub ſpeciebus: de quo agit S. Thomas *q. præcedenti art.* 8. Ratio autem dubitandi eſt, quia iam non videtur manere ſpecies panis; ergo eo ipſo ceſſat præſentia Sacramentalis Chriſti. Communis tamen ſententia cum S. Thoma affirmat manere adhuc Chriſtum. Neque enim credibile eſt, miracula ad oſtendendam veritatem præſentiæ Chriſti in hoc Sacramento deſtruere ipſam præſentiam tunc, quando maxime videtur Chriſtus oſtendere ſe præſentem. Dicendum ergo eſt licet ſpecies aliquando immutentur per huiuſmodi apparitiones quoad colorem, vel figuram: non tamen amittere temperamentum requiſitum ad formam panis, quo ſtante, non deſinit præſentia Sacramentalis, quantumuis immutentur exterius ſpecies illæ, ſiue per breue, ſiue per longum tempus.

54. *Aliud dubium phyſicum ſoluitur.* Ad complementum huius quæſtionis reſtare videtur dubium phyſicum, quanto tempore durent ſpecies ſacramentales in ſtomacho, antequam corrumpantur ita vt, non poſſint iam amplius continere corpus, aut ſanguinem Chriſti. Quod quidē magis ad Medicos ſpectat, qui magis perſpectam habent virtutem concoctricem, & vires caloris noſtri: vtilis tamen, & aliquando neceſſaria eſt Theologo notitia aliqua huius dubij, quod non raro ad praxim deſeruire poteſt, v. g. pro obligatione præcauendi, aut impediendi vomitum, & aliis ſimilibus. Ego certe peritiſſimos in hac Romæ vrbe Medicos conſului; & poſt rem diu, & accurate cogitatam, perdoctus vir. & clariſſimus Medicus Ioannes Manelphus in Romana Sapientiæ Academia publicus Philoſophiæ Profeſſor cenſuit, particulā communem, quæ laicis ad communionem dari ſolet, regulariter, & de mediocri ſtomacho loquendo, alterari, & corrumpi in hora minuto, hoc eſt in ſexageſima horæ parte; quod multis argumentis probare conatus eſt. Præſertim, quia iuxta Medicorum placitum, calor naturalis ſingulis horis duas vncias cibi ſolidi poteſt conſumere, vt reſoluit Marſilius Cagnatus *lib.* 1. *de ſanitate tuenda, cap.* 18. & probat ex vſu veterum, qui die vna 48. vncias cibi ſolidi ſumere ſolebant, vt ſingulis horis duæ vnciæ correſponderent, quas vna hora ſtomachus poteſt concoquere, ſicut certo ſpatio temporis certa etiam frumenti menſura piſtrino molitur. Facta ergo proportione; & comparatione illius particulæ ad duas vncias, quarum non eſt ſexageſima pars, videtur, quod in vno minuto conſumpta ſit. Adde exemplum externæ coctionis; nam ſi hoſtia illa in olla aquæ ebullientis ponatur, ſtatim alteratur, & conſumitur: ergo calor animalis, qui potentior videtur eſſe ad ſubſtantialem mutationem, poterit eadem facilitate, & breuitate ſpecies tranſmutare. Hæc ille, cuius ſententiæ alij ferè acceſſerūt. Vnde loquendo de Sacerdote, qui maiorem hoſtiam accipit & vini ſpecies, dicebant, in ſemiquadrante horæ ſpecies non continere amplius corpus, & ſanguinem Chriſti. Quam doctrinam ſi quis ad quadrantem velit extendere, videtur iam extra omne prorſus dubium, aut periculum ſe conſtituere.

DISPVTATIO XI.

De forma Sacramenti Euchariſtiæ

SECTIO I. *An neceſſaria ſit aliqua oratio poſt verba Chriſti, vt fiat conſecratio.*
SECTIO II. *Soluuntur aliquæ obiectiones contra præcedentem doctrinam.*
SECTIO III. *Quæ verba ſint eſſentialiter neceſſaria ad conſecrationem corporis Chriſti.*
SECTIO IV. *De verbis neceſſariis ad conſecrationem calicis.*
SECTIO V. *An verba conſecrationis dicantur recitatiue, an vero enunciatiue.*
SECTIO VI *Vtrum verba ſint vera de præſenti in toto rigore; & pro quo inſtanti?*
SECTIO VII. *Quid ſignificent Pronomina,* hoc, *&* hic, *poſita in verbis conſecrationis?*
SECTIO VIII. *Vtrum per plures formas conſecrationis ſimul poſſit conſecrari eadem materia?*

POSTQVAM diximus de materia, reſtat breuiter nunc dicere de forma huius Sacramenti, quam *Diſp.* 1. diximus eſſe etiam eius partem intrinſecam, & non ſolum formam extrinſecam. 1. Suppono itaque, in hac diſputatione, verba conſecrationis eſſe formam huius Sacramenti, & quidem non extrinſecam, ſed intrinſece illud componentem. Suppono item cum communi ſententia Theologorum, Chriſtum Dominum conſecraſſe iiſdem verbis, quibus nos docuit conſecrare, vt ſatis indicatur in Florentino, in Decreto Eugenij, & Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 1. & in cap. *Cum Marthæ.* de celebratione Miſſarum; & à ſanctis Patribus paſſim *Concil. Florent. Conc. Trid.*

Au

An verò Chriſtus conſecrauerit benedictione, vel gratiarum actione; an verò illæ fuerint actiones diuerſæ à conſecratione: quæſtio eſt merè textualis. Denique, quid ſignificetur per *ly hoc* in verbis conſecrationis, diximus quod ſatis eſt *Diſp.* 1. agentes de natura huius conuerſionis, & dicemus ſect. 7.

SECTIO I.

An neceſſaria ſit aliqua oratio poſt verba Chriſti, vt fiat conſecratio.

2. *Ratio dubitandi.* Bellarm. Suarez.

RAtio dubitandi tota oritur ex ritu celebrandi, quem ſeruat Eccleſia Græca, pro cuius explicatione propono hoc dubium, nam de re ipſa, & veritate communis doctrinæ, optimè agunt Card. Bellarmin. *lib.* 4. de Eucharistia, *cap.* 12. & ſequentibus; P. Suarez in præſenti *Diſp.* 58. *ſect.* 3. qui ex Conciliis, & Patribus late probant, ſtatim poſt prolationem illorum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, &c. fieri conſecrationem: ſolum ergo ingerit difficultatem vſus Eccleſiæ Græcæ, vbi Sacerdos poſt verba conſecrationis prolata, videtur deprecari Deum, vt conuertat panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti. Sic enim dicit: *Emitte ſpiritum tuum, & fac hunc panem pretioſum corpus Chriſti tui; quod verò in hoc calice eſt, pretioſum ſanguinem Chriſti tui*; &c. quæ verba in Liturgiis B. Iacobi Apoſtoli, & Sanctorum Baſilij. & Chryſoſt. habentur; imo & in Miſſa Clementis Romani, vt ipſe refert in Conſtitution. Apoſtolic. *lib.* 8. *cap* 17. ex quibus videtur apertè colligi, non fuiſſe factam conuerſionem per verba priora, donec per inuocationem ſancti Spiritus perficiatur. (Clemens. Roman.)

3. Nicol. Cabaſilas. Marc. Epheſin. Hierem. Conſtant. *Sententia quorumdam Græcorum.*

Propter hæc aliqui Græci tenuerunt illam ſententiam, inter quos fuit Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ *cap.* 29 & 30. qui habetur *tom.* 4. Bibliothecæ. Marcus Epiſcopus Epheſinus lib. de verbis Conſecrationis; & Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in cenſura Lutheranæ doctrinæ *cap.* 10. Imo Cabaſilas, vbi ſupra conatur, in hunc eundem ſenſum adducere Sacerdotes Latinos, eo quod poſt verba conſecrationis petant, vt Deus iubeat hæc, quæ in altari ſunt, perferri per ſanctum Angelum ſuum in ſublime altare ſuum, hoc eſt (*inquit*) in corpus Chriſti, in quod cenſent nondum eſſe conuerſum panem propoſitum.

4. *Hanc difficultatē primo ſoluunt aliqui.*

Huic difficultati variæ ſolutiones adhibentur à Theologis, quas breuiter commemorabimus. Reſpondent aliqui, aliter Deum pepigiſſe cum Græca Eccleſia, aliter cum Latina, vt apud Græcos non conficiatur Euchariſtia, niſi adhibitis etiam illis precibus; apud Latinos verò conficiatur ante preces. Hanc ſolutionem, ſuppreſſo Auctorum nomine, refert P. Salmeron *tom.* 9. in Euangel. *tract.* 3. & eam merito reiicit vt temerariam, & periculoſam. (Salmeron.)

5. Beſſarion. *Secundo dicunt.*

Secundo dicunt alij, teſte Beſſarione lib. de verbis conſecrationis, ea verba locum mutaſſe in Liturgia: prius enim non niſi ante verba conſecrationis dicebantur; poſtea verò in alium locum tranſpoſita fuiſſe: ſed hæc etiã ſolutio caret fundamento. Ita enim legunt eo ordine in antiquiſſimis Liturgiis, & eodem ordine explicantur à Germano Patriarcha, qui fuit tempore ſeptimæ Synodi in myſtica contemplatione, quæ habetur in 4. *tom.* Bibliothecæ ſacræ; & ipſi Græci in Concilio Florentino confeſſi ſunt, ſe illum ritum ſeruare, quem à Patribus acceperant. (German. Patriarch.)

6. *Tertia ſolutio.*

Tertia ſolutio eſt, illa verba non tam proferri in ſenſu deprecatorio, quam gratulatorio; ſicut cum petimus, vt Deus ſit infinite beatus, & glorioſus, quaſi explicantes noſtrum affectum, & gaudium de illius gloria. Hæc etiam interpretatio eſt nimis dura, quia in hoc ſenſu poſſemus etiam petere in Miſſa, quod fieret incarnatio, vel quod Chriſtus ex mortuis reſurgeret, & alia ſimilia, quæ non poſſent prudenter poſtulari.

7. *Quarta ſolutio.*

Quarta explicatio eſt, his verbis non peti, quod denuo conficiatur Sacramentum, ſed quod permaneat Chriſtus in illo; non quia neceſſarium ſit hoc petere, aut quia dubitetur de perſeuerantia Chriſti ſub ſpeciebus, ſed vt explicetur affectus; ſicut nunc ante conſecrationem petimus, vt illa oblatio fiat corpus Chriſti; non quia dubitemus de efficacia verborum ad illud operandum; & ſicut Chriſtus Marc. 5. dixit mulieri iam prius ſanatæ: *Vade in pace, & eſto ſana à plaga tua*; vt oſtenderet ſuum beneplacitum in ſanitate iam conceſſa. Hanc ſolutionem refert ex Gentiano P. Suarez in præſenti, & eam nõ improbat; inſinuat etiam P. Salmeron vbi ſupra, & probatur à Beſſarione, & aliis. Cæterum eam merito impugnat P. Vaſquez in præſenti *Diſp.* 197. *cap.* 4. nam ſine aperta verborum violentia intelligi non poteſt, quomodo oratio fiat pro perſeuerantia effectus omnino neceſſarij, & de quo non eſt vlla ratio timendi, vel dubitandi. Nec exempla adducta id probant; non primum, quia licèt non timeamus de efficacia verborum ad conſecrationem, poſſumus tamen timere ex parte noſtra, ne fortaſſe non debito modo proferantur verba ad effectum habendum ideo petimus à Deo, vt fiat effectus conſecrationis. Non item ſecundum; quia verba illa Chriſti, *Eſto ſana à plaga tua*, potuerunt cauſare conſeruationem ſanitatis, quæ non neceſſario ſequebatur ex primo effectu. Deinde potuerunt ea verba proferri per modum cuiuſdam congratulationis, non per modum orationis, vel imperij, ſic enim dicere ſolemus, quãdo audimus aliquem factum eſſe Epiſcopum: *ſit vtique ipſe Epiſcopus*, quod idem eſt ac dicere: *placet mihi quod ſit factus Epiſcopus*. Cæterum orare pro effectu iam facto, & omnino certo nunquam ſolemus. (Marc. 5. — Suarez. — Vaſquez.)

8. *Quinta ſolutio.*

Quinta ſolutio eſt, illa verba, licet dicantur poſt conſecrationem, referri tamen ad tempus præcedens, quia non poſſunt opportune dici ante, & decebat, vt huius myſterij confectio petatur etiam à Spiritu ſancto eius operatore, ideo petitur poſtea. Hæc etiam eſt Beſſarionis, ſed duriſſima; non enim niſi impropriiſſime peti poteſt, quod iam factum eſt, & factum eſſe ſcitur ſine vlla hæſitatione. (Beſſarion.)

9. *Sexta ſolutio.*

Sexta ſolutio, & magis communis eſt, ibi non peti, quod ille panis fiat corpus Chriſti naturale, ſed corpus Chriſti myſticum; hoc eſt, quod proſit fidelibus illud ſumentibus ad vnionem & ſanctitatem: itaque, quando dicitur, vt *panis fiat nobis corpus Chriſti*, debet intelligi, fiat nobis corpus myſticum, ſeu faciat nos eſſe vnum corpus myſticum Chriſti. Hanc ſolutionem refert etiam ex Beſſarione P. Salmeron, & eam videtur probare; in eademque conquieſcit P. Suarez vbi ſupra. Sed tamen non ſatisfacit, quia detorquet verba clara ad ſenſum valde impropriũ; & licet de corpore vtcumque poſſet tolerari, de ſanguine non videtur niſi impropriiſſimè, quomodo petatur, calicem illum fieri ſanguinem pretioſum Chriſti, ſi de vero Chriſti ſanguine non loquatur. (Salmeron.)

10. *Res clarius explicatur.*

Mihi res hæc clarior apparet, quam vt tot ſolutionibus indigeat, & quæ ex ipſius contextus verbis verum, & legitimum ſenſum oſtendit: ſcilicet non peti vllo modo illum panem fieri corpus & calicem ſanguinem Chriſti, nec verum nec myſticum, ſed ſenſum eſſe, illum panem, hoc eſt, corpus, & illum calicem, hoc eſt, ſanguinem Chriſti, fieri nobis in ſalutem, & remiſſionem peccatorum; ita vt *ly corpus*, & *ſanguis*, non ſint ex parte prædicati, ſed ex parte ſubiecti ſeu appoſitiue, vt dicunt Grammatici. Hunc

ſenſum videtur approbare P. Vaſquex vbi ſupra, licet illum non deducat ex verbis ipſis, ex quibus tamen, & eorum legitima conſtructione videtur mihi omnino deducendus; nec aliud voluiſſe Iacobum, Baſilium, & reliquos Liturgiarum Auctores.

Probatur primo ex Miſſa Æthiopum.

11. Probatur hoc in primis ex Miſſa Æthiopum, quæ habetur *in 4. tom.* Biblioth. & credibile eſt, fuiſſe compoſitam ab Apoſtolis vel ab eorum diſcipulis: ij ergo poſt verba item conſecrationis habent ſimilem orationem his verbis clarius ſignificantibus prædictum ſenſum: *Oramus te, Domine, vt mittas Spiritum ſanctum ſuper hunc panem, & hunc calicem, videlicet corpus, & ſanguinem Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti in ſecula ſeculorum, Amen. Tribue ſimul omnibus ex eo ſumentibus, vt fiat eis ad ſanctificationem, & plenitudinem Spiritus ſancti, &c.* Hæc verba ferè ſunt eadem cum iis, quæ ſunt in aliis Liturgiis, ſolumque differunt in eo quod magis explicant noſtrum ſenſum dum petunt ſuper hunc panem, videlicet, corpus Chriſti *deſcendere* Spiritum ſanctum. Non ergo eſt dubium, quin idem fuerit ſenſus in aliis Liturgiis, quæ eodem tempore, & à coapoſtolis compoſitæ ſunt.

Explicantur verba Iacobi Liturgia S. Iacobi.

12. Videamus nunc verba Iacobi in ſua Liturgia, an hunc ſenſum propriè poſſint habere. *Ipſum* (inquit) *Spiritum tuum ſanctiſſimum dimitte nunc quoque in nos, & in hæc dona ſancta propoſita, vt ſuperueniens ſancta, & bona, & glorioſa ſua præſentia ſanctificet, & efficiat hunc panem corpus ſanctum Chriſti tui.* (Populus reſpondet, *Amen*) *& calicem hunc pretioſum ſanguinem Chriſti tui.* (Populus reſpondet, *Amen*) *vt ſit omnibus ex his ſumentibus in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam, &c.* Senſus horum verborum eſt idem, qui præcedentium; non petere, vt panis fiat corpus Chriſti, ſed vt panis, qui eſt corpus Chriſti, & calix, qui eſt ſanguis, fiat accipientibus in remiſſionem peccatorum, &c. non enim finitur ſenſus, vſque ad finem totius petitionis. Nec obſtat, quod interponatur illa particula, *Amen*, quod videtur denotare ibi finitam eſſe aliquam petitionem, cui reſpondet populus, *Amen*; quæ fuit fortaſſe occaſio errandi, & cogitandi ibi terminari aliquam petitionem. Hoc, inquam, non obſtat, quia illa particula, *Amen*, ibi non eſt ſignum petitionis, ſed fidei; populus enim audiens panem appellari corpus Chriſti, & calicem appellari ſanguinem reſpondet vtrobique *Amen*, quaſi dicat: *ita eſt, ita credimus*; interrumpendo orationem Sacerdotis per illam parentheſim, poſtea verò continuat Sacerdos ſuam deprecationem petens, vt ille panis, hoc eſt corpus Chriſti, & calix, hoc eſt, ſanguis, ſit in ſalutem, & remiſſionem, &c. Quod autem iſte ſit ſenſus huius particulæ *Amen*, conſtat ex iiſdem Liturgiis: nam ſtatim ac Sacerdos profert verba conſecrationis, & dicit, *Hoc eſt corpus meum* (reſpondet Populus, *Amen.*) & in Miſſa Æthiopum explicatur clarius, clamat enim populus ſtatim, *Amen, Amen, Amen, credimus, & confidimus, & laudamus te, ò Domine Deus noſter: hoc verè corpus tuum eſt*: & poſt conſecrationem calicis eodē modo reſpondet populus, *Amen, Amen, Amen, credimus*, &c. Et poſtea proſequitur Sacerdos verba Chriſti dicens: *Quoties hoc feceritis, in mei commemorationem facietis*: vbi vides, illud *Amen* interponi etiam inter verba Chriſti à Sacerdote prolata ad proteſtandam fidem de præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti. In quo ſenſu S. Leo Papa *Serm.* 6. de

S. Leo.

ieiunio ſeptimi menſis, dixit: *Fruſtra ab illis reſpondetur,* Amen, *qui non credunt, adeſſe verè corpus, & ſanguinem Domini.* In hoc ergo eodem ſenſu populus reſpondebat, *Amen*; quando audiebat panem appellari corpus Chriſti in illis precibus ſequentibus, non vt annueret petitioni, ſed vt proteſtaretur fidem de præſentia corporis Chriſti, interrumpendo orationem Sacerdotis, quæ nondum habebat ſenſum perfectum.

Verba ſimilia hinc intelliguntur. Baſilius.

Hinc etiam intelliguntur verba ſimilia, quæ habentur in Liturgia S. Baſilij hoc modo: *Supplices te rogamus, veniat ſanctus tuus Spiritus ſuper nos, & ſuper hæc, quæ propoſuimus, dona, ac ſanctificet ipſa. Domine exaudi me.* Populus reſpondet, *Kyrie eleiſon* (ecce iterum populus interrumpit orationem Sacerdotis, ipſe verò proſequitur,) *& efficiat* (vel prout alij fortaſſe melius vertunt, *oſtendat*) *panem iſtum corpus glorioſum Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti, corpus cæleſte, corpus vitæ efficiens, corpus pretioſum, in expiationem culparum, & remiſſionem peccatorum, vitamque æternam iis, qui accipiunt, Amen.* Et eodem modo continuat de calice, petēs, vt calix ille ſanguis Ieſu Chriſti oſtendatur, vel fiat ſanguis in expiationem culparum, &c. Eodem modo loquitur S. Clemens Romanus vbi ſupra, vbi petit his verbis. *Et mittas ſanctū Spiritū tuum ſuper hoc ſacrificium, vt oſtendat hunc panem corpus Chriſti tui, & hunc calicem ſanguinem Chriſti tui, vt, qui eu percipiunt, confirmentur in pietate*, &c. non petit, vt faciat, ſed vt oſtendat per effectum. Confirmatur hoc ipſum ex Miſſa noſtra Latina, vbi ſimilis ferè oratio habebatur poſt fractionem hoſtiæ, ante vltimam correctionem Miſſalis, his verbis, *Fiat commixtio, & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti accipientibus nobis in vitam æternam.* Vbi etiam apparebat peti, fieri conſecrationem, ſed re vera non petebatur, ſed quod conſecratio fieret in vitā æternā. & ideo mutata fuerunt illa verba ad tollendam æquiuocationem, ſicut nunc habemus: *Hæc commixtio, & conſecratio*, &c. *fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* 13.

Confirmatur ex Miſſa noſtra.

His ſenſus confirmatur ex confeſſione Græcorū

Denique confirmatur hic ſenſus ex ipſa confeſſione Græcorum, qui in Concilio Florentino *ſeſſ. vlt.* rogati de ſenſu illorum verborum, dixerunt, ſe non petere ibi, quod fiat conſecratio, (hæc enim iam eſt facta) ſed quod fiat in ſalutem, &c. ex quo fit, verba illa debere habere illam conſtructionem, quam nos aſſignauimus; alioquin non videntur admittere poſſe illū ſenſū ſine maxima improprietate. 14.

Verba Chryſoſtomi explicantur.

Difficiliora poſſent apparere verba Chryſoſtomi in Liturgia, qua communiter vtuntur Sacerdotes Græci in hunc modum, paulo poſt prolata verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum hic eſt ſanguis meus*, &c. dicit Diaconus: *Benedic, Domine, ſanctum panem*: & Sacerdos exſurgens benedicit ter ſancta munera, dicens ſecreto: *Fac quidem panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui.* Diaconus, *Amen.* Et rurſus Diaconus, *Benedic, Domine, ſanctum calicem.* Ac Sacerdos benedicens ait, *Quod autem in calice eſt iſto pretioſum ſanguinem Chriſti tui.* Diaconus *Amen*, Et rurſus Diaconus oſtendēs cum orario vtrumque ſacramentum, dicit, *Benedic, Domine.* At Sacerdos benedicens manu vtrumque ſacramentum dicit: *Permutans Spiritu ſancto tuo*; Diaconus: *Amen, Amen, Amen.*

Hæc verba eumdem habent ſenſum.

Cæterum hæc verba eumdem prorſus habent ſenſum, quem diximus habere Liturgias alias: neque enim abſoluitur oratio in prædictis verbis, ſed immediate proſequitur Sacerdos dicens, *Vt fiat accipientibus in ſobrietatem animæ, in remiſſionem peccatorum, in communicationem S. Spiritus, in regni cælorū plenitudinem, in fiduciam ergo te, in delictum, aut damnationem*, &c. Non ergo petit in verbis præcedentibus, quod Deus faciat panem eſſe corpus, aut vinum eſſe ſanguinem Chriſti, ſed ſenſus eſt. Fac Panem hunc, qui eſt corpus precioſum Chriſti, & ſanguinem, qui eſt in calice (interrumpit Diaconus dicens, *Amen*; nempe confitendo ita eſſe, & ſuggerens 15.

materiam

materiam benedictionis) fieri accipientibus in ſobrietatem, & remiſſionem, &c. Solum videntur obſtare illa verba, *Permutans Spiritu ſancto tuo*; quibus videtur peti conuerſio nondum facta. Sed aliud eſt illorum verborum ſenſus, quem non ſatis expreſſit Latinus interpres : neque enim pro principio Græco μεταβαλών, qui eſt aoriſtus ſecundus indifferens, & ſignificat magis proprie tempus præteritum, debuit vertere, *Permutans*, ſed debuit dicere, *qui permutaſti Spiritu ſancto tuo*; aut *permutata Spiritu ſancto tuo*. Habent enim Græca participia eam vim ſignificandi tempus præteritum; quod quia participia Latina non habent in voce actiua, ideo Interpres ſuppoſuit illud *Permutans*; quod diuerſum ſenſum reddere videtur.

16. *Conſtat primo hoc ſenſus.*

Conſtat autem hic ſenſus, primo tum ex aliis Liturgiis, quas imitatur iſta, & in quibus ſenſus illc clarius habetur, vt vidimus: tum ex eodem Chryſoſtomo, qui in aliis locis apertè docet, conuerſionem fieri per verba Chriſti, quæ proferuntur : *Hoc eſt corpus: hic eſt ſanguis*, &c. Sic docet in Homil. de proditione Iudæ paulo ante finem, *tom. 3. Non enim homo eſt* (inquit) *qui propoſita de conſecratione menſa Domini corpus Chriſti facit, & ſanguinem, ſed ille, qui crucifixus pro nobis eſt Chriſtus, Sacerdotis ore verba proferentur, & Dei virtute conſecrantur, & gratia. Hoc eſt, ait, corpus meum : hoc verbo propoſita conſecratur.* Item *Homil. 2.* in Epiſt. 2. ad Timoth. ſic ait. *Volo quidam adiicere planè mirabile, & nolite mirari, neque turbemini. Quid verò iſtud eſt? Sacra ipſa oblatio, ſiue illam quilibet Sacerdos, ſiue illam Paulus, ſiue Petrus offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus diſcipulis, quamque Sacerdotes modo quoque efficiunt. Nihil habet iſta, quam illa minus. Cur id? quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam ante ſacrauerat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronunciant: ita & oblatio eadem eſt.* Quæ verba adeo clarè oſtendunt Chryſoſtomi ſenſum, vt Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus adducens illa contra octauum caput Confeſſionis Auguſtanæ, & aduertens, iis verbis conuelli etiam ſuum errorem de conuerſione per ſubſequentes preces facienda, ex induſtria omiſerit verba illa: *Quemadmodum verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt*, relictis antecedentibus, & ſubſequentibus verbis; vt obſeruauit Petr. Arcadius *lib. 3.* de concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis, *cap. 23.*

Chryſoſt.

Petr. Arcad.

17. *Confirmatur ſecundo idem ſenſus.*

Confirmatur idem ſenſus ſecundo ex verbis illis, *Qui autem in calice eſt iſto, pretioſum ſanguinem Chriſti tui*; quæ ſanè verba potius indicant, iam ibi eſſe ſanguinem, & de illo peti, non vt ſit ſanguis, ſed vt fiat ad ſalutem, &c. ſcio, alios aliter vertere illa verba : nam textus Græcus poteſt eum ſenſum admittere, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ, τοῦτο τίμιον αἷμα τοῦ κυρίου; quod alij vertunt, *quod autem eſt in hoc calice ipſum pretioſum ſanguinem Domini*. Alij verò, *In calice verò hoc pretioſum ſanguinem Chriſti tui*. Sed cum verba admittant eas verſiones, melius vertuntur in ſenſu magis apto, prout in antiqua verſione habetur Venetiis excuſa anno, 1528. ad id Antonium de Fabin.

18. *Confirmatur tertio.*

Confirmari poteſt eadem explicatio tertio ad hominem, quia ſi precibus illis ſubſequentibus conuerſio fieri argueretur ex eo, quod proferantur poſt prolata verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, &c. eodem modo argui debet, non fieri conuerſionem per ipſas preces; quia vt ex eorum verbis ſupra recitatis conſtat, poſtquam Sacerdos dixit, *Fac panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui*: Diaconus petit, vt benedicat & calicem, & Sacerdos proſequitur, *Qui autem in calice iſto eſt pretioſum ſanguinem Chriſti tui*: quibus verbis videtur iam iam confecta conſecratio vtriuſque iuxta mentem Græcorum, & tamen poſtea petit rurſus Diaconus, vt benedicat vtrumque, & Sacerdos proſequitur, *Permutans Spiritu ſancto tuo*, & Diaconus, reſpondet, *Amen, Amen, Amen*. Aut ergo preces ex Chriſti inſtitutione habent infallibilem efficaciam ad conuerſionem faciendam, aut non. Si non habent poterimus ergo dubitare, an facta fuerit conſecratio poſt omnia illa verba prolata. Si verò eam habent, ergo fruſtra petitur rurſus tranſmutatio vtriuſque ſpeciei, poſtquam petiit Sacerdos ſeorſim conuerſionem panis in corpus, & vini in ſanguinem, vel certè ex illa petitione non poteſt argui, conuerſionẽ non eſſe prius factã: vnde illæ preces ſubſequentes non arguunt, conuerſionem non fuiſſe factam per verba Chriſti prius à Sacerdote prolata.

19. *Tertio confirmatur.* Marc. 3.

Tertio confirmari poteſt ſenſus ille ex ſimili loquendi formula apud Marc. *cap. 3.* vbi enim nos legimus. *Et fecit, vt eſſent duodecim cum illo*: Sanctus Pagninus ex Græco vertit, *Et fecit eos duodecim, vt eſſent ſecum*: ſenſus autem eſt, *Fecit vt duodecim, eſſent ſecum*. Sic etiam in præſenti ſenſus eſt; Fac, non vt panis ſit corpus Chriſti, ſed vt panis corpus Chr. ſed vt panis corpus Chr. ſit nobis in ſalutẽ, &c.

20. *Eodem modo alia verba explicantur*

Eodem etiam modo explicari debent ſimilia verba, quæ habentur in Miſſa compoſita per ſanctum Marcum Euangeliſtam, & habetur in *tom.* Biblioth. Patrum in editione minus antiqua, vbi etiam poſt verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum hic eſt calix*, &c. habetur hæc oratio: *Emitte præterea ſuper nos, & ſuper panes, & calices iſtos Spiritum ſanctum tuum, vt eos ſanctificet, & conſeruet tã Deus quàm omnipotens, & faciat panem quidem corpus* (Populus: Amen) *calicem autem ſanguinem noui Teſtamenti ipſius Domini, & Seruatoris, & ſummi Regis noſtri Ieſu Chriſti, vt fiat omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, in ſobrietatem*, &c. Quæ verba habẽt eumdem ſenſum, quẽ verba aliarũ Liturgiarum, cum ſint ferè eadẽ; ſed eum ſenſum clarius, vt vidimus, expreſſit Liturgia Æthiopum, in qua ad omnẽ æquiuocationem tollẽdã petitur; *vt mittas Spiritũ ſanctũ ſuper hũc panẽ, & hũc calicẽ, videlicet corpus, & ſanguinẽ Domini.*

SECTIO II.

Soluuntur aliquæ obiectiones contra præcedentem doctrinam.

21. *Prima obiectio* Baſilius.

RESTANT aliquæ obiectiones ſoluendæ contra prædictam Liturgiarum interpretationem. Prima deſumitur ex verbis Baſilij in Liturgia, qui poſt verba Chriſti : *Hoc eſt corpus meum; hic eſt ſanguis*, &c. & ante formulam illam deprecatoriam ſuppoſitam, loquitur de pane, & vino propoſitis tanquam de non adhuc conuerſis, vocat enim illa *antitypa* corporis, & ſanguinis Chriſti. *Confidentes* (inquit) *appropinquamus ſancto altari tuo, & proponentes antitypa ſancti corporis, & ſanguinis Chriſti, te obſeruamus, & te poſtulamus, Sancte Sanctorũ beneplacita tua benignitate, vt veniat Spiritus ſanctus tuus ſuper nos, & ſuper propoſita munera*, &c. Supponit ergo, nõdũ eſſe cõuerſa in corpus, & ſanguinẽ Chriſti.

22. Damaſcen.

Confirmatur ex Damaſc. *lib. 4. de fide cap. 14* vbi nomine *antitypi* à Baſilio appellatum ait, non corpus, & ſanguinem Chriſti, ſed panem, & vinum, ideoque nomen illud non vſurpari à Baſilio poſt, ſed ante conſecrationem. *Quod ſi nonnulli* (inquit) *panem, & vinum nominarunt antitypa corporis, & ſanguinis Domini, ſicut Deifer Baſilius dixit, non poſt conſecrationem, ſed priuſquam conſecraretur ipſa oblatio, ſic appellarunt.* Sentit ergo Damaſcenus, ante

preces

preces illas in Liturgia Baſilij non eſſe factam conſecrationem.

23. Septima Synodus. Accedit auctoritas ſeptimæ Synodi generalis *Act.* 6. vbi in refutatione quadam refutationis Conciliabuli publice lecta, inter alia notanter aſſeritur, nunquam panem, & vinum poſt conſecrationem dicta antitypa corporis, & ſanguinis Chriſti, ſed ſolum ante conſecrationem. *Manifeſto* (inquit) *oſtenſum eſt, quod nullibi neque Dominus, neque Apoſtoli, vel Patres imaginem dixerunt incruentum ſacrificiū per Sacerdotem oblatum, ſed ipſum corpus, & ipſum ſanguinem. Attamen ante ſanctificationis conſecrationem quibuſdam Patribus pie ſane viſum eſt antitypa nominare. Quorum de numero Euſtathius, &c. Baſilius item, &c. Vno namque, & eodem ſpiritu cum loqueretur, hic quidem exponens dictum illud in Prouerbiis Salomonis:* Edite meum panem, & bibite vinum, quod miſcui vobis, *hæc ait: Per panem, & vinū antitypa membrorum corporalium Chriſti prædicat. Ille vero ex eodem fonte hauriens, vt omnes Sacerdotij myſta in precatione Diuina oblationis norunt, ad hunc ferè modum ait; Confidentes tuo ſancto altari appropinquamus; & proponentes antitypa ſancti corporis ſanguinis Chriſti tui, te precamur, & inuocamus, & quod deinceps ſequitur, mentē Patris manifeſtationē reddit, quod antequā ſanctificarētur, antitypa vocata ſunt, poſt conſecrationem autem corpus propriè, & ſanguis Chriſti dicuntur, & ſunt, atque creduntur.* Vbi videmus ſupponi, conſecrationem non eſſe factam, quando illud nomen *antitypa* in Liturgia legitur, cum tamen id ſit poſt Chriſti verba, & ante preces ſupradictas.

24. Reſpondetur ad textum Baſilij. Ad teſtimonium, & textum Baſilij facilis erit reſponſio: *antitypa* non ſemper ſignificare figuram tuſteriorem, & omnino extrinſecam, ſed paſſim apud Patres ipſummet Sacramentum Euchariſtiæ appellari *antitypa*, & imagines corporis, & ſanguinis Chriſti. Origen. O[illegible] cap. 15. Matthæi panem conſecr[illegible] vocat *corpus ſymbolicum & typicum*, & dialog. 3. cont. Megethium Marcioniſtam in fine 2. *part.* ſub titulo: *de Chriſto homine verè ex Maria. Si, vt loquuntur* (inquit) *iſti, carne deſtitutus erat, & ex ſanguis, cuiuſmodi carnis, cuius corporis, & qualis tandē ſanguinis ſigna, & imagines, & panem, & poculum miniſtrauit?* Euſebius. Euſebius *lib.* 5. de demonſtratione *cap.* 3. & *lib.* 8. demonſtratione 1. in fine *antitypum*, & *imaginem*, & *notam* ſui corporis appellat. Chryſoſt. Chryſoſtomus in Pſalm. 22. appellat hoc Sacramentum *ſimilitudinem* corporis, & ſanguinis Domini. Theod. Theodoretus dialogo 2. *ſymbola* corporis, & ſanguinis Domini. Tertull. Tertullianus *lib.* 1. contra Marcionem *cap.* 14. & *lib.* 4. *figuram, & repræſentationem* corporis Chriſti. Ambroſ. Ambroſ. *lib.* 1. de officiis, *cap.* 48. & lib. de iis, qui initiantur *cap.* 8. & 11. Auguſt. Auguſtinus in Pſalm. 3. Hieron. Hieronymus *lib.* 2. contra Iouinianum. Gelaſius. Gelaſius lib. cont. Eutych in fine, & alij *figuram, typum, imaginem, ſimilitudinem* corporis, & ſanguinis Chriſti eſſe dicunt. Clemens. Roman. Alij expreſſe *antitypa*. Clemens Romanus *lib.* 5. Conſtit. *cap.* 14. Cyrillus. Cyrillus Hieroſolym. Catecheſi 5. myſtagogica. Nazianz. Nazianzenus in Orat. Funebr. ſororis Gorgoniæ, & alij, quos affert Petrus Arcudius. Arcudius loco ſupra citato *cap.* 34. quibus adde Auctorem vitæ S. Stephani iunioris, quæ habentur inter opera Damaſceni; vbi etiam S. Stephanū dicitur Euchariſtiam appellaſſe *antitypa* corporis, & ſanguinis Chriſti, in diſputatione cum Imperatore quatuor foliis ante finem. Potuit ergo Baſilius iuxta eum communiſſimum loquendi modum etiam poſt conſecrationem Euchariſtiam antitypa appellare.

25. Duæ rationes cur dicatur antitypa corp. n. Cur autem antitypa corporis, & ſanguinis dicantur, quando ſunt ipſummet corpus, & ipſe ſanguis, plures afferuntur rationes. Duæ ſunt præcipuæ; prima eſt, appellari *antitypa* ratione ſpecierum panis, & vini, quæ ſymbola, & ſigna ſenſibilia ſunt ad ſacramentaliter ſignificandum corpus, & ſanguinem Chriſti. Ad quod videntur reſpicere verba Ia- S. Iacobus. cobi Apoſtoli in Liturgia: *Emitte*, inquit, *ô Deus tuam bonam gratiam, & ſanctifica animas noſtras, & corpora*, &c. *Et reuelans inuolucra ænigmatum, quæ ſymbolice hoc ſancto Sacrificio circumdantur, clare nobis oſtende*, &c. Et Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. Dionyſius. *c.* 3. *Sed ô* (inquit) *diuiniſſimum, & ſacroſanctum Sacramentum, quæ te circundant ſymbolicè, operimentis ænigmatum reuelatis, perſpicue nobis fac appareas*, &c.

Secunda ratio, quia corpus Chriſti, prout ſpe- 26. ciebus velatum, & occultum, eſt ſymbolum ſui ipſius paſſibilis in cruce & in cœna; ſicut & ſanguis ſub ſpeciebus vini ſignificat ipſum ſanguinem effuſum in paſſione pro nobis; & denique ſignificant idem corpus, & eundem ſanguinem reuelata, & manifeſta ſpecie in ſeipſo videndum in cœlo. Sic explicat Auguſtinus in Proſperi ſententiis *Caro*, in- Auguſt. quit, *carnis, & ſanguis eſt ſacramentum ſanguinis. carne, & ſanguine vtroque inuiſibili, & ſpirituali ſignificatur corpus Chriſti viſibile, & palpabile, & plenum gratia, & diuina maieſtate.* Damaſc. item *lib.* 4. de Fide *cap.* 4. in fine: *Antitypa verò* (inquit) *futurorū* Damaſc. *an nominantur, non quod non ſint verè corpus & ſanguis, ſed quoniam nunc quidem per ipſa Diuinitatis Chriſti ſumus participes; tunc verò animo cernemus per ſolam viſionem.* S. Maximus Scholiaſtes Dionyſij in cap. 3. de Eccl. Hierarch. notat, vbique appellari Maximus. à Dionyſio *Symbolicum diuinum ſacrificium, & ſancta munera ſymbolica eorum, quæ ſurſum ſunt, & veriora* In eodem ſenſu Ambroſ. dicto *lib.* 1. de officiis, Ambroſ. *cap.* 48. dixit *hic offerri Chriſtum in imagine, in veritate.* Et denique ipſi Græci in quodam Paſchali hymno & troparia canunt Δίδου ἡμῖν ἐκτυπώτερόν σου μετασχεῖν ἐν τῇ ἀνεσπέρῳ ἡμέρᾳ τῆς βασιλείας σου. h. eſt, *Præſta nobis, vt expreſſius, & latius, & nō per typos tui participes efficiamur in die, quæ veſpere caret regni tui.*

Ad confirmationem ex Damaſceno, aliqui cen- 27. ſent, addita eſſe à maleuolis verba illa, quibus dicit Ad confirmationem ex à Baſilio *antitypa* dicta eſſe ante conſecrationem; Damaſceno quod multis coniecturis probat Arcudius vbi ſupra reſpondetur. *cap.* 35. præterim quia ipſe Damaſcenus contradi- Arcudius. ceret ſibi in eodem capite, in cuius fine docet, Euchariſtiam appellari *antitypum*, ſcilicet futurorum, quomodo ergo dicere potuit, omnes, qui *antitypa* nominarunt, id feciſſe ante conſecrationem? Quidquid de hoc ſit, dici poteſt, Baſilij verba potuiſſe bene à Damaſceno intelligi dicta de pane, & vino, prout erat ante conſecrationem: nam licet illa non niſi poſt conſecrationem dicantur, referri tamen poſſunt ad panem, & vinum propoſita prius in altari, vt conſecrarentur. Verba prout communiter referuntur hæc ſunt; *Confidentes appropinquamus ſancto altari tuo, & proponentes antitypa ſancti corporis, & ſanguinis Chriſti tui, te obſecramus, & te poſtulamus*, &c. Cæterum in Liturgia, quæ habetur in Bibliotheca *tom.* 4. paulo aliter vertuntur illa verba hoc modo: *Cum fiducia iam accedimus, vt contingamus altare tuum ſanctum, & qui propoſuimus typum corporis, & ſanguinis Chriſti tui, adoramus, ac ſupplices rogamus, te*, &c. Quæ quidē verſio videtur magis iuxta mentem Baſilij, qui habet in Græco: προθέντες τὰ ἀντίτυπα. Aoriſtus autem ille magis ſignificat tēpus præteritum. In quo ſenſu intelligi potuerunt à Damaſceno verba illa, & referri ad tempus præteritum ante cōſecrationem: ideoque dicit, non vocari *antitypa*, poſtquam conſecrata ſunt; quia licet tunc vocentur *antitypa*, non tamē prout tūc ſunt, ſed prout fuerunt antea, quando propoſita fuerunt in altari.

In

In quo etiam ſenſu intelligi poteſt Auctor illius confutationis relatæ in ſeptima Synodo: nam licèt vterque deceptus fuerit in eo, quod putarent, nunquam poſt conſecrationem appellari Euchariſtiam *antitypum* à Patribus, cuius contrarium ex ipſis Patribus oſtendimus: neuter tamen putauit, conſecrationem fieri precibus illis, ſed potius ante preces eſſe conſecrata, & appellari *antitypa* de præterito pro tempore præcedente conſecrationem: cui explicationi fundamentum dedit vis verbi, quo vſus fuerat Baſilius, vt vidimus.

28. *Secundo obijcitur.* Cyrillus. Secundò obijci ſolet Cyrillus Hieroſolymit. qui *Cath.* 5. myſtagogica in eo ſenſu videtur intelligere preces illas ſubſequentes, vt per illas oblata conſecrentur, ſic enim ait: *Atque ſic per eiuſmodi hymnos nos ipſos ſanctificantes Deum benigniſſimum oramus, vt ſuper illa propoſita ſanctum Spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Chriſti vinum verò ſanguinem Chriſti. Omnino enim, quod attigerit Spiritus ſanctus hoc ſanctificatum eſt, & tranſmutatum.* In quibus verbis videtur omnino explicare illas preces, quæ dicuntur poſt verba Chriſti; quarum ſenſum velle videtur eum eſſe, vt Spiritus ſanctus deſcendens tranſmutet panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti.

29. Arcudius. Petrus Arcudius loco ſupra citato, *cap.* 33. circa finem ingenue fatetur, Cyrillum in ea tunc fuiſſe opinione, quod precibus illis Euchariſtia conſecraretur, nimirum nondum orta quæſtione de hoc puncto, verborum ſpecie deceptum, cum iuuenis adhuc eſſet, quando Catecheſes illas ſcripſit, teſte Hieronymo, non mirum quod in eo lapſus fuerit. Confirmat hoc ipſum ex aliis eiuſdem Cyrilli locis, qui Catecheſi prima myſtagogica: *Panis* (inquit) *& vinum Euchariſtiæ ante ſacram inuocationem adorandæ Trinitatis panis erat, & vinum merum; peracta verò inuocatione panis quidem fit corpus Chriſti, vinũ autem ſanguis Chriſti.* Et Catecheſi 3. dicit, panem poſt inuocationem Spiritus ſancti non eſſe amplius panem communem, ſed corpus Chriſti.

30. *Explicatur Cyrillus.* Ego tamen non facile concedam aduerſariis Cyrillum; nec video quid eogat ad fatendum, eum ibi loqui de precibus, quæ poſt Chriſti verba proferuntur. Nam ipſe Arcudius fatetur, Cyrillum non explicare in illo loco Liturgiam Baſilij, ſed potius illam aliam Iacobi, cuius ordinem videtur ſeruare, & cum Hieroſolymitanorum antiſtes eſſet, ea videtur vſus fuiſſe. Sed re vera nec Iacobi Liturgiam mihi videtur explicare: nam vt alia omittam, in illa, quam Cyrillus explicat, dicit Sacerdos; *Surſum corda*; reſpondet populus. *Habemus ad Dominum.* Deinde Sacerdos; *Gratias agamus Domino*; reſpondet populus, *Dignum & iuſtum eſt.* In Miſſa verò Iacobi non ita habetur, ſed Sacerdos dicit, *Attollimus mentem, & corda*; ad quod non reſpondet populus, *Habemus ad Dominum*; ſed *Dignum, & iuſtum eſt.* Præterea in illa, quam Cyrillus explicat, tempore Communionis cantabatur, *Guſtate, & videte, quod Chriſtus eſt Dominus.* In Miſſa verò Iacobi paulo aliter, *Guſtate, & videte, quod benignus eſt Dominus.* Credibilius ergo eſt, aliam fuiſſe Liturgiam, quam Cyrillus explicuit, in qua quis ſcit, an preces illæ dicerentur proximè ante verba conſecrationis; prout Eccleſia Latina ſimilem ferè inuocationem tunc adhibet illis verbis: *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quæſumus bened ictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Certè in Liturgia Marci immediatè etiam ante verba conſecrationis fit humilis deprecatio, & inuocatio Spiritus ſancti his verbis; *Fac ô Deus, vt plenum quoque ſit hoc ſacrificium benedictione tua per aduentum ſanctiſſimi Spiritus tui. Quia ipſe Dominus, & Deus, & ſummus Rex noſter Ieſus Chriſtus, nocte qua tradebat ſeipſum pro peccatis noſtris, & mortem pro omnibus ſubibat carne, recumbens cum ſanctis ſuis Diſcipulis, & Apoſtolis accepit panem in ſanctas, & immaculatas, & inculpatas manus ſuas*, &c. Et in ipſa etiam Iacobi Liturgia ante conſecrationem inuocatur Spiritus ſanctus, vt deſcendat ſuper munera illis verbis; *Viciſſim mitte nobis gratiam Spiritus tui ſanctiſſimi, ô Deus; reſpice in nos, & ad noſtrum hoc rationale obſequium intuere*, &c. Et paulo poſt: *Fac vt oblatio noſtra grata, & acceptabilis ſit per Spiritum ſanctum ſanctificata, in propitiationem peccatorum noſtrorum*, &c. Potuit ergo fieri, vt in illa etiam Miſſa, qua Cyrillus vtebatur, fieret ſimilis deprecatio paulo antè verba conſecrationis. Quo autem ſenſu Cyrillus dicat, inuocatione conſecrari Euchariſtiam, conſtat ex modo communi loquendi Patrum, qui formas omnes Sacramentorum appellare ſolent preces, & inuocationem Diuini numinis, eo quod implicitam ex Chriſti inſtitutione habeant eiuſmodi inuocationem.

38. Dionyſius. *Obijcitur Dionyſius.* Obijcitur etiam Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. *cap.* 3. vbi videtur ponere conſecrationem poſt prolata verbi Chriſti. Sic enim ait: *Inde diuinus Pontifex coram altari ſtans laudat ſancta Diuinaque Ieſu diuiniſſima noſtri prouidentia, quæ diximus, opera; quæ pro ſalute generis noſtri beneplacito ſanctiſſimi Patris in Spiritu ſancto, vt loquuntur Diuina ſcripta perfecit. Poſtquam autem laudauit, & venerandam intellectualemque ſpeculationem coram mentis oculis perſpexit, ad ſymbolicam rerum conſecrationem venit idque ſecundum traditionem Diuinam. Vnde religioſè ſimul, & vt Pontificem decet, poſt ſacras Diuinorum operum laudes, de conſecratione eorum, quæ ipſius dignitatem ſuperat, ſe purgat, dum primo deuote ad eum clamat: Tu dixiſti*, hoc facite in meã cõmemorationem. *Deinde cum rogauit, vt dignus fiat hac conſecratione, & ad ſimilitudinem Chriſti hæc diuina perficiat, caſtique diſtribuat, & ij qui Sacramenta participaturi ſunt, ea quæ ſumant, conſecrat diuiniſſima, & manifeſtat laudata per ſymbola ſancta propoſita.* Ex quibus verbis colligi videtur Dionyſium exiſtimaſſe, quod conſecratio fiat poſt verba illa: *Hoc facite in meam commemorationem*; quæ tamen proferuntur poſt verba Saluatoris, vt conſtat ex Canone Miſſæ.

Reſpondetur, verba illa, *hoc facite in meam commemorationem*, in Liturgia, qua Dionyſius vtebatur, dici ſolita ante verba conſecrationis, & aliqui volunt, dicta fuiſſe à Sacerdote bis; primo, ad excuſandum ſe, quod auderet tantum munus exſequi, quia nimirum Dominus id iuſſit: ſecundo, poſtea cum verbis conſecrationis, vt nunc dicuntur. Quando ergo dicit Dionyſius, conſecrari Euchariſtiam poſt illa verba: *Hoc facite*, &c. loquitur de prima prolatione illorum verborum, & excuſatione Sacerdotis, poſt quam fiebat conſecratio. Quod conſtat primo, quia Dionyſius dicit, Sacerdotem conſecrationem peragere ſecundum Diuinam traditionem; traditio autem Chriſti, vt conſtat ex Euangelio, & ex Paulo, non fuit de precibus, ſed de verbis illis; *Hoc eſt corpus meum; hic eſt ſanguis*, &c. ergo ſentit Dionyſius, fieri illis verbis. 33. *Reſpõdetur.* *Conſtat ex ſenſu primo*

Secundo, quia verba illa; *Hoc facite*, &c. nunc nõ dicuntur per modum excuſationis, ſed narratiuè; ergo Dionyſius non agit de verbis illis eo loco, & modo, quo nunc dicuntur, ſed de iis dictis ante conſecrationem ad excuſationem, quod fiebat, dicendo; *Tu dixiſti: hoc facite*, &c. quo pacto non dicuntur nunc, cũ verbis conſecrationis, ſed in ſenſu diuerſo. 34. *Secundo.*

Tertio. Tertio, quia nuſquam in Liturgiis reperitur de facto inter illa verba; *hoc facite*, &c. & preces, quibus Græci dicunt fieri conſecrationem, oratio aliqua, qua Sacerdos petit, vt ipſe ad conſecrandum, & alij ad communicandum dignè accedant, qualis ponitur à Dionyſio in eo loco; ergo non loquitur de verbis: *hoc facite*, &c. prout cum aliis Chriſti verbis de facto dicuntur, ſed prout dicebantur ante conſecrationem ad excuſationem, vt explicuimus; ac proinde ex illis Dionyſij verbis nihil ſolidum contra nos colligi poteſt.

35. *Confirmatur hic ſenſus.* Denique hunc eſſe Dionyſij ſenſum colligitur ex vltimis eius verbis: *conſecrat diuiniſſima, & manifeſtat laudata*; quæ duo conſecrare ſcilicet, & manifeſtare, pro eodem vſurpat S. Maximus ſapientiſſimus Dionyſij expoſitor, qui illam manifeſtationem dicit fieri per verba illa prolata à Sacerdote: *hoc eſt corpus meum; hic eſt ſanguis meus*, &c. quibus verbis declarantur ſymbola propoſita, *in aſpectum profert, hoc eſt*, (inquit Maximus) *declarat quæ laudantur; exempli gratia, hoc & hoc Chriſti eſſe, & hoc & hoc Chriſti. Inſuper autem oſtendit & Diuina munera, quæ hæc ſequuntur: quod nimirum in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam. & quæcumque talia myſtica.* Quæ omnia certum eſt, eſſe verba illa Chriſti, quibus conſecratio fit; ergo iuxta Dionyſium ea Chriſti verba dicebantur poſt illam præcedentem excuſationem, & per illa fiebat Euchariſtiæ conſecratio.

36. *Baſilius. Obiicitur Baſilius.* Obiicitur denique Baſilius in iis, quæ tradit de Spiritu ſancto, *cap.* 27. vbi videtur condiſtinguere verba Chriſti, quæ ex Euangelio habentur à precibus, quibus conſecratio fit. *Inuocationis* (inquit) *verba in oſtenſione panis Euchariſtiæ, & poculi benedictionis, quis Sanctorum nobis ſcripto reliquit? Non enim his contenti ſumus, quorum Apoſtolus, aut Euangelium mentionem fecit, ſed & ante, & poſt alia dicimus, velut magnum robur ad myſterium habentia, quæ ex doctrina ſcripto non prodita nos accepimus* Hic videtur Baſilius ad conſecrationem exigere alia verba præter illa Chriſti, quæ ex Euangelio habentur.

37. *Reſpõdetur.* Reſpondetur Baſilium ibi non loqui de ſolis illis precibus, de quibus eſt præſens controuerſia, ſed de toto Canone Miſſæ, qui non ex Euangelio, ſed ex traditione Apoſtolica habetur. Loquitur enim de iis, quæ *ante*, & *poſt* Chriſti verba dicuntur: Græci autem non volunt ea, quæ præcedunt, deſeruire ad conſecrationem Nec Baſilius id dicit, ſed omnia illa verba, quæ ex traditione ante, & poſt adiiciuntur, *magnum robur habere*, ſcilicet ad impetrandum, & præparandas mentes noſtras ad decorem, & grauitatem Sacrificij, & actionis illius grauiſſimæ: ſicut & prologus, & epilogus habent in oratione magnum pondus; ideo enim Baſilius appellat illa verba, quæ præcedunt & ſequuntur *prolegomena*, & *epilegomena*: vnde potius videtur obiter totam ſubſtantiam agnoſcere in verbis intermediis, quæ ex Euangelio habemus. Et hæc ſufficiant de hac controuerſia.

SECTIO III.

Quæ verba ſint eſſentialiter neceſſaria ad conſecrationem corporis Chriſti.

38. *Prima ſententia. Scotus. Angelus.* PRima ſententia eſt Scoti *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 2 §. *de ſecundo dico*: quem ſequutus eſt Angelus verbo *Euchariſtia, num.* 24 quæ docet, verba illa antecedentia Canonis. *Qui pridie quam pateretur*, &c. licèt non ſint pars formæ, eſſe tamen neceſſario requiſita ad valorem formæ, quia illis non præmiſſis, non ſignificaretur ſufficienter per verba ſubſequentia id, quod intenditur: nam illud pronomen, *Meum*, in forma, v. g. conſecrationis hoſtiæ non referretur ad corpus Chriſti, ſed ad corpus ipſius Sacerdotis loquentis; ergo vt conſtet, ſermonem eſſe de corpore Chriſti, neceſſe eſt, quod per verba præcedentia id manifeſtetur. Et quidem hoc fundamentum non ſolum probat de illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*, &c. ſed etiam de antecedentibus illis *Domini noſtri Ieſu Chriſti*; ſine quibus nec etiam verba ſequentia manifeſtarent, ſermonem eſſe de corpore Chriſti. Non tamen probat de omnibus, & ſingulis verbis contentis in illa clauſula, v. g. illis *gratias agens fregit*, &c. ſine illis enim maneret ſenſus integer, & conſtaret ſermonem eſſe de corpore Chriſti.

Hæc ſententia ab omnibus reiicitur, quam aliqui impugnant exemplo aliorum ſacramentorum, in quibus miniſter non permittit neceſſariò aliqua verba, quibus oſtendat, ſe loqui vt miniſtrum Dei; non enim dicit: *Ego loquens vt miniſter Dei te abſoluo*, &c. ergo poteſt etiam in hoc etiam in hoc ſacramento loqui in perſona Chriſti, licèt non explicet in actu ſignato per verba præcedentia. Ita arguit Suarez in præſenti *diſp.* 59. *ſect.* 1. in principio. Sed argumentum non eſt efficax; nam in aliis ſacramentis, licèt miniſter loquatur vt miniſter Chriſti, & Dei, voces tamen, quibus loquitur, ſignificant immediate miniſtrum, v. g. in forma abſolutionis illud, *Ego*, non refertur ad Deum, vel Chriſtum, ſed ad ipſum miniſtrum; quare eodem modo poſſet dicere: *Ego Ioannes te abſoluo*; quia re vera ipſe eſt, qui abſoluit, licet auctoritate accepta à Deo, quod idem eſt in Baptiſmo, Confirmatione, & ſimilibus. At verò in conſecratione Euchariſtiæ verba non referuntur vllo modo ad perſonam Sacerdotis loquentis, ſed ad Chriſtum; quare in hoc ſacramento videtur eſſe peculiaris neceſſitas explicandi hoc, eo quod verba illa, *Ego Meum*, niſi aliud expliceor, ſemper ex ſe viderentur referri ad perſonam ipſam loquentem. 39. *Reiicitur ab omnibus.*

Primo ergo reiicitur ſententia illa ex modo loquendi Conciliorum, & Patrum, qui ſæpè dicunt, hoc ſacramentum confici verbis Chriſti, & non aliis: illa autem verba, *Qui pridie quam pateretur*, &c. non ſunt verba Chriſti, ſed Euangeliſtæ, vt conſtat; ergo non fit conſecratio illis, ſed ſolis verbis ſequentibus; & per conſequens illa non ſunt neceſſaria non enim poſſunt neceſſario requiri niſi ad operandam conſecrationem. Maior conſtat ex locis Patrum, quæ congerit Suarez *diſp.* 58. *ſect.* 3. Et quidem Ambroſius *lib.* 4. de ſacramentis *cap* 4. relatus in cap. *Panis eſt in altari*. de conſecrat. *diſt.* 2. quem pro ſe afferebat Scotus, clarius eſt contra ipſum, vt benè retorquet Vaſquez in præſenti *diſput* 198. *num.* 5. Ambroſius enim ibi, poſtquam dixit conſecrationem fieri verbis Chriſti, id probat: *nam reliqua*, inquit, *quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris; vbi venitur, vt conficiatur venerabile ſacramentum, iam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti: Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum.* Et ſtatim *cap* 5. explicat ſingillatim quæ ſint verba Sacerdotis, & quæ Chriſti; & relatis omnibus, incipiendo ab illis, *Fac nobis hanc oblationem*, vſque ad verba conſecrationis incluſiuè, poſtea ſubiungit: *Omnia illa verba Euchariſtiæ ſunt vſque ad*. Accipite, *ſiue corpus, ſiue ſanguinem; inde verba ſunt Chriſti, Accipite, & bibite ex hoc omnes*, &c. eodem modo loquitur Auguſt. ſiue Paſchaſius relatus in cap *Virum ſub figura*. de conſecrat. *diſt.* 2. *Credendum eſt*, inquit, *quod verbis Chriſti ſacramenta conficiantur; cuius enim potentia creantur prius, eius vtique verbo ad melius procreantur.* 40. *Primo ex modo loquendi Conciliorum.* *Suarez. Ambroſ.* *Auguſt.*

procreantur. Reliqua omnia, quæ Sacerdos dicit, aut Cleri chorus cantat, nihil aliud, quam laudes, & gratiarum actiones ſunt, aut certa obſecrationes & fidelium petitiones. Vnde Sacerdos dicit prius Euangeliſtarum verba aſſumens: Qui pridie quam pateretur, &c. porro deinceps ſunt verba, Dei poteſtate, & omni efficientia plena: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, Quo etiam modo loquuntur alij Patres. Tota ergo efficientia, & neceſſitas reducitur ad ſola verba Chriſti, & non ad præcedentia.

41. *Concil. Flor. Impugnatur ſecundo ſimili argumento.* Secundo, impugnant ſimili argumento ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, & aliis Patribus dicentibus, formam huius ſacramenti eſſe verba illa Chriſti: *hoc eſt corpus meũ, hic eſt ſanguis meus, &c.* ex hoc enim colligitur, hæc ſola verba ſufficere abſque aliis præcedentibus, nam ſi illa alia requirerentur, pertinerent vtique ad formam; non enim eſſent materia, vt conſtat, & alioquin concurrerent vt aliquid ſignificans vel conſignificans clarius præſentiam corporis Chriſti; ſicut ergo verba ſequentia ſunt forma, quia ſignificant clare corpus Chriſti, ſic verba præcedentia eſſent pars formæ, quia partialiter concurrunt ad illam ſignificationem, cum ſine illis verba ſequentia non ſignificarent ſufficienter præſentiam Chriſti in hac ſententia; ergo forma non ſunt illa ſola verba: *hoc eſt corpus, meum.*

42. *Confirmatur primo.* Confirmatur, & explicatur primo, quia verba illa, quæ deſeruiunt ad explicandum ſignificatum formæ, etiam quando non ſunt neceſſario requiſita, pertinent tamen ad formam, ſi dicantur, & ſunt pars formæ. Similiter, ſi dicerem: *ego Ioannes te abſoluo;* illud *Ioannes*, non eſſet vtique neceſſarium, ſed de facto pertineret ad formam, & integraret illam, quia clarius explicat ſignificatum verbi Abſoluo: ergo cum illa verba: *Qui pridie quam pateretur*, &c. clarius explicent ſignificatum illius pronominis *Meum*, & propter hoc neceſſario requirantur, fatendum erit, illa requiri, vt partes formæ.

43. *Confirmatur ſecundo.* Confirmatur ſecundo ex ſacramento Matrimonij, in quo ſi per procuratorem celebratur, poteſt procurator contrahere his verbis: *Ego N. vt procurator Domini N. accipio te in coniugem ipſius.* In quibus verbis continetur forma illius ſacramenti; & quidem illa etiam verba, *vt procurator Domini N.* erunt proculdubio pars illius formæ, quia licet in rigore non eſſent neceſſaria, ſed ſufficeret re vera eſſe procuratorem ad valorem actus: quando tamen proferuntur, concurrunt ad declarandum magis actum, & obligationem, & cuius nomine loquatur: ſed in ſententia Scoti verba illa præcedentia requiruntur neceſſario ad declarandum, cuius nomine Sacerdos loquatur; ergo illa etiam verba pertinebunt ad formam tamquam pars illius, & quidem tamquam pars omnino neceſſaria in illa ſententia.

44. *Inſtantia.* Dices, has inſtantias poſſe retorqueri etiam contra nos; quia licet illa verba præcedentia non requirantur neceſſario ad conſecrationem; de facto tamen dicuntur; & negari non poteſt, quin concurrant ad reddendum clariorem ſenſum verborum ſequentium, quam ſi non præceſſiſſent; ergo de facto erunt pars formæ, ſicut in exemplis adductis verba illa, quæ clariorem reddunt ſenſum abſolutionis, vel contractus matrimonij, licet non ſint neceſſario requiſita ad valorem; de facto tamen ſunt pars formæ in vtroque Sacramento.

45. *Diluitur.* Reſpondeo negando conſequentiam, quia illa ſolum verba poſſunt conſtituere formam ſacramenti, quæ à Chriſto inſtituta ſunt: in noſtra autem ſententia ea ſolum verba inſtituta ſunt à Chriſto pro forma Euchariſtiæ, quæ dicuntur à Sacerdote in perſona eiuſdem Chriſti iuxta ritum ab eo præſcriptum, & vſurpatum: verba vero præcedentia non dicuntur in perſona Chriſti, vt conſtat, ſed hiſtoricè: illa ergo licet deſeruiant extrinſecè, vt percipiatur facilius ſenſus verborum ſequentium; non tamen component intrinſece formam: ſicut ſi Sacerdos ante abſolutionem dicat pœnitenti: *Attende, nunc authoritate Chriſti abſoluam te*; hæc quidem verba conducunt ad melius percipiendum ſenſum verborum ſequentium, ſolum tamen extrinſece, neque component intrinſece formam ipſam, quia Chriſtus non inſtituit pro forma illius ſacramenti quæcumque verba, quæ clariorem reddunt ſignificationem abſolutionis, ſed illa ſolum, quibus in actu exercito impeditur abſolutio. Sic in Euchariſtiæ ſacramento ſolum inſtituit pro forma verba, quibus in perſona Chriſti affirmatur, & ſignificatur illud eſſe ſuum corpus, non alia, quæ extrinſece poſſunt deſeruire ad clariorem ſenſum verborum Chriſti. At vero in ſententia Scoti non poteſt ita reſponderi; quia ſi Chriſtus inſtituit pro forma verba ſignificantia præſentiam ſui corporis, & hanc non ſignificant complete, & ſufficienter verba illa: *hoc eſt corpus meum*, niſi præcedant illa alia, ergo illa alia præcedentia inſtituta ſunt à Chriſto vt aliquid formæ, ſcilicet vt aliquid conſtituens intrinſece formam in ratione ſignificantis complete, & ſufficienter: omnia enim verba, quæ complent formam in ratione ſignificantis, ita vt ſine illis forma nondum completè ſignificet, debent eſſe aliquid intrinſecum formæ in ratione formæ.

Ex dictis conſtat iam facile ad fundamentum Scoti: negamus enim, requiri neceſſario verba præcedentia, vt verba ſequentia ſimpliciter, & abſolute ſignificent & proferantur nomine, & in perſona Chriſti. 46. *Illatio.* Et in primis ſicut in tragœdia ille, qui repræſentat Regem, non eſt opus, quod prius dicat: *ego loquar in perſona Regis*, vel *Rex ita dixit*, ſed abſolute loquitur in actu exercito verba Regis, & ab omnibus percipiatur, quod illa non in perſona ſua dicat, ſed Regis: ſic facilius Sacerdos in Miſſa indutus veſtibus ſacris, & apparatu ad ſacrificium propoſito, loquens verba Chriſti, perciperetur, ab omnibus, non proferre illa verba in perſona ſua ſed Chriſti; nec loqui de corpore ſuo, ſed Chriſti; etiamſi verba illa præcedẽtia non permitteret. Sic Vice-rex, aut Concilium Regium loquuntur in perſona Regis abſque alio proloquio; & dicũt, vel ſcribũt: *Nos N. Rex, &c.* ab omnibuſque intelliguntur, quo ſenſu loquantur. Sic etiam Angelus loquens olim in perſona Dei, abſque alia præmonitione dicebat. *Ego ſum Deus Abraham*, &c. Vnde in rigore loquendo, etiamſi Sacerdos veſtes ſacras non haberet, nec eſſet in altari, poſſet tamen valide per illa ſola verba conſecrare, quia licet fortaſſe in illis circumſtantiis non facile ab aliis perciperetur eorum ſenſus: hoc tamen eſt per accidens, & commune omnibus verbis æquiuocis, qualia ſunt illa, cũ in ore Sacerdotis poſſint habere vtrumque ſenſum propter facultatem quam habet loquendi in perſona Chriſti: & ſicut Sacerdos dicendo, *Ego tibi dimitto*, abſolueret valide à peccatis, licet fortaſſe alij in illis circumſtantiis putarent ipſum loqui de remiſſione alterius debiti, vel iniuriæ priuatæ; quia nimirum verba illa in ore Sacerdotis æquiuoca ſunt. Sic de illis verbis, *hoc eſt Corpus meum*, dicendum eſt, eſſe æquiuoca, & determinari ſufficienter per intentionẽ loquentis ad talem ſignificationẽ, licet per accidens ab aliis non intelligatur.

Adde, ſi ea verba præcedentia requiruntur, vt Sacerdos intelligatur verbis ſequentibus loqui nomine, & in perſona Chriſti, requirerentur etiam alia verba; nam illis, quæ de facto præcedunt, explicatur 47.

quidem Sacerdotem poſtea loqui de corpore Chriſti, non de ſuo; nullo tamen modo explicatur, quod Sacerdos verbis ſequentibus loquatur nomine Chriſti, & in perſona Chriſti, & non ſua; poſſet enim Sacerdos recitare totam illam hiſtoriam eiſdem verbis, quomodo Chriſtus acceperit panem, &c. & dixerit: *hoc eſt corpus meum*; quod quidem eiſdem verbis narraret, ſicut de facto legens Epiſtolam S. Pauli eadem verba vſurpat nullo modo loquens in perſona Chriſti; non conducunt ergo illa verba præcedentia, vt Sacerdos intelligatur loqui poſtea non in ſua perſona, ſed Chriſti? imo, vt bene aduertit P. Coninch in præſenti illa verba præcedentia potius impedeunt, quam iuuant ad hoc: videntur enim indicare, Sacerdotem recitatiue proferre totam illam hiſtoriam, quam in verbis præcedentibus in perſona ſua incepit recitare, & narrare, de quo dicimus poſtea *ſect.* 5. tantum abeſt, vt verba præcedentia iuuent ad percipiendum, quod Sacerdos loquitur in perſona Chriſti, & non ſua.

48\. *Maior difficultas in aliis verbis.* Maior poſſet eſſe difficultas de verbis illis: *Accipite, & manducate*, quæ ſunt verba ipſius Chriſti; atque ideo videntur dici à Sacerdote in perſona Chriſti, prout ſignificant Patres ſupra adducti, & alij, qui cætera omnia verba præcedentia vſque ad *Accipite*, &c. dicunt eſſe verba Euangeliſtarum, illa vero eſſe iam verba Chriſti, quibus conficitur Sacramentum. Cæterum quidquid ſit, an verba illa dicantur in perſona Chriſti, an ſolum recitatiue, de quo dicemus dicta *ſect.* 5. certum tamen eſt, verba illa nullo modo eſſe neceſſaria eſſentialiter ad valorem conſecrationis; primo, quia non habentur apud omnes Euangeliſtas: Nam Lucas ſolum dixit: *accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum.* Non eſt autem credibile, Euangeliſtam in re tanti momenti omiſiſſe verba aliqua eſſentialiter ad valorem formæ conſecrationis. Secundo, quia verba illa non ſignificant aliquid eſſentiale huic ſacramento, ſed continent ſolum præceptum Apoſtolis impoſitum circa ſumptionem illius; & ſine illis verbis manet integer ſenſus propoſitionis, quæ cum proferatur in perſona Chriſti, debet aſſequi veritatem ſui; non eſt ergo dubitandum de valore conſecrationis, omiſſis illis verbis. Illi autem Patres dicentes, ab illo, *Accipite* incipere verba Chriſti, quibus conficitur hoc ſacramentum, non ſignificant ſingulis verbis ex illis fieri (certum enim eſt, quod illud *enim* non ſit neceſſarium) ſed ſignificant illis fieri; quia quoad partem ſaltem ſunt actiua: ſicut poteſt etiam dici, Sacerdotem in Miſſa offerre ſacrificium, licet non ſingulæ, & omnes orationes, aut verba, quæ in Miſſa recitantur, concurrant ad oblationem ſacrificij; ſufficit enim, quod per aliquid in Miſſa contentum offeratur ſacrificium.

49\. Addo vlterius non ſolum non eſſe neceſſaria illa verba, ſed etiam quando de facto ponuntur, non concurrere ad valorem, & effectum conſecrationis. Poſſunt enim eſſe aliqua verba, quæ licet non ſint neceſſaria, poſita tamen de facto concurrant, quale, eſt illud *Ego*, in forma abſolutionis, quod de facto, quando ponitur, concurrit cum aliis verbis: illa autem, *accipite, & comedite*, non ita ſe habent, quia nullo modo concurrunt ad ſignificandum, & affirmandum illud eſſe corpus Chriſti, ſed ſeorſim habent ſuam ſignificationem diuerſam; atque ideo nec partialiter concurrunt ad effectum conſecrationis.

50\. *Arguitur contra hæc difficilius.* Contra hæc tamen poteſt argui difficilius ex illa particula *enim*; videtur enim doctrina ſupraposita eſſe vera, ſi verba illa, *hoc eſt Corpus meum* proferentur abſque connexione cum præcedentibus, prout referuntur ab Euangeliſtis, & ab Apoſtolo Paulo, *accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum*: apud ipſos enim non habetur illud *enim* in conſecratione corporis, ſed ſolum apud Matthæum in conſecratione ſanguinis. De facto tamen, addita illa particula *enim* videntur per illam coniungi verba ſequentia cum præcedentibus; ita vt ſenſus, & veritas totius propoſitionis pendeat ab vtriſque verbis: redditur enim propoſitio cauſalis, dum dicitur; *comedite, quia hoc eſt Corpus meum*; veritas autem, & ſenſus propoſitionis cauſalis non pendet ſolum à ſingulis partibus ſeorſim, ſed etiam potiſſimum à connexione vnius cum alia; vt cum dicis, *quia ſol lucet, dies eſt*, non ſufficit ad veritatem propoſitionis, quod ſol luceat, & dies ſit, niſi ſit etiam connexio inter illa duo, quæ connexio ſignificatur per illud *quia*. Cum ergo verba conſecrationis, prout de facto proferuntur, reddant ſenſum cauſalem, veritas eorum pendet à connexione vnius partis cum alia; ergo de facto verba illa præcedentia attenduntur etiam ad veritatem propoſitionis ſequentis, & per conſequens verba præcedentia de facto concurrunt ad conſecrationem, quia non operantur verba ſequentia, niſi quatenus ſunt vera, vel quatenus poſſunt eſſe vera, vt poſtea videbimus: ſed non ſunt vera, niſi ſit vera connexio vnius partis cum alia; ergo omnia illa verba concurrunt de facto ad efficaciam conſecrationis.

Confirmatur, quia ſi Sacerdos, non prolatis verbis præcedentibus, diceret *hoc eſt enim Corpus meum*, propoſitio illa videtur ſimpliciter falſa, & inepta, vt ſi ex abrupto, nullo præcedenti verbo, dicas: *quoniam ego petij librum*; illa verba vel nullum faciunt ſenſum perfectum, atque ideo non erunt propoſitio perfecta, ſed oratio imperfecta, vel certe reddunt ſenſum falſum, quia ſignificant, illam eſſe rationem dicti præcedentis, cum tamen nullum dictum præceſſerit. Cum ergo, verba conſecrationis efficacia ſint, quatenus ſunt propoſitio, & reddunt ſenſum perfectum, conſequens eſt, vt de facto includat verba illa præcedentia, ſine quibus verba ſequentia non reddunt ſenſum perfectum, nec habent veritatem: alioquin conſecratio fiet, non per propoſitionem, ſed per orationem imperfectam, atque adeo non fiet per affirmationem veram; omnis enim vera affirmatio debet eſſe propoſitio perfecta, vt conſtat ex definitione propoſitionis, quæ eſt oratio, in qua aliquid affirmatur, vel negatur de aliquo. 51. *Confirmatur*

Ad hanc difficultatem dupliciter reſponderi poteſt; primo, verba ſacramentalia, quæ inuoluunt multiplicem veritatem, ſi non poſſunt verificari quoad omnes, & poſſunt quoad partem, debere ſaltem, quoad illam partem verificari, vt ſint vera quantum fieri poteſt. Sic Sacerdos habens tres hoſtias coram ſe, duas hordeaceas, & vnam triticeam, & volens omnes conſecrare, ac de omnibus dicens: *hoc eſt Corpus meum*, non dicit verum de omnibus, nec conſecrat omnes, ſed vnam ſolam, quæ eſt capax conſecrationis: quia quamvis vnica propoſitio de omnibus affirmet, ſignificatio tamen eſt virtualiter multiplex, & verba quæ non poſſunt verificare ſe, quoad totam ſignificationem, debent ſaltem verificari quoad partem, ad quam poſſunt. Similiter ſi duo ſimul eadem forma baptizarentur, vel confirmarentur illis verbis: *Ego vos baptizo; Ego vos ſigno, & confirmo*, &c. quorum aliquis non eſſet capax, eo quod iam fuiſſet baptizatus, vel confirmatus, verba quidem non poſſent eſſe adæquatè vera; quia tamen poſſent ſaltem ex parte verificari, debèrent ponere illum partialem effectum, vt verificarentur, quantum 52. *Ad difficultatem dupliciter reſpondetur primo.*

poſſunt;

poſſent; itaque quoties verba ſacramentalia poſſunt reſolui per plures propoſitiones ſeparatas, in quarum aliqua poſſit verificari effectus ſacramenti, non videtur obſtare, licet non poſſint verificari quoad totum ſignificatum. Talis eſt illa propoſitio dicta de pluribus hoſtiis: *hoc eſt Corpus meum*: poteſt enim reſolui per plures: *hoc, & hoc, & hoc eſt Corpus meum*: atque ideo vna pars poterit eſſe vera, manentibus aliis falſis. Sic etiam illa: *Ego vos baptizo*, reſolui poteſt per has: *Ego te baptizo, & te baptizo*, &c. quarum vna poteſt eſſe vera cum altera ſit falſa. Similiter ergo illa propoſitio: *hoc eſt enim Corpus meũ*, videtur continere virtualiter duplicem veritatem, & poſſe reſolui hoc modo, *hoc eſt Corpus meum, & hæc eſt ratio dicti præcedentis, cur ex eo comedere debeatis.* Poteſt autem eſſe vera, quoad primam partem, licet ſit falſa, quoad ſecundam, eo quod non præceſſerit aliquod dictum, cuius illa ſit ratio: debet ergo verificari, quoad illam partem in qua ſaluatur effectus ſacramentalis, & in qua poteſt eſſe vera, licet altera pars ſit falſa. Sic ſolent in ſummulis aſſignari aliquæ propoſitiones, quæ appellantur *exponibiles*, eo quod exponuntur per duas propoſitiones, quas continent, & quibus æquiualent; qualis eſt illa: *Tantum Petrus currit*; quæ exponitur per has duas, quas continet: *Petrus currit; & nullus alius præter ipſum currit.* Idem ergo erit dicere illam primam propoſitionem, ac has duas, & per conſequens, ſicut qui dicit has duas, poſſet dicere verum in prima parte, licet dicat falſum in ſecunda: ſic qui diceret illam primam, poſſet dicere partim verum, & partim falſum. Similis eſt illa propoſitio *hoc eſt enim corpus meum*; videtur enim eſſe exponibilis per illas duas: *hoc eſt corpus meum & hæc eſt ratio præcedentis dicti.* Certum autem eſt, quod ſi Sacerdos proferret has duas propoſitiones, conſecraret valide per primam partem, licet non præmiſiſſet illa verba, *accipite & manducate*, & ideo ſecunda pars eſſet falſa, ergo conſecrabit etiam valide per illam propoſitionem: *hoc eſt enim corpus meum*, licet non præcedant illa verba, cum hæc æquiualeat quoad ſenſum, & quoad veritatem illis duabus per quas poteſt exponi, atque ideo perinde ſit dicere hanc, ac dicere illas duas, quibus æquiualet.

53. *Ad hanc obiectionem reſponderi poteſt.* Iuxta hæc ad obiectionem propoſitam reſponderi poteſt, quando propoſitio cauſalis continet duas propoſitiones ſimplices, quibus æquiualet, & in quas reſolui poteſt; tunc poſſe eſſe veram, quoad vnam partem, & falſam quoad aliam; vt ſi dicas: *dabo tibi librum, quia eum poſtulabis*, æquiualet his duabus; *ego dabo tibi librum, & petitio tua erit cauſa dandi illum*; ex quibus poſſet eſſe vera prima pars, & falſa ſecunda, me non petente, vel petitione mea non mouente te ad dandum librum. Vnde contradictoria illius propoſitionis erit disiunctiua, ſcilicet: *vel non dabo librum; vel non erit cauſa dandi petitio tua.* Sic ergo illa propoſitio: *hoc eſt enim corpus meum*, ſi cauſalis eſt, erit ex iis, quæ æquiualent duabus propoſitionibus ſimplicibus, atque ideo, licet ſit falſa in ratione cauſalis, ſeu hypotheticæ, poterit eſſe vera, quoad partem, & hoc ſufficit ad effectum conſecrationis, ad quem ſolum requiritur veritas ſimplex; quoad illam partem, qua affirmatur præſentia corporis Chriſti ſub iis accidentibus: veritas autem cauſalis per accidens ſe habet, nec influit, etiamſi de facto detur, atque ideo priora verba, quæ ſolum exiguntur ad veritatem hypotheticam, & cauſalem, non concurrunt ad effectum conſecrationis, etiamſi de facto proferantur.

54. *Ad confirmationem reſpondetur.* Ad confirmationem reſponderi poteſt eodem modo: ſi Sacerdos, non prolatis prioribus verbis, dicat ſolum illa: *Hoc eſt enim corpus meum*, propoſitionem quidem non futuram veram veritate hypothetica, & cauſali, habituram tamen veritatem ſimplicem vnius partis; & licet non generet ſenſum omnino perfectum, quia particula *enim* indicat hanc eſſe partem alterius propoſitionis hypotheticæ magis perfectæ, & completæ, generaret tamen ſenſum quoad illam partem perfectum, quod patet, quia ſi cum iuramento proferretur, eſſet capax periurij, vt ſi quis diceret: *ego enim (teſtis ſit mihi Deus) volo tibi dare librum*: ſicut ſufficienter manifeſtaretur illis verbis voluntas teſtatoris, qui diceret: *volo enim, quod ſeruus meus Stichus omnino maneat liber.* Vnde conſtat, illam partem ſecundum ſe eſſe ſufficientem ad affirmandum aliquid, licet non omnino perfecte, & complete, quia particulam *enim* denotat hanc partem eſſe vnitam cum alia, cum qua ſignificat, & format alium ſenſum magis completum. Sicut hæc pars aquæ propter vnionem cum alia fit aqua incompleta, retinet tamen ſecundum ſe entitatem ſuam, quæ de ſe eſſet aqua completa, ſi non vniretur cum alia; ſic illa affirmatio: *hoc eſt corpus meum*, licet per particulam *enim* vniatur cum alia parte, & ideo fiat pars, & propoſitio incompleta, retinet tamen ſemper in ſe ſenſum illum, quem ſecundum ſe ſola poſſet facere, & ratione cuius ſolius habet efficaciam ad effectum conſecrationis.

55. *Reſponderi poteſt ſecundo illam propoſitionem non eſſe cauſalem.* Deinde, quidquid ſit de hoc, reſponderi poteſt ſecundo, illam propoſitionem non eſſe cauſalem ſtricte, & in rigore, prout Summuliſtæ loquuntur de cauſalibus. Pro quo aduerte, propoſitionem cauſalem dupliciter poſſe proferri; prima quaſi indiuiſibiliter, ſimul & ſemel affirmando rem, & cauſam illius, vt cum dicis: *quia ſol lucet, dies eſt*, quæ eſt proprie hypothetica, & cauſalis; nam, vt dixi in Philoſophia, propoſitioni hypotheticæ, quæ proprie eſt hypothetica correſpondet in mente iudicium, quod ſit qualitas ſimplex terminata ad totum illud obiectum; & ad connexionem vnius cum alio. Poteſt tamen ſecundo proferri propoſitio cauſalis diuiſibiliter, ſcilicet prius aſſerendo aliquid, & poſtea aſſignando rationem, ad illud aſſertum comprobandum, vt cum dico: *expedit tibi abſtinere à nimio cibo*; & ſtatim adiungo rationem: *quia crapula, & intemperantia impediunt ſpeculationem rerum ſubtiliorum*: tunc enim ſingulæ partes ſeorſim habent ſuam ſignificationem, & ſuam veritatem, ſolumque coniunguntur continuatione ſermonis. Imo poteſt cõtingere, quod ſecunda propoſitio ſit vera in ſe, licet non bene probet primam, & licet prima ſit falſa; vt ſi dicas de Euchariſtia: *hic cibus eſt omnino relinquendus, quia continet verum corpus Chriſti*: prima propoſitio eſt omnino falſa, ſecunda vera, ſed quæ non probat primam. Hæ autẽ non ſunt proprie propoſitiones hypotheticæ neque cauſales, de quibus agunt Summuliſtæ; ſed poſſunt appellari argumenta, & rationes; quæ ſubiiciuntur ad probandum aſſumptum. Sicut ergo propoſitio prius aſſumpta habet ſuam ſignificationem completam, & ſuam veritatem, antequam ſubiiciatur eius probatio in propoſitione ſequenti: ſic propoſitio ſubſequens, quæ aſſumit ad probandam præcedentem, habet ſuam ſignificationem, & ſuam veritatem diſtinctã. Talis eſt ſenſus illorum verborum: *Accipite, & comedite; hoc eſt enim corpus meum*, Sunt enim duæ vel tres propoſitiones continuo ſermone prolatæ; ſicut ſi dicas: *hic cibus comedendus vobis eſt quod probatur, quia hoc eſt corpus meũ*: vbi ſunt tres propoſitiones cõtinentes diuerſam veritatem. Prima dicit, hunc cibum eſſe comedendũ ſecunda, hoc eſſe corpus Chriſti; tertia denique aſſerit, quod prima propoſitio probatur bene per ſecundã.

 vel

quod obiectum ſecundæ eſt ratio mouens ad comedendum illum cibum; hoc enim ſignificat illa particula *enim* interpoſita: atque adeo ſunt ibi tres veritates affirmatæ correſpondentes illis tribus propoſitionibus. Ad veritatem ergo conſecrationis non attenditur niſi ad ſecundam propoſitionem, & eius veritatem; aliæ autem duæ, licet de facto proferantur, & ſint etiam veræ, per accidens tamen ſe habent ad effectum conſecrationis.

56. *Confirmatur à ſimili.* Confirmatur à ſimili ex verbis, quibus Græci vtuntur in conſecratione: *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur*, ex quibus illa poſteriora, *quod pro vobis traditur*, non concurrunt ad effectum conſecrationis; quia licet connectantur cum præcedentibus per illud relatiuum *quod*, non tamen faciunt vnam indiuiſibilem propoſitionem, ſed duas diuerſas, quarum prima eſt independens à ſecunda: ſicut etiam in conſecratione calicis apud Latinos illa verba, *qui pro vobis effundetur*, &c. non faciunt vnam propoſitionem indiuiſibilem cum prioribus verbis, *hic eſt calix ſanguinis mei*; ſed propoſitiones diuerſas iuxta veriorem ſententiam, vt dicemus ſectione ſequenti: quod idem contingere poteſt, quando ſermo ſequens coniungitur cum præcedenti per coniunctionem, *&*. Si non plura dixiſti de Petro, poteris poſtea coniungere aliud per illam coniunctionem *&* dicendo: *& idem Petrus venit poſtea Romam*, &c. tunc autem ſicut veritas præcedentium non pendet à veritate huius, quod addis: ſic nec veritas huius pendet à veritate præcedentium; nam licet coniunctio *&*, poſſit facere propoſitionem hypotheticam copulatiuam propriam, non tamen ſemper habet illam vim, ſed apponitur ad continuandum ſermonem. Vnde ſicut poſt conſecrationem hoſtiæ dicimus: *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*, &c. poſſemus dicere, *& poſtquam cœnatum eſt*, &c. tunc autem illud *&* certum eſt quod non faceret dependentem vnam partem ab alia; iam enim ſupponerentur vera verba præcedentia, & vt vera habuiſſe ſuum effectum. Sic ergo dicendum eſt de illa particula *enim*, quæ non apponitur, ad faciendam vnam propoſitionem hypotheticam indiuiſibilem cũ præcedentibus, ſed ad continuandum ſermonem, adiungendo rationem præcedentium, & affirmando aliquod nouum quod ſit ratio præcedentium.

57. *Ad obiectionem propoſitum.* Vnde ad obiectionem propoſitam reſpondetur, quidquid ſit de cauſalibus illis, quæ ſunt propoſitiones hypotheticæ propriæ, & ſimplices, in aliis tamen cauſalibus compoſitis, quæ diuiſibiliter ſignificant, affirmando prius vnum, & poſtea aliud, non pendere veritatem poſterioris partis à veritate prioris, ſed eſſe independentem, atque adeo ratione ſui abſque concurſu verborum præcedentium poſſe cauſare effectum conſecrationis, ad quem ſolum attenditur ſenſus illius partis, quæ affirmat præſentiam corporis Chriſti.

58. *Ad confirmationem reſpondetur.* Ad confirmationem reſpondetur, etiam non prolatis verbis illis, *accipite & manducate*, futuram veram ſecundam propoſitionem: *hoc eſt enim corpus meum*; & habituram ſenſum quantum ſufficit ad cauſandum ſuum effectum. Sicut in exemplo poſito, ſi Sacerdos, non conſecrata hoſtia, per errorem vellit conſecrare calicem incipiens ab illis verbis: *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*, &c. conſecrabit procul dubio calicem, etiam in ſententia Scoti exigentis neceſſario illa verba præcedentia: *qui pridie quam pateretur*, &c. ad valorem conſecrationis; quia licet tunc illæ particulæ, *ſimili modo*, non haberent ſenſum verum, cum referrent ad alium modum prius relatum, & tunc nihil relatum fuiſſet: cætera tamen verba haberent ſuum ſenſum & ſuam ſignificationem, ratione cuius cauſarent ſuum effectum. Sicut ſi ſacerdos abſoluens, non præmiſſis illis verbis: *Auctoritate ipſius abſoluit ab omni vinculo excõmunicationis*, &c. inciperet immediate dicens: *Deinde eadem auctoritate abſoluo te à peccatis tuis*, &c. nemo dubitaret de valore illius abſolutionis, licet illa particula, *deinde*, & illæ aliæ, *eadem auctoritate*, referrent ad aliquid præcedens, quod tunc nullum fuit. Vnde poteſt deſumi argumentum, quia de facto in ſacramento Pœnitentiæ illa ſola verba, *ego te abſoluo*, &c. ſunt forma ſacramenti, nec verba præcedentia concurrunt ad effectum ſacramenti, licet ſenſus horum videatur connecti cum ſenſu præcedentium per illas particulas: *deinde eadem auctoritate*; quia nimirum abſque illis manet ſenſus verborum ſequentium, & poſſunt retinere ſuam veritatem, ad quam ſolam attenditur ad effectum illius ſacramenti; ergo ſimiliter dicendum eſt de verbis illis: *accipite & manducate*; cum quibus videntur connecti verba ſequentia per particulam *enim*; cum etiam ſine illis poſſint verba conſecrationis retinere ſuum ſenſum, quantum ſufficit ad ponendum effectum.

Dixi, abſque verbis præcedentibus retinere verba ſequentia ſenſum ſuum: *quantum ſufficit ad ponendum ſuum effectum*, quia non nego, omiſſis verbis, *accipite & manducate*, non habitura verba ſequentia totum ſenſum completum, quem modo habent: 59.
imo quoad illud *enim*, ſẽſus maneret imperfectus, & aliquo modo falſus; quia particula illa, vt dixi, ſignificat implicite, illam veritatem eſſe rationem præcedentis dicti: cum ergo nullum fuerit dictum præcedens, non verificabitur, quoad illam partem; quia tamen abſque verificatione illius partis poſſunt verba verificari quoad præſentiam corporis Chriſti, quam affirmant, & ratione cuius ſolius affirmationis habent efficaciam; ideo dixi abſque verbis præcedentibus retinere ſuum ſenſum, quantum ſufficit ad ponendum ſuum effectum ſacramentalem. Sed de his ſatis: quid vero ſignificet illud *hoc*, dicemus infrà ſectione ſeptima.

SECTIO IV.

De verbis neceſſariis ad conſecrationem calicis.

VErba, quibus Romana Eccleſia vtitur in conſecratione calicis hæc ſunt: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui, & æterni teſtamenti, myſteriũ fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Controuerſia eſt, an hæc omnia requirantur ad valorem conſecrationis. Prima ſententia celebris eſt affirmatiua, quam indicant S. Thomas in præſenti q. 78. *artic.* 3. & ſequuntur plures Thomiſtæ, præſertim ex antiquioribus, quos refert Vaſquez in præſenti *diſput.* 198. *c.* 2. quia eodem ritu, & tenore à ſacerdote conſecrante proferuntur, & iiſdem characteribus maioribus in Miſſali notantur. 60. *Prima ſententia.* S. Thom. Vaſquez.

Hæc ſententia habet contra ſe validiſſima argumenta. Primum, & præcipuum eſt ex vſu Eccleſiæ, quæ magna ex parte illis verbis non omnibus vtitur in conſecratione calicis; ſed in diuerſis Liturgiis aliqua ex illis omittuntur. In Miſſa Iacobi Apoſtoli fratris Domini, quæ habetur in tom. 4. vel 6. Bibliothec. Patrum, ſolum dicitur; *hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis, & multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum.* In Liturgia S. Baſilij, qua vtuntur Græci, quæ ibidẽ habetur: *Iſte eſt ſanguis meus ille noui teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & largitur* 61. *Primum argumentum contra illam ſententiam.* *Miſſa S. Iacobi.* Liturgia S. Baſilij.

Liturgia S. Chryſoſt. *Miſſa Æthiopum.* *Miſſa Mozarabum.*

in expiationem culparum,& remiſsionem peccatorum, atque in vitam æternam, In Liturgia S. Ioan. Chryſoſt. qua Græci etiam communiter vtuntur. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effuſus eſt* (vel, vt alij melius vertunt, *effunditur*) *in remiſsionem peccatorum*. In Miſſa Æthiopum, quæ creditur cōpoſita ab Apoſtolo Matthæo, quæ in eodē loco Biblioth. habetur ſic dicit; *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum, Amen*. In Miſſa, qua Mozarabes in Hiſpania vſi ſunt, compoſita à S. Leandro, vel Iſidoro. quæ habetur in *tom* 2. Auctuarij Bibliothecæ Patrum verſus finem in Miſſa de S. Iacobo, forma hæc eſt; *Hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum*. In quibus omnibus omittuntur illæ particulæ, *æterni*, & *myſterium fidei*; In aliquibus autem etiam illæ; *noui teſtamenti*. His addere poſſumus Liturgias, quibus Chriſtiani Maronitæ vtuntur, quæ, quia diuerſæ ſunt, & pro varietate dierum eis vtuntur, diuerſa etiam verba continent.

Liturgia Maronitarum *Liturgia S. Sixti PP.* *Liturgia S. Ioannis Euāgel. &c.*

in Liturgia S. Sixti Papæ, quæ ſcilicet compoſita creditur à S. Sixto Papa, forma eſt: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei noui teſtamenti.* In aliis verò Liturgiis, ſcilicet S. Ioannis Euangeliſtæ, ſanctorum Apoſtolorum, S. Euſtaſij, S. Ioannis Patriarchæ, verba ſunt: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* In Liturgia Sancti Marci Euangeliſtæ: *Corpus meum eſt hoc; ſanguis meus eſt hic*. In Liturgia Sancti Matthæi Paſtoris; *Hoc caro mea eſt: Hoc ſanguis meus eſt*. Quas formas ex Miſſali manoſcripto Maronitarum a Monte Libano Romam miſſo dedit mihi perdoctus vir Victorius Scialach Abbas S. Gregorij natione Maronita, & in vrbe Roma à multis annis linguarum publicus Interpres. Dici autem non poteſt, eas omnes prouincias, & ſanctiſſimos Patres Eccleſiæ eſſentialem formam conſecrationis ignoraſſe, ac omiſiſſe, atque adeo caruiſſe vero ſacrificio per tot ſæcula; præſertim, cum Romana Eccleſia, quæ aliarum magiſtra eſt, eos nunquam correxerit, ſed tolerauerit; neque in Concil. Flor. vbi alia, quæ difficilia apparebant de ritu Græcorum, fuerunt examinata circa hoc quidquam difficultatis illis obiectū fuerit à Pontifice, imo apertè ſuppoſitum ibi ſit. Græcos ſacramentum Euchariſtiæ conficere; & valida verba proferre, cum rogati fuerint ſeſſione vltima, cur poſt verba conſecrationis adiungerent preces, quibus conuerſionem quaſi nondum factam à Deo petebant.

62. *Secundo impugnatur auctoritate Patrum.* *Ambroſ.* *Euſebius.* *Iuſtinus.* *Chryſoſt.* *Damaſcen.*

Secundo impugnatur illa ſententia auctoritate Patrum, Græcorum, & Latinorum, qui de forma conſecrationis neceſſaria loquentes, non afferunt illa verba. Ij ſunt Ambroſius *lib.* 4. de ſacram. *cap.* 5. Euſebius Emiſſenus relatus in cap. *Quia corpus*, de conſecrat *diſtinct.* 2. ex ſermone de corpore, & ſanguine Chriſti, qui eſt in *tom.* 9. Operum Hieronom. Auctor ſermonis de cœna Domini, apud Cyprianum. Iuſtinus in 2. *Apolog.* in fine; qui ſolum afferunt pro forma illa verba illa: *Hic eſt ſanguis meus.* Chryſoſt. etiam homil. de proditione Iudæ; & Damaſcen *lib.* 4. de fide *cap.* 14. formam referunt his verbis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur,* vel *frangitur*; & *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur*, ſeu *effunditur*. Poſtea verò Damaſcenus agens de effectu verborum, ſolum refert illa verba: *Hoc eſt corpus meum*. & *hic eſt ſanguis meus*, quibus virtutem diſtribuit conuertendi panem, & vinum.

63. *1. Cor. 11.* *Tertio arguitur ex Euangeliſtis & Paulo.*

Tertio arguitur ex Euangel., & Paulo 1. ad Cor. 11. Conſtat enim ab illis non referri à ſingulis omnia illa verba; imo neque ab omnibus aliquando eſt autem credibile, in re tanti momenti aliquem Euangeliſtam, aut Paulum Corinthios inſtruentem ex traditione Dominica, omiſiſſe formam debitam ad valorem, præſertim cum Euangeliſtæ ſubdant præceptum Chriſti faciendi id, quod ipſe feciſſe narratur; illis verbis: *Hoc facite*. &c.

Quarto arguitur; quia ſicut in conſecratione calicis Chriſtus dixit: *qui pro vobis effundetur*, ſic in conſecratione corporis dixit: *quod pro vobis tradetur*; & tamen verba neceſſaria non ſunt ad valorē, vt conſtat ex vſu Latinæ Eccleſiæ, quæ illa verba omittit, licèt Græci ea etiā proferant: non ergo eſt, cur dicamus, magis fuiſſe neceſſaria illa verba ad conſecrationem calicis, cum ex modo dicendi Chriſtus æque ea vſurpauerit in vtriuſque ſpeciei conſecratione, & ex illis verbis *hoc facite*, &c. non magis potuerit colligi præceptū Chriſti de apponendis illis verbis in cōſecratione ſanguinis, quam corporis. 64. *Quartò impugnatur ratione.*

Quinto, arguit P. Vaſquez *n.* 26. ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 4. vbi Patres, ex veritate verborum Chriſti cum dixit, illud eſſe corpus ſuum, colligunt conuerſionem panis in corpus. & vini in ſanguinem: quam quidem conuerſionem vini debuerunt colligere ex veritate verborum Chriſti, quibus dixit, illum eſſe ſuum ſanguinem, Supponit ergo Concilium, illa verba debuiſſe eſſe vera, vbi primum prolata fuerunt à Chriſto; ergo debuerunt habere effectum, antequam proferrentur omnia verba ſubſequentia; iam enim verum erat Chriſtum dixiſſe, illum eſſe ſanguinem ſuum, atque ideo iam procedebat argumentum Concilij ad colligendam conuerſionem vini in ſanguinem ex eo quod Chriſtus dixerat, illum eſſe ſuum ſanguinem: vnde videntur omnino aduerſari definitioni Tridentini, qui negant illis ſolis verbis *hic eſt ſanguis meus*, conuerti vinum in ſanguinem Chriſti. 65. *Vaſquez.* *Quintò arguit Vaſq. ex Tridentino.*

Poſſent tamen huius argumenti vim ſubterfugere aduerſarij dicendo, colligi quidem bene ex veritate verborum Chriſti conuerſionem vini in ſanguinem, non tamen colligi ante finem prolationis omnium verborum; quia veritas propoſitionis de præſenti attenditur ſolum in fine prolationis. Vnde ſi Chriſtus dixiſſet illa ſola verba: *hic eſt ſanguis meus*, colligeretur bene in fine illorum factam eſſe conuerſionem: nunc autem, cum non dixerit illa ſola colligitur quidem, conuerſionem factam in fine orationis; dubium tamen eſt, quando fuerit orationis finis, qui conſiderari debet ad veritatem illius: de quo puncto Concilium nihil dixit. Aliunde tamen probari poteſt, finē illū non eſſe, quando tota illa oratio abſoluitur, ſed quando prolata ſunt verba ſufficientia ad ſignificandam conuerſionem; quo ſuppoſito, vrget argumentum Concilij ad probandum, conuerſionem fieri ante verba ſubſequentia; quia ante illa ſignificant ſufficienter verbis præcedentibus, vt poſtea videbimus. 66. *Poſſet tamen vis huius argumenti infringi.*

Ratio ergo à priori hæc eſt, quia verba Sacramētalia faciunt quod ſignificant: illa autem verba: *hic eſt ſanguis meus*, antecedentes ad verba ſequentia ſignificant, illum eſſe ſanguinem Chriſti: ergo id efficiunt, antequam alia verba proferantur. 67. *Ratio à priori eſt.*

Dices, hæc ratio nimium probat; quia probat, non potuiſſe inſtitui hoc Sacramentum, ita vt neceſſaria eſſent omnia illa verba ad conſecrationē: nam tunc etiam priora verba ſignificarent, illum eſſe ſanguinem Chriſti; ergo id deberent operari ante verba ſequentia. Conſequens autē non admittitur, imo negatur expreſſe à Suarez in præſenti *Diſp.* 60. *ſect.* 1 §. *Sed ad hæc omnia*, vbi fatetur planè potuiſſe à Chriſto inſtitui vt neceſſaria ad conſecrationem illa omnia verba. Ego tamen conſequēter exiſtimo non potuiſſe inſtitui omnia illa verba 68. *Inſtabis.* *Reſpondeo.*

vt neceſſaria ad effectum conſecrationis, retentis prioribus verbis in ſua ſignificatione rigoroſa, quam nunc habent; quia cum per priora affirmetur de præſenti, illum eſſe ſanguinem Chriſti, non poterant eſſe vera in ſenſu rigoroſo, ſi non contineretur ſanguis Chriſti ſub illis ſpeciebus in fine illius propoſitionis; quia licet illa propoſitio connectatur cum ſequenti, eſt tamen diuerſa propoſitio faciens ſenſum perfectum, & habens diſtinctam veritatem, vt ſi dicas: *Hic eſt ſummus Pontifex, quem quidem ego veneror vt Chriſti vicarium*, ſunt duæ propoſitiones, quarum prior poteſt eſſe vera, licet poſterior eſſet falſa, nec pendet ſenſus, aut veritas prioris à veritate poſterioris. Alioquin ſi poſt illa priora verba narraretur per horam tota vita Pontificis, nondum eſſet completa propoſitio prima, neque adhuc eſſet vera quod nemo concedet. Similiter ſi poſt illa verba: *hic eſt ſanguis meus*, aliquis aiteneret longam narrationem & laudes ſanguinis Chriſti per horam, nemo dicet priorem propoſitionem non eſſe veram, nec exigere ad ſui veritatem præſentiam ſanguinis Chriſti ante finem horæ. Conſequenter itaque fatendum videtur, verba illa non potuiſſe à Chriſto inſtitui pro forma, retenta ſua rigoroſa ſignificatione, ita tamen, vt non haberent effectum ante prolationem omnium verborum ſubſequentem: quod non obſcure indicat P. Vaſquez dicto *n.26. & 27.* dum probat ex veritate illorum verborum: *hic eſt ſanguis meus*, colligi præſentiam ſanguinis ante prolationem verborum ſubſequentium, ſupponens, non potuiſſe aliter eſſe vera, ſcilicet in ſenſu rigoroſo. — Vaſquez.

68\. Vrgebis. Vrgebis, in forma Baptiſmi verba illa: *Ego te baptizo*, non habere ſuum effectum antequam proferantur verba ſequentia, *in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti*; quia nimirum omnia illa verba inſtituta ſunt à Chriſto vt neceſſaria ad effectum Sacramenti, & ideo ſuſpenditur veritas priorum verborum vſque ad finem: ergo idem potuit fieri in forma Euchariſtiæ.

Reſpondetur. Reſpondetur, verba illa: *ego te baptizo*, in ſenſu, in quo proferuntur, adhuc eſſe vera, non obſtante illo modo inſtitutionis, quia vel ſenſus immediatus eorum verborum eſt ablutio materialis, ad quam ſignificandum inſtituta ſunt ab hominibus illa verba; & hanc quidem ſignificant etiam ante prolationem verborum ſequentium; nondum tamen habent ſignificationem Sacramentalem gratiæ, quia hæc non ineſt illis verbis ſolis, ſed omnibus complete ſumptis: hæc autem ſignificatio Sacramentalis non attenditur ad veritatem, quam verba habent, vt verba humana ſunt: hæc enim veritas deſumitur non ex effectu, ſed ex obiecto, quod ex inſtitutione hominum illa verba ſignificant. Sic verba formæ in ſacramento Matrimonij, *Accipio te in meam*, non ſunt vera, quia ponunt gratiam, ſed quia ſupponunt conſenſum internum, quem ea hominum inſtitutione ſignificant; illis autem vt veris ſuperadditur inſtitutio Sacramentalis ad ſignificandam gratiam, ſine qua adhuc eſſent vera. Sic verba illa: *Ego te abluo*, immediate ſolum videntur ſignificare ablutionem materialem præſentem, ex cuius poſitione ſunt vera; illis autem vt veris ſuperadditur ſignificatio Sacramentalis, qua ſignificant ablutionem internam. Veritas itaque verborum illorum, vt ſigna humana ſunt, deſumitur ſolum ex obiecto, ſcilicet ablutione externa, de qua loquuntur; & hæc ſignificatio eſt antecedenter ad verba ſequentia; veritas autem eorum verborum, vt ſunt ſigna Sacramentalia, deſumitur ab effectu gratiæ, quem cauſant, & ad hunc ſignificandum expectantur verba ſequentia, quia hunc non ſignificant vt verba humana ſunt, ſed vt ſigna ad placitum inſtituta à Chriſto. Verba vero conſecrationis ſignificant ſanguinem Chriſti præſentem etiam ex hominum inſtitutione: nam licet homines non dederint illis infallibilitatem in ſignificando, dederunt tamen illis ſignificare ſanguinem præſentem, quando eas voces inſtituerunt, vt voces humanas; & ab hac inſtitutione hominum debet regulari earum veritas; vnde ſi non eſſet ſanguis Chriſti præſens, non eſſent vera verba illa, quia non datur à parte rei obiectum, quod ex hominum inſtitutione ſignificant.

Vel ſecundo dici poteſt, etiamſi illa verba: *ego te baptizo*, vſurpentur ad ſignificandam immediate ablutionem non externam, ſed internam, & ſpiritualem, etiam vt voces humanæ ſunt adhuc eſſe vera; quia non affirmant de præſenti in toto rigore, ſed præſentis morali. Quod quidem fatendum eſt, etiamſi intelligantur de ablutione externa; nam licet ablutio præceſſerit, vel ſubſequatur immediate prolationem verborum, adhuc verba ſunt vera, quia non ſignificant ablutionem metaphyſice, ſed moraliter præſentem: potuerunt ergo ſine periculo falſitatis aſſumi ad ſignificandam gratiam, & ablutionem internam, quæ fiat abſolutis verbis ſequentibus, quia ſignificant ablutionem internam, non metaphyſice, ſed moraliter præſentem: quod in ſacramento Ordinis, & Confirmationis eodem modo procedit. At vero verba conſecrationis non ita ſe habent: vſurpantur enim ad ſignificandam præſentiam obiecti non moralem, ſed rigoroſam: ideo dixi, non potuiſſe, retenta ſignificatione rigoroſa, & ſenſu, quem nunc habent, inſtitui cum dependentia à verbis ſubſequentibus; quia tunc non ſignificarent præſentiam obiecti ſui rigoroſam, ſed moralem, & in ſenſu minus ſtricto. Sic etiam verba in forma abſolutionis non poſſunt; retento ſenſu, quem nunc habent, ſignificare abſolutionem, aut remiſſionem peccati præſentem ſolum moraliter, quia inſtituta ſunt ad ſignificandum in ſenſu rigoroſo de præſentia ſtricta. Vnde nec illa verba: *Ego te abſoluo*, retenta ſignificatione, & ſenſu rigoroſo, quem nunc habent, potuerunt fieri dependentia, quoad ſui veritatem à verbis ſubſequentibus, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, quæ ſolum ſunt inuocatio Trinitatis, & ſupponunt priorem propoſitionem de præſenti perfectam, atque ideo iam veram; quia illa verba, etiam prout humana, ſignificant remiſſionem, & accipiunt in ſenſu præſenti rigoroſo: non ergo potuerunt, retenta eadem ſignificatione, inſtitui ad cauſandum dependenter à verbis illis ſubſequentibus: hoc enim eſſet non ſignificare præſentiam ſui obiecti rigoroſam, ſed moralem. — 69. Secundo dici poteſt.

Dicunt, potuiſſe verba illa: *hic eſt ſanguis meus*, inſtitui cum dependentia à verbis ſubſequentibus ad cauſandum effectum, adhuc retento ſenſu rigoroſo de præſentia obiecti, quia potuerunt verba ſubſequentia adiici non per modum nouæ propoſitionis diuerſæ, ſed vt partes prioris propoſitionis, tenentes ſe ex parte prædicati, & vt determinationes ipſius. Vt ſi dicas: *hoc eſt corpus meum crucifigendum*; tunc enim illud *crucifigendum* eſt pars prioris propoſitionis, quæ nondum cenſetur abſoluta ante illius prolationem; ſic qui dicit: *hic eſt ſanguis meus effundendus*, non abſoluit propoſitionem ante quam proferat omnia illa verba, atque ideo non erit contra veritatem illius propoſitionis de præſenti, etiam in ſenſu rigoroſo, ſi non ponatur ſanguis vſque ad finem totius propoſitionis. Eodem ergo modo proferri poſſent verba illa in conſecratione calicis, vt partes prioris propoſitionis, & vt determinationes prædicati; idem enim videtur: *hic eſt ſanguis* — 70. Inſtant.

meus

mus effundendus, ac dicere: *hic eſt ſanguis meus, qui effundetur*, &c. Poterit ergo veritas priorum verborum non poni, donec omnia proferantur, qui videtur eſſe ſenſus intentus à S. Thoma *hoc art. 3.* qui ideo omnia illa verba dicit eſſe de ſubſtantia formæ, quia ſunt determinationes prædicati prioris propoſitionis.

71. *Hæc reſponſio ſatis difficilis eſt.* Hæc reſponſio adhuc difficilis eſt; quia illa verba ſequentia, vel determinant prædicatum præcedens limitando illud; (vt quando dico: *dabo tibi librum, quem accepi a Petro*, vbi verba ſequentia limitant librum de ſe indifferentem ad hunc, & illum,) vel non limitant ſanguinem, ſed explicant aliqua prædicata eiuſdem ſanguinis. Si primum dicatur (prout videntur indicare illi Auctores) videntur ſequi multa inconuenientia. Nam in primis eodem modo in conſecratione corporis verba illa, *quod pro vobis tradetur*, quæ Chriſtus addidit, & Græci retinent, eſſent limitatio præcedentis prædicati, atque ideo Latini conſecrantes abſque ea limitatione non vſurparent verba in ſenſu, in quo à Chriſto ſunt vſurpata. Deinde, ſi per verba ſequentia limitatur ſanguis ad illum, qui effundendus erat; ergo quando Chriſtus conſecrauit in cœna, poſitus fuit ex vi verborum aliquis ſanguis in Euchariſtia, qui nondū erat in venis; quia credibile eſt, illo tempore intermedio à cœna vſque ad mortem multas partes ſanguinis productas fuiſſe virtute nutritiua, quæ poſtea effuſæ fuerunt. Si ergo verba conſecrationis ſignificabant illum, & ſolum ſanguinem effundendum, debebat poni ille, qui poſtea erat producendus: è contra vero aliquæ partes ſanguinis nunc ponentur in calice, non ex vi verborum, quia certum videtur moraliter, non fuiſſe totum ſanguinem Chriſti effuſum; cum enim ſic humor craſſus, non poteſt ita effundi, vt non maneant aliquæ guttæ adhærentes venis, vt experientia conſtat, quando iugulatur homo, vel ouis. Illæ ergo guttæ non ponentur ex vi verborum, ſi *ſanguis* nunc non ſignificat vtrumque ſanguinem Chriſti, ſed illum ſolum, qui effundendus erat. Conſequens autem videtur abſurdum; nam Concilia, ſicut dicunt corpus poni ex vi verborum in hoſtia: ſic dicunt, ſanguinem poni ex vi verborum in calice; corpus autem totum ponitur ex vi verborum, ergo & ſanguis totus ponitur ex vi verborum in calice.

72. *Confirmatur ex Tridentino.* Quod confirmari poteſt ex Tridentino *ſeſſ. 13. c. 3.* vbi probat, totum Chriſtum ſub vini ſpecie contineri, ex eo quod corpus ponatur ſub ſpeciebus vini per concomitantiam ſimul cum anima, & Diuinitate; ſanguis vero ex vi verborum. Poſtquam enim dixit, ſanguinem eſſe ex vi verborum, corpus vero, animam & Diuinitatem per concomitantiam, concludit: *Quapropter veriſſimum eſt, tantumdem ſub alterutra ſpecie atque ſub vtraque contineri, totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, totus item ſub vini ſpecie exſiſtit.* Quod tamen non probaretur ſufficienter, ſi non eſſet totus ſanguis ex vi verborum; non enim fuiſſent ſufficienter enumeratæ omnes Chriſti partes, ſi reſtaret alia præter corpus, animam, & Diuinitatem; quæ non eſſent ex verborum in calice; fatendum ergo eſt, totum Chriſti ſanguinem poni ex vi verborum, atque ideo non apponi verba ſequentia ad limitandum ſanguinem Chriſti, ſed ad declarandam eius effuſionem, & efficaciam.

Conc. Trid.

73. *Si hoc ſecundum concedatur, dupliciter id poteſt intelligi.* Si vero hoc ſecundum concedatur, non eſſe ſcilicet verba limitatiua, ſed quibus explicantur magis ſanguinis prædicata; tunc rurſus dupliciter id intelligi poteſt, primo, ita vt verba illa ſequentia contineant propoſitiones diuerſas à prima; & tunc clarum videtur, priora verba retinere ſuum ſenſum, & veritatem completam ante prolationem ſequentium: ſingulæ enim propoſitiones faciunt ſenſum perfectum independenter à ſequentibus, & per conſequens ſingulæ habent ſuam veritatem independenter à ſequentibus. Secundo poteſt id intelligi, ita, vt verba ſequentia conſtituant, & compleant eamdem propoſitionem cum præcedentibus, vt ſi dicas: *hoc eſt corpus Chriſti carneum*, illud prædicatum *carneum* non facit propoſitionem diuerſam, ſed pertinet ad eamdem non limitans corpus Chriſti, cum non eſſet corpus Chriſti indifferens ad carneum, & non carneum; ſed explicans magis aliquod prædicatum eiuſdem corporis. Sic verba illa ſequentia, *noui teſtamenti*, &c. poſſunt pertinere ad eamdem propoſitionem, non limitando ſanguinem Chriſti, ſed explicando magis aliqua eius prædicata; atque ideo veritas propoſitionis debet expectare finem illius, & per conſequens prolationem omnium verborum ſubſequentium.

74. *Sententiam S. Thom. ſic explicatam aliqui defendunt.* Sententiam S. Thomæ in hoc ſenſu intellectam, & ſic explicatam defendunt aliqui, qui plane concedunt, poſſe fieri validam conſecrationem per illa ſola verba: *hic eſt ſanguis meus*, dicunt tamen de facto alia etiam verba concurrere; quia de facto adduntur vt partes eiuſdem propoſitionis, & complentes eius ſenſum cum aliis verbis prioribus. Et quidem ſi ſententia illa in aliquo ſenſu exiſtimanda eſt probabilis, in hoc ſenſu debet explicari. Nec video, quo alio ſenſu intelligendus ſit P. Suarez ne ſibi aperte contradicat, dum *ſect. 1.* relata prima ſententia ſubdit, illam opinionem eſſe valde probabilem: poſtea vero § *ſecundum, & vrgentiſſimum argumentum*, dicit eſſe pluſquam temerariam ſententiam negantem. Græcos conficere validum Sacramentum abſque illis verbis ſubſequentibus. Debet ergo in primo loco ſermo eſſe de ſententia eo modo explicata vt diximus, non exigente, vt neceſſaria, omnia illa verba, ſed concedente illis omnibus de facto influxum, eo quod de facto omnia pertineant ad componendam eamdem propoſitionem. In ſecundo autem loco loquitur de ſententia exigente omnino illa verba ad valorem, ita vt abſque illis nullo modo valida poſſit eſſe conſecratio; quam ſententiam merito improbabilem exiſtimat.

Suarez.

75. *Hæc tamen ſententia ſic explicata adhuc eſt difficilis.* Cæterum; adhuc eo modo explicata illa ſententia difficilis eſt. Primo, quia difficile eſt, quod omnia illa verba pertineant ad vnam propoſitionem: nam licet id concederetur de illis: *noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei*, non tamen id poteſt dici de illis aliis: *qui pro vobis & pro multis effundetur*, &c. Alioquin totum ſymbolum Apoſtolorum diceretur eſſe vna ſola propoſitio, quia eius partes, & clauſulæ connectuntur per relatiuum *qui*, aut per coniunctionem, *&*. Similiter caput illud tertium Lucæ, in quo ponitur ſeries progenitorum Chriſti ſub illis vocibus, *qui fuit Heli, qui fuit Mathat*, &c. contineret vnicam ſolum propoſitionem, cuius tota veritas penderet ab vltimis verbis, & quæ tota eſſet falſa, & quoad nullam partem eſſet vera, ſi aliqua ex illis generationibus falſa eſſet, quod tamen nemo dicet; non ergo intendunt homines ſuſpendere ſenſum, & affirmationem vſque ad finem concionis, vel ex-pijs, eo quod vnam clauſulam connectant cum alia per illud relatiuum *qui*, ſed ſingulis partibus facientibus ſenſum perfectum, ſuam affirmationem, & veritatem attribuunt. Vnde etiamſi poſt verba conſecrationis; *hoc eſt corpus meum*, ſacerdos proſequeretur orans, & dicens, *quod corpus peto, vt ſit mihi in ſalutem*, &c. nemo diceret conſecrationis effectum ſuſpendi vſque ad finem verborum ſequentium, eo quod pertineret ad eamdem propoſitionem; quod nullis aliis exemplis poſſet comprobari.

Secundo,

76. *Quod vltimum explicatur,*

Secundo, quia etiamſi daremus, verba illa ſequentia pertinere ad eamdem propoſitionem præcedentem, vt partem illius, adhuc non ſequitur, effectum conſecrationis ſuſpendi debere vſque ad finem illorum verborum: quando enim verba ſequentia non variant ſenſum propoſitionis, ſed deſeruiunt ad illum magis explicandum, priora verba habent ſuam veritatem ante prolationem poſteriorum, ſi ante illam prolationem habent ſenſum perfectum, verbi gratia, ſi conſecrans diceret: *hoc eſt corpus meum pretioſum*, conſecratio fieret ante prolationem illius vocis, *pretioſum*, quod pro indubitato ſupponit Suarez in præſenti *diſ. 60. ſect. 1. §. Vnde argumentor ſecundo.* & Vaſquez *diſp. 198. num. 48.* vbi adducto exemplo, ſi quis baptizans adderet: *in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti ab vtroque procedentis*; negat, differendum effectum baptiſmi vſque ad prolationem poſtremi verbi *ab vtroque procedentis*; ſed affirmat, ponendum eſſe, vbi primum profertur, *Spiritus ſancti.*

77. *Ratio horum omnium ſit*

Ratio autem horum omnium ea videtur eſſe, quod ſcilicet ad veritatem propoſitionis non requiritur, quod eius ſenſus explicatus ſit omnibus modis, ſed ſufficit, ſi iam ſit ſignificatus per voces ſufficientes abſque intentione limitandi, aut variandi illum per verba ſequentia. Vnde ſi aliquis dicat; *hec eſt ſententia Marci Tullij Ciceronis*, propoſitio eſt vera, & perfecta, etiam ante illud *Ciceronis*, quia verba præcedentia ſignificant ſufficienter ſuum ſenſum, licet melius explicetur per vltimam vocem. Porro ante vltimam vocem propoſitionem habere ſenſum perfectum, & veritatem, conſtat, quia ſi aliquis in mortis articulo vellet dicere: *inſtituo hæredem fratrem meum Petrum*, prolatis autem illis primis verbis: *inſtituo hæredem fratrem meum*, ante prolationem illius nominis, *Petrum*, moreretur, adhuc Petrus exiſtimaretur hæres inſtitutus, ſi alius frater mortui non eſſet; ergo priora verba habuerunt ſenſum perfectum, & veritatem independenter à prolatione vltimi, quia nimirum per priora ſufficienter explicuerat ſuam mentem, licet non ita perfecte, ſicut ſi protuliſſet vltimum. Hoc ipſum conſtat in ipſa vltima ſyllaba verborum formæ, cuius prolatio, licèt longius protrahatur, non tamen exſpectatur tota eius prolatio ad effectum, ſed vbi primum profertur, quantum ſufficit ad ſignificandum, & reddendum ſenſum perfectum fit effectus; quia iam verba habent veritatem, vt omnes communiter ſupponunt; licet Vaſquez vbi ſupra *n. 37. & 38:* contrarium immerito ſupponat, in quo non videtur ſatis conſequenter loqui, nam ſi partes poſteriores prolationis, quæ neceſſariæ non ſunt ad ſenſum, poſſunt adhuc ſuſpendere, & retardare effectum, vt tota prolatio concurrat, ſicut tota ſignificat; ſic verba poſteriora quæ neceſſaria non ſunt, potuerunt ſuſpendere, & retardare effectum, quia concurrunt ad ſignificandum eumdem ſenſum cum præcedentibus. Conſequentius itaque loquuntur, qui negant ſuſpendi effectum ob longius protractam prolationem vltimæ ſyllabæ: quid enim ſi aliquis eam muſice cantaret, & notarum diuerſitate, ac repetitione protraheret per nimium tempus? Sicut ergo illæ partes poſteriores ſyllabæ, licet faciant priores cum ipſis melius ſignificare, adhuc non concurrunt, nec retardant effectum, ſic de verbis ſequentibus, licet clariorem faciant ſenſum priorum, non ideo tamen dicendum eſt, quod debeant concurrere, aut retardare effectum priorum, quibus iam ſenſus perfectus ſignificatus fuit.

Hoc ipſum conſtat in vltima ſyllaba verborum formæ.

78. *Confirmatur hæc ratio ex abſurdis.*

Confirmatur hæc ratio ex abſurdis, quæ ſequerentur, ſi verba ſufficientia iam prolata non operarentur ob futuram prolationem aliorum verborum. Hinc enim fieret, vt ſi poſtea caſu aliquo vltimum verbum non proferretur, vel non bene proferretur, forma non haberet effectum, etiamſi abſque illo vltimo verbo ſenſus conſtaret; v. g. ſi in forma abſolutionis aliquis proferret: *ego te abſoluo à peccatis*, & poſtea vel per obliuionem, vel propter aliud impedimentum, non proferret, *tuis*, pœnitens non eſſet vere abſolutus, quod quidem abſurdum videtur. Nam ſi Epiſcopus conſecrans ſacerdotem proferret illa verba: *Accipe poteſtatem Miſſas celebrandi*, poſtea vero non proferret, vel non bene proferret illa verba: *tam pro viuis, quam pro defunctis*, illa ordinatio valida indicaretur, quia iam per priora verba fuiſſet ſufficienter explicata poteſtas Sacerdotij, ergo & ille alius indicaretur ſufficienter abſolutus per illa verba: *ego te abſoluo à peccatis*, cum per illa ſufficienter explicata ſit remiſſio peccatorum. Quod à ſimili oſtendi poteſt in ipſa materia proxima ſacramenti: nam ſicut per omnia verba intendit miniſter ſignificare ſenſum formæ. Sic per totam applicationem materiæ intendit ſignificare gratiam, & intentionem ſuam: & tamen, prolata forma Baptiſmi, ſi adhuc perſeueret effuſio aquæ ſupra puerum, non ſuſpenditur effectus Baptiſmi vſque ad finem effuſionis, ſed ſtatim vbi primum effuſa eſt aqua ſufficiens, & prolata ſunt verba, fit effectus, vnde ſi ſtatim moreretur miniſter, antequam effunderet totam aquam, quam ab initio effundere cogitauerat, adhuc ille puer iudicabitur baptizatus. Similiter ſi Epiſcopus confirmans prolatis verbis, & vncta ſufficienter fronte cum Chriſmate, adhuc progrediatur extendens vnctionem vlterius, non ideo ſuſpenderat effectus Sacramenti, nec cenſebitur irritum Sacramentum, etiamſi Epiſcopus morte, vel alio impedimento interueniente, non progrederetur vlterius in vnctione, nec extenderet, quantum ab initio cogitauerat. Idem ergo dicendum videtur de forma, quam licet miniſter non proferat quantum cogitarat, dum tamen proferat quantum ſatis eſt ad faciendum ſenſum, & ſignificandam ſuam intentionem, & mentem, Sacramentum cenſebitur perfectum, eadem enim videtur eſſe quoad hoc ratio de forma, & de materia.

Porro ex illa doctrina, quam impugnamus, ſequi illa abſurda, quæ in ſequela intulimus, hoc eſt omiſſa illa particula, *tuis*, v. g. in forma abſolutionis, non fore validam abſolutionem, probatur facile, quia ſupponimus ab initio miniſtrum habuiſſe intentionem proferendi omnia illa verba: quando vero dixit, *à peccatis*, caſu aliquo reliquit particulam ſequentem, *tuis*. Quo ſuppoſito, non apparet iuxta illam ſententiam, quando dari poſſit effectus Sacramenti: non enim datur, quando dixit, *à peccatis*, quia adhuc poterat adiungere, *tuis*; ergo deberet exſpectari, ſi adiungebatur. Neque etiam potuit dari effectus, quando miniſter decreuit non adiungere, *tuis*, tunc enim iam verba præcedentia non ſunt, ſed potius tranſiit morula poſt eorum omnium finem: verba autem Sacramentalia, poſita materia, non poſſunt non operari, nec eorum effectus poteſt ſuſpendi: alioquin eſſet in poteſtate miniſtri, prolatis verbis, ex ſe ſufficientibus, ſuſpendere effectum Sacramenti per aliquod tempus, dum interim deliberaret de adiungendo, vel non adiungendo alio verbo, ita vt ſi poſtea decernat non adiungere aliud, tunc detur effectus aliquamdiu, poſtquam alia verba omnino tranſierunt; quod quidem nemo, vt credo, concederet: quia verba debent ſignificare de præſenti; tunc autem ſignificare de futuro, cum effectus poneretur longius poſt finem verborum, 79. *Sequuntur etiam ex illa doctrina alia abſurda.*

Fatendum

Fatendum ergo eſt, verba habere ſenſum perfe-ctum, & veritatem ſuam, vbi primum prolata ſunt, quæ ſufficiunt, etiamſi reſtent proferenda alia, quæ eumdem ſenſum magis perfectè explicant.

80. *Ex dictis facile erit iudiciũ ferre de aliis ſententiis.*

Ex dictis facile erit iudicium ferre de aliis ſententiis mediis. Aliqui enim primo dicunt, verba illa, *noui teſtamenti*, eſſe eſſentialiter requiſita cum illis: *hic eſt ſanguis meus*; cætera non requiri eſſentialiter. Conſtat tamen ex ſupra dictis, illa non eſſe magis eſſentialiter. Conſtat tamen ex ſupra dictis, illa non eſſe magis eſſentialiter requiſita, quam ſequentia: cum abſque illis conſtet ſenſus ſufficiens ad ſignificandum, & affirmandum ſanguinem Chriſti contentum; & in Liturgia Æthiopum aliiſque ſupra relatis omittantur etiam illa verba, *noui teſtamenti*; & Patres denique ſupra adducti eorum non meminerint, ſed illorum: *hic eſt ſanguis meus*; quibus efficaciam ad hanc conuerſionem tribuerunt. Nec obſtat, ab Euangeliſtis, & Paulo referri; quia etiam refertur in conſecratione corporis illud, *quod pro vobis tradetur*, & tamen non cenſetur neceſſarium ad conſecrationem.

81. *Argui poteſt ex S. Thoma.*

Argui poteſt ex S. Thoma *d. art. 3.* quia illa verba apud Paulum, & Lucam interponuntur aliis verbis neceſſariis, dum dicitur: *hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*; quo etiam ferè modo interponebant Chriſtiani Mozarabes, vt conſtat ex verbis ſupra adductis, ergo verba illa non ſupponunt factam conſecrationem.

Ad hoc facile reſpondetur.

Ad hoc tamen facile reſpondetur, in primis, non omnia, quæ interponuntur eſſe eſſentialiter neceſſaria, vt conſtat de particula, *enim*, quæ neceſſariis interponitur, & neceſſaria non eſt. Deinde dicimus, ſicut illa vox, *calix*, neceſſaria non eſſet (poſſet enim dici: *hic eſt ſanguis meus*,) & tamen de facto concurrit vt eſſentialiter neceſſaria, quia ſine illa non explicaretur ſufficienter ſenſus cum illo genitiuo, *ſanguinis mei*; requiritur quippe eſſentialiter vel, *ſanguis meus*, in recto, vel aliud rectum cum *ſanguine* in obliquo: ſic illud *nouum teſtamentum*, ſine quo poſſet eſſe conſecratio, ſi *ſanguis* diceretur in recto, concurrit tamen vt eſſentiale in illis verbis: *hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*: quia abſque illis verbis *nouum teſtamentum* non ſignificaretur ſufficienter ſenſus poſito *ſanguine* in ablatiuo.

82. *Alij ſecundo dicunt.*

Alij ſecundo dicunt, illa verba etiam, *myſterium fidei*, eſſe eſſentialia, cuius ſententiæ P. Suarez dicit nullum potuiſſe eſſe fundamentum. Sed ex ſupradictis conſtat, quale fundamentum habere potuerit: quia nimirum, ſi veritas propoſitionis non habetur vſque ad finem illius, conſequenter videbatur dici poſſe, verba illa, *hic eſt calix*, &c. non habere veritatem, & effectum, donec proferantur illa: *noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei*; quæ omnia, & ſola videntur pertinere ad illam priorem propoſitionem, tanquam partes illius, nam plura alia, quæ ſequuntur, *qui pro vobis, & pro multis*, &c. videtur iam pertinere ad aliam propoſitionem diſtinctam, cuius verbum eſt illud, *effundetur*. Vnde veritas prioris propoſitionis videtur independens à veritate poſterioris, & ideo debere poni, quando ipſa abſoluitur in illis verbis: *myſterium fidei*. Cæterum ex dictis etiam conſtat, hoc fundamentum non conuincere, quia licet detur, illa verba: *noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei*, eſſe partes prioris propoſitionis adhuc veritas illorum verborum: *hic eſt calix ſanguinis mei*, non pendet à prolatione omnium verborum ſequentium, cum antea ſit ſenſus ſufficienter explicatus, vt vidimus.

Conſtat ex dictis hoc fundamentum non conuincere.

83. *Tertio alij dicunt.*

Alij tertio è contra dicunt, verba illa: *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorũ*, eſſe eſſentialia, quia pertinent ad explicandum hoc myſterium eſſe ſacrificium repræſentatiuum Sacrificij cruenti; illa vero alia intermedia, *noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei*, non eſſe eſſentialia; quia ſolum deſeruiunt ad magis explicandum myſterium.

Hæc etiam ſententia ex ſupra dictis reiicitur, quia illa etiam verba poſtrema omnia omittuntur à Paulo; ab Euangeliſtis vero aliqua; nam Matthæus, & Lucas non habent, *pro vobis*; Marcus non habet: *in remiſſionem peccatorum*, Liturgiæ etiam, quas ex Maronitis ſupra retulimus, ea verba omittunt. Patres etiam ſupra adducti, dum efficaciam verborum adſtruunt ad conuerſionem, illa verba non referunt. Denique, quia eadem ratio videtur eſſe in conſecratione corporis, in qua tamen Eccleſia Latina omittit verba, *quod pro vobis tradetur*. Vnde apparet, non requiri eſſentialiter, quod in forma explicetur hoc myſterium vt repræſentans ſacrificium cruentum: alioquin non debuiſſent in conſecratione corporis omitti verba, quibus ſuam paſſionem Chriſtus expreſſit, ſed ſufficit ad valorem, quod explicetur præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini. 84.

Hæc ſententia ex ſupra dictis reijcitur.

Quarto denique, alij multi dicunt, illa ſola verba: *hic eſt ſanguis meus*, eſſe eſſentialia; cætera, quæ ſequuntur, eſſe ſolum ſubſtantialia, & pertinere ad formam, ac concurrere ad effectum, vt partes integrales eiuſdem formæ. Hæc ſententia duplicem ſenſum habere poteſt. Primus eſt, quod Chriſtus voluerit, ea omnia verba proferri, & quod ea omnia concurrant effectum, ita tamen, vt ſi ſola priora proferantur, adhuc conſecratio fiat. Et in hoc ſenſu facile impugnatur; Primo, quia idem dici deberet de verbis illis in conſecratione hoſtiæ, *quod pro vobis tradetur*; quæ eodem modo à Chriſto prolata fuerunt. Secundo, ex ſupra dictis; quia non eſt credibile, Euangeliſtas, Paulum, & ſanctiſſimos Patres Liturgiarum auctores in tradendo ritu huius conſecrationis omiſiſſe verba, quæ ex Chriſti præcepto neceſſaria erant. Tertio, quia ad valorem conſecrationis neceſſaria non ſunt, non eſt fundamentum ad dicendum, ex Chriſti præcepto eſſe neceſſaria: nam Chriſti præceptum habetur ex illis verbis: *hoc facite in meam commemorationem*; ex quibus non habetur niſi obligatio ponendi, quæ neceſſaria ſunt ſimpliciter ad conficiendum ſacramentum; non vero faciendi, & dicendi, quidquid Chriſtus fecit, aut dixit; alioquin eſſe etiam præceptum Chriſti conſecrandi in azymo, & dicendi illa verba: *quod pro vobis tradetur*. 85.

Quartum aliorum ſententia.

Primus huius ſententiæ ſenſus.

In quo ſenſu facile impugnatur.

Secundus ſenſus illius ſententiæ eſſe poteſt, verba priora ſola eſſe eſſentialia; quia ſine illis nullo modo fieri poteſt conſecratio, poſteriora autem eſſe ſubſtantialia, quia ſine illis poteſt valide conſecrari: poſſunt tamen ex intentione conſecrantis hæc etiam concurrere, volendo illa proferre vt partes prioris propoſitionis. In hoc autem ſenſu impugnata eſt iam illa ſententia in ſuperioribus: probauimus enim, non debere ſuſpendi effectum conſecrationis, etiamſi poſteriora verba eſſent partes propoſitionis præcedentis. Nec hoc pendet ex intentione proferentis: nam verba priora vel nihil ſignificabunt, vel debent ſignificare ſufficienter continentiam ſanguinis Chriſti ſub his ſpeciebus vini: qua ſignificatione poſita, non poteſt ex intentione miniſtri ſuſpendi effectus. 86.

Secundus ſenſus iam eſt impugnatus.

Arguunt aliqui, poſſe inueniri aliquid, quod ſit de ſubſtantia, ſeu integritate, & non de eſſentia, vt digitus in homine, in Baptiſmo etiam ſecunda, & tertia merſio, & particula, *ego*, in forma abſolutio- 87.

Arguunt alij.

nis,

nis, & verba etiam illa, *à peccatis tuis*; & in forma Baptiſmi ſi aliquis diceret: *in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti: procedentis ab vtroque*, illa vltima verba: *procedentis ab vtroque*, eſſent ſubſtantialia, ſed non eſſentialia. Denique ſatisfactio eſt etiam pars integralis, & ſubſtantialis, non tamen eſſentialis in ſacramento Pœnitentiæ.

88\. *Reſpondetur ex dictis ad primum exemplum.* Reſpondetur ex dictis: Ad primum exemplum de digito, ille quidem eſt de ſubſtantia hominis, quia eſt pars intrinſeca conferens aliquid homini, nempe illud inſtrumentum, & ornatum, ac virtutem, quam ſine digito non haberet; verba autem poſteriora nullum effectum conferunt conſecrationi. *Ad ſecundum.* Ad ſecundum exemplum, dici poteſt, ſecundam & tertiam merſionem, ſi fiunt poſt verba prolata, inuenire iam gratiam collatam, & ideo non eſſe de ſubſtantia Sacramenti; vt fatetur P. Vaſquez *num.* 41. *Ad tertium.* Ad tertium exemplum, illud, *ego*, in forma abſolutionis pertinet ad ſubſtantiam; quia debet proferri explicite, vel implicite; & quando profertur explicite, concurrit ad effectum: illa autem verba, *à peccatis tuis*, pertinent ad ſubſtantiam prout præcedunt implicite contenta in verbo, *abſoluo*: ſi autem proferrentur ante verbum *abſoluo*, vt ſi diceret Sacerdos: *ego à peccatis tuis te abſoluo*, concurrerent etiam verba illa explicita ad effectum, & eſſent de ſubſtantia formæ. *Ad quartum.* Ad quartum exemplum, verba illa, *procedentis ab vtroque*, non eſſent de ſubſtantia, quia iam inuenirent effectum productum; verba enim præcedentia facerent ſenſum perfectum. Denique ſatisfactio concurrit ad aliquam partem effectus, nempe ad remiſſionem pœnæ. Non ergo affertur exemplum de aliquo, quod nihil conferat, & tamen ſit de ſubſtantia rei, vnde ſi verba poſteriora nihil conferunt ad effectum conſecrationis, non eſt cur dicantur eſſe ſubſtantialia.

89\. *Additur tamen poſſe.* Addo tamen, poſſe in aliquo ſenſu verba illa poſteriora dici, quod pertineant ad ſubſtantiam formæ conſecrationis, quatenus ſcilicet componunt illam integram formulam, per quam, licet non per ſingulas partes, fit conſecratio: ad hoc enim, vt aliqua ſit pars formæ ſubſtantialis, non requiritur, quod ipſamet pars, prout condiſtincta ab alijs, influat: quod quidem alijs clarioribus exemplis probari poteſt. Nam vltima ſyllaba neceſſaria ad effectum, vt ſupra diximus, non eſt indiuiſibilis, ſed habet prolationem ſucceſſiuam conſtantem ex pluribus partibus quarum ſi deeſſent aliquæ, adhuc fieret conſecratio, imo de facto fit, antequam ponantur omnes illæ partes, vbi primum poſita eſt prolatio ſufficiens ad ſignificandum; & tamen tota illa prolatio vltimæ ſyllabæ pertinet ad formam Sacramenti: loquitur enim eodem modo Sacerdos nomine Chriſti in tota illa prolatione; alioquin ſi in prima ſolum parte prolationis loqueretur nomine Chriſti, ſequitur, quod in reliquis partibus prolationis vel non loquatur, vel loquatur nomine ſuo, ac per conſequens loquatur falſo, cum dicat, illud eſſe corpus ſuum, cum non ſit ſuum, ſed Chriſti: *Fatendum eſt in tota illa prolatione Sacerdotem loqui nomine Chriſti.* fatendum ergo eſt, in tota illa prolatione Sacerdotem loqui nomine Chriſti, atque ideo Chriſtum loqui medio Sacerdote: habent ergo ſe verba illa, ſicut proferentur ab ipſo Chriſto. Porro ſi ab ipſo Chriſto proferrentur, omnes partes prolationis illius vltimæ ſyllabæ, dicerentur partes formæ: quando enim Chriſtus in cœna conſecrauit, & dixit: *hoc eſt corpus meum*, illa vltima ſyllaba non ita conciſe fuit prolata, vt indigeret tota illa prolatione ad ſui expreſſionem; & per conſequens effectus conſecrationis poſitus fuit, antequam abſolueretur tota prolatio, cum iam eſſet prolata ſufficienter ad ſignificandum ſuum ſenſum, & tamen omnes dicunt, illa verba, & eorum prolationem fuiſſe formam conſecrationis, non diſtinguentes de parte priori, aut poſteriori prolationis. Quando item dixit illa verba: *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt*, dicimus, protuliſſe ſolam formam, qua dedit Apoſtolis poteſtatem iudicariam: nihil ergo aliud protulit præter formam; atque ideo omnes partes illius prolationis, erant partes formæ, licet aliquæ partes in prolatione vltimæ ſyllabæ ſupponerent iam effectum factum, & poteſtatem collatam. Idem ergo dicendum eſt de ſacerdote loquente nomine Chriſti, & proferente illa verba: *hoc eſt corpus meum*, nihil aliud proferre, niſi formam conſecrationis, atque ideo omnes partes illius prolationis eſſe partes formæ, licet aliquæ partes ſupponant iam conſecrationem factam.

Eodem ergo modo dicendum videtur de verbis poſterioribus in conſecratione calicis, eſſe quidem illa partes ſubſtantiales formæ, licet inueniant conſecrationem factam. Nam verba etiam illa non ſolum proferuntur à ſacerdote in perſona Chriſti (hoc enim fortaſſe conuenit illis etiam verbis: *Accipite, bibite*,) ſed dicuntur in perſona Chriſti eodem contextu, & vt partes eiuſdem orationis, cum omnia illa verba deſeruiant ad explicandum magis ſanguinem contentum ſub iis ſpeciebus. Quamuis ergo ipſa, prout condiſtincta ab alijs, non efficiant, ſunt tamen pars illius ſermonis, & orationis, qua fit conſecratio; & per conſequens componunt eam orationem, quæ eſt forma, cum alijs præcedentibus; & in hoc ſenſu poſſunt dici pertinere ad ſubſtantiam formæ, hoc eſt, eſſe partes intrinſecas illius orationis, quæ eſt forma. Quod poteſt rurſus explicari; quaſi Chriſtus per ſeipſum immediate abſolueret, & diceret: *Ego te abſoluo à tuis peccatis, & culpis*, omnia illa verba componerent formam, quia per omnia illa ſignificaret remiſſionem, & exprimeret animum, & mentem ſuam; ergo eadem verba dicta à ſacerdote vt miniſtro Chriſti, erunt etiam forma, quia ſignificabunt eodem modo remiſſionem, & exprimunt intentionem, & animum ſacerdotis; & tamen illa verba, *& culpis*; ſupponerent effectum productum à verbis præcedentibus, quæ ſufficienter ſignificabant; ergo & illa etiam verba poſteriora in conſecratione calicis poterunt eſſe pars formæ, licet inueniant conuerſionem factam, quia nimirum omnia cum præcedentibus tendunt ad explicandam mentem loquentis, & ſignificandum, & declarandum ſanguinem, qui affirmatur contineri ſub ſpeciebus. 90. *Eodem modo dicendum eſt de verbis poſterioribus in conſecratione calicis.*

Reſtat nunc breuiter reſpondere ad aliqua argumenta, quæ ſuperſunt pro prima ſententia. Primum eſt, quia ea omnia verba eodem ritu proferuntur à ſacerdote manibus tenente calicem, & eiſdem characteribus maiuſculis notantur in Miſſali. 91. *Obijcitur primo.* Reſpondetur, particulam etiam *enim* notari litteris maiuſculis, & proferri eodem ritu, licet non ſit eſſentialis. *Reſpondetur.* Dicuntur autem eodem ritu, & tenore, tum quia, cum pertineant ad eandem orationem, & loquutionem, non poſſent abſque inconuenienti interrumpi, tum vt melius imitemur Chriſtum, qui ſimul ea verba abſque interruptione protulit; ſicut etiam in forma abſolutionis eodem ritu, & tenore proferuntur illa omnia: *Ego te abſoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, licet illa vltima, *in nomine Patris*, &c. certum ſit non eſſe eſſentialia; illa vero, *à peccatis tuis*, ſit etiam probabilius, quod inueniant

niant effectum collatum per verba præcedentia.

91. *Secundo arguitur ex Florentino.* Secundo, argui ſolet ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij, & ex Concilio Colonienſi *p. 7. c.* 14 & in Enchiridio eiuſdem Concilij, & ex Innocentio III. in c. *Cum Marthæ.* de celebratione Miſſarum, & ex Catechiſmo Romano, in quibus illa omnia verba aſſignantur pro forma. *Reſpondetur.* Reſpondetur, in iis locis non dici, ſingula ex iis verbis eſſe neceſſaria ad valorem, ſed illam eſſe formam; ad quod ſufficit, quod per aliqua verba in iis contenta fiat conſecratio. Sicut in eodem loco Concilij Florent. aſſignantur pro forma ſacramenti Ordinis illa verba: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro viuis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; cum tamen certum ſit, verba illa, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti* (vt aliam prætermittam) non eſſe neceſſaria. Adde, in Florentino iuxta eius vulgatam editionem non haberi illa omnia verba conſecrationis calicis: ſolum enim dicitur formam eſſe verba, quibus Chriſtus hoc ſacrificium conficit, vel confecit. In Catechiſmo etiam non dicitur, illa omnia verba eſſe formam, ſed *in illis verbis comprehendi formam*, quod veriſſimum eſt, licet non omnia ſint neceſſaria. Denique Innocentius in illo cap. *Cum Marthæ*, non dicit, illa omnia verba eſſe formam, ſed Archiepiſcopo Lugdunenſi interroganti, cur in forma conſecrationis addita fuerint aliqua verba, quæ non ſunt in Euangelio? reſpondet, illa verba haberi ex traditione Apoſtolorum; & omnia eſſe myſteriis plena.

93. *Obiicitur tertiò.* Tertio obiici poteſt, quia ſi verba illa non ſunt neceſſaria, non apparet cur magis in conſecratione calicis explicetur eius effuſio in remiſſionem *Reſpondetur.* peccatorum, quam in conſecratione corporis. Reſpondetur, fuiſſe aliquas rationes congruentiæ. *Prima congruentia.* Prima eſt, quia in conſecratione calicis Chriſtus mentionem fecit noui teſtamenti; teſtamentum autem ſanguine confirmari debuit; ideo oportuit *Secunda.* ſanguinem effuſum explicare. Secunda, quia magis aptus eſt ſanguis effuſus ad repræſentandam paſſio- *Tertia.* nem, & necem, quàm corpus: ideo Martyrum paſſio rubro colore celebratur. Tertia, quia nondum complete Chriſti mors repræſentatur; donec corpus ſeorſim ex vi verborum, & ſanguis ſeorſim proponantur; tunc enim ſeparatio vnius ab alio complete exprimitur. Cum ergo ſatis eſſet ſemel paſſionem Chriſti commemoratione, magis congruum fuit id facere in conſecratione calicis, quando iam corpus ſeorſim, & ſanguis ex vi verborum propoſita ſunt, quam in conſecratione corporis, quando illa ſeparatio nondum complete exprimebatur. Vide alias congruentias apud Auctores in præſenti, apud quos videri poteſt ſenſus & ſignificatio ſingulorum verborum, quæ in conſecratione calicis adiiciuntur, quæ etiam optime explicantur in Catechiſmo Pij V. & facilia ſunt. Nunc iam progrediamur ad alias quæſtiones circa eadem conſecrationis verba.

SECTIO V.

An verba conſecrationis dicantur recitatiuè, an vero enunciatiuè.

94. *Quid ſit verba dici recitatiue & enunciatiue.* Recitatiue, ſeu materialiter dicuntur aliqua verba, quando proferens nihil intendit affirmare per illa, ſed ſolum hiſtorice referre, quid alius dixerit; vt ſi dicas: *Ariſtoteles dixit: mundus fuit ab æterno*; tunc non affirmas, mundum fuiſſe ab æterno, ſed ſolum refers, Ariſtotelem id dixiſſe. Enunciatiue vero dicuntur, quando intendis affirmare, quod verba ſonant; quod etiam dicitur, *ſignificatiue*, ſeu, *formaliter*, ea proferre. Hoc ſuppoſito, quæritur, an Sacerdos proferens verba conſecrationis, intendat ſolum referre, quid Chriſtus dixerit, an vero affirmare, hoc eſſe corpus Chriſti.

95. *Prima ſententia.* Tres ſunt in hac quæſtione ſententiæ. Prima docet, prædicta verba ſolum dici à Sacerdote recitatiue, & materialiter. Hanc tenent complures, quos refert Suarez *diſp.* 58. *ſect.* 4. quos ſequitur P. Salmeron *tom.* 9. in Euang *tract.* 23 vbi late probatur & defendit iſtam ſententiam. *Suarez Salmeron.* *Secunda ſententia.* Secunda docet, prædicta verba dici vtroque modo, recitatiue ſcilicet, & ſignificatiue, ſeu formaliter: ita tamen vt ad valorem conſecrationis ſolum requiratur, quod dicantur ſignificatiue, & formaliter. Ita tenet Suarez vbi ſupra, cum aliis; quos refert.

96. *Tertia ſententia.* Tertia ſententia, quam aliquando veriorem exiſtimabam, docet, verba non proferri materialiter, & recitatiue, ſed ſolum formaliter ſeu affirmatiue. Hanc tenent quamplures, quos refert, & ſequitur P. Vaſq. *Vaſq.* *diſp.* 200. *cap.* 2. Duas partes continet hæc ſententia, quas oportet ſingillatim probare. *Duæ partes huius ſententiæ.* Prima eſt, verba non dici ſolum recitatiue, & materialiter; ſecunda, quod dicantur ſolum formaliter, & ſignificatiue. Primam partem exiſtimat Vaſquez *num.* 14. ita certam, vt oppoſitum non dubitet erroris inſimulare; ſed immerito. Crediderim ſane, eum non vidiſſe P. Salmeron vbi ſupra, qui doctiſſime eam tuetur, & ab omni calumnia liberare conatur.

97. *Arguit primo Vaſquez.* Arguit primo P. Vaſquez, quia Tridentinum ex veritate verborum colligit præſentiam corporis Chriſti; ergo verba non ſolum dicuntur recitatiue (vt ſic enim ad eorum veritatem ſolum oporteret dicta fuiſſe à Chriſto, ſed etiam dicuntur aſſertiue, & ſignificatiue. Verum hoc argumentum *Hoc argumentum non eſt efficax.* non eſt omnino efficax: poteſt enim reſponderi, Eccleſiam collegiſſe præſentiam Chriſti ex veritate verborum, quæ dixit ipſe Chriſtus, conſequenter autem colligit præſentiam Chriſti in noſtra Euchariſtia, quia Chriſtus dedit Apoſtolis poteſtatem conficiendi idem ſacramentum quod ipſe fecit recitando eadem verba.

98. *Arguit ſecundo.* Arguit ſecundo, quia conuerſio datur ratione repugnantiæ inter corpus Chriſti, & ſubſtantiam panis: hæc autem repugnantia oritur ex veritate verborum; nam corpus Chriſti non pugnat ſecundum ſe cum pane, ſed prout ſignificatur per *ly hoc*; ergo verba ſignificatiue proferuntur, & non tantum materialiter. Hoc etiam argumentum procedit ex incerto principio; nam vt vidimus *diſput.* 7. hic interne, it repugnantia phyſica, & non ex ſola ſignificatione. *Hoc argumentum ex incerto principio procedit.* Quare non debuit ob incerta fundamenta notare vt erroneam ſententiam contrariam.

99. *Veritas huius ſententiæ quoad primam partem probatur.* Cæterum adhuc veritas huius ſententiæ, quoad hanc primam partem probari poteſt. Primo, ex Concilio Florentino, vbi dicitur; *Sacerdotem in perſona Chriſti loquentem conficere hoc ſacramentum*; quod idem docent Patres, Ambr. 4 *de ſacr. c.* 4. *Quando peruenit Sacerdos ad conficiendum ſacramentum iam non ſuis, ſed vtitur ſermonibus Chriſti.* *Concil. Florent.* Chryſoſt. *homil.* 83. in Matth. & *homil.* 2. *in* 2. ad Timoth. *Ambroſ. Chryſoſt.* Chriſtum eſſe, qui per os ſacerdotis illa verba pronunciat: quod idem alij Patres paſſim docent. Et ægre in oppoſita ſententia explicari poteſt: nam verba recitatiue *dicta* proprie recitantur à Sacerdote nomine ſuo.

100. *Secundo probatur ratione.* Secundo probatur ratione, quia ſi verba debent accipi recitatiue, conſequens eſt, vt per illa verba, *hoc eſt Corpus meum*, per ſe prolata ſine antecedentibus non conficiatur hoc ſacramentum; quia vt ſic non dicuntur recitatiue, niſi dicatur,

Chriſtum illa dixiſſe. Conſequens autem licet aliqui admittant, videtur ſanè durißimum: ſequeretur enim ex hoc illa verba non eſſe totam formam, ſed illa cum antecedentibus; ita vt verba priora ſint etiam pars formæ, vt probauimus *ſect.* 2.

101. *Confirmatur primo.* Confirmatur primo, quia Chriſtus iuſſit Apoſtolos conſecrare Euchariſtiam, & facere quod ipſe fecit: ipſe conſecrauit proferens verba non ſolum materialiter, ſed aſſertiue & ſignificatiue; ergo eodem modo voluit verba ab Apoſtolis proferri, alioquin haberent Apoſtoli valde diuerſum modum conſecrandi: multum enim differunt dicere: *hoc eſt Corpus meum* & dicere: *Chriſtus dixit, hoc eſſe Corpus ſuum.* *Confirmatur ſecundo.* Confirmatur ſecundo, quia aliqua ponuntur in Euchariſtia ex vi verborum, & aliqua per concomitantiam; ergo verba prout nunc proferuntur, ſignificant corpus Chriſti poni ſub ſpeciebus panis; ergo dicuntur aſſertiue. *Inſtantia.* Dices, poni ex vi, & ſignificatione verborum, non prout nunc proferuntur à ſacerdote, ſed prout dicta fuerunt à Chriſto aſſertiue. *Diluitur.* Sed contra; ergo ea ponuntur nunc ex vi verborum, quæ ſignificauit Chriſtus in cœna poni per verba; Ergo totus ſanguis, quem habuit Chriſtus in cœna ponitur nunc ex vi verborum in calice. Patet conſequentia, quia per te illa ponantur nunc ex vi verborum, quæ tunc ſignificata fuerunt per verba, non quæ modo ſignificantur. Conſequens autem eſt falſum, quia aliquæ ſanguinis particulæ relictæ fuerunt corruptæ in Spinis, & Lancea; vt ex communi Theologorum, & experientia probatum eſt in 1. tomo de Incarnat. *diſſ.* 14.

102. *Hoc ipſum probant alij.* Probant alij hoc ipſum ex eo, quod in hoc ſacramento requiritur omnino præſentia materiæ conſecrandæ, quæ neceſſitas colligitur ex verbis, quibus conſecratur, quia illud, *hoc*, non poteſt deſignari, niſi contentum ſub accidentibus præſentibus ad ſenſum: ergo Sacerdos per verba loquitur de hoſtia ſibi præſenti; & per conſequens non recitat ſolum quod olim Chriſtus dixit, ſed affirmat etiam de contento ſub his ſpeciebus ſibi præſentibus. *Hoc argumento non vtimur.* Hoc tamen argumento non vtor libenter, quia licet verba requirant ex vi ſuæ ſignificationis aliquam præſentiam materiæ; non tamen videntur ex hoc capite exigere tantam præſentiam, quanta requiritur ad valorem conſecrationis. Nam per pronomen *hoc*, & *hic*, poſſumus in rigore loqui de perſonis, aut rebus præſentibus quidem, licet non ſint præſentes tota duratione propoſitionis; ad valorem vero conſecrationis requiritur præſentia materiæ ab initio vſque ad finem propoſitionis: aliunde ergo quam ex præciſa ſignificatione pronominis *hoc*, debemus concedere præſentiam materiæ conſecrandæ, licet ex illo etiam pronomine probetur bene neceſſitas alicuius præſentiæ materiæ.

103. *Secunda pars huius ſententiæ probari poſſet.* Secunda vero pars huius ſententiæ, ſcilicet, non dici verba recitatiue, ſed ſolum formaliter, & aſſertiue, probari poteſt, quia Sacerdos dicturus illa verba, exuit propriam perſonam, & induit perſonam Chriſti: ergo Sacerdos dicens illa verba, non loquitur ſuo nomine, ſed ſolum nomine Chriſti; ergo non recitatiue, ſed ſolum ſignificatiue, & formaliter. Antecedens, & prima conſequentia probatur ex Ambroſio vbi ſupra in illis verbis: *Sacerdos, quando peruenit ad conficiendum ſacramentum, iam non ſuis ſed vtitur ſermonibus Chriſti.* Ecce Ambroſius non ſolum vult Sacerdotem loqui in perſona Chriſti, ſed etiam non loqui in propria perſona, neque illa eſſe verba Sacerdotis; quia cum Sacerdos aſſumatur à Chriſto, vt eum repræſentet, & vt Chriſtus per Sacerdotis os loquatur, quaſi ipſe Chriſtus loqueretur, non docuit, Sacerdotem adhuc retinere in illis verbis propriam perſonam, & loqui etiam nomine ſuo; hoc enim magnam confuſionem pareret auditoribus, ſi Sacerdos vtroque nomine loqui vellet, & proprio, & Chriſti. Secunda vero conſequentia probatur, quia ſi Sacerdos loqueretur recitatiue, loqueretur etiam nomine proprio; etiam vt recitans non loqueretur nomine Chriſti: Chriſtus enim non recitat, ſe olim dixiſſe, ſed modo aſſerit, *hoc eſſe corpus ſuum*; nec ſubſtituit ſibi Sacerdotem ad recitandum, ſed ad aſſerendum; & ad hoc ſolum dedit Sacerdotibus poteſtatem: ergo ſi Sacerdos recitaret, loqueretur vt ſic, non Chriſti nomine, ſed proprio, gerens non Chriſti perſonam, ſed hiſtoriographi narrantis factum præteritum: ergo vt ſic loqueretur verbis ſuis contra Ambroſium, quatenus in propria perſona, & propria auctoritate narraret illud factum: ergo dicendum eſt, illa verba taliter proferri à Sacerdote nomine Chriſti & aſſertiue, vt nullo modo intendat per illa ſenſum materialem, & recitatiuum.

104. *Inſtabis.* Dices, non eſt inconueniens, quod eadem verba ſimul dicantur recitatiue, & aſſertiue: nam Sacerdos in Miſſa vtroque modo dicit orationem Dominicam, vt patet ex illis verbis antecedentibus, *Diuina inſtitutione formati audemus dicere: Pater noſter,* &c. *Reſpondeo.* Sed contra; quia in primis Sacerdos ibi non vſurpat duas perſonas, ſicut in noſtro caſu deberet vſurpare, alteram Chriſti, cuius nomine aſſereret, alteram propriam, ſuo nomine narrando factum præteritum Chriſti, quod ſine inconuenienti fieri non poteſt. Deinde falſum videtur Sacerdotem loqui recitatiue, dum dicit orationem Dominicam; neque enim verbis antecedentibus dicit, ſe narraturum, aut relaturum: quod dixit Chriſtus, ſed ſe ex præcepto, & inſtitutione Chriſti oraturum. Et quidem quando ego dico, *Oro te hoc modo*; vel, *audi orationem meam quæ talis eſt, fac hoc in gratiam mei* &c. Nemo dicit me loqui recitatiue in verbis, & petitione ſequenti; dicere enim per actum reflexum, me loqui, non facit, quod loquutio ſequens faciat recitatiue v. g. cum dico: *Ego dico tibi, quod Petrus eſt in foro*; certe non dico recitatiue, Petrum eſſe in foro, ſed ſolum affirmatiue, ſeu enunciatiue. *Ratio eſt.* Ratio autem eſt, quia illa reflexio per illa verba, *Ego dico tibi*, non eſt niſi explicare id, quod eſt implicitum in qualibet loquutione directa; quicumque enim loquitur, dicit id, quod loquitur; & quamuis ſolum dixiſſem, *Petrus eſt in foro*, eſſet verum, ipſum dicere, *Petrum eſſe in foro*. Similiter, qui dicit reflexe: *Ego oro hoc pacto, da mihi librum*, nihil aliud explicat, niſi id quod implicite continebatur in illis verbis *da mihi librum*. Sacerdos ergo dum dicit, *Ex præcepto Chriſti audeo dicere ſeu orare: Pater noſter*, &c, non loquitur recitatiue in verbis ſequentibus, ſed orat in actu exercito; quem actum orandi explicuit in actu ſignato in verbis antecedentibus. Sicut cum aliquis Doctor dicit, *Ego auctoritate S. Thomæ audeo dicere, & affirmare, non dari actum indifferentem in indiuiduo*, &c non recitat, ſed affirmat in actu exercito, adducta auctoritate, qua mouetur ad affirmandum.

105. *Dici ergo poſſet Sacerdotem recitare verba antecedentia, &c.* Dici ergo poſſet, Sacerdotem verba antecedentia, dicere narratiue, quia omnia ſunt quaſi quædam introductio, vt reddat tam ſe ipſum Sacerdotem, quam alios magis attentos ad verba Chriſti, quæ quidem non dicit iam Sacerdos, ſed ipſe Chriſtus, ſeu Sacerdos aſſumens perſonam Chriſti, quare totum quod antecedit, perinde ſe habet ac ſi alius tertius inſtrueret præſentes, & diceret: Chriſtus accepit panem, fregit, &c. & dixit, quæ ab ipſo audietis: tunc autem incipit Chriſtus loqui per os Sacerdotis; cum ergo Chriſtus non loquatur recitatiue: ſed aſſertiue,

aſſertiue, conſequens eſt, vt illa verba aſſertiue ſolum ſint accipienda.

106. *Obiicit primo Suarez.* *Reſpondent aliqui.* Obiicit primo Suarez, non poſſe poni *ly enim*, quæ eſt connexio cum præcedentibus, niſi in illa verba cõnectantur cum præcedentibus recitatiue. Reſpõdent aliqui, *ly enim* proferri à Sacerdote recitatiue, & non in perſona Chriſti, cum non pertineat ad ſubſtantiam conſecrationis; Sacerdos enim ſolum aſſumitur à Chriſto ad verba cõſecrationis, ad quæ ſolum fuit ſubſtitutus, non ad alia: quare *ly enim*, licet interponatur in verbis conſecrationis, perinde ſe habet, ac ſi antecederet, & Sacerdos recitatiue diceret *Chriſtus accepit panem, & dixit, Comedite ex hoc omnes, quia*: tunc autem incipit Chriſtus loqui, *Hoc eſt corpus meum*, quæ ſola ſunt verba Chriſti per os Sacerdotis: reliqua autem ſunt præambula, vt cum maiori connexione, & decentia proferantur verba Chriſti. Sed contra hoc eſt; quia ſi verba illa

Refelluntur. antecedentia *comedite ex hoc omnes*, non dicuntur in perſona Chriſti, ſed merè narratiuè; per *ly hoc* in verbis illis antecedentibus ſignificaretur illud, quod Chriſtus habebat in manibus tempore cœnæ: tunc autẽ non benè adiungitur cauſalis per *ly enim*, quia *hoc eſt corpus meum*: nã *ly hoc* in verbis ſequentibus ſignificat, quod modo habet Sacerdos in manibus: non eſt enim bona cauſalis. Chriſtus dixit vt comederẽt ex eo quod tũc habebat in manib⁹, quia hoc, quod nũc habeo in manibus, eſt corpus Chriſti: ergo *ly hoc* vtrobique idẽ ſignificat, & per conſequẽs verba illa priora etiam dicuntur in perſona Chriſti.

107. *Contra hoc eſt ſecunda obiectio.* Sed contra hoc eſt ſecunda obiectio, quia ſi ea omnia dicuntur affirmatiuè in perſona Chriſti, ergo Chriſtus nunc affirmat, ſuum ſanguinem effundendum eſſe, dum dicit: *qui pro vobis effundetur*. &c. hoc autem eſt falſum; ergo illa verba ſolum proferuntur recitatiuè.

Aliqui dicunt. Aliqui dicunt, per illa verba non ſignificari effuſionem cruentam crucis, ſed effectum ſacramentalem. Hanc tamen interpretationem latè impugnat Vaſquez *diſp.* 199. ideo magis placet reſponſio euſdem Vaſquez *diſp.* 200. *c.* 4. Sacerdotem repræſentare nunc Chriſtum loquentem tempore cœnæ ad diſcipulos, atque ideo verè affirmare effuſionem quæ conſideratur futura reſpectu illius temporis, licèt ſit præterita reſpectu noſtri temporis. Nam ſicut per hanc hoſtiam, quam accipit in manibus, repræſentat illam aliam, quam Chriſtus accepit in ſuas, ita tamen vt ſub hac hoſtia affirmet eſſe corpus Chriſti, repræſentando quomodo Chriſtus affirmauit eſſe ſub alia; ita, licèt pro hoc tempore præſenti affirmet, hoc eſt corpus Chriſti, repræſentat tamen per hoc tempus illud, quod Chriſtus in cœna affirmauit, illud eſſe corpus ſuum; & ideo ſicut verè dicit Sacerdos: *Hoc eſt corpus meum*, quia *ly meum* non refertur ad perſonam Sacerdotis, ſed ad illam, quam repræſentat; ita verè dicit, *qui pro vobis effundetur*, quia illa futuritio non comparatur ad tempus præſens, quatenus tale eſt, ſed ad illud, quod repræſentat. Voluit enim Chriſtus in hoc ſacramento ita coniungere facti veritatem, vt ſimul eſſet quaſi tragica repræſentatio illius, quod factũ eſt in cœna; ideo dixit, *hoc facite in mei commemorationem*, dum dicit, *hoc facite*, dedit poteſtatem faciendi idem realiter, quod ipſe fecit: dum verò adiunxit, *in mei commemorationem*, præſcripſit modum faciendi, ſcilicet repræſentando ipſam actionem Chriſti; ſicut in tragœdia ſolet repræſentari. Verificantur ergo verba nunc, & de hac hoſtia; ſed per hanc hoſtiam, & per hoc tempus repræſentatur hoſtia & tempus, quæ fuerunt in cœna, & ipſe Chriſtus loquens cum Apoſtolis in cœna.

108. *Inſtab.* *Reſpondeo.* Dices; ergo illa etiam verba: *hæc quotieſcumque feceritis*, &c. dicuntur à Sacerdote in perſona Chriſti, & ſignificatiuè, ſicut illa priora. Negari poteſt conſequentia: quia illa verba continẽt Chriſti præceptum, præceptum autem non fuit de ipſo præcepto, ſed de iis, quæ præceſſerant. Chriſtus ergo per illa verba, *hoc facite*, &c. præcepit Apoſtolis, vt facerent, & dicerent, quod ipſe fecerat, & dixerat non verò quod dicerent illa verba, quibus id præcipiebat: ideo fortaſſe illa verba nõ dicuntur ſimul cum aliis, ſed in eleuatione calicis, quaſi indicando iam tunc Sacerdotem reſumere ſuam perſonam, & deponere perſonam Chriſti, quam aſſumpſerat.

109. *Tertio obiicitur.* Tertio obiicitur: ad hoc vt Sacerdos verè loquatur, neceſſe eſt Chriſtum dixiſſe in cœna: *hoc eſt Corpus meum*. ergo Sacerdos dicit, Chriſtum illa verba dixiſſe; ergo dum illa profert, loquitur etiam recitatiue. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando vltimã conſequentiam, concedo itaque, Sacerdotem per verba antecedentia dicere, quod Chriſtus in cœna dixerit verba ſequentia, & ideo ne mentiatur ſacerdos oportet Chriſtum ea in cœna dixiſſe. Cæterum, dum ipſa verba ſequentia proferuntur, non recitat Sacerdos, ſed loquitur ſolus Chriſtus: quare ſicut ſi Chriſtus illa verba ſuómet ore tunc proferret, adhuc oporteret olim etiã dicta fuiſſe à Chriſto in cœna, ne Sacerdos mentiretur; & tamen non diceret, quod loquente Chriſto, ſacerdos recitatiuè loqueretur; ita in præſenti. Ratio eſt; quia ſi ego dicam: *Petrus dixit heri verba, quæ modo ipſe Petrus loquitur*; iam ibi affirmo, verba ſequentia dicta heri à Petro, & mentior, ſi verba ſequentia non fuerint heri dicta à Petro, non tamen recito ego illa verba, dum Petrus loquitur: ſic etiam cõtingit in præſenti, vt dictũ eſt.

110. *Hoc modo aliquando defendebamus hanc ſententiam.* *Non tamen ea nos cogũt recedere ab illa alia.* Hoc modo defendebam aliquando (vt dixi) eam ſententiam; ſed vt verum fatear, ea non cogunt recedere ab illa alia, quæ magis communis eſt, & docet, ea verba de facto vtroque modo dici à Sacerdote; & quam videtur omnino ſequi S. Thomas *art.* 1. in corpore, dum ait; verba *non accipi tantum materialiter*, & clericis poſtea: *nec obſtat* (inquit) *quod Sacerdos ea recitatiuè profert, quaſi à Chriſto dicta*. Et quidem in hac difficultate aliqua videntur eſſe debere certa vtriuſque partis ſectatoribus; iis ſcilicet, qui tenent, dici ſolum ſignificatiuè, & iis, qui tenent, dici vtroque modo: aliqua verò ſunt magis dubia. *Aliqua certa ſunt vtrique parti.*

111. *Primũ quod certum eſt.* Primò, certum debet eſſe vtrique, licèt hæc verba dicantur etiam recitatiuè, id nihil conferre ad conſecrationem, ad quam ſolum attenduntur verba, quatenus dicuntur ſignificatiuè, ſeu enunciatiue. Conſtat enim apud Auctores vtriuſque partis, ſufficere ad valorem conſecrationis illa ſola verba, *hoc eſt corpus meum*, abſque illis verbis præcedentibus: tunc autem certum eſt, non poſſe dici recitatiuè; ſenſus enim recitatiuus pendet omnino ex illis verbis: *qui pridie quam pateretur dixit*; vnde illa etiã verba præcedentia haberent rationem formæ conſecrationis, vt ſupra arguebamus; quod eſt contra vtriuſque partis Auctores. Denique Chriſtus non dedit poteſtatem niſi faciendi id, quod ipſe fecerat: ipſe autem non recitauit, ſed affirmauit: ergo ſolum dedit nobis poteſtatem affirmandi eius nomine, & eo modo conficiendi ſacramentũ. Semper ergo debent manere verba in ſolo ſenſu affirmatiuo, quo Chriſtus præcepit, vt proferantur: quidquid autem addatur, non debet lædere, aut minuere illam ſignificationem, & ſenſum. Sicut in forma Baptiſmi, quia Chriſtus præcepit, vt diceremus ſignificatiuè ea verba *Ego te Baptizo*, &c. non debet eis addi aliquid, per quod lædatur, aut minuatur ille ſenſus:

& licèt poſſent etiam dici ſimul recitatiuè, non tamen concurrerent ad effectum Baptiſmi, niſi præcisè ſecundum ſenſum ſignificatiuum, in quo ex præcepto, & inſtitutione Chriſti debent proferri.

112. *Secundum quod certũ.* Secundo etiam certum videtur, verba conſecrationis de facto dici aliquo modo recitatiuè, ſeu narratiuè: Sacerdos enim in toto illo contextu refert, Chriſtum accepiſſe panem, fregiſſe, dediſſe, & dixiſſe *hoc eſt corpus meum.* Sicut ergo narrat cætera, narrat etiam dicta fuiſſe illa verba, ita vt ſi illa verba dicta non fuiſſent à Chriſto, mentiretur de facto Sacerdos: hoc ergo eſt narrare verba præterita, & recitare aliquo modo. Poteſt tamen eſſe dubium adhuc, an recitentur propriè, vel impropriè. Pro quo aduerte, me poſſe narrare verba præterita alicuius dupliciter: primo, ſimpliciter, & propriè; vt cum dico: *Ariſtoteles dixit: mundus fuit ab æterno; Caluinus dixit. Chriſtus non eſt in Euchariſtia*; tunc illa verba Ariſtotelis, & Caluini profero recitatiuè, & materialiter, affirmando ſolum, dicta fuiſſe, & tanquam extremum illius propoſitionis integræ, qua id affirmo. Secundo, poſſum dicere, *Petrus heri habuit concionem, quam nunc etiam audietis à me*, & tunc incipio ego etiam concionari, & hortari populum, &c. non enim poteſt negari, quin ea concio aliquo etiam modo narratiuè dicatur, quatenus dixi, Petrum eam concionem habuiſſe, atque ideo mentirer, ſi ſupponerem concionem diuerſam loco illius quam habuit Petrus.

113. *Differentia quæ eſt inter illos duos modos dicendi recitatiuè.* Eſt tamen differentia inter illos duos modos dicendi aliquid recitatiuè; nam in primo ita recito verba Ariſtotelis, v. g. vt faciam ea partem propoſitionis, qua affirmo, fuiſſe ab Ariſtotele dicta: vnde fit, vt, ſi ſupponerem alia verba ab Ariſtotele non dicta, mentirer tunc, quando actu profero illa verba, ſeu in fine illorum, quia tunc abſoluitur propoſitio, qua id affirmo. At verò in ſecundo modo recitandi, propoſitio qua affirmo, illam concionem habitam fuiſſe heri à Petro, non includit ipſam concionem poſtea referendam intrinſecè, ſed prius abſoluitur, quando dico, *Petrus heri habuit concionem, quam ego mox etiam habebo.* Vnde ſi non habeo animum referendi poſtea concionem Petri, ſed aliam, tunc mentior, antequam ſubiiciam ipſam concionem: è contra verò, ſi habeo animum eam ſubiiciendi, tunc dico verum. & licèt poſtea, mutato animo, non dicam omnino eamdem concionem, non mentior, ſed erit defectus ſeruandi promiſſum. Sicut qui promittit etiam cum iuramento cras dare obolum, ſi nunc habet animum dandi, non eſt periurus, licèt cras, mutato animo, non dans peccabit quidem leuiter contra promiſſum, non tamen erit periurus, ſicut fuiſſet, ſi hodie quando id iurat, non haberet animum dandi: ſic in caſu noſtro, qui dicit ſe dicturum concionem Petri non eſt mendax, ſi tunc habet animum dicendi, licèt poſtea, mutato animo, non dicat. Quod conſtat à ſimili, ſi enim dicam: *heri Petrus habuit concionem, quam nunc audietis à Paulo*, non ſum mendax, licèt Paulus poſtea eam non dicat, ſed aliam; ſi autem ego putabam, dicturum concionem Petri, quia nimirum, quando poſtea Paulus concionatur, non affirmo actu ego illam concionem eſſe Petri, ſed id prius affirmaui: ergo eodem modo, concionante me poſtea, non affirmo actu tunc, illam concionem eſſe Petri, ſed prius affirmaui; & ideo poſtea non mentior, quia iam propoſitio, qua id affirmaui, ſupponitur abſoluta, & finita cum ſuo toto ſuo ſenſu profecto. Adhuc tamen verum eſt, quod in hoc etiam ſecundo caſu narro, & refero, Petrum habuiſſe talem concionem; & quando illã profero, aliquo etiam modo profero recitatiuè, ſcilicet, vt id, quod prius affirmaui dictũ fuiſſe heri à Petro. Sic ergo Sacerdos in Miſſa ad minus hoc modo, & in hoc ſenſu profert recitatiuè verba cõſecrationis, quatenus ſi nõ quãdo actu profert, prius tamen ſaltẽ affirmauit, Chriſtum dixiſſe verba, quæ ipſe poſtea Chriſti etiã nomine dicturus eſt: vnde proferendo poſtea illa verba, oſtendit, de quibus verbis prius affirmauit dicta fuiſſe olim à Chriſto. Si tamen nolit ea verba eſſe partem propoſitionis, qua id affirmat, ſed propoſitionẽ prius manere abſolutã, non pendebit veracitas illius narrationis ab eo, quod verba poſteriora dicta fuerint olim à Chriſto: iã enim fuit verax, cum haberet tunc animũ dicẽdi verba, quæ putabat, olim fuiſſe dicta à Chriſto.

Ex his, tertio videtur etiam certum eſſe, quod loquendo de poſſibili, poſſunt illa verba proferri vtroque modo ex intentione loquẽtis: poteſt enim, qui loquitur, in verbis antecedentibus facere hunc ſenſum: *Chriſtus accepit panem, dedit, & dixit, Quæ audietis à me eius nomine mox loquente.* Nam ſicut, ſi ipſe Chriſtus veniret ad proferenda illa verba, *hoc eſt corpus meum*, poſſet prius alius dicere, *Chriſtus olim accepit panem, dedit, & dixerit quæ ab ipſomet nunc etiam audietis.* In quo caſu certum eſt, propoſitionem narrantis abſolutam fuiſſe antequã Chriſtus loquatur, & verba ſequentia à Chriſto dicta non proferri ab ipſo recitatiuè, aut narratiuè, licèt ſint obiectum narrationis præcedentis: ſic poteſt nunc fieri, cum Sacerdos in verbis conſecrationis gerat perſonam ipſius Chriſti, atque ideo per verba antecedentia poſſet dicere, *Chriſtus olim dixit verba, quæ mox ego, gerens ipſius perſonam, proferam ad faciendum, quod ipſe fecit.* In quo caſu Sacerdos abſoluit propoſitionem, & narrationem cũ ſenſu perfecto ante verba conſecrationis, licèt nondum poſuerit totum, quod narrauit. Poteſt item illa verba ſequentia coniungere ita cum narratione præcedenti, vt ſint pars intrinſeca illius, & ante ipſa non fuerit completus ſenſus propoſitionis præcedentis; & tunc in verbis conſecrationis, illud *hoc* refertur ex intentione loquentis, & ad contentum ſub his accidentibus præſentibus, de quibus affirmat in perſona Chriſti continere eius corpus, & ad contentum ſub accidentibus præſentibus Chriſto in cœna, de quibus narrat Chriſtum tunc loquutũ. — 114. *Quid tertiò verum ſit de poſſibili.*

116. *Contra hoc urget Vaſq. Nulla tamen ratione probat repugnare.* Contra hoc vrget P. Vaſquez, diſp. 16. impoſſibile eſſe, quod eadem verba in eodem ore proferẽtis vtroque modo vſurpentur, & ad diuerſas materias referantur. Hoc verò nulla ipſe ratione probat repugnare, poteſt tamen hoc argumento id probari, quia ſcilicet verba æquiuoca in hoc differunt ab vniuocis, quod vox vniuoca poteſt plura vt vnum ſignificare, & ideo ſimul poteſt ſignificare omnia illa plura; at verò vox æquiuoca ſignificat plura vt plura, & ideo non ſupponitur ſimul pro omnibus illis, ſed pro vno illorum ex intentione loquentis. Sic vox *homo* ſimul ſignificat omnes homines: at verò hæc vox *Petrus*, vel *canis*, non ſupponitur pro omnibus Petris, vel pro cane terreſtri, & cæleſti ſimul, ſed pro illo de quo loquens intendit loqui. Cum ergo illud *hoc* ſit terminus æquiuocus, ſicut *Petrus*, non poterit in propoſitione ſupponere pro pluribus ſimul, ſed pro contento ſub aliquibus accidentibus determinatis ex intẽtione loquentis: ergo non poteſt ſimul referri ad accidentia conſecrata à Chriſto in cœna, & ad accidentia, quæ nunc cõſecrãtur. Non enim poſſumus mutare modum ſignificandi, quem voces humanæ habent ex inſtitutione hominum: videmus autẽ voces æquiuocas nõ habere alium modum ſignificandi, niſi pro vno ex æquiuocatis, quod ex intentione loquẽtis determinatur;

ergo

ergo neque in conſecratione poteſt illud *hoc*, ſupponi ſimul pro duobus diuerſis.

116. *Confirmatur.* Confirmatur, quia ſi poſſem ego pro libito vſurpare vocem ſingularem æquiuocam ad loquendum ſimul de duobus, poſſem valide abſoluere duos ſimul per hæc verba, *Ego te abſoluo*, volens illud *te*, ad vtrumque referri poſſem etiam præſentibus duobus Petris abſoluere vtrumque ſimul dicens, *Ego abſoluo Petrum*; volens *Petrum* ad vtrumque referri; & alia huiuſmodi, quæ abſurda planè ſunt, & falſa, quia nimirum vox æquiuoca non poteſt ſimul pro duobus æquiuocatis ſupponi, ergo nec poſſumus illud *hoc* ſimul ad duo omnino diuerſa referre.

117. *Hæc tamen non oſtendũt hoc eſſe impoſſibile.* Hæc tamen non cogunt, vt dixi, neque oſtendũt id eſſe impoſſibile: certum enim videtur, quod aliquando poſſint eiuſmodi voces æquiuocæ pro diuerſis ſimul ſignificatis vſurpari. Exempla ad id ſuppetunt plura. Primum ſit: ſi petenti à me eleemoſynam ego reſpondeam: *Amice, Petrus Apoſtolus cuidam ab ipſo petenti reſpondit, quod & ego etiam tibi nunc dico, argentum, & aurum non eſt mihi*; tunc illud, *mihi*, ex intentione loquentis refertur & ad me ipſum, cui dico non eſſe argentum, & ad S. Petrum, quem refero dixiſſe, non eſſe ſibi argentum. Poteſt ergo illa vox ſingularis & æquiuoca referri ſimul ad ſupponendum pro pluribus diuerſis. Eodem modo vſurpari videtur pronomen *Ego* pro pluribus ſimul in illis verbis Matth. 26. quando diſcipuli ſinguli dixiſſe referuntur: *Numquid ego ſum?* Nam illud *Ego* non refertur ad vnum ſolum, ſed ad omnes, ita vt ſinguli diuerſum aliquid per illam vocem intelligerent. Euangeliſta verò eos omnes. Illa ergo regula, quod vox æquiuoca non poteſt ſimul pro pluribus æquiuocatis ſupponi, limitanda, vel explicanda eſt, vt non habeat locum, quando vox illa vſurpatur ab aliquo introducente diuerſas perſonas, quæ voce illa vtantur, tunc enim poteſt ſupponi pro multis ſimul, non prout in ore vnius ſed prout in ore plurium. Sic in illis verbis: *numquid ego ſum?* illud, *ego*, ſupponitur ab Euangeliſta pro multis, quia introducit multos vtentes illa voce. Sic in exemplo adducto & verbis illis *argentum, & aurum non eſt mihi*: illud *mihi* poteſt ſupponi pro duobus, quia introduco alium præter me vtentem illa voce, nempe S. Petrum, & poſſum illi voci tribuere diuerſam ſuppoſitionem, prout in ore meo & prout in ore S. Petri: ergo eodem modo Sacerdos poteſt illud *hoc* referre ad diuerſa ſignificata, prout eſt in ore Chriſti in cœna, cuius verba refert, & prout eſt in ore ſuo loquentis nunc in perſona Chriſti; quæ ſunt diuerſæ perſonæ.

118. *Confirmatur & explicatur.* Confirmatur, & explicatur; quia ſicut voces ſunt æquiuocæ ad res ſignificatas, pro quibus ſupponunt, ſic etiam ſunt æquiuocæ ad ſenſus, quos poſſunt reddere: eadem enim verba poſſunt facere ſenſum affirmatiuum, vel interrogatiuum, vel ironiæ, vel ſerium, &c. & licèt non poſſimus ſimul intendere ſenſum affirmantem, & interrogantem, v. g. quia voces humanæ videntur habere hanc limitationem ex ſua inſtitutione, vt vnum ſolum ſenſum habeant ex intentione loquentis, poteſt tamen aliquando vterque ſenſus ſimul intendi, ſi voces proferantur, prout à pluribus dictæ. Sic poſſumus dicere. *Quod olim per ironiam dictum fuit, nunc ſerio vſurpari poſſet. Ecce Adam factus eſt, ſicut vnus ex nobis*: vbi voces illæ *factus eſt*, &c. prout applicantur ad diuerſos loquentes in diuerſo tempore, habent diuerſum, & contrarium ſenſum. Sic etiã dicere poſſum ad Chriſtum, *Domine, quod Caiphas olim interrogando, hoc ipſum affirmando ego dico; tu es Chriſtus filius Dei benedicti?* Et alia ſimilia exempla poſſent afferri, in quibus eædem voces prout ad diuerſos applicatæ habeant ſimul diuerſos, & contrarios ſenſus. Cur ergo non poterit illud *hoc* ſimul referri etiam ad diuerſa, prout applicatur ad diuerſos pro diuerſo tempore loquentes?

119. *Cum ergo conſtet de poſſibilitate, iam quæſtio eſt de facto.* Cum ergo de poſſibilitate conſtet, reſtat ſolum quæſtio, an de facto eo modo proferantur verba à Sacerdote? Et quidem neutra pars poteſt demonſtrari, qui enim diceret, Sacerdotem priori modo ſe gerere, non facilè conuinceretur; nam ad veritatem, & ſenſum narrationis ſufficeret ille ſenſus: *Chriſtus accepit panem, dedit, & dixit de illis accidentibus id, quod ego nunc eius perſonam aſſumens, dicam circa ſpecies mihi præſentes*; & poſtea induens perſonam Chriſti incipit loqui circa hoſtiam præſentem, referens, vel dicens de facto Chriſti, ſed repræſentans ſolum illud per factum præſens. Cæterum ſuppoſita poſſibilitate poſterioris modi, quam probauimus, credibilius eſt, de facto eo modo Sacerdotem loqui, & in verbis conſecrationis etiam proſequi narrationem nondum completam in verbis præcedentibus: ille enim ſenſus tribuendus ex illis verbis, quem audientes communiter ex illis percipiunt: conſtat autem, auditis illis verbis, *Dedit, & dixit; comedite, hoc eſt corpus meum*, omnes communiter concipere, quod Sacerdos, ſicut narrat cætera, narrat etiam verba illa vt dicta à Chriſto, & illud *hoc* refert etiam ad id, quod Chriſtus habebat in manibus; imo non facilè intelligerent audientes, illud *hoc* ad aliud referri, niſi aliunde ſcirent, Sacerdotem in Miſſa loqui in perſona Chriſti, & non ſolum vt hiſtoricum. Non eſt ergo, cur excludamus omnino ſenſum illum, quem verba præ ſe ferre videntur, & quem omnes facilè, auditis verbis, concipiunt, & qui compoſſibilis eſt ſimul cum ſenſu enunciatiuo, vt tot exemplis adductis comprobauimus.

120. *Infertur ex hac doctrina.* Hinc infero primo, doctrinam hanc intelligendam eſſe de illis etiam verbis antecedentibus, *Accipite, & manducate ex hoc omnes*, vt ea etiam vtroque modo proferantur. Non enim acquieſco iis, qui volunt ea verba ſolum narratiuè, ſeu recitatiuè proferri; quia, vt ſupra inſinuaui, non video, quomodo poſſent connecti per particulam *enim* cum verbis ſequentibus; non enim eſſet bona cauſalis: Chriſtus dixit, vt comederent id quod offerebat ſub illis accidentibus; quia id, quod habeo nunc in manibus, eſt corpus Chriſti. Ergo fatendum eſt, verba illa *accipite*, &c. & particulam *enim* referri ad idem, ad quod verba illa, *hoc eſt corpus meum*; atque ideo illa etiam verba proferri, & materialiter, ſeu recitatiuè, & ſignificatiuè, ſeu formaliter. *Particula enim, & verba accipite referuntur ad idem.* Quo etiam ſenſu ea intellexerunt Patres antiqui, dum abſolutè dicunt, ea omnia proferri à Sacerdote in perſona Chriſti: ſic loquitur Ambroſius, *lib.* 4. de Sacram. *cap.* 5. relatus in cap. *Panis*. 55. de conſecratione, *diſtinct.* 2. *Ambroſ.* *Vnde*, inquit, *omnia illa verba Euangeliſta ſunt vſque ad*, Accipite, *ſiue corpus, ſiue ſanguinem: inde verba ſunt Chriſti*: Accipite, bibite ex eo omnes: hic eſt enim, &c. Idem indicat Euſebius Emiſſenus relatus in cap. *quia corpus*, 35. eadem diſt. *Euſebius Emiſſ.* *Nam inuiſibilis*, inquit, *Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ſui verbo ſua ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens*: Accipite, & comedite; hoc eſt enim corpus meum, &c. vbi omnia illa verba dicit proferri ab inuiſibili Sacerdote Chriſto per os noſtrum. Et clarius Paſchaſius in lib. de corpore Chriſti, *cap.* 15. qui habetur *tom.* 4. Biblioth. Patrum; expreſſe dicit, *Paſchaſ.* verba etiam illa proferri nomine Chriſti; vbi eadem ferè Ambroſij verba vſurpat. *Sacerdos*, inquit,

prius inter cætera etiam verba Euangeliſtarum aſſumens ait Qui pridie quam pateretur,&c.benedixit, fregit,dedit diſcipulis ſuis.*Ecce, vſque ad iſtum locum verba ſunt Euangeliſtarum:porro deinceps verba ſunt Dei,poteſtate,& omni efficientia plena.* Accipite & manducate ex hoc omnes : hoc eſt enim Corpus meum, &c. Porrò ſi nomine Chriſti proferuntur à Sacerdote , conſequens eſt, vt ſacerdos ſubſtitutus fuerit Chriſto ad ea proferenda : non fuit autẽ ſubſtitutus ad recitandum , vel narrandum ; hoc enim omnes poſſunt facere ; ſed ad loquendum nomine Chriſti . & repræſentando eius perſonam; ergo per illa verba loquitur etiam ſignificatiuè, ſicut loqueretur Chriſtus , ſi adeſſet ,non narrans, ſed loquens , & operans quod olim operatus eſt. Sicut ergo in verbis ſequentibus ſimul narrat referendo illa ad id,quod in cœna Chriſtus ſignificauit,& ſimul affirmat loquens in perſona Chriſti de ſpeciebus præſentibus ; ſic in verbis prioribus vtrumque præſtat.Et vtroque etiam modo profertur particula , *enim*, quæ in ſenſu recitatiuo continet cauſalem olim à Chriſto explicitè , vel implicitè prolatam dante illud ad comedendum,quia illud erat corpus ſuum. In ſenſu autem ſignificatiuo, & formali continet cauſalem eius , quod nunc dicit Sacerdos nomine Chriſti : nec enim minus capax eſt particula,*enim*,vtriuſque ſenſus , quam cætera verba , vt conſtat.

121\. *Infertur ſecundo quo modo nunc Chriſtus celebraret.* Infero ſecundo : ſi Chriſtus nunc Miſſam per ſe ipſum celebraret , eodem modo dicendum fore quod poſſet verba conſecrationis in illo duplici ſenſu ſimul proferre.ſcilicet recitatiuè & formaliter, poſſet enim ſimul narrare,& referre , quid ipſe olim in cœna feciſſet,& dixiſſet, ac ſimul loqui de ſpeciebus ſibi nunc præſentibus, & affirmare ſuum corpus contineri ſub illis. Poſſet itaque dicere: *Ego pridie quam paterer,accepi panem,fregi,dedique dicens de contento ſub illis ſpeciebus , quod nunc dico etiam de contento ſub his* : Accipite & comedite; hoc eſt enim Corpus meum. Et tunc illud, *hoc*, referret ad contentum ſub diuerſis ſpeciebus, applicando illas diuerſas ſignificationes non ad diuerſum loquentem(idem enim eſſet Chriſtus qui loquutus fuit in cœna,& qui nunc loquitur,) ſed ad eumdem loquentem ſecundum diuerſa tempora: hoc enim ſufficit ad hoc , vt poſſit vox æquiuoca ſupponi ſimul pro pluribus ſignificatis. Sicut ſi nunc Chriſtus alicui diceret : *Ego dixi latroni in cruce , quod & nunc tibi etiam dico : Hodie mecum eris in paradiſo*;tunc enim illud *hodie* , referretur ad duos diuerſos dies prout eſt in ore Chriſti loquentis in diuerſis temporibus ; quod ſufficit , vt terminus ille æquiuocus poſſit ſimul diuerſos dies ſignificare.

122\. *Infertur tertio idem de formis aliorum ſacramentorum.* Infero tertio, quod dictum eſt de verbis conſecrationis,poſſe eodem modo habere locum in formis aliorum ſacramentorum , quæ poſſent etiam proferri recitatiuè ſimul ſeu materialiter , & ſignificatiuè,ſeu formaliter,v.g. ſi quis diceret:*Sacerdos mihi heri dixit,quod & ego etiam hodie dico tibi Ego te abſoluo,&c.Petrus dixit Mariæ,quod & ego etiã dico tibi; Accipio te in meam*;& ſic de aliis ſacramẽtis,in quibus videtur eſſe ratio poſſibilitatis,ſuppoſito ſemel,quod poſſint verba ex intentione loquẽtis habere illum duplicem ſenſum, prout referuntur ad diuerſas perſonas , quæ introducuntur loquentes,vel ad eamdem loquentem in diuerſis temporibus , vt dictum eſt.

SECTIO VI.

Vtrum verba ſint vera de præſenti in toto rigore , & pro quo inſtanti.

123\. *Ratio dubitandi.* Ratio dubitandi eſt in primis, quia ad rigoroſam veritatem propoſitionis vocalis requiritur,quod obiectum ita ſe habeat, quando affirmatur per culpam propoſitionis:quando autem profertur verbum, *eſt*, à ſacerdote , tunc illud non eſt corpus Chriſti, ſed poſt finitam propoſitionem;ergo illa propoſitio non eſt vera de præſenti veritate omnino rigoroſa. Propter hoc aliqui relati à Suarez *diſp.*58 *ſect.*5.dixerunt,hæc verba nude conſiderata eſſe falſa;eſſe tamen vera ex intentione proferentis; quia ex illa intentione verbum, *eſt*, refertur ad inſtans , quod ſequitur prolationem totius propoſitionis. Hæc tamen ſententia benè reiicitur ab eodem Suarez ibi , quia verba hæc in omni rigore propoſitionis vocalis ſunt vera,cum ex eorũ veritate rigoroſa colligat Eccleſia præſentiam Chriſti in Euchariſtia;alioquin ſi daretur locus latiori interpretationi , facile poſſent hæretici ſuas figuratas explicationes introducere. *Aliquorum ſententia.*

124\. Omiſſis aliis ſententiis, ipſe Suarez ibi docet verba eſſe in rigore vera, eo quod propoſitio de præſenti ad rigoroſam veritatem ſolum petit coexſiſtentiam obiecti pro aliquo inſtanti eorum, quibus profertur propoſitio,ſiue hoc ſit primum,ſiue medium,ſiue vltimum inſtans;quare cum conuerſio fiat in vltimo inſtanti prolationis verborum, hoc erit ſatis, vt propoſitio ſit in rigore vera.

125\. *Concluſio prima.* Ego in primis exiſtimo,veritatem propoſitionis vocalis,quæ formatur per copulam, *eſt*, regulariter loquendo,niſi aliud conſtet ex ipſo modo loquendi,non debere regulari ab obiecto,prout erat tempore prolationis copulæ,ſed tempore finitæ propoſitionis. Quod ſanè videtur probari ipſa experientia : nam ſi aliquis dicat : *Petrus eſt intra hanc domum*,ſi poſt prolatam copulam, *eſt*, contingat, Petrum exire,& hoc ipſi loquenti notum ſit,quis inducet illum ſi aduertat , non debere ceſſare à propoſitione,ne mentiatur,vel ne ſit periurus, ſi forte iuſiurandum præmiſerat?quod clarius patet in propoſitione ſcripta,in qua dum ſcribit,facilius poteſt caſus contingere. *Probatur experientia.*

126\. *Confirmatur.* Confirmatur ; quia ſi ad veritatem propoſitionis de præſenti ſufficeret exſiſtentia obiecti in aliquo inſtanti propoſitionis, quodcumque illud ſit, ſequitur,quod ſi dicente Sacerdote : *hoc eſt corpus meum*,diceret alius eodem tempore:*hoc non eſt corpus Chriſti* , & vterque ſimul abſolueret propoſitionem, vterque diceret verum ; quia illa ſecunda propoſitio verificatur ratione totius temporis antecedentis ad vltimum inſtans. Conſequens autem videtur valdè durum ; quia illæ eſſent propoſitiones contradictoriæ ſimul prolatæ.

127\. *Huic argumento reſpondent Salmanticenſes.* Huic noſtro argumento aliqui Theologi Salmanticenſes dicunt reſponderi facilè poſſe, in prædicto caſu propoſitionem negatiuam eſſe falſam, quia ratione negationis æquiualet vniuerſalis , & diſtribuit omnia inſtantia,quaſi dicas,*in nullo inſtanti correſpondẽti huic propoſitioni,hoc eſt corpus Chriſti*;quod planè eſt falſum,cum in vltimo inſtanti ſit corpus Chriſti:affirmatiuam verò è contra eſſe verum , quia ad eius veritatem , cum ſit particularis, ſufficit verificari pro vno inſtanti illius durationis.

128\. *Reiicitur hæc reſponſio.* Hæc tamen reſponſio deſtruit principia illius ſententiæ P.Suar. quam illo argumento impugnabam;ipſe enim eodem modo loquitur de propoſitione negatiua , & affirmatiua de præſenti , quod

ſcilicet

ſcilicet ad vtriuſque veritatem ſufficiat exſiſtentia obiecti pro aliqua parte, vel inſtantia illius durationis, in qua profertur. Alioquin ſequeretur aliud maius abſurdum: quod ſcilicet de facto ſit, conſecrante Sacerdote, & dicẽte: *hoc eſt corpus meum*; alius ſimul dicere: *hoc non eſt panis*, hæc ſecũda propoſitio eſſet falſa, quia non poterat negari panis pro tota duratione illius propoſitionis. Conſequens autem procul dubio eſt abſurdum; nam qui dicit, illud eſſe corpus Chriſti, dicit implicite non eſſe panem, ſed eſſe ſolum corpus Chriſti; ergo poſſet etiam explicite dicere: *hoc eſt corpus Chriſti, & non panis*; ergo ad veritatem illius negatiuæ non requiritur, quod negatio panis ſit toto illo tempore, ſicut neque ad affirmationem corporis Chriſti requiritur eius præſentia toto illo tempore. Quod clarius apparet in propoſitione remiſſiua debiti: poſſet enim creditor id remittere, dicens: *nihil mihi iam debes*. quæ propoſitio eſſet vera, imo verificaret ſe ipſam; & tamen carentia debiti non eſſet toto tempore prolationis, ſed ſolum in fine. Sic etiam potuiſſe remitti peccata per illa verba: *non es amplius reus peccatorum tuorum*; quæ propoſitio non deberet ad ſui veritatem negare reatum pro toto tempore prolationis; ſed ſolum pro fine. Nulla eſt ergo differentia, quoad hoc inter propoſitionem de præſenti affirmatiuam & negatiuam, ſed de vtraque dicere debemus, exigere exiſtentiam, vel negationem obiecti pro fine prolationis. Ratio autem videtur eſſe, quia ante finem prolationis ille, qui loquitur, nihil affirmat ſimpliciter & abſolute: non poteſt enim affirmare prædicatum, antequam illud proferat; ſi ergo non affirmat adhuc prædicatum, nihil reſtat, quod affirmet. & ideo abſoluendo propoſitionem videtur illam totam tunc firmare, illique ſubſcribere, atque ideo veritas obiecti tunc maxime attendenda eſt.

Nulla eſt differentia inter propoſitionem de præſenti affirmatiuam.

129. *Obycitur primo.* Contra hanc communem doctrinam obiici poteſt primo, quia verba non operantur, niſi prout ſignificant: ſed verba non ſignificant complete, quando primum profertur vltima ſyllaba; ergo non operantur tunc, ſed poſtea. Maior & conſequentia videntur manifeſtæ: maior vero probatur quia verba vt ſignificent, neceſſe eſt quod veniant ad aures; non poſſunt autem venire inſtantanee, ſed ſucceſſiuè per motum localem; ergo non ſignificant complete, & perfectè, quando primum profertur vltima ſyllaba, ſed aliquantulum poſt.

130. *Reſpondeo.* Reſpondeo in primis negando minorem; nam ſonus vltimæ ſyllabæ poteſt venire ad aures inſtantaneè, licèt non ſecundum eſſe reale, benè tamen ſecundum eſſe Intentionale, mittendo ſpecies ſui, quæ integram exiguam ſphæram poſſunt inſtantaneè diffundi, vt dixi in lib. de Anima. Deinde, quidquid ſit de hoc, dici poteſt verba, licèt in illo inſtanti non ſignificent quaſi in actu ſecundo excitando ſpeciem obiecti in audientibus, cæterum tunc habere iam rationem vocis ſignificatiuæ, habent enim iam vim ad producendum ſpeciem in tempore ſequenti. Veritas autem propoſitionis vocalis non regulatur ab obiecto pro tempore, quo percipitur ab audiente, ſed quod profertur à loquente; vt contingit etiam in propoſitione ſcripta, quæ quidem ſi ſit propoſitio de præſenti, non debet verificari pro tempore, quo epiſtola legitur, ſed pro tempore, quo ſcribitur. Sic etiam voces ſunt quaſi quædam epiſtolæ quæ breuius tranſmittuntur ad aures: cæterum diſtinguendo illa duo tempora non debent verificari pro tempore, quo ab auribus percipiuntur, ſed pro tempore, quo à lingua formantur, & quaſi ſcribuntur.

Verbum propoſitionis nõ regulatur pro tempore quo percipitur ab audiente, ſed quo profertur à loquente.

131. *Obiicitur ſecundo.* Secundo obiici poteſt, quia ſi veritas copulæ non regulatur pro tempore, quo profertur copula, ſed pro tempore, quo abſoluitur propoſitio; ergo dicendum eſt, conſecrationem calicis non fieri, donec abſoluantur omnia illa verba: *noui & æterni teſtamenti*, &c. quia adhuc non completur integra propoſitio; & ob eamdem rationem apud Græcos non fiet conuerſio, donec in conſecratione panis abſoluantur omnia illa: *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Confirmatur primò, quia ſi diceretis *hoc eſt corpus meum humanum*, propoſitio non finitur, vſque dum dicatur, *humanum*, & per conſequens pro illo vltimo inſtanti deberet verificari; ergo ſimiliter, dum dicitur: *hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*, &c. propoſitio non finitur, nec debet verificari niſi pro tempore, quo abſoluuntur omnia illa verba. Ad hoc tamen diximus ſatis *ſect.* 4. quod non oportet hic repetere.

Confirmatur.

Iam ſupra ad hoc reſponſum eſt.

132. *Obiicitur tertio.* Tertio, & difficilius obiici poteſt, quia verba, vt completè ſignificent, debent eſſe iam omnino abſoluta, & completa; propoſitio autem non intelligitur integrè completa, donec conſtet, non adiici alia verba, quæ determinent priora: ergo ad hoc, vt fiat conſecratio, non ſufficit expectare vltimum inſtans prolationis vltimæ ſyllabæ, ſed rurſus expectari debet morula temporis ſufficiens, vt conſtet, ibi ſiſtere propoſitionem, & non progredi vlterius.

133. *Diceres Sodes.* Dices; ſufficit iam illa verba eſſe integrè prolata ſine animo addendi alia verba. Sed contra, quia ille animus interior non ſufficit, vt verba externa habeant externam ſignificationem, quam ex vi ſua non poſſunt habere; ſed verba de ſe non habent vim completam ad ſignificandum, niſi vt taliter in ipſis ſiſtitur, quod vlterius non progrediatur progrediatur; ergo donec verba habeant iſtam negationem vlterioris additionis, non intelliguntur habere totum id, quod requiritur ad integrè, & completè ſignificandum.

134. *Confirmatur & explicatur difficultas.* Confirmatur & explicatur difficultas, quia ſi aliquis habens errorem internum circa exſiſtentiam Chriſti in Euchariſtia, volenſque hunc errorem exprimere diceret: *Chriſtus non eſt in Sacramento altaris*. poſt hæc autem verba immediatè, veritus fortè ne deferretur ad iudicium, adiungeret protinus eodem tenore hanc limitationem, *donec conſecretur à Sacerdote*, ita vt audientes nullo modo potuerint intelligere, eum loquutum fuiſſe priora verba ex errore interno, ſed potius voluiſſe proferre illam propoſitionem Catholicam *Chriſtum non eſſe in ſacramento, donec fiat conſecratio*; videtur non incurriſſe hæreſim externam, & reſeruatam, cum non exhibuerit aliquid exterius, ex quo eius error potuerit colligi; ergo illa prolata verba de ſe non habuerant vim completam ad ſignificandum illud obiectum, donec haberent adiunctam negationem vlterioris limitationis ſequentis; alioquin ante verba poſteriora incurriſſet ille cenſuram hæretici; ergo ſimiliter verba Sacerdotis, *hoc eſt corpus meum*, non ſignificant complete ſuum obiectum, donec careant limitatione ſubſequenti: nam ſi Sacerdos immediatè poſt illa adiungeret aliquam limitationem, vt ſi diceret, *hoc eſt corpus meum, ſicut eſt corpus Petri*, vel aliquid huiuſmodi, audientes non cõciperent obiectum affirmari abſolutè, ſed ſub conditione; ergo etiamſi Sacerdos dixiſſet priora verba ſine intentione addendi alia, non fit conſecratio, donec eum effectu alia non addantur.

135. *Soluitur difficultas.* Video difficultatem, ſed tamen non credo poſſe dici, expectandam talem morulam, vt verba habeant effectum; tum quia omnes Theologi cum S. Thoma videntur ſupponere fieri conuerſionem,

quam primum finiuntur,& proferuntur verba,tum etiam,quia ſequeretur, ſi Sacerdos immediate poſt prolationem verborum moreretur,non fieri cõuerſionem,quia in tali etiam caſu non poſſent audientes ſcire, an ille iam ceſſaſſet loqui,an vlterius progreſſurus eſſet, & limitaturus propoſitionem , ſi viueret , quod etiam in abſolutione ſacramentali , & aliis formis Sacramentorum dicendum eſſet;& ſane duriſſimum videtur , & contra communem ſenſum doctorum , & indoctorum. Reſponderi poteſt aliquando quidem determinari vim ſignificatiuã verborum per ſiſtentiam,ſeu per negationem vlterioris additionis, quod non videtur poſſe negari , ſicut etiam in propoſitionibus ſcriptis videmus per additionem vnius puncti determinari ſenſum propoſitionis , quæ tamen ante additionem puncti ſuſpenſa erat , & indifferens ad ſiſtendum,vel progrediendum. Nec ſatisfacit dicere , illam negationem eſſe conditionem, non vero rationem, quaſi formalem ad ſignificandum , quia in præſenti non poteſt diſtingui talis conditio à ratione formali : cum vtriuſque cognitio deſeruiat in audiente ad excitandam cognitionem obiecti. & per conſequens vtrique competit definitio ſigni inſtrumentalis. Cæterum adhuc dici poteſt , aliquando antecedenter ad iſtam negationem dari ſufficiens fundamentum in ipſis verbis ; vt audientes nihil aliud exſpectantes, ex circumſtantiis,quibus verba proferuntur, poſſint concipere ſenſum abſolutum,& ibi ſiſtentem:quod quidem potiſſimum habet locum in verbis ſacramentalibus,quæ quotieſcumque à fidelibus audiuntur ſerio proferri,omnes prudenter concipiunt , ea verba ſine vlla limitatione proferri;quare licet poſtea videntes,re ipſa ibi ſiſtere loquentem,intelligant magis expreſſe,ſenſum fuiſſe ibi perfectum,& abſolutum:cæterum adhuc ante illam morulam potuerunt ſufficienter hoc intelligere , vt conſtat ex omnium audientium experientia. Deinde addo , etiam in caſu , quo verba ex circumſtantiis non oſtenderent, an ibi ſiſtendum eſſet , adhuc verificanda eſſe, quando proferuntur,non vero pro tempore ſequenti poſt morulam:quia verba de præſenti ſignificant, quantum poſſunt coëxſiſtentiam obiecti , ergo ſignificant exſiſtere obiectum, quando exſiſtunt ipſa verba:ergo non ſignificant exſiſtere obiectum poſt morulam aliquam,ſed tunc in fine ſaltem exſiſtentiæ verborum:ergo pro tunc debent verificari;ergo tunc deberet fieri conuerſio, & non in tempore ſequenti poſt morulam.

136. *Inſtabis.* Dices , ergo in prædicto caſu verba operantur, priuſquam habeant completam ſignificationem; non enim ſignificarent complete, donec tranſiret aliqua morula poſt prolationem, & tamẽ operarentur in fine prolationis. *Reſpondeo.* Reſpondeo , nunc de facto verba non operari,donec complete,& determinate ſignificent;quia(vt ſupra dixi)nunc de facto ante illam morulam ſufficienter reddunt ſenſum completum;cæterum in illo caſu operarentur,non quidem antequam ſignificarent ſimpliciter, quantum eſt de ſe,ſed ante quam ſignificaret clare. & abſque ambiguitate,ita vt poſſet diſtincte percipi eorum ſenſus *Notandum.* determinatus ab audientibus.Pro quo aduerte, aliud eſſe , verba aliqua non facere ſenſum completum, aliud vero non exprimere diſtinctè , & clare ſuum obiectum,ita vt ab omnibus facile percipiatur.Nam vox æquiuoca ſignificat quidem , & facit ſenſum perfectum,& abſolutum;non tamen facile percipitur ab audientibus, pro quo ex pluribus ſignificatis ſupponatur ex intentione loquentis:ſed , hoc non obſtante,adhuc verba æquiuoca, antequam eorum, determinatus ſenſus à loquente explicetur , habent ſuam ſignificationem,& ſenſum abſolutum,& completum:vnde qui dicit,*ego te abſoluo*,cum intentione abſoluendi Petrum, vere eum abſoluit licet adſint alij Confeſſi etiam , & de quibus ſinguli poſſent verba illa intelligi ; quia æquiuocatio verborum non tollit , quod vere proſeruntur ad ſupponendum pro Petro,licet id clare non percipiatur:ille enim,qui æquiuoce loquitur,vere loquitur, licet obſcure; alioquin nec illi , qui hieroglyphicis loquuntur , nec Prophetæ , aut Sibyllæ loquuti fuiſſent , quia ſenſus determinatus verborum propter obſcuritatem non percipitur. Sic etiam qui characteribus Hebraïcis abſque punctis ſcribunt , vere ſcribunt , & ſcriptura illa habet ſenſum perfectum, licet propter defectum punctorum non facile percipiatur determinatus ſenſus, quem ſcriptor intendebat ex multis. quos illi characteres poſſunt ſignificare. Sufficit ergo ad loquendum ponere voces,vel ſcripturam , quæ inſtituta eſt ad ſignificandum id , quod loquens intendit dicere , licet eadem vox , vel ſcriptura ad plura alia ſignificanda inſtituta ſit.

137. *Hoc ſuppoſito quid dicendum ſit.* Hoc ergo ſuppoſito,dicendum eſt,verba illa,vbi primum proferuntur , etiam ante morulam ſequentem , habere iam ea intentione loquentis ſuam ſignificationem, & ſenſum perfectum , licet propter æquiuocationem aliquam, quam habent. non facile poſſit percipi ab audientibus eorum ſenſus determinatus , donec per illam morulam , & ſiſtentiam magis explicetur intentio præcedẽs loquentis Nam ſicut illud pronomen *te* , in forma abſolutionis eſt æquiuocum , & indifferens de ſe ad ſupponendum pro hoc, vel illo pœnitente , quæ indifferentia debet determinari per intentionem proferentis; ſic verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, ſunt de ſe æquiuoca , & indifferentia ad faciendum ſenſum abſolutum,& completum , vel ad faciendum ſenſum conditionatum,& incompletum adiuncta cum aliis, Vnde ſicut ſenſum illius pronominis *te* cognoſcimus,vel ex declaratione ſubſequenti ipſius loquentis, vel ex aliis circumſtantiis,verbi gratia,quia Petrus ſolus ex omnibus præſentibus confeſſus fuerat,licet reuera verba abſolutionis ſe ipſis,& independenter ab iis circumſtantiis extrinſecis habeant ſuam ſignificationem completam:ſic ſenſum verborum conſecrationis cognoſcimus diſtincte , vel ex declaratione Sacerdotis , qui ſuam intentionem præcedentem declarat , vel ex circumſtantiis: quia Sacerdos in altari loquens intelligitur velle ſignificare ſenſum abſolutum,& completum per illa verba,ſed independenter ab ea declaratione.& circumſtantiis verba ſe ipſis habent ſuam ſignificationem completam,licet obſcuram , propter æquiuocationem , & indifferentiam intrinſecam ad plures ſenſus.

138. *Addi poteſt.* Adde , in tantum verba habere ſenſum completum ante morulam ſequentem, vt niſi de facto addatur poſtea aliqua limitatio , ſemper iudicentur fuiſſe abſolute prolata , etiamſi limitatio addi non potuerit, niſi aliquæ circumſtantiæ cõtrarium poſitiue ſuadeant , vt conſtat ex omnibus aliis materiis. Nam in teſtamentu,verbi gratia,ſi aliquis in articulo mortis coram notario , & teſtibus diceret , *Ego inſtituo Petrum hæredem* , & ſtatim perderet vſum loquelæ, procul dubio hæres cenſeretur inſtitutus; quia licet potuiſſet propoſitio illa vlterius progredi,& addi aliqua conditio, vel limitatio , illa tamen propoſitio de ſe poteſt etiam facere ſenſum abſolutum , & interim dum contrarium non probatur, ita cenſetur prolata. Idem eſt , ſi dicat , *Stichum ſeruum tuum libertate dono* , & ſtatim amittat

loquelam;

loquelam; manebit etiam liber quantumuis propoſitio illa potuiſſet aliqua conditione addita limitari. Idem erit in matrimonio, ſi in eodem articulo conſtitutus dicat *accipio te in meam*; & in profeſſione Religioſa, ſi proferat verba Profeſſionis, & ſtatim perdat loquelam, licet vterque potuiſſet addere particulas limitantes; & in materia iuſtitiæ: ſi enim petam à moribundo remiſſionem debiti, & dicat: *remitto*, & ſtatim amittat ſenſum, manebo ſecurus in conſcientia, licet ipſe potuiſſet aliquid verbo illi addere, quo remiſſionem limitaret. Ex quibus omnibus conſtat, verba præcedentia, licet clarius ſenſum abſolutum exprimant perſiſtentiam liberam ſubſequentem, independenter tamen ab ipſa habere vim ſufficientem ad ſignificandum; ergo verba conſecrationis etiam nude prolata poſſent complete ſignificare, licet non conſtaret ita clare intentio proferentis, prout nunc de facto conſtat ex circumſtantiis extrinſecis, in quibus proferuntur.

139. *Illatio.* Vnde rurſus infero, quando etiam de facto ſubſequitur illa morula, & ceſſatio, per quam clarius percipitur ſenſus verborum præcedentium, illam tamen non eſſe formaliter loquutionem, aut partem loquutionis, ſed ſignum aliquod ducens in clariorem cognitionem loquutionis præcedentis: nam loqui eſt manifeſtare mentem præſentem loquentis: quamuis enim loquar de rebus præteritis, manifeſto mentem præſentem, hoc eſt, notitiam, quam nunc habeo de rebus præteritis, vel de mẽte, quam heri habui, & hoc eſt eſſentiale omni loquutioni: ceſſatio autem morulæ ſequentis non manifeſtat vllo modo mentem tunc præſentem, ſed quæ fuit, quando verba proferebantur; quia ad ceſſationem, & ſilentium non requiritur neceſſario influxus præſens, nec vlla attentio, aut intentio præſens etiam virtualis, & implicita, ſed ſufficit præteritus influxus, & intentio, qua potius volui loqui illa ſola verba: poſſum enim poſtea cogitationem aliò omnino diuertere, & nihil cogitare de ſilentio. Finge enim, aliquem habere dominium in ſomnum, ita vt volens dormire, ſtatim dormiat: hic poſſet velle proferre verba conſecrationis ſola, & iis prolatis, ſtatim dormire: tunc ergo ſilentium ſubſequentis morulæ non ſignificaret mentem, vel intentionem præſentem (iam enim dormit) ſed præteritam; ergo illud ſilentium, & ceſſatio non eſt loquutio, ſed effectus intentionis præteritæ, & oſtendens mentem, & intentionem præteritam, quaſi effectus ſubſequens; non quaſi loquutio, ſed vt effectus loquutionis. Prius ergo præceſſit tota loquutio integra in ratione loquutionis, & cum ſignificatione tota, quæ eſt propria loquutionis. Nam voces humanæ ſignificant ſupponendo pro rebus, hoc eſt, ponuntur loco rerum, vt dicitur in Summulis: ſupponunt vero pro rebus, quando actu ponuntur, non poſtea; ergo tota ſuppoſitio vocum habent ante illam morulam ſequentem, quæ non ſupponit, ſed ſolum oſtendit clarius, pro quibus rebus ſuppoſuerint voces ante prolatæ: non ergo ſignificat illa ceſſatio ſubſequens, ſic vt ſignificant voces ſupponendo, qui eſt proprius modus ſignificandi loquutionis, ſed ſignificat alio modo, vt effectus loquutionis præteritæ. Verba itaque conſecrationis habent totam ſuam ſignificationem, quæ eſt propria loquutionis humanæ, ante illam morulam, atque ideo habent virtutem ad operandum; ad quam ſufficit loquutio ſignificans per modum loquutionis.

Tota ſuppoſitio vocum habetur ante morulam ſequentem.

140. *Ad exemplũ ſuperius reſpondetur.* Reſtat reſpondere ad exemplum illud de proferente verba hæretica animo hæretico, & addente ſtatim limitationem, quo caſu non videtur eſſe hæreticus externus, nec incurrere cenſuram. Ad quod exemplum olim conabar aſſignare diſcrimen inter cenſuram, & effectum conſecrationis, in quem ſenſum video alios recentiores Theologos poſtea inclinaſſe: ſed reuera eadem videtur ratio de vtroque; nec video, ſi verba habeant completam ſignificationem humanam, cur debeat ille excuſari ab incurrenda cenſura. Cur enim plus requiritur ad incurrendam cenſuram, quam ad celebrandum contractum legitimum matrimonij? Et tamen, ſi quis proferat formam matrimonij cum debita intentione conficiendi ſacramentum abſolute, & prolatis verbis, *accipio te in meam*, poſtea, mor to animo, addat *ſi dederis dotem*, non dicemus matrimonium non fuiſſe validum; eadem enim eſt ratio de illo ſacramento, & de aliis, de omnibus quippe vniuerſaliter dicunt Theologi, quod, prolatis verbis formæ, & applicata materia, ſtatim perficitur ſacramentum. Sufficiunt ergo illa verba cum intentione abſoluta prolata ad pariendam mutuam obligationem in vtroque coniuge: ad quam tamen obligationem requiritur contractus humanus, & per conſequens manifeſtatio externa ſufficiens obligationis, & conſenſus. Si ergo datur in illo caſu talis manifeſtatio externa ſufficiens, licet propter illam conditionem ſtatim additam non percipiatur, eodem modo videtur, dari manifeſtationem externam hæreſis, ſufficientem ad incurrendam cenſuram in noſtro caſu, licet propter particulam ſtatim additam non percipiatur, & ideo in foro externo non iudicaretur Hæreticus, nec puniretur, non propter defectum culpæ etiam externæ, ſed propter defectum probationis ſufficientis: ſicut & ille coniux in foro externo non declararetur verus coniux, non propter defectum veri conſenſus etiam exterius manifeſtati, ſed propter defectum probationis ſufficientis.

Confirmatur applicando argumentum ſupra factum; ſi enim aliquis animo hæretico dixiſſet, *Chriſtus non eſt in Euchariſtia*, & ſtatim perderet vſum linguæ, & ſenſuum, vel ſomno correptus repentino dormiret, nemo dicet, illum non incurriſſe cenſuram contra Hæreticos latam; ergo iam poſuerat ſignum externum ſuæ hæreſis ſufficiens ad incurrendam cenſuram: tunc enim non incurreret illam propter morulam, & ceſſionem ſequentem, cum illa non eſſet libera nec humana, atque ideo ſolum incurreret propter verba poſitiua prius prolata, quæ cum ſint eadem tunc etiam quando poſtea addit limitationem, videtur eadem pœna tunc incurrenda, licet in foro externo non poſſit probari. Suppono enim, ad eiuſmodi cenſuram non requiri, quod delictum poſſit in foro externo probari, cum ſæpe ſint delicta occulta, quæ ſaltem per accidens non poſſunt probari, ſicut etiam in noſtro caſu per accidens non poſſet probari propter verba ſubſequentia doloſe addita. 141. *Confirmatur applicando argumentum.*

Denique hic videtur eſſe ſenſus Theologorum, qui licet hunc caſum in terminis non proponant, implicite tamen eum videntur comprehendere in regula vniuerſali, quam tradunt, quod ſcilicet loquens per verba æquiuoca, quæ plures ſenſus habere poſſunt, intendens tamen ſenſum hæreticum, incurrit cenſuram, licet in foro externo non poſſit delictum probari propter amphibologiam verborum, quibus vſus eſt. Sic docet P. Suarez *tom. 5. in 3. part. diſput. 4. ſect. 3. num. 18.* & poſtea *diſp. 21. de Fide ſect. 2. n. 10.* quem ſequitur P. Thom. Sanchez *lib. 2.* in Decalog *c. 8. n. 26* A fortiori ergo in caſu noſtro, in quo vtitur verbis determinate ſignificantibus, & animo ſignificandi hæreſim internam, ſolumque habentibus amphibologiam propter explicationẽ, 142. *Denique hic videtur ſenſus eſſe Theologorum.*

aut limitationem, quæ poſtea poteſt addi. Si enim hæc indifferentia excuſat à cenſura, excuſabitur etiam propter ſimilem indifferentiam verborum, qui vſus eſt verbis æquiuocis, quæ poſtea explicat in ſenſu Catholico, cuius verba ſunt capacia: nam ſicut verba illa in noſtro caſu poſſunt explicari per limitationem ſequentem, vt faciant ſenſum Catholicum, ſic verba æquiuoca poſſunt explicari per explicationem poſtea addendam, vt intelligantur in ſenſu Catholico: quod enim explicatio fiat ſtatim, vel poſtea, parum videtur referre ad propoſitum; quia tam poteſt eſſe in ſuſpenſo per longum tempus ſenſus verbum æquiuocorum, quam per breue tempus ſenſus verborum determinatorum, cum ſuſpenſio in vtroque caſu oriatur ex indifferentia, quam habent verba ſecundum ſe. Facilius ergo reſpondetur ad exemplum illud negando, tunc excuſari hæreticum illum à cenſura, vel ſuſpendi pœnam, vſque ad moralam ſequentem: verius enim eſt eamdem eſſe rationem in vtroque caſu, & doctrinam debere vtrique eſſe communem.

143. *Obiicitur vltimò.* Vltimò obiici poteſt, quia ſi veritas propoſitionis de præſenti deſumi debet ab obiecto exſiſtente, quando abſoluitur prolatio verborum; ergo verba conſecrationis non operantur ſuum effectum, quando incipit proferri vltima ſyllaba, ſed quando vltimo profertur eius ſonus, etiamſi diu protrahatur eius prolatio: probatur ſequela, quia toto illo tempore loquitur Sacerdos; ergo ſi intendit affirmare

Reſpondeo. pro fine loquutionis, non verificatur, donec terminat prolationem vltimæ ſyllabæ. Reſpondetur negando ſequelam, neque enim deſumenda ſt veritas ab exſiſtentia obiecti pro eo tempore, quo abſoluitur ſimpliciter probatio verborum, ſed quo primo ponitur probatio neceſſaria ad faciendum ſenſum; illa ergo protractio ſyllabæ eſt loquutio quidem, non noui obiecti, ſed quaſi repetitio eiuſdem, quod iam Sacerdos loquutus fuit, vbi primum protulit vltimam ſyllabam, imo ſi abſque vltima ſyllaba faceret ſenſum, ante illius prolationem fieret conſecratio, & multo magis ante prolationem vltimæ litteræ, ſine qua ſæpius fit ſenſus perfectus. Quod idem dicendum eſt de prolatione vltimæ dictionis, ſi illa non eſt neceſſaria ad perfectum ſenſum, vt ſi Sacerdos diceret, *hoc eſt corpus meum verum*, nam illud *verum*, deſeruit ſolum ad magis declarandum, & ideo ante illius prolationem propoſitio habet ſenſum perfectum. Vide quæ diximus ſup. *ſect.* 3. *&* 4.

144. *Infertur reſolutio alterius quæſtionis.* Ex dictis infertur reſolutio illius quæſtionis quæ ſolet in præſenti tractari, vtrum verba ratione veritatis, quam habent, ſeu vt vera, cauſent conuerſionem? Ratio dubitandi oritur ex S. Thoma in præ-

S. Thom. ſentia *art.* 5. in corpore, vbi ait, quod *veritas huius loquutionis non præſupponit rem ſignificatā, ſed facit eam.* Vbi videtur expreſſe docere, veritatem præſupponi ex parte principij ad hoc, vt verba operentur; quæ doctrina difficilis eſt, quia verba vt vera inuoluunt iam coëxſiſtentiam obiecti: propoſitionem enim eſſe veram, & obiectum ita eſſe vt affirmatur; quare ipſa veritas propoſitionis, præſertim vocalis, eſt denominatio partim extrinſeca proueniens ab obiecto, vt docui & probaui late in libro de Anima: ergo quando verba conſecrationis intelliguntur vera, intelligitur iam obiectum factum; ergo ipſa veritas non poteſt antecedere ex parte principij ad operationem.

145. *Scotus. Variæ ſolutiones.* Scotus confugit ad mutuam prioritatem, & dixit, veritatem eſſe priorem, & poſteriorem ipſa conuerſione. Alij dicunt, antecedere verba cum veritate practica, non tamen cum veritate ſpeculatiua. Vtraque reſponſio impugnatur bene à

Patre Suarez, & Patre Vaſquez in præſenti, & quidem prima ſupponit difficilem doctrinam mutuæ prioritatis: & adhuc ea doctrina admiſſa, non deſeruit ad propoſitum; hic enim non ſolum eſſet mutua prioritas inter veritatem verborum, & exſiſtentiam obiecti, ſed inter idem, & ſeipſum: nam verba vt vera non ſolum ſupponunt exſiſtentiam obiecti, ſed eam includunt, vt dixi; eſt enim veritas formalis ſaltem in propoſitione vocali, denominatio partim extrinſeca proueniens formaliter ab ipſa exſiſtentia obiecti, vt omnes fatentur. Nam licet aliqui dicant, propoſitionem mentalem eſſe veram per aliquid adæquate intrinſecum, & eſſentiale ipſi, atque adeo illam, quæ vera, non potuiſſe eamdem eſſe falſam, neque è contra: de vocalibus tamen nemo id docet, certum enim eſt, has voces, *Petrus currit*, quas ego, currente Petro, profero, potuiſſe eaſdem proferri, Petro non currente; ergo ſi propoſitio vocalis vt vera includit exſiſtentiam obiecti, & verba conſecrationis vt vera præſupponuntur, & cauſant ſuum obiectum, conſequens eſt, vt obiectum ipſum vt exſiſtens præſupponatur ad ſe ipſum, & cauſet ſe ipſum; quod in omni ſententia falſum eſt, etiam admiſſa mutua proprietate, & cauſalitate inter aliqua duo diuerſa. *Impugnātur à Suarez.*

Secunda verò ſolutio non poteſt explicare, quid ſit veritas practica antecedenter ad ſpeculatiuam: nam ſi pro illo priori non datur conformitas ad obiectum, non dabitur vlla veritas, ſed ſola efficacitas verborum ad verificanda ſeipſa. Ideo Scotus, quem ſequuntur communiter noſtri Recentiores, cenſet, verba pro illo priori eſſe quidem ſignificatiua ſui obiecti, non tamen vera, nec falſa, ſed præſcindere ab vtroque; prius enim eſt non ſolum in vocibus, ſed etiam in conceptibus, ſignificare, quàm habere veritatem formalem: habent ergo verba antecedenter ad conuerſionem ſignificare præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus; quæ quidem ſignificatio habet ſe ex parte principij neceſſarij, vt ſint operatiua, poſtea vero ex vi illius ſignificationis operantur pro poſteriori naturæ, quod ſignificant, & redduntur vera in eodem inſtanti reali, quod ſufficit, vt ſint ſimpliciter vera. 146. *Secunda ſolutio impugnatur.* *Scotus. Sententia Scoti.*

Hæc doctrina in ſenſu, in quo traditur ab eius auctoribus, vera eſt: nam verba vt vera veritate formali includunt exſiſtentiam obiecti, vt diximus: non poſſunt ergo vt vera veritate formali præcedere, nec cauſare ſuum obiectum, ſed præintelligi debent, prout prolata à Sacerdote nomine Chriſti, & prout ſic cauſent exſiſtentiam obiecti, à qua rurſus denominantur formaliter vera veritate formali. 147. *Hæc doctrina vera eſt in ſenſu in quo traditur.*

Dices, ad hoc, vt aliquis loquatur vere de præſenti, debent habere ſcientiam, ſeu notitiam illius, quod dicit: prius enim eſt ſcire quam loqui: quia loquutio tendit ad communicandum aliis, quod loquens ſcit; ergo qui affirmat aliquid de præſenti, debet prius ſcire, & credere id ita eſſe, antequam id affirmet; ergo Sacerdos antequam affirmet, hoc eſſe corpus Chriſti, debet credere id ita eſſe: ergo prius eſt, Sacerdotem id interius iudicare, quam loqui exterius; ergo prior eſt veritas quam operatio verborum: nam pro illo priori iam Sacerdos iudicat veram illam propoſitionem, antequam illam proferat. 148. *Inſtabis.*

Reſpondetur, In propoſitionibus vocalibus practicis de præſenti ſufficere, ſi aliquis præcognoſcat propoſitionem eſſe talem, vt ſi proferatur, debeat facere ſuum obiectum: hac enim cognitione præexſiſtenti poteſt abſque mendacio loqui, licet in propoſitionibus mere ſpeculatiuis, quæ non habēt vim ponendi ſuum obiectum, prærequiratur cognitio 149. *Reſpondetur.* *Diſcrimen inter cognitionem practicam & ſpeculatiuam.*

da

de exſiſtentia abſoluta obiecti. Ratio autem eſt, quia ad loquendum veraciter in vniuerſum ſufficit, ſi loquens ſciat conformitatem verborum cum obiecto, ſeu verba non ſignificare aliud quam ſit: ille autem, qui præcognoſcit verba afferre ſecum exſiſtentiam obiecti, iam ſcit, verba non ſignificare aliud, quam ſit ex vi eorum verborum; ergo loquitur abſque mendacio: propoſitio autem mere ſpeculatiua, cum non poſſit ponere ſuum obiectum, debet præſupponere in loquente notitiam aliunde obiecti exſiſtentis independenter à prolatione verborum. Sacerdos ergo proferens illa verba loquitur ex ſcientia illa, qua ſcit, non futura verba abſque exſiſtentia obiecti: rurſus loquitur ad manifeſtandam mentem, & notitiam abſolutam, quam habet de exſiſtentia obiecti: non quidem notitiam, quam habet antecedenter ad verba, ſed dependenter ab ipſis verbis: poteſt enim aliquis per loquutionem manifeſtare mentem, & notitiam, quam habet dependentem ab ipſa loquutione & verbis. Sic aliquis poteſt ſcribere alteri in hæc ſola verba: *Iam non poteris amplius dicere, te non vidiſſe ſcriptam a me aliquam propoſitionem*; & tamen qui hæc ſcribit, non ſcit illud eſſe verum abſolute, niſi dependenter ab ipſa ſcriptura; manifeſtat ergo per ſcripturam ſcientiam, quam habet dependenter ab ipſa ſcriptura. Sic ergo poterit Sacerdos manifeſtare per hanc loquutionem ſcientiam, quam habet dependenter ab ipſa loquutione; non eſt ergo neceſſe, quod præcedat veritas formalis verborum, antequam operentur.

150. *Verba tamen habere aliquam veritatem pro illo priori.* Cæterum propter auctoritatem ſancti Thomæ ſupra adductam, adhuc poſſumus defendere, verba pro illo priori habere aliquam veritatem; quia verba pro illo priori, pro quo intelliguntur operatiua, intelliguntur iam verba, non vtcumque, ſed verba Chriſti loquentis per os Sacerdotis & affirmantis, illud eſſe ſuum corpus: eo autem ipſo, quod intelligantur verba Chriſti, intelliguntur cum infallibilitate orta ex ipſo loquente, & cum neceſſitate ad conformitatem cum obiecto, & cum repugnantia ad difformitatem; ergo iam pro illo priori non intelliguntur præſcindere omnino, & habere indifferentiam ad veritatem vel falſitatem, ſed intelliguntur iam cum determinatione ad veritatem, quæ quidem determinatio, & neceſſitas ponendi obiectum, ſeu conformitatem cum illo, poteſt dici veritas radicalis, & antecedens ad omnem denominationem extrinſecam prouenientem ab obiecto; & hæc veritas eſt eſſentialis, & intrinſeca in omni cognitione Diuina, & in omni actu fidei, & in omni loquutione Dei prout talis eſt, quare cum verba conſecrationis antecedenter ad operationem ſint loquutio Chriſti, neceſſe eſt, quod pro illo priori intelligantur cum hac veritate radicali. Et hunc ſenſum videtur intendere ſanctus Thomas vbi ſupra, nam poſt illa verba ſtatim adiungit; *Sic enim ſe habet Verbum ad res factas per Verbum*; quaſi dicat, verba conſecrationis ex eo, quod ſint verba Dei debere præintelligi cum infallibilitate propria omnis loquutionis Diuinæ. Alij aliter explicant ſanctum Thomam; ſed non ſatis ad eius mentem.

SECTIO VII.

Quid ſignificent pronomina, hoc, *&* hic, *poſita in verbis conſecrationis.*

151. CONtra doctrinam ſectionis præcedentis manet adhuc peculiaris difficultas orta ex illo pronomine, *hoc*, & *hic*, quæ videntur ſupponere pro aliquo præſenti tunc quando proferuntur; tunc enim deſignant accidentia præſentia; ergo ſignificant id, quod tunc eſt ſub accidentibus illis; alioquin poſſent eſſe vera verba, licet non eſſent præſentia accidentia, quando profertur illud, *hoc*. Si autem ſupponit pro eo, quod tunc eſt ſub accidentibus, verificabitur de ipſo pane: tunc enim ſubſtantia panis eſt ſub accidentibus; ergo ſi verba intelligantur de præſenti in rigore, non poſſunt eſſe vera.

Controuerſia de ſignificato pronominis hoc. Hac occaſione controuerti ſolet late de ſignificato illius pronominis, *hoc*, in verbis conſecrationis, quam quæſtionem latiſſime tractat Vaſquez *diſp.* 201. & quidem hæretici inde ſumunt anſam ad ſuum errorem confirmandum de permanentia panis: nam illud, *hoc*, quando profertur, debet ſupponere pro pane tunc præſenti; illud autem non poteſt eſſe corpus Chriſti, niſi figuratiue; ergo illud, *eſt*, non debet intelligi in toto rigore, ſed per tropum.

152. *Quidam dicunt ſignificari panem. Alexand.* Ex Catholicis aliqui dicunt, per illud, *hoc*, ſignificari quidem panem, ſed vt ſignum corporis Chriſti futuri ſub accidentibus, vt ſenſus ſit: *ſignificatum per hoc eſt corpus meum*: pro qua ſententia refertur Alex. *in* 4. *q.* 10. *memb.* 4. *art.* 2. §. 3. qui tamen, vt errorem hæreticorum vitaret, addit, ex intentione Sacerdotis demonſtrari panem vt ſignum corporis Chriſti tranſſubſtantiandum in ipſum. Ab hoc modo explicandi parum differt Bonauent. *d.* 8. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 1. qui dicit, illud, *hoc*, ſupponere pro pane, ſed ſenſum verborum eſſe: *hoc panis eſt*, id eſt, *tranſit in corpus Chriſti*. *Bonauent.*

153. *Vtraque explicatio reiicitur.* Vtraque explicatio reiicitur, quia neutra intelligit proprie illud verbum *eſt*, prout re vera debet intelligi, & prout intelligitur à Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 4. vbi dicitur Chriſtum illis verbis dixiſſe, *vere corpus ſuum eſſe id, quod ſub ſpecie panis offerebat*; non offerebat autem panem, ſed corpus ſuum ſub ſpecie panis; non ergo loquebatur de pane, quia de illo non poterat vere dicere, eſſe corpus ſuum, ſed vel ſignificare corpus ſuum, vel tranſire in illud, quorum neutrum eſt, *eſſe corpus ſuum*. Nec ſufficit, id quod addit Alexander; quia verba non poſſunt proprie reddere illum ſenſum: *ſignificatum hoc ſigno, quod eſt panis, tranſſubſtantiandum in corpus meum, eſt corpus meum*; atque ideo conuerſio non fieret ex vi, & ſignificatione verborum, ſed ex voluntate Dei, quam verba in rigore non ſignificant.

154. *Communis ſententia.* Alij ergo communiter dicunt illud, *hoc*, ſignificare indiuiduum vagum entis, vel ſubſtantiæ exſiſtentis ſub his accidentibus, quod eſt prædicatum commune pani, & corpori Chriſti quem ſenſum licet non omnes eodem modo explicent, in re tamen ipſa fere conueniunt, nec poteſt eſſe diſſenſio alicuius momenti. Oportet tamen caute loqui, & aliquos loquendi modos minus proprios vitare. Fateor itaque illud, *hoc*, ſignificare determinate, & non vage, hæc accidentia panis, quæ adſunt ſenſibilia, & præſentia, nec quoad hoc habere ſignificatum vagum, ſed determinatum: hoc tamen non eſt ſignificatum rectum, ſed de connotato: ſignificatum enim rectum non ſunt accidentia, ſed ſubſtantia contenta ſub his accidentibus. Vnde oritur aliud diſcrimen, quod licet daremus, accidentia ſignificari vt actu præſentia iam tunc quando profertur illud *hoc*, ſubſtantia vero contenta, ſub illis non ſignificatur præciſe vt tunc contenta, ſed in fine prolationis, pro quo tempore debet propoſitio verificari. Dicimus ergo, illud, *hoc*, verificari quidem de corpore Chriſti, contento ſub illis accidentibus in fine prolationis verborum, non tamen ſignificare illud determinate, ſed ſub conceptu confuſo, & vago, indifferenti de ſe ad panem, & ad corpus Chriſti, & ad quamlibet aliam ſubſtantiam, quæ in fine prolationis eſſet ſub illis accidentibus; ſenſus enim eſt: *id quod ſubſtat his accidentibus*

Illud hoc verificatur quidem de corpore Chriſti, ſed ſub conceptu confuſo.

accidentibus in fine prolationis, eſt corpus meum. Vnde propoſitio non eſt identica, quia per, *corpus meum*, ſignificatur corpus Chriſti determinate: per illud vero, *hoc*, non ſignificatur determinate, ſed vage ſub conceptu indifferenti de ſe ad plures ſubſtantias: nam licet de facto ſolum corpus Chriſti ſit contentum ſub illis accidentibus; per illum tamen conceptum non repræſentatur magis corpus Chriſti, quam quælibet alia ſubſtantia; & in hoc ſenſu verum eſt, per illud *hoc*, ſignificari aliquid commune pani, & corpori Chriſti: non quod verificetur vllo modo de pane antea præſenti, ſed quod conceptus de ſe ſit indifferens, ad quamcunque ſubſtantiam contentam ſub illis accidentibus in fine prolationis; ſicut cum dico: *Petrus eſt Prætor huius ciuitatis*, conceptus Prætoris eſt magis communis, quam conceptus Petri; quia licet de facto verificetur ſolum de Petro, qui ſolus eſt de facto Prætor in hac ciuitate, conceptus tamen ille de ſe eſt indifferens, & communis ad quemlibet, qui eſſet Prætor huius ciuitatis. Sic etiam illud *hoc*, ſeu contentum ſub his accidentibus eſt quidem conceptus determinatus ad hæc accidentia; ſed indifferens de ſe ad contentum ſub illis; atque ideo eſt terminus partim ſingularis determinatus, ſcilicet quoad ſignificatum obliquum, quod ſunt accidentia, partim ſingularis vagus, quoad contentum ſub illis accidentibus.

155. An vero illud *hoc* ſignificet ex ſe de connotato accidentia iam tunc præſentia, quando profertur; an ſolum præſentia in fine prolationis verborum. Licet daremus eſſe determinatum ad accidentia, quæ iam tunc ſint præſentia, nihil fieret contra nos, vt dixi: quia non ideo ſupponit pro contento iam tunc ſub illis accidentibus: poſſet enim ſignificare *contentum in fine prolationis ſub accidentibus iam tunc præſentibus quando profertur.* Sed re vera non videtur, quantum eſt ex vi ſuæ ſignificationis, habere hanc neceſſitatem, nec determinate accidentia iam tunc præſentia. Nam in communi, & proprio modo loquendi eamdem vim habere videtur particula demonſtratiua, *Ecce*, quam habeat illud *Hoc*. Vnde Pater Vaſquez dict. *diſput.*201.*num.*41. fatetur, validam fore conſecrationem per illa verba: *Ecce corpus meum*. Videtur autem quod ad veritatem huius propoſitionis ſatis ſit, ſi in fine prolationis oſtendatur id, quod demonſtratur. Dixi tamen, id ſufficere, quantum eſt ex vi ſignificationis: aliunde enim ad conſecrationis valorem requiritur omnino ex inſtitutione huius ſacramenti, quod materia ſit præſens ab initio prolationis formæ; nec ſufficit eſſe præſentem poſt inchoata, vt oſtendi in ſuperioribus; illud tamen non oritur ex præciſa ſignificatione illius pronominis, *hoc*, ſed ex aliis capitibus. Addo, neque ex eadem ſignificatione præciſa videri neceſſarium, quod illa accidentia ſint præſentia in fine prolationis verborum. Requiritur quidem, quod in fine prolationis ſit corpus Chriſti ſub illis, vt propoſitio verificetur de præſenti, vt diximus: non tamen videtur neceſſarium ad veritatem propoſitionis de præſenti, quod in fine propoſitionis adhuc ſint præſentia loquenti accidentia, per quæ aliquid demonſtrat; quod videtur ex communi vſu hominum comprobari; tranſeunte enim Petro coram nobis, poſſum ego dicere: *hic eſt Prætor huius ciuitatis*; licet quando abſoluo propoſitionem, iam non appareat, dum tamen tunc adhuc ſit Prætor. Sen[illegible] ergo illius pronominis demonſtratiui non eſt alligatus ad accidentia præſentia tunc, quando profertur pronomen determinate, neque etiam quando abſoluitur propoſitio determinate, ſed vage, ſcilicet, ſub accidentibus præſentibus, dum loquor, continetur corpus Chriſti in fine prolationis verborum.

Quomodo ſignificet accidentia.

156. Contra hæc tamen eſt difficultas orta ex verbis illis Chriſti præcedentibus: *Accipite, & manducate ex hoc omnes.* Nam ſi illud *hoc* ſignificat contentum ſub illis accidentibus in fine propoſitionis; ergo in illis verbis præcedentibus Chriſtus loquebatur de pane, quem debuit ſignificare per illud *hoc*, quia in fine illorum verborum, *comedite ex hoc omnes*, contentum ſub illis accidentibus erat panis: ſi ergo inuitauit ad comedendum ex contento ſub illis accidentibus in fine verborum, inuitabit vtique ad comedendum ex pane; aliud ergo debet eſſe ſignificatum illius pronominis *hoc*, ne dicamus, Chriſtum non cohærenter loquutum mutando eius ſignificationem in paucis verbis. Nec valet dicere, quod Euangeliſtæ non referunt Chriſtum dixiſſe; *comedite ex hoc*, ſed ſolum *comedite*. Satis enim eſt, quod Eccleſia id dicat ex traditione, quam ab Apoſtolis accepit; & eadem difficultas manet in calice, vbi Euangeliſtæ referunt dixiſſe: *bibite ex hoc omnes*. Et quamuis non dixiſſet explicite, implicite tamen dixiſſe videtur; offerens enim ad comedendum, & dicens: *accipite, & comedite*, de aliquo intelligebat, & per conſequens deſignare videbatur id, quod habebat in manibus.

Difficultas eſt ex verbis Chriſti.

157. Huic argumento facile reſpondebunt, qui dicunt Chriſtum prius conſecraſſe, quam diceret: *accipite, & comedite*; tunc enim illud *hoc* deſignaret corpus Chriſti abſque dubio, quod iam continebatur ſub illis accidentibus. Nam licet Eccleſia videatur alium ordinem ſupponere, quatenus dicens: *hoc eſt corpus meum*, videtur reddere rationem illius prioris dicti: *accipite, & comedite*; ſed tamen in re idem videtur eſſe dicere: *hoc eſt Corpus meum; ideo accipite, & comedite*, prout iuxta hanc ſententiam Chriſtus dixit; & dicere: *Accipite, & comedite, quia hoc eſt corpus meum*, prout Eccleſia refert. Sed quidquid de hoc ſit, ad argumentum aliter reſpondetur, etiamſi illa verba dicta fuerint à Chriſto ante conſecrationem, illud tamen, *hoc*, non referri determinate ad id, quod tunc erat ſub accidentibus, ſed ad id, quod eſſet in fine loquutionis, in quo eſt diſcrimen illorum verborum, *comedite ex hoc*, ab illis aliis: *hoc eſt Corpus meum*. Illa enim priora non ſunt aſſertiua, ſed præceptiua; poſteriora vero ſunt aſſertiua, ad quorum veritatem requiritur, vt obiectum tale ſit tunc, quale tunc affirmatur eſſe; & ideo Tridentinum ex veritate illius aſſertionis collegit Chriſtum fuiſſe iam ſub ſpeciebus ante vſum, & ſumptionem: *nondum enim* (ait *ſeſſ.*13. *cap.*3) *Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cum vere tamen ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe, quod præbebat.* Debebat ergo illud, *hoc*, referri ad id, quod in fine propoſitionis eſſet ſub ſpeciebus; at in prioribus verbis non ita; quia per illa non affirmabatur, ſed præcipiebatur comedi id, quod eſſet, ſub ſpeciebus: tunc ſcilicet, quando acciperetur ad comedendum; quantum enim eſt ex vi illorum verborum, etiamſi tunc nulla eſſet ſubſtantia ſub illis accidentibus, poſſet dici: *accipite, & comedite ex hoc*; ſenſus enim eſt: *comedite ex eo, quod ſub illis accidentibus erit quando accipietis illud*; nam illud verbum, *accipite*, diſtrahit ſignificationem pronominis *hoc*, ad id, quod erit, quando dabitur. Sic enim qui infundit vinum in calicem, poteſt, antequam omnino infundat, dicere: *accipite, & bibite ex hoc*, ſcilicet ex illo, quod accepturi ſunt in calice ſtatim porrigendo, non ex illo, quod iam tunc ſit in calice. Similiter ergo porrigens Chriſtus accidentia panis, poterat inuitare ad comedendum *ex hoc*, nempe ex eo quod accepturi erant

Quomodo reſpondeant huic argumento.

Ad argumentum aliter reſpondetur.

ſub

ſub illis accidentibus ſtatim, actione non interrupta, porrigendis.

158. *Inſtantia.* Dices: ſi habens in manu pomum diceres mihi, accipe, & comede ex hoc, quia eſt cibus ſaluberrimus; & poſt dicta illa verba, antequam dares illud, extendente me iam manum ad illud accipiendum, conuerteretur in lapidem, vel lignum; non putarem me inuitatum ad eius eſum, ſed illius pomi quod prius habebas, quando dixiſti: *comedite ex hoc.* Cum ergo Chriſtus haberet panem in manu, quando dixit: *accipite, & comedite ex hoc*; ſi, volentibus diſcipulis accipere, conuerſus eſt in carnem, non putabũt ſe ad illius eſum inuitatos per priora verba, ſed illius, quod prius oſtenderat.

159. *Diluitur.* Reſpondetur, quidquid ſit de antecedenti, negãdo conſequentiam: nam in priori caſu non ſolum mutata fuiſſet ſubſtantia pomi in lapidem, vel lignum, ſed etiam accidentia illa, quæ deſignata fuerant in obliquo ex intentione loquentis per illud *hoc*; ſenſus enim illorum verborum videtur eſſe: *comede ex eo, quod dedero tibi ſub his accidentibus*, lignum autem, vel lapis non datur iam ſub illis accidentibus, ſed ſub aliis, quæ neque in obliquo fuerant deſignata per illud *hoc*. At vero in noſtro caſu accidentia panis manẽt ſemper eadem, quæ fuerant deſignata; ideo licet non maneat eadem ſubſtantia, manet tamẽ, quod deſignatum eſt ſub illis accidentibus ex intentione loquentis. Quando vero verba verificentur, an in vltimo inſtanti ipſis intrinſeco, vel extrinſeco, vel in tẽpore? quæſtio eſt communis omnibus ſacramentis quam tractauimus ſupra *diſp. 4. de ſacramentis ſect. 7.* Videatur, quæ ibi diximus, & applicetur ad verba cõſecrationis, quæ etiã debent verificari, quando primum vltima ſyllaba profertur ſufficienter ad faciendum ſenſum, & ſignificandum.

SECTIO VIII.

Vtrum per plures formas conſecrationis ſimul poſſit conſecrari eadem materia?

160. *Non eſt dubium quin fiat valide.* DVpliciter hoc quæri poteſt, primo, an fiat valide: ſecundo an fiat etiam licite? De primo non eſt dubium, quia etiamſi verba concurrerent phyſice, adhuc poſſent plures formæ concurrere; ſicut etiam in naturalibus videmus concurrere aliquando plura agentia, quorum quodlibet ſecundum ſe ſufficeret ad eumdem effectum: ſic ergo poſſent omnia illa verba adunari, & concurrere, attemperando ſuum concurſum. Loquendo tamen de cauſalitate morali, qualis eſt hæc, nulla eſt repugnantia, & quoad hoc quæſtio generalis eſt de omnibus Sacramentis.

161. *Quæritur an fiat licite. Oritur diffi.* Maior eſt dubitatio, an fiat licitè? Oritur autem difficultas ex conſuetudine Eccleſiæ quæ licet olim non fuerit recepta in omnibus Eccleſiis; nunc tamen ſtricte præcipitur obſeruari in omnibus; vt habetur in nouo Pontificali edito iuſſu Clementis Octaui, cuius ritum percipit Pontifex obſeruari ab omnibus Epiſcopis. Conſuetudo autem eſt, vt preſbyteri, quando ordinantur, conſecrent omnes ſimul cum Epiſcopo eamdem materiam. Ex alio autem capite videtur hoc ex ſe illicitum, quia in primis exponunt ſe taliter conſecrantes morali periculo reiterandi verba ſuper materiam conſecratam, quod de ſe eſt malum; nam quantumcumque curent ſimul finire verba, non poterit, qui aliquis alios præcedat; poſt quem alij omnes non conſecrabunt, & per conſequens proferent verba ſuper materiam conſecrata. Deinde ſæpe ſæpius continget, aliquem eorum abſoluere verba ante Epiſcopum: & per eõ ſequens Epiſcopus, qui eſt principaliter celebrans, non conſecrabit. Rurſus ille, qui conſecrauit, ſiue vnus ſit, ſiue plures, non perficit Sacrificium, ſiquidem ſolus Epiſcopus ſumit poſtea vtramque ſpeciem conſecratam, non poteſt autem Sacerdos conſecrare, niſi cum animo ſumendi materiam conſecratam; ergo illa conſuetudo de ſe videtur illicita.

162. *Durandus dixit hanc conſuetudinem eſſe abolendam.* Propter hæc Durandus, & alij relati à Suarez *diſp. 57. ſect. 4.* & à Vaſq. *diſp. 228. cap. 2.* dixerunt, eam conſuetudinem eſſe abolendam. Cæterum hæc cenſura iam non caret temeritate, cum opponat ſe non ſolum conſuetudini, ſed præcepto Summi Pontificis iubentis eam vbique retineri. *Alij dicũt eſſe licitum quia ſolus Epiſcopus conſecrat.* Alij ergo cenſent, illam conſuetudinem eſſe licitam, eo quod Epiſcopus ſolus dicat verba animo conſecrandi, cæteri autem proferant ea recitatiue, & materialiter, & quaſi vt diſcant ab Epiſcopo; quibus verbis poſtea celebraturi, & conſecraturi ſunt, quod in primis probant, quia in Pontificiali vetuſtiſſimo dicebatur, quod tales Presbyteri dicant omnia cum Epiſcopo, *ſicut ſi celebrarent*; ergo non celebrant, ſed dicunt ſolum celebrare. Deinde, quia alia ſunt verba Canonis, quæ ſolum dicunt recitatiue qualia ſunt alia: *Calicem ſalutaris accipiam*, &c. *Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat*, &c. Ergo idem dici poteſt de verbis conſecrationis.

163. *Hæc ſententia defendi non poteſt.* Hæc ſententia nullo modo defendi poteſt; primo, quia in nouo Pontificiali ſæpe ſæpius dicitur, illos Preſbyteros celebrare, ſeu concelebrare cum Pontifice: deinde, quia ſerio monentur ibi, vt curent omnino ſimul abſoluere verba conſecrationis cum Epiſcopo; quod ſi ab eis materialiter ſolum proferrentur, nullum eſſet periculum in eo, quod proferrentur poſt Epiſcopum. Denique, quia in conſecratione Epiſcopi eadem conſuetudo ſeruatur, vt Epiſcopus denuo conſecratus celebret cum Epiſcopo conſecrante, & conſecret eamdem materiam: imo (teſte P. Vaſquez vbi ſupra) in Eccleſia Græca Epiſcopo celebrante, ſemper adeſt alius Preſbyter conſecrans ſimul cum Epiſcopo eamdem materiam.

164. Neque obſtant illa verba *ſicut ſi celebrarent*; tum quia illud *ſicut*, non ſemper denotat improprietatem; tum etiam, quia ſolũ denotant, quod non ſeorſim celebrãt, ſed concelebrant. Deinde quidquid ſit, an alia verba dicant tantum recitatiue, de verbis tamen conſecrationis dubitari non poteſt, quod dicantur animo conſecrandi, vt conſtat ex ſupradictis.

165. *Alij dicunt ex omnibus fieri vnum miniſtrum.* Ideo alij dicunt, quod ex omnibus fit vnus miniſter, & vna forma totalis ex pluribus partialibus; quale licet alij aliis prius abſoluant, parum refert, quia non fit conuerſio vſque ad omnium prolationem. Quomodo autem hoc fiat, varie explicant: quidam enim dicunt, intentionem ſingulorum eſſe non conſecrare, donec alij abſoluant. Sed contra hoc eſt; *Reiiciuntur primo.* Primo quia non eſt in poteſtate proferentis verba ſacramentalia ſupra debitam materiam ſuſpendere eorum effectum aliquo breuiſſimo tempore; alioquin etiam poſſet ſuſpendere per horam; quod in aliis etiam Sacramentis regulariter falſiſſimum eſt. *Secundo.* Secundo, quia ſequeretur, quod ſi Ordinati ſint decem, v.g. & iam nouem abſoluerint verba, decimus autem poſtea nolit abſoluere, non fiet conſecratio; quia omnes alij noluerant conſecrare, donec omnes abſoluerent. Conſequens autem eſt abſurdiſſimum.

166. *Inſtabis.* Dices, intentionem fuiſſe conſecrandi, cum omnes, qui prolaturi erant verba, finirent illa: quare cum decimus non eſſet prolaturus, non eſt expectandus. *Reſpondeo.* Sed contra, quia ſuppono, decimũ habuiſſe intentionem proferendi verba, ſed poſtquam nouem protulerunt, ille mutauit intentionem; peto ergo.

quando fit conſecratio? non quidem, quando nouus abſoluit, quia adhuc erat indifferens decimus ad proferendum etiam: ergo expectandum eſt, an velit, vel nollit, & per conſequens verba aliorum fuerunt conſecratiua ſub conditione de futura, quod in aliis ſacramentis communiter reiicitur. Denique impugnatur, quia verba conſecrationis inſtituta ſunt à Chriſto vt ſignificatiua, & aſſertiua de præſenti, vt ſupra dictum eſt; ſi autem ſinguli nolint conſecrare pro nunc, ſed pro inſtanti ſubſequenti, non proferent verba ſignificatiua de præſenti ea ſignificatione, quam habuerunt ex Chriſti inſtitutione: ergo non proferunt verba conſecratiua.

167. *Aliorum ſententia etiam reiicitur.* Alij ergo dicunt, omnes alios Sacerdotes proferre verba referendo ſuam intentionem ad inſtans, quo ea abſoluit Epiſcopus, qui eſt principaliter celebrans; quam ſententiam tribuunt S. Thomæ in *quæſt.* 82. *art.* 2. licet eam non docuerit expreſſe. Cæterum reiicitur etiam facile ex dictis: quia verba ſunt de præſenti, nec poſſunt niſi variata ſignificatione, referri ad aliud inſtans. Deinde, quia ſi relatio ſufficeret, non eſſet, cur tantopere curaret Eccleſia, & præciperet, vt omnes eodem momento verba abſoluerent. Adde etiam alia inconuenientia, quæ contra ſententiam ſequentem afferemus.

168. *Sententia Suarez.* Eſt itaque alia ſententia P. Suarez, P. Ægidij *quæſt.* 82. *artic.* 2. & aliorum, quod illi Sacerdotes debent habere intentionem conſecrandi conditionatam, talem ſcilicet, vt ſi abſoluant verba cum Epiſcopo, conſecrent, quod debent procurare: ſi vero non abſoluant illo inſtanti, ſed prius, vel poſterius, non conſecrent, hoc enim modo vitantur omnia inconuenientia ſupra poſita. *Impugnatur hic dicendi modus.* Sed contra hunc modum dicendi facit in primis communis praxis Eccleſiæ, quæ non admonet Ordinatos de tali intentione conditionata non conſecrandi ſi abſoluant prius quam Epiſcopus, ſed potius communiter monentur, quod habeant intentionem cõſecrandi. Deinde quia etiam ſtante hac intentione non vitantur omnia inconuenientia ſupra poſita: nam in primis adhuc manet moraliter certum, quod plures inaniter proferent verba ſiue ante, ſiue poſt vltimam prolationem Epiſcopi; quod autem habeant intentionem conditionatam, parum refert; nam etiam prolatio verborum conditionata ſupra materiam iam conſecratam, eſt intrinſece mala, & prohibita, vt omnes ſupponunt. Denique illud inconueniens, quod conſecrans non perficiat ſacrificium, & ſumat vtramque ſpeciem, non vitatur vlla ratione per hanc intentionem conditionatam, vt de ſe conſtat.

169. *Aliter poſſet reſponderi, & probari multis exemplis.* Poſſet aliter reſponderi, prolationem vltimi verbi ſuper materiam iam conſecratam ab alio, qui prius abſoluit illud, non eſſe intrinſece malam. Quod multis exemplis probari poſſet; primo, quia prolatio vltimæ ſyllabæ protrahitur à ſacerdote per aliquod tẽpus, quare neceſſe eſt, quod pars illius prolationis ſit poſt conſecratam materiam: quia conſecratio fit, vbi primũ profertur quod neceſſarium eſt ad ſignificandum: & tamen non eſt intrinſece mala illa protractio, etiamſi ſcienter fiat, alioquin deberet ſacerdos adhibere curam in proferenda illa vltima ſyllaba quam citiſſime, & breuiſſime poſſet, ne proferret illam ſuper materiam iam cõſecratam. Secũdo qui in Baptiſmo effũdit ſimul aquam, & protulit verba, ſi abſolutis verbis, pergat adhuc effundendo aliquid aquæ, non peccat, nec tenetur, finita vltima ſyllaba verborum, continere manum, ne cadat vlterius quidquam aquæ ſuper puerum; & tamen illa effuſio aquæ vel ablutio, quæ continuatur, fit circa ſubiectum iam baptizatum. Tertio, qui ordinatur, ſi poſt tactum materiæ, & prolatam formam ab Epiſcopo, iterum ſtatim antequam ſurgat tangat materiam ad maiorem ſecuritatem, non videtur peccare mortaliter, licet id ex leuitate animi faciat, & tamen ille contractus materiæ fit ab homine iam ordinato. Quarto, ſi cantaretur forma, poſſet more muſico repeti bis, & ter illa vltima dictio *meum*; nam ſicut protractio vltimæ ſyllabæ non deſtruit ſenſum loquutionis humanæ, ſic repetitio dictionis non deſtruit ſenſum in muſica, quia ita ſolent loqui muſici dum cantant & tamen ſecunda vice proferretur illud *meum* ſuper materiã iam conſecratam, vt cõſtat. Ex his ergo & aliis ſimilibus videtur probari, quod prolatio vnius dictionis ſuper materiam iam cõſecratam, non ſit intrinſece mala: quia tota illa actio per modum vnius fit nomine Chriſti, & tota per modum totius eſt valida, nec requiritur, quod ſingulæ illius partes ſint neceſſariæ ad effectum, ſed quod tota ſit neceſſaria, vt conſtat ex adductis exemplis.

Verum quidquid ſit de doctrina illa in caſu noſtro videtur eſſe ſpecialis difficultas, aliud enim eſt, repetere vltimum verbum, & protrahere prolationẽ vltimæ ſyllabæ: aliud vero eſt, proferre vltimum verbum ſuper materiam iam ab alio conſecratam. 170 *In caſu noſtro eſt ſpecialis difficultas.* Nam in primo caſu, verbum illud, quod repetitur, vel ſyllaba, quæ protrahitur, non eſt nouum ſignũ, nec ſignificat aliquid nouum, ſed componit, & integrat idem ſignum cum præcedenti prolatione verborum, & ſignificat idẽ omnino cum partibus præcedentibus; quare cum tota propoſitio per modum vnius ſit ſignum practicum verum ſignificans vere ex inſtitutione Chriſti effectum ſacramentalem, non eſt inconueniens in protractione ſyllabæ, vel repetitione vltimi verbi in muſica. Quod idem dicendum eſt de continuatione effuſionis aquæ in Baptiſmo, vel contractu ſecundo materiæ in Ordine: nam etiam non ſunt ſigna diſtincta, ſed integrant vnum ſignum ſacramentale cum præcedentibus, cum quibus faciunt vnum ſignum verum, licet non neceſſarium ſecundum omnes partes. At vero in ſecundo caſu verbum illud prolatũ poſt conſecratam materiam ab alio non integrat vnum ſignum practicum verum cum verbis præcedentibus eiuſdem ſacerdotis; nam toto propoſito, & omnia verba prolata ab illo ſacerdote non ſunt aliquid operata, nec conſecratio facta eſt ex vi illorum: non ſunt ergo ſignum practicum verum, atque ideo vltimum illud verbum illicite proferretur, quia componit, & perficit ſignum practicum falſum cum intentione proferendi illud in perſona Chriſti, quæ indecẽtia reddit illicitam ſecundam conſecrationem materiæ iam conſecratæ. Sicut etiam propter eamdem rationem illicita eſt ſecunda effuſio aquæ cum ſecunda prolatione formæ Baptiſmi ſuper aliquem iam ſemel rite baptizatum, quia ponitur ſignum totale practicum falſum cum intentione operandi, & ponendi illud nomine Chriſti. In primo autem caſu non ponitur ſignum falſum, ſed additur ſigno vero iam poſito pars aliqua illius non neceſſaria, ſed tamen pars ſigni veri, & integrans cum partibus præcedentibus ſignum practicum verum: ſicut & quando ipſemet Chriſtus conſecrauit, non fuit neceſſaria tota prolatio illius vltimæ ſyllabæ, & tamen abſque inconuenienti addita fuit illa protractio ſyllabæ non neceſſaria, quia illa non ſignificabat aliquid nouum, ſed ſimul cum partibus præcedentibus ſignificabat idem, quod quidem vere poterat ſignificare.

Dices, ſacramentum eſt ſignum practicum gratiæ; ſed illa dictio, quæ repeteretur, aut protractio ſyllabæ, non cauſat effectum, quem iam inuenit poſitum; atque ideo nullo modo eſt ſignum practicum: ergo nec poteſt componere ſacramentum, aut 171. *Inſtabis.*

eſſe

eſſe pars illius, non enim poteſt ſecundum illam partem eſſe ſacramentum, cum ſecundum illam partem *Reſpondeo.* non ſit practicum. Reſpondetur, adhuc, vt aliqua ſit pars ſacramenti, non requiri neceſſario, quod illa pars operetur, ſufficit enim, quod illa componat cum aliis ſignum in ratione ſigni ſenſibilis, quod ſignum operetur effectum, licet non operetur ſecundum omnes, & ſingulas ſuas partes: iam enim erit verum dicere de illo toto, quod ſit ſignum ſenſibile practicum, cum omnes partes componant illud totum in ratione ſigni ſenſibilis operatiui. Imo retorquetur argumentum: ſacramentum eſt ſignum ſenſibile practicum; ergo omnia, quæ componunt in ratione talis, ſunt partes ſacramenti, ſed vltimæ ſyllabæ protractio componit illam ſyllabam ſaltem in ratione ſigni ſenſibilis, & facit vnum ſignum ſenſibile cum partibus præcedentibus; ergo licet non componat in ratione practici; componit in ratione Sacramenti: ſicut quod componit hominem in ratione animalis, eſt vera pars hominis, licet non componat illam, vt rationalis eſt.

172. *Explicatur noſtra ſententia.* Iis ergo, & aliis explicationibus omiſſis, quibus Doctores variè conantur tueri, & defendere ab omni ſpecie ſacrilegij prædictam conſuetudinem, quas ex ſupradictis facile poteris impugnare; dicendum videtur, omnes habere intentionem ſaltem conditionatam conſecrandi, & non recitandi ſolum materialiter illa verba, vt conſtat ex ſupradictis. Neque obſtat primum inconueniens, quod plures proferant vltimum verbum ſuper materiam conſecratam: quia licet hoc in communi verum ſit, & moraliter certum, quod non omnes abſoluent ſimul, & quod aliqui proferent ſupra materiam conſecratam; nemini tamen in particulari, quando profert vltimam ſyllabam, conſtat moraliter certo, quod iam illa materia conſecrata ſit; imo omnes conantur ſimul proferre, & monentur ſedulo, quod id curent; quare ſinguli, quando proferunt, poſſunt ſerio intendere conſecrare, cum ſit illa ad minus materia *Magna eſt incuria illorum qui iubent ordinatos expectare vt Epiſcopus abſoluat.* dubia. Vnde intolerabilis videtur incuria aliquorum, qui iubent Ordinatos expectare, vt Epiſcopus non ſolum incipiat, ſed abſoluat prius ſingula verba: hoc enim expreſſe contra mentem Pontificis, qui ſane non debuit prouidere, quod nemo in communi proferat verba conſecrationis ſupra materiam conſecratam; ſatis eſt prouidiſſe, quod nemo in particulari id faciat, ſciens, eſſe iam conſecratam: malitia enim reiterationis formæ ſuper materiam conſecratam ſtat in eo, quod proferantur verba Sacramentalia ſine vlla ſpe ſui effectus, & cum intentione effectus impoſſibilis; in noſtro autem caſu nemo profert verba ſine aliqua ſpe conſecrandi; nec Eccleſia iubet aliquem proferre, de quo non poſſit habere aliquam ſpem, quod conſecrabit, & per quem non poſſit intendi ille effectus; ergo ex hoc capite non eſt aliquod inconueniens, ratione cuius vitanda ſit illa cæremonia, præſertim cum per illam intendat Eccleſia repræſentare myſteria conducentia ad cultum huius Sacramenti, vt pote æqualitatem poteſtatis cum Epiſcopo, quam habent Sacerdotes ex ordinatione ſua ad conſecrandum; ſicut in ſignum etiam poteſtatis acceptæ iubentur Diaconus, & Subdiaconus, cum ordinantur, miniſtrare Epiſcopo in altari: item ad repræſentandam cœnam Domini cum diſcipulis, & alia myſteria, quæ licet nos lateant, non tamen latuerunt Apoſtolos, à quibus forſitan deſcendit hæc conſuetudo.

173. *Nec obſtat ſecundum inconueniens.* Neque etiam obſtat ſecundum inconueniens, quod ille, qui conſecrat, non perficit Sacrificium, nec ſumit vtramque ſpeciem, quia in primis non eſt certum, non poſſe de iure Diuino fieri conſecrationem, quin ſequatur ſumptio à Sacerdote. Deinde, licet conſecratio etiam de iure Diuino dicat habitudinem ad ſumptionem eſt tamen ſatis probabile, quod, ſecluſo præcepto Eccleſiaſtico, ſufficeret ſequi ſumptionem ab alio Sacerdote, licet ipſe conſecrans communicaret; vt indicat Suarez *diſput.75.ſect.5.* in fine, & cum aliis docet Hieronym. *Suar. a.* Llamas 1.*part. Methodi cap.*11.§.11. Ratio autem *L. a... autem ...* eſt, quia licet inceptum Sacrificium debeat omnino perfici, & ideo ſi Sacerdos poſt conſecrationem moriatur, ſubſtitui debeat alius, qui perficiat Sacrificium: cæterum quod ſumptio Euchariſtiæ (in qua perficiatur Sacrificium) fiat non ab ipſo conſecrante, ſed ab alio, non videtur adeo indecens, vt, ſecluſo præcepto Eccleſiaſtico, non liceret; ſicut è contra, non eſt illicitum offerre ſine conſecratione, vt in feria 6. Hebdomadæ ſanctæ: tunc enim Sacerdos offert, quod non conſecrauit, ſed quod alius conſecrauerat præcedente die. Cæterum licet ex natura rei hoc liceret, materiam tamen Eccleſia ſtrictè prohibuit Sacerdotem conſecrare, quin eo ipſo ſumat vtramque ſpeciem, tum ad vitandum periculum, ne aliquando maneat conſecratio ſine perfectione Sacrificij ſequuta (quod forſitan prohibetur iure Diuino) quod periculum nulla ratione melius vitatur, quam obligando ipſum Sacerdotem ſumere ſtatim quod conſecrauit; alioquin ſi ſeruaretur ſumendum ab alio Sacerdote, prius forſitan corrumperentur ſpecies vini quam ſumerentur; tum etiam vt melius, & exactius Sacerdos imitetur factum Chriſti, qui ſimul conſecrauit, & ſumpſit hoc Sacramẽtum.

Suppoſito ergo, quod hoc præceptum non ſit Diuinum, ſed ſolum Eccleſiæ volentis Sacerdotem, qui 174. *Hoc ſuppoſito ceſſat illud inconueniens.* conſecrat, ſumere ex conſecratis; conſequens eſt, quod eadem Eccleſia potuerit in ea obligatione diſpenſare, ſicut etiam in die Paraſceues diſpenſauit in præcepto non celebrandi ſine conſecratione: & olim, teſte Innocentio, erat etiam conſuetudo, quod, celebrante Papa, omnes Preſbyteri Cardinales conſecrarent ſimul cum illo, licet non omnes communicarent; ex quo fit, prædictam conſuetudinem, qua Ordinati in die Ordinationis conſecrant cum Epiſcopo ſine ſumptione ſanguinis, ex nullo capite manere malam; ſi tamen debite fiat, & omnes illi curent, quoad fieri poſſit, abſoluere verba ſimul, prout Eccleſia iubet, & ab Epiſcopo debent de hoc ſerio admoneri.

Dices; ſi illi Sacerdotes conſecrant ſine ſumptio- 175. *Inſtabis.* ne, ergo vere ipſi non ſacrificant, ſed ſolus Epiſcopus; ſiquidem ſupponimus ſumptionem eſſe vel totam, vel partem actionis ſacrificandi; ergo ipſi non celebrant. Quomodo ergo dicitur in Pontificali, quod illi omnes celebrant cum Epiſcopo? Reſpondeo, illos verè celebrare, tum quia conſecratio, licèt *Reſpondeo.* non ſit oblatio integra, & completa, eſt tamen oblatio ſimpliciter, tum etiam quia non ſolum conſecrant, ſed etiam tenentur ſumere corpus Domini, licet non ſumant ſanguinem: illa autem communio, licet aliquibus videatur eſſe communio quaſi laica, mihi tamen eſt valdè veriſſimile, eſſe communionem Sacerdotalem, & per quam offerunt partialiter Sacrificium: nam ſi Sacerdotes illi accederent vt Laïci ad illam communionem, non eſſet diſcrimen inter ipſos, & reliquos Ordinatos Diaconos, Subdiaconos, &c. Eſt autem diſcrimen in modo communicandi; nam ideo iubet Eccleſia reliquos ante communionem recitare Confeſſionem generalem, Preſbyteros vero non recitare illam, & addit, *quia ipſi concelebrant Pontifici*; quaſi dicat, reliqui accedunt ad communionem Laïcam, in qua præmitti ſolet confeſſio generalis, at vero Preſbyteri tunc

communicant vt Preſbyteri, & vt celebrantes; celebrans autem ſolum dicit confeſſionem in principio Miſſæ; & ideo etiam Epiſcopus in Pontificali iubetur conſecrare tot hoſtias, quot ſunt Ordinati, vt ſcilicet communio fiat ex conſecratis ab ipſis Sacerdotibus offerentibus ſacrificium. Ex quo infero, *In quo Eccleſia diſpenſet cum illis Sacerdotibus.* Eccleſiam non diſpenſare cum illis Sacerdotibus, quoad conſecrationem ſine ſumptione, ſed quoad ſumptionem ſanguinis; quod forſitan fit ad denotandum inferioritatem, quam adhuc habent reſpectu Epiſcopi: nam licet Epiſcopus conſecratus ſumat vtramque ſpeciem cum conſecrante, eo quod æqualis eſt iam illi in Epiſcopatu, Sacerdos tamen non ſumit vtramque ſpeciem cum Epiſcopo, quia adhuc manet inferior Epiſcopo; debet tamẽ ſumere vnam ſpeciem; nec exiſtimo, poſſe illam communionem omitti à Sacerdote etiam ex diſpenſatione Epiſcopi; tum quia illa ſumptio pertinet ad complementum ſacrificij, quod offerre illos Sacerdotes ſæpe dicitur in Canone, & aliis orationibus, tum etiã, quia præceptũ non conſecrandi ſine ſumptione non poteſt diſpenſari niſi ab Eccleſia, quæ in prædicto caſu ſolum diſpenſauit, quoad ſumptionem ſanguinis.

DISPVTATIO XII.

De effectibus Euchariſtiæ.

SECTIO I. *Vtrùm Sacramentum Euchariſtiæ conferat primam gratiam.*

SECTIO II. *Quando conferat Euchariſtia gratiam ſanctificantem?*

SECTIO III. *Vtrùm vtraque ſpecies Euchariſtiæ conferat maiorem gratiam, quam ſingula ſeorſim.*

SECTIO IV. *De aliis effectibus ſpiritualibus ſacramenti Euchariſtiæ.*

SECTIO V. *De effectibus, quos Euchariſtia operatur circa Corpus.*

EFFECTVS Euchariſtiæ alij poſſunt intelligi circa animam alij circa ipſum corpus, de vtriuſque breuiter agemus, prius de iis, qui ſunt circa animam.

SECTIO I.

Vtrùm Sacramentum Euchariſtiæ conferat primam gratiam.

1. *Supponimus hoc ſacramẽtum cõferre gratiam.* SVpponimus, hoc ſacramentum conferre gratiam ſanctificantem ex opere operato, quod omnibus ſacramentis nouæ legis commune eſt; & de Euchariſtia probatur late ex Scriptura, Conciliis, & Patribus aduerſus Hæreticos à noſtris Recentioribus in præſenti, præſertim Suarez & Vaſquez, Bellarmino *Difficultas eſt de prima gratia.* *lib. 4.* de Euchariſtia, Valentia, & aliis. Difficultas eſt, an non ſolum conferat augmentum gratiæ, ſed etiam aliquando primam gratiam, per quam expellitur peccatum lethale. Et vt certa ab incertis ſeparemus, conueniunt Doctores Catholici in eo, *In quo Catholici conueniant.* quod hoc ſacramentum non ſit per ſe inſtitutum ad remiſſionem peccati mortalis; quod ex eo facile conſtat, quia ſacramentum non inſtituitur per ſe ad illum effectum, quem per ſe ſupponit ſemper productum: Euchariſtia autem per ſe loquendo ſupponit primam gratiam in ſubiecto: nam cibus de ſe ordinatur ad augendam, non ad generandam vitam; ergo ſupponit omnino vitam animæ. Hoc idem ex Tridentino, & aliis rationibus probant bene Suarez in præſenti *diſp. 63. ſect. 1.* & *Suarez. Vaſquez.* Vaſquez *diſput. 205. cap. 1.* Reſtat ergo dubitatio, an ſaltem per accidens Euchariſtia conferat aliquando primam gratiam.

Prima ſententia affirmat in caſu, quo quis inculpabiliter accedat ad Euchariſtiam, vel qui ignorat inuincibiliter ſtatum peccati, quem habet, vel quia exiſtimat, ſe rite fuiſſe abſolutum, cum non fuerit. tunc enim virtute ſacramenti remittitur peccatum; Hanc tenent plures Thomiſtæ, & alij, quos refert, & ſequitur Suarez vbi ſupra concluſione tertia. Cæterum auctores huius ſententiæ rurſum diuiduntur: nam quidam cenſent, ad hunc effectum non eſſe neceſſariam etiam attritionem, ſed ſufficere bonam fidem, & inculpabilem acceſſum ad Euchariſtiam; alij dicunt, requiri attritionem ſupernaturalem, quæ vel exiſtimetur contritio, vel inculpabiliter putetur ſufficiens diſpoſitio ad Euchariſtiam. Sic docet Recentiores, & videtur fauere S. Thomas *art. 3. in corpore*, & in aliis locis. 2. *Prima ſententia affirmat.* *S. Thom.*

Secunda ſententia negat in vniuerſum Euchariſtiam, cauſare per ſe, vel per accidens primam gratiam in aliquo caſu. Hanc tenent Bonauentura, Gabriel, Gerſon, Alexander & alij, quos refert & ſequitur Vaſquez vbi ſupra *cap. 4. & 5.* imo videtur eſſe etiam de mente S. Thomæ, vt poſtea videbimus: & licet aliqui nimis acriter inuehantur in hanc ſententiam, dicentes oppoſitam eſſe omnino certam, & indubitatam, falluntur tamen; nam tota hæc controuerſia non excedit terminos opinionis probabilis; & quidem inter illas hæc poſterior videtur probabilior, & magis conſona doctrinæ, quæ de hoc ſacramento in Eccleſia communiter tradita eſt; imo videtur expreſſa in Catechiſmo Pij Quinti, vbi dum de effectibus Euchariſtiæ agitur, ſic dicitur. *Verum quod dicitur Euchariſtia gratiã tribui paſtores admoneant oportet, ita intelligendum non eſſe perinde ac ea neceſſe non ſit, vt qui re ipſa hoc ſacramentum vtiliter percepturus eſt, gratiam antea adeptus fuerit. Conſtat enim quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodeſt; ita etiam animæ, quæ ſpiritu non viuit, ſacra myſteria nõ prodeſſe, ac propterea panis, & vini ſpeciem habent, vt ſignificetur, non quidem reuocã- da ad vitã animæ, ſed in vita conſeruanda cauſa inſtituta eſſe.* Hæc ibi, vbi obiter prima ratio inſinuatur ſatis efficax pro hac ſententia. 3. *Secunda ſententia negat.* *Catechiſm. Pij V.*

Probatur ergo primo, quia hoc ſacramentum ex ſua inſtitutione eſt ſacramentum viuorum; ideo enim inſtitutum fuit per modum vt indicarentur eius effectus, qui non melius quam ex inſtitutione colliguntur. Ideo namque in Florentino dicitur, hoc ſacramentum eos omnes effectus cauſare in ſuſcipiente, quos cibus naturalis cauſare ſolet: cibus autem nunquam datur ad generandam, ſed ad conſeruandam vel augendam ſubſtantiam animalis; ergo nec Euchariſtia habuit talem virtutem: quare ſicut cibus non operatur mortuo applicatus, ſic nec Euchariſtia, niſi præſupponatur vita ſpiritualis. Hoc idem argumentum ſumi poteſt ex ſignificatione: ſacramenta enim eos ſolum effectus habent, quos ſignificant; Euchariſtia autem nullo modo ſignificat gratiam primam, ſed gratiam nutritionis & augmenti, ergo hanc ſolum cauſat & non illam. 4. *Probatur primo ex inſtitutione.*

Secundo probatur ratione etiam inſinuata in verbis relatis Catechiſmi: quia ſcilicet Euchariſtia ex ſua inſtitutione, & per ſe non habet conferre primam gratiam, vt admittunt aduerſarij; ergo in nullo caſu etiam per accidens poteſt hoc habere. Conſequentia probatur, quia ſacramenta ex opere 5. *Probatur ſecundo ratione.*

operato non habent effectum, niſi illum, ad quem ſunt inſtituta. Cum enim ſacramenta de ſe non habeant virtutem, ſed ſolum ex inſtitutione, conſequens eſt, vt tota virtus ſacramenti regulanda ſit penes id, quod habent ex propria inſtitutione; repugnat ergo, quod Eucharistia conferat primam gratiam, & non ſit per ſe inſtituta ad hunc effectum.

6. *Inſtabis. Reſpondeo.*

Dices; hoc etiam habet Euchariſtia ex inſtitutione, non tamen per ſe, ſed per accidens. Sed contra; quia habere virtutem per accidens ex inſtitutione, nihil aliud eſt, quam habere virtutem ad illum effectum, quaſi præter intentionem inſtituentis. Nam Chriſtus ſolum intendit, quod Euchariſtia augeret gratiam; cæterum, quia non potuit dare hanc virtutem Euchariſtiæ, quin obiter maneret cum virtute ſufficienti ad dandam primam gratiam in aliquo caſu; hinc eſt, quod Euchariſtia per accidens, & quaſi præter intentionem habuerit etiam hanc virtutem ad cauſandam primam gratiam; ſicut generatio monſtri dicitur præter intentionem naturæ, natura enim communicauit virtutem cauſis ſecundis ad ſuos effectus; cæterum quia non potuit hæc virtus communicari, quin aliquando ex concurſu contrariorum, & commixtione agentium oriantur monſtra, & defectus; hinc eſt, datam etiam eſſe virtutem ad monſtra per accidens, & præter intentionem. Hoc autem in præſenti non poteſt vllum habere locum; quia ex eo quod Chriſtus inſtituens Euchariſtiam voluerit eam eſſe nutritiuam gratiæ, non fuit neceſſe habere etiam virtutem ad cauſandam primam gratiam in aliquo caſu: potuit enim optime dari virtus ad vnum, & non ad aliud; nam licet prima gratia, & augmentum gratiæ ſint effectus eiuſdem rationis quoad entitatem, potuit tamen hæc cauſa exigere ad operandum talem diſpoſitionem in ſubiecto, nempe ſtatum gratiæ, ſicut etiam exigit Characterem Baptiſmalem; ergo potuit bene Euchariſtia accipere virtutem ad augmentum gratiæ ſine virtute ad primam gratiam; ergo ſi de facto accipit virtutem collatiuam primæ gratiæ, conſequens eſt, quod illa habuerit per ſe, & non per accidens, & præter intentionem.

7.

Dicunt aliqui, Euchariſtiam ex ratione ſpecifica ſuæ inſtitutionis ſolum habere, quod det augmentum gratiæ; cæterum ex ratione generica habere, quod det etiam primam; quia omnia ſacramenta nouæ legis habent vim ſub ratione generica cauſandi primam gratiam. Sed hanc diſtinctionem late impugnat Suarez ſupra *diſp. 7. ſect. 2.* tum quia nullum habet fundamentum hæc duplex inſtitutio ſacramentorum, quoad rationem genericam, & quoad ſpecificam; tum etiam, quia ſequeretur, Euchariſtiam, ſimpliciter loquendo, per ſe cauſare primam gratiam, & per ſe inſtitutam eſſe ad hunc effectum: quia prædicata, quæ per ſe conueniunt homini ob rationem genericam animalis, per ſe conueniunt homini ſimpliciter: homo enim ſimpliciter eſt ſenſitiuus; tum etiam ob alia inconuenientia, quæ ex hac inſtitutione bene probat inferri.

Impugnat Suarez quoſdam qui dicunt ſacramenta nouæ legis habere vim ſub ratione generica cauſandi primam gratiam.

Suar. 2.

8. *Aliter reſpondet Suarez.*

Ideo ipſe Suarez aliter reſpondet ibi, omnia ſacramenta fuiſſe inſtituta ad dandum aliquem gradum gratiæ, quare eo ipſo, quod non ſit obex in ſubiecto, poſſunt illum conferre: per attritionem autem tollitur contraria diſpoſitio, ſeu obex actualis; ergo poterit Euchariſtia operari illum gradum gratiæ, ad quem habet virtutem: quod enim ſit primus, vel ſecundus gradus, parum refert; nam Baptiſmus etiam, & Pœnitentia per ſe inſtituta ſunt ad primam gratiam, & tamen ſi inueniunt ſubiectum gratum, poſſunt dare augmentum; ergo ſimiliter è contra.

9. *Impugnatur.*

Sed contra hoc etiam eſt; nam in primis per attritionem non tollitur ſufficienter obex ad Euchariſtiam: obex enim erat ſtatus peccati, eo quod opponeretur ſignificationi, quam habet Euchariſtia, gratiæ nutritiuæ; ergo quantumcumque detur attritio, non tollitur obex. Pro quo aduerte, non eſſe eumdem obicem reſpectu omnium ſacramentorum; nam reſpectu Baptiſmi, vel Pœnitentiæ ſufficienter tollitur obex per attritionem; quia hæc ſacramenta de ſe ſignificant obligationem peccati, quam operantur; & ideo quod adhuc præſupponatur peccatū, non obeſt efficacitati horum ſacramentorum: at vero Euchariſtia non ſignificat ablationem peccati, ſed nutritionē ſpiritualem; ergo ſtatus peccati habitualis præcedēs obeſt huic ſignificationi, vt operetur; ergo per attritionē non tollitur obex, niſi antecedenter ad Euchariſtiā tollatur peccatum per ipſam attritionem, quod non concedes.

Nota non eſſe eumdem obicem reſpectu omnium ſacramentorū.

10. *Exemplum de Pœnitentia & Baptiſmo non eſt ad rem.*

Deinde exemplum, quod affertur de Pœnitentia, & Baptiſmo, quæ aliquando poſſunt cauſare augmentum gratiæ, non eſt ad rem: nam ille effectus non eſt per accidens, ſed per ſe à Pœnitentia, vel Baptiſmo. Etenim hæc ſacramenta inſtituta ſunt per ſe, non ſolum ad primam gratiam, ſed etiam ad alios effectus: Baptiſmus ſcilicet ad dandam gratiam, ex vi cuius debeantur auxilia homini baptizato ad ſeruanda præcepta, & ad operandum, vt membrum Chriſti; quare quando inuenit ſubiectum gratum, debet dare aliquem gradum gratiæ, per quem fiat ille homo membrum Chriſti, & ratione cuius incorporationis exigat talia auxilia, &c. quod quidem habet, non per accidens, ſed per ſe ex propria inſtitutione. Item ſacramentum Pœnitentiæ non ſolum habet per ſe reſuſcitare mortuum, ſed etiam reconciliare hominem cum Deo, & dare auxilia, quibus magis caueat à lapſu; quare licet inueniat ſubiectum gratum, habet per ſe augere gratiam, vt magis reconciliet hominem cum Deo, & vt det aliquem gradum gratiæ, ratione cuius homo exigat talia auxilia, &c. At vero Euchariſtia per ſe ſolum habet dare augmentum gratiæ, ergo numquam poteſt dare primam gratiam.

11. *Ratio generalis eſt quia omnia ſacramenta cauſant ſuum effectū quando non eſt obex.*

Ratio autem à priori eſt, quia regula generalis eſt, quod ſacramenta cauſant ſuum effectum, quando non eſt obex. Sacramentum ergo Pœnitentiæ poteſt, etiamſi homo iam ſit iuſtus, cauſare augmentum gratiæ, quia tunc non inuenit obicem: obex enim ad effectum illius ſacramenti eſt peccatum mortale non retractatum; in illo autem caſu peccatum ſupponitur ſatis, ſuperque retractatum, imo & condonatū: non ergo inuenitur obex, atque ideo non mirum, ſi ponatur effectus Sacramenti. At vero in noſtro caſu Euchariſtia non poteſt cauſare ſuum effectū, quia non inuenit ablatum ſuum obicem: obex quippe ſuus eſt peccatum habituale, ſeu ſtatus peccati, qui non ſupponitur ablatus, nec poteſt per Euchariſtiam auferri; quia nullum Sacramentum aufert ſuum obicē, ſed debet illum inuenire ablatum, ad hoc vt cauſet ſuum effectum. Adde, conſequentiam illam ex ſacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ bonam non eſſe, nam licet ex virtute ad cauſandam primā gratiam arguatur bene virtus ad cauſandum augmentum gratiæ, non tamen arguitur è contra virtus cauſandi primam gratiam ex virtute cauſandi augmētū: multo enim maior virtus requiritur ad cauſandum primam gratiam, & tollendum peccatum, quam ad cauſandum augmentum gratiæ in homine iuſto: hinc enim eſt, quod licet homo iuſtus poſſit mereri de condigno augmentum gratiæ, non tamen poteſt alteri mereri de condigno primam gratiam, nec poſſet etiam ſibi mereri de

condigno remiſſionem peccati, etiamſi ſupponeretur per poſſibile, vel impoſſibile habere gratiam habitualem, quia nimirum multo plus eſt remittere peccatum, & dare gratiam, quam augere gratiam poſt peccatum remiſſum, vt explicui *diſputat. 5. de Incarna. ſect. 2. n. 17. ſect. 4. n. 68.*

12. *Recentiores aliter reſpondent.* Alij Recentiores paulo aliter reſpondent ad illud argumentum, quo noſtram ſententiam probauimus. Dicunt enim, ideo primam gratiam cauſari per accidens ab Euchariſtia, non quia non ſit ex inſtitutione Chriſti, aut quia ſolum ſit effectus conſequutus ad cauſationem alterius qui ſolus intendebatur; ſed dicitur eſſe per accidens, quia eſt præter, imo contra exigentiam, & propenſionem ipſius Sacramenti: contra exigentiam, inquam, non neceſſitatis, ſed obligationis; cum enim iuxta inſtitutionem huius Sacramenti ſit præceptum, & obligatio præmittendi ſtatum gratiæ, & iuſtificationem, conſequens eſt, vt caſus, quo accipitur abſque ea diſpoſitione præuia, ſit contra exigentiam, quæ Sacramentum ipſum ex præcepto exigebat non ſumi abſque illa diſpoſitione, atque ideo effectus gratiæ, quæ tunc dabitur erit contra id, quod Sacramenti inſtitutio ex præcepto exigebat, licet non ſit præter totam intentionem, & inſtitutionem ipſius Sacramenti.

13. *Arguitur primo contra hunc dicendi modum.* Contra hunc tamen explicandi modum adhuc videtur eſſe primo, quod gratiam illam dari ex ſuppoſitione caſus prohibiti in inſtitutione Sacramenti, non videtur ſufficere, vt Sacramentum dicatur concurrere ſolum per accidens ad illum effectum. Alioquin quando homo iuſtificatus per contritionem perfectam immemor ſui peccati non præmittit Confeſſionem ante Communionem, & recepit ab Euchariſtia augmentum gratiæ, diceretur etiam Euchariſtia cauſare per accidens illum effectum, & augmentum gratiæ: eſt enim contra exigentiam, & præceptum illius Sacramenti, recipi ab eo, qui mortaliter peccauit, non præmiſſa Confeſſione Sacramentali. Item, ſi commiſit duo peccata, & immemor vnius confitetur alterum, & iuſtificatur, Euchariſtia dabit illi augmentum gratiæ per accidens, quia eſt contra exigentiam, & præceptum, quo præexigitur confeſſio omnium mortalium: nemo autem dicet, in iis, & ſimilibus caſibus augmentum gratiæ cauſari per accidens ab Euchariſtia. Sicut ſi Sacerdotium conferatur alicui ante Diaconatum, non dicetur per accidens cauſare gratiam, aut characterem, licet ſit contra præceptum præmittendi Diaconatum. Similiter nec mors Chriſti dicitur per accidens cauſare gratiam iuſtificationis iis, qui contra ipſum Chriſtum, & contra eius præcepta peccant: nam licet mors illa fuerit, vt homines crederent in ipſum, & acciperent, ac obſeruarent eius legem, & præcepta, atque ideo non videtur eſſe iuxta Chriſti intentionē, quod eius leges violentur: voluit tamen Chriſtus mori, non ſolum, vt homines crederent in ipſum, & eius legem acceptarent, ſed etiam vt, ſi aliqui illam reſpuerent, & violarent, haberent medicinam, & remedium. & ideo hic etiam effectus non tribuitur per accidens, ſed per ſe morti, & meritis Chriſti.

14. *Arguitur ſecundo & applicatur ratio ſupra facta.* Vnde ſecundo arguitur, & applicatur ratio ſupra facta contra illum dicendi modum; quia nimirum non apparet, quomodo ſola illa exigentia, qua ex præcepto exigitur iuſtificatio præuia, ſufficiat ad denominandum effectum per accidens reſpectu Sacramenti; nam cauſa per accidens, vt dixi, appellatur, quæ in ipſamet operatione effectus per accidens, non intendit illum, ſed alium, quem dum non aſſequitur, producit alium non intentum, cuius productio neceſſario conſequitur ex intentione alterius. Sic natura ipſamet productione monſtri non intendit monſtrum, ſed perfectam prolem, quam quia non poteſt aſſequi, producit monſtrum, quia neceſſario, conſequitur ex intentione prolis perfectæ in his circumſtantiis. Sic etiam agricola, qui fodiens vineam inuenit theſaurum, dicitur cauſa per accidens; quia in illa ipſa foſſione aliud diuerſum intendebat, ſcilicet, terræ culturam, cum qua intentione habet neceſſariam connexionem inuentio theſauri in his circumſtantiis. Quando vero aliquis ex ſuppoſitione prioris intenti non habiti, applicat animum ad aliquid aliud faciendum, non dicitur cauſa per accidens ſecundi effectus, v.g. teſtator præcipit hæredi, vt à debitoribus omnibus exigat debita, eoſque obliget ad ſoluendum; addit tamen, ſi vero aliquis poſt annum non ſoluerit, hæres remittat debitū illi. Ecce ex primaria intentione teſtator vult, omnes debitores ſoluere; poſtea ſi finis ille non obtineatur in omnibus, vult remiſſionem debiti, quæ non eſt neceſſario connexa cum illa priori intentione: certe non dicetur teſtator cauſa per accidens remiſſionis debiti, licet ille effectus cauſetur contra exigentiam teſtatoris, qui obligabat omnes ad ſoluendum. Similiter Deus ex primaria intentione exigit, & obligat omnes ad non peccandum vult tamen peccantibus remittere peccata, ſi de illis doleant, qui effectus ponitur contra exigentiam Dei, qui obligabat ad non ponendum talem caſum; non tamen dicetur Deus per accidens concurrere ad remiſſionem peccatorum, ſed potius ille effectus remiſſionis tribuetur Deo, vt cauſæ per ſe, quia illum intendit ex ſuppoſitione prioris intenti non habiti. *Quidnam dicatur cauſa per accidens.* Eodem ergo modo ſi Sacramentum Euchariſtiæ ex ſua inſtitutione, ſeu Chriſtus illud inſtituens obligat omnes ad præmittendum ſtatum gratiæ; addit vero, vt illi etiam, qui in peccato ſunt, per Euchariſtiam iuſtificentur, ſi bona fide, & cum attritione accedant; non debet dici hic effectus primæ gratiæ per accidens procedere ab Euchariſtia, cum in ipſa productione primæ gratiæ nihil aliud intendatur, ſed ipſamet iuſtificatio, & hic effectus non habeat connexionem cum illo, quod prius intendebatur, licet verum ſit, quod intenditur, non ex primaria intentione, ſed ex ſuppoſitione, quod primum intentum obtineri non potuit.

Dices, Extrema-vnctio cum attritione iuxta probabilem ſententiam dare poteſt primam gratiam: & licet ille effectus non habeat neceſſariam connexionem cum primaria intentione illius ſacramenti, quæ erat tollere reliquias peccati iam remiſſi, adhuc dicitur cauſari per accidens ab illo ſacramento, quia nimirum eſt contra exigentiam, qua ex præcepto debent fideles præmittere ſtatum gratiæ ad accipiendum illud ſacramentum: ergo ſimiliter dici poteſt in Euchariſtia. 15. *Inſtantia.*

Reſpondeo, quando per Extremam-vnctionem cauſatur prima gratia cum attritione, effectum illum non quidem eſſe iuxta primariam intentionem illius ſacramenti, non tamen eſſe effectum per accidens ſed iuxta intentionem Chriſti inſtituentis illud ad tollendas reliquias peccatorum, hoc eſt, quod ſupereſt, ſiue culpæ, ſiue pœnæ, iuxta menſuram diſpoſitionis. Ne tamen æquiuocatio fiat in illa voce, *per ſe*, diſtinguendus videtur duplex ſenſus, quem poteſt habere: nam ſi per illud, *per ſe*, intelligatur id, quod primario intenditur, fateor, non cauſari per ſe primam gratiam ab Extrema vnctione, quia primario intenditur perfecta ſanitas à peccatis iam remiſſis quoad culpam ſaltem grauem: ſi vero illud *per ſe*, ſignificet id, quod non intenditur vt medium præciſe, & propter aliud, ſed ratione ſui, in hoc ſenſu prima gratia datur per [illegible] ſacramentum, 16. *Diluitur.*

quia

quia non intenditur propter aliud, nempe vt det augmentum gratiæ, ſed propter ſanitatem perfectam ſpiritualem, quæ complectitur ſanitatem à culpa nõ remiſſa, & à reliquiis culpæ priùs remiſſæ, Et in hoc ſenſu dicimus, ſi Euchariſtia dat primam gratiam, debere illam dare per ſe, quia non eſt medium neceſſarium ad dandum augmentum gratiæ, quod Euchariſtia per ſe intendebat; licet dici poſſet quod daret illam, non ex primaria intentione, ſed ex ſecundaria, quatenus magis intendit, quod recipiatur in ſtatu gratiæ; ex ſuppoſitione tamen, quod id non obtineatur, intendit etiam dare primam gratiam, ſi habet virtutem conferendi illum effectum.

17. *Tertio probatur principaliter noſtra ſententia.* Tertio principaliter probari ſolet noſtra ſententia, quia ſi attritio exiſtimata contritio ſufficeret ad fructum ſacramenti percipiendum, vt qui tam enixe exigit Paulus, quod *probet ſeipſum homo*, quæ probatio iuxta declarationem Trident. *ſeſſ. 13. c. 7.* Confeſſio eſt ſacramentalis? Certe non alia de cauſa, niſi quia, licet homo videatur ſibi contritus, id non ſufficit ad fructũ ſacramenti, niſi re vera ita ſit. Quare cum extra Confeſſionem tenuis ſit probabilitas iuſtificationis, ideo merito, ne fraudetur hoc eximium ſacramentum ſuo effectu, iubetur homo etiamſi putet, ſe eſſe contritum, adhuc præmittere Confeſſionem, vt reddat ſe certiori modo capacem illius fructus. Quod ſi per attritionem exiſtimatam contritionem eſſet iam homo proportionatus ad hoc ſacramentum, & acciperet eius fructum, non eſſet, cur Apoſtolus tam anxie poſtularet, vt homo acceſſurus ad Euchariſtiam non fideret ſuæ contritioni, ſed præmitteret etiam confeſſionem: nam vel iſte homo habet attritionem, vel non; ſi non habet, nec etiam Confeſſio proderit: ſi habeat, etiam ſine Confeſſione per ſe eſt capax effectuum Euchariſtiæ; cur ergo tanta cura de præmittenda Confeſſione? Ideo ſane, quia Paulus cenſuit proportionem requiſitam ad Euchariſtiam non eſſe vitam vtcumque exiſtimatam, ſed vitam vere, & realiter habitam, de qua tamen maior eſt ſecuritas poſt confeſſionem, quam extra illam per ſolam contritionem, in qua ſæpiſſime falluntur homines. Sic intel-

Anſelm. lexit verba Apoſtoli Anſelmus ſuper eum locũ dicens: *Raro enim inuenitur aliquis ita magnus, & iuſtus, vt in eo per diſcuſſionem non inueniatur aliquid, quod debeat eum à corpore, & ſanguine Domini retardare, niſi confeſſus fuerit illud, & per pœnitentiam deleatur.* Scio, non eſſe iſtam adæquatam rationem præmittendi Confeſſionem ad Euchariſtiam, alioquin ille, qui ante communionem recordatur peccati omiſſi in Confeſſione per naturalem obliuionem, non teneretur illud ante Communionem fateri. Cæterum adhuc creditur fuiſſe motiuum magna ex parte ad impoſitionem huius præcepti, vt fatentur communiter Theologi. *Hoc fuit motiuum magna ex parte ad impoſitionem huius præcepti.*

18. *Ambroſ.* Quod idem colligitur ex aliis Patribus, qui nũquam diſtinguunt inter proportionem requiſitam ad fructum huius ſacramenti, & inter ſtatum gratiæ, & ſanctitatis Ambroſius *lib. 6.* in Lucam *c. 9.* *Nemo cibũ accipit Chriſti, niſi qui fuerit ante ſanatus, & illi qui vocantur ad cœnam, prius vocatione ſanantur.* Et infra: *Vbique ergo myſterii ordo ſeruatur, vt prius per remiſſionẽ peccatorũ vulneribus medicina tribuatur poſt alimonia menſæ cæleſtis exuberet.* Et idem *lib. 7. in c. 35* Luc. & Tertullianus *lib.* de Pudicitia *c. 9* ponde-

Tertull. rant, in Parabola de filio Prodigo, quod prius acceperit à patre ſtolam gratiæ, quam ad epulas vituli ſaginati admitteretur. Gregorius *lib. 2. in 1. Reg. c.*

Gregor. 1. circa illa verba: *Repleti prius pro panibus ſe locauerunt.* Sic ait: *Salutem non percipiunt in comeſtione ſalutaris hoſtia, qui ea quibus ſe repleuerant, flagitia perpetrant in mente.* Nec ſufficit, quod in noſtro caſu per attritionem fit, quod non portentur in mente peccata; nam re vera peccatum habituale adhuc manet: effectus vero ad peccatum non ſolum per attritionem ſupernaturalem, ſed etiam per naturalem, vel per totam obliuionem poterat tolli. Clemens Pa- *Clemens.* pa *lib. 7 Conſtitut. cap. 27.* *Si quis ſanctus eſt, accedat; ſi non eſt, curret vt fiat per miſericordiam Dei.* Quem modum loquendi habent paſſim alii Patres, apud quos proportio, & diſpoſitio ad effectum ſacramenti Euchariſtiæ nunquam diſtinguitur à ſtatu gratiæ, & vita ſpirituali animæ.

Denique probari poteſt hæc ſententia, quia oppo- 19. ſita nullum habet firmum fundamentũ in Scriptura, aut Patribus, ſine quo non eſt, cur tribuamus hunc effectum Euchariſtiæ: effectus enim ſacramentorum illi ſolum ponendi ſunt, qui nobis à Deo aliqua ratione fuerint manifeſti. Porro nullũ eſſe tale fundamentum conſtabit ſoluendo ea omnia, quæ pro ſe adducere ſolent aduerſarii. *Oppoſita ſententia nullũ habet fundamentum.* In primis ergo obiiciuntur quam plures Patres, qui dicũt, hoc ſacramentum eſſe remiſſionem peccatorum, hoc ſacramento lauari, mundari animam: extingui peccata, tolli ſpurcitiam ægrotos curari, ablui ſcelera, & alia huiuſmodi. *Obiiciuntur quidam Patres.* Vide quamplura loca apud Suarez vbi ſupra cõtra ſecundam concluſionem, & apud Vaſqu. in præſenti *c. vlt.* *Suarez. Vaſquez.* Reſpondetur, hæc teſtimonia explicari etiam ab aduerſariis, vt non probent, quod hæretici contendunt, ſcilicet, Euchariſtiam eſſe inſtitutam ad dandam primã gratiam; quare ipſimet fatentur, non multum vrgere contra noſtram ſententiam. *Reſpondeo.* Poſſunt ergo hæc loca accipi vel de Euchariſtia, vt ſacrificium eſt; vt ſic enim habet vim impetrandi primam gratiam: vel etiã de Euchariſtia reſpectu venialium, quæ tollit, vt infra videbimus; vel de remiſſione, & ablatione peccati, quoad reliquias prauorũ affectuũ qui remanebant, & tolluntur per Euchariſtiam; vel denique, quod Euchariſtia expellit morbos, & mortem, præueniendo ſcilicet, & afferẽdo auxilia ad vires, quibus reſiſtamus tentationibus. Affertur etiam communiter à S. Thoma *in 4. diſp. 9. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2.* & è Durando & aliis teſtimoniũ quodam Auguſtini dicentis, *quod Euchariſtia viuificat etiam mortuos.* *S. Thom. Durand. Auguſt.* Cæterũ hæc verba non inueniuntur in Auguſtino, vt notauit Vaſq. in præſenti; nec etiã in locis Decreti, quæ citantur in margine S. Thomæ; & ſi inuenirentur, poſſent etiam explicari in ſenſu, quo infra explicabimus ipſum S Thomam.

Secundo obiicitur Trident. *Can. 5*, dicens: *Si quis* 20. *dixerit, vel præcipuum fructum huius Sacramenti eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex eo non alios effectus prouenire, anathema ſit.* *Concil. Trident. Obiicitur Tridentinum.* Vbi indicari videtur, remiſſionem peccatorum etiam eſſe effectum Euchariſtiæ. Item ex eodẽ Tridentino docente omnia Sacramenta conferre gratiam non ponenti obicem; ergo cum in noſtro caſu non ponatur obex, dabitur gratia. Denique ex doctrina generali eiuſdem Tridentini, & Florentini, qua dicitur, omnia Sacramenta nouæ legis cauſare gratiam, gratia enim non dicitur ſimpliciter augmentum gratiæ; ſed prima gratia. *Reſpondet.* Reſpondetur ad primum, Tridentinum ſupponere Euchariſtiam tollere venialia, vt infra dicemus; & tamen in illis verbis illud non definit, ſed ſolùm quod non ſit inſtituta ad remiſſionem ſolum peccatorũ, vt Hæretici contendebant. Ad ſecundum reſpondeo, in noſtro caſu poni obicem, ſcilicet ſtatum peccati; qui licet non ſit obex ad Baptiſmum, vel Pœnitentiam, eſt tamen obex ad Euchariſtiam; vt ſupra diximus. Ad tertium dico, nomine gratiæ intelligi gratiam, prout abſtrahit à prima gratia, vel augmento: nam ipſi Patres ita ſe explicant; dum

probant illam generalem doctrinam ex eo quod Euchariſtia conferat augmentum gratiæ.

21. *Tertio obijcitur ex Iulio Papa.* Tertio obiicitur ex Iulio Papa in cap. *Cum omne crimen*, de conſecratione, *d.* 2. in hæc verba: *Cum omne crimen Sacrificiorum ablatione deleatur.* Reſpondetur, ibi ſermonem eſſe de oblatione Sacrificij, non de ſuſceptione Sacramenti. Dices: ſi vt Sacrificium habet hanc vim; ergo multo magis eam habebit vt Sacramentum. *Reſpondetur.* Reſpondetur negando conſequentiam: quia vt Sacramentum eſt cibus animæ, quam præſupponit iam viuam; vt Sacrificium vero habet ſuam vim ex principali offerente, qui eſt Chriſtus, à quo accipit vim impetrandi auxilia congrua pro iis, qui ſunt in peccato; & quidem hæc impetratio non eſt infallibilis; de quo in materia de Sacrificio.

22. *Inſtabis.* Dices; cibus materialis prærequirit vitã in comedente; quia comedens debet propria virtute agere in alimentum, vt illud in ſe conuertat, at vero cibus animæ non conuertitur in animam, imo ipſe cibus debet conuertere in ſe animam comedentis, iuxta vulgare dictum Auguſtini: ergo non tam requiritur vita in comedente, quam in ipſo cibo, vt habeat ſuum effectum. *Reſpondeo.* Reſpondeo, in ſumptione Euchariſtiæ reperiri duplicem conuerſionem ſpiritualem: alteram, qua homo conuertitur in Chriſtum, quoad operationes, eo quod fiat quaſi membrum Chriſti, & incipiat iam operari iis operationibus, quæ decent membrum Chriſti, iuxta illud Apoſtoli: *Viuo ego, iam non ego, viuit in me Chriſtus*; alteram vero, qua homo conuertit Euchariſtiam in ſe, quoad fructus; eo quod ſicut ex naturali alimento accipit vires ad conſeruandam, & augendam vitam naturalem: ſic etiam ab hoc Sacramento accipit nouas vires ſpirituales ad operandum, & nouum augmentum ſanctitatis quæ eſt vita ſpiritualis, quare ex parte ipſius etiam hominis prærequiritur vita ad vtiliter comedendum hunc cibum.

23. *Quarto obiicitur.* Quarto obiici poteſt, quia in prædicto caſu, qui inuincibiliter exiſtimat, ſe eſſe contritum & confeſſum, probauit ſe ſufficienter, iuxta præceptum Apoſtoli dicentis: *Probet ſeipſum homo & ſic de pane illo edat*; ergo ille edit iuxta Apoſtoli cõſilium; ergo edit vtiliter & cum fructu. *Reſpondeo primo.* Reſpondeo in primis: hoc argumentum etiam probaret ſine attritione dari primam gratiam per Euchariſtiam; quia ille, qui inculpabiliter ignorat ſuum peccatum, non tenetur habere etiam attritionem ante Communionem; ergo ſine attritione probauit ſe ſufficienter. *Reſpondeo ſecundo.* Denique reſpondetur abſolute, illum hominem, licet probauerit ſe, & inuincibiliter ignorauerit ſuam indignitatem, ideoque illa omnino ei non imputetur ad nouam culpam; re tamen vera accedere indigne, indignitate quidem inculpabiliter ignorata: ſicut ſi falſo exiſtimans inuincibiliter, ſe eſſe baptizatum, accederet ad Communionem, non ideo acciperet fructum Sacramenti. Paulus autem non dicit, quod omnis, qui, poſtquam ſe probauit, edit, accipiet fructum; ſed permittit; quod ille, qui ſe probauit, edat ex quo ſolum ſequitur, eum bene facere accipiendo ad Euchariſtiam, quia regulariter reportabit fructũ, non tamen quod ſemper infallibiliter habebit effectum Sacramenti, ſi adhuc adſit obex.

24. *Obiicitur vltimò S. Thomas. S. Thom.* Vltimo obiicitur S. Thom. in præſenti, *art.* 3. *in corp.* vbi ait, hoc Sacramentum perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam, & affectum non habet, cauſare remiſſionem peccati: *Forte enim*, inquit, *primo non fuit ſufficienter contritus, ſed deuote, & reuerenter accedens conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ cõtritionem perficiet, & remiſſionem peccati*; vbi videtur ſtare aperte pro oppoſita ſententia, quod etiam clarius videtur exprimere *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. Cæterum mens S. Thomæ in hac quæſtione ad minus eſt ſatis dubia: nam in verbis relatis potius videtur ſupponere, quod non remittitur peccatum immediate per hoc Sacramentum, ſed mediante vera contritione, quam impetrabit ſuſceptio Euchariſtiæ: quare cum hæc impetratio non ſit infallibilis, ſed ex congruitate, & miſericordia Dei, conſequens eſt, nec primam gratiam conferri infallibiliter: videtur autem hoc eſſe magis iuxta mentem Doctoris ſancti, qui in toto *hoc art.* 3. ſupponit hoc eſſe Sacramentum viuorum, & præſupponere vitam in ſubiecto, vt communicet ſuos effectus. Quare licet *in* 4. *dicta d.* 9. vbi ſupra videatur abſolute docere, quod ſumptio Euchariſtiæ viuificat mortuos, non debet intelligi tanquam de effectu infallibili, ſed tanquam de effectu aliquando contingenti, eo quod aliquando (vt dixi) credi poteſt, quod illi homini detur auxilium ad contritionem, qua mediante reſurgat à peccato.

Ex dictis infertur facile deciſio illius quæſtionis, an detur acceſſus neuter ad Euchariſtiam? ſcilicet per quem nec detur fructus Sacramenti, nec committatur nouum peccatum? Nam licet aliqui negauerint, certa tamen videtur pars affirmatiua: poteſt enim accedere aliquis inuincibiliter ignorans ſtatũ peccati, in quo eſt; & non recipere fructũ Sacramenti, ſiue quia non habuit contritionem, ſed ſolam attritionem, quæ non ſufficit, ſiue quia licet ſufficiat attritio, eam tamen non habuit, quia cum nõ cenſeret, ſe eſſe in peccato non curauit de aliquo dolore habẽdo: in quo caſo etiam iuxta contrariam ſententiam non iuſtificatur per Sacramentum Euchariſtiæ. 25. *Infertur deciſio alterius quæſtionis.*

SECTIO II.

Quando conferat Euchariſtia gratiam ſanctificantem.

NOn quærimus, an Euchariſtia ſumpta cum obice peccati mortalis cauſet gratiam, ablato obice, poſt conſumptas ſpecies: de hoc enim dictum eſt, quantum ſufficit, *Diſput.* 9 *de Sacramentis in genere ſect.* 6. Solum ergo quærimus, quando conferat gratiam Euchariſtia ſumpta abſque obice. Eſt autem duplex dubium circa hoc; primum, circa tempus actualis ſumptionis: ſecundum, circa tempus, quo ſpecies durant in ſtomacho, antequam corrumpantur, & adhuc continent Chriſtum. 26. *Hic duplex dubium occurrit.*

Circa primum, difficile eſt aſſignare tempus, vel inſtans, quo Euchariſtia confert gratiam. Quidam enim volunt id fieri, cum primum eſt in ore; quia iam dicitur vere manducari: gratia autem promiſſa eſt omnibus manducantibus. A quo dicendi modo non videtur alienus P. Vaſquez *diſp.* 203. *cap.* 1. *n.* 17. dicens, negari non poſſe, ſpecies vere manducari, cum ſunt in ore, & intra dentes conteruntur, iuxta ſignificationem verbi, *manduco*: addit tamen, decerni non poſſe, vtrum Euchariſtia, dum eſt in ore, an vero ſolum, dum traiicitur, vel ſolum in ſtomacho gratiam operetur; cum hoc ſolum pendeat ex voluntate Dei; quare eius etiam iudicio reſeruandum, vtrum ille, qui digne ſumpſit Euchariſtiam, eamque habẽns in ore moritur, antequam illam traiiciat in ſtomachum, fructum illius recipiat, an non. 27. *Difficile aſſignare tempus quo Euchariſtia confert gratiam. Vaſquez. Quidam volunt id fieri cum primum eſt in ore.*

Hæc tamen in primis non videtur ſatis conſequenter dici; quia ſi certum eſt, ſpecies vere manducari, dum ſolum habentur in ore, non videtur poſſe negari, accipi fructum Sacramenti; nec hoc debet 28. *Hæc tamen non videntur conſequenter dici.*

debet ſolum Diuino iudicio relinqui, cum habeamus claram Christi promiſſionem gratiæ dandæ: *qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Cæterum illud ipſum quod pro certo ſupponitur, videtur falſum, & contra omnium mentem; neque enim dicitur manducaſſe panem ille qui acceptum in ore ſtatim extraxit, vel eiecit, imo ab omnibus cenſetur ieiunus; ieiunium autem naturale opponitur comeſtioni veræ & naturali. Adde, ſi ille manducaſſet, impleſſet vtique Chriſti præceptum, & Eccleſiæ de manducatio lo corpore Christi: quis autem dicat, nō traiectis, ſed reiectis ab ore ſpeciebus, ſatisfactum eſſe præcepto Communionis vel viatici? Denique nemo dicet bibi eum potum, quem aliquis ore deguſtans ſtatim exſpuit, nulla proſus guttâ traiectâ; ille enim in toto rigore dicitur non bibere, iuxta illud Matthæi 27. *& cum guſtaſſet, noluit bibere.*

Fundamentum illorum incertum eſt.

19. Nec obſtat, quod etiam, dum in ore habemus cibum, dicamur iam manducare; quod verbum ipſum, *manduco*, ſignificare videtur, quod deriuatur à verbo, *mando* quod dentibus, & ore fit: hoc, inquā, non obſtat, quia in primis, licèt etymologia verbi ſumatur à maſticatione, certum eſt, illam non requiri ad manducandum verè, & propriè alioquin non manducarent fideles Chriſti carnem, quia eam dentibus non mandunt, imo nec ſpecies panis, ſed ſolum deglutiunt: aliud autem eſt in rigore *mandere*, aliud *deuorare*, ſeu *deglutire*, vnde Cicer. 1. *de natura Deorum* dixit: *Alia ſugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt.* Fatendum ergo eſt, eum, qui ſolum habuit in ore cibum, non manducaſſe proprie loquendo, ſed ſolum incepiſſe manducationē: eſt enim manducatio actio complectens ſumptionē intra os, & traiectionem, cum hoc tamen diſcrimine, vt eſſentialiter includat traiectionem, ſine qua non datur manducatio, & qua ſola poſita datur: ſumptionem verò intra os, non eſſentialiter, ſed quaſi integraliter. Vndè qui antè mediam noctem habebat iam in ore buccellam panis v. g. vel o nū, ſi, audito ſigno horologij traiecit, dicitur manducaſſe poſt mediam noctem, & non manet ieiunus: è contra verò qui poſt mediam noctem ſumpſit in ore, & non traiecit, non dicitur comediſſe, vel bibiſſe: illa ergo traiectio eſt quaſi eſſentia comeſtionis, & potationis, licèt ſumptio iam inchoēt comeſtionem, & potum.

Nec obſtat quod dicamur manducare dum in ore cibum habemus.

Cicer.

30. Alij ergo ſecundo dicunt, gratiam conferri, quando Sacramentum traiicitur: quia tamen traiectio ipſa eſt motus ſucceſſiuus, rurſus referrur ſententia Maioris *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 1. dicentis, Sacramentum incipere gratiam eo momento traiectionis, quo melius ad gratiam diſpoſitus eſt homo. Sed P. Vaſquez in præſenti *diſp.* 103. *c.* 1. *n.* 14. aliam diuerſam eſſe probat Maioris ſententiam: nec illa habet vllam ſpeciem probabilitatis.

Alij dicunt gratiam conferri quando Sacramentū traiicitur.
Maior.
Vaſquez.

31. P. Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 4 impugnatis aliis dicendi modis, tentat varias vias ad hoc explicandum. Supponit autem, eſſe terminum diſtinguentem manducationem à non manducatione antecedente, v. g. partem ſuperiorem gutturis, per quam dum tranſit cibus, non manducatur, donec perueniat ad talem partem, vel locum, in quo dicitur manducari. Quo ſuppoſito, duos modos reſpondendi aſſignat: primus eſt, quod gratiæ collatio [illegible]ipiat in duratione aliqua correſpondente tempori noſtro diuiſibili, quæ ſequitur poſt vltimum inſtans, in quo nondum erat manducatio: datur enim inſtans, quo ſpecies ſunt in illo iam termino indiuiſibili diuidente partem ſuperiorem, v. g. gutturis ab inferiori; ergo tunc nondum eſt manducatio, ſed erit immediatè poſt, cum ſpecies erunt iam in parte inferiori; non eſt autem inconueniens, gratiam incipere totam ſimul immediatè poſt inſtans, vt in aliis materiis concedendum eſt.

Suarez.
Sententia Suarez.
Primum modum reſpondendi pugnat.

32. Secundus modus reſpondendi eſt, quem aſſignat in tertia concluſione defendendo, gratiam produci in inſtanti intrinſeco indiuiſibili; qui duobus triplicitèr explicat: primus modus, cui tandem magis adhæret, eſt, quod gratia fiat illo primo inſtanti, quo cibus peruenit ad illum terminum diuidentem ſpatium internum, per quod fit manducatio ab externo. Nam licèt panis non diceretur manducatus in illo inſtanti, corpus tamen Chriſti cum ſit in ſingulis indiuiſibilis ſpecierum, cuius virtute hæ Sacramentum producit gratiam, poteſt ratione illius indiuiſibilis eam producere: quia cum ille terminus ſit continuans vnam partem gutturis cū alia, eſt intrinſecus vtrique parti, & cum corpus Chriſti ſit quod agit, & non patitur, ſicut cibus naturalis ſatis eſt, quod ipſum corpus Chriſti ſit iam applicatum quoad vim agendi, vt tunc dicatur manducari, licèt nondum ſit præſens, quoad motum localem, ſpatio gutturis, in quo ſit traiectio.

Secundus modus.

33. Hic modus explicandi mihi difficillimus eſt; primo, quia non poteſt dici corpus Chriſti manducatum, quando ſpecies panis non poſſunt dici manducatæ, ſed in illo inſtanti ſpecies non poſſunt dici manducatæ, ergo nec corpus Chriſti, & per conſequens non poterit tunc conferre gratiam. Maior videtur clara, quia corpus Chriſti denominatur mādueari à ſpeciebus, & homo non ſolum debet comedere (corpus Chriſti ſecundum ſe, ſed panem illum conſtantem ex corpore Chriſti, & ſpeciebus. Minor verò probatur ad hominem, quia ipſe concedit panem non dicendum manducatum illo inſtanti, ergo nec eius accidentia dicentur manducata tunc abſente pane: nam accidentia non manducantur citius quam panis, quando ſunt in pane: ergo neque ab ente pane, comeduntur, quando, ſi panis adeſſet, non eſſet manducatus.

Impugnatur primo hic modus.

34. Secundo arguitur, quia corpus Chriſti manducari, non eſt eſſe applicatum localiter quaſi extrin ſecè parti gutturis, in qua ſit manducatio panis, ſed eſt eſſe iam intra eandem partem, neque enim dicitur manducari, quia eſt applicatum ad operandum, vt loquitur Suarez, ſed potius è contra eſt applicatum ad operandum, quia eſt manducatum, cum manducatio ſit conditio requiſita ad operandum. Prius ergo eſt, eſſe manducatum; & hoc non eſt illud, niſi eſſe in illo loco, in quo alij cibi ſunt, quādo ſunt manducati; neque aliud intelligi poteſt per manducationem corporis Chriſti ſine graui inconuenienti: nam ſi ſemel extendatur, & valeretur ſignificatio illius vocis, dicere poterit aliquis, corpus Chriſti ſufficienter manducari, quando manu apprehenditur, vel applicatur ori, licèt alij cibi plus requirant, vt manducentur.

Secundo arguitur.

35. Tertio, quia antè hoc Inſtans ſpecies erant eodem ſpatio, in quo ſunt nunc, excepto illo puncto continuatiuo ſpatij præcedentis cum ſpatio ſequēti: hoc autem non videtur ſatis, vt nunc dicantur manducatæ, cum antea non eſſent, quia vel ſpatium huius puncti eſt extra ſpatium totum, quod prius occupabant ſpecies, vel non. Primum non videtur poſſe dici, quia indiuiſibile ſpatij non facit maius; ergo non extrahit vel extendit vltra ſpatium præcedens, imo etiamſi extenderet, tota hæc extenſio eſſet ad vnum indiuiſibile, quod non ſufficit, vt dicatur cibus manducatus, cum nondum occupet partem aliquam gutturis inferioris, vel ſtomachi, ſed vnum indiuiſibile, quod pro nihilo reputatur. Si autem dicatur ſecundum, ergo ſpecies prius

Tertio arguitur.

prius erat iam in toto ſpatio, in quo non ſunt, & tamen prius non erant manducatæ; ergo nec in hoc inſtanti ſunt manducatæ, cum non ſit magis intra ſtomachum, aut corpus, quam antea.

36. *Quarto arguitur.* Quarto. in hoc inſtanti non potuit acquiri ſpatium nouum, ſed ad ſummum indiuiſibile nouum ſpatij: in illo autem puncto ſpatij non poſſunt eſſe ſpecies panis, ſed ſolum aliquod indiuiſibile ſpecierum; nam pars non poteſt eſſe in ſpatio indiuiſibili, vt conſtat; ergo ſpecies non ſunt magis manducatæ, quam antea, ſed ad ſummum aliquod indiuiſibile ſpecierum; quod occupat illud indiuiſibile ſpatij nouum. Non datur ergo in eo inſtanti manducatio humana ſpecierũ, qualis requiritur ad cauſandam gratiam, quia indiuiſibile ſpecierum ſolum, & ſeorſim à parte non eſt cibus humanus, nec ratione illius ſolius homo dici poteſt comedere comeſtione humana, & ſenſibili.

37. *Duos alios modos ſubijcit Suarez.* Alios duos modos ſubiicit P. Soarez ad hanc difficultatem explicandam. Secundus ergo eſt, gratiam dari, quando ſpecies non ſolum attingunt, ſed pertranſeunt illum terminum continuatiuum, & à quo incipit propria manducatio: ita tamen vt detur gratia in eo inſtanti, in quo maior pars ſpecierum deuorata eſt. Tertius modus eſt, dari gratiam primo inſtanti, in quo tota hoſtia manducata eſt, ſeu in quo ſtomachum attingit, vel certè, quando tota particula, ſeu buccella pertranſit ſupradictum terminum in quo incipit manducatio.

38. *Obiicit idem Suarez primo contra vtrumque modum.* Contra vtromque modum obiicit ipſe Suarez; quia in plurimis aliquando non poterit aſſignari illud inſtans, in quo iam maior pars ſpecierum pertranſit illum terminum, vt ſupponit ſecundus modus: quia contingere poteſt, vt in hoc inſtanti pertranſierit iam dimidia pars ſpecierum, & reſtet altera dimidia: poſt hoc verò inſtans non ſequitur aliud inſtans, ſed tempus, in quo non poterit aſſignari primum inſtans, quo detur gratia.

39. *Obiicit ſecundo.* Rurſus contra vtrumque modum obiicit ſecundo, quod in illo inſtanti Chriſtus non manducatur, ſed manducatus eſt, gratia autem promittitur manducanti; ergo cum ante illud inſtans manducaretur, debuit ante illud inſtans dari gratia. Præterea *Obiicit tertio.* tertio, quia ſequeretur, peioris conditionis eſſe eum, qui accipit magnam hoſtiam: nam citius pertranſit hoſtia parua, vel maior eius pars, quam hoſtia magna, aut maior eius pars: ergo prius ſanctificatur, qui accipit minorem hoſtiam, vnde ſi moreretur, qui magnam accepit, antequam deglutiret totam, vel minorem partem, non conſequeretur effectum ſacramenti, licèt degluriſſet iam plus ſpecierum, quam ille, qui accipit paruam. Denique quarto. quia quæcumque pars manducata ſit, verum eſt, Chriſtum fuiſſe manducatum; ergo debetur gratia promiſſa omnibus Chriſtum manducantibus.

40. *Datur quidem terminus ille diuidens ſtomachum à gutture poſt quem dicitur cibus manducatus.* Ego quidem exiſtimo, in primis dari terminum illum diuidentem ſiue ſtomachum à gutture, ſiue partem vnam ab alia eiuſdem gutturis, poſt quem terminum dicitur cibus manducatus, cum antea ſolum eſſet manducatio inchoata, & in via, non completa, & in termino. Addo tamen: non haberi manducationem, vbi primum aliquid cibi tranſgreditur illum terminum nam licèt non requiratur, quod maior pars cibi, vel buccellæ tranſierit; requiritur tamen aliquam certam partem tranſiiſſe, quæ ſit ſufficiens ad remanendum intra, licet reliqua pars, quæ nondum tranſiit, retrahatur ad os, & eiiciatur foras. Manducatio enim in hac materia debet accipi eo modo, quo apud homines accipitur in aliis cibis, qui certè humano modo dicuntur manducati, non quando quomodocumque attingunt talem partem interiorem gutturis, ſed quando tangunt aliquo modo irreuocabiliter. Si enim filum ferreum longum in os mittas, ita vt extrema eius pars tangat vltimam, & iam gutturis partem, ac poſtea, illud extrahas, nemo dicet, te comediſſe ferrum licèt per horam illud ita in ore habueris. Secus eſſet, ſi aliqua illius fili pars ab aliis ſeparata in ſtomachum deſcendiſſet, aut terminum illum manducationis tranſiſſet: nam licèt poſtea illam partem euomeres, aut arte aliqua eiiceres; diceretis verè degluriſſe, & comediſſe ferrum, quia nimirum manducatio humana inuoluit traiectionem; traiici autem non dicitur quod non ita tranſit, vt facilè reuocari non poſſit. Non ergo ſequitur, quod tota hoſtia, aut omnes particulæ manducatæ ſint, vt detur gratia, ſed quod buccella, vel aliqua eius pars ita tranſierit terminũ illũ, vt à reliquis partibus reuocari non poſſit ad os, ſed debeat remanere, aliis etiã partibus non tranſeuntibus: ſic enim homines accipiunt *manducationis* vocabulũ, vt ex vſu cõſtat.

41. *An verò iuxta hunc modum detur gratia in tempore vel inſtanti, pendet ex principiis Philoſophicis de compoſitione continui.* An verò iuxta hunc dicendi modum gratia detur in tempore, vel inſtanti, pendet ex principiis Philoſophicis. Illi enim, qui tempus ex ſolis inſtantibus componunt, conſequenter dicent, dari in inſtanti, quia datur inſtans determinatum, in quo tanta pars ſpecierum tranſierit, quanta ſufficit ad eius irreuocabilitatem. Quia cum in illa ſententia ſpecies etiam conſtent ex ſolis punctis, poteſt per additionem vnius puncti aliis prioribus peruenirẽ ad illam magnitudinem, ad quam antea non perueniebatur. In ſententia verò communi componente tempus, & ſpecies ex partibus diuiſibilibus in infinitum, conſequentius dicetur gratiam dari in tempore, vt ſæpè inſinuaui; tum quia facilius fortaſſe defenditur non dari inſtantia, tum quia, illis datis, non apparet, quomodo iuxta illam ſententiam poſſit in inſtanti addi aliquid, ratione cuius detur nunc manducatio, cùm antea non daretur; vt in ſimili probatum eſt ſuprà *diſp. 4 de Sacramentis in communi ſect. 6.* quare conſequenter dicendum videtur, incipere gratiam poſt aliquod inſtans, poſt quod incipit iam tranſiiſſe tanta ſpecierum pars, quanta ſufficit ad prædictam irreuocabilitatem.

42. *Iuxta hunc modum reſpondetur ad primam obiectionem Suarez.* Nec contra hunc dicendi modum magnam vim habent difficultates, quas ibi citabat P. Suar. contra alios, quos adduxerat. Non prima; ſi enim gratia conferatur in inſtanti, iuxta ſententiam componentem tempus ex ſolis inſtantibus, inſtans illud eſt, in quo tanta pars pertranſiit terminum illum, vt cenſeatur humano modo deglutita, quod fieri potuit per vltimum indiuiſibile, quod cum præcedentibus complet tantam partem. Si verò tempus non includat inſtantia, ſed partes; gratia confertur in tempore immediato poſt aliud tẽpus, in quo nondum tanta pars pertranſiit illum terminum. Denique ſi componatur ex partibus diuiſibilibus in infinitum, & inſtantibus adhuc dabitur gratia in tempore immediato poſt inſtans vltimum, in quo nondum tanta pars pertranſiit; quia in qualibet parte illius temporis ſequentis verificatur, aliquam ſpecierum partem eſſe manducatam, & quidem partem non ita exiguam, cum poſſit reſiſtere extractioni, & reuocationi ad os, etiamſi aliæ partes, cum quibus continua [illegible]xtraheretur, & reuocaretur.

43. *Reſpondetur ad ſecundam.* Ad ſecundam reſpondetur, in illo inſtanti, vel tempore quo datur gratia, ita eſſe manducatum corpus Chriſti, vt antea non fuerit cõpleta manducatio, ſed in via, & inchoata: poterat enim adhuc reuocari in os, & extrahi, ab quo, quod dici poſſet fuiſſe verè manducatum. Non ergo debebatur gratia antea, cum nondum dici poſſet, manducatum

eſſe,

eſſe, vel completam manducationem poſitam eſſe corporis Chriſti.

44\. *Ad tertiam reſpondetur.* Ad tertiam reſpondetur, in primis illud inconueniens eſſe valde per accidens: ſed quidquid illud ſit, non habet locum in noſtra ſententia; quia non requirimus ad productionem gratiæ, quod tota hoſtia, aut maior pars hoſtiæ, vel buccellæ tranſierit, ſed talis, & tanta pars, quæ poſſit iā irreuocabiliter trās illum gutturis terminum manere: ad hoc autem parum refert, hoſtiam eſſe paruam vel magnam; quia ex maxima hoſtia poteſt tranſire particula ſufficiens ad comeſtionem æque cito, ac ex hoſtia parua; quod idem in ſpeciebus vini manifeſtum eſt.

45\. *Ad quartam reſpondetur.* Ad quartam denique fatemur, in qualibet particula contineri totum Chriſtum; vt tamen Chriſtus ſacramentaliter manducatus, non ſufficit illum totum tranſiiſſe talem terminum gutturis, ſed requiritur tranſiiſſe ſub ſpeciebus tali modo, hoc eſt, humano modo non reuocabiliter propter coniunctionem cum aliis partibus, quæ nondum tranſierunt, & quæ poſſunt trahere foras partem præcedentem, vt in exemplo fili ferrei ſupra adducto manifeſtum eſt. Si enim illud eſſet materia conſecrabilis, & mitteretur in guttur, ita vt manu teneretur, & extrahi poſſet, non diceretur Chriſtus ſacramentaliter manducatus, ſi filum intromitteretur, & extraheretur: aliquid ergo aliud requiritur ad comeſtionem humanam, nempe talis modus deglutiendi, quem explicuimus.

An Euchariſtia cauſet gratiam, quamdiu in ſtomacho perſeuerat.

46\. *Poſtea ſequitur ſecundum dubium.* Hæc dicta ſunt circa primum Dubium: reſtat nunc ſecundum, an Euchariſtia cauſet gratiam, vel eius augmentum, ſolum quando ſumitur; an etiam toto tempore, quod in ſtomacho corpus Chriſti ſub ſpeciebus perſeuerat: contra quod etiam ſunt variæ ſententiæ.

Prima ſententia. Prima ſententia docet, ſolum cauſare gratiam, dum primo comeditur, non in tempore ſequenti: hanc tenent contra Caietanum quamplures, quos refert & ſequitur Vaſquez *diſput. 203. num. 19. & ſequentibus* Oppoſitam ſententiam docuit Caietanus cum aliis, quos ſequitur Suarez *diſput. 63. ſect. 7.* & licet olim male audierit, iam tamen communiter recipitur, & eſt magis probabilis, & pia, dummodo exigatur ad hoc augmentum gratiæ augmentum etiam nouæ diſpoſitionis ex parte ſubiecti, alioquin niſi adueniat maior diſpoſitio, non erit nouus effectus ſacramenti.

Vaſquez. Caietanus. Suarez. Oppoſitam tenet Caietanus.

47\. *Quam ſic probat.* Hanc ſententiam probat Caietanus ex eo, quod iuxta oppoſitam rariſſime daret Euchariſtia gratiam, quia rariſſime in ipſa ſumptione adeſt deuotio actualis requiſita ad effectum ſacramenti: tunc enim homo magis attendit ad hoc, quod non adhæreat hoſtia dentibus, vel palato, vel ne decidat aliqua gutta, vel particula, quam ad fructum ſacramenti. Verum hoc fundamentum procedit ex falſis principiis illius Auctoris, contra quem communis ſententia docet, ad fructum ſacramenti, non requiri actualem deuotionem, ſed ſolum voluntariam ſuſceptionem ſacramenti, & ſtatum gratiæ habitualis.

Hoc fundamentum procedit ex falſis principiis.

48\. *Melius probatur.* Melius ergo probatur, quia Euchariſtia cauſat gratiam per modum cibi nutrientis; quare ſuſceptio, ſeu manducatio ſolum ſe habet, vt conditio, & applicatio, non vt virtus agendi, vt dixi late diſp. 1. ſect. 7. ergo dum cibus ipſe fuerit in ſtomacho, poterit operari; ſiquidem habet ſecum totam virtutem & vbi adeſt totum ſacramentum: ergo ſicut in primo inſtanti potuit, ſic etiam poterit agere in toto tempore ſequenti; cauſa enim neceſſaria debite applicata, non eſt cur non operetur.

49\. *Inſtantia.* Dices, hoc argumento probari, Euchariſtiam non operari, donec corrumpantur ſpecies, quia cibus materialis tunc ſolum nutrit, cum corrumpitur, & conuertitur in ſubſtantiam aliti. Sed contra; quia licet Euchariſtia imitetur cibum naturalem; non tamen in hac conditione, quia ſcilicet cibus naturalis prodeſt per conuerſionem ſui in alitum, & quaſi patiendo; ideo tunc prodeſt, cum corrumpitur, quia tunc conuertitur: at vero hoc ſacramentum prodeſt per conuerſionem aliti in ſe; quare tunc prodeſt, quando eſt, quia tunc ſolum poteſt agere, & conuertere alitum in ſe; in hoc ergo non eſt proportio, ſed in eo, quod ſicut cibus naturalis patitur ab alito, dum eſt in ſtomacho vnitur in ratione alimenti: ſic etiam Euchariſtia dum eſt in ratione alimenti viui, poteſt agere in ipſum alitum.

Diluitur.

50\. *Inſtabis.* Dices iterum, probari etiam hoc argumento, Euchariſtiam operari, dum eſt in ſtomacho, etiam ſine aduentu maioris diſpoſitionis, quia ſicut in primo inſtanti potuit operari ſine actuali deuotione; cur etiam ſtante eadem diſpoſitione habituali, & durante eadem virtute agendi, non poterit continue operari, iuxta illud Ioann. 9. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi*, &c. Sed contra, quia Euchariſtia non poteſt etiam imitari cibum communem in hoc, quod operetur ſucceſſiue ſuum effectum: ſucceſſio enim operationis oritur vel ex reſiſtentia contrarii, quod paulatim, & per partes expelli debeat, vel ex maiori agentis applicatione. Euchariſtia ergo cum non habeat contrarium, quod per partes expelli oportet, agit quantum poteſt, iuxta diſpoſitionem ſubiecti in primo inſtanti; ſicut lucidum applicatum illuminat quantum poteſt in primo inſtanti: cæterum ſicut lucidum, ſi magis applicetur, magis operatur, ſic etiam Euchariſtia, ſi magis applicetur, hoc eſt, ſi per maiorem diſpoſitionem ſubiecti fiet quaſi magis propinquum, magis, & intenſius operabitur nouum effectum gratiæ.

Reſpondet. Ioan. 9.

51\. *Vrgebis.* Vrgebis adhuc, non poſſe fieri, quin continue augeatur effectus ſacramenti: quia in primo inſtanti accepit homo gratiam habitualem ſacramenti, ergo in ſecundo inſtanti inuenitur magis diſpoſitus: nam maior ſanctitas, cæteris paribus, eſt melior diſpoſitio; ergo accipiet nouum effectum ſacramenti; & in tertio inſtanti ſimiliter habebit maiorem ſanctitatem; ergo meliorem diſpoſitionem, & ſic deinceps.

52\. *Reſpondeo.* Reſpondeo, idem argumentum fieri poſſe etiam in contraria ſententia de vno eodemque inſtanti: nam etiam ſacramentum dat tunc in primo inſtanti augmentum gratiæ, iuxta diſpoſitionem ſubiecti; ergo ſubiectum per illam gratiam erit magis diſpoſitum; ergo poterit accipere pro maiori diſpoſitione in eodem inſtanti nouum effectum ſacramenti, & rurſus per hoc augmentum diſponetur melius ad alium effectum recipiendum, &c. Quod vero ſacramentum perſeueret tempore ſequenti applicatum, parum refert; quia totum illud tempus, quo Euchariſtia eſt in ſtomacho, conſideratur per modum vnius inſtantis in ordine ad operandum: quare ſicut in primo inſtanti non creſcit diſpoſitio ſubiecti ex gratia proueniente ab eodem ſacramento, quia illa diſpoſitio debet attendi, ſecundum id, quod habet ſubiectum independenter à ſacramento: ſic etiam in tempore ſequenti diſpoſitio debet attendi ſolum ſecundum id, quod habet homo ex proprio independenter ab illo ſacramento: itaque conſideratur tota diſpoſitio, quam habet homo toto illo tempore; & pro menſura illius datur gratia ſacramenti: ſi tota illa diſpoſitio eſt ſimul, datur tota gratia ſimul; ſi tota

illa eſt ſucceſſiue, datur gratia ſucceſſiue, non tamen maior, quam ſi tota diſpoſitio eſſet ſimul; quare cum non darentur niſi quatuor gradus, v. gr. ſi tota illa diſpoſitio eſſet ſimul in primo inſtanti, & immediate poſt corrumperentur ſpecies; ſic nec debent dari plures gradus gratiæ, licet tota illa diſpoſitio non ſit ſimul, ſed ſucceſſiue: quia duratio maior ſacramenti in ſtomacho non confert ad maiorem effectum habendum: alioquin ille maior effectus non tribueretur ſacramento ſecundum ſe, ſed ſacramento vt magis duranti, ſeu nouæ durationi ſacramenti, quod eſſet abſurdum: debet ergo penſari effectus ſacramenti ex vi præciſa ſacramenti, attenta diſpoſitione ſubiecti in toto illo tempore, ac ſi tota illa diſpoſitio eſſet ſimul in primo inſtanti, & ſecundum quod habet de ſe independenter ab effectu ipſius ſacramenti.

Inſtabis.

Dices, ſi hoſtia ſemel ſumpta euomeretur, & ei as iterum ſumeretur, haberet nouum effectum ſine noua diſpoſitione, ergo etiam ſine noua ſumptione habebit nouum effectum; quia ſumptio non eſt cauſa, ſed mera applicatio cauſæ ad operandum. Reſpondeo, negando conſequentiam; quia licet ſumptio non operetur, cæterum illa hoſtia per nouam applicationem conſtituitur moraliter in ratione noui cibi: cum enim ſacramentum ad operandum non debeat deſtrui, vel conuerti in ſubſtantiam aliter (vt ſupra dictum eſt,) ſed ſolum applicari ſtomacho, hinc eſt, tot dari cibationes, quot fuerint applicationes huius cibi; quare eadem hoſtia bis accepta, bis cibabit, quia bis applicatur; ſemel autem applicata, ſemel operatur, quia fuit vnica cibatio, moraliter loquendo. Quod etiam ſuo modo reperitur in cibo communi, qui poſtquam ſemel habuit ſuum effectum, ſi poſt aliquod tempus ſub alia forma iterum reſumatur, habebit nouum effectum: differt tamen à cibo Euchariſtiæ in eo, quod cibus communis non operatur, niſi deſtruatur; & ideo non poteſt iterum cibare, niſi poſt longum tempus; at vero Euchariſtia operatur ante ſui deſtructionem, & ideo poſſet facilius eadem hoſtia iterum applicari, poſtquam ſemel habuit effectum.

54. *Dubitari poteſt pro maiori intelligentia.*

Pro maiori tamen intelligentia huius ſententiæ, dubitari poteſt, quando Auctores illius exigunt augmentum diſpoſitionis, vt Euchariſtia cauſet maiorem gratiam tempore ſequenti, an requirant actum intenſionem, vel aliquam maiorem deuotionem, an ſufficiat idem actus, vel eadem deuotione actualis continuata? Sane aliqui Auctores videntur primo ſenſu loquuti, neſcio tamen, an ſatis conſequenter; nam ipſa maior duratio actus eſt melior diſpoſitio: ergo ſicut ſi ante communionem quia habuiſſet dimidia hora actum deuotionis, eſſet melius diſpoſitus cæteris paribus, quam qui per vnum inſtans; ſic idem actus continuatus poſt communionem erit moraliter loquendo melior diſpoſitio, quam in principio, & per conſequens Euchariſtia habebit nouum effectum. Imo conſequenter addo etiamſi prior diſpoſitio actualis fieret magis remiſſa, vel ſi adueniret alius actus minus bonus quam præcedens, adhuc dari nouum effectum, quia ille actus, licet remiſſus, licet minus bonus, adhuc tamen addit meritum, & bonitatem nouam; & per conſequens melior diſpoſitio reſultat ex actu hoc, & præcedenti, quam ex ſolo præcedenti. Quam etiam ſententiam ſupponit Suarez *diſp* 63. *ſect.* 4. & P. Coninck *vbi preſ ati num.* 47.

55. *Salmanticenſes ab hac ſententia diſſenſerunt.*

Sed hinc aliqui Theologi recentiores Salmanticenſes acceperunt occaſionem diſcedendi ab hac ſententia quæ alioquin eis non primum placebat; quia nimirum dicunt, ex hoc ſequi iuxta ſententiam communem de partibus temporis diuiſibilibus in infinitum, augmentum quoddam infinitum gratiæ dandæ per Euchariſtiã toto illo tempore, quo ſpecies manent in ſtomacho, & perſeuerat actus bonus diſpoſitionis. Quam difficultatem dicunt eſſe maiorem in hoc caſu, quam in augmento meriti per maiorem durationem actus boni; quia ibi dici poteſt, non correſpondere actui bono tantum gratiæ in ſecundo inſtanti, quantum in primo, eo, quod plus debeatur ſubſtantiæ actus, quam eius durationi: at vero in præſenti id dici non poteſt, cum Chriſtus, & ſacramentum agant per modum agentis naturalis, & ideo inuenta noua diſpoſitione, non poſſit non producere nouum gradum gratiæ determinate diſtinctum; qui erunt infiniti in infinitis inſtantibus, vel certe prope infiniti, ſi tempus cõponatur ex ſolis inſtantibus finitis, prout hi Auctores ſupponunt.

Cæterum immerito propter hoc argumentum relinquunt hanc ſententiã, cum idem prorſus argumentum ab ipſis explicandum, & diſſoluendum ſit etiam in hac difficultate. Cõcedunt enim ipſi, prout concedi neceſſe eſt; ſi diſpoſitio illa, ſeu actus bonus durans per horam cum eadem intentione præceſſiſſet ſumptionem Euchariſtiæ, maiorem gratiã prouenire ab ipſo ſacramento, quã ſi duraſſet ſolum per inſtans, aut ſemi horam. de illo autẽ exceſſu gratiæ ſacramentalis reſtat eadẽ difficultas, an ſingulis inſtãtibus quibus actus ille durauit, & diſpoſuit melius ſubiectum ad recipiendum ſacramentum, correſpondeat poſtea aliquid plus gratiæ ſacramẽtalis, an nihil. Quidquid ipſi dixerint, dicimus nos, quando diſpoſitio, ſeu eius duratio actualis ſubſequitur, manentibus ſpeciebus non corruptis in ſtomacho: dicimus enim, eamdem prorſus gratiam ſacramentalem dandam in fine horæ, & cum eadẽ proportione exceſſus pro ſingulis inſtãtibus, & partibus horæ, quæ daretur, & ſicut daretur, ſi illa diſpoſitio durans per horam præceſſiſſet ſumptionem ſacramenti. Quare ſicut in illo caſu excederet illa gratia propter illã durationem præcedentis diſpoſitionis, & ille exceſſus diſtribueretur inter partes illius durationis, ita vt aliqua gratia daretur intuitu ſubſtantiæ ſacramenti, vt ita dicam, & aliquis exceſſus propter diſpoſitionem, quoad ſubſtantiam, & aliquis denique propter durationẽ illius diſpoſitionis: ſic in noſtro caſu poteſt fieri eadem diſtributio; & diſcrimen ſolum erit, quod in noſtro caſu dabitur ſucceſſiue illa gratia, quæ in illo alio data fuiſſet tota ſimul; Deus tamen ſcit, quantum excedat gratia illa gratiam quæ daretur, ſi non præceſſiſſet illa diſpoſitio; & rurſus, quãtum excedat gratia, quæ daretur, præcedente quidem illã diſpoſitione, ſed non cum tanta duratione, ſed cum minori vel inſtantanea; & poteſt Deus aſſignare ſingulos exceſſus: cur ergo non poterit illos eodem modo ſucceſſiue dare? Non eſt ergo peculiaris difficultas in hoc caſu, quæ non ſit ab illis, & ab omnibus ſoluenda in aliis. Quomodo autem illud infinitum augmentum gratiæ vitandum ſit, pertinet ad materiã de merito, vel de charitate, vbi id, Deo dante, explicabimus. Si enim negẽtur inſtantia, & indiuiſibilia in continuo, prout indicauimus ſupra, vel ſi ponatur tempus componi ex ſolis inſtantibus, ceſſat omnino difficultas; ſi autem ponantur inſtantia infinita, conabimur etiam explicare, quomodo illud augmentum infinitum non ſequatur.

56. *Idem argumentum ab ipſis ſoluendum eſt.*

Contra hanc ſententiam plura obiiciunt aduerſarij. Primo, quod ſine vllo prorſus fundamento hic nouus effectus Euchariſtiæ aſſignatur, cum nec ex Scriptura, nec ex traditione conſtet: imo potius totus effectus videatur ſtatim in actuali manducatione tribui; iuxta illud, *Qui manducat me, & ipſe*

57. *Contra hanc ſententiam primo obiicitur.*

viuet

viuet propter me; non dixit, *qui me habet in pectore*, *Reſpondet.* ſed, *qui manducat me*. Reſpondetur, hunc effectum fundari in inſtitutione Euchariſtiæ per modum cibi: nam eo ipſo debuit habere ſecum ſuam virtutem ad agendum, quamdiu eſt applicatus, ſi adſit noua diſpoſitio: manducatio autem exigitur à Chriſto vt conditio; quia ſiue illa non applicaretur ſufficienter cibus iſte ad operandum.

58. *Secundo obijcitur.* Secundo obiici poteſt, quia ex hoc ſequitur, ſi Euchariſtia poneretur ab Angelo intra ſtomachum hominis ſcientis, & volentis eam recipere ſine manducatione per proprium os, adhuc ibi habituram effectum, quia etiam tunc haberet totam vim agendi completam. Conſequens autem videtur eſſe contra *Reſpõdetur.* illud Chriſti, *niſi manducaueritis*, &c. Reſpondeo imprimis; iam dixi *diſputat. 1. ſect. 7.* non poſſe facile conuinci eum, qui concederet totam ſequelam; poſſet enim explicare verba Chriſti, prout ibi late dictum eſt. Deinde negari poteſt conſequentia, & dici manducationem licet non ſit vis agendi in Euchariſtia; eſſe tamen conditionem eſſentialiter à Chriſto poſtulatam, ſicut etiam approximatio Euchariſtiæ ad ſtomachum eſt conditio eſſentialiter requiſita licet non ſit virtus ſacramenti: quomodo autem differant in Euchariſtia id, quod eſt conditio, & id, quod eſt virtus, dixi etiam late vbi ſupra.

59. *Obijcitur tertio.* Tertio obiiciunt, ſequi ex noſtra ſententia, eum qui ſumpſit Euchariſtiam, teneri peculiari præcepto ſeruare ſtatum gratiæ toto tempore, quo ſpecies durant in ſtomacho, quia toto illo tempore poſſunt dare gratiam: ergo ſicut in ipſa ſumptione tenetur homo eſſe in gratia, ne ponatur obex Euchariſtiæ ad ſuam operationem, ſic toto tempore ſequenti ob eamdem rationem. Ex quo etiam fit, quod ſi forte tempore communionis erat in peccato, teneatur ſtatim poſt communionem conteri: ſi vero poſt communionem peccauit, teneatur ſtatim etiam *P. Suarez concedere videtur totã ſequelam.* conteri, vel confiteri. P. Suarez videtur concedere totam ſequelam; quam duram reputat P. Vaſquez, & contra exiſtimationem fidelium: ideo poteſt aliter reſponderi, eum, qui peccauit poſt communionem, non teneri ad recuperandam ſtatim gratiam: quia licet per peccatum poſitus ſit obex ſacramento, non tenetur homo omni tempore tollere obicem: ſufficit illum abſtuliſſe tempore communionis, quo tempore iam ſacramentum habuit effectum; quare cum obex ſequutus ſolum impediat incrementum illius effectus, quod homo non tenetur procurare, non tenebitur etiam auferre obicem. Cæterum ſi tempore communionis fuerit in peccato, veriſimile eſt, hoc idem peccatum indignæ ſumptionis continuari tempore ſequenti; quia ſaltem tunc deberet homo tollere obicẽ peccati, niſi forte per accidens excuſetur ob probabilitatem contrariæ opinionis: probabile tamen eſt contrarium, vt mox dicemus.

60. *Obiectio quarta.* Quarto obiici poteſt; ergo poſſet homo è contra communicare exiſtens in ſtatu peccati, dummodo haberet animum confitendi ſtatim poſt communionem ante corruptionem ſpecierum. Probatur ſequela; quia tunc non fraudaretur ſacramentũ ſuo effe- *Reſpõdetur.* ctu. Reſpondetur negando ſequelam, quia inprimis peccaret contra præceptum poſitiuum Diuinum præmittendi Confeſſionem ante ſumptionem, vt dictum eſt: deinde, & magis è priori reddi poteſt ratio differentiæ, quia ſi homo accipit ſacramentum in peccato, reddit, quantum eſt ex ſe, illud ſignum falſum: quando enim ſacramentum accipitur, ſignificat gratiam ſacramẽtalem præſentem, atque ideo ſignificatio eſſet falſa, ſi tunc opponatur obex gratiæ præſenti. Hoc autem incõueniens non ſequitur, ſi opponatur poſtea obex, quando Euchariſtia eſt in ſtomacho: quia ſicut tunc ſolum cauſat gratiã, ſi non fuit prius cauſata, vel ſi melior diſpoſitio adueniat: ita nõ ſignificat gratiam præſentem, niſi ſub eiſdẽ cõditionibus, ſi non fuerit prius collata, vel melior diſpoſitio aduenerit: vnde cũ in caſu poſito gratia fuiſſe prius collata in ipſa ſumptione, & aliunde diſpoſitio non fuerit melior, ſed deterior, non redditur falſa ſignificatio ſacramenti ex obice ſuperueniente ad maiorem gratiam: non eſt ergo æqualis obligatio auferendi obicem toto tempore ſequenti, ac fuit in prima ſumptione Euchariſtiæ.

Sed contra vrgebis adhuc, quia ſi Sacerdos, ſumpta vna parte hoſtiæ, incedit in peccatum, debet procurare ſtatum gratiæ ad dignè ſumendam alteram hoſtiæ partem, & tamen ſecunda hoſtiæ pars non cauſat, nec ſignificat gratiam nouam, niſi ſub illis duabus conditionibus, ſcilicet, ſi gratia non ſit collata antea, vel niſi melior diſpoſitio acceſſerit, ergo ſi Euchariſtia perſeuerans in ſtomacho ſignificat, & cauſat gratiam ſub eiſdem conditionibus, erit etiam obligatio tollendi obicem ad eius effectum non impediendum. 61. *Inſtabis.*

Reſpondetur negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, quia ſecunda hoſtiæ pars eſt diuerſum ſignum gratiæ ſaltem partiale à prima parte: vnde independenter à prima parte eſt vere ſignum gratiæ, licet eam non debeat cauſare, niſi ſub conditione, ſi altera pars eiuſdem ſacramẽti non fuerit prius applicata: hinc eſt, obligari hominem ad non apponendum obicem vlli parti hoſtiæ, quia ſingulæ partes, quantum eſt ex ſe, debent eſſe ſignum verum, quale non eſſet pars hoſtiæ ſecunda, poſito obice: ſignificaret enim ex ſe collationem gratiæ nouæ, ſolum ſub conditione gratiæ non prius collatæ ab alia parte eiuſdem ſacramenti, quæ tamen ſignificatio eſſet falſa, quia etiamſi non fuiſſet collata prius gratia à prima parte hoſtiæ, non conferretur per ſecundam partem propter obicem peccati, atque ita redderetur ſignificatio falſa propter illum obicem. 62. *Reſpondetur.* In noſtro autem caſu hoc inconueniens non procedit; quia Euchariſtia perſeuerãs in ſtomacho non eſt ſignum gratiæ diuerſum ab eadem Euchariſtia prout prius ſumpta; quia non poteſt cauſare gratiam vt perſeuerans præciſe, niſi inuoluatur reſpectus ad voluntariam ſumptionem, vel receptionem intra ſtomachum, v. gr. quare Euchariſtia vt perſeuerans non ſignificat ex ſe gratiam nouam ſi prius data non ſit, prout ſignificat ſecunda pars hoſtiæ: nam ſi aliquis in peccato accepiſſet Euchariſtiam, etiãſi poſtea, antequam corrũpantur ſpecies, confiteretur, vel contereretur, non ideo acciperet gratiã ex opere operato ab Euchariſtia; quia non cauſat, niſi prout voluntariè manducata: vel ſaltem recepta in ſtomacho: tunc autem poſt confeſſionem aut cõtritionem non manducaretur, nec reciperetur, ſed perſeueraret ante recepta, quæ perſeuerantia conſequitur neceſſario ad receptionem: hic autem cibus Euchariſticus differt à cibo naturali, quod naturalis cõfert ſuum effectum, etiamſi caſu, & inſcienter comedatur: Euchariſticus autem non niſi ſcienter, & voluntarie recipiatur, quare non ſignificat gratiam, niſi dependenter à receptione voluntaria; vnde vt ſolum perſeuerans in ſtomacho non ſignificat ex ſe abſolute gratiam, ſed ſolum ſub conditione, ſi diſpoſitio melior accedat. Sicut ergo non tenetur homo ad augendam, vel perficiendam diſpoſitionem, vt Euchariſtia cauſet nouam gratiã, ſic nec tenetur ad contritionem habendam de peccato poſt communionem commiſſo, ad hoc, vt Euchariſtia adhuc perſeuerans cauſet maiorem gratiam: in neutro enim caſu ſacramentum redditur ſignum falſum ex defectu vel melioris 63 *In noſtro caſu hoc inconueniens non procedit.*

diſpoſitionis, vel contritionis, cum Euchariſtia non ſignificet abſolute illam maiorem gratiam, ſed ſolum ſub conditione melioris conditionis, quam conditionem homo non tenetur adhibere: non ergo tenetur homo auferre obicem omni effectui, quem poſſet ſacramentum cauſare, ſed obicem reddentem falſam ſignificationem ſacramenti; prout redderetur falſa, ſi ſecunda hoſtiæ pars ſumeretur in peccato, vt iam explicuimus.

64. *Cur euchariſtia cõſeruata in ſtomacho nõ daret gratiam peccatori etiam poſt contritionem.* Hinc obiter infero 1 ſi homo acciperet Euchariſtiam in ſtatu peccati, licet in ipſa ſumptione peccauerit, non tamen teneri ſub obligatione noui peccati mortalis ad contritionem ſtatim procurandam, antequam ſpecies corrumperentur, vt poſſet accipere fructum illius ſacramenti. Diximus enim, quod etiamſi tunc confiteretur, non in Euchariſtia daret illi gratiam ſacramentalem: nam licet cibus ſit adhuc in ſtomacho, non tamen prodeſt, niſi prout cibus voluntarius, ſeu voluntarie acceptus: tunc autem non poteſt eo modo prodeſſe, quia acceptio voluntaria facta fuit in ſtatu peccati: perſeuerantia autem ſola non ſufficit, niſi prout coniuncta cum voluntaria acceptione illius cibi. Multo autem minus teneretur homo tunc ad confeſſionem ſtatim faciendam antequam ſpecies corrumpantur ex hoc capite, (quidquid ſit de obligatione Sacerdotis quamprimum confitendi, quam impoſuit Eccleſia in Tridentino,) tum quia præceptum præmittendæ confeſſionis ſolum videtur fuiſſe de præmittenda confeſſione ante ipſam communionem, nec verba Pauli, ex quibus colligitur, illud videntur indicare, dum dicit: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat,* &c. vbi probatio illa ſolũ ante eſum, & potum requiritur: tum etiam, quia illud præceptum poſitiuum confitendi poſt communionem ante corruptionem ſpecierum, parum vtilitatis, & multum afferret nocumenti: eſt enim nimis incertum, & dubium tempus illud, quod ſpecies perſeuerant incorruptæ, & extra notitiam humanam, atque ideo eſſet res anxietatibus plena; aliunde vero vix eſſet ſpes, quod ille, qui voluit indigne ſumere Euchariſtiam, vellet poſtea, mutato conſilio, confiteri ad tollendum obicem ſacramento iam ſuſcepto: non ergo expediebat legem poſitiuam fieri de confeſſione tunc facienda.

65. *Obijcitur quinto.* Quinto obiicitur, ſequi ex noſtra ſententia, melius eſſe ſumere hoſtiam magnam, quam paruam; quia quo plus durant ſpecies, eo plus gratiæ poterit recipere. *Reſpondeo.* Reſpondeo, non eſſe hoc vtilius per ſe, ſed per accidens; ſicut etiam per accidens poſſet eſſe vtilius retinere aliquam particulam in ore, quam poſtea degluriat, vel tardus aduentus presbyteri, ex quo ſequitur longior præparatio communicaturi, &c. Per ſe autem non conducit, quia tota illa diſpoſitio poteſt præmitti ante communionem hoſtiæ paruæ, & per conſequens haberi poteſt tantus effectus gratiæ quod ſi non præmittatur, etiam quia accepit hoſtiam magnã, poteſt non præparare ſe poſt communionem, & erunt æquales per ſe loquendo.

66. *Obijcitur vltimo. S Thom.* Vltimo obiicitur S. Thomas infra *quaſt.* 80. *art* 8. *ad* 6 vbi dicit, ideo præceptum eſſe ieiunium ante, non vero poſt communionẽ, quia in ipſa ſumptione percipitur effectus ſacramẽti; ergo ſentit poſtea non dari effectum, alioquin oporteret etiam continuari ieiunium vſque ad digeſtionem ſpecierum, ob eamdem rationem. *Reſpondeo.* Reſpondeo, S. Thomam non negare, ſacramentum poſtea poſſe habere effectum; ſed ſolum ex effectu, quem habet tempore ſumptionis colligere congruentiam ieiunij, quia ſcilicet, ſi ante ſumptionem violaretur ieiunium, impediretur deuotio ad effectum ſacramenti ſuſcipiendum vtiliter, ſiue in ſumptione, ſiue tempore ſequenti. At vero ſi ieiunium violetur poſt ſumptionem, non ſequitur hoc inconueniens, quia iam potuit habere effectus ſacramenti in ipſa ſumptione ante violationem ieiunij; quare ex eo, quod in ſumptione percipiatur effectus, arguitur bene neceſſitas ieiunij ante ſumptionem, non vero poſt illam, licet poſt illam poſſit etiam percipi aliquis effectus.

SECTIO III.

Vtrum vtraque ſpecies Euchariſtiæ conferat maiorem gratiam, quàm ſingula ſeorſim.

67. *Suppoſitio.* SVpponimus ex *quaſt.* 80. *art.* 12. ſingulas ſpecies ſeorſim dare gratiam, liceteque vnam ſine alia ſumere, imo non licere iam laïcis in Eccleſia Occidentali ſine diſpenſatione vtramque accipere, ſed ſolum ſpeciem panis: quæritur autem, an Sacerdoti v. gr. accipienti vtramque correſpondeat diuerſus effectus pro ſumptione hoſtiæ, & diuerſus pro ſumptione calicis?

Communis ſententia negat. Suarez. Communis ſententia negat, quam tenent quamplures antiqui & recentiores, quos refert & ſequitur Suarez *in præſenti diſputatio.* 63. *ſectio.* 6. Imo aliqui cenſent, rem eſſe adeo certam poſt Tridentinum, vt non poſſit in dubium reuocari. Verum ipſe Suarez merito fatetur, totam hanc controuerſiam eſſe intra limites meræ Scholaſticæ.

69. *Secunda ſententia contraria videtur probabilior.* Secunda ſententia, quam probabiliorem exiſtimo, affirmat. Hanc tenẽt Alexander Alenſis, Gaſpar Caſſalius, Arboreus, Ricardus, & alij antiqui, & recentiores, quod in corpore, & in margine refert, & ſequitur Vaſquez *in præſenti diſputat.* 215. *cap.* 2. imo Franc. Blanco Archieſcopus Compoſtellanus (qui interfuit Tridentino, cuius, tacito nomine, meminit Henriquez *lib.* 8. *de Euchar.* *cap.* 44 §. 5. in margine,) dixit, hanc fuiſſe Patrum vnanimem ſententiam, ſed noluiſſe eam extra tempus definire, ne daretur Hæreticis occaſio vociferandi. cui conſonant verba ipſius Concilij *ſeſſ.* 21. *cap.* 3. vbi caute dicitur, quoad fructum autem, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt; non dixit abſolute, *nulla gratia*, ſed *nulla gratia neceſſaria ad ſalutem*; vbi non ſine cauſa videtur addita illa particula, *nulla gratia neceſſaria.* *Accedit auctoritas Clementis V I.* Accedit etiã auctoritas Clementis V I. qui in Bulla ad Regem Galliæ conceſſit ei communionem ſub vtraque ſpecie, & addit Pontifex hoc concedere *ad maius gratiæ augmentum*: Ergo quia vtraque ſpecies dat plus gratiæ, quam ſingulæ. Cuius priuilegij vltra alios mentionem faciunt Diaconus in vita Clementis V I. Iacobus Goaltetius in Tabula Chronographica Anno 1437. & P. Henriquez *lib.* 8. *de Euchariſtia c* 44. §. 7. Qui tamen falſo addit, quando Papa ſolemniter celebrat, Cardinalem Diaconum miniſtrare ei calicem, & deinde aliis Cardinalibus: quod etiam affirmat Fagundez in 3. præcept. Eccleſ. lib 3. cap. 4. ſed falluntur, ſolus enim Diaconus, & Subdiaconus accipiunt ex calice.

68. *Ratione probatur.* Ratione probatur hæc ſententia. primo, quia ſacramenta cauſant quod ſignificant; vt commune eſt apud omnes Theologos. ſed ſpecies panis, & vini ſignificant non ſolum diuerſimode, diuerſitate tenentes ſe ex parte ſigni, & ex parte modi ſignificandi, ſed etiam ex parte rei ſignificatæ; ergo non habent eumdem effectum, ſed diuerſum. Maior, & conſequentia videntur manifeſtæ. Minor probatur, quia vtraque ſpecies ſimul ſignificant plenitudinem conuiuij ſpiritualis, & ſatietatẽ perfectam animæ, quam ſingulæ ſpecies ſeorſim non ſignificant; ergo

ergo ex parte rei ſignificatæ aliquid reſpondet diuerſum vtrique ſpeciei ſimul, quod non reſpondet ſingulis ſeorſim.

70. *Inſtabis.* Dices, hanc eamdem ſatietatem ſignificari etiam per ſingulas ſpecies, non quidem tam expreſſe ſicut per vtramque, ſed magis confuſe, ſufficienter tamen ad hoc, vt per ſingulas cauſetur. *Reſpondeo.* Sed contra; quia ſpecies panis non aſſumitur ad ſignificandum ſub ratione aliqua communi, ſed ſub ratione ſpeciali cibi; cibus autem vt cibus non poteſt vllo modo ſignificare ſocietatem completam, & plenitudinem conuiuij conſtantis ex cibo, & potu: ergo ſpecies panis non aſſumuntur ad ſignificandum plenitudinem, & ſatietatem integram, ideo namque non dixit Chriſtus: *Caro mea vere eſt ſatians, vel alimentum vtcumque*, ſed *cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*, vt indicaret, corpori ſuo ſub ſpeciebus panis competere eos effectus ſpiritualiter quos operatur cibus naturalis, vt dixit Florentinum in Decreto Eugenij; & ſanguini ſub ſpeciebus vini competere eos effectus ſpiritualiter, quos operatur vinum naturale: ergo aliquis effectus correſpondet calici, nempe potare ſpiritualiter, qui nullatenus reſpondet hoſtiæ, & è contra cibatio ſpiritualis, nullatenus prouenit à calice, ſed ab hoſtia.

71. *Confirmatur* Confirmatur, quia ſi ſpecies vini ſolum aſſumerentur ad ſignificandum ſub ratione communi alimenti, & non ſub ſpeciali ratione potus, haberent ſe, ſicut nunc de facto ſpecies vini albi, vel rubri, quæ materialiter concurrunt ad ſignificandum, neque vna habet maiorem proportionem cum effectu, quam alia, ergo ſicut ſanguini Chriſti non competit in hoc ſacramento eſſe magis potum vini albi, quam rubri: ſic nec competeret magis eſſe potum, quàm cibum, ſed eſſe alimentum; hoc autem eſt falſum, vt conſtat ex Chriſti verbis; *Sanguis meus vere eſt potus*; id eſt, bene datur per modum potus, vt indicetur, eoſdem habere effectus in animâ, dum potatur, quos habet potus, vt potus in corpore; ergo cum cibus vt cibus non habeat hos effectus, fatendum eſt, aliquem effectum prouenire à calice diuerſum ab effectu hoſtiæ.

72. *Inſtabis* Dices, licet in naturalibus cibus, & potus habeant diuerſos effectus; in ſpiritualibus tamen non poſſe aſſignari hanc diuerſitatem: nam vtraque ſpecies reficit cauſando gratiã habitualem, quæ cum ſit eiuſdem rationis conſequens eſt, vt refectio vnius ſpeciei non ſit diuerſa à refectione, quam dare poteſt alia ſpecies, & per conſequens habebunt ſe illæ duæ ſpecies ſicut duæ hoſtiæ, quæ per modum vnius *Reſpondeo.* dant vnum & eumdem effectum. Sed contra, quia licet gratia habitualis, quam dant omnia ſacramenta nouæ Legis, ſit eiuſdem rationis, adhuc prout eſt effectus Confirmationis, v. g. eſt diuerſus effectus à gratia, prout prouenit à Matrimonio; quæ diuerſitas, licet non ſit in entitate ipſius gratiæ, eſt tamen in exigentia, & ordine, quẽ talis gratia vt collata per Confirmationem, v. g. habet ad impetranda auxilia ad reſiſtendum tyrannis, &c. & in exigentia, & ordine, quem habet vt collata per Matrimonium ad auxilia, quibus coniuges ſatisfaciant ſtatui coniugali, *Eſt eadem gratia quoad entitatẽ, diuerſa quoad connotatum.* &c. Sic ergo licet per vtramque ſpeciem Euchariſtiæ conferatur gratia eiuſdẽ rationis quoad entitatem; eſt tamen diuerſa quoad connotatum; nam gratia, quæ confertur per ſpecies panis, affert ſecum de connotato effectus, quos præſtat cibus, & è contra.

73. *Quæſito ſatisfit.* Petes, in quo differant iſti effectus ſecundarij cibi, & potus ſpiritualis? Reſpondeo, aliquam differentiam agnoſci ab ipſa Eccleſia in iis effectibus, licet in ſpeciali non poſſimus omnes differentias comprehendere; ideo enim ſingulis ſpeciebus tribuit ſuos proprios effectus in hymno corporis Chriſti: *Dedit fragilibus corporis ferculum; dedit & triſtibus ſanguinis poculum*; quaſi dicat effectum cibi eſſe roborare fragiles: iuxta illud Pſal. 103. *& panis cor hominis confirmat*; effectum vero potus eſſe nutrire quidem, quia vinum etiam deſeruit ad nutritionem, lætificando tamen animum triſtem: iuxta illud eiuſdem Pſalmi, *& vinum lætificet cor hominis*. Hinc enim eſt, quod aliquando effectus calicis cœleſtis appellatur in Scriptura *inebriatio animæ*, quia affert hilaritatem quandam, qua homo redditur quodammodo inſenſibilis ad laborem, & tribulationem, ſicut ebrius redditur etiam naturaliter inſenſibilis. Pſalm. 103.

74. *Confirmatur ex cœna Apoſtolica.* Confirmarique poteſt, quia non videtur credibile, Apoſtolos, quando poſt cœnam inuitati fuerunt à Chriſto ad calicis potum, non accepiſſe fructum aliquem ex illa ſumptione, ſed ſolum ſignum magis explicitum fructus iam ante percepti; imo ex ipſo modo porrigendi calicem videtur Chriſtus eos aliqua ſpe fructus ſpiritualis inuitaſſe; & eadem ſpe nos etiam poſt ſumptionem corporis ad calicem inuitare. Sic videtur indicare Cyprianus (vel quiſquis eſt Auctor) in lib. de cardinalibus operibus Chriſti, Homil. de Cœna Domini, circa medium; vbi de calicis poculo loquens, ſic ait: *Ipſe Chriſtus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, vt non tantum exterius hoc ſanguine liniremur, ſed & interius aſperſione omnipotenti anima muniretur; & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quidquid eſſet intus ibi durum, effugaret, & reuocaret, ſanaretque quidquid morbi carni, vel ſpiritui veteris vitæ adhæſerat corruptela.* Hæc Cyprianus, vbi non ſolum dicit, datum hoc poculum vt ſignum gratiæ datæ, ſed vt efficax ad ſanandum; ergo ad cauſandum aliquid. Hoc etiam ſenſu dicitur communiter, hunc calicem inebriare ſpiritualiter ſumentem, quod quidem ſine efficientia aliqua non poterit intelligi. Item in hoc ſenſu dicitur Chriſtus dediſſe triſtibus ſanguinis poculum, ſcilicet ad cauſandum in eis lætitiam per illum potum, quod etiam ſine efficientia non poteſt fieri. Denique hoc etiam ſenſu Sacerdos poſt ſumptionem Corporis, & ante calicis ſumptionem orat, vt ſanguis, quem vult accipere, cuſtodiat animam eius in vitam æternam; quod etiam fieri non poteſt, niſi aliquid in eius anima producat. Difficile ergo eſt dicere, numquam calicem cauſare aliquos effectus ſpirituales in ſumente, ſed ſemper inuenire iam effectum productum à ſumptione hoſtiæ, nam ex hoc fieret, nunquam nos ſpiritualiter potari, quia potus iſte numquam effectus aliquos ſpirituales cauſat. Cyprianus. *Difficile eſt dicere calicem non cauſare aliquos effectus.*

75. *Inſtabis. Reſpondeo.* Dices, eoſdem effectus, quos cauſat hoſtia, cauſari etiam à calice, non vero alium effectum nouum. Sed contra, quia gratia habitualis, quæ data iam eſt intuitu primæ ſumptionis, non pendet à ſumptione calicis. Item cæteri effectus ſecundarij, cum dentur immediate ratione illius gratiæ ſacramentalis iam collatæ, non pendent etiam à ſumptione calicis, ſicut nec effectus primarius, ad quem conſequuntur; ergo nullum omnino habet in nobis effectum illa ſecunda ſumptio, & per conſequens numquam efficaciter potat ſpiritualiter; nec habet efficaciam, niſi ad ſummum in actu primo; id eſt, poſſet, quantum eſt de ſe, cauſare illos effectus, ſi non inueniſſet illos cauſatos per ſumptionem hoſtiæ.

76. *Aliqui dicunt diuidi effectum.* Dicunt aliqui in eo, qui ſumit vnicam ſpeciem per illam dari totum effectum, in eo vero, qui accipit vtramque, diuidi effectum, ita vt vna pars detur per primam, & alia per ſecundam; quia alioquin non potaretur ſpiritualiter per calicem, vt dicebam; ſed tamen non accipere maiorem effectum per vtramque, quam acciperet per vnam ſpeciem, ſi illam

Salmeron. Hæc ſolutio videtur dura.

ſtea ſumpſiſſet. Ita P. Salmeron. *tom 9. in Euang. tract. 36. circa finem, in ſolutione 3. obiectionis.* Sed hæc ſolutio duriſſima eſt: ſi enim habet diſpoſitionem ſufficientem, non videtur poſſe differri totum effectum, quando accipit hoſtiam ex eo ſolum, quod velit poſtea ſumere calicem. Alioquin eſſet deterioris conditionis, qui accipit vtramque ſpeciem, quia illo tempore intermedio ante ſumptionem calicis careret augmento gratiæ, quod habuiſſet iam ſi noluiſſet ſumere ſecundam ſpeciem, & conſequenter careret illis omnibus emolumentis, & bonis, quæ ad augmentum gratiæ conſequuntur; quod nullo modo videtur concedendum.

77\. Obiicitur primo ex Tridentino.

Pro contraria ſententia arguitur primo ex Tridentino dicta *ſeſſ. 21. cap. 3* vbi dicitur, ſub qualibet ſpecie *totum, atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum, ſumi, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt.* Vbi Concilium videtur indicare, ſufficientiam vnius ſpeciei ad fructum ſacramenti fundari in eo, quod ſub qualibet contineatur totus Chriſtus, & per conſequens, quod ſub ſpeciebus panis contineatur ſanguis, qui, prout eſt ibi, poteſt operari quod ſub ſpeciebus vini alioquin fruſtra arguitur eſt continentia totius Chriſti ſub ſpeciebus panis, ad hoc, quod non requiratur vtraque ſpecies. Reſpondeo, Concilium in primis caute addere illam particulam: *gratia neceſſaria ad ſalutem,*

Reſpondetur.

vt ſupra dixi; quia noluit negare, aliquam nouam gratiam conferri per calicem, imo in id vnanimiter conſpirauerant, vt vidimus; ſed dixit; non priuari communicantem ſub vna ſpecie aliqua gratia neceſſaria ad ſalutem; quia per ſumptionem vnius ſpeciei impletur ſufficienter præceptum de ſumenda Euchariſtia, cuius impletio neceſſaria eſt ad ſalutem; & quia per ſingulas ſpecies ſeorſim datur gratia nutrimentalis, quæ ſola neceſſaria eſt ad ſalutem, non neceſſitate ſtricta, ſed quadam neceſſitate morali, vt diximus *diſput. 3. ſect. 2.*

78\. Hæc difficultas pariter vrget contra illos.

Quomodo vero hoc colligat Concilium ex eo quod totus Chriſtus contineatur ſub altera ſpecie, difficile videtur: cæterum hæc difficultas pariter vrget contra oppoſitæ ſententiæ auctores; quia ipſi fatentur, quod licet ſanguis Chriſti non contineretur per concomitantiam ſub ſpeciebus panis, ſicut in triduo non contineretur, adhuc per ſumptionem vnius ſpeciei impleri potuiſſet præceptum communionis, & vere accipiendum tunc æqualem fructum per vnam ſpeciem, ac per vtramque. Quare ipſe

Suarez.

Suarez vbi ſupra *in fine ſolutionis 2. obiect.* dicit, cauſam in Concilio poſitam non eſſe adæquatam, ſed clariorem, & certiorem, præſertim quoad nos. Melius tamen reſpondetur, Concilium colligere ſufficientiam vnius ſpeciei ad effectum neceſſarium, non ex eo quod totus Chriſtus contineatur ſub quauis ſpecie, ſed ex illo quod immediate præmiſerat, ſcilicet quia *ſub qualibet ſpecie verum ſacramentũ ſumitur*: nam ſi quælibet ſpecies ſeorſim verum ſacramentum eſt; ergo quælibet ſeorſim dat gratiam nutrientem, licet cum ordine magis ad hunc effectum ſecundarium, quam illum; ergo defectus alterius ſpeciei facile poterit aliis rationibus compenſari. Cur autem præmiſerit, totum Chriſtum contineri ſub altera ſpecie, reſpondet bene P. Vaſquez c. 3. ideo eſſe quia agebat contra Bohemos, qui ideo petebant vſum calicis, quia cenſebant totum Chriſtum non contineri ſub ſpeciebus panis; de quo errore fuerunt ſemper maxime ſuſpecti, quicumque vtramque ſpeciem poſtulabant; ideo nunquam eis concedebatur, niſi prius faterentur, continere ſanguinem in hoſtia, vt conſtat ex Concilio Baſilienſi relato ab eodem Vaſquez in præſenti; ideo etiam Tridentinum improbat hunc errorem, cui innitebantur poſtulantes vſum calicis, & ex damnatione illius erroris infert, non eſſe neceſſarium vtramque ſpeciem; quaſi dicat, hæretici dicunt, eſſe neceſſariam vtramque ſpeciem, vt ſumatur totus Chriſtus, qui non ſumitur complete ſub vna ſpecie; ſed vere ſumitur totus Chriſtus ſub altera ſpecie, & aliunde altera ſpecies eſt verum ſacramentum cauſans gratiam independenter ab alia, ergo non eſt, cur conquerantur de negatione calicis; cum ex hoc neque priuentur gratia neceſſaria ad ſalutem, neque etiam ſumptione totius Chriſti, quod ipſi immerito verentur.

Tridentinũ tantũ negat vtramque ſpeciem eſſe neceſſariam.

Secundo obiici poteſt Concilium Moguntinum ſub Sebaſtiano *cap. 3*a. vbi de communione ſub vna ſpecie ſic ait: *Iam nec hoc quidem quiſquam fidelis dubitare debet, illum ſub vna ſpecie communicandi morem ad ſalutem ſumentium æquè vtilem, & efficacem eſſe, quam alterum ſub vtraque.* Vbi Concilium videtur loqui non ſolum de fructu neceſſario, ſed etiam de maiori vtilitate; & de hac dicit, non eſſe maiorem ſub vtraque ſpecie, quam ſub altera. 79.

Obiicitur ſecundo.

Reſpondeo, in primis hoc Concilium fuiſſe ſolum Prouinciale, & à ſede Apoſtolica nondum confirmatum; imo Tridentinum, quod eadem verba videtur deſumpſiſſe, videtur etiam ex induſtria reliquiſſe particulam illam de æquali vtilitate. Deinde dici poteſt, Moguntinum ſolum dicere, quod quælibet ſpecies eſt æque vtilis, & efficax ad ſalutem, ac vtraque ſimul, non dixit, *æque vtilis* ſimpliciter, ſed *æque vtilis, & efficax ad ſalutem*, hoc eſt, ad vitandã æternam damnationem, & acquirendam ſalutem per adimpletionem præcepti ſine quo non eſſet ſalus, quo ſenſu dixit etiam Tridentinum, non eſſe magis neceſſarium ad ſalutem effectum vtriuſque ſpeciei quàm alterius. 80.

Reſpondeo primo.

Reſpondeo ſecundo.

Tertio obiicitur, quia quælibet ſpecies continet quod vtraque ſimul, nempe carnem, & ſanguinem Chriſti, & quælibet reficit cauſando eamdem gratiam nutritiuam, & extinguendo famem, & ſitim animæ, fames enim, & ſitis ſpiritualis non differunt, nec diuerſo modo extinguuntur, ergo non eſt, cur vtraque ſpecies cauſet pluſquam altera. Reſpondetur, licet totus Chriſtus contineatur in hoſtia, non tamen vt potabilis, ſed vt cibus, hinc eſt, ibi ſolùm cauſare effectum cibationis ſpiritualis, non vero potationis. Et quidem, licet fames & ſitis extinguatur primario per eamdem gratiam, cæterum quoad effectus ſecundarios, quos habent, extinguuntur etiam per alios effectus ſecundarios, in ordine ad quos datur eadem gratia per diuerſas ſpecies huius ſacramenti, vt ſupra explicatum eſt. Vltimo tamen loco admoneo, ex hac doctrina non fieri, vllo modo poſſe aliquos merito conqueri de Eccleſia, quod vſum calicis Laicis interdixerit: tum quia fructus ſubſtantialis, & præcipuus in ſingulis ſpeciebus habetur, quia per ſingulas ſeorſim accipitur gratia nutrimentalis, qui eſt potiſſimus fructus huius ſacramenti, per vtramque autem ſimul ſolum additur gratia aliqua in ordine ad aliquid accidentale, minus principale, tum etiam quia (vt dixit Tridentinum *ſeſſ. 21. c. 2.*) in huius ſacramenti diſpenſatione attendendum eſt, non ſolum ad ſuſcipientium vtilitatẽ, ſed etiam ad ipſius ſacramenti reuerentiam, propter quam multa videmus omitti, quæ aliquam ſuſcipientium vtilitatem impediunt: ideo hoc ſacramentum non poteſt vna die bis ſumi, licet maiorem fructum afferret duplex communio, quam vnica: ideo negatur paruulis baptizatis etiam in articulo mortis, quibus procul dubio gratiam augeret, 81.

Tertio obiicitur.

Reſpondetur.

Non tamen hinc debent cõqueri laici.

Ideo non poteſt hoc Sacramentum bis ſumi vno die.

&

& per conſequens gloriam etiam eſſentialem; item hanc ob cauſam non datur perpetuis amentibus etiam baptizatis, neque iis ægrotis, in quibus timetur periculum vomitus; quamuis vtrique priuentur fructu Sacramenti; imo propter eandem reuerentiam non permittitur ægrotus ſumere de laïci manu Sacramentum abſente Sacerdote, iudicante Eccleſia minus inconueniens, quod moriatur ſine viatico, quam tangi Euchariſtiam manu laïca, abſente Sacerdote. Quid mirum, quod propter reuerentiam ſanguinis Chriſti priuentur etiam laici illo fructu ſecundario, & minus principali, quem ex calice perciperent? erat enim frequens periculum effuſionis in tanta communicantium multitudine: difficultas etiam conſecrandi, & miniſtrandi omnibus, repugnantia multorum ad potum vini periculum etiam erroris, quo aliqui cogitabant, non eſſe totum Chriſtum ſub ſingulis ſpeciebus; propter quæ & alia iuſtiſſimè Eccleſia prohibuit vſum vulgarem calicis, vt videri poteſt apud Auctores in hac quæſtione. Alia argumenta, & teſtimonia minoris momenti contra hanc ſententiam, vide apud Vaſquez vbi ſupra, qui benè ea diſſoluit.

SECTIO IV.

De aliis effectibus ſpiritualibus ſacramenti Euchariſtiæ.

82. *Primus effectus remiſſio peccati.* S. Thom. Conc. Trid.

PRimus effectus eſt remiſſio peccati, & quidem de mortali ſatis diximus *ſect.* 1. De venialibus S.Thom. *art.* 4. & cum eo Theologi omnes concedunt, deleri per Euchariſtiam. Quo ſenſu dixit Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. *Sacramentum hoc eſſe antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſeruemur.* Quod ex Ambroſio, Auguſtino, Gregorio, Bernardo, & aliis confirmat Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 10. & vt indubitatum traditur in Catechiſmo Pij Quinti per hæc verba: *Remitti verò Euchariſtia, & condonari leuiora peccata, quæ venialia dici ſolent, non eſt quod dubitari debeat,* & addit ſtatim rationem: *Quemadmodum (neque enim à propoſita ſimilitudine diſcedendum videtur) quod innati caloris vi quotidie detrahitur, ac deperit, paulatim addi, & refici naturali alimento ſentimus.*

Cathechiſmus Pij V.

83. *Difficultas eſt quomodo ab Euchariſtia hic effectus proueniat.*

Difficultas tamen eſt, quomodo hic effectus proueniat ab Euchariſtia, an immediatè, an mediante aliquo actu, quo homo diſponatur ad remiſſionem peccati? Suarez in præſenti cum communiori ſententia ſentit, vtroque modo prouenire, ſcilicet vel excitando feruorem charitatis, quo homo diſponat ſe per propriam operationem, vel etiam immediatè delendo maculam venialis, ad quod inquit ſufficere, quod præcedat negatio affectus, ſeu complacentiæ ad veniale, licèt non præceſſerit deteſtatio ſufficiens ad tollendum illud ſine vllo Sacramento. Ita docet Suarez in præſenti, & *tom.* 4. *diſput.* 12. *ſect.* 1. agens de virtute Pœnitentiæ, vbi proprius locus eſt huius quæſtionis. Ideo in præſenti non poſſumus noſtram ſententiam explicare, ſatis enim eſt, quod vno ex illis modis fiat hic effectus, vt verè dicatur eſſe effectus Euchariſtiæ, licèt non proueniat immediatè, prout voluerunt Bonauentura, Alex. Alenſis, Petrus de Soto, relati à Suarez *dict.* 4. *tom.* vbi ſupra *n.* 6. & alij docti Recentiores; & videtur eſſe iuxta mentem S. Thomæ in præſenti *art.* 4. An verò aliqua etiam peccata venialia immediatè remittantur virtute eiuſdem Sacramenti, dicemus in tractatu de Pœnitentia, agentes de remiſſione venialium.

Suarez.

Sufficit quod vno ex his modis fiat hic effectus, alibi enim noſtram ſententiam explicamus.

84. *Non vrget Trident.*

Neque Tridentinum vrget pro oppoſita ſententia: ſufficit enim hic modus cauſandi ablationem venialium; vt dicatur Euchariſtia liberare ab illis, ſicut etiam dicitur ibidem præſeruare à mortalibus; quod tamen præſtat mediantibus bonis inſpirationibus, & affectibus, quibus excitamur ad non peccandum; quare ſicut ex vi Sacramenti ſolum ſequitur collatio horum auxiliorum, non verò ſequitur infallibiliter præſeruatio à mortalibus; ſic etiam de ablatione venialium dici poſſet, non ſemper ſequi cum effectu infallibiliter poſt ſumptionẽ Euchariſtiæ. Nec etiam ſimilitudo cibi naturalis aliud probat; nam ſicut iſte cibus ſpiritualis dat vires contra tentationes graues, quantum eſt de ſe, licet non ſemper cum effectu victoriæ: ſic etiam poſſet reſtaurare amiſſa, quantum eſt de ſe præſtando vires, & auxilia, quæ per peccata venialia demeremur, vt poſſimus illa excutere, licèt quandoque per nos ſtet, quominus cum effectu expellantur.

85. *Secundus effectus eſt præſeruatio à mortalibus. Tribuit hunc effectum. Primo.* Chryſoſt. *Secundo.*

Secundus effectus, quia à Concilio ibi tribuitur Euchariſtiæ, eſt præſeruatio à mortalibus; eſt enim panis vitæ, *vt ſi quis ex eo manducet, non moriatur.* Tribuit autem hunc effectum Euchariſtiæ multipliciter. Primo, quatenus confert abundantem gratiam gratum facientem, vnde Chryſoſt. *homil.* 45. in Ioannem. *Sanguis,* inquit, *Chriſti quamprimum ac repente animam irrigat, vi quadam magna imbuit, & nobilitatem animæ, quam ſemper irrigat, & nutrit langueſcere non ſinit.* Secundo, quatenus virtute huius Sacramenti anima ſpirituali dulcedine delectatur, & quodammodo inebriatur, fitque minus ſenſibilis ad tentationes; iuxta illud: *Comedite amici, & inebriamini chariſſimi,* de quo effectu dulcedinis, dicemus poſtea. Tertio, quatenus hoc Sacramentum fugat dæmones, qui concupiſcentias inordinatas ſolent excitare: hoc enim Sacramentum eſt ſignum paſſionis Chriſti; quare dæmones fugiunt non ſolum Chriſtum in Euchariſtia contentum, ſed Chriſtum ſuam victoriam Crucis ibi maximè repræſentantem. Sic Chryſoſtomus dicta homil. 45. & hom. 61. ad populum: *Hic ſanguis,* inquit, *dæmones procul pellit, Angelos, & Angelorum Dominum ad nos allicit; dæmones enim, cum Dominicum ſanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur; Angeli autem concurrunt.* In quibus verbis alludit ad ſanguinem, quo liniebantur poſtes filiorum Iſraël in Ægypto, *Exod.* 12. Qua etiam figura vtitur Viguerius *in inſtit. c.* 16. §. 3 *verſ.* 18. Ignatius etiam *epiſt. ad Epheſ. Feſtinate ergo,* inquit, *frequenter accedere; quando enim aſſiduè hoc ipſum agitur, expelluntur poteſtates Sathanæ.* Quo etiam ſenſu accipi ſolet illud *Pſalm.* 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me;* & illud etiam ex Pſalm. 5. *Non habitabit iuxta te malignus.* & 2. Cor. 6. *Quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conuentio Chriſti ad Belial?* & à S. Vincentio *Serm. vnico* in Oct. Corp. Chriſti inducitur illud Pſ. 67. *Exſurgat Deus, & diſſipentur inimici eius; & fugiant, qui oderunt eum a facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant; ſicut fluit cera à facie ignis: ſic pereant peccatores à facie Dei. Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Et hac de cauſa dicit Chryſoſt. dicta *Hom.* 45. & 61. *Vt leones flammas ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus terribiles effecti diabolo.*

Tertio. Viguerius. Ignatius. Pſalm. 22. Pſalm 5. 2. Cor. 6. Vincentius. Pſalm. 67. Chryſoſt.

Quarto fit hæc præſeruatio, quatenus qui recipit hoc ſacramentum, accipit ſpeciale lumẽ à Deo, quo lumine mediante, praui motus, ac tentationes minuuntur, & ſopiuntur. Cum enim ratione huius conuiuij ſit familiaritas quædam inter Deũ, & hominem, ex hac familiaritate oritur, quod arcana magis amico patefiant. Vnde Damaſc. *lib.* 4. *cap.* 14. monet, vt hunc ignitum Euchariſtiæ carbonem ſumamus, vt illuminet corda noſtra, & participatione 86.

Quarto. Damaſcen.

Diuini ignis igniamur, & deificemur: hunc quippe ait eſſe carbonem, quo Seraphin tetigit labia Iſaiæ, quo tactu ad prædicationem, & doctrinam inſtructus eſt. Afferrur etiam illud 1. *Reg.* 14. de Ionatha, *1 Reg. 14.* *Luc. 24.* cuius guſtato melle illuminati ſunt oculi. Et *Luc.* 24 diſcipulorum oculi aperti ſunt, vt Chriſtum cognoſcerent in fractione panis, qui vel erat Euchariſtia, vt plures volunt, vel certe Euchariſtiæ ſymbolum. Ad hoc etiam facit Auguſt. 20. *cont. Fauſt. c.* 21. *Auguſt.* vbi de Euchariſtia explicat illud Pſal. 40. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Quare meritò S. Vincentius loco ſupra citato dicit, ſicut ex vetito cibo venerūt nobis hęc omnia mala, infirmitates corporis, febres, dolores, &c. & infirmitates animæ, pronitas ad malum, difficultas ad bonum, mala deſideria, &c. ſic hunc cibum ſanare intellectum cōtra errores, & falſas opiniones, voluntatem contra mala deſideria: memoriam contra obliuionem beneficiorum Dei: ſanare ea ad vitandum mendacia, &c. Denique in hoc ſenſu adduci poteſt illud Ioan. 8 *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* *Ioan. 8.* Similiter ergo, quando in nobis ſacramentaliter habitat illuminat mentes noſtras.

87. *Quinto. Gerſon.* Quinto fit hæc præſeruatio diminuendo fomitem, & impediendo, vel debilitando motus carnis, excitandoque contrarios: vt colligitur ex Gerſone *Tract.* 9 ſuper *Magnificat* Alphabeto 90. in fine, & ex Viguerio *Inſtit. cap* §. 1. *verſ.* 18. ad quod illud *Bernard.* *Eccleſ.* adducitur Bernardi *Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro,* & illud Eccleſ. 18 *Nonne ardorem refrigerabit ros?* Chriſtus quippe ros eſt, de quo dicitur, *Rorate cœli deſuper.* Idcò etiam hoc ſacramentū appellatur aqua: iuxta illud Pſal. 22. *In loco paſcuæ ibi me collocauit: ſuper aquam refectionis educauit me.* *Pſalm. 22.* Vide Bernar. Serm. de cœna Domini, ſic concludit, *Quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum vlceris huius ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia ſubuenit, & vt ſecuri ſitis, ſacramenti Dominici corporis, & ſanguinis pretioſi inueſtituram habetis. Duo enim illud ſacramentum operatur in nobis, vt & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum.* Cyrill. 4 *in Ioan. cap.* 5. *Non mortem ſolum ſed & morbos omnes depellit: ſedat ſæuientem membrorum noſtrorum legem, & pietatem corroborat; perturbationes animi extinguit.* *Cyrillus.* Huius actiuitatis figura præceſſit in Arca, ad cuius præſentiam Dagon proſtratus fuit, & qua ingrediente, Iordanis aquæ ſteterunt, iuxta illud Pſal. 76 *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt.* *Pſalm. 76.* Sicut & ſtetit ſanguinis fluxus, quem patiebatur fœmina, quæ Chriſtum tetigit: ideoque apud Zachariam *cap.* 9. *Zachar. 9.* vocatur *frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Et quidem ratio ipſa cibi hoc ſecum videtur afferre: ſi enim iuxta Florentinum Concil. cibus hic præſtat circa ſpiritualem vitam ea omnia, quæ circa corporis vitam operatur corporeus cibus debet vtique ea præſtare, quæ corporeus cibus ſalubris, & bonos operari ſolet, qui certè, & bonos generat humores & noxios expellit: debet ergo & hic cibus paſſiones noxias minuere, ac expellere, bonas verò & ſalubres omnino cogitationes excitare. Præſertim cum corporeus cibus hoc habeat, vt aſſimilet ſibi in multis comedentem; afficiuntur quippe ſæpe homines iuxta naturam, temperamentum, que eorum, quibus aluntur. Oportet ergo vt caro Chriſti, quæ per omnia ſubiecta eſt ſpiritui, ſimilem carnis ſubiectionem ad ſpiritum, & ad rationem cauſet in comedente ipſam.

88. *Circa hunc effectū aduerte.* Denique circa hunc effectum aduerte, ſanctum Thom. *art.* 6 *ad* 3. conſultò dixiſſe, hoc ſacramento minui fomitem: quia nimirum quantumcunque repetatur huius ſacramenti vſus, nunquam omnino extinguitur, ſed ſolum minuitur; cum fomes ſit ipſa inclinatio naturalis ad bonum ſenſibile habens annexam deformitatem ad rationem, quæ inclinatio in ſe non perditur, ſed in ordine ad actus impeditur per virtutes, & auxilia, quæ inclinant ad bonum rationis, & honeſtum: eiuſmodi autem virtutes, & auxilia, cum non operentur cum neceſſitate, ſed cum libera electione voluntatis, conſequens eſt, vt quantumcunque creſcant, niſi aliud ſpeciale donum, aut ſpecialis prouidentia adſit, non poſſit omnino impediri illa naturalis inclinatio, quin etiam in actu primo inclinet, & aliquando ſubrepat, & prodeat in aliquem actum, licèt poſſit facilius reprimi per auxilia repetita huius ſacramenti.

Tertius effectus eſt adeptio gloriæ, iuxta illud 89.
Chriſti: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternū;* *Tertius effectus adeptio gloriæ.* quem effectum probat S. Thomas *art.* 2. & indicatur in Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap* 8. Fundari autem poteſt in eo, quod cibus naturalis ordinatur, vt perducat hominem ad ſtatum perfectum; ergo cibus ſpiritualis taliter ordinatur ad augmentum gratiæ, vt ea ſe perducat illum ad ſtatum perfectum, & conſummatum per gloriam. Vnde *Reg* 3. *cap.* 19. panis ſubcinericius datus fuit Heliæ, vt in fortitudine cibi illius ambularet vſque ad montem Dei Oreb. Ex quo fit, adeptionem gloriæ non ſolum eſſe effectum communem Euchariſtiæ ſicut aliorum Sacramentorum; quatenus illa omnia dando gratiam dant ius ad gloriam, & apppellatur ſpecialiter *pignus futuræ gloriæ* in Antiphona Officij, & à Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap* 2. ſed ſpeciali titulo, quatenus in ratione cibi ordinatur ad dandam gratiæ conſummationem. Deinde in ratione ſigni habet etiam ſpecialiter ſignificare ſtatum beatificum, quia ſicut in cœlo Deus ſe ſine velamine fruendum exhibet; ſic in hoc ſacramento, ſub ſpeciebus tamen, & velaminibus: vnde Eccleſia in feſto corporis Chriſti dicit, *Fac nos Diuinitatis tuæ ſempiterna fruitione repleri, quam pretioſi corporis & ſanguinis temporalis perceptio præfigurat.* Videri poſſunt teſtimonia plura ſanctorū Patrum circa hunc effectum; præſertim Irenæus *lib* 4. *cap.* 33. Hieronymus & alij in illud Matth. 24. *Vbi fuerit corpus,* &c. Cyrillus 4. *in Ioan cap.* 14. & 17. & *lib.* 11. *cap.* 26 & 27. Leo *Serm.* 14. de paſſione Domini. Chryſoſtom. *Hom.* 24. *in* 1. *ad Corinth.* Nyſſenus *Serm. Catechetico* de tranſmutatione corp. & ſang. apud Euthymium, *cap.* 21. Panopliæ. Ambroſius *lib. de his, qui myſteriis initiantur, cap* 9. Cyprianus Serm. de cœna Domini. Innocentius IV. *de ſacrificio Miſſæ cap. vltimo.* 90.

Quartus effectus eſt actualis dulcedo, & dele- *Quartus effectus actualis dulcedo & delectatio.*
ctatio; iuxta illud Pſal. 67. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus* Et Gen. 49. *Pinguis eſt panis eius, & præbebit delicias Regibus,* & alibi ſæpè. Et cōſtat ratione ſumpta ex Florentino, quod cibus iſte proportionatur in effectibus cibo corporali; ergo ſicut cibus corporalis non ſolum alit, ſed delectat; ſic etiam iſte, &c. Eſt autem hic effectus infallibilis *Suarez.* ex vi ſacramenti, niſi impediatur ex parte ſubiecti. Videatur Suar. *diſp.* 93. *ſect.* 9. vbi aliquas affert rationes, cur non ſemper ſentiatur hæc dulcedo; & notat benè, non oportere hunc effectum dari tunc, ſed aliquando ſeruari in meliorem occaſionem. Videatur etiam Antonin. 2. *part. tit.* 13. *cap.* 6. § 15. *Antonin.* vbi ponit octo rationes, ob quas ſubtrahi ſolet hæc conſolatio, & docet, ſæpè ſubtrahi ſine culpa, & ob occupationes bonas ſtudiorum, vel regiminis, &c. Videatur etiam Greg. 3. *moral. cap.* 5. & Gabr. *ſect.* 86. & Ioan. Viguer. *cap.* 16. §. 3. *verſ.* 18.

Afferri etiam ſolet ad idem comprobandum 91.

Manna,

Ad id probandum affertur Manna. Manna, cui præfertur *Ioan.* 6. Euchariſtia; & tamen illud habebat dulcedinem, & omne delectamentum ſuauitatis. Denique adduci poteſt illud Prouerb. 31. *Date ciceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo: bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ; & doloris ſui recordentur amplius*; ad quod videtur alludere Eccleſia in illis verbis, *Dedit & triſtibus ſanguinis poculum.*

Prou. 31.

92. *Circa hunc effectum aduerte.* Circa quem effectum notandum breuiter eſt, illam dulcedinem, & delectationem procedere ex feruore, ad quem hoc ſacramentum excitat; feruor autem, vt nomen ipſum præ ſe fert, eſt ardor charitatis, quo homo diligit Deum non ſolum in neceſſariis, ſed etiam in aliis. Nam ſicut aqua tunc feruere dicitur, quando non ſolum replet vas, in quo eſt, ſed etiam caloris impulſu dilatat ſeſe vndique, & egredi conatur: ſic charitas feruere tunc maxime dicitur, quando non ſolum ſiſtit in neceſſariis, ſed dilatat ſe ad indebita, & ſupererogationis opera.

93. *Ex hoc ergo feruore procedit delectatio.* Ex hoc itaque feruore, quem Euchariſtia ſuo tempore excitat, procedit delectatio, & dulcedo, vt indicat S. Thomas *art.* 1. *ad* 2. & ratio videtur eſſe, quia delectatio ex natura rei conſequitur amorem, & perceptionem rei amatæ præſentis: neque enim delectat res præſens non amata, neque res amata abſens: conſequitur ergo delectatio ex conſideratione rei amatæ præſentis, quæ conſideratio fit per fidem, qua intellectus ſpiritualiter maſticat hunc cibum, ſicut & cibus etiam corporeus magis delectat, & ſapit, quando melius maſticatur: vnde delectatio magis mediate videtur procedere ab hoc ſacramento, quam amor, & conſideratio, ex quibus oritur; auxilia vero ad illos actus fidei, & amoris, qui præcedunt delectationem, & dulcedinem, dantur intuitu ipſius ſacramenti.

94. *Hæc dulcedo poteſt multis modis impediri.* Hinc fit, poſſe hanc dulcedinem impediri etiam in homine exſiſtente in ſtatu gratiæ; primo, ex eo quod homo, acceptis illis auxiliis, quibus excitatur ad actus fidei, & dilectionis, ex quibus oritur dulcedo illa, non cooperetur eliciendo actus fidei, vel feruidæ dilectionis, ad quos mouetur. Item ſi (quod maximum impedimentum eſſe ſolet) animæ palatus morbidus ſit & rerum temporalium affectu præpeditus, tunc enim ſicut infirmis frequenter accidit, ſic Chriſti præſentia etiam credita, & conſiderata non multum ſapit; quia animæ guſtus præoccupatus eſt humore diuerſo. Ex parte etiam corporis poteſt aliquando impedimentum prouenire: nā ſi aduerſa valetudine nimium grauetur, aut vehementi aliquo dolore afficiatur, debilitatur animæ virtus ad ſentiendam dulcedinem, & delectationē ſpiritualem, eo quod ex natura rei eadem anima nimium diſperſa, & attenta ad aliud vehemens obiectum non poteſt attendere ad hoc aliud, quantum opus ad eiuſmodi delectationem experiendam.

95. *Dubitatur de quo ſit hæc delectatio.* Dubitari poteſt, an hæc delectatio ſpecialis, quam cauſat Euchariſtia, ſit ſolum de ipſo Chriſto præſente: videtur enim, ita eſſe dicendum propter proportionem cibi materialis, qui dulcedinem, & delectationem affert, non de alio obiecto, niſi de ipſo cibo præſenti, qui guſtu percipitur. In contrarium vero eſt, quod ſi ea proportio eſſet omnino ſeruāda, dicendum conſequenter eſſet, quod ſolum ſentiretur delectatio, dum Euchariſtia eſſet in ore, vel tranſit per gulam, ſicut cibi materialis ſapor, & dulcedo tunc ſolum ſentiretur. Alia etiam ſacramenta ſuos effectus ſecundarios non dant ſolum, quando accipiuntur, ſed etiam poſtea, vt Confirmatio, Ordo, Matrimonium, &c. conferunt poſtea auxilia ad profitendam fidē, ad ſancte exequendos actus Ordinis, & ſuſtinenda onera Matrimonij, &c. ergo in Euchariſtia dabit hos effectus ſecundarios non ſolum quando ſuſcipitur, ſed etiam poſtea. Vnde *d. ſect.* 9. docet, eam delectationem non alligari ad illud præciſe tempus, quo Chriſtus eſt in ſtomacho, ſed reſeruari aliquando ad tempus magis opportunum, ſi tamen ſacramentum in gratia ſuſceptum fuit.

96. *Eſt quidem ſpecialis delectatio de Chriſto præſente, non tamen ad illū ſolū reſtringitur.* Ego quidem fateor, Euchariſtiam operari ſpecialem delectationem de præſentia reali Chriſti: non tamen credo ad illud ſolum obiectū reſtringi delectationē, quam eiuſmodi ſacramentū cauſat. Vtraque pars colligi poteſt ex proportione illa ad cibū, & potum corporeum, inueniemus enim, duplicem delectationē prouenire à bono cibo, & potu: alterā rationē ſaporis, quē guſtus percipit, quā perceptionem conſequitur delectatio de obiecto illo conuenienti præſenti. Vnde ſimilem effectū tribuere debemus cibo, & potui Euchariſtico, qui eos effectus operatur cum proportione in anima, quos cibus, & potus materialis operantur in corpore. Et quidem illa delectatio non debet alligari ad illud ſolum tēpus, quo Euchariſtia eſt in ore, vel pertranſit gulā: nam nec cibus & potus materialis tunc ſolum delectant, ſed poſtea etiam quando ſunt in ſtomacho, partim propter qualitates, quas in palato relinquerūt partim propter vapores, & fumū, quem à ſtomacho tranſmittunt ad palatū, vt experientia teſtatur, qua ſentimus dulcedinem in ore, & palato tempore ſequenti; imo licet cibus corporeus, quando eſt in ore, cauſet delectationē; hic tamen cibus ſpiritualis non videtur habere ex opere operato eiuſmodi efficaciam, quia cum non cauſet eiuſmodi effectus ſecundarios, niſi mediante gratia ſanctificante, ex qua oriuntur, vt diximus ſupra *diſp.* 4. de Sacramentis in cōmuni *ſect.* 3. gratia autem non cauſetur ab Euchariſtia, donec manducetur, & deglutiatur, vt ſupra diximus; conſequens eſt, vt nec ille ſecundarius effectus delectationis, & dulcedinis debeatur ante mādūcationem perfectam; licet Deus aliquando ex ſua benignitate communicet eiuſmodi delectationem, etiam quando eſt in ore, antequam deglutiatur.

Cibus & potus alteram delectationē cauſant. Solet tamen, vt diximus, bonus cibus, & potus alteram delectationem cauſare, quæ non habeat ſolum pro obiecto ipſum cibum, & potum, ſed alia diuerſa, quatenus ſuis bonis qualitatibus ita benè temperat, & diſponit humanum cor, vt facilè afficiatur ab obiectis iucundis, & difficilè perturbetur ab iniucundis: ideo enim eo tempore homines hilares dicuntur eſſe, & aptiores ad res hilares tractādas, gratiamque, & liberalitatem exhibendam. Sic dicuntur *Ruth.* 3. *Cumque comediſſet Booz, & bibiſſet, & factus eſſet hilarior*, &c. & Eſther 1. *Cum res eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero.* 1. Reg. 25. *Cor Nabal iucundum; erat enim ebrius nimis.* Eccl. 31. *Vinū in iucunditatem creatum eſt, & nō in ebrietatē ab initio. Exultatio animæ, & cordis vinū moderatè potatum* in quibus locis non eſt ſermo ſolum de exultatione habente pro obiecto ipſum vinū, aut cibum, ſed de lætitia cordis facilè applicātis ſe ad obiecta iucunda. Hunc ergo effectum cū proportione operatur etiam conuiuiū Euchariſticum in anima, quam reddit facilē, vt afficiatur ab obiectis afferentibus ſpiritualem lætitiam, conſolationem, & è contra difficilem, vt perturbetur ab obiectis iniucundis. Ideo appellari ſolet hic effectus ſpiritualis ebrietas, vt dixit Ambroſius in *Pſ.* 118. ſuper illa verba: *Suſcipe me ſecundum eloquium tuū, & viuam*; vbi ait; *hoc Sacramentum inebriare affectus fidelium, vt curam ſæculi huius metum mortis, ſollicitudinem deponāt.* Quem effectū latius explicat Cyprianus *epiſt.* 63. poſt medium, vbi adductis verbis Pſalm. 22. *calix tuus inebrians quam peroptimus.* Rationem

Ruth 3.
Eſther 1.
1. Reg. 25.
Eccl. 31.
Ambroſ.
Cyprian.

ionem reddit, *quod ſcilicet calix Domini ſic bibentes inebriet, vt ſobrios faciat, vt mentes ad ſpiritualem ſapientiam redigat, vt à ſapere iſta ſæculari ad intellectum Dei vnuſquique reſipiſcat: & quemadmodũ vino iſto communi mens ſoluitur, & anima relaxatur, & triſtitia omnis exponitur: ita; epoto ſanguine Domini, & populo ſalutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat oblivio cõuerſationis priſtinæ ſecularis; & mœſtum pectus, ac triſte, quod prius peccatis angentibus premebatur, Diuina indulgentia lætitia reſoluatur* Hunc autem effectum conſtat non pendere oceſſatio à Sacramento ipſo adhuc præſente, & perſeuerante in nobis; quia cibus, & potus etiam poſtquam in aliam ſubſtantiam conuertuntur, habent eiuſmodi effectus; imo quia bonum ſanguinem, humoreſque bonos generent, faciunt prædominari lætitiam in corde. Cur ergo gratia ſanctificans, & permanens, quæ ex Euchariſtico alimento relicta eſt, non habebit eam vim lætificandi ſpiritualiter animam, & impediendi cogitationes triſtes, ne nimium poſſint communicantium corda perturbare?

98. *Dubitatur an remittatur pœna temporalis. Communiter negatur ex opere directe.*

Vltimo dubitari ſolet de pœna temporali, an remittatur ex opere operato per hoc Sacramentum, non ſolum vt Sacrificium, ſed vt Sacramentum eſt? S.Thomas *art.5.* & Tehologi communiter negant, quia nullibi extat promiſſio huius effectus; nec etiam ſequitur ea ratione nutritionis, ad quam inſtitutum eſt hoc Sacramentum: nam nutritio ſolum ordinatur ad augendam vitam, & vires, hæ autem nec augentur, nec minuuntur per debitum, vel remiſſionem pœnæ temporalis. Hoc autem intelligi debet de remiſſione directa pœnæ primo, & per ſe: nam indirecte, & ſecundario prouenire poteſt remiſſio pœnæ ab hoc Sacramento. Primo, quia ſi eius virtute remittuntur aliqua peccata venialia quoad culpam ex opere operato, & immediate, ac directe iuxta communem ſententiam, de quo dicemus in materia de Pœnitentia; conſequens videtur, quod ſimul cum culpa remittatur aliqua pars pœnæ temporalis pro illo peccato debitæ. Secundo, quia Sacramentum hoc excitat, & mouet ad actum dilectionis Dei, cuius virtute remittitur non ſolum culpa, ſed etiam magna pars pœnæ temporalis debitæ poſt remiſſam culpam, qui effectus, licet ſit ex opere operantis correſpondens actui dilectionis, poteſt tamen mediate tribui Sacramento Euchariſtiæ, cuius effectus fuit ipſe actus dilectionis.

SECTIO V.

De effectibus, quos Euchariſtia operatur circa corpus.

99. *Quadruplex effectus corporalis. Primus. Secundus. Tertius.*

QVadruplex intelligi poteſt effectus corporalis prouenire ex hoc ſacramento. Primus ex eo, quod vniatur per aliquam veram, & realem vnionem cum noſtro corpore. Secundus per hoc, quod immediate, & directe operetur aliquid in ipſo corpore. Tertius in genere cauſæ efficientis immediate per hoc, quod aliquod operetur in anima, ex cuius redundantia reſultet aliquid in ipſo corpore.

Quartus.

Quartus, reſurrectio corporis, quam eſſe effectum Euchariſtiæ. diximus *diſp. 3. in fine*, & nunc aliquid addemus. Et quod tertium attinet, nulla eſt difficultas, quin hoc modo operetur Euchariſtia in corpore: nam ex feruore charitatis, quem operatur in anima, ſequitur quædam cordis quaſi iubilantis palpitatio, vultus lætitia, coloris viuacitas, oculorum modeſtia, linguæ refrænatio, maturitas incedendi, totius corporis reformatio, & omnis exterior geſtus modeſta, venuſtaque ordinatio. Videatur Cyprianus *Serm. de Cœna Domini*, & Chriſoſt. *homil.* 61. ad populum Antiochen. & 24. *in 1. ad Cor.*

100. *Maior difficultas an directe aliquid operetur circa corpus. Probabiliter à multis affirmatur.*

Maior eſt difficultas, an immediate etiam, & directe aliquid operetur circa corpus. Negant plures, ſed alij non pauci, nec parum probabiliter affirmant, quos ſequitur P. Suarez. *diſput. 64. ſect. 1.* & confirmat adductis Patrum teſtimoniis. Fit autem hoc diminuendo fomitem, & ardorem concupiſcentiæ, quod partim fit dæmones fugando, ne excitent turpis obiecti ſpecies; partim ſedando, & reprimendo humorum vires, mitigando ardorem, &c. & aliis modis, quos explicuimus ſectione præcedenti agendo de præſeruatione à mortalibus. Et

Probatur à contrario.

confirmari poteſt à contrario, quia hoc ſacramentum in carne indigne ſumentium cauſare ſolebat infirmitatem, & imbellitatem iuxta illud Pauli. *Propter quod multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*: quid mirum, quod in homine bene diſpoſito cauſet corporalem effectum roboris, & viſum ordinatum ad finem ſpiritualem? Neque enim hoc eſt contra rationem ſacramenti, cum etiam Extrema vnctio operetur immediate circa corpus infirmi, & Matrimonium fortaſſe conferat aliquem effectum materialem ordinatum ad pacem, & vnionem vtriuſque coniugis inter ſe.

101. *Prodeſt etiã corpori per modum lucis*

Prodeſt, item hoc ſacramentum corpori per modum lucis internæ, qua illuminantur oculi non ſolum mentis, ſed etiam phantaſiæ ad cognitionem boni, & mali. Ad quod applicari poſſunt, quæ adduximus Sect. præcedenti, probantes hunc effectum illuminandi, qui ab Euchariſtia prouenit.

102. *De quarto effectu vid. Suarez.*

De quarto effectu, ſcilicet reſurrectione corporis glorioſa, videri poteſt Suarez in præſenti *diſp 64. ſect. 2* qui affert verba Ignatij, Cyrilli, Alexandri, Chryſoſtomi, Gregorij Nyſſeni, Cypriani, Tertulliani, Irenæi & aliorum; qui eum effectum gloriæ corporis peculiariter attribuunt huic ſacramento. Quibus addi poteſt Rupertus Abbas in *cap. 5. Cant.*, ſuper illa verba: *Comedi fauum cũ melle meo*, vbi eleganter comparat effectum huius cibi cum effectu cibi vetiti: nam ſicut cibus vetitus cauſa fuit mortis vtriuſque, ſpiritualis, & corporalis: ſic cibus hic cauſa eſt vtriuſque vitæ, ſcilicet animæ, & corporis, imo vt eodem omnino ordine vita recuperetur, quo perdita fuit: *Quod enim ordine* (inquit) *vita ablata eſt & mors introiuit? Et videlicet, vt morte animæ præcedente, mors carnis ſubſequeretur. Nam quo die comederunt primi homines vetitum, eodem morte animæ, morte peccati mortui ſunt: & deinde morte carnis ſuo quoque die, vel tempore in puluerẽ reuerſi ſunt* Et poſt explicatum effectum mortis à priori cibo prouenientem, ſubdit in perſona Chriſti, *Corpus meum comedendum, & ſanguinem meum bibendum vobis appono, vt ſicut iam dixi, quo ordine mors introiuit, eodem foras mittatur de animabus, & corporibus veſtris. Primo quippe foras mittitur mors animæ, dum comeditis, & bibitis ſacramentum mortis & paſſionis meæ; quia ſicut quodam loco dixi: quia manducat me, & ipſe viuet propter me. Poſt hoc foras mittetur mors corporis, ſcilicet quando omnes reſurgetis, quod & nunc, me primo reſurgente, fideliter creditis: ſicut ibidem ego dixi de illo: Qui manducat me, viuet propter me, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

103. *Obijcit ſibi Rupertus. Reſpondet.*

Obiicit autem ſtatim ſibi idem Rupertus, quomodo patres antiqui, qui hoc ſacramentum non acceperunt, reſurgent illa die? Reſpondet vero acute quidem, ſed in ſenſu magis myſtico, quam literali, eos ſcilicet Chriſtum etiam ſuſcepiſſe, quo potuerunt modo: quatenus eorum animæ ſuſceperunt Chriſti animam in limbo, corporibus autem in ſepulchris iacentibus corpus etiam Chriſti ad hunc

finem

finem ſepoltum conionctum fuit: *Ad hæc*, inqoit, *ſiant viuentibus vobis præmoda veſtra, ita & defunctis illis pro modo ipſorum, ſapientia Dei prouidet, eandemque menſam parauit. Siquidem diſsipati ſunt illi, quoniam animæ quidem apud inferos ſunt in requie ſpei, corpora vero requieſcunt in ſepulchris, diſſipabor & ego panis viuus, qui de cœlo deſcendi; & anima quidem ad animas illorum, corpus vero deſcendit ad corpora ipſarum, ſcilicet in eius terræ ventrem, quo illa recepta ſunt. Mox animæ illorum reuiuiſcunt in vita plena, atque perfecta, cuius in ſpe aliquatenus vixerunt, in nouiſſima autem die vobiſcum reſurgent reſurrectione corporum. Atque ita fiet, quod dicit aliquis veſtrum, quodque firmiter tenet fides omnium veſtrum, quia ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* In qua reſponſione nbitet indicat, non ita eſſe Eucharistiæ effectum reſurrectionem corporis, vt abſque eo ſacramento baberi non poſſit, ſed ſolum fuiſſe maxime congruum inſtitui hoc ſacramentum ad eum effectum præſtandum, ſiquidem Patribus etiam antiquis eo modo, quo potuit, applicatus fuit realiter ipſe Christus, vt vitamque vitam complete & perfecte aſſequerentur.

104\. Fundatur ergo totum hoc potiſſimum in illis Christi verbis Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*: in qoibus videtur promitti effectus ille reſurrectionis glorioſæ huic ſacramento, non qoidem abſolute, vt aliqui ſtolte dixerunt: ſed debita coodiuione poſita moriendi in gratia Dei.

Hoc totum fundatur in Christi verbis.

105\. Quomodo aotem hic ſit Eucharistiæ effectos potius, quam aliorum Sacramentorum, difficile apparet, cum beatitodo corporis conſequatur ex natura rei beatitudinem animæ, cuius ſemen eſt gratia ſanctificans, quam omnia ſacramenta caoſant, atque adeo non minus glorioſam reſurrectionem operabuntur. Ad hoc varia dicuntur, quæ apud prædictos Auctores videri poſſunt. Veriſimilior explicandi modus ille eſt, vt communis ille effectus peculiariter tribuatur huic ſacramento duplici potiſſimum titulo: Primos eſt, quatenus ei peculiariter tribuitur adeptio gloriæ, vt ſupra vidimus, eo quod per modum cibi ordinetur ad producendum hominem ad ſtatum perfectum, & ad dandam perſeuerantiam in gratia. Secundus, & magis ſpecialis eſt, quatenus ratione coniunctionis carnis Christi cum carne digne communicantis, fit aliquomodo vna caro, & per conſequens ſicut carni Christi debetur glorioſa vita, ſic ſuo modo debeatur illi, quæ aliquo etiam modo eſt caro Christi. Vnde qoemadmodum carni Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, qoæ coniunctionem habuit aliquam cum Christi corpore, quod nooem menſibus vtero habuit, debita erat ex decentia reſurrectio glorioſa poſt breuiſſimā illam tridoi morulam: ſic aliis cum proportione, qui idem Christi corpus digne percipiunt, & in ſtomacho retinent, non quidem ita breuis, ſed ſaltem ſuo tempore debetur ex maxima decentia reſurrectio glorioſa; vt caro illa, quæ domos fuit, & templum, in quo realiter Christus habitauit, in debito ſit honore, & veneratione Nec obſtat, reſurrectionem illam debitam eſſe titulo gratiæ ſanctificantis, vndecumque habita ſit: non enim eſt nouum ſacramentum aliquod ordinati ſpecialiter ad aliquem effectum; qui abſque illo ſacramento poſſet ex vi aliorum Sacramentorum, vel etiam abſque illis haberi. Sic Confirmatio ordinatur ad vires, & auxilia, qoibus bomo fidem ſoam profiteatur; qoæ auxilia poſſent bene ex Eucharistia haberi, qui ordinatur ad dandum robor, & vires ad ſuperandas tentationes. Coofirmatio tamen ordiotur ſpecialiter ad illum effectum, quem Eucharistia non ita ſpecialiter reſpicit, ſed ſub ratione communi roboris ad perſeuerandum in gratia: ſic etiam Eucharistia ſpecialiter confert gratiam ad bonc effectum reſorrectionis glorioſæ, quem effectum formaliter intendit, cum ab aliis Sacramentis non intendatur formaliter; licet conſequatur ad effectum eorum, nempe gratiam ſanctificantem.

Duplici titulo hic effectus huic ſacramento tribuitur. Primus eſt.

Secundus & magis ſpecialis.

Non eſt nouū aliquod ſacramentum ordinari ad aliquem effectum qui abſque illo poſſet haberi.

106\. Dices, hæc omnia ſunt nomina, aut tituli ſine re: nam re ipſa quid plus homo habet ratione Eucharistiæ io ordine ad reſurrectionem glorioſam, quam qui hoc ſacramentum oon accepit, cum noo minus hic reſurrecturus ſit, quam ille? Reſpondet Soarez, illum primum accipere reſurrectionem ploribus titulis. Hoc tamen non ſatisfacit; qnia habere rem pluribus titulis non eſt motiuum aptum, vt homines alliciantur ad hoc ſacramentum, prout Christus eos volebat allicere, quando reſurrectionem promiſit manducanti hunc cibum. Nam ſicut ſi eadem pœna infligenda eſſet propter peccata ſequentia, illa multiplicario titulorum non deterreret, ſed prouocaret potius homines ad noua peccata, ſcientes, nihil pœnæ ſuperaddendom, ſed eamdem ponendam pluribus titulis, de quo ipſi parum curarent: ſic è contra, quod eadem reſurrectio detur propter plures titulos, non eſt motiuum alliciens ad bene operandum, vel ad procurandum hoc ſacramentum, ſi nihil aliud emolumenti ex illa titulorum multiplicitate ſequatur.

Inſtabis.

Reſpondet Suarez.

107\. Aliter ergo reſpondere poſſumus, hoc ſacramentum non addere ſolum titulum nouum, ſed rem nouam, ad quam dat titulum. Nam ſicut datur etiam hoc ſacramentum ad perſeuerantiam, quæ certe poſſet haberi etiam, & aliquando habetur abſque illo: non dat tamen ſolum titulom, ſed ratione noui tituli confert maiora, vel alia auxilia ad perſeuerandum, quæ dantur intuitu huius ſacramenti vltra illa, quæ alias darentur; & ſicut Confirmatio confert ſpecialiter ad profeſſionem fidei, quo quidem baberi poſſet, & ſæpe habetur abſque illo ſacramento; non tamen dat ſolum nouom titulum, ſed alia auxilia, quæ dantur intuitu Confirmationis vltra ea, quæ aliàs darentur: ſic etiam Eucharistia non dat ſolum nouum titulum ad reſurrectionem glorioſam, ſed titulum operantem nouum effectum. Primo, quatenus in ordine ad eum finem confert nouum augmentum gratiæ ſanctificantis, quæ auget etiam reſurrectionem non in ſuo eſſe ſubſtantiali; ſed in ratione reſurrectionis glorioſæ; ſiquidem quo maior eſt gratia, & gloria animæ, eo maior eſt etiam gloria corporis reſurgentis, atque ideo creſcit effectus in ea ratione, in qua eſt effectus Eucharistiæ, neque enim promittitur ratione huius ſacramenti reſurrectio nuda, quæ communis eſt prædeſtinatis, & reprobis, iuſtis & peccatoribus, ſed reſurrectio ad vitam glorioſam, qui effectus accipit magis, & & minus, & creſcit re ipſa, & non ſolum ſecundum titulum ratione huius Sacramenti. Secundo confert ad eumdem effectum, quatenus in ordine ad eumdem finem reſurrectionis glorioſæ, quam intendit, confert maiorem etiam gratiam actualem auxiliorum, Inſpirationum, protectionis diuinæ, &c. Sicut enim confert eiuſmodi auxilia io ordine ad perſeuerantiam, quam intendit; ſic etiam in ordine ad gloriam corporis, quam ſimiliter intendit ex ſua inſtitutione. Et ſicut Confirmatio confert noua auxilia ad profitendam fidem, & ideo non dat ſolum nouum titulum, ſed rem etiam nouam: ſic Eucharistia confert noua auxilia ad obtinendum illum finem glorioſæ reſurrectionis. Coofert ergo Eucharistia ad reſurrectiooem glorioſam corporis

Reiicitur. Aliter reſpōdere poſſumus.

Eucharistia dat ad reſurrectionem titulum operantem nouum effectū. Primo, nouū augmentum gratiæ ad illum finem.

Secundo ad eūdem finem gratiam actualem maiorem.

poris vtroque modo, ſcilicet remote, & proxime: remote quidem, quatenus confert auxilia, quæ per debita media conducunt hominem ad conſequendam corporis gloriam: proxime vero, ſeu minus remote, quatenus poſt mortem hominis, Euchariſtia prius ſuſcepta, ſeu gratia ſanctificans per Euchariſtiam acquiſita, & adhuc permanens exigit proxime reſurrectionem illius corporis glorioſam debitam illi ſacramento. In quo ſenſu intelligunt

Apoc. 6. aliqui illud Apoc. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes, Vſquequo Domine (ſanctus, & verus) non iudicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra? Et data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi.* Vbi cenſent aliqui, ſignificari exigentiam reſurrectionis glorioſæ, quæ dum differtur, donec compleatur numerus electorum, accipiunt ſinguli ſtolas albas, beatitudinem ſcilicet animæ. Notant autem clamorem illum procedere potiſſimum ab animabus, quæ ſub altari ſunt, quia nimirum ex altaris ſacramento, quod digne perceperunt, habent nouum titulum ad exigendam corporis gloriam, quod tamen intelligi debet in ſenſu explicato, vt non ſolum habeant nouum titulum, ſed titulum ad nouam, & maiorem gloriam reſurrectionis propter coniunctionem corporis Chriſti cum eorum corporibus.

Qua vnio corporalis & vera intercedat inter Chriſti corpus & noſtrum. Reſtat nunc præcipua difficultas, quoad primum effectum, an detur vnio corporalis & vera inter Chriſti corpus & noſtrum? quæ quidem controuerſia celeberrima fuit ante aliquot annos propter Cardinalem de Mendoza Burgenſem Antiſtitem, qui id affirmauit in concione quadam, & poſtea libro ad hoc edito ſuam propoſitionem defendit; quam plurimi Theologi Complutenſes, & Salmanticenſes acerrime impugnare & notare voluerunt. Cæterum iam hæc quæſtio magna ex parte compoſita eſt, & reducta ad quæſtionem de nomine, in qua de re ipſa vix poteſt eſſe diſſidium. Omnes enim debent in hoc conuenire, quod nulla intercedit vnio hypoſtatica, aut continuatiua, vel materiæ, & formæ, nec vlla alia phyſica, & propria; cum nec excogitabilis ſit, nec explicari poſſit. Cæterum adhuc concedi poteſt, intercedere aliquam vnionem, non ſolum quatenus corpus Chriſti ſuo contactu ſanctificat corpora noſtra, ſicut olim veſtes, & nunc vaſa, quibus continetur; ſed etiam aliam vnionem moralem cum corpore digne communicantis, quæ non ſit cum indigne communicante; quia licet eadem ſit approximatio localis cum vtroque: in vno tamen habet rationem vnionis, in alio non. Nam ſicut inter coniuges illa approximatio localis corporum dicitur vnio; ſic etiam in hoc ſacramento, quia eſt coniunctio corporum per amorem, & affectum ad opus coniunctionis peruenientem: quare hæc vnio non datur cum peccatore. Ex hac vnione prouenit, vt iam Chriſtus reputet illam, tanquam carnem peculiari titulo ſuam, & cui peculiari nomine debeat conſulere, *nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit.* Et in hoc ſenſu dixerunt ſæpe Patres, intercede hic vnionem corporalem, & non ſiſtentem in ſolo affectu, & gratia, ſicut cum quolibet iuſto. Videatur Pater Vaſquez *diſput.* 204. qui

Vaſq. optime totam controuerſiam comprehendit, & nihil addendum occurrit: ideo illam totam omitto.

DISPVTATIO XIII.

De Vſu, & de Subiecto capaci ad ſuſcipiendam Euchariſtiam.

SECTIO I. *Quotuplex ſit ſumptio Euchariſtiæ? & an qui non eſt baptizatus, ſit capax huius ſacramenti?*

SECTIO II. *De infantibus, & perpetuo amentibus, an ſint capaces Euchariſtiæ.*

SECTIO III. *De iis, qui ante amentiam vſum rationis habuerunt, an ſint capaces Euchariſtiæ.*

SECTIO IV. *An ſit præceptum non dandi Euchariſtiam pueris ante aliquam ætatem & quid in dubio de capacitate?*

SECTIO V. *De adultis, qui debilem vſum rationis habent, præſertim de Indis, an ſint ab Euchariſtia repellendi? an qui de Energumenis.*

QVæ reſtant, magis pertinent ad mores, & ad præcepta circa vſum huius Sacramenti; quare magis ſpectant ad Theologum Moralem, qui explicat caſus conſcientiæ. Cæterum quia ad Theologum Scholaſticum pertinet explicare à priori fontes, & radices eiuſmodi obligationum, fundamenta præcipua huius doctrinæ trademus; particulares vero caſus remittemus ex parte ad Theologos Morales.

SECTIO I.

Quotuplex ſit ſumptio Euchariſtiæ? & an qui non eſt baptizatus, ſit capax huius Sacramenti?

COmmuniter diuiditur ſumptio Euchariſtiæ in Spiritualem tantum, Sacramentalem tantum, & Spiritualem ſimul, ac Sacramentalem; quæ diuiſio deſumitur ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 8. *& ſeſſ.* 21. *c.* 6. Spiritualis tantum eſt, quæ fit per ſolum affectum, & deſiderium ſumendi. Sacramentalis tantum eſt, qua Sacramentum re ipſa ſumitur, ſed abſque fructu propter obicem. Sacramentalis ſimul & Spiritualis eſt, qua re ipſa accipitur Sacramentum cum fructu. Poſſet addi quarta ſpecies ſumptionis materialis vt quando accipitur ab Ignorante, ſed comedente hoſtiam vt panem communem: illa enim non ſolet appellari ſumptio Sacramentalis, quia non accipitur cum intentione accipiendi Sacramentum. Talis etiam cenſeri ſolet ſumptio, quæ à non baptizato ſumeretur; quia neque in ordine ad illud ſubiectum habet ſignificationem Sacramentalem; ſicut neque in ordine ad brutum, aut lapidem; quare etiamſi non adſit obex peccati, non conferet effectum, eo quod non ſit inſtitutum, niſi pro tali ſubiecto baptizato, de quo mox dicemus. 1. *Duplex ſumptio Euchariſtiæ.* *Sacramentalis & ſpiritualis.*

Quod attinet ad ſumptionem mere ſpiritualem, notandum eſt, illam non eſſe proprie ſumptionem huius Sacramenti; quia ſicut votum Baptiſmi non eſt vera receptio Sacramenti Baptiſmi: ſic nec deſiderium Euchariſtiæ eſt vera receptio illius Sacramenti, ſed impropria. Notandum eſt ſecundo, aliquos velle, quod illa ſumptio habeat aliquem effectũ ex opere operato virtute ipſius Euchariſtiæ vltra illum effectum, quem operatur ex opere operantis; 2. *Notandum pro ſpirituali.*

tis; ſicut alia omnis merita. Quibus videtur fauere modus loquendi Tridentini dicta *Seſſ.13. cap.8.* dū dicit aliquos ſumere hoc Sacramentum *tantū ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto illum cæleſtem panem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem ſentiunt.* Oppoſitum tamen tanquam certum docent communiter Theologi; Suar. *diſp.62. ſect.1.* Vaſq. *diſp.212. c.1.* & alij; talis enim effectus nō habetur ex Chriſti promiſſione, nec vllum Sacramentum talē modum operandi habet, vt det gratiā ex opere operato propter ſolum deſiderium ipſius. Nec Tridentinum id ſignificat in prædictis verbis, quorum duplex poteſt eſſe ſenſus, primus, eos, qui ſpiritualiter effectu, & deſiderio accipiunt hoc ſacramentum, ſentire fructum eius, hoc eſt, gratiā, quam ex reali communione perciperent; affert enim illud pium deſiderium augmentū gratiæ & donorum Dei; imo ſæpè continget, vt aliquis ex ſpirituali communione plus gratiæ acquirat, quā alius iuſtus ex ſacramentali, propter exceſſum feruoris; quare licèt non accipiat illam gratiam ex opere operato ab ipſo Sacramento, accipit tamen illam ab ipſo Sacramento obiectiuè, hoc eſt, propter deſiderium, quod ideo eſt bonum, & piū, quia terminatur ad illud ſacramentum, quod ſufficit, vt dicatur ſentire fructum Sacramenti, quod deſiderat: ſicut qui deſiderat vitam pro Chriſto profundere, dicitur percipere fructum ſui deſiderij, & fructum martyrij, quod deſiderauit; prout de S. Martino canit Eccleſia, quod *etſi gladius perſecutoris animam non abſtulit; palmam tamen martyrij non amiſit.* Secundus ſenſus eſſe poteſt, *ſentire eius fructum,* hoc eſt, Sacramenti deſiderati: ſentit enim fructum Sacramenti, non realiter, ſed voto ſuſcepti; de quo ibi ſermo erat; qui fructus non eſt ex opere operato, ſed operantis. Addere poſſumus tertio, credibile eſſe, eum, qui ſpiritualiter, & feruenti deſiderio ſuſcepit Euchariſtiam, accipere fructus ſecundarios ipſius, non per modum meriti de condigno, ſed de congruo, aut impetratorie, eo quod miſericors Deus ob dignitatem huius Sacramenti, quod illa anima ardenter concupiſcit, det ei victoriam tentationum, auxilia, ſpiritualē dulcedinem, alioſque ſimiles fructus ipſius ſacramēti. ſcimus enim aliquas fideles, & pias animas in eiuſmodi deſiderio, & feruore ſētire ſolitam dulcedinem etiam ſenſibilem in ore; quā alij in ipſa reali cōmunione experiri merentur.

3\. *Quodnam ſubiectum ſit capax ad recipiendum hoc Sacramentum.* Hoc ſuppoſito, quæritur iam de ſubiecto capaci ad recipiendam ſacramentaliter Euchariſtiam. Et quidem certum eſt, debere eſſe hominem; pro ipſis enim ſolis inſtituta ſunt ad Chriſto Sacramenta, præſertim iſtud, quod per veram manducationem, & potationem debet applicari, qualis eſſe non poteſt in Angelo, ſed ſolum apparens. Inter homines verò dubium eſſe poteſt, primo de catechumenis; ipſi enim, præſertim ſi ſint in ſtatu gratiæ, videntur capaces, cum iam ſint Chriſti membra per fidē, & charitatem. Vnde hanc ſententiam amplexus videtur Marſilius *in 4. q.6. art.2.* & quod plus eſt, Innoc. III. in c. *Veniens*, de Presbytero non baptizato, eam videtur ſupponere; nam propoſito in dubio an ſacerdos non baptizatus debeat iterum poſt Baptiſmum Ordinari, pro parte negatiua affert, quod catechumenos capax eſt Euchariſtiæ, & licèt poſtea concludat, illum debere iterum ordinari, ſed tamen id ſolum præcipit propter dubium, & quia tutius erat; & denique argumentum illud de capacitate Euchariſtiæ, non reiicit. *Marſilius. Innoc. III.*

4\. *Catechumenus non eſt capax Euchariſtiæ.* Theologi tamen communiter tamquam certum ſupponunt, catechumenum non eſſe Euchariſtiæ capacem; & quidem Eccleſiæ vſus perpetuus id ſatis conuincit, nam licèt infantibus data fuerit Euchariſtia? catechumeno tamen, quantumcumque ſancto, aut eximiæ dignitatis, numquam datam legimus. Ratio autem fundamentalis eſt, quia Baptiſmus eſt ianua ſacramentorum, quæ cum ſint ſigna externa, & viſibilia gratiæ, ſolum competunt iis, qui ſunt iam, non ſolum interius per fidem, & charitatem, ſed etiam exterius membra Eccleſiæ. Adde, ſacramenta hæc relicta eſſe, vt ab Eccleſia Paſtoribus, tamquam ſalubria paſcua ouibus miniſtrentur. Debet ergo prius homo fieri ouis intra Chriſti gregem viſibilem; vt Eccleſiæ Paſtores poſſint eum ſacramentaliter paſcere. *Debet prius homo fieri ouis Chriſti quam paſci.* Nam licèt Baptiſmus non ſupponat ouem illum, cui confertur, quia nimirum ipſe eſt primus in Eccleſiam ingreſſus; per ipſum tamē fit ouis, & ita confertur verè à Paſtore ouibus, non quæ prius erant, ſed quæ iam ſunt, quādo baptizātur. Catechumenus autem accipiens Euchariſtiam non acciperet à Paſtore, nec tunc fieret ouis per illud ſacramentum. Denique cum ex ſua inſtitutione ſignificet nutritionē, ſupponit iam genitum illum, cui confertur, quod fit per Baptiſmum, nam licèt per charitatem poſſit iam prius habere vitam internam gratiæ, nondū tamen eſſet viſibiliter genitus in Chriſto, prout requiritur ad nutritionē viſibiliter ſignificatam; ſicut enim generatio illa eſſet merè interna, ſic ſufficeret ad nutritionem internā, & augmentū gratiæ per bona opera; ad nutritionem vero per ſigna externa prærequiritur generatio etiā ſenſibiliter ſignificata per ſigna externa.

5\. *Poſſet aliquis reſpondere.* Poſſet aliquis reſpondere, axioma illud, quod Baptiſmus ſit ianua aliorum ſacramentorum, verum quidē eſſe, ſed debere intelligi cum proportione debita. In aliis enim ſacramentis duo poſſunt cōſiderari, ſcilicet id, quod viſibile eſt, & id, quod inuiſibile. Et quidem viſibile Baptiſmi requiritur ad viſibile aliorum ſacramentorum; indiuiſibile verò Baptiſmi requiritur ad indiuiſibile etiam aliorum ſacramentorum, quod eſt dicere, ſubſtantiam Baptiſmi requiri ad ſubſtantiam, effectum verò requiri ad effectum aliorum ſacramentorum. Sic ergo prærequiritur omnino Baptiſmus ad ſuſcipiendum validè Ordinē, vel Confirmationem, &c. quia hæc ſacramenta non ſolum quoad effectum, ſed quoad ſubſtantiam ſuam, pendent ab agente, ſeu miniſtro à paſſo, ſeu recipiente, ideo vtriuſque capacitas attenditur ad ſubſtantiam ipſam ſacramenti: vnde non poſſunt validè fieri, niſi vterque, & agens, & patiens, ſint intra Eccleſiam per Baptiſmum. At verò quoad effectum ſuum, gratiæ ſanctificantis, non pendent à ſubſtantia Baptiſmi, ſed ab eius effectu. Vndè idem ſuo modo locum habet in Euchariſtia; hæc enim etiam quoad ſubſtantiam pendet à ſubſtātia Baptiſmi: quoad effectum verò ſolum pendet à ſubſtantia Baptiſmi, effectu, qui eſt gratia ſanctificans. Subſtantia autē huius ſacramenti non pendet ab applicatione, vel vſu, ſed tunc fit, quando conſecratur, & ideo tunc pendet à Baptiſmo miniſtri cōſecrantis, quia Baptiſmus ſecundum ſuā ſubſtantiā prærequiritur ad alia ſacramenta ſecundū ſubſtantiam: poſtea verò quando Euchariſtia ſumitur, non fit ſacramentū quoad ſubſtantiā, ſed quoad effectū, & ideo tunc nō pendet à ſubſtātia Baptiſmi, ſed ab effectu Baptiſmi, hoc eſt, à gratia ſanctificante, quæ prærequiritur ad effectum inuiſibilem Euchariſtiæ.

6\. *Hæc reſponſio eſt contra mentem Theologorum.* Hæc tamen reſponſio videtur eſſe contra mentem & ſenſum Theologorum omnium, qui certè, quando dicunt, Baptiſmum eſſe ianuam ſacramentorum, non tam intelligunt de ianua per quam ipſa ſacramenta intrent in Eccleſiam, & fiant in ſeipſis, quam de ianua, per quam nos intramus ad ipſa recipienda

cipienda quia ſicut per Baptiſmum intramus in Eccleſiam, ita per Baptiſmum intramus ad Eccleſiæ ſacramenta participanda. Imo ſi res attentè conſideretur, Baptiſmus ideo requiritur in miniſtro ad validè conficiendum ſacramentum, quia requiritur in miniſtro aliud ſacramentum, ſine quo non poteſt eſſe miniſter. Vndè ideò obſtat defectus Baptiſmi in miniſtro, quia ſine Baptiſmo non potuit recipere ſacramentum Ordinis, ſine quo non eſt validus miniſter Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-vnctionis, & Ordinis: in Matrimonio autem prærequiritur Baptiſmus, non quia miniſtri sũt, ſed quia recipiunt ipſum ſacramentum. Vnde aliqui dicunt matrimonium baptizati cum non baptizata ex diſpenſatione Pontificia factum eſſe verum ſacramentum in baptizato, licèt miniſter, qui eſt alter coniux, non ſit baptizatus: illi autem qui negant, illud eſſe ſacramentum, non ideo id negant, quia miniſter non eſt baptizatus, ſed quia illud ſacramẽtum debet eſſe vnum, & idem in vtroque coniuge, & ideo quãdo vterque non eſt capax recipiendi illud propter defectum Baptiſmi, non poteſt dari ſacramentum incompletum, quod ex ſua eſſentia exigit duplex ſubiectum. Denique ad conferendũ Baptiſmum validum, quia non prærequiritur Ordo, nec aliud ſacramentum in miniſtro, hinc eſt, quod licèt non ſit miniſter baptizatus, ſacramentum erit validũ: non ergo eſt Baptiſmus ratione ſui ianua ad conferenda ſacramenta, ſed ad recipienda; ad conferenda verò, quatenus requiritur aliud ſacramentũ, quod ſine Baptiſmo nõ potuit recipi à miniſtro. Requiritur ergo nõ minus Baptiſmus ad recipiendã validè Euchariſtiã, quam ad alia omnia ſacramenta.

7\. *Innocentius oppoſitum nõ docuit.*

Nec Innocentius in dicto cap. *Veniens*, oppoſitũ docuit; loquitur enim diſputando pro vtraque parte, adductis vtrimque rationibus, quas non oportebat omnes eſſe veras, cum eas ex aliorum ſententia referat, & non ſolum Euchariſtiæ, ſed etiam ſacramenti Matrimonij capacem dicerent non baptizatum; quod tamen conſtat eſſe manifeſtè falſum. Denique reſoluit, Ordinandum denuo eſſe poſt Baptiſmum; præſcindendo enim à probabilitate vel improbabilitate contrariæ partis, hæc pars erat magis tuta, & iuxta decretum cuiuſdam Concilij, quod ibi affert.

SECTIO II.

De infantibus, & perpetuò amentibus, an ſint capaces Euchariſtiæ.

8\. DE infantibus eadem eſt ratio ac de amentibus ab infantia: de vtriſque quæritur, an ſint capaces huius ſacramenti? In quo puncto oportet diſtinguere duas quæſtiones valdè diuerſas. Prima eſt, an ſit neceſſaria paruulis Euchariſtia: in qua quæſtione certa eſt pars negatiua, & definita in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 21. *c.* 4. & *can.* 4. & conſtat ex dictis ſupra *diſp.* 3. *ſect.* 2. de neceſſitate huius ſacramenti. Altera quæſtio eſt, an ſumptio huius ſacramenti fructuoſa, & ſacramentalis poſſit eſſe eiuſmodi perſonis; in qua quæſtione neutra pars videtur eſſe definita, & ideo variæ Theologorum ſententiæ.

Prima quæſtio an Euchariſtia ſit neceſſaria paruis, certa eſt pars negatiua.

Secunda an illis poſſit eſſe fructuoſa.

9\. *Prima ſententia negat Vaſquez.*

Prima negat, paruulos eſſe capaces fructus huius ſacramenti. Hanc tenent Alexand. Palud. Maior, Petrus Soto, Caietanus, & alij apud Vaſq. *diſp.* 212. *cap.* 2. Dominicus verò Soto anceps fuit in hoc pũcto in varijs locis ſcilicet, *in* 4. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 9. §. *Nihilhominus licèt, & diſp.* 7. *q. vnica. art.* 8. *ad* 4.

Secunda affirmat.

Secunda ſententia affirmat, eſſe capaces, & recipere poſſe gratiæ augmentum per Euchariſtiam, Hanc tenent communiter Theologi antiquiores, quos referunt, & ſequuntur Vaſquez vbi ſupra, & Suarez *diſp.* 62. *ſect.* 4. & eſt communis omnibus recentioribus.

Tertia diſtinguit.

Tertia ſententia media eſt aliquorum, qui concedunt olim Euchariſtiam dediſſe gratiam paruulis; addunt tamen, hodie non habituram eiuſmodi effectum, propter Eccleſiæ prohibitionem. Rationem verò reddunt, quia ſacramentum debet recipi voluntariè, vt proſit, & conferat effectum, ſcilicet per voluntatem propriam in adultis, & per voluntatem Eccleſiæ in paruulis. Cum ergo olim concurreret eiuſmodi voluntas Eccleſiæ, quæ Euchariſtiam paruulis dabat, poterat ſacramentum conferre gratiã; nunc autem non poteſt, quia non concurrit, ſed potius reſiſtit Eccleſiæ voluntas; cum prohibeat miniſtrare paruulis Euchariſtiam.

10\. *Secunda ſententia, vera eſt.* *Fundamentum eius eſt vſus antiquus Eccleſiæ.*

Nobis ſecunda ſententia, quæ communis eſt, videtur omnino vera; cuius præcipuum fundamentum deſumitur ex vſu antiquo Eccleſiæ dandi paruulis Euchariſtiam, qui certè vſus licitus non fuiſſet, ſi in eis non poſſet ſuum effectum habere; ſicut nec liceret dare illam catechumeno, etiam ſi ſit in gratia, propter eamdem rationem, nec homini mortuo, aut bruto; quia id eſſet fraudare ſacramentum ſuo effectu: ſupponebant ergo Patres antiqui, paruulos eſſe capaces fructu huius ſacramenti.

11\. *Colligitur ille vſus ex Concilijs.*

Porro morem illum in veteri Eccleſia fuiſſe, colligitur ex *Concil. Tolet.* 11. *can.* 11. Gregorio Magno in veteri Miſſali, Cypriano *Serm.* 5. *de lapſis*, quem refert Auguſt. *Epiſt.* 23. ad Bonifacium; quæ teſtimonia videri poſſunt apud Vaſquez loco citato, & apud Suarez, qui addit duo loca Dionisij, ſed in neutro eſſe ſermonem de hoc puncto, contendit Vaſquez cum aliis. Addit etiam Auguſtinum *lib. de Euchariſt. dogmatibus cap.* 52. (is tamen liber non creditur Auguſtini, ſed Gennadij) relatum in cap. *ſi qui apud illos.* 28. de conſecrat. *diſt.* 4. quem etiam locum gloſſa dicit, intelligi de adultis. Sed textu videtur repugnare, cum expreſsè loquatur de omnibus, etiam paruulis, eoſque dicat (reſpondente pro illis, qui eos offert) baptizari debere, & Euchariſtiam accipere. Affert etiam Suarez alia Auguſtini loca, quæ tamen Vaſquez dicit non intelligi de manducatione ſacramentali, ſed altarius rationis. Addi poteſt Euagrius *lib.* 4. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 35. vbi narrat, conſuetudinem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ fuiſſe, vt ſi multæ particulæ Euchariſtiæ ſuperfuiſſent, accerſerentur pueri ex ſchola, qui eas conſumerent. Idem habetur apud Nicephorum 15. *hiſt. cap.* 25 quem vſum approbauit, & præcepit Concilium Matiſconenſe 2. *cap* 6. his verbis: *Quæcumque reliquiæ ſacrificiorum poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſederint quarta, vel ſexta feria innocentes ab illo, cuius intereſt, ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis ieiunio eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant.* Vbi per innocentes claré intelliguntur qui peccati capaces non ſunt. De infantibus etiam loquitur expreſsè Albinus Flaccus Alcuinus in lib. de Diuinis Officiis cap. de ſabbatho S Paſchæ, vbi loquens de Baptiſmo infantiũ, ſubdit: *Poſtea veſtitur infans veſtimentis ſuis: ſi verò Epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari eũ oportet Chriſmate, & poſtea Cõmunicare: & ſi Epiſcopus deeſt, cõmunicetur à presbytero dicẽte ita: Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternã.* Et poſt alia addit: *Sed & hoc prouidendum eſt, vt nullum cibum accipiant, neque lactentur, antequam communicẽt. Omni autem die vſque in Octauis ad Miſſam veniant, & communicẽt: parentes verò oblationes pro ipſis faciant.* Floruit autem hic auctor tempore Caroli Magni, cuius præ-

Niceph.

Albinus.

ceptor-

culos præceptor fuit, atque ideo circa annum 770. Sed multo poſtea eundem fuiſſe vſum in Eccleſia Latina conſtat ex Hugone de S. Victore *lib. de Sacramentis cap. 20.* vbi ſic ait: *Pueris recens natis idem Sacramentum in ſpecie ſanguinis eſt miniſtrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter ſugere poſſunt* Floruit autem Hugo circa annum 1130. Hoc ipſum habetur expreſsè in Ordine Baptiſmi Æthiopum, qui habetur in *tom. 4.* Biblioth. Patrum; vbi poſt Baptiſmum, & vnctionem Chriſmatis ſic legitur: *Poſtea ſumant Sacramentum ſanctum, & viuificans, ſpondente Sacerdote pro eis, corpus ſcilicet ſanctum, & ſanguinem venerandum Domini Dei, & Redemptoris noſtri Ieſu Christi.* Ad marginem vero additur hæc notanuncula: *Videlicet ſi adulti ſint; alioquin enim pollicem tantum immittit in Christi ſanguinem, & eorum lingua immittit.* Quod videtur conforme vſui adhuc hodie perſeueranti apud Græcos etiam Catholicos, qui paruulis ſaltem in ægritudine dant Euchariſtiam ſub vna ſpecie, ſcilicet ſub ſpecie vini; vt fit apud Ruthenos, & magis vniuerſaliter apud Græcos etiam Catholicos, vt teſtatur Petr. Arcudius de Sacramentis Eccleſiæ Orientalis *lib. 5. cap. 40. & lib. 1. cap. 13.* Ex quibus apparet, quotè ſatis loqui Catechiſmum Romanum *part. 2. de Sacramento Euchariſtiæ, §. 61.* dum dicit: *Veterem fuiſſe in quibuſdam locis conſuetudinem, vt infantibus etiam Sacram Euchariſtiam præberent.* Conſtat enim ex ſupra adductis, in omnibus ferè prouinciis vſum illum viguiſſe; nam in Orientali Eccleſia hodie durat; in Occidentali vero, ſeu Latina vidimus, Africam, Hiſpaniam, Galliam, Romam ipſam hunc morem tenuiſſe, vt omittam Æthiopes & Ruthenos, qui hodie etiam eum ritum obſeruant, ſed ij magis ad Orientalem Eccleſiam ſpectare videntur. Quæ omnia ideo attuli: quia P. Suarez *d. diſp. 62. ſect. 4.* circa medium iudicat, tenuem haberi notitiam illius antiqui vſus, illam ſcilicet, quæ ex paucis locis ab ipſo adductis colligi poterat: ſed re vera conſuetudinem illam fuiſſe ſatis receptam, negari non poteſt, vt ex ſupra adductis ſatis conſtat.

Hugo de S. Victore.

Arcudius.

Catechiſm. Roman.

13\. Ratio denique à priori eſt, quia paruuli capaces ſunt aliorum ſacramentorum, ad quorum effectum magis videbatur requiri rationis vſus, quam ad Euchariſtiam. Matrimonij quidem capaces non ſunt, quia eius materia eſt contractus humanus qui abſque rationis vſu fieri non poteſt. Extremam etiam Vnctionem non poſſunt accipere, quia nondum potuerunt peccata committere, ad quarum reliquias tollendas ordinatur illud Sacramentum: vt conſtat ex eius forma. Alia vero Sacramenta accipere poſſunt validè: ergo & hoc quod ordinatur ad nutritionem, & augmentum gratiæ, ad quod ſolum ſupponitur generatio & vita ſpiritualis, quæ data fuit per Baptiſmum.

Ratio à priori eſt, quia etiam ſunt capaces aliorum Sacramentorum.

14\. Hinc infero, immeritò aliquos dixiſſe, conſuetudinem illam antiquam dandi Euchariſtiam paruulis ortam fuiſſe ex errore, quo putabant, Euchariſtiam eſſe paruulis neceſſariam. Sed hæc reſponſio non videtur ſatis conſona Tridentino, vbi ſupra in illis verbis: *Vt enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè eos nulla neceſſitate id feciſſe, ſine controuerſia credendum eſt.* in quibus verbia duo ſtatuuntur, ſcilicet, Patres illos probabilem rationem habuiſſe illius conſuetudinis, eam tamen rationem non fuiſſe neceſſitatem id faciendi: fuit ergo iuxta Concilij mentem alia ratio probabilis præter neceſſitatem. Vnde Dominicus Sotus, qui *diſt. 8. art. 5.* dicit, propter illam rationem ortam ex errore, fuiſſe introductam eiuſmodi conſuetudinem, excuſari poteſt, eo quod ipſe obierit anno 1560. die 15. Nouembris: illa autem ſeſſio 21. Tridentini celebrata fuit die 16. Iulij anno 1562. Ex eiſdem autem Tridentini verbis colligitur, quod Petr. de Soto *lect. 8. de Euchariſtia* dicit, illud fuiſſe abuſum: conſtat enim ex Tridentino, id probabili aliqua ratione factum fuiſſe. Et quidem quantum ex prædictis verbis colligi poteſt, ratio illius conſuetudinis magis apta erat pro tempore illo, quam pro noſtro, vt indicant verba illa: *pro illius temporis ratione* verbi gratia, ſicut maior deuotio, & reuerentia, qua fideles afficiebantur erga hoc Venerabile Sacramentum, poterat vel obuiare, vel certè præponderare periculis irreuerentiæ, quæ oriri poterant, ex communione laica ſub vtraque ſpecie; ſic potuit impetrare facilius communionem paruulorum, quæ tamen poſtea, decreſcente feruore, & reuerentia, creſcente autem periculo irreuerentiæ, ablata eſt, ſicut & communio ſub vtraque ſpecie. Adde, ſicut hæc ſublata fuit ad reſiſtendum errori eorum, qui dicebant, non contineri totum Chriſtum ſub ſingulis ſpeciebus, & neceſſariam eſſe vtriuſque ſpeciei ſumptionem ad ſalutem: ſic ſimili fortaſſe ex cauſa ablatam fuiſſe communionem paruulorum ad confutandos eos, qui illam neceſſariam eſſe paruulis ad ſalutem dogmatizabant.

Infertur immeritò aliquos dixiſſe hunc vſum eſſe ortum ex errore.

Dom. Soto.

15\. Obiiciunt primò, ad hoc Sacramentum exigi, quod homo *probet ſe ipſum, & ſic de pane illo edat*, quod quidem infans præſtare non poteſt. Reſpondetur, probationem illam ad hoc ſolum exigi, ne aliquis indignè ſumens, iudicium ſibi manducet; atque adeo ſolum exigi in illis, in quibus periculum poteſt eſſe ſumendi indignè, quod periculum cum in infantibus non ſit, non eſt, cur ſe ipſos probent; ſatis eſt, ſi ab Eccleſia probentur, an ſint baptizati.

Obiicitur primò.

Reſpondetur.

16\. Secundo obiiciunt, quia cibus datur ad reſtaurandum id, quod per caloris naturalis actionem deperditur: ſic ergo Euchariſtia datur ad reſtaurandum, quod per fomitis pugnam deperditur: qui effectus in infantibus eſſe non poteſt, qui nihil perdere poſſunt illius effectus, quem in Baptiſmo acceperũt. Reſpondetur facilè, effectum huius Sacramenti non eſſe ſolum ad reſtaurandum, ſed etiam potiſſimum ad augendum, donec perducat ad ſtatum perfectum, cuius augmenti capaces ſunt infantes. Adde, licet ſit ad reſtaurandum, non oportere, iam fuiſſe aliquid deperditum: nã adultus, qui ſtatim poſt Baptiſmum accipit Euchariſtiam, nondum perdidit aliquod prioris fructus: ſufficit ergo, quod detur ad reſtaurandum anticipata reparatione id, quod poſtea poterit fomitis occaſione deperdi, quo pacto infantibus poterit hac etiam ratione vtile eſſe hoc Sacramentum.

Obiicitur ſecundò.

Reſpondetur.

17\. Tertio obiici poteſt, quia ſi infans, vel perpetuò amens poteſt vtiliter & Sacramentaliter communicare, prodeſſe etiam poterit Euchariſtia ei, qui caſu illam comedit, neſciens eſſe conſecratam. Reſpondetur, requiri quidem voluntatem aliquam in adulto, ſicut & ad alia Sacramenta, ideoque illam materialem comeſtionem hoſtiæ adulto non prodeſſe: infanti autem ſicut proſunt alia Sacramenta abſque eius voluntate, ſic poterit & hoc prodeſſe. An vero amens comedens caſu hoſtiam conſecratam, recipiat gratiam; poſtea dicemus.

Obiicitur tertiò.

Reſpondetur.

18\. Reſtat nunc reſpondere ad fundamentum tertiæ ſententiæ, quæ propter defectum voluntatis Eccleſiæ negabat, non poſſe Euchariſtiam cauſare gratiam in paruulis. Et quidem ſi illud argumentum probaret ſuum intentum, probaret etiam Baptiſmum, vel alia Sacramenta in paruulis non eſſe valida, ſi miniſtrentur contra Eccleſiæ prohibitionem. Vnde ſi aliquis baptizet infantem filiũ infidelium abſque parentũ conſenſu, Baptiſmus non eſſet validus, quia prohibitus eſt ab Eccleſia. Idemque dicendum

Ad fundamentum tertiæ ſententiæ reſpondetur.

eſſet, ſi Confirmatio, vel Ordo daretur infanti contra Eccleſiæ prohibitionem, v.g. ſi Epiſcopus in aliena Diœceſi confirmet aliquos infantes abſque licentia proprij Epiſcopi, quæ omnia falſa ſunt, & contra praxim, & ſenſum omnium, qui diſtinguunt communiter quoad hoc inter licitum, & validum. Multo ergo magis debet idem dici in Sacramento Euchariſtiæ, quod quidem non conſiſtit in ſuo vſu, ſed iam ſupponitur validum, & verum Sacramentum eſſe, atque ideo per modum cauſæ neceſſariæ debet operari ſuum effectum; quare licet intentione Eccleſiæ requireretur ad valorem Sacramenti, non tamen poſſet Eccleſia impedire, quod Sacramentum verum, & validum conferat ſuum effectum, vbi non eſt obex, quia quoad hoc, nec ipſe miniſter, nec qui Sacramentum ſuſcipit, poteſt vlla contraria intentione id impedire.

19. *Ad argumentum reſponderi poteſt.* Ad argumentum ergo reſponderi poteſt, in primis etiamſi requireretur intentio Eccleſiæ, eam tamen non deeſſe in hoc caſu; aliud enim eſt prohibere, ne aliquis miniſtret tale Sacramentum paruulo, aliud velle, quod non conferat effectum: poteſt ergo Eccleſia prohibere miniſtro ſuam actionem; velle tamen, quod ſuppoſita illa actione illicita, paruulus ex parte ſua non priuetur effectu Sacramenti: quæ enim vtilitas eſt in eo, quod Sacramentum iam illicitè applicatum careat effectu? Nunquid per hoc vitatur aliqua culpa miniſtri, vel aliqua irreuerentia circa ipſum Sacramentum? Nulla prorſus: vnde non ſolum poteſt, ſed deberet Eccleſia non habere talem intentionem contrariam effectui, quia hoc eſſet abſque vlla neceſſitate fraudare Sacramentum effectu ſuo, quod nullo modo licitum eſt. Sicut ergo ex parte miniſtri prohibet Eccleſia actionem baptizandi infantem, inuitis parentibus infidelibus, & tamen ex parte illius, qui baptizatur, vult quod recipiat verum Sacramentum, & eius effectum, acceptatque illũ intra Eccleſiam: ſic licet prohibeat in miniſtro actionem dandi Euchariſtiam infanti, debet ex parte infantis acceptare Sacramentum, & eius effectum ſaltem propter reuerentiam debitam ipſi Sacramento: maior enim irreuerentia fiet contra Sacramentum fraudando illud ſuo effectu, quam ſi poſtquam datur infanti, acceptetur ex parte ipſius in ordine ad effectum.

20. *Addi poteſt.* Adde, licet corpus Eccleſiæ reſiſteret per contrariam voluntatem, cur non ſufficeret voluntas illius, qui miniſtrat Euchariſtiam paruulo, vt pro ipſo paruulo acceptet Sacramentũ, ſicut ſufficit intentio in baptizante paruulum contra voluntatem totius Eccleſiæ, vt paruulus conſequatur effectum Baptiſmi. Imo ex hoc ipſo exemplo Baptiſmi fieri videtur, quod licet ipſe, qui dat Euchariſtiam paruulo, vellet non conferre ei gratiam, ſufficeret adhuc voluntas illius, qui conſecrauit hoſtiam: ille enim voluit conficere verum Sacramentum cauſatiuum gratiæ in ſubiecto, cui applicaretur; quare ſicut qui conficit Baptiſmum paruuli, eo ipſo vult effectum, quem illud Sacramentum poteſt in paruulo cauſare; nec requiritur alia intentio præter intentionem conficiendi verum Sacramentum: ita qui conficit Euchariſtiam, habet intentionem totius effectus, quem Euchariſtia poteſt cauſare; nec requiritur alia intentio in miniſtrante; atque ideo tam effectus ille in paruulo non eſſet abſque voluntate vlla totius Eccleſiæ.

21. *Ad effectum Sacramenti in paruulo ſufficit volũtas Chriſti inſtituentis.* Denique ad effectum Sacramenti in paruulo ſufficit voluntas Chriſti inſtituentis tali modo illud Sacramentum; & in hoc quidem ſenſu verum eſt, requiri voluntatem Eccleſiæ, vt paruulis proſint Sacramenta, quæ conſenſum præſtat pro ipſis paruulis, quatenus ſcilicet accipitur Eccleſia, prout includit ipſum Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ: ſi autem ſermo ſit de corpore Eccleſiæ, prout diſtinguitur à Chriſto, requiritur quidem voluntas Eccleſiæ ſaltem quoad aliquam perſonam ipſius, ad conficiendum verum Sacramentum; requiritur etiam ad ſolemnitatem debitam voluntas aliquorum, verbi gratia, in Baptiſmo requiritur voluntas eorum, qui offerunt Eccleſiæ puerum baptizandum; ad valorem autem, & ſubſtantiam non requiritur eorum voluntas, ſed ſolius Chriſti, qui ex parte paruoli nullam acceptationem, aut voluntatem alterius acceptantis pro ipſo deſiderat, ſed ſolam applicationem veri Baptiſmi. Vnde quod S. Thomas *ſupra q.68. art.9. ad 1.* dicit paruulos *dici poſſe intendentes, non per actum propriæ intentionis, cum ipſi quandoque contranitantur, & plorent, ſed per actum eorum, à quibus offeruntur.* S Thom. P. Suarez ibi cum aliis bene explicat, non Suarez. intelligi quoad neceſſitatem & ſubſtantiam: ad neceſſitatem enim Sacramenti, *nihil,* inquit, *ex paruulo neceſſarium ex parte ſua, vt ſit capax, quia illi ſufficit voluntas, & intentio Chriſti, per quem regeneratur, tamen ad maiorem ſolemnitatem, & ad ſignificandos effectus, quos Baptiſmus habet in infantibus, vtitur Eccleſia illis cæremoniis, quibus ſignificat, paruulos velle baptizari, credere, & iuſtificari, non propriis actibus, ſed voluntate ſui capitis, ſeu totius corporis Eccleſiæ.* Vnde poſtea *diſp. 29. ſect. 1. §. Deinde argumentum,* infert, Baptiſmum futurum validum, etiamſi Eccleſia nolit, & prohibeat, infantem illum baptizari, quia Chriſtus non reliquit valorem Sacramenti dependentem à voluntate aliorum. Quod idem dici poteſt de Euchariſtia, & aliis Sacramentis, in quibus requiritur quidem conſenſus, & voluntas ex parte recipientis, ſi capax eſt conſenſum præſtandi: ſin vero, Chriſtus ſupplet, & confert illi verum Sacramentum, & effectus illius, dum non deſit intentio requiſita in miniſtro ad faciendum Sacramentum, vt dictum eſt.

Hinc tamen oriri poteſt difficultas; quia ſi non requiritur alia intentio Eccleſiæ, vt Euchariſtia conferat ſuum effectum paruulis; ergo ſi aliquis infans caſu inueniret hoſtiam, vel vinum conſecratum, ipſeque ignarus omnino conſecrationis ex gula, vel leuitate puerili illud ſumeret, acciperet gratiam ſacramentalem: non enim habet ex ſe maiorem voluntatem, aut intentionem quando daretur à Parocho, & aliũ de Eccleſiæ intentio non requiritur. Quare idem dicendum erit de amentibus, qui, ſi caſu inueniant hoſtiam conſecratam, & illam manducent pro cibo profano, gratiam acciperẽt propter eandem rationem. 22.

In hoc puncto diſtinguendum eſt de habentibus vſum rationis, & carentibus illo. Quoad primos, vera eſt doctrina S. Thomæ *in præſenti q 80. art.3. ad vlt.* vbi ait eiuſmodi hominem neſcientem, hoſtiam eſſe conſecratam, non manducare illam ſacramentaliter, ſed per accidens, ſeu materialiter. Rurſus ex illis, qui vſum rationis non habent, quidam ſunt, qui cum prius habuerunt, alij, qui nunquam habuerint, vt infantes, & amentes à natiuitate. De primis poſtea dicemus ſectione ſequenti, quomodo ſint capaces huius Sacramenti: de ſecundis vero dico, verius mihi videri, conſequenter loqui eos, qui concedunt, in prædicto caſu eos gratiã ſacramentalẽ accipere; prout aliqui etiã Theologi graues in Hiſpania reſponderunt: quia in illis nulla intentio præſens, vel præterita deſideratur, ſed ſola Chriſti inſtituentis hoc Sacramentum, & ſolum exigentis voluntatem, & intentionem ab iis, qui capaces ſunt vel fuerunt eam habendi: non ergo apparet, cur Sacramentum in illis ſuum effectum verè non operetur. 23. *Hinc oritur difficultas. In hoc puncto diſtinctione, opus eſt S.Thom.*

SECTIO

SECTIO III.

De iis, qui ante amentiam vſum rationis habuerunt, an ſint capaces Euchariſtiæ.

24. *De amentibus qui prius vſum rationis habuerūt, communiter affirmatur.* S. Thom. Suarez.

DE aliis amentibus, qui prius vſum rationis habuerunt, licet aliqui negauerint, communis tamen ſententia affirmat, non ſolū eſſe capaces, ſed de facto dandam aliis eſſe Euchariſtiam in articulo mortis, ſi prius voluntatem habuerint eam accipiendi. Ita S. Thom. *q.* 80. *art.* 9. & alij communiter. Videatur Suar. *diſp.* 69. *ſect.* 1. Aliqui tamen volunt, intelligi de eo, qui paulo ante mortis periculū amiſit rationis vſū, & petierat communionem, huius enim voluntas cenſetur adhuc moraliter præſens. Alij tamen non diſtinguunt, ſed vniuerſaliter loquuntur cū S. Thom. Et quidem Concil. Tolet. 11. *c.* 11. vniuerſaliter loqui videtur, licet Concilium Carthag. 4. *c.* 78. relatum *in c. Is, qui in infirmitate*, 26. *q.* 1. de iis loquatur, qui in ipſa infirmitate vſum rationis amiſerunt. Sed ratio eſt eadem, quia ſicut Baptiſmus poteſt dari his amentibus, ſi ante amentiam illum deſiderarunt, quantumlibet per longum tempus poſtea fuerint in amentia, non apparet, cur non poſſit dari Euchariſtia, licet illa voluntas longè ante mortem præceſſerit. Addit Suarez, non ſolū poſſe, ſed debere dari Euchariſtiam illis, quia cum antea habuerunt voluntatem implendi præcepta, & ſit præceptū diuinum de accipiendo Viatico, non eſt cur excuſentur Paſtores à dando Viatico, vt impleatur præceptum: quod intelligi ſemper debet, quando non eſt periculum vomitus, aut alterius irreuerentiæ. Et quidem ſicut eiuſmodi perſonis dari ſolet Extrema-Vnctio, quæ non eſt tantæ obligationis, aut neceſſitatis Sacramentum, non eſt cur Euchariſtia danda non ſit.

Conc. Tolet. Conc. Carthag.

25. *Dubitatur qualis voluntas debeat præcedere.* Catechiſm. Pij V. Nauarr.

Dubitatur, qualis voluntas debeat præcedere ante amentiam. Aliqui enim volunt, quod debuerint petere hoc Sacramentum; ſed prædicta Concilia id non exigunt, nec S. Thomas, aut alij Theologi. Vnde in Catechiſmo Pij V. ſolum dicitur, *ſi antequam in inſaniam inciderint, piam, & religioſam animi voluntatem præ ſe tulerint*. Atque ideo ſi non conſtet de peccato mortali commiſſo, præſumitur in bono ſtatu. Addit Nauarrus in Man. *c.* 26. *n.* 26. dandam Euchariſtiam infirmo à iudicio rationis per phreneſim alienato, qui antea ſigna contritionis dedit, tollendo manus, tundendo pectus, dicendo *Miſerere*, &c. etiamſi non petiiſſet Sacramenta, & obſtinatus multo tempore in peccato mortali manſiſſet, nec per multos annos confeſſus fuiſſet: quæ doctrina probabilis mihi videtur.

26. *Hinc redit caſus ante propoſitus.*

Hinc oritur, ſeu redit difficultas paulo ante propoſita: ſi eiuſmodi amentes, prius rationis vſum habuerunt, caſu inueniant hoſtiam conſecratam, & eam comedant tanquam cibum communem, an accipiant effectum Sacramenti. Ad hoc conſtat ex iis, quæ diximus ſupra *diſp.* 9. *de Sacram. in genere, ſect.* 7. vbi diximus, ideo Euchariſtiam in eiuſmodi hominibus cauſare gratiam, qui ante amentiam habuerunt voluntatem aliquam ſuſcipiendi ea Sacramenta, quia tamen non habuerunt voluntatem ſuſcipiendi ea, niſi eo modo, quo hominibus Chriſtianis dari ſolent, non comprehenſa fuit in ea voluntate comeſtio cauſalis hoſtiæ conſecratæ, atque ideo non erit comeſtio Sacramentalis propter defectum voluntatis præcedentis, quæ in eiuſmodi perſonis requiritur ad effectum Sacramenti.

27. *Quæſitum.*

Petes, quid ergo, ſi ante amentiam habuiſſet homo voluntatem accipiendi fructum etiam ex comeſtione cauſali Euchariſtiæ, quæ in amentia contingeret? Videri poſſet, adhuc non habiturum effectum Sacramenti: quia non ſufficit voluntas illa, vt comeſtio cauſalis poſtea ſequuta ſit voluntaria; nam voluntarium eſt, quod procedit à voluntate: illa autem comeſtio nullo modo procederet ab ea voluntate præterita, quæ certè non fuiſſet cauſa illius caſualis comeſtionis, vt conſtat; ergo nullo modo eſſet voluntaria, & per conſequens non eſſet Sacramentalis.

28. *Verius eſt poſſe tunc habere effectum ex vi illius voluntatis præcedentis.*

Mihi tamen verius apparet, quod poſſet tunc habere effectum ex vi illius voluntatis præcedentis, quia ad effectum Sacramenti non videtur neceſſarium, quod comeſtio ſit voluntaria per modum effectus, ſufficit enim, quod ſit voluntaria per modum obiecti, hoc eſt, volita. Quod in aliis Sacramentis, quæ non ſolum quoad effectum, ſed etiam quoad ſuam ſubſtantiam pendent ab intentione recipientis, manifeſtum videtur. Nam ſi aliquis ante amentiam habuit deſiderium Baptiſmi, & intentionem eum recipiendi, poſtea vero ego illum iam amentem baptizem, nihil prorſus ſciens de illa intentione præterita, ſed cum intentione eum baptizandi, ſi capax eſt Sacramenti, quidquid ſit, an licitè id facerem, negari non poteſt, illum re vera fuiſſe validè baptizatum: & tamen intentio ſua præterita non fuit cauſa meæ actionis, vt conſtat. Item licet ego ſciam, ipſum habuiſſe deſiderium Baptiſmi, ſed tamen propter ignorantiam meam, quia putabam illud deſiderium non requiri, baptizo quidem illum, non tamen moueor à notitia illius deſiderij, quod habuit, nemo dicet, Baptiſmum illum non eſſe validum: & tamen nec tunc Baptiſmus eſt effectus voluntatis præteritæ, cum non influat de facto voluntas præterita in meam actionem: ſufficit ergo ad valorem, quod Baptiſmus fuerit volitus, licet non ſit voluntarius per modum effectus.

29. *Inſtabis.*

Dices, licet ad fructum Sacramenti non requiratur, quod eius receptio ſit voluntaria, hoc eſt, effectus voluntatis, requiritur ſaltem, quod ſit volita, & voluntaria per modum obiecti: in prædicto autem caſu ſuſceptio illa Sacramenti non ſolum non eſſet voluntaria, ſed nec eſſet volita: quia homo ante amentiam, licet habuerit voluntatem recipiendi Sacramenta, quæ ei in amentia Chriſtiano more miniſtrarentur, non tamen poteſt velle accipere Sacramenta illo profano modo: ergo ſuſceptio ſubſequens non potuit eſſe volita: ſed ſolū voluit, quod, ſi applicaretur Sacramentum, conferret effectum. Hoc autem non videtur ſufficere: aliud enim eſt, velle Sacramentum: aliud vero velle, quod Sacramentum habeat ſuum effectum. Hoc ſecundum nec ſufficit, nec requiritur; quia licet homo nolit, Sacramentum habebit ſuum effectum, cum hic neceſſario conſequatur: requiritur ergo, quod homo velit ipſum Sacramentum; & ita communiter dicitur, amentes, & phreneticos poſſe baptizari, ſi prius habuerunt voluntatem Baptiſmi, non dicimus, ſi prius voluerunt, quod Baptiſmus haberet effectum, ſed ſi voluerunt ipſum Baptiſmum; ergo ſimiliter ad effectum Euchariſtiæ non ſufficit velle, quod ſi Euchariſtia applicetur, habeat effectum, ſed requiritur velle ipſam Euchariſtiam, ſeu ſuſceptionem ipſius Sacramenti: quod cum non habeat in caſu poſito, non dabit ſuum effectum.

30. *Reſpondeo.*

Reſpondeo, verum eſſe, quod ad effectum Sacramenti prærequiratur voluntas terminata non ſolum ad effectum, ſed ad ipſum etiam Sacramentum, ſeu eius receptionem: hæc tamen voluntas non eſt neceſſe, quod ſit antecedens, ſed ſufficit, quod ſit concomitans ſeu conſequens. Voluntas antecedens eſt, qua volo, & deſidero, quod aliquid fiat: voluntatem vero concomitantem aut conſequentem

nunc vocamus, non quæ ſit tempore ſequenti (hæc enim non ſufficiet ad effectum Sacramenti) ſed; quæ ſit ſimul quidem, vel prius duratione, & qua volo ſolum ſi Sacramentum applicetur, acceptare illud, ſeu conſentio in eius applicationem. Poteſt itaque contingere, quod aliquis non velit, aut deſideret abſolutè recipere aliquod Sacramentum, velit tamen conſentire, & acceptare, ſi conferatur, aut applicetur. Sic aliquis deſiderans non promoueri ad Sacerdotium, vel Epiſcopatum, petit, & orat, ne promoueatur, conſentit tamen ſuæ ordinationi; quæ voluntas non eſt deſiderium abſolutum Sacramenti, ſed acceptatio, & conſenſus, ſi ordinatio intentetur, ſine quo conſenſu non eſſet validum Sacramentum; & ideo ne reddatur irritum, præſtat conſenſum concomitantem, ſeu conſequentem ex ſuppoſitione, quod intentetur applicatio Sacramenti. Sic etiam ægrotus non habet deſiderium, aut voluntatem abſolutam antecedentem recipiendi Extremam-Vnctionem à ſimplici Sacerdote in præſentia Parochi in ſitis; hoc enim illicitum eſt; & tamen, ſi de facto non compos ſui vngatur à Sacerdote ſimplici illicitè, adhuc recipiet verum Sacramentũ, & eius effectum; quia nimirum, licet non vellet, aut deſideraret hanc Vnctionem antecedenter, voluit tamẽ, ſi applicaretur, conſentire, & acceptare illã, vt poſſet habere eius effectum. Similiter ergo potuit ante amentiam velle, quomodocũque poſtea ei applicetur Euchariſtia, ſiue licitè, ſiue illicitè, ſiue ex induſtria, ſiue ex caſu, ſemper acceptare, & conſentire in receptionem Sacramenti: qua voluntate præcedenti, non appareret, cur poſtea non haberet effectum Sacramenti, etiam quando caſu illud more profano comederet.

31. *Ratio eſt.* Ratio autem eſt, quia quod intentio Sacramenti ex parte miniſtri requiratur antecedens, prouenit ex eo, quod ipſe debet operari nomine Chriſti, & vt miniſter illius: ad quod requiritur, quod velit illam actionem exercere vt miniſter Chriſti: quæ quidem eſt voluntas antecedens; ille vero, qui recipit Sacramentum, licet debeat habere etiam intentionem, illa tamen non eſt ſemper intentio operandi, ſed acceptandi id, quod in ipſo fit: quia ipſe non operatur, ſed recipit: ad recipiendum vero non requiritur velle, quod alius det, ſed ſufficit velle acceptare, & conſentire, ſi alius dederit, licet ego ex me potius velim, & deſiderem, quod non det. Voluntas ergo requiſita in recipiente Euchariſtiam, non eſt voluntas neceſſario antecedens, & cauſans, ſed conſentiens, & acceptans: atque ideo poſſet terminari ad eas etiam hoſtias conſecratas, quæ in ſtatu amentiæ alicui occurrant, quas omnes cur non poteſt antea acceptare caſu, quo poſtea applicentur? Addunt aliqui conſequenter, ſi adultus etiam ſui compos comedat hoſtias, quas putat non conſecratas, habeat tamen intentionem, ſi fortè aliqua inter illas conſecrata fuiſſet, eam Sacramentaliter ſumendi, tunc ſi aliqua verè eſſet conſecrata, illum accepturum effectum Sacramenti: dum tamen non peccet exponendo ſe periculo probabili communicandi indebito modo. Ita P. Ioan de Salas in hac materia de Euchariſtia non typis excuſa.

SECTIO IV.

An ſit præceptum non dandi Euchariſtiam pueris ante aliquam ætatem: & quid in dubio de capacitate.

32. *Dubitatur primo.* PRimo dubitari poterit, an ſit verè obligatio non dandi Euchariſtiam paruulis, & perpetuo amentibus, qui nunquam habuerunt vſum rationis: eiuſmodi enim præceptum Eccleſiæ non inuenitur: nec ex Tridentino colligi poteſt, quia Tridentinum ſolum declarat, non eſſe neceſſariam Euchariſtiam paruulis, nec antiquos Patres eam illis ex neceſſitate dediſſe, ſed propter probabilem rationem, quam ad eum vſum habuerunt: non tamen dicit nunc eſſe illicitum id facere. Aliqui illud præceptum colligunt ex Concilio Carthagin. 4. c. 76. vbi præcipitur dari Euchariſtiam phreneticis, qui ante phreneſim eam petierunt. Vnde à contrario ſenſu videtur non eſſe dandam iis, qui vſu rationis ita carent, vt illam nunquam petierint. *Vnde aliqui illud præceptũ colligunt.* Conc. Carth. Sed ex illo loco nihil tale colligi poteſt: cum ibi ſolum ſit ſermo de pœnitentibus, ſeu peccatoribus amittentibus vſum rationis, de quibus erat peculiaris ratio dubitandi an deberet illis dari Euchariſtia ante peractam pœnitentiam, & ideo de illis peculiariter ſtatuitur, dandam quidem eſſe illis abſolutionem, & Euchariſtiam, ſi petierint prius pœnitentiam ante aduentum ſacerdotis. De paruulis vero nihil ibi dicitur, nec potuit, cum multis poſtea ſæculis retentus adhuc fuerit in Eccleſia Latina vſus dandi paruulis Euchariſtiam: vt conſtat ex ſupra adductis. Tota ergo hæc obligatio referenda videtur ad conſuetudinem legitimam ab Eccleſia approbatam, & traditam Parochis pro regula in Rubricis Ritualis Romani Pauli V. quam quidem conſuetudinem veriſimile eſt, ortum habuiſſe ex præcepto eiuſdam Eccleſiæ, quo prohibuit laicis communionem ſub vtraque ſpecie; cum enim iam non ſoleret dari paruulis communio, niſi ſub ſpeciebus vini propter inconuenientia, quæ experientia fuerant comperta in miniſtrandis illis ſpeciebus panis, eo ipſo quod ablatus fuit vſus calicis laicis, ceſſaſſe videtur communio paruulorum. Et licet Tridentinum non exprimat prohibitionem, videtur tamen illam ſupponere, dum dicit, antiquos Patres probabilem eam habuiſſe *pro illius temporis ratione* dandi Euchariſtiam paruulis; in quibus verbis indicare videtur pro temporis diuerſitate iudicatam fuiſſe conſuetudinem illam minus expedientem, & idcirco fuiſſe legitimè reiectam.

Secundo dubitatur, qua ætate danda ſit Euchariſtia adultis? Ratio dubitandi oritur ex *cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentiis & remiſſionibus*; vbi Innoc. III. præcipit, omnes accipere Euchariſtiam in Paſchate, cum ad annos diſcretionis peruenerint. 33. *Secundo dubitatur qua ætate danda ſit adultis.* Innoc. III. Conſuetudo tamen fidelium eſt, quod prius Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiant; poſt aliquot vero annos Euchariſtiam. Aliqui volunt per annos diſcretionis in præſenti intelligi annos pubertatis; quam ſententiam refert, & non impugnat Viguer. c. 16. §. 3. *verſ.* 10. ſed ab aliis merito reiicitur; quia proculdubio multi pueri ante 14. imo ante 12. annum poſſunt, & debent communicare: habentque diſcretionem pluſquam ſufficientem. Viguer. Alij dicunt incipere obligationem anno 12. quia ante illud tempus pueri non obligantur Eccleſiæ præceptis. Ita Soto *in 4. diſt.* 9. *art.* 11. cuius ſententiam impugnant Suar. *diſp.* 70. *ſect.* 1. Vaſq. *diſp.* 214. c. 4. & alij communiter; quia certum eſt, pueros ante 12. annum obligari ad audiendam Miſſam, & abſtinendum à carnibus; quæ ſunt præcepta Eccleſiaſtica. Soto. Suarez. Vaſquez. Alij dicũt, obligari anno decimo. Ita videtur ſentire Caietan *in præſenti art.* 9. vbi dicit, non excuſari parentes, qui puellas decem annorum non exponunt ad communionem. Caiet. Alij denique communiter dicunt, non poſſe regulam certam præſcribi; aliquibus enim citius, aliis tardius aduenit vſus rationis, & diſcretio, quæ tamen maior videtur deſiderari ad hoc Sacramentum, quam ad Confeſſionem; hæc enim cum ſit magis neceſſaria, *Non poteſt certa regula præſcribi.*

fieri

fieri debet, vbi primum aliquis ſcit peccare. Ad Euchariſtiam vero deſideratur diſcretio, qua ſciat puer diſcernere hunc cibum ab aliis, & revereri latentem in eo maieſtatem; quæ diſcretio communiter ſolet aduenire à decimo vſque ad decimumquartum annum. Examen autem ſingulorum pertinet ad parentes, & ad prudentem Confeſſarium.

34. *Dubitatur tertio an pueris danda ſit pro viatico.* Hinc tamen oritur tertium dubium, an eiuſmodi pueris, qui peccare poſſunt, & aliunde Euchariſtiam nunquam acceperunt, danda ſit pro Viatico, ſi ſint in mortis periculo. Nauarrus enim in Manuali *c.21. num.57.* dicit, non eſſe obligationem, ſed ex ſuo conſilio dandam eſſe. P. Suarez *dicta ſectione* 1. in fine dicit, eſſe omnino dandam ex præcepto. P. Henriquez *lib.8. de Euchar. cap.42. in fine*, obſcurè loquitur; dicit enim: *Si pater, & Parochus in mortis articulo, vbi maximè vrget præceptum Diuinum, aut in Paſcha communicare puerum non permittat, excuſatur, quando eſt dubium de ſufficienti diſcretione; & tamen interdum expediret morienti, aut in Iubilæo indulgere.* P. Layman *tom.2. Theolog. Moral tract.4. de Sacram. Euchariſtiæ c.4.n.3.* magis inſinuat, dandam eſſe tunc Euchariſtiam. Denique P. Vaſquez dicto *c.4.n.41.* & ſequentibus, omnino negat eiuſmodi obligationem; & *n.42.* in fine addit, non eſſe vllo modo miniſtrandum eiuſmodi pueris in mortis articulo hoc Sacramentum.

Nauarr.
Suarez.
Henriq.
Layman.
Vaſquez.
Pater Vaſquez negat.

35. *Fundamentum huius ſententiæ.* Fundamentum P. Vaſquez præcipuum eſt, quod ſicut Eccleſia non obligat ad communionem pueros etiam doli capaces, niſi ſciant iam diſcernere cibum hunc ab aliis, ſic nec Chriſtus eos obligat præcepto Diuino: nam dum non ſciunt hunc cibum diſcernere, perinde ſe habent ac infantes in ordine ad hoc præceptum; atque ideo ſicut Chriſtus non obligat infantes, ita nec obligat eos pueros: præſertim quod dum ſunt in eo ſtatu non diſcernendi hunc cibum, non poſſunt peccare contra hoc Sacramentum, illud indignè recipiendo, nec poſſunt mereri dignè communicando; ergo non poſſunt peccare omittendo communionem, licet in aliis materiis peccare poſſint.

36. *Reiicitur hoc fundamentum.* In toto hoc argumento P. Vaſquez ſupponit vt certum id quod, nec firmum, nec verum eſſe videtur, ſcilicet puerum obligari præcepto Eccleſiæ, vbi primum diſtinguere poteſt inter Euchariſtiam, & alios cibos. Hoc, inquam, conſtat, eſſe contra experientiam, & praxim: vnuſquiſque enim ſcit, ſe multo antequam Euchariſtiam acciperet agnouiſſe differentiam inter Euchariſtiam, & alios cibos; & conſtat clarè; nam pueri doli capaces, antequam Euchariſtiam accipiant, obligantur præcepto audiendi Sacrum diebus feſtis; ergo ſciunt ſaltem in confuſo, quid ſit Miſſa; alioquin non poſſent eam humano modo audire; & ideo reuerenter adorant hoſtiam, quando eleuatur, quem cultum non exhibent aliis cibis; ergo diſcernunt illum panem ab alio pane profano, & hoc per tres, quatuor, vel quinque annos, antequam Euchariſtiam accipiant: non ergo obligat Eccleſiæ præceptum cum eo rigore, vbi primum puer in ordine ad hoc Sacramentum diſcernendum ab aliis cibis differt ab infante. Quod quidem ex ipſius Eccleſiaſticæ legis verbis colligi poteſt in illo *cap. Omnis vtriuſque ſexus*, in quo licet Confeſſio abſolutè omnibus præcipiatur abſque vlla exceptione, Communio tamen præcipitur cum duplici particula limitante; prima eſt, quatenus additur *reuerenter*; per quod denotatur, Eccleſiam non obligare eos, qui cum reuerentia tanto Sacramento debita non poſſunt accedere. Secunda, & clarior eſt, quatenus excipiuntur ij, quos Confeſſarius iuſtis de cauſis iudicauerit expedire, quod differant Communionem. Conſuetudo autem omnium Confeſſariorum declarauit expedire, vt eiuſmodi pueri aliquamdiu differant Communionem, vt maiori cum reuerentia accedant: non ergo ſunt incapaces præcepti in ea ætate; nam ſicut obligantur præcepto audiendi Miſſam (quod eſt offerre Sacrificium ſimul cum Sacerdote) poſſent obligari ad participandum de hoſtia oblata: ſed noluit Eccleſia obligare ita ſtrictè ad communionem, vbi primum ſciant diſcernere vtcumque inter vnum cibum & alium. Vnde contingere poteſt, quod aliquis obligetur iam præcepto Diuino ad accipiendũ Viaticum, antequam obligetur præcepto Eccleſiæ ad communionem annuam.

37. *Verior eſt ſententia affirmans.* Verior itaque mihi videtur ſententia P. Suarez & aliorum, quod poſſit, imo, & debeat eiuſmodi pueris dari Euchariſtia in articulo mortis, ſicut & datur illis Sacramentum Extremæ-Vnctionis: quam ſequuntur communiter alij Recentiores. *Ratio eſt, quia articulus mortis non eſt ex Dei præcepto indeterminatus.* Ratio autem eſt, quia Eccleſia ſuo præcepto ſolum determinauit tempus illud accipiendi Euchariſtiam, quod ex Diuino præcepto indeterminatum erat. Cum ergo articulus mortis non eſſet ex Diuino præcepto indeterminatus, non erat, cur Eccleſia aliquid quoad illum determinaret, ſed debuit illum omnino relinquere, prout ex Diuino præcepto habebatur. Vnde licet quoad Communionem annuam Eccleſia non cenſeatur incluſiſſe pueros omnes, ſed cum latitudine arbitrio Confeſſarij: quoad articulum tamen mortis non habemus fundamentum ad eam latitudinem concedendam.

38. *Arguit Vaſquez.* Vrget Vaſquez *n.42.* quod Eccleſia, licet determinauerit tempus obligationis, & præcepti, non tamen determinauit ætatem, & prudentiam requiſitam ad obligationem, imo neque eam pro arbitrio ſuo determinare potuit: nec potuit eum, qui iam habet vſum rationis, & prudentiam ſufficientem liberare ab obligatione præcepti Diuini: non ergo eſt alia ætas, aut prudentia maior ad obligationem Communionis annuæ, quam in articulo mortis.

Reſpondetur. Reſpondetur facilè, ſiſtendo intra determinationem temporis potuiſſe Eccleſiam diuerſum tempus aſſignare pueris, quam viris prouectis: nam ſicut potuiſſet determinare, & præcipere ſæcularibus Communionem annuam, & religioſis ſemeſtrem: ita potuit viris determinare annuam, pueris vero non annuam omnino, ſed arbitrio Confeſſarij differendam per duos, vel tres annos. Non ergo neceſſe fuit determinare tempus, & ætatem, qua obligarentur præcepto Diuino, ſed illis, qui re vera iam obligantur Diuino præcepto, determinare tempus præcepti cum maiori latitudine in ætate puerili, quam in virili, vel adoleſcentia: ſicut etiam de facto aliis, quibus Confeſſarius iuſtis de cauſis iudicat differendam Communionem, Eccleſia determinat tempus præcepti longius: cur non potuit idem facere cum pueris, licet alioquin obligentur iam Diuino præcepto.

39. *Obligantur pueri vbi ſciunt diſtinguere Euchariſtiam ab aliis cibis.* Fateor itaque pueros non obligari Diuino præcepto, niſi ſciant diſtinguere Euchariſtiam ab aliis cibis; aſſero tamen id ferè euenire, quando habent vſum rationis ad peccandum, vel paulo poſt: atque ideo tunc iam incipere obligari Diuino præcepto: determinatè quidem pro mortis articulo; pro alio autem tempore iuxta determinationem Eccleſiæ, quæ in illa ætate non determinat omnino illis annuam Communionem, ſed cum maiori latitudine iuxta conſilium Confeſſarij. Vnde infero, tempus obligationis non incipere pueris in indiuiſibili, ſed potius eſſe multos, quibus licitè poſſet hoc anno, v.g. dari Communio, eo quod iam habeant in toto rigore capacitatem ſufficientem ad diſcernendum

hoc Sacramentum ab aliis cibis: & tamen licitè etiam poteſt illis differri communio arbitrio Confeſſarij ad annum ſequentem, vt melius, & cum maiori reuerentia ſe præparent. Noluit enim Eccleſia pia mater, nec re vera expediebat ita ſtrictè cum illis agere, vt vbi primum poſſent, deberent ex præcepto ſtatim Euchariſtiam ſumere. In mortis tamen articulo vrget præceptum Diuinum abſque alia determinatione, nec tunc expedit vlterius differre præcepti obſeruantiam.

An dandum ſit Viaticum, quando dubitatur de pueri capacitate.

40. *Quid dicendum ſit quādo dubitatur de ſubiecti capacitate.* *Pro vtraque parte ſunt rationes.*

Magis dubitari poſſet, an dari debeat, vel poſſit Euchariſtia in mortis articulo eiuſmodi pueris, quando dubitatur de illis, an ſint doli capaces, & diſcernant ſufficienter hoc Sacramentum ab aliis cibis. Pro vtraque enim parte videntur eſſe rationes: & pro negante videtur eſſe, quod poſſeſſio ſit pro prohibitione, atque ideo in dubio non ſit ab ea recedendum; tum quia ille, qui prius caret rationis vſu, in dubio præſumitur talis, niſi contrarium probetur, aut habeat aliquam aliam præſumptionem pro ſe; vt tradit Thom. Sanch. *lib. 4. in Decalog. c. 1. n. 14. & 15.* (*Sanchez.*) ergo poſſeſſio eſt contra eum, quia prius carebat capacitate ad recipiendam Euchariſtiam; (*Pro parte negante.*) tum etiam, quia quando conſtat de lege, & prohibitione, dubitatur autem, an aliquis comprehendatur & obligetur illa lege, vel eximatur ratione neceſſitatis, vel alicuius circumſtantiæ, poſſeſſio videtur eſſe pro lege, vt obliget, vt cum aliis tradit idem Sanchez *lib. 1. in Decalog. c. 10. n. 14.* Cum ergo prohibitio dandi Euchariſtiam incapacibus ſit certa, & dubium ſit, an hic comprehendatur, ipſi incumbet onus probandi, & per conſequens in dubio non poterit illi dari. Denique quia, ſi danda eſſet eiuſmodi pueris Euchariſtia, maximè propter obligationem accipiendi Viaticum in articulo mortis, hanc obligationem non habent ij, de quibus dubitatur, an peruenerint ad vſum rationis ſufficientem: ſicut qui dubitat, an expleuerit vigeſimum primum annum, non obligatur lege ieiunij, quia tunc non eſt poſſeſſio pro præcepto, ſed pro libertate, vt docet idem Sanch. *lib. 1. de Matr. diſp. 41. n. 48.*

41. *Pro parte affirmante.*

Aliunde vero videtur danda Euchariſtia in eo dubio, primo, quia non videtur eſſe maior prohibitio Eccleſiæ dandi Euchariſtiam paruulis non habentibus vſum rationis, quam ſit obligatio ex iure Diuino non dandi Extremam-Vnctionem eiſdem: ſiquidem hæc eſt de iure Diuino prouenicns ex ipſa inſtitutione Sacramenti; illa vero de iure humano accidentaliter introducta. Et tamen, quando dubium eſt de puero, an ſit iam doli capax, ſicut datur Sacramentum Pœnitentiæ, ſic etiam datur Extrema-Vnctio ſub conditione, vt cum aliis docet Antonin. Diana *tom. 1. reſol. Moral. tract. 4. de Sacram reſol. 169.* (*Diana.*) Et magnum fundamentum habet in Rituali Romano Pauli V. in quo apertè dicitur dandam eſſe vnctionem ſub conditione illi, de quo dubitatur, an ſit viuus, vel mortuus; vnde à fortiori videtur danda etiam ſub conditione eiuſmodi pueris, cum non minus ſit incapax illius Sacramenti homo mortuus, quam paruulus doli incapax; nec minus prohibitum ſit vngere mortuos, quam eiuſmodi paruulos. Similiter ergo, licet Eccleſiæ prohibitione danda non ſit Euchariſtia pueris ante rationis vſum, non tamen erit neganda in dubio in mortis articulo: cur enim magis ſtrictè interpretabimur eam prohibitionem humanam, quam alias ſimiles Diuinas circa alia Sacramenta?

42. *Ratio à priori.*

Secundo, & à priori videtur eſſe ratio, quia prohibitio Eccleſiæ dupliciter poteſt fieri; primo, ne detur Euchariſtia, niſi iis, qui ſunt doli capaces, ſecundo, ne detur Euchariſtia iis, qui non ſunt doli capaces; qui duplex modus videtur eſſe diuerſus: nam iuxta priorem deberet conſtare poſitiuè de capacitate, vt poſſet licitè dari Euchariſtia; petitur enim capacitas, vt conditio requiſita; quare ſicut non poteſt conferri Ordo, aut Beneficium, niſi conſtet poſitiuè de ætate requiſita ad Ordinem, aut Beneficium: ſic nec poſſet dari Euchariſtia, niſi conſtaret poſitiuè de capacitate, quæ eſſet etiam conditio requiſita. At vero ſi prohibitio fiat poſteriori modo, non videtur exigi poſitiua ſcientia de capacitate, ſed quod non conſtet de incapacitate: qui enim præcipit, ne detur incapaci, ſolum videtur prohibere actum dandi incapaci, contra quod non videtur facere, qui dat ei, quem neſcit eſſe incapacem; ideo enim non fit contra legem prohibentem illegitimos ordinari, quando ordinatur qui in infantia fuit expoſitus, & de quo dubitatur, an ſit legitimus, iuxta ſententiam multorum, quam approbatam fuiſſe à Summo Pontifice refert Henriq. *de irregularit. c. 8. n. 10. in margine, lit. K.* (*Henriq.*) Rationem autem reddit Coninck *diſp. 18. de Sacram dub. 11. num. 105.* (*Coninck.*) quia defectus non imputatur, niſi probetur. Quia nimirum dum prohibetur ordinari illegitimus, ſolum videtur prohiberi ordinari ille, quem conſtat poſitiuè, eſſe talem, non eum, quem, facto examine debito, non conſtat. Porro Communionem paruulorum non priori, ſed poſteriori modo prohiberi, colligi poteſt ex verbis, quibus in Rituali Romano proponitur: non enim dicit, quod non detur niſi capacibus, ſed ſolum quod non detur incapacibus, iis ſcilicet, qui propter ætatis imbecillitatem, cognitionem, & guſtum huius Sacramenti habere non poſſunt.

43. *Primò non eſt obligatio in hoc caſu dādi Euchariſtiam propter rationem ſupra traditam.*

Ego quidem in hoc puncto in primis exiſtimo, non eſſe obligationem dandi Euchariſtiam eiuſmodi pueroſtante illo dubio, & hoc propter rationem ſuperius indicatam; quia ſcilicet, quamdiu non conſtat, aliquem lege comprehenſum eſſe, non obligatur in illo dubio ad obſeruandam legem; cum ergo dubitetur de capacitate pueri, & per conſequens, an comprehendatur præcepto Diuino, quod ſolum fertur ad doli capaces, vt conſtat ex Tridentino, conſequens eſt, vt non ſit obligatio ex vi præcepti Diuini dandi Euchariſtiam in illo dubio.

44. *Quod vero poſſit dari nullum eſt argumentum conuincens contrarium.*

An vero poſſit dari, ego non video fundamentum conuincens ad id negandum. Prohibitio enim dandi paruulis fundatur ferè in conſuetudine explicata in Rubricis Ritualis Romani; in quibus tamen non aliter ea prohibitio explicatur circa Euchariſtiam, quam circa Extremam-Vnctionem; & aliunde non eſt maioris neceſſitatis Sacramentum Extremæ-Vnctionis, ſed minoris quam Euchariſtia. Sicut ergo prohibitio Extremæ-Vnctionis non habet locum in caſu dubio de capacitate pueri, cur non dicemus hoc ipſum de prohibitione Euchariſtiæ? Præſertim cum eiſdem verbis vtraque prohibitio proponitur in Rituali, vt vidimus, ſcilicet quod non conferatur iis, qui capaces non ſunt.

45. *Obiicit aliquis.*

Dicet aliquis: Sicut eſt prohibitio humana dandi Euchariſtiam incapaci vſus rationis: ſic eſt prohibitio Diuina accipiendi indignè, ſeu in peccato; & tamen non ſufficit quod non conſtet mihi de peccato; nam cum peccato dubio non poteſt quis Euchariſtiam ſumere, ſed debet adhibere remedium, quo probabiliter ſaltem conſtet de peccato remiſſo: ergo eodem modo cum dubio incapacitatis non poterit dari, niſi ſaltem probabiliter conſtet de capacitate pueri.

Reſpon

46. *Reſponderi poteſt.* Reſponderi poteſt negando maiorem, ſi ſenſus ſit de modo prohibitionis: nam prohibitio non accedendi indignè, eſt etiam prohibitio non accedendi niſi dignè poſitiuè; vt colligitur ex verbis Pauli 1. ad Cor. 11. quibus illud præceptũ continetur: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*; per quam probationem Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. c. 7. dicit intelligi, non quamcumque, ſed Confeſſionem Sacramentalem. Prohibetur ergo ne quis abſque Confeſſione accedat; qua ſe reddat poſitiuè dignum. Ideo in eo ſenſu poſitiuæ dignitatis prohibitionem illam explicant Patres. Ambroſ. *lib.* 7. *in cap.* 15. Lucæ: *Nemo enim* (inquit) *niſi timuerit Deum, niſi ſignaculum ſpirituale cuſtodierit, vel receperit, Sacramentis debet intereſſe cœleſtibus.* Cyprian. *lib.* 3. *epiſt.* 14. declarans, quid ſit indignè accedere, ait, *id eſt, nondum pœnitentia acta, nondum facta exomologeſi.* Gregor. *in lib.* 1. *Reg. cap.* 1. explicans illa verba Pauli ſupra adducta: *Quid eſt, inquit, hoc loco ſe probare, niſi euacuata peccatorum nequitia, ſe probatum ad Dominicam menſam, & purum exhibere?* Quæ omnia probationem, ſanctitatem, & dignitatem poſitiuam ſignificant, & exigunt in accedente. *Ratio autem ab ipſa prohibitione ſumitur.* Ratio autem ſumitur ex ipſa prohibitione, & præcepto, quo idcirco præcipitur probatio, ne ſcilicet contra reuerentiam tanto Sacramento debitam exponatur periculo carendi effectu propter indiſpoſitionem ſubiecti: quod periculum debet homo vitare procurando in ſe dignitatem poſitiuam; & hoc non ſolum per remedium contritionis, ſed etiam per Confeſſionem Sacramentalem ad maiorem ſecuritatem de dignitate habita: non ergo ſufficit, non ſcire indignitatem, ſed requiritur ſcire ſaltem probabiliter dignitatem, quæ poſitiuè præcipitur: hoc autem in noſtro caſu non procedit, vt diximus.

47. *Inſtantia.* Vrgebis adhuc, quia in aliis Sacramentis non eſt tanta obligatio procurandi, ne Sacramentum careat ſuo effectu, vt idcirco non poſſit in dubio conferri: nam Extrema-Vnctio confertur in dubio, an homo ſit mortuus, vel viuat; quod à fortiori procedit in Baptiſmo & Abſolutione Sacramentali; ergo præciſè ex eo capite non deberet prohibitio indignè recipiendi Euchariſtiam extendi ad caſum dubium de indignitate.

Diluitur. Reſpondeo in primis, Extremam Vnctionem, Baptiſmum, & Pœnitentiam in his caſibus non fraudari effectu; quia re vera non ponuntur Sacramenta, ſi ſubiectum non ſit capax, atque adeo non ponitur Sacramentum abſque effectu, ſicut ponitur Sacramentum Euchariſtiæ verè receptum abſque effectu propter indignitatem ſubiecti. Deinde in omnibus Sacramentis procedit obligatio procurandi, ne Sacramentum careat effectu, ſi fieri poſſit; vnde ſi fieri poſſet, deberet etiam procurari, quod Vnctio, vel Baptiſmus haberent ſuum effectũ in prædictis caſibus; quia tamen id facere non poſſumus, applicamus Sacramenta ſaltem ſub conditione, licet exponantur alicui periculo irritationis; quia Sacramenta cũ ſint inſtituta potiſſimum ad hominum vtilitatem, & remedium, non eſt ita ad eorum reuerentiam attendendum, vt non debeamus magis attendere ad vtilitatem & neceſſitatem ſubiecti, propter quam potiſſimum inſtituta ſunt. In Euchariſtia vero poſſumus impedire indignitatem ſubiecti, & irreuerentiam illam, reddendo ſcilicet ſubiectum dignum, & habile ad effectum, & ideo non mirum, quod ſit obligatio poſitiua in illo dubio de indignitate procurandi per remedia poſitiuã dignitatẽ, eo magis, quod maieſtas Chriſti in hoc Sacramento contenti exigit maiorẽ diſpoſitionem, & dignitatem in recipiente, & maiorẽ curam ad vitandum omne periculum irreuerentiæ,

Obiici rurſus poteſt exemplum ieiunij naturalis requiſiti ex præcepto Eccleſiaſtico ad ſumendam Euchariſtiam, ne ſcilicet poſt cibum, aut potum ſumatur: & tamen qui dubitat, an poſt mediam noctem aliquid comederit, aut biberit, non poteſt cum illo dubio ſumere Euchariſtiam, vt docet Thom. Sanch. *dicta lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 41. *n.* 40. Fagund. *de præceptis Eccleſiæ, Præcepto* 3. *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 18. & alij; ergo nec in dubio de capacitate, & diſcretione poterit dari Euchariſtia, quia ſicut petitur ab Eccleſia ieiunium, petitur capacitas, ſeu diſcretio in ſumente. 48. *Obiici poteſt exemplum ieiunij naturalis.* Sanchez. Fagundez.

Reſponderi poteſt, in primis aliquos negare antecedens & dicere quod in illo dubio de comeſtione poſt mediam noctem poſſit recipi Euchariſtia, cum quibus ſentit Layman. *in Theolog. Moral. lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 36. & alij, quos affert, & ſequitur Antonin. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. Reſolut.* 29. de quo dicemus *diſp.* 15. *ſect.* 1. Deinde ſi antecedens verum ſit, reddi poteſt diſcriminis ratio ex eo, quod Eccleſia non ſolum prohibeat, ne aliquis poſt cibum, aut potum Euchariſtiam ſumat, ſed etiam exigat poſitiuam conditionem ieiunij. Sic enim habetur in Concilio Carthag. 3. *can.* 9. & in Africano ſub Bonifacio I. *can.* 8. & in Matiſconenſi 2. *can.* 2. quorum verba referuntur *in cap. Sacramenta altaris, de Conſecrat. diſt.* 1. quibus præcipitur, ne vllus niſi ieiunus ſit, celebret. Exigitur ergo poſitiua conditio ieiunij, & ideo non mirum, ſi ille, qui propter dubium non ſcit, ſe habere eam conditionem, excludatur; quod in noſtro caſu non procedit, cum non exigatur, quod ſit capax rationis, ſed quod non ſit incapax, ex quo diuerſo modo poſſet liberari ab onere probandi, vt ſupra dictum eſt. 49. *Reſpondetur.* Layman. Diana. Conc. Carthag. Conc. Matiſcon.

SECTIO V.

De adultis, qui debilem vſum rationis habent, præſertim de Indis, an ſint ab Euchariſtia repellendi? Et quid de Energumenis.

De adultis, qui debilem vſum rationis habent, S. Thom. *hac quæſt.* 80. *art.* 9. docet, iis non eſſe negandam Euchariſtiam; quod idem docent alij Theologi. Cui communi doctrinæ obſtare videtur, quod contingere poteſt, aliquos adultos eſſe capaces quidem peccandi, ſed adhuc minorem vſum rationis habentes, quàm aliquos pueros, quibus tamen propter imperfectum rationis vſum differri ſolet Communio per tres, vel quatuor annos, donec maiorem diſcretionem habeant: ergo tales adulti non debent admitti ad Communionem cum illa imperfectione vſus rationis. Videntur autem eiuſmodi eſſe multi ex iis mancipiis, quæ ex Africa aſſiduè comportantur ad Hiſpaniam, homines barbari, & longè minus horum myſteriorum diſcernendorum capaces, quam pueri. 50. *S. Thom. De Indis, vnde dubitatur. Ratio eſſe poteſt pro parte negante.*

Ad hoc facilè reſponderi poteſt negando conſequentiam. Pueris enim differtur Communio ad tempus magis opportunum, quo procedente ætate melius, & maiori cum reuerentia accedant; illis autem adultis non debet ea de cauſa differri, cum ob debilitatem iudicij non ſit ſpes melioris diſpoſitionis, aut maioris reuerentiæ futuræ, & aliunde non expedit, eos per totam vitam alimento ſpirituali priuare. Fateor in ipſis poſſe etiam conſiderari progreſſum aliquem, quia primũ inſtrui poſſunt, quantum ſufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ, & tunc non debent ſtatim ad Euchariſtiam recipi, donec iuxta eorum capacitatem magis inſtruantur ad hoc Sacramentum, quia inſtructione poſita, debent iam 51. *Impugnatur facilè hæc ratio.*

admitti, rarius tamen quam alij, qui plenum iudicium, & diſcretionem habent, vt puta, ſemel in anno, & in aliquo magno Iubilæo.

52\. *Difficilius obſtare videtur vſus Parochorum in India.*

Difficilius obſtare videtur huic communi Theologorum doctrinæ vſus Parochorum in India Occidentali, qui, ſcientibus Prælatis, Indos non ſolum ad annuam Communionem, ſed nec etiam ad Viaticum accipiendum in mortis articulo admittunt; quia nimirum eos, licet alioquin baptizatos, & peccandi capaces, huic tamen Sacramento ſuſcipiendo ob innatam gentis ſtoliditatem ineptos omnino reputant. Scio hanc corruptelam magis, & abuſum, quam vſum, aut conſuetudinem viſam fuiſſe non paucis doctrina, & moribus præſtantibus viris, qui grauiter contra illam verbo, & ſcriptis agere tentarunt. Aliunde tamen non auderem illam omni ex parte damnare, quam inuenio non damnatam, ſed ex parte laudatam in Concilio Prouinciali Limenſi *conſtit.* 58. cuius verba hæc refert P. Ioſephus Acoſta de procuranda Indorum ſalute, *lib.* 6. *c.* 8. *Quamuis omnes* (inquit) *Chriſtiani adulti vtriuſque ſexus præcepto teneantur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accipere ſingulis annis ſaltem in Paſchate; tamen huius prouinciæ Antiſtites, cum aduerterent gentem hanc Indorum, & recentem eſſe, & infantilem in fide, atque ita ipſorum ſaluti expedire iudicarent, ſtatuerunt vt vſque dum fidem perfectè tenerent, hoc diuino Sacramento, qui eſt perfectorum cibus, non communicarentur; excepto, ſi quis ei percipiendo ſatis idoneus videretur.* Quibus verbis præteritum vſum approbare, & laudare videntur Patres, licet in futurum rebus iam mutatis corrigi, aut mutari velint, his verbis: *Quoniam vero complures iam Indorum fidei Chriſtianæ doctrinam melius percipiunt, atque hoc diuinum Sacramentum non ſolum deuotè cupiunt ſuſcipere, verum etiam petunt, & vt fiat ſibi copia, importunè efflagitant, placuit huic ſanctæ Synodo monere, prout ſerio monet omnes Indorum Parochos, vt quos audita iam Confeſſione, perſpexerint hunc cæleſtem cibum à reliquo corporali diſcernere, atque eundem deuotè cupere, & poſcere, quoniam ſine cauſa neminem diuino alimento priuare poſſumus, quo tempore cæteris Chriſtianis ſolent, Indis etiam omnibus adminiſtrent.* Quam tamen conſtitutionem in vſum redactam nondum fuiſſe, conqueritur idem Acoſta *cap.* 9.

Multi Doctores dicunt abuſum eſſe.

Non tamen hunc vſum auderem omnino ex parte damnare.

Acoſta.

53\. Ego quidem, quoniam indolem gentis illius, aut naturam non noui, dicam ſolum in abſtracto, & in genere, quouſque licitè illis potuerit Euchariſtia negari, quidquid ſit de exceſſu aliquorum Parochorum, qui fortaſsè nimium ſeueriores in hoc ſunt, ſiue zelo, ſiue (quod timeri aliquando poteſt) ob pigritiam, qua ſegniores redduntur ad inſtituendam plebem ſibi commiſſam, vt hoc modo, quantum fieri poteſt, apti redderentur Indi ad Euchariſtiam percipiendam.

Prima concluſio, Communio annua poteſt illis differri.

Dico ergo primo; quod attinet ad Communionem annuam, facilius potuit Indis differri per aliquod tempus: nam ſicut pueris differtur, vt, ætate & diſcretione creſcente, aptiores reddantur, ſic potuit fieri cum Indis: de iis enim poterat etiam ſperari, quod creſcentes in fide maiorem myſteriorum notitiam, & maiorem reuerentiam erga Sacramenta conciperent; nam intra terminos ſuæ ruditatis poſſunt adhuc temporis progreſſu maiorem cognitionem rerũ acquirere. Adde, hac occaſione poſſe illos non leuiter excitari ad corrigendos mores, deponendamque barbariem; ſpe nimirum Communionis ſibi concedendæ, ſi Chriſtiano more viuant, & vitam iuxta rationis regulam componant; quæ ratio, & ſpes non parum poteſt iuſtificare dilationem annuæ Communionis, cum præceptum ipſum expreſſis verbis hoc arbitrio Confeſſarij relinquat, vt ex rationabili cauſa differat, & protrahat tempus Communionis accipiendæ. Deberent tamen Parochi ita hac ratione moueri ad differendam Communionem, vt ſimul eoſdem Indos doctrina inſtituerent, & exhortationibus excitarent ad deſideriũ Euchariſtiæ: & ad morum emendationem, qua ſe tanto Sacramento dignos redderent. Hæc autem ratio, ſicut probat de Indis primùm ad fidem conuerſis, ita cum proportione probat de ſingulis eorum filiis poſtea ad rationis vſum venientibus, qui propter innatam tarditatem ſerius perueniunt ad capacitatem, quæ in ipſis deſideratur, & ideo longius poterit illis etiam Communio differri, quam Europæorum filiis, dum tamen debita eos inſtruendi cura non prætermittatur.

Quod vero attinet ad Communionem in mortis articulo pro Viatico dandam, de hac nihil dixit conſtitutio illa Concilij Limenſis ſupra adducta, nec quoad eius omiſſionem laudauit, aut approbauit præteritum vſum; quia de hac maior fortaſsè ſcrupulus haberi poſſet, eo, quod determinatio illius temporis non tam ex Eccleſiaſtico, quam ex Diuino præcepto eſſe videatur, & ideo pueris doli capacibus diximus dandũ eſſe Viaticum in illo articulo, licet annua communio eis per aliquot annos differatur; vnde rudioribus etiam Indis non videtur neganda Euchariſtia pro Viatico, cum iam vrgeat ſpes illa melioris capacitatis, & diſpoſitionis futuræ. 54.

Cæterum de illa etiam Viatici negatione dico ſecundo: quamdiu Indi non ſciunt diſcernere hoc Sacramentum ab aliis cibis, etiamſi alioquin ſint doli, & peccari capaces, & quamdiu de eorum capacitate dubitatur, poteſt licitè non dari eis Euchariſtia in mortis articulo. Hæc conſtat ex iis, quæ de pueris dicta ſunt; quia nimirum non poſſunt ligari præcepto accipiendi Sacramentum, quamdiu ipſum Sacramentum non noſcunt, neque etiam in dubio lege obligantur, vt ſupra diximus: debent tamen vt monui, à Parochis inſtrui, vt ſi capaces ſint, notitiam acquirant ſufficientem ad ſumendum Sacramentum, & remedium tanti ponderis in eo neceſſitatis articulo. 55.

Concluſio ſecunda, quamdiu non diſcernunt hunc cibũ ab alio, licitè in mortis articulo poteſt non dari.

Loquendo vero de illis, qui alioquin capaces ſũt, & notitiam imperfectam, ſed ſufficientem habent huius Sacramenti ad illud pro Viatico ſuſcipiendũ, non repugnat, quantum eſt ex ipſius Sacramenti inſtitutione, vt lege aliqua Eccleſiaſtica prohibita illis eſſet Euchariſtia in mortis articulo iuſtis de cauſis, vt puta in pœnam inconſtantiæ in fide, & leuitatis, ac facilis regreſſus ad idololatriam, veneficia, incantationes, ſuperſtitiones, &c. in pœnam ebrietatis aſſiduæ, & vt alij territi hoc ſupplicio reſipiſcerent, & mores Chriſtianos conſtanter retinerent. 56.

Poteſt tamen aliqua lege recuſari illis qui alioquin capaces ſunt in eodem articulo.

Concluſio hæc probari facilè poteſt ex antiqua Eccleſiæ praxi, quæ ob aliqua enormia peccata conſueuit in fine vitæ etiam pœnitentibus Euchariſtiam negare. Cuius exempla in ſolo Concilio Eliberitano reperiuntur ferè viginti, quorum aliqua ea ſunt, quæ in noſtris Indis maximè notantur, ſcilicet regreſſus ad idololatriam. Sic habet Canon 1. *Placuit, vt quicumque poſt fidem Baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idoli idololatraturus acceſſerit, & fecerit; quod eſt crimen capitale, nec in fine eum ad communionem ſuſcipere.* Item in Concilio Sardicenſi *can.* 2. Epiſcopus, qui fraudibus paruo Epiſcopatu relicto, maiorem accipit, in fine etiam vitæ Viatico priuatur. Et denique Innoc. I. *Epiſt.* 3. ad Exuperium Tholoſanum Epiſcopum §. 2. refert conſuetudinem illam veteris Eccleſiæ, eamque probat, & laudat, licet, rebus iam mutatis, ſeruari nolit. Verba Innocentij ſunt hæc: *Et hoc quæſitum eſt, quid* 57.

Probatur ex antiqua Eccleſiæ praxi.

Concil. Eliberit.

Conc. Sard.

Innoc. I.

quid de his obſeruari oporteat, qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentia, & voluptatibus dediti in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem Communionis expoſcunt. De his obſeruatio prior, durior; poſterior, interueniente miſericordia, inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, vt concederetur eis, Pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non reuocaret à lapſu, negata merito Communio eſt; conceſſa Pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, iam depulſo terrore, Communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi Viaticum profecturis, ne Nouatiani hæretici negantis veniam aſperitatem, & duritiam ſubſequi videamur. Tribuetur ergo cum Pœnitentia extrema Communio, vt homines huiuſmodi vel in ſupremis ſuis, permittente Saluatore noſtro à perpetuo exitio vindicentur. Hæc Innocentius; vbi & refert, & approbat veterem vſum negandi Viaticum aliquibus peccatoribus etiam in fine vitæ pœnitentibus.

58. *Ratio eſt, quia fideles non tenentur accipere Viaticum niſi Eccleſia illud dederit.*

Ratio autem eſt, quia licet fideles debeant Viaticum in mortis articulo accipere, ad hoc tamen non tenentur, niſi Eccleſia illud dederit, quæ in huius Sacramenti adminiſtratione poteſtatem habet ea ſtatuenda, vel mutanda, ſalua Sacramenti ſubſtantia, quæ ſuſcipientium vtilitati, & ipſius Sacramenti venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret, vt definitur in Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. Sicut ergo Eccleſia ob Sacramenti reuerentiam permittit potius hominem abſque Viatico mori, quam Sacerdotem abſque Sacris veſtibus celebrare ad Euchariſtiam conſecrandam pro illo infirmo; ſic poteſt ob eiuſdem Sacramenti reuerentiam, & ad terrorem, correctionemque perditorum hominum viatico priuare aliquem, quando id iudicauerit expedire.

59. *Hoc tamen repugnat Eccleſiaſticis decretis.*

Dixi tamen in concluſione, non repugnare, *quantum eſt ex inſtitutione huius Sacramenti*, quod lege Eccleſiaſtica negaretur Indis etiam pœnitentibus Viaticum iuſtis de cauſis: nam licet id Sacramenti inſtitutioni non repugnet, repugnare tamen poteſt Eccleſiaſticis decretis, quibus videtur in vniuerſum ſtatutum eſſe, quod nulli, quantumuis grauiſſimis ſceleribus obnoxio in mortis articulo Communio negetur, ſi pœnitentiæ, & compunctionis ſigna exhibuerit. Sic enim decernere videtur Innocentius I. in verbis ſupra adductis ex eius *Epiſt.* 3. & prius vniuerſaliter ſtatutum videtur in Concilio Niceno *Can.* 13. vbi de pœnitentibus morituris dicitur:

Conc. Nic.

De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularíſque ſeruabitur ita, vt ſi quis egreditur è corpore, vltimo, & neceſſario Viatico minime priuetur. Quod ſi deſperatus, & conſequutus Communionem, oblationiſque particeps factus iterum conualuerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodo conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi Communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter (hoc eſt, alij vertunt, *cum examinatione, ſeu cum Epiſcopi cura & probatione precedente*) *ex oblatione dare debebit.* Vnde in c. *Quæſitum* 13. q. 2. id extenditur ad eos etiam, qui propter ſua delicta morte puniuntur. Et in *cap. ſuper eo*, de Hæreticis *in* 6. ad hæreticos poſt abiurationem relapſos, & igni tradendos, quibus tamen, ſi Euchariſtiam petant, & eorum pœnitentia manifeſta ſit, negandam non eſſe reſpondet Alexander Papa.

Alex. PP.

Quibus decretis ſtantibus, difficile eſt quod poſſint Prælati inferiores legem condere, qua aliquibus ob eorum peccata in mortis articulo Communio denegetur.

Nec videtur ſatisfacere reſponſio, quam indicat P. Acoſta loc. cit. c. 8. quod ſcilicet adhuc relicta intelligatur Epiſcopis, & Eccleſiæ maioribus ea poteſtas, cum in Lateranenſi Concilio tribuatur Confeſſario facultas, vt ſi expedire iudicauerit, differat, & protrahat longius Communionem Paſchalem debitam ex præcepto: Hoc, inquam, non ſatisfacit; non enim arguitur bene à Communione Paſchali ad Viaticum in mortis articulo, vt ſi detur facultas differendi illam, detur etiam facultas omnino negandi iſtud, tum quia ſunt diuerſa præcepta, & præceptum non negandi Communionem vlli peccatori in mortis articulo, factum fuerat abſque vlla exceptione, aut facultate arbitrandi, vt conſtat ex iuribus citatis; quare facultas arbitrandi data confeſſario in Concilio Lateranenſi ſolum debet intelligi circa Communionem annuam, quæ ſola ibi præcipitur; tum etiam, quia cum præceptum ſumendi Viatici iuxta communiorem ſententiam non ſit Eccleſiaſticum, ſed Diuinum, ſicut Eccleſia noluit determinare tempus illius præcepti, ſed Communionis percipiendæ in vita: ſic nec voluit dare facultatem Confeſſario protrahendi, aut arbitrandi circa illam communionem: non habemus ergo fundamentum ſufficiens ad dicendum, relictam fuiſſe adhuc Epiſcopis poteſtatem negandi viaticum contra vniuerſales illas Eccleſiæ ſanctiones, quibus nemini prorſus negandum decernitur. 60.

Aco ſta.

61. *Contra illas leges Eccleſiaſticas non de facto repugnat præſcribi aliqua conſuetudine legitima.*

Cæterum quia leges illæ vniuerſales ſunt meræ Eccleſiaſticæ, non video etiam cur repugnet de facto, quod aliqua legitima, & rationabilis conſuetudo poſſit aliquando contra illas præſcribi, vt poſſit ex conſuetudine legitima alicubi negari aliquibus, ſicut poſſet, ſi prædictæ Eccleſiaſticæ ſanctiones non extarent. Hoc enim habent humanæ leges, vt regulariter poſſint conſuetudine contraria quæ cæteras habeat conditiones requiſitas, abrogari. Nunc autem loquimur ſolum de poſſibili, nec volumus, aut poſſumus decernere, an re vera eiuſmodi legitima, & rationabilis conſuetudo interceſſerit cum omnibus debitis conditionibus ad derogandum Eccleſiaſticis legibus vniuerſalibus in re tanti ponderis; præſertim cum vix ſit credibile, reſpectu tantæ multitudinis concurrere ſemper cauſas rationabiles ad negandum hoc Sacramentũ in fine vitæ, quod vniuerſalis Eccleſia decreuerat nemini prorſus vnquam debere in vllo neceſſitatis articulo denegari.

62. *Concluſio vltima, poteſt negari Indis Euchariſtia in fine vitæ.*

Addo tamen, & dico vltimo, non videri improbabile, quod ſtantibus adhuc illis decretis de non neganda Euchariſtia in fine vitæ vlli peccatori pœnitenti, rationabiliter poſſit aliquibus negari propter peculiares circumſtantias, quæ fortaſſe apud Indos requiri poſſunt. Poteſt enim contingere, vt ex deprauata vita hominis, eiuſque inconſtantia in bono, ac leuitate ingenii, prudentiſſime iudicetur, nunc etiam carere debito dolore, & propoſito, & tunc licet propter aliquale dubium adhiberi poſſit remedium neceſſarium abſolutionis ſaltem ſub conditione, ſi capax eſt, vt ſubueniamus illi, ſi fortè ſubuenire poſſumus: in illo tamen dubio, imo præſumptione maxima indignitatis, reuerentia erga Sacramentum Euchariſtiæ, quam ſummopere obſeruat Eccleſia, videtur exigere, ne exponatur illi irreuerentiæ, cum non ſit remedium neceſſarium ad ſalutem infirmi. Nam ſi periculum irreuerentiæ corporalis, quando ſcilicet dubium eſt de vomitu, impedit, ne homini iuſto, & optimè diſpoſito in fine vitæ tribuatur; quanto magis periculum ferè certum irreuerentiæ ſpiritualis poterit ſufficere, vt non

detur

detur eiuſmodi homini, propter vitandum periculum grauius irreuerentiæ.

63. Neque hic caſus, ſi occurreret, comprehenſus videtur in decretis de non neganda Euchariſtia peccatoribus in fine vitæ: illa enim decreta loquuntur de peccatore verè pœnitente, & cuius pœnitentia ſufficienter conſtet. Ideo enim in *Canone illo 13.* Concilij Niceni exigitur, vt cum examine Epiſcopi concedatur Communio, præcedente debita probatione, & *in d. c. ſuper, de hæreticis in 6.* dicitur, dandam eſſe hæretico relapſo Euchariſtiam, ſi manifeſta ſit eius pœnitentia. Aliunde vero periculum illud fraudis, & fictionis viſa fuit cauſa vrgens ad negandum Viaticum Patribus Concilij Eliberitani *can. 3.* cuius hæc ſunt verba: *Item Flamines, qui non immolauerunt, ſed munus tantum dederunt, eo quod ſe à funeſtis abſtinuerunt ſacrificiis, placuit in fine eis præſtare Communionem; acta tamen legitima pœnitentia. Item ipſi, ſi poſt pœnitentiam fuerint mœchati, placuit vlterius eis non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videantur.* Vides, relapſis ſemel datam fuiſſe in fine vitæ; relapſis iterum poſt exactam pœnitentiam non datam propter præſumptionem fictionis; quanto magis de aliquibus Indis ea fictio timeri, & præſumi poteſt, in quibus experientia totius vitæ oſtendit, nunquam etiam poſt Confeſſionem perfectam, abſtinuiſſe ab ebrietate, ſuperſtitionibus, turpitudine, & ſimilibus, cum neque in fine vitæ maiora ſigna pœnitentiæ veræ in iis appareant, quam in prioribus Confeſſionibus exhiberent.

Periculum fraudis eſt cauſa vrgens ad negandum Viaticum.

64. In hoc ergo morali periculo Irreuerentiæ non video, quæ ſit ex decretis Eccleſiaſticis obligatio dandi Euchariſtiam. Ponamus enim, aliquem deprauatæ vitæ, & corruptis moribus, adulterum, inceſtuoſum, concubina domi habita, abſque Sacramentorum vſu per multos annos vixiſſe cum publico ſcandalo, ſubito autem morbo correptum, & interrogatum, an velit abſolutionem, ſignum aliquod remiſſimum dediſſe; dubiũ tamen, tum quia dubium eſt an ſit compos ſui, tum quia dubitatur an fuerit ille motus naturalis, an ſignum pœnitentiæ: & quidem attentis circumſtantiis ferè videri certum, quod non ſit ſufficienter diſpoſitus, nec habeat veram pœnitentiam: propter extremum tamen periculum, & illud qualecumque dubij veſtigium detur illi ſub conditione Abſolutio; ideone dignus cenſebitur, cui detur Euchariſtia cum tali tantoque periculo irreuerentiæ? Quid enim ſi ille hæreticus fuiſſet, & hæreſiarcha obſtinatiſſimus; daremuſne illi Euchariſtiam propter illud qualecumque veſtigium dubij de pœnitentia volita? Certè non ita parum Eccleſia curat de reuerentia Chriſto debita in illo Sacramento. Abſolutionem facilius impendimus cũ qualibet dubitationis vmbra: parum enim refert, quod verba ſub conditione proferantur, quæ conditione non exiſtente, Sacramentum non conficient, & alioquin extrema neceſſitas vrget ad adhibenda remedia etiam cum ſpe illa tenuiſſima, Chriſti vero maieſtas, & tanti myſterij cultus cogit ad non temerè illud in ſterquilinium proiiciendũ.

65. Non ergo repugnat, aliquem inueniri, cui, vrgente iam exitu, abſolutio ſub conditione detur propter maximam neceſſitatem, & qualecunque dubium pœnitentiæ volitæ; cui tamen Euchariſtia propter indecentiam, & irreuerentiam dari non debeat. Hoc itaque quod de poſſibili ſtatuimus, ſi de facto in aliquibus Indis poneretur, excuſari poſſet Parochorum ſeueritas, eo quod diuturna experientia de hominum leuitate, incorrigibilitate, ſuperſtitione, ebrietate, aliiſque inueteratis vitiis reddat eos ferè certos de indiſpoſitione, vixque locum relinquat ad impertiendam abſolutionem ſub conditione, vt in tanto periculo nihil remedij intentatum relinquatur. An vero hæc exercitatio ita vniuerſalis ſit, vt ad communem vſum ſufficiat, ipſi viderint: videtur enim difficile, quod tot, & tales circumſtantiæ non ſolum in vno aut alio, ſed in tota ferè multitudine concurrant.

Quod de poſſibili hic, ferè de facto in Indis ponimus.

66. Concludo itaque, Indorum Parochos, vt muneri ſuo ſatisfaciant, optimè facturos, ſi quod attinet ad Communionem annuam, regulam dicti Concilij Limenſis obſeruent; vt quos perſpexerint hunc cibum ab aliis diſcernere, eumque deuotè cupere, & poſcere, ad illum admittant, ſimulque pro debito ſuo omnes iuxta captum eorum inſtruant, excitent, & diſponant ad notitiam & deſiderium huius Sacramenti. Quoad viaticum vero morientium, neminem credo debere excludi, niſi talis eſſet ingenij, de cuius capacitate ad cognoſcendum hunc cibum dubitaretur vel minimum, vel certè de eius indiſpoſitione talis eſſet præſumptio, quæ in reuerentiam redundaret huius Sacramenti, ſi tribueretur, iuxta regulas ſupra poſitas. Caueant tamen miniſtri, ne deſidia ipſorum in inſtruendo, & monendo, ac excitando ad pietatem, ac veram pœnitentiam moribundo, incapacitatis, aut indiſpoſitionis, quæ prætenditur, cauſa ſit.

Quomodo ſe gerere debeãt Indorum Parochi.

67. Reſtat dubium de Energumenis, de quibus olim varij vſus fuerunt, & propter decentiam illis negabatur Communio. Poſtea vero data fuit, vt conſtat ex Caſſian. *Collat. 7. c. 30.* & Proſper. *lib. .. de prædictionib. & promiſſionib. c. 6.* & ex Concil. Arauſ. 1. *Can. 14.* Quæ conſuetudo approbatur à Theologis, ſi cætera requiſita adſint; & traditur in Sacerdotali Romano antiquo, dummodo Energumenus hoc Sacramentum deuotè petat; & tacitè videtur admitti in Rituali Romano nouo Pauli V. dum, enumeratis aliis, quibus Euchariſtia non eſt danda, de Energumenis nihil dicit. Circa antiquum vero vſum videri poteſt P. Vaſq. *diſp. 212. c. 4.* qui eum diligenter examinat, & recenſet.

Dubium de Energumenis. Caſſian. Proſper. Conc. Arauſ.

DISPVTATIO XIV.

De Diſpoſitione ſpirituali prærequiſita ad Euchariſtiam.

SECTIO I. *Debere præcedere ſtatum gratiæ ante Communionem.*

SECTIO II. *Vtrum communicare cum peccato veniali, ſit peccatum ſaltem veniale; ſicut communicare cum mortali eſt mortale.*

SECTIO III. *Vtrum ad effectum Euchariſtiæ requiratur actualis deuotio in communicante.*

SECTIO IV. *An, & quomodo prærequiratur Confeſſio ſacramentalis ante ſumptionem Euchariſtiæ.*

SECTIO V. *Quando liceat accipere Euchariſtiam, non præmiſſa Confeſſione.*

SECTIO VI. *An, & quomodo requiratur contritio, quando non præmittitur Confeſſio ante Communionem.*

SECTIO VII. *Quale ſit præceptum confitendi ſtatim poſt Communionem, quando aliquis abſque Confeſſione communicauit.*

TRIPLEX eſt hæc diſpoſitio, ſcilicet ſtatus gratiæ, deuotio actualis, & Confeſſio ſacramentalis; de quibus ſingillatim dicemus.

SECTIO

SECTIO I.

Debere præcedere ſtatum gratiæ ante Communionem.

1. *Prærequiritur ſtatus gratiæ.* *Bellarm.* *Suarez.* *Vaſquez.* *1. Cor. 11.*

CONueniunt omnes Catholici contra hæreticos noſtri temporis in hoc, quod ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem prærequiratur neceſſario ſtatus gratiæ; quod definitum eſt in Trident. *ſeſſ.13. c.7.* & latè probant Bellarm. *lib.4. de Euchariſt. c.17. & ſeqq.* Suarez *diſp. 66. ſect.1.* Vaſquez *diſp.205. c.1.* & alij, & conſtat clarè ex Pauli verbis *1. ad Cor. 11.* *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Et ex Clemente Rom. *lib.7. Apoſt. Conſtit. c.72. in fine: Si quis, inquit, ſanctus eſt, accedat; ſi quis non eſt, curet vt fiat per pœnitentiam.* Quæ formula, paucis mutatis verbis, inuenitur in ferè omnibus Liturgiis antiquis, in quibus ante Communionem præmonebantur dicendo: *Sancta ſanctis*; quorum verborum ſenſus eſſe non poteſt, quem dicunt hæretici, ſcilicet, vt includerentur Catechumeni; tum quia ij iam multo prius excluſi erant ab Eccleſia ante oblationem ſacrificij, & conſecrationem; tum etiam, quia ex verbis adductis Clementis conſtat, eos ſolos dici non ſanctos, qui nondum per pœnitentiam fuerant iuſtificati; & ideo illis non Baptiſmus, ſed Pœnitentia commendatur, vt digni fiant & accedere poſſint ad Euchariſtiam. Alia plura Patrum loca vide apud Bellarm. & alios ſupra citatos. *Clem. Rom.*

2. *Ratio ex eſſentia huius Sacramenti.* Ratio autem deſumitur ex eſſentia huius Sacramenti, quod cum inſtitutum ſit per modum cibi, & potus, ordinatur ex ſua inſtitutione, & per ſe, non ad generandum, aut viuificandum; id enim cibo, aut potui non competit: ſed ad nutriendum, atque ideo ex ſua inſtitutione prærequirit in ſumente vitam ſpiritualem; alioquin redderetur falſa eius ſignificatio, qua ſignificatur augmentum vitæ per nutritionem ſpiritualem.

3. *Dubitatur an in nullo caſu liceat accedere cum conſcientia peccati mortalis.* *Affirmat Suarez.* *Negat Vaſq.* Hoc ergo ſuppoſito, dubitari poteſt primo, an hæc obligatio ſit tanta, & tam ſtricta, vt in nullo vnquam caſu liceat alicui hoc Sacramentum ſumere cum conſcientia peccati mortalis. Sic enim videtur affirmare P. Suarez *dicta ſect.1.* Contrarium tamen in aliquo caſu fatetur P. Vaſquez *diſp. 207. cap.1. n.3.* vbi ait: *Si quis in altari recordetur alicuius peccati commiſſi poſt Confeſſionem, cuius illuc vſque nullam neque in vniuerſum habuiſſet contritionem, quia fortaſſis nunquam putauit eſſe mortale; tunc autem iam videt, aut vehementer dubitat eſſe mortale: ita poſſet temporis anguſtiis arctari, aliiſque neceſſariis ipſius ſacrificij diſtrahi (quanquam raro id accidere poteſt,) vt niſi ab eo ceſſaret, nullo modo ad perfectam contritionem excitari poſſet; ac proinde tunc ad Sacramentum in peccato illo mortali accedere, ad nouum peccatum mortale ipſi non imputaretur, quia hoc præceptum non obligat cum tanto diſpendio, vt debeat homo coram toto populo à ſacrificio cum nota ſui honoris ceſſare, potius quam ad Sacramentum cum illo peccato accedere. Quemadmodum etiam ſi quis ſciret, ſe in mortali eſſe, & tamen neceſſarium eſſe ita ſubito miniſtrare Baptiſmum paruulo propter inſtans periculum mortis, vt ad dolorem perfectum de illo peccato ſe ipſum mouere non poſſet, excuſaretur ab irreuerentia Sacramenti propter inſtans periculum paruuli, & vt obligationi charitatis ſatisfaceret.* Hæc Vaſquez, quæ mihi etiam probabilia videntur: conſequenter autem idem à fortiori videtur dicendum, quando in ſubita hæreticorum, vel paganorum irruptione periculum eſſet grauiſſimæ irreuerentiæ Euchariſtiæ inferendæ, & Catholicus in peccato exiſtens non poſſet præ temporis anguſtiis diſponere ſe per contritionem, aut occultare Sacramentum, tunc enim propter eiuſdem Sacramenti reuerentiam, ſicut poſſet ex omnium ſententia non ieiunus, ſic etiam videtur, quod poſſet in peccato exiſtens Euchariſtiam ſumere ad vitandam eius irreuerentiam. Nec ex his colligi poteſt, quod poſſit etiam Sacerdos ad vitandam infamiam celebrare in ſtatu peccati, cuius antea recordatur; nam tunc poteſt moraliter diſponere ſe cum diuina gratia, & elicere dolorem perfectum de peccatu, vel certè in Miſſæ diſcurſu id præſtare poteſt; caſus enim ſupra poſiti rariſſimè poſſunt contingere. *Hæc quæ dicit Vaſq. videntur probabilia.*

4. *Secundum dubium.* *Aliquorum ſententia.* *Alenſis.* Secundo dubitatur, an ſit grauius peccatum ſumere Euchariſtiam cum pluribus, aut grauioribus peccatis, quam cum paucioribus, aut leuioribus mortalibus? Aliqui enim volunt, peccata minus grauia poſſe magis repugnare Euchariſtiæ, v.g. peccata carnalia magis, quam ſpiritualia. Tribuitur Alenſi *4. par. quæſt.46. memb.4. & 5.* Qui modus dicendi poſſet apparenter confirmari ex eo, quod aliqua poſſunt eſſe peccata minus grauia, quæ tamen magis aduerſentur ſignificationi huius Sacramenti, v.g. peccata diſcordiæ, odium, & ſimilia, quæ faciunt diuiſionem inter membra corporis myſtici; cum autem hoc Sacramentum ſignificet vnitatem fidelium inter ſe, qui de vno, eodemque pane participant, conſequens eſt, quod eiuſmodi peccata magis falſam reddant ſignificationem Sacramenti, atque ideo magis grauem culpam ſumptionem ipſius; quia culpa hæc deſumitur ex eo, quod reddatur falſa ſignificatio Sacramenti per ſumptionem indignam.

5. *Aliter alij poſſent dicere.* Aliunde poſſet aliquis contendere, maiorem, aut minorem grauitatem peccatorum præcedentium parum referre ad aggrauandam, vel minuendam culpam communionis indignæ: nam culpa hæc conſiſtit in eo, quod impediatur fructus & effectus Sacramenti: hic autem æquè impeditur per vnum vel per plura peccata: quolibet enim peccato aufertur gratia habitualis, quæ prærequiritur ad fructum Euchariſtiæ. Vnde ſicut ad communionem requiritur ieiunium naturale, & ideo parum refert quod vnum ouum, aut quinque comederis; per quodlibet enim aufertur omnino ieiunium requiſitum: & ideo non videtur aggrauari peccatum ex pluribus ouis antea editis, ſic cum ad dignam communionem prærequiratur ieiunium ſpirituale, ſeu puritas à peccato mortali, & hæc omnino tollatur quolibet peccato mortali, conſequens videtur, quod pluralitas, vel grauitas eorum parum referat ad aggrauandam culpam indignæ ſumptionis.

6. *Communis & vera ſententia vult aggrauari peccatum ex grauioribus peccatis.* Communis tamen, & vera ſententia affirmat, aggrauari hoc peccatum ex pluribus, & grauioribus peccatis præcedentibus; quod ſumitur ex S. Thoma *in præſenti q.80. art.5. ad 2.* quia nimirum potiſſima ratio malitiæ in ſumptione indigna conſiſtit in eo, quod reddat falſam ſignificationem præcipuam Sacramenti, quod ſignificat nutritionem ſpiritualem; hæc autem redditur magis falſa in habente plura, & grauiora peccata: nam ſicut magis diſtat à vita ſpirituali, qui mille peccatis mortalibus oppreſſus eſt, quam qui vno: ita longius abeſt à veritate ſignum, quod ſignificat illum hominem viuere, & nutriri ſpiritualiter, quam quod ſignificat hoc ipſum de habente vnum ſolum peccatum.

7. *Reſponde ad rationes in contrarium adductas.* Vnde ad rationes in contrarium adductas facilè reſpondetur. Ad primum, peccata, v.g. contra vnionem, & concordiam falſificant quidem hoc Sacramentum

mentum magis; non tamen circa ſignificationem eius potiſſimam, quæ eſt de augmento vitæ ſpiritualis, ſed circa ſignificationem aliquam accidentalem, & minus principalem: at vero peccata grauiora falſificant magis circa ſignificationem potiſſimam, & principaliorem, vt dictũ eſt. In quo ſenſu S. Thomas vbi ſupra concedit, peccata contra caſtitatem magis opponi ſecundum quid perceptioni Euchariſtiæ, quatenus per eiuſmodi peccata ſpiritus magis carni ſubiicitur, & ita impeditur feruor dilectionis, quæ requiritur in hoc Sacramento. Simpliciter tamen magis opponuntur peccata grauiora, quæ magis opponuntur charitati ſubſtantiali.

8. *Obiiciuntur verba Paſchaſij. Paſchaſ. Ab.* Obiici ſolent verba quædam Paſchaſij Abbatis *lib. de corpore & ſanguine Domini, cap.* 22. qui habetur in Bibliotheca Patrum. Vbi ex ritu veteris legis accingendi renes ad comedendum Agnum, probat neceſſitatem maximam caſtitatis ad ſumendam Euchariſtiam his verbis: *Probet ſe vnuſquiſque, & vt præcipitur, ſic ſe agat. Renes veſtros, inquit, accingetis, quia hæc ſunt vitæ ſemina, quibus virgines generantur. Vnde conſtat quod nulli periculoſius ea contingunt, quam luxurioſi, & inceſti. Propterea primum hoc loco & lux caſtitatis in renibus, quorum ſcrutator eſt Deus per ſe ipſum, adfigitur,* &c. In quibus verbis Paſchaſius videtur agnoſcere grauiorem culpam in Communione cum peccato luxuriæ, quam cum aliis peccatis etiam grauioribus.

9. *Suarez. Reſpondet Suarez. Oſtenditur.* P. Suarez dicit, eſſe magis periculoſam Communionem illam propter maius periculum incidendi in prauam, ac deteſtabilem conſuetudinem, & contemnendi paulatim. Cæterum non oſtendit, nec videtur apparere illud maius periculũ, cum ille etiam, qui communicat abſque animo reſtituendi, vel celebrat abſque animo recitandi Officium, habeat ſimile periculum conſuetudinis, & contemnendi.

Vaſq. Reſpondet Vaſquez. P. Vaſquez reſpondet, illud intelligendum eſſe, non de maiori periculo ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quatenus per peccata luxuriæ (vt dixit S. Th.) ſpiritus magis ſubiicitur carni, & ita magis impeditur feruor dilectionis, qui requiritur in hoc Sacramento; quia conſideratio, quæ ad feruorem deberet excitare, magis impeditur.

10. *Hæc reſponſio refellitur.* Hæc etiam reſponſio non videtur eſſe iuxta mentem Paſchaſij. Nam ex eo, quod peccata luxuriæ magis ſubiiciant ſpiritum carni, ſequitur bene, quod magis impediant feruorem dilectionis, & per conſequens diſpoſitionem requiſitam ad hoc Sacramentum, vt dixit S. Thomas, non tamen ſequitur, quod ipſa Communio ſit magis periculoſa, prout dixit Paſchaſius: nam carentia dilectionis Dei eadem eſt in luxurioſo, quando communicat, & quando non communicat: nec iſta carentia creſcit ex communione; ergo non eſt maius periculum in communione cum peccato luxuriæ, quam in communione cum aliis peccatis grauioribus: nam qui communicat etiam cum alio peccato grauiori, certiſſimè caret tunc feruore dilectionis requiſitæ. Vnde ergo erit magis periculoſa illa alia communio, quam iſta, ſi vtraque ſit abſque feruore dilectionis.

11. *Dices.* Dices, maius periculum eſſe in communione cum peccato luxuriæ, quo efficacia Euchariſtiæ magis impeditur; facilius enim Euchariſtia excitaret alium peccatorem ad actũ dilectionis, quam laſciuum, eo quod in iſto ſpiritus ſit magis grauatus, & hebetatus, ac ſubditus carni, atque ideo minus aptus, vt excitetur ad dilectionem Dei, ideo periculoſius recipitur cum eiuſmodi peccatis Euchariſtia, quia nimirum eſt minor ſpes ſentiendi fructum Sacramenti.

12. *Reiicitur.* Sed contra hoc eſt, quod ſi Euchariſtia ſumatur cum quolibet alio peccato mortali, Sacramentum nullum prorſus effectum operatur in ſumente; cum enim non conferat gratiam habitualem, non confert etiam gratias actuales, auxilia, aut inſpirationes, quæ non conferuntur per Sacramenta, niſi media gratia habituali, & in iis ſubiectis, quæ Sacramenta dignè ſuſcipiunt: ergo non eſt minus periculum amittendi eiuſmodi lumen, & excitationes, quando ſuſcipitur cum quolibet alio peccato mortali, quam quando ſuſcipitur cum peccato luxuriæ.

Poſſet aliquis dicere, tantam eſſe huius Sacramenti virtutem, vt tunc etiam quando indignè ſuſcipitur, aliquando ſui ſplendoris radius in peccatoris mentem diffundat, & eum ad dolorem excitet, ac compunctionem. Quod videtur indicaſſe Cyrill. Alex. *lib. 9. in Ioan. cap.* 19. vbi dicit, ideo diabolum vehementius Iudam impuliſſe poſt Euchariſtiam ſumptam, vt celerius feſtinaret ad conſummandam proditionem, quia nimirum timuit, ne fortaſsè Sacramenti virtute illuminatus ad pœnitentiam moueretur: *Nam etiam Iudam,* inquit, *cum poſt panem omnino ſeparauerit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne ſcintillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit, & ad meliora retraxerit, magna præcipitem agit celeritate.* Huius ergo emolumenti magis incapax eſt, qui cum luxuriæ peccato communicat, propter maiorem mentis hebetudinem ab eiuſmodi peccatis contractam, ratione cuius difficilius poteſt Diuinas illuſtrationes percipere. 13. *Poſſet aliquis dicere.*

Adhuc tamen non videtur id ſatis iuxta mentem Paſchaſij, qui non ſolum dixit, communionem cum peccato luxuriæ eſſe minus vtilem, ſed dixit, eſſe poſitiuè magis periculoſam, hoc eſt, magis noxiam, quam cum aliis peccatis. Eſſe enim periculoſam, ſignificat per ipſam non ſolum non afferri aliquod commodum, aut lucrum, quo caret ille etiam, qui non communicat, ſed incurri in aliquod malum nouum, in quo non incurreret homo, ſi modeſtè à Communione abſtineret; non eſt ergo periculoſa communio ex eo ſolum, quod non illuminetur homo per illam, nam minus illuminaretur per illam, ſi non communicaret; ſed eſt periculoſa, eo quod aliquod detrimentum, aut ſupplicium afferat, quod non incurreret homo, non communicando cum eiuſmodi peccatis. 14. *Id tamen non videtur eſſe iuxta mentẽ Paſchaſij.*

Quale autem ſit iſtud malum, & detrimentum ſpeciale eius, qui cũ luxuriæ peccatis accedit ad Euchariſtiam, dici poteſt conſiſtere in eo, quod in pœnam indignæ communionis priuetur ſpecialibus, ac validioribus auxiliis Diuinis ad vincendas tentationes ſuæ carnis. Cum enim Euchariſtia ſpecialiter conferat robur contra eiuſmodi tentationes, & purificet, ac caſtificet carnem dignè communicantis; hinc eſt, vt ille, qui Euchariſtiam indignè tractat, iuſtiſſimè priuetur eiuſmodi auxiliis extraordinariis, non ſolum illis, quæ intuitu eiuſdem Euchariſtiæ dignè ſuſceptæ danda eſſent, ſed etiam illis, quæ aliunde ex ſua miſericordia Deus peccatoribus eiuſmodi in remedium propriæ fragilitatis largiri ſolet. Hoc enim modo ſolent puniri ij, qui ſpecialiter peccant contra aliqua remedia Diuina, vt quia in remedium ipſum peccarunt, morbum vehementius patiantur. Sic qui peccat contra Eccleſiaſtica Sacramenta, iuſtiſſimè in hoc ipſo punitur, vt neceſſitatis tempore eorũ opportunitatem non habeat. Item qui alterũ non miſeretur, Diuinam etiam demeretur erga ſe miſericordiam. Qui contra Beatiſſimam Virginem blaſphemus, & impius eſt, periculoſius etiam peccat, quia Virginis interceſſione aliis peccatoribus communi meritiſſimè priuatur: dignus enim eſt, vt abſque ſpecialibus illis auxiliis maneat, qui contra remedia ipſa ſpecialiter peccat. 15. *Speciale illud malũ eſt priuatio validiorum auxiliorum.*

Hinc

Hinc ergo oritur maius illud periculum communicantis indignè cum peccatis luxuriæ; peccat enim contra Sacramentum puriſſimum, quod in remedium eiuſmodi tentationum Deus miſericordiſſimè prouidit, & ideo merito à Deo relinquitur ſub grauiſſimis tentationibus propriæ carnis abſque ſpecialibus auxiliis, quæ aliquando peccatoribus dari ſolent. Aliunde vero cum eiuſmodi peccata magis ſubiiciant ſpiritum propriæ carni, vt dixit S. Thomas, & ideo magis indigeat eiuſmodi peccator ſpecialibus auxiliis ad ea ſeparanda; hinc etiam fit, vt maius ſit periculum luxurioſi communicantis, quam alterius peccatoris, quia licet alius etiam peccator propter indignam communionem priuetur ſpecialibus, & maioribus auxiliis ad reſurgendum; poterit tamen facilius reſurgere cum auxiliis ordinariis, quam luxurioſus, cuius ſpiritus ita torpet propter carnis petulantiam, vt difficile poſſit commoueri, niſi vehementioribus auxiliis, quæ tamen, vt diximus, in pœnam remedij contempti, & ſacrilegè accepti, merito eidem negatur; & ideo dicitur, quod eiuſmodi peccator periculoſius accedit ad Euchariſtiam. Quam rationem videtur indicaſſe idem Paſchaſius in verbis relatis: *Quia hæc ſunt* (inquit) *ita ſemina, quibus virgines generantur*; quaſi dicat, quia hoc Sacramentum remedium ſpeciale eſt ad caſtitatem ſeruandam: inde fit vt qui ſacrilegè illud tractat, maximum periculum incurrat in tam difficili bello ſuccumbendi, ablatis ſibi in pœnam ſpecialibus ſubſidiis, ſine quibus homo in ſuæ carnis poteſtatem ſæpè traditus difficilè poterit ab eo torpore euigilare, & reſurgere. Fatemur ergo, in aliquo ſenſu maius periculum communionis cum peccatis carnis: cæterum maior grauitas, & malitia ſimpliciter, & per ſe inuenitur in communione cum grauioribus, aut pluribus peccatis, eo quod reddatur ſignum magis falſum: ſicut qui dicit, ſe nihil prorſus comediſſe, cum reuera comederit lautè plura fercula, magis mentitur, quàm qui comedit octo ſolum, vel decem nuces, & dicit ſe nihil comediſſe.

Maius eſt periculum luxurioſi communicantis, quam alterius peccatoris.

16\. Vnde ad rationem dubitandi ſupra poſitam conſtat malitiam huius peccati non conſiſtere ſolum in impediendo fructum Sacramenti, ſed etiam in falſificatione illius ſigni, quæ falſitas eò eſt maior, quod homo longius abeſt à vita ſpirituali, quam Sacramenti ſuſceptio ſignificat præſupponi in ſuſcipiente: ſicut maior eſt falſitas dicentis, Pariſios eſſe prope Romam, quam id dicentis de Mediolano. Ad exemplum vero ſupra adductum de præcepto ieiunij ante Communionem, reſponderi poteſt, in primis non eſſe omnino ſimile, quia per plus cibi ſumptum non redditur magis falſa ſignificatio Sacramentalis Euchariſtiæ: ſicut per plura, aut grauiora peccata, quibus homo ſeparatus à Deo. Deinde in rigore negari poteſt, quod non creſcat grauitas peccati ex pluribus cibis ante Euchariſtiam ſumptis; quis enim dicat, non magis peccare eum, qui poſt prandium, & potum lautum, quam eum, qui poſt vnius amygdalæ eſum communicat? Certè cum ieiunium illud præcipiatur ob reuerentiam Euchariſtiæ debitam, negari non poteſt, creſcere indecentiam, & culpam, cum creſcat irreuerentia, quæ proculdubio maior eſt in primo caſu, quam in ſecundo: tum quia minus aptus eſt homo ad ſpiritualem guſtum percipiendum poſt multum, quam poſt parum cibi ſumptum: tum etiam, quia maior irreuerentia eſt, quod multi cibi, quam quod pauci præcedant cibum Euchariſticum: ſicut maior irreuerentia eſt, quod multi, quam quod vnus, vel alius præcedant loco Principem. Hæ autem ſunt potiſſimæ rationes, propter quas ieiunium naturale præcipitur

Ad rationem dubitãdi reſpondetur.

Ad exemplũ eius reſpondetur.

communicaturis, vt conſtat: ergo creſcit irreuerentia ex maiori cibo præcedenti, licet non ſit neceſſe, quantitatem cibi poſtea in Confeſſione explicare, eo quod vel non eſt circumſtantia ita notabiliter aggrauans, vel quia circumſtantiæ aggrauantes intra eandem ſpeciem non debent neceſſariò explicari.

17\. Petes, vtrum debeat explicari in Confeſſione qualitas, vel numerus peccatorum præcedentium, cum quorum conſcientia aliquis indignè communicat? Reſpondetur negatiuè, quia in confeſſione non debet neceſſario explicari, niſi ſpecies, & numerus peccatorum: qualitas autem diuerſa, vel numerus peccatorum præcedentium non facit, quod Communio ſubſequens ſit in ſe plura peccata, vt conſtat; nec quod ſit ſpecie diuerſa, omnia enim peccata opponuntur Communioni ſub eadem ratione ſpecifica falſificandi ſignum Sacramentale, & impediendi totum effectum Sacramenti. Quamvis ergo peccata illa debeant explicari ſecundum ſpecies, & numerum ad integram eorum confeſſionem, non tamen ad Confeſſionem indignæ communionis, ad quam ſufficit dicere: Accepi Euchariſtiam in ſtatu peccati; Sacerdos tamen debet dicere: Celebraui in ſtatu peccati; quia non ſolum peccauit recipiendo, ſed etiam conficiendo Sacramentum in ſtatu peccati, & vtrumque debet explicare.

Quæſtio ſecunda.

18\. Dubitatur tertio, vtrum qui accipit Euchariſtiam contra præceptum aliquod humanum, committat duo peccata, vnum contra prohibitionem illam, alterum, quatenus communicat in peccato. P. Suarez *ſect. 1 §. Dices ergo*, docet, eſſe vnum peccatum, explicandam tamen eſſe in Confeſſione illam circumſtantiam, quod, v. g. cum excommunicatione acceperit Euchariſtiam; quia notabiliter aggrauat intra eandem ſpeciem. P. Vaſquez vbi ſupra *n. 5.* quamvis non loquatur expreſſè de excommunicato, ſed de eo, cui prohibita eſt communio, dicit, eſſe vnicum peccatum; quia vtrumque præceptum eſt ex eodem motiuo religionis, cuius intuitu remoueretur à legiſlatore humano ille vt indignus, ne reciperet Euchariſtiam; plura autem præcepta non faciunt plura peccata, quando omnia ſunt ex eodem motiuo; vnde conſequenter ad ſua principia infert, non eſſe in Confeſſione explicandam illam circumſtantiam.

Dubitatur tertio de ſuſcipiente Euchariſtiam contra præceptum aliquod humanum.
Suarez
Vaſquez.

19\. Hoc tamen non caret difficultate; quia licet verum ſit, præcepta, quæ procedunt ex eodem motiuo, non multiplicare peccata, aut malitias; in noſtro tamen caſu illæ prohibitiones non videntur eſſe adæquatè ex eodem omnino motiuo. Nam etſi prohibitio Superioris humani, qua excommunicatus non poteſt communicare, procedat ex eo motiuo remouendi indignum ab Euchariſtia, ex quo etiam motiuo lex naturalis, vel Diuina prohibet Communionem peccatori; cæterum lex naturalis, ſeu Diuina habet etiam aliud motiuum: vt vidimus, ad prohibendam communionem in peccato, nempe ne reddatur falſa ſignificatio Sacramenti, & ne Sacramentum fraudetur ſuo effectu propter incapacitatem ſubiecti; quod quidem motiuum non habet præceptum humanum; vt conſtat in eo, qui incurrit excommunicationem in ſtatu gratiæ, prout contingere poteſt, ſi aliquis, v.g. mandauit famulo, vt vulneraret, vel occideret clericum, & ante exequutionem mandati doluit de peccato, & confeſſus eſt, ac iuſtificatus, non potuit tamen iam reuocare mandatum poſtea, quando re ipſa clericus occiditur, ipſe incurrit cenſuram, cum tamen tunc ſit in ſtatu gratiæ, & non poterit licitè communicare, cuius prohibitionis motiuum non eſt tunc incapacitas ſubiecti ad recipiendum effectum Sacramenti, aut falſitas

Hæc nõ caret difficultate.

ſignificationis ſacramentalis. Quod idem contingit, quando excommunicatus bona fide confitetur peccata, & immemor excommunicationis non abſoluitur à cenſuris, ſed ſolum à peccatis; tunc enim ſecundum veriorem ſententiam abſoluitur validè à peccatis, & iuſtificatur virtute Sacramenti; & tamen manet ligatus cenſura, ratione cuius non poteſt licitè communicare, ſi aduertat, donec abſoluatur à cenſura. Non ergo habet prohibitio humana idem omnino motiuum, quod habet lex diuina, vel naturalis prohibens communionem in peccato, atque ideo oportebit explicare vtramque prohibitionem ad declarandam malitiam ortam ex diuerſo motiuo.

20. *Illa tamen doctrina vera eſt quoad praxim.* Adhuc tamen quoad praxim, exiſtimo, doctrinam illam veram eſſe, nec oportere explicare vtrumque illud præceptum; quia licet præceptum humanum non habeat fortaſſe totum motiuum, quod habet præceptum diuinum, hoc tamen habet totum motiuum, quod habet præceptum humanum, nempe remouere ab hoc Sacramento indignos, ex quo motiuo remouentur ab Eccleſia excommunicati, etiam quando ſunt in ſtatu gratiæ, propter indignitatem aliquam præcedentem, licet non ſint nunc peccatores: ſicut & remouentur non ieiuni propter eandem reuerentiam Sacramenti, licet ſint in gratia. Ille ergo, qui explicat, ſe accepiſſe Euchariſtiam indignè, ſeu in ſtatu peccati, iam explicat ſufficienter malitiam, quæ ſumitur etiam ex prohibitione Eccleſiæ, ſcilicet, ſe peccaſſe contra præceptum remouens indignos hoc Sacramento, in quo motiuo conuenit vtrumque præceptum.

21. *Inſtantia.* Dices, ergo ſaltem ille, qui ſolum diceret, ſe cum excommunicatione accepiſſe Euchariſtiam, non explicaret ſufficienter totam malitiam, quia prohibitio Eccleſiæ, vt vidimus, non habet totum motiuum, quod habet præceptum non communicandi in peccato, ſcilicet, ne Sacramentum fraudetur ſuo effectu propter incapacitatem ſubiecti, & ne reddatur falſa eius ſignificatio cum poſſet excommunicatus eſſe in ſtatu gratiæ, vt vidimus. *Diluitur.* Reſpondeo negando ſequelam; adhuc enim dicendo, ſe cum excommunicatione accepiſſe Euchariſtiam, explicaret ſufficienter totam malitiam; quia explicaret etiam, ſe non ſolum cum excommunicatione, ſed etiam cum peccato mortali communicaſſe, atque ideo falſam, & inutilem reddidiſſe ſacramentalem ſignificationem, & efficaciam. Nam eo ipſo, quod ſcienter cum excommunicatione volebat communicare contra Eccleſiæ prohibitionem, peccabat mortaliter, atque ideo iam communicabat in ſtatu peccati contra præceptum naturale, vel diuinum. Imo licet non communicaret de facto, ſed habuiſſet ſolum voluntatem communicandi cum excommunicatione; ſi poſtea ſe de illa voluntate accuſaret, ſufficienter explicaret totam malitiam communicandi in peccato: quia velle communicare cum excommunicatione, eſt velle communicare cum peccato ad minus commiſſo in illa voluntate præcedenti: vnde cum communio cum excommunicatione non poſſit ſcienter fieri niſi cum peccato, & in peccato: dicere, ſe voluiſſe communicare cum excommunicatione, eſt dicere, ſe voluiſſe communicare in ſtatu peccati. Manet ergo vera, quoad praxim doctrina illorum Auctorum.

SECTIO II.

Vtrùm communicare cum peccato veniali, ſit peccatum ſaltem veniale, ſicut communicare cum mortali eſt mortale.

22. *Supponuntur quædam certa.* CErtum eſt apud omnes, peccatum eſſe veniale, quando ipſamet communio ordinatur ad malum finem venialem, aut ſi eſſet contra aliquod præceptum obligans ſub veniali. Certum etiam eſt, non impediri effectum gratiæ per peccatum veniale, etiamſi ſit tale, quod reddat malam venialiter ipſam ſumptionem, vt cum communi probat Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 3. difficultas eſt, quando peccatum veniale eſt habituale ſolum, vel certè actuale concomitans, vt ſi quis, dum recipit Sacramentum actu cogitaret de dicendo aliquo mendacio, aut quid ſimile.

P. Suarez *diſputat.* 66. *ſect.* 1. cum aliis docet, ſi quis, quando recipit Euchariſtiam, actu committat aliquod peccatum veniale; v. g. ſi actu ſit in aliqua vana cogitatione, aut delectatione, & ex ratione accedat diſtractus, & ſine debita deuotione, & reuerentia, eſſe peccatum veniale ſic communicare. Deinde, ſi quis conſuetudinem habeat committendi multa venialia, vel conſcientiam ſentit eorum multitudine oneratam, & ideo ad tractanda ſpiritualia indiſpoſitam, & tepidam, non poſſe excuſari à culpa veniali, ſi ſine vllo dolore, aut propoſito emendandi vitam ad Euchariſtiam accedat. P. Vaſquez *diſp.* 207. *c.* 1. in neutro caſu dicit eſſe nouum peccatum veniale accedere ad Euchariſtiam, ſiue cum actuali peccato veniali, ſiue cum multitudine venialium habitualium. Quia in neutro caſu impeditur effectus præcipuus Euchariſtiæ, qui eſt augmentum gratiæ ſanctificantis; nec homo tenetur ad procurandum omnem effectum, quem Euchariſtia poteſt cauſare. 23. *Suarez.* *Suarez dicit eſſe peccatum veniale accedere cum peccato veniali actuali.* *Vaſquez.* *Vaſquez negat.*

Ego diſtinguendum exiſtimo. Et in primis loquendo de peccato veniali actuali, fateor quidem, non ſemper per illud reddi communionem ipſam malam, aut peccaminoſam; cum hoc tamen ſtat, quod ſit ſpecialis culpa venialis cum illo peccato actuali accedere ad communionem, vel (vt magis propriè loquamur) habere illum actum, quando acceditur ad communionem. Prima pars probatur, quia, adhuc ſtante illo actu peccati concomitanti, acceſſus ad Euchariſtiam poteſt eſſe in ſe honeſtus, & ſanctus, imo & obligatorius. Quid enim ſi Sacerdos, dum celebrat, in ipſa communione ſentiret, ſe diſtractum ad vanas cogitationes, ideóne deberet omittere communionem, aut differre, & interrumpere cum populi ſcandalo, & contra reuerentiam Sacrificij, donec colligeret mentem, & diſponeret ſe melius? Imo poteſt, & debet Sacrificium continuare; peccat quidem in illa diſtractione, aut cogitatione; non tamen peccat in continuatione Sacrificij ex ſuppoſitione illius diſtractionis. Sicut qui canit ex debito in choro, & aduertit, ſe eſſe diſtractum diſtractione leui, & veniali, non debet eo ipſo interrompere cantum, ſed debet omnino progredi, ita vt peccet quidem habendo diſtractionem, ipſa tamen recitatio, ſeu continuatio non ſit nouum peccatum, ſed potius actio debita, & honeſta. 24. *Diſtinguendum eſſe exiſtimo.* *Primo non ſemper ex quolibet veniali redditur communio mala.* *Probatur.* *Exemplo canentis in choro.*

Ex quo exemplo probari poteſt ſecunda pars aſſertionis, quia nimirum diſtractio illa non ſolum eſt culpabilis ex proprio obiecto, v. g. quia eſt auditio detractionis leuis, quam ſocius fortè ſuggerit; ſed etiã ſit culpabilis propter circumſtantiam recitationis Officij; atque ideo etiamſi ex ſe eſſet circa materiam indifferentem, eſſet tamen peccatum propter illam circumſtantiam, quatenus impedit attentionem debitam orationi vocali; oportet tamen diſtinguere: non enim peccat homo, quia cantat, aut recitat, ſed quia audit, & attendit ad illa alia tunc quando recitat; quæ diſtractio eſt culpa ſpecialis contra religionem; vnde fieri poteſt, quod actu mereatur per ipſam voluntatem cantandi, aut recitandi iuxta debitum ſuum, quæ voluntas eſt bona, & ſimul peccet, & demereatur per voluntatem concomitan- 25. *Illud tamen veniale non tantum eſt culpabile ex proprio obiecto, ſed etiam ex illa circumſtantia.*

concomitantem habendi diſtractionem eo tempore, quæ voluntas eſt mala. Sic in noſtro caſu, qui accipit Euchariſtiam cum peccato actuali veniali, habet duos actus: alterum accipiendi Euchariſtiam, qui poteſt eſſe bonus, & debitus; alterum habendi diſtractionem, & indeuotionem actualem per illud actuale peccatum; & hæc voluntas poteſt eſſe mala, non ſolum ex proprio obiecto, quatenus eſt peccatum actuale inanis gloriæ, verbi gratia, vel propoſitum mentiendi, ſed etiam malitia contra religionem, quatenus eſt irreuerentia contra Sacramentum, quod actu ſuſcipitur; atque ideo verum erit in hoc caſu, quod dicebat P. Suarez, committi nouum peccatum, aut nouam malitiam præter peccatum, aut malitiam inanis gloriæ, aut mendacij; quæ malitia dari poteſt, etiamſi ille actus concomitans ex proprio obiecto non eſſet culpabilis; vt ſi quis attenderet tunc ad ſermones indifferentes; adhuc enim peccaret, non quia acciperet Euchariſtiam, ſed quia attenderet tunc ad alia, quod fieri non poteſt abſque irreuerentia aliqua contra dignitatem tanti Sacramenti. Negari autem non poteſt, eſſe æquè, & fortè magis contra Sacramenti reuerentiam actu non ſolum cogitare, ſed etiam affici, & amplecti obiectum turpe, dum actu recipitur Sacramentum, ergo licet ipſa receptio Sacramenti non ſit peccaminoſa, illa tamen irreuerentia, quando Sacramentum recipitur, habebit ſpecialem malitiam venialem, quam non haberet, ſi non concurreret cum receptione Sacramenti.

In hoc caſu verum erit ſententia Suarez.

26\. *Poteſt tamen malitia aliqua refundi in ipſam communionem. Idque primo contingit,*

Dixi tamen *non ſemper* per peccatũ veniale actuale concomitans reddi malam, & peccaminoſam ipſam communionem: non enim nego, aliquando poſſe refundi malitiam venialem in ipſum actum communicandi. Quod dupliciter poteſt contingere: primo ſi voluntas interior ſit vna & eadem, qua homo vult vtrumque coniungere, ſcilicet communionem, & diſtractionem, aut aliud peccatum veniale: cum illa coniunctio ſit mala, ſaltem ex parte vnius extremi, conſequens eſt, vt voluntas illa, quæ vult vtrumque extremum, ſit mala malitia prouenienti ex parte vnius obiecti: quod ſufficit ad hoc, vt tota voluntas ſit mala: nam malum ex quocumque defectu, & per conſequens actus externus communionis, qui procedit ex illa voluntate mala, erit etiam malus, cum nullam aliam habeat bonitatem, aut malitiam formalem actio externa, niſi quam accipit denominatiuè ab actu interno, à quo procedit.

27\. *Secundo accidere poteſt.*

Secundo poteſt communio reddi mala ex concomitantia peccati venialis actualis: quia licet aliquando non debeat homo ceſſare ab aliqua actione propter peccatum concomitans, imo expediat progredi, vt in exemplis adductis Sacerdotis celebrantis, aut Canonici cantantis in choro, aliquando tamen melius erit ceſſare propter reuerentiam debitam actioni ſacræ. Negari enim non poteſt, quod res ſacræ propter ſuam dignitatem exigant peculiarem reuerentiam in earum vſu, aut receptione: vnde ad ipſas preces ſacras recitandas, & loquendum cum Deo exigitur aliqualis præparatio, qua cor auocetur ab externis, & mens eleuetur ad Deum: quare qui ſe experitur nimis diſtractum ad aliquid externum, vel paſſione perturbatum, deberet ſe prius, ſi poſſet, ad ſemetipſum reuocare; & ſedare animum, antequam Diuinas preces, aut functiones inchoaret. Quanto magis præparatio aliqua neceſſaria eſt ad Diuiniſſimam Euchariſtiam ſuſcipiendam? Quis enim excuſabit ab omni culpa eum, qui à ludo ſurgeret immediatè, vt Euchariſtiam ſuſciperet, & ſtatim ad ludum rediret?

Requiritur ergo non ſolum ex conſilio, ſed etiam ex præcepto ſaltem ſub veniali aliqualis præparatio propter reuerentiam debitam tanto Sacramento, cui reuerentiæ aduerſatur modus ille accedendi abſque vlla deuotione, aut præparatione: ſicut ſi non flexis genibus, nec capite diſcooperto, ſed ambulando, abſque externa modeſtia vellet aliquis communicare. In quibus caſibus non ſolum eſt culpabilis defectus ille reuerentiæ, & diſpoſitionis debitæ, ſed etiam ipſemet acceſſus ad Euchariſtiam: nam ſuppoſito defectu illo diſpoſitionis, debet homo differre aliquantulum, & expectare paulisper, vt interim procuret debitam diſpoſitionem. Neque enim ſufficit, quod homo ſit abſque conſcientia peccati mortalis, atque ideo Sacramentum poſſit conferre effectum gratiæ, vt eius ſuſceptio ſit ſimpliciter bona, & honeſta hic & nunc: nam ſi quis quotidie, & ſingulis diei horis ter, aut quater Euchariſtiam acciperet, ſecluſa etiam prohibitione Eccleſiæ communicandi bis eadem die, frequentia illa irreuerentiam procul dubio contineret: fatendum ergo eſt, aliquando ſuſceptionem ipſam Sacramenti poſſe eſſe peccatum veniale propter defectum debitæ reuerentiæ. Suppoſito igitur, quod aliqua peculiaris reuerentia, & diſpoſitio ſit debita ſub veniali, ita, vt ea deficiente, non ſolum defectus diſpoſitionis culpa ſit, ſed etiam ipſa ſuſceptio Sacramenti, hoc, inquam, ſuppoſito, veriſimile eſt, pertinere etiam ad reuerentiam debitam, vt homo non ſit actualiter peccans, quando accipit hoc Sacramentum, ita vt etiam ipſa ſuſceptio Sacramenti in ea circumſtantia ſit culpabilis: debuiſſet enim, ſi commodè poteſt, differri, donec anima quieſceret, & ceſſaret ab eo peccato actuali. Si tenetur enim homo, quando diſtractus eſt ad res profanas, expectare paulisper, & donec mentem ab iis cogitationibus abſtrahat, vt cum reuerentia debita communicet; quanto magis id debet facere, quando animi actu occupatur amore obiecti illiciti, quod genus diſtractionis maiorem irreuerentiam afferre videtur?

28\. *Requiritur ex præcepto aliqualis præparatio.*

29\.

Hinc iam colligi poteſt, quid dicendum ſit de accedente cum peccatis venialibus habitualibus: de quo ſimiliter exiſtimo, in primis non ſemper peccare per ipſam ſuſceptionem Sacramenti. Continget enim, non poſſe abſque peccato, vel incommodo graui differri communionem, vt ſi ex præcepto debeat celebrare, aut communicare, vel abſque nota non poſſit relinquere, aut differre communionem; tunc enim licet eſſet nouum peccatum non procurare veniam illorum peccatorum per contritionem, aut confeſſionem, vt cum debita reuerentia accederet ad Euchariſtiam, non tamen erit nouum peccatum ipſa ſuſceptio Euchariſtiæ, vt probauimus de habente peccatum veniale actuale.

30\. *Intelligitur enim quid dicendum ſit de accedente cum peccatis venialibus habitualibus.*

Aliquando vero erit peccaminoſa venialiter ipſamet communio propter irreuerentiam, & indiſpoſitionem, cum qua fit; nam ſicut eſt obligatio ſub veniali non accedendi abſque aliqua præparatione, diſpoſitione, ac deuotione; ſic à fortiori videtur eſſe obligatio ſub veniali procurandi aliquam puritatem, & auferendi ſordes etiam leues, quæ nimirum maculatam reddunt animam: ad quod ſignificandum Chriſtus videtur lauiſſe diſcipulorum pedes, antequam Euchariſtiam illis daret. Nam licet illi mundi eſſent (hoc eſt, à macula graui) qui tamen mundus eſt, indiget adhuc, vt pedes lauet, hoc eſt, affectus, qui ex terreno puluere aliquantulum ſordere ſolent. Debet ergo homo ſub mortali afferre veſtem nuptialem: debet autem ſub veniali curare, vt veſtis illa ſordida non ſit, ſed munda ac nitida; aliqua

31\.

aliqua enim irreuerentia eſt, licet non grauis, cum velle etiam nuptiali ſordida, & fœtida accedere, qualis eſt in eo, qui multitudine venialium ſordeſcit. Ad hoc probandum affert Suarez Anſelmum, & Auguſtinum,ſeu Gennadium, quorum tamen verba alium debent habere ſenſum,vel ab omnibus reiici, vt bene probat P.Vaſq. *illo cap*.2.

32. *Obiecit Vaſq.* Vrget tamen idem Vaſquez, ex noſtra ſententia ſequi, quod peccet etiam ille, qui cum paucioribus venialibus accedit;deberet enim lauari, & mundari *Reſpondetur.* à ſordibus illis.Reſpondeo negando ſequelam: hæc enim obligatio procurandi munditiem, & puritatem ante Euchariſtiam, intelligi debet moraliter, hoc eſt, iuxta capacitatem, ſtatum, conditionem,& profectum ſingulorum; nam ſicut in conuiuio humano maior mundities, & nitor in veſtibus, & manibus exigitur ab homine nobili, & ingenuo, quam à ruſtico, agricola, aut operario, qui ſolum debent procurare munditiem conditioni, ac ſtatui ſuo proportionatam; ſic in conuiuio Euchariſtico maior puritas, & mundities exigitur ab homine religioſo, aut perfectionis ſtatum habente, quam ab homine laico negotiis,& curis ſæcularibus implicato. Vnde *Non poteſt regula vniuerſalis in hoc puncto tradi.* non poteſt regula vniuerſalis in hoc puncto tradi; in aliquibus enim erit irreuerentia culpabilis, ſi accedant cum viginti, v. g. venialibus, aut cum tali ſpecie venialium; in alio autem illa non erit irreuerentia culpabilis. Sicut ad hoc etiam Sacramentum reuerenter ſuſcipiendum requiritur præparatio, & diſpoſitio aliqua, & poſt communionem aliqua etiam gratiarum actio, quæ tamen non in eadem menſura ab omnibus exiguntur, ſed iuxta ſingulorum conditionem, & capacitatem; quis enim à puero, vel ruſtico requirat eandem præparationem, & orationem ante, & poſt communionem ipſam, quam ab homine religioſo, vel monacho contemplationi dedito? Certè præparatio,quæ illi ſufficit, huic ſufficeret, vt excuſaretur ab omni culpa, & irreuerentia. Sic enim legimus, S Romualdum Monachos, qui inter orandum dormitent, ſolitum eſſe illa die communione priuare, vt indignos: cum tamen ab homine ruſtico non ſolum vigilantiam,ſed nec orationem præuiam ſemper poſſimus exigere. Similiter ergo de puritate,& munditie,à venialibus dicendum videtur, non poſſe eandem regulam omnibus præſcribi, ſed ſingulos pro perfectione ſui ſtatus, & maiori lumine debere magis procurare puritatem ad hoc Sacramentum reuerenter ſuſcipiendum, vt & *qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus* Apoc. 22. *ſanctificetur adhuc.*

33. *Eſt tamē difficultas aliqua circa præcipuam concluſionem.* Reſtat tamen adhuc difficultas aliqua contra præcipuam concluſionem, in qua omnes conueniunt, quod ſcilicet non ſit peccatum mortale accipere Euchariſtiam cum vno, vel pluribus etiam venialibus: contra hoc enim videtur procedere ratio illa communis, qua probari ſolet culpa mortalis in eo, qui recipit aliquod Sacramentum indignè, ex eo quod priuat Sacramentum ſuo effectu, & reddit falſam eius ſignificationem, cum Sacramentum ex ſe ſignificet gratiam in ſuſcipiente, & tamen propter obicem gratia non confeратur. Hæc autem ratio videtur etiam procedere in noſtro caſu: nam Euchariſtia ex ſua inſtitutione vim habet, & efficaciam ad tollenda venialia, vt ſupra vidimus: ergo ſignificat eum effectum; non poteſt enim cauſare effectum, quem non ſignificet, cum non cauſet, niſi per modum Sacramenti, hoc eſt, vt ſignum practicum. Si ergo propter obicem indiſpoſitionis non poteſt tollere peccata venialia, falſificabitur eius ſignificatio ex hac parte: & per conſequens, qui hoc facit,non excuſabitur à culpa graui; non ſolum enim in graui, ſed etiam in leui videtur eſſe grauis irreuerentia reddere falſam ſignificationem Sacramenti, quod eſt ſignum Diuinum; ſicut ille etiam qui adducit Deum in teſtem rei leuis falſæ, medio iureiurando, peccat grauiter contra veracitatem Dei, à quo non ſolum mendacium graue, ſed etiam leue longiſſimè diſtat.

Reſpondetur, re vera in neutro caſu Deum, aut 34. *Ad difficultatem reſpondetur.* Sacramentum ipſum ſignificare aliquid falſum,nam, vt vidimus ſupra *in tract. de Sacrament. in communi, diſp.* 9.*ſect*.1. Sacramenta non habent ex inſtitutione Diuina omnino abſolutè ſemper ſignificare gratiam, ſed in talibus ſolum circumſtantiis, quando non eſt obex. Ideo autem peccat grauiter, qui indignè illa ſuſcipit,quia vtitur ſigno illo,quod Deus inſtituit ad operandum, & ſignificandum; atque adeo voluit, ne vſurparetur niſi tunc,quando poſſet abſolutè operari, & ſignificare; hoc, inquam, ſigno vtitur homo ille, quando non poteſt operari, nec ſignificare abſolutè gratiam: & in hoc ſenſu videtur reddere falſam eius ſignificationem, quatenus vſurpando illud ſignum videtur denotare, quod Deus per illud hic, & nunc non poteſt verè ſignificare. Hæc autem ratio non procedit in habente peccata venialia; nam licet effectus remiſſionis eorum non ponatur propter obicem,ſeu quia non ſunt retractata, non ideo erit Sacramentum ſignum falſum, non ſolum re ipſa, vt conſtat ex dictis (cùm eum effectum non ſemper ſignificet abſolutè,ſed ſolum quando poni poteſt;) ſed neque in apparentia: neque enim eodem modo inſtitutum eſt à Deo ad hunc effectum ſignificandum,ſicut ad ſignificandam gratiam; ad hanc enim inſtitutum eſt primariò, ad alios verò effectus, qui ſunt quaſi conſequentes, inſtitutum eſt ſecundariò. Vnde ſicut principaliter inſtitutum eſt ad cauſandam gratiam, & conſequenter ad cauſandum maiorem, vel minorem iuxta diſpoſitionem recipientis: & ideo non falſificatur ſigni- *Non falſificatur ſignificatio huius Sacramenti ex indiſpoſitione, ad maiorem gratiam.* ficatio ex indiſpoſitione ad maiorem gratiam: ſic nec falſificatur ex obice ad remiſſionem venialium; quia Sacramenti eſſentia conſiſtit in ſignificatione gratiæ, reliqua non tam pertinent ad eſſentiam, quam ad integritatem, & perfectionem maiorem: ideo eſt maior obligatio non ponendi obicem ſignificationi, & productioni gratiæ, quam tollendi obicem ad alios effectus, quos Sacramentum conſequenter cauſare poſſet.

SECTIO III.

Vtrum ad effectum Euchariſtiæ requiratur actualis deuotio in communicante.

AFfirmarunt aliqui ex antiquioribus: Alexand. 35. Antonin. Syluester,Durandus, Paludan.Caiet. *Sententia primo affirmās.* quos refert Vaſq. *in præſenti diſp*. 206. *c*. 1. quam ſententiam indicaſſe videtur S.Thom. *in* 4. *diſt*.12.*q*.2. Vaſquez. S.Thom. *art*.1. *quæſtiunc*. 3. & magna ex parte amplectitur Petr.de Soto *in lib. de inſtit. Sacerdotum,lect*. 12.*de Euchariſtia.* Petr.de Soto.

Contraria ſententia communis eſt iam in ſchola, 36. & omnino vera: quam,explicata, vel mutata priori *Cõtraria vera & communis.* ſententia, docuit expreſſè S. Thomas *in præſenti, quæſt*.79. *art*.8. *in corp. & ad* 1. & eandem ſequuntur Thomiſtæ recentiores, Dominicus Soto *in* 4. S.Thom. Dom Soto. *diſt*. 11.*quæſt*.2.*art*.8. Ledeſma 1. *p* 4 *quæſt*.20.*art*.1. Ledeſma. *dub*. 4. *& art*.8. *dub*. 1. Didacus Nuñus *in præſenti dicta quæſt*. 79. *art*. 8. Franc. Syluius *ibidem eodem* Nugnus. Syluius. *art*. 8. Suarez, & Vaſquez ibi, & alij omnes; qui Suarez. Vaſquez. fatentur quidem, per actualem deuotionem melius

diſponi

diſponi hominem, atque adeo maiorem gratiam, & vberiorem effectum Sacramenti accipere: abſque ea tamen deuotione actuali, dum homo ſit in ſtatu gratiæ, dari augmentum eiuſdem gratiæ ex opere operato virtute Sacramenti.

37. *Conc. Trid. Probatur primo ex Trident.*

Probatur primo, quia Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 3.* ex Paulo ſolum exigit tanquam diſpoſitionem neceſſariam ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, probationem, qua homo ſe probat, & inuenit abſque conſcientia peccati mortalis; quam probationem declarat idem Concilium ex mente totius Eccleſiæ fieri debere per confeſſionem Sacramentalem: qua diſpoſitione poſita, Paulus permittit *edere de pane illo, & de calice illo bibere*; non ergo requiritur neceſſario alia diſpoſitio; alioquin manca, & mutila fuiſſet doctrina Pauli, & Concilij non explicando illam alteram diſpoſitionem neceſſariam.

38. *Secundo probatur ex vſu antiquo dandi hoc Sacramentum pueris. Vtcumque argumentum ſolui poteſt.*

Secundo probari ſolet ex vſu antiquo dandi hoc Sacramentum paruulis, ex quo conſtat, eos eſſe capaces recipiendi effectum Sacramenti abſque propria deuotione; alioquin non poſſet eis licitè dari, vt ſupra probatum eſt; ergo ad effectum huius Sacramenti non eſt neceſſaria diſpoſitio deuotionis actualis. Hoc tamen argumentum poſſet vtcumque ſolui: nam ſicut in paruulis non requiritur intentio, aut voluntas propria ad recipiendum fructum huius Sacramenti; & tamen in adultis eiuſmodi voluntas eſt omnino neceſſaria: ſic dici poſſit, in adultis eſſe neceſſariam diſpoſitionem per deuotionem propriam, licet in paruulis non exigatur; quia non ſunt capaces illam habendi.

39. *Vrgetur tamen in phreneticis & amentibus.*

Adhuc tamen vrgeri poteſt in phreneticis, & amentibus, qui prius habuerunt vſum rationis, & in quibus prærequiritur voluntas propria præcedens, & tamen non requiritur deuotio actualis; ergo eodem modo ſufficiet in eo, qui eſt compos mentis, licet in ipſo actu communionis diſtractus ſit, & non aduertat; tam enim inaduertentia, quam amentia excuſat à defectu actualis deuotionis, & attentionis præſentis. Vnde ſumi poteſt ratio efficax, quia magis neceſſario videtur exigi in adulto voluntas, & intentio ſuſcipiendi Sacramentum ad conſequendum Sacramenti fructum, quam deuotio, aut attentio. Intentio autem, & voluntas non exigitur actu exiſtens, ſed ſufficit præterita non renocata, vt conſtat in eo, qui incidit in amentiam; ergo ſufficit etiam deuotio præterita non retractata.

40. *Confirmatur primo exemplo aliorum Sacramentorum.*

Confirmatur primo ab exemplo aliorum Sacramentorum, ad quorum effectum non requiritur deuotio illa actualis, vt conſtat in Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, &c. Cur ergo in vna Euchariſtia illud requiſitum adeo difficilè fingendum eſt? Confirmatur ſecundo, quia magis neceſſariæ ſunt partes Sacramentorum ad eorum effectum, quam actualis deuotio; & tamen partes ipſæ non exiguntur actu præſentes, quando accipiendus eſt effectus, ſed ſufficit fuiſſe præteritas cum morali connexione; vt conſtat in Confeſſione, & dolore, quæ ſunt partes Sacramenti Pœnitentiæ, & non ſunt actu præſentes, quando datur abſolutio, & confertur effectus, ſed ſufficit illa connexio moralis, vt concurrant nunc ad effectum; ergo multo magis ſufficiet deuotio præterita, quam habuit aliquis, dum prius deſiderauit accedere ad hoc Sacramentum: quid enim aliud eſt deuotio, niſi affectus erga Sacramentum, & fames illius cibi? Hæc autem ſemper interuenit, quoties adultus voluntariè accipit Euchariſtiam, cum ſemper debeat præcedere voluntas illam ſuſcipiendi, quæ voluntas perſeuerat moraliter, quandiu non reuocatur, imo non ſolum moraliter, ſed virtualiter etiam perſeuerat ferè ſemper, quia de facto influit, & cauſat ſumptionem Euchariſtiæ, atque adeo iuxta ea, quæ diximus ſupra de Sacramentis in genere *diſp. 8. ſect. 5.* debet interuenire aliquis actus tenuiſſimus ortus ex memoria præcedentis voluntatis, à quo dirigatur, & excitetur potentia externa ad operationem ſuſcipiendi Euchariſtiam; vnde ſemper debet interuenire aliqua deuotio ſaltem virtualis, quæ ſicut ſufficit in aliis Sacramentis ad eorum effectum, non eſt cur non ſufficiat ad effectum Euchariſtiæ.

Confirmatur tertio, quia hoc ipſum Sacramentum conſideratum in ratione Sacrificij non requirit neceſſario aliud genus deuotionis actualis, non ſolum ad ſui valorem, ſed etiam ad ſuos effectus conferendos. Nemo enim dicet, Miſſam non cauſare ſuum effectum, nec habere valorem in eo, pro quo offertur, quando in ipſo tempore actualis oblationis Sacerdos diſtractus eſt, aut ſine actuali deuotione: cur ergo in ratione Sacramenti exiget neceſſario illam conditionem ad ſuum effectum? Nec dicas, in ratione Sacrificij offerri etiam à Chriſto, qui ſemper habet actualem deuotionem; & ideo ſemper operatur ſuum effectum: hoc, inquam, non ſatisfacit; quia etiam in ratione Sacramenti habet ſuam efficaciam ab eodem Chriſto, qui per Sacramenta operatur, & applicat ſua merita; imo magis videtur pendere in ratione Sacramenti à ſolo Chriſto, quàm in ratione Sacrificij; nam Sacrificium ita offertur à Chriſto vt etiam verè, & propriè offeratur à nobis, qui in eo offerendo exercemus munus Sacerdotale; & ideo eſt Sacrificium, & oblatio non ſolum Chriſti, ſed noſtra: at verò vt Sacramentum non eſt niſi ſolius Chriſti, qui per illud ſignificat, & operatur gratiam; ergo multo magis poterit operari ſuum effectum ſacramentalem independenter à deuotione actuali ſuſcipientis: nam licet exigat ex parte ſuſcipientis diſpoſitionem aliquam, ſcilicet gratiam habitualem, hanc etiam exigit in ratione Sacrificij in eo, pro quo offertur, vt operetur ſuum effectum remiſſionis pœnæ; & tamen non exigit illam aliam diſpoſitionem actualis deuotionis; ergo nec in ratione Sacramenti id fingi debet. 41. *Confirmatur tertio.*

Confirmatur quarto exemplo martyrij, cui iuxta communem ſententiam annexa eſt collatio primæ gratiæ ex opere operato, quando præcedit ſaltem attritio de peccatis: hic autem effectus confertur, etiamſi tunc adſit actualis diſtractio, vt ſi martyr in mare proiectus totus ſit in hoc, vt natando perueniat ad littus, aut alia cogitatione occupetur; multo ergo minus requiritur illa conditio deuotionis actualis, vt neceſſaria ad effectum Euchariſtiæ, minus enim confert ex ſuo ad gratiam, qui accipit Euchariſtiã, quam qui patitur martyrium; quod ſanè licet efferat gratiam vltra meritum condignum, fundatur tamen in operatione honeſta ipſius patientis; quare magis videretur exigenda eius deuotio. 42. *Confirmatur quarto exemplo martyrij.*

Tertio probatur, quia ſi defectus deuotionis præſentis impediret effectum omnem, & omne augmentum gratiæ, ſequeretur, debere ſub mortali hominem procurare deuotionem actualem; debemus enim ſub mortali procurare, ne Sacramenta priuentur omnino ſuo effectu principali, & ad hunc finem debemus ſub mortali tollere obicem, obex autem eſt ille, qui obeſt, ne Sacramentum operetur ſuum effectum; ideo enim S. Thomas *ſupra q. 69. art. 9. ad 3.* dicit, ſolum peccatum mortale eſſe obicem effectui Baptiſmi: quia ſolus effectus circa mortale aduerſatur gratiæ, quæ eſt effectus Baptiſmi; pro eodem ergo viui par obicem, & id, quod aduerſatur, ſeu impedit effectum Sacramenti. Vnde cum indeuotio actualis iuxta ſententiam illam impediat effectum Sacramenti Euchariſtiæ, fatendum eſt illam eſſe 43. *Probatur tertia ratione.*

obicem, & per conſequens eſſe obligationem ſub mortali procurandi deuotionem actualem, ne ſacramentum careat ſuo effectu; quod tamen eſt contra omnium fidelium exiſtimationem.

44. *Quarto probatur, quia hæc neceſſitas non eſt ponenda abſque fundamento ſufficienti.* Quarto probatur, quia eiuſmodi neceſſitas, cum pendeat ex libera voluntate Chriſti, non eſt ponenda abſque fundamento ſufficienti, cum tamen nullum ſit, vt conſtat ex ſolutione eorum, quæ aduerſarij afferunt. Duo ſunt præcipua, primum ab experientia; videmus enim, Sacerdotes multos quotidie accipientes hoc Sacramentum, parum tamen in ſpiritu proficere; quod non poſſet contingere, ſi ſemper acciperent gratiæ augmentum: nam gratia, & charitas intenſa non eſt otioſa, ſed ad magna facienda, & patienda mouet. Fatendum ergo eſt, eos ob defectum deuotionis priuari ſæpè fructu Sacramenti.

45. *Hoc argumentum retorquetur.* *Primo.* Hoc argumentum retorqueri poteſt multipliciter, primò, quia ſi illi Sacerdotes ſunt in ſtatu gratiæ, vt ſupponitur, negari non poteſt, quin accipiant quotidie magnum gratiæ augmentum ex opere operantis per actus bonos, eos ſaltem, quibus legem obſeruant, dum recitant Officium, ieiunant, ſoluunt debita, obſeruant regulas Eccleſiaſticas in ipſa celebratione, & alia ſimilia, quæ non ſunt neceſſaria ad finem humanum, ſed ad obedientiam, & obſeruantiam legis, & per conſequens ſunt actus meritorij & augent gratiam; & tamen ex hoc continuo gratiæ augmento non apparet maior feruor, aut ſtudium perfectionis Chriſtianæ. *Secundo.* Secundo, iidem Sacerdotes in eo ſtatu frequenter accipiunt Sacramentum Pœnitentiæ, in quo non poteſt dici, requiri neceſſario deuotionem actualem ad habendum effectum gratiæ habitualis ex vi abſolutionis ſacramentalis; & tamen neque hoc augmentum gratiæ apparet in feruore illo, & eius augmento. *Tertio.* Tertio licet ij frequenter celebrantes non habeant actum magnæ deuotionis, quando ſuſcipiunt Sacramentum, aliquam tamen deuotionem ſemper, aut ferè ſemper videntur habere: neque enim ad effectum Sacramenti petunt aduerſarij intenſiſſimum actum deuotionis, ſed aliquem, qualem frequenter videntur illi Sacerdotes habere, ſi in gratia ſunt: tunc enim ex corde dicunt, *Domine non ſum dignus*, &c. & petunt à Chriſto ſalutem animarum ſuarum, præſertim cum in ſententia Caietani ſufficiat, ſi illa deuotio ſit intra tempus totum, quo Chriſtus eſt in ſtomacho ſub ſpeciebus; quo tempore difficile eſt, non exerceri à Sacerdote aliquem deuotionis actum, ſaltem dum dicit orationes poſt Communionem, quæ ad hoc ipſum ordinantur, vel poſtea, quando gratias agit poſt Miſſam; vnde ferè nunquam impedietur omnino effectus Sacramenti ob defectum alicuius deuotionis; atque ideo reſtat eadem difficultas in contraria ſententia, quomodo tantum augmentum gratiæ, & charitatis ex quotidiana communione non appareat in charitatis feruore, & operatione.

46. *Ad argumentum reſponderi ſolet.* Ad argumentum ergo reſponderi ſolet communiter, illud augmentum gratiæ, & charitatis, licet magnum ſit, non tamen debere experientia cognoſci, quia virtutes infuſæ per ſe loquendo nec mortificant paſſiones, nec includunt habitus vitiorum: addit Vaſquez *num.* 18. quod ij habitus non præſtant facilitatem ad operandum, ſicut præſtant habitus acquiſiti: ideo non experimur eorum augmentum.

47. *Sed contra vrgeri poteſt.* Sed contra hoc videtur adhuc vrgeri poſſe: nam licet habitus infuſi ſecundum ſe non dent immediatè facilitatem: gratia tamen ſacramentalis, & habitus in Sacramento infuſi afferunt ſecum auxilia actualia debita ex vi Sacramenti ſuſcepti ad melius, & facilius operandum: vt vidimus *ſuprà diſputat.* 4. *de ſacr. in gen. ſect.* 3. ergo quo maior ſit gratia habitualis in Euchariſtia collata, eo maius eſt ius ad auxilia: & ideo hic cibus roborat, & confortat animam ſumentis, quia confert illi maiores vires, hoc eſt, robuſtiora auxilia ad bene operandum: hæc autem maior fortitudo, & maius robur deberet experientia cognoſci, non minus quam habitus acquiſiti: ergo arguitur bene à negatione experientiæ ad negationem augmenti.

48. *Addere poſſumus.* Addere ergo poſſumus, in primis, ſi homo ille in gratia diu perſeuerat abſque mortali peccato, hunc ipſum eſſe non exiguum fructum frequentis communionis, ſine qua facilius laberetur homo, vt faſſus eſt Bernardus *ſerm. in Cœna Domini, de Baptiſmo, & de Sacramento altaris*, his verbis: *Sed quid poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum vlceris huius ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia ſubuenit; & vt ſecuri ſitis, Sacramenti Dominici Corporis, & Sanguinis pretioſi inueſtituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis; vt videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrum non tam ſæpè modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat Corpori, & Sanguini Domini; & quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* S. Bernard.

49. Et quidem efficaciam gratiæ ſacramentalis aliquando eſſe otioſam, vel occultam ex defectu materiæ, apparuit ſæculo præcedenti, quando rebellantibus Granatenſibus Mauris contra Regem Catholicum, vna eſt præter ſpem heroica conſtantia in Sacerdotibus Chriſtianis ad crudeliſſima tormenta perferenda; quem frequentis Communionis fructum fuiſſe creditum eſt. Quod ſi efficacia illa non ita apparet in profectu ad perfectionem acquirendam, non tam oritur ex defectu gratiæ, quam ex multitudine impedimentorum. Obruitur enim; & ſuffocatur ſemen cœleſte à ſollicitudinibus, negotiis, curis, tentationibus vitæ ſæcularis, quarum importuni clamores impediunt, ne percipiatur tenuis ſibilus inſpirationis diuinæ ad maiora, & ſublimiora vocantis. Denique cum hoc Sacramentum inſtitutum fuerit per modum cibi, atque adeo ex ſua inſtitutione habeat, quod non ſemel, ſed ſæpius inſtar cibi accipiendum ſit, non eſt credendum, quod æquè efficaciter iuuet auxiliis, & vires in longum tempus, ſicut in tempus proximum. Alioquin non poſſet, qui raro accedit ad hanc menſam dicere cum veritate: *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*, ſi æquè robuſtus eſſet poſt annum, ac ipſa die communionis. Non eſt ergo neceſſe, quod qui ſæpius accepit Euchariſtiam hoc anno, hodie debeat experiri vires, & auxilia ſingularum communionum præcedentium, ſicut vires communionis hodiernæ, vel heſternæ. Nec poteſt dici, quod non experiatur fructum communionis vltimæ, cum eius virtute conſeruetur in vita ſpirituali abſque nouo peccato mortali vſque ad communionem ſequentem. Qui fructus non eſt exiguus, vt dicebam, attenta imperfectione diſpoſitionis, qua homo acceſſit ad Sacramentum.

50. *Secundum argumentum principale Caietani.* Secundum argumentum principale Caietani deſumitur ex eo, quod Euchariſtia debet operari ſuum effectum per modum cibi: cibus autem non nutrit abſque actuali cooperatione viuentis, à quo digeritur, & conuertitur in propriam ſubſtantiam: ergo requiritur etiam cooperatio in ſumente Euchariſtiam, vt hæc conferat ſuum effectum. *Hoc argumentum retorqueri poteſt.* Hoc autem argumentum retorqueri poteſt, primo ad hominem contra ipſum Caietanum, qui, vt explicet S. Thomam, ne ſit contrarius ſuæ ſententiæ, dicit, S. Thomam loqui, non de augmento gratiæ, ſed de aliis effectibus,

qualis

qualis eſt confortatio animæ, qui habentur virtute Sacramenti, etiam abſque actuali deuotione ſuſcepti. Ex hoc autem retorqueri poteſt argumentum illud: nam ij effectus, ſi cauſantur ab Euchariſtia, cauſantur procul dubio ab illa, vt à cibo ſpirituali animæ; ergo hic cibus Sacramentalis poteſt cauſare effectum ſuum abſque actuali cooperatione vitali per actualem deuotionem.

51. *Secundo retorquetur.* Secundo retorqueri eodem modo poteſt contra eundem Caietanum, qui admittit phreneticis, qui prius id petierant, dari hoc Sacramentum, non quidem ad argumentum gratiæ, ſed ad conſecutionem gloriæ, & fugam dæmonum, &c. Cauſat ergo in ſententia Caietani hic cibus aliquos effectus in ſuſcipiente abſque actuali deuotione: cur ergo non poſſet cauſare augmentum gratiæ?

52. *Tertio retorquetur.* Tertio retorqueri poteſt, quia ponamus hominem accedentem ad Communionem, qui in ipſo Communionis tempore totus ſit in contemplanda bonitate, & liberalitate Dei, ita vt illa contemplatio, & amor etiam Dei ex illa ortus non ſit cauſa accipiendi Euchariſtiam, ſed voluntas præterita, quæ acceſſit, & quæ virtualiter manet, ſicut maneret, ſi cogitaret de re alia indifferenti. Porro hunc hominem non dicet Caietanus fraudari effectu Sacramenti ob defectum actualis deuotionis; cum potius habeat quaſi exceſſum deuotionis. Et tamen tota illa deuotio non videtur eſſe cooperatio ad nutritionem Sacramentalem, cum non influat in ſuſceptionem Sacramenti: multo enim magis influit voluntas præterita communicandi manens virtualiter, quæ reddit voluntariam illam communionem; ergo actualis deuotio non eſt actio illa vitalis (ſi quæ requiritur) per quam homo debet cooperari ad effectum Sacramenti.

53. *Ad argumentum reſponderi facilè poteſt.* Vnde ad argumentum facilè reſpondetur, in primis hunc cibum non requirere in rigore operationem ſumentis, quia non conuertitur cibus in ſumentem, ſed potius è contra ſumentem conuertit in ſeipſum, atque ideo in paruulis, & perpetuo amentibus operatur ſuum effectum. Deinde in adultis exigit quidem aliquam cooperationem, voluntatem ſcilicet ſumendi illum, quæ voluntas eſt cooperatio multo magis, quam deuotio præſens, cum hæc aliquando non influat, vt vidimus, illa vero influat, & cauſet, quatenus virtualiter perſeuerat.

SECTIO IV.

An, & quomodo prærequiratur Confeſſio Sacramentalis ante ſumptionem Euchariſtiæ?

54. Certum eſt apud Catholicos omnes, hodie neceſſariam eſſe Confeſſionem iis, qui conſcientiam habent peccati mortalis, vt dignè accedant ad Euchariſtiam. Ita docet Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7.

Conc. Trid. vbi propoſita obligatione non accedendi indignè, ſubiungitur ratio his verbis: *Præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus:* Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini: *Quare communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum:* Probet ſe ipſum homo, *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat.* Et poſtea Can. 11. adduntur hæc verba: *Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat ipſa ſancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.* Ex his Tridentini verbis duo dubia inſurgunt, primum eſt, an hæc obligatio antiqua fuerit, an recentior, vel ab ipſo Tridentino inducta. Secundum eſt, an oriatur ex præcepto merè Eccleſiaſtico, an ex Diuino. *Hinc duo dubia exurgunt.*

55. *Caietani ſententia.* Circa primum Caietanus in ſumma, verbo *Communio Sacramentalis*; & in illud 1. *ad Cor. cap.* 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & in præſenti q.* 80. *art.* 4. in exemplaribus antiquis ante Pium Quintum, cuius iuſſu ablatus fuit in editione Romana commentarius huius articuli; & in peculiari opuſculo de hac re docuit, nullum eſſe præceptum præmittendi Confeſſionem; addit tamen in illo loco ſummæ, eſſe peccatum veniale, illam non præmittere, ſi adſit confitendi opportunitas. Quam ſententiam amplecti etiam videntur Armilla verbo *Communio*, §. vlt. & Abbas in *cap. de homine, de celebratione Miſſarum.* Armilla. Abbas.

56. *Hæc ſententia ab omnibus reiicitur.* Hæc ſententia ab omnibus reiicitur, & meritò; quia ex verbis adductis Tridentini apertè colligitur obligationem illam antiquiorem fuiſſe. Primo, quia Tridentinum probat obligationem ipſam ex conſuetudine Eccleſiæ: ergo non induxit nouam, ſed declarauit antiquam neceſſitatem. *Primo ex Tridentino.* Secundo, quia ſi eſſet obligatio noua, immerito excómunicaretur, qui doceret, non eſſe obligationem ſaltem alicubi: *Secundo.* poſſet enim illa lex alicubi vel non legitimè publicari, vel non acceptari; vel poſſet contra illam legitimè præſcribi; ergo poſſet eſſe verum, quod alicubi non eſſet talis obligatio: cur ergo excommunicaretur, qui doctrinam illam veram doceret vel affirmaret? Tertio, quia eodem pacto potuiſſet Concilium damnare, & excommunicare eos, qui docerent, vel tenerent contra omnes alias leges ab ipſo Concilio editas: hoc autem non facit, ſed ſolum præcipit obſeruantiam legis; ergo in hac materia prohibet doctrinam aliquam præcedentem, quæ independenter ab ipſo Tridentino iam erat falſa. *Tertio.*

57. *Obiectio prima.* Obiicitur primo pro ſententia Caietani; quia ex verbis Pauli non poteſt colligi eiuſmodi neceſſitas, cum ſolum exigat, quod ipſe homo ſe probet; non ergo neceſſe eſt, quod à Confeſſario probetur. Accedit Chryſoſtomus *hom.* 28 *in illam Epiſt.* ad Corinth vbi ſic ait: *Non præcipit, vt alter alteri probetur, ſed ipſe ſine traductione faciens iudicium, & ſine teſte redargutione.* Chryſoſt. Theophylactus etiam ibi: *Non alium (inquit) tibi iudicem attribuo, ſed te ipſum tibi ipſi commendo: iudica igitur, & explora conſcientiam tuam, & ſic accede.* Theoph. Hi ergo Patres non intelligunt Paulum de probatione facienda neceſſario per alium, ſed per ipſum, qui ad Euchariſtiam accedit, alij etiam Patres, qui ſanctitatem exigunt ad dignè communicandum, nihil de neceſſitate Confeſſionis dicunt, non ergo putabant, illam eſſe neceſſariam.

58. *Ad verba Pauli reſpondetur.* Ad verba Pauli reſpondetur facilè, non colligi ex ipſis preciſè obligationem Confeſſionis, ſed ex illis in eo ſenſu, quem Eccleſiæ conſuetudo, & traditio interpretatur, vt dixit Tridentinum: verba enim illa de ſe generalia ſunt, & ſolum ſignificant probationem neceſſariam, ne quis accedat indignè; quid autem requiratur ad accedendum dignè, aliunde petendum eſt, vt ſciamus de qua indignitate ibi loquatur Apoſtolus.

59. *Ad verba Chryſoſtomi aliqui dicunt.* Ad verba Chryſoſtomi, & Theophylacti, aliqui dicunt, Chryſoſtomum in ea fuiſſe ſententia, quam etiam habuit Nectarius Archiepiſcopus Conſtanti-

nopolitanos, cui ipſe ſucceſſit. Hoc tamen nimis fauet hæreticis, & in tract. de Pœnitentia conſtabit, id eſſe falſum. Alij dicunt, Chryſoſtomum ſolum excludere neceſſitatem confeſſionis publicæ, cum ſufficiat probatio ſecreta, à qua interpretatione non longè abeſt Suarez dicens, ſolum excludi iudicem humanum, qualis non eſt Confeſſarius, cuius iudicium magis eſt Diuinum, quam humanum. Hoc tamen reiicit Vaſquez, quia illi Patres omnem alium iudicem, aut teſtem prorſus excludunt præter ipſum, qui communicare vult; non ergo ſolum excludunt iudicium publicum, ſed occultum etiam, quodcumque illud ſit, in quo alius adſit ab illo, qui probandus eſt. Vnde ipſe Vaſquez *num.* 34. reſpondet, illos Patres committere quidem primum conſcientiæ examen ipſimet homini, qui ſolus, & abſque teſte debet ſeipſum examinare, vt ſi dignum & purum ſe inueniat, accedat abſque alia probatione, non tamen dicunt, quod ſi ſe impurum inueniat, ipſe ſolus abſque Sacerdotis opera ſe probet, & dignum efficiat: tunc enim neceſſaria erit ſecunda probatio, qua à Confeſſario, media abſolutione, probetur, & dignus efficiatur.

60. *Huic interpretationi addi poteſt.* Huic interpretationi ego adderem, probationem ita committi ipſimet homini, vt ſi fortè impurum ſe inueniat, poſtea non tam probandum, quam mundandum, & purificandum ſe Sacerdoti exhibeat: probare enim eſt examinare, hoc autem ad ſolum pœnitentem ſpectat per ſe loquendo, qui ſolus nouit conſcientiæ ſuæ occulta. Confeſſarius vero non examinat, niſi per accidens in defectum pœnitentis, ſed ſolum audito examine, & probatione, quam pœnitens fecit, profert ſententiam. Probatio ergo ſemper reducitur ad ipſum ſolum, qui poteſt conſcientiam propriam noſcere. Confeſſio vero eſt aliquando requiſita, vt homo poſtea ſe ipſum probet, & dignum inueniat. Sicut fur inuenit ſe indignum, quandiu non reſtituit: reſtitutio tamen propriè loquendo non eſt probatio, ſed aliquid requiſitum, vt poſtea probet ſe, & inueniat dignum Communione. Item quando non eſt copia Sacerdotis, per contritionem, non ſe probat homo formaliter, ſed diſpoſitiuè, quatenus, ea poſita, probat ſe, & inuenit iam dignum; quia non eſt dignus quandiu eſt in ſtatu peccati. Sic confeſſio eſt probatio diſpoſitiua, quatenus, poſita Confeſſione, & abſolutione, homo probat ſe, & inuenit ſe dignum. Semper ergo probatio formalis fit per iudicium ipſiuſmet, qui accedit ad Euchariſtiam, & in eo ſenſu veriſſimè dicunt ij Patres, non exigi alterius iudicium, aut teſtimonium, ſed ſolum ipſius pœnitentis, qui debet proferre vltimum iudicium approbationis, quatenus iudicat, nihil ſibi obſtare, vt accedat ad Euchariſtiam.

61. *Obijciet aliquis.* Obijciet aliquis verbum illud Pauli: *Probet ſe ipſum homo*, quod videtur Tridentino explicari de probatione, quæ per ipſam Confeſſionem fit, ſubdit enim: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat.*

Conc. Trid.

62. *Reſpondeo.* Reſpondeo, Confeſſionem habere quidem connexionem cum probatione requiſita; non tamen eſſe formaliter, & propriè ipſam probationem: neque enim in Latino ſermone *probare ſe* eſt *purgare*, vel *ſanctificare ſe*, ſed examinare, vel *tentare*, & *indagare*, ſeu *periculum facere*: & in hoc ſenſu intelligunt Patres verbum illud Apoſtoli. Sic Anſelmus ibi: *Probet*, inquit, *id eſt, diſcutiat, & examinet prius ſe ipſum, qui etiam ex eo, quod homo eſt ſine peccato non eſt.*

Anſelm.

Probet antea ſe ipſum, id eſt, vitam ſuam inſpiciat, & conſideret, an dignè poſſit accedere, vel non. Theodoretus ibidem ſic explicat: *Sic tui ipſius iudex vitam tuam exactè iudica, conſcientiam ſcrutare, & examina, & tunc donum ſuſcipe.* Hugo de S. Victore in quæſtionibus circa illam Epiſtolam Pauli, q. 111. *Quid eſt ergo*, inquit, *ſe probare niſi videre, an conſcientia ſua mordeat ſe de mortali, & ſi eſt in propoſito manendi adhuc in peccato?* S. Thomas *lect.* 11. in illum locum Pauli: *Neceſſe*, inquit, *eſt, vt primo homo ſe ipſum probet, id eſt, diligenter examinet ſuam conſcientiam, ne ſit in ea voluntas peccandi mortaliter, vel aliquod peccatum præteritum, de quo non ſufficienter pœnituerit.* Gloſſa etiam interlinealis dicit idem eſſe *probet ſe*, quod *examinet ſe*. Et OEcumenius notat obſeruanda eſſe Apoſtoli verba monentis, vt quilibet ſe ipſum exploret, atque interroget, non alius alium; ſibi enim quiſque conſulere debet, dum ad hoc Sacramentum accedit. Probat ergo ſe formaliter homo, non dum confitetur, ſed dum ante, vel poſt Confeſſionem ſuam examinat, & ſcrutatur conſcientiam, an dignè poſſit accedere.

Theodor. *Hugo de S. Victor.* *S. Thom.* *Gloſſa.* *OEcumen.*

63. *Verba Trid. non obſtant.* Nec verba Tridentini obſtant, quæ duplicem habere poſſunt ſenſum, vtrumque proprium. Primus eſt; ſi verba illa: *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati abſque præmiſſa Confeſſione, ad Euchariſtiam accedere debeat*, ſi illud inquam, vt, ſignificet cauſam finalem, quaſi dicat, eam probationem, ſeu illud examen adhuc finem eſſe neceſſarium, vt nullus accedat ſine Confeſſione præmiſſa peccati mortalis. Secundus ſenſus facilior, & planior videtur eſſe, eam probationem, ſeu examen tale neceſſarium eſſe, quale ſufficit ad hoc, vt homo iudicet, ſe non habere peccatum mortale, quod non legitimè fuerit confeſſus. Sicut ſi diceret, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullum debitum, aut quidquam alienum retineat, pro quo non ſatisfecerit, non eſſet ſenſus, quod reſtitutio eſſet formaliter probatio, ſed eſſet aliquid requiſitum, vt per legitimum examen probaret ſe homo, & inueniret abſque impedimento vllo ad dignè accedendum. Probatio ergo ipſa formalis, & examen vltimum ſemper faciendum eſt ab ipſomet homine, qui iudicaturus eſt, an habeat conſcientiam peccati mortalis non explicati legitimè in Confeſſione Sacramentali.

64. *Ad argumentum ex alijs PP. deſumptum.* Denique ad argumentum ex alijs Patribus deſumptum conſtat in primis, illud eſſe negatiuum, cum Patres, licet non exprimant, non tamen negent obligationem confitendi peccata: ſicut ex eo, quod ſolum explicent obligationem non accedendi in ſtatu peccati, non ideo arguitur, non eſſe, aut non fuiſſe etiam tunc obligationem præmittendi ieiunium naturale; imo hoc ipſum implicitè continetur in obligatione non accedendi in peccato; quia qui accederet non ieiunus, iam accederet in peccato commiſſo contra legem præcipientem ieiunium. Sic etiam qui accederet abſque confeſſione prænia, iam accederet in peccato contra legem præcipientem confeſſionem præuiam; atque ideo in illa obligatione non accedendi in peccato continetur implicitè obligatio præmittendi confeſſionem, licet id non explicetur.

65. *Alij PP. illam etiam obligationem explicuerunt.* Adde, alios Patres explicuiſſe etiam illam obligationem præmittendi Confeſſionem: ij ſunt Auguſtinus *Epiſt.* 118 *c.* 1. Item auctor libri de Eccleſiaſticis dogmatibus apud eundem Auguſtinum *tom.* 3. *cap.* 53. & Auctor etiam libri de ſalutaribus documentis 34. apud eundem Auguſt. *tom.* 4. Cyprianus *lib.* 3. Epiſtolar. *epiſt.* 14. Leo Papa *epiſt.* 91. *cap.* 2. *quos aſſerunt* Suarez, & Vaſquez *in præſenti*;

Cyprian. *Leo Papa.*

quibus

quibus addi poſſunt idem Cyprianus eodem *lib. 3. Epiſt. 15. 16. & 18.* & in ſermone de Lapſis, Anſelmus in illa verba Pauli: *Probet autem ſeipſum homo,* vbi ſic ait: *Indignè manducat & bibit, qui vel aliquod graue peccatum, vel multa leuia commiſit, & non confitetur ea, priuſquam ad communionem accedat.* Quæ verba, licet nimium videantur probare, ſcilicet neceſſitatem confeſſionis etiam peccatorum venialium, quando hæc multa ſunt; poſſunt tamen intelligi cũ proportione, nempe de indignitate graui in vno caſu, & leui in alio. Chryſoſtomus etiam *hom. 30. in Geneſ. in principio*, agens de præparatione facienda in Hebdomada ſancta, ſic ait: *Nunc maximè & ieiunij curſus intendentibus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque diligens, & pura peccatorum confeſſio, & in bonis operibus ſedulitas, eleemoſyna larga, æquitas, manſuetudo, aliæque virtutes; vt talibus ornati virtutibus, vbi in diem Dominicum venerimus, Domini liberalitate fruamur.* Richard. de S. Victore *de poteſtate Eccleſiæ ligandi atque ſoluendi, cap. 11.* ſic ait: *Audacter dico, ſi ante Sacerdotis abſolutionem ad communionem Corporis, & Sanguinis Chriſti acceſſerit, iudicium ſibi pro certo manducat, & bibit, etſi eum peccaſſe multum pœniteat, & vehementer doleat, & ingemiſcat.* Quibus conſonat, quod refert Euſeb. *lib. 6 hiſtor. c. 24. & 25.* Philippum Imperatorem volentem in die Paſchæ communicare non fuiſſe permiſſum ab Epiſcopo illius loci, niſi prius præmitteret Confeſſionem. Sozomenus item *9. trip. c. 35.* dicit, ab antiquiſſimis temporibus Pontifices Romanos ſeruaſſe hanc conſuetudinem præmittendi Confeſſionem ante Communionem. Nicephorus etiam *11. hiſt cap. 34.* narrat de Dioſcoro Abbate, quod, cum eſſet Presbyter, & Confeſſarius, diligenter explorabat conſcientias ſubditorum ante Euchariſtiam. Vnde conſtat, falſum eſſe, quod antiqui Patres, & Auctores neceſſitatem præmittendæ Confeſſionis prætermiſerint.

Anſelm. — Chryſoſt. — Richard. de S. Victor. — Euſeb. — Sozomen. — Nicephor.

66. *Obiicitur ſecundo pro ſententia Caietani. Reſpondetur.* Secundò obiicitur pro ſententia Caietani, quia ad alia Sacramenta viuorum recipienda non prærequiritur confeſſio, ſed ſufficit actus contritionis, cuius virtute diſponitur homo ad iuſtificationem, & conſtituitur in ſtatu gratiæ. Reſpondetur, in iis, quæ pendent à libera voluntate Dei, non fieri argumentum efficax à ſimili, ſi aliunde conſtat de Dei voluntate, prout conſtat in præſenti. Potuerunt autem eſſe ſpeciales congruentiæ, quas afferunt Doctores, ad exigendam Confeſſionem præuiam magis ad Euchariſtiam, v.g. maior dignitas, & excellentia huius Sacramenti, ad quod decebat præmittere modum magis certum, & ſecurum reconciliationis cum Deo. Item Sacramentum hoc viſibilem quandam videtur afferre coniunctionem hominis Chriſtiani cum corpore Eccleſiæ: decebat ergo, non ſolum interius, ſed exterius, vt viſibiliter reconciliaretur prius Sacerdotum miniſterio. Denique, quia Sacerdotes peculiariter debent hunc panem diſpenſare, iis etiam prius videtur ſatisfaciendum, & non, niſi eorum iudicio, & licentia præeunte, accedere oportuit. Hæc tamen omnia non probant ex natura rei, ſuppoſita inſtitutione vtriuſque Sacramenti, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, reſultaſſe hanc obligationem Confeſſionem præmittendi, vt aliqui voluerunt, quos latè impugnat Suar. *ſect. 3.* Nam re vera hæ omnes ſunt ſolum congruentiæ, quæ mouere poterant ad imponendum hoc præceptum, quod tamen impoſitum eſſe, aliunde nobis conſtat. Alioquin ſi præciſè propter maiorem certitudinem iuſtificationis conſequeretur ex natura rei hæc obligatio, ſequeretur, eum, qui ex reuelatione ſciret ſe iuſtificatum iam eſſe per contritionem, non obligandum ad confeſſionem præmittendam ante communionem.

Ratio cuiuſdam congruentiæ.

67. *Obiicitur tertiò.* Tertiò obiicitur, quia ſi eſt præceptum præmittendi confeſſionem ante communionem, quorſum Innoc. III. *in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* præcepit confeſſionem annuam, & communionem Paſchalem? Satis erat præcipere communionem, quæ ſecum afferebat obligationem confitendi. *Reſpondetur.* Reſpondetur facile, non fuiſſe ſatis præcipere communionem, ſunt enim multi, quos obligat præceptũ confeſſionis independenter à communione, v.g. pueri, qui doli capaces cum ſint, adhuc non accipiunt Euchariſtiam; item qui ob aliquod impedimentum non poſſunt accipere Euchariſtiam, non tamen poſſint confiteri: illi etiam qui in Paſchate non habebant peccatum mortale, ſi illud intra eundem annum habuerint, debent poſtea confiteri, licet præcepto Euchariſtiæ iam ſatisfecerint, vt dicemus *in tract. de Sacramento Pœnitentiæ.*

68. *Obiicitur quartò Caietan.* Quartò obiicit Caietanus, quia ſequeretur, nunquam eſſe licitam communionem abſque præuia confeſſione; id enim, quod malum eſt, nunquam eſt faciendum. Conſequens autem eſt falſum, cum concedatur, poſſe id fieri in caſu neceſſitatis, quando non eſt copia Confeſſarij. *Reſpondetur.* Reſpondetur facilè negando ſequelam; nam ſicut non licet communicare niſi ieiunis, & tamen in aliquibus caſibus id poteſt licitè fieri abſque ieiunio: ſic potuit prohiberi communio abſque confeſſione, licet id in aliquibus caſibus permittatur.

An præceptum præmittendi confeſſionem ſit merè humanum.

69. *Medina. Nauarrus. Communis ſententia vult eſſe diuinum. Suarez. Vaſq.* Reſtat videre, an hoc præceptum ſit Diuinum, vel merè humanum? Ioan. de Medina *codice de confeſſ. q. 17.* & Nauarrus in initium de Pœnitentia, *diſt. 5. in 3 p. Gloſſ n. 31. & 41.* indicant, illud eſſe præceptum merè humanum. Alij tamen communiter tenent, eſſe Diuinum, quos referunt, & ſequuntur Suar & Vaſq. *in præſenti.* *Aliqui probant ex verbis Trident. Conc. Trid.* Aliqui probant ex verbis Tridentini ſupra adductis, vbi loquendo de puritate debita ad hoc Sacramentum ſubiungit: *Præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus:* Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini: *Quare communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum:* Probet ſeipſum homo. *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, &c.* Illa enim verba, *eius præceptum*, referunt non ad Apoſtolum, ſed ad Dominum, de cuius corpore facta fuerat proximè mentio.

70. *Suarez.* Suarez, licet illud, *eius*, referat ad Dominum, dicit tamen, inde non probari præceptum Diuinum, quia Apoſtolus in illis verbis: *Probet ſeipſum homo*, non explicuit præceptum Confeſſionis, ſed probationis, præſcindendo ab hac & illa. Quare Concilium ſolum intendit commemorare præceptum Domini de probatione præmittenda; poſtea vero dicit, conſuetudine declarandi, probationem illam debere eſſe talem, vt nemo accedat ſine præuia confeſſione.

P. Vaſquez *n. 41.* contendit, non potuiſſe Paulum non loqui de confeſſione in illis verbis: *Probet ſeipſum homo*, cum enim loquatur de probatione ad Euchariſtiam neceſſaria, & nulla alia ſufficiat præter eam, quæ in confeſſione fit, non potuit Paulus non loqui de illa. Imo ſi ex verbis Pauli non colligatur neceſſitas confeſſionis, vix poteſt aliunde colligi, præceptum illud eſſe Diuinum, & non merè Eccleſiaſticum.

71. *Vaſq.* Ego quidem in primis exiſtimo cum P. Vaſquez *loco citato*, illud relatiuum, *eius*, magis referri ad Apoſtolum, quàm ad Dominum, qui ſenſus verba,

&

& contextum conſideranti magis planus, & ſincerus appareat. Deinde exiſtimo, Paulum in verbis illis: *Probet ſeipſum homo*, licet non excludat confeſſionem, de illa tamen ſpecialiter non agere, neque ex verbis cum illa generalitate prolatis potuiſſe obligationem confeſſionis colligi. Sicut enim ſi Paulus dixiſſet, neceſſariam eſſe ad Euchariſtiam obſeruantiam præceptorum Eccleſiæ, non poſſet ex his ſolis verbis colligi neceſſariam eſſe obſeruantiam ieiunij naturalis, niſi aliunde probes, eſſe legem Eccleſiæ de illo ieiunio obſeruando. Sic ex eo præciſè, quod dicat, debere hominem probare ſe, non poteſt colligi neceſſitas confeſſionis, niſi aliunde conſtet debitum modum probationis includere, aut requirere confeſſionem: & ideo Concilium non probauit neceſſitatem confeſſionis ex verbis Pauli nudè ſumptis, ſed adiuncta conſuetudine, quæ probat, ad debitam probationem exigi etiam confeſſionem mortalium.

72. *Paulus in illis verbis ſpecialiter non agit de confeſſione.*

73. *Ex verbis Triden. ſufficienter probatur.*

Adhuc tamen ſi non ex verbis Pauli ſecundum ſe, ex locis tamen illis Tridentini probari videtur præceptum illud non eſſe merè Eccleſiaſticum, ſed Diuinum; primo, quia Tridentinum non affert Eccleſiaſticam conſuetudinem tanquam radicem, ſed tanquam ſignum obligationis, dum dicit, eam conſuetudinem declarare, quod ſit obligatio præuiæ confeſſionis. Secundò, quia ſi oriretur ex mera conſuetudine, aut præcepto humano, non apparet, cur deberet condemnare, & excommunicare, eos, qui negarent talem obligationem: omnis enim lex, aut conſuetudo humana expoſita eſt inefficaciæ in obligando, ſiue quia in aliqua prouincia legitimè recepta non eſſet, aut quia per legitimam conſuetudinem contrariam eſſet contra illam iam præſcriptum: cur ergo non poſſet aliquis dicere, in aliqua prouincia non eſſe eiuſmodi obligationem? Præſertim cum ex Concilio Florentino conſtet, inter alia huc etiam obiectum fuiſſe Græcis à Latinis, cur eorum Sacerdotes ante Miſſæ celebrationem non ſolerent confiteri. Si ergo cenſura Tridentini vniuerſalis, & legitima eſt, ſupponit, non poſſe alicubi veram eſſe illam doctrinam negantem obligationem confeſſionis præuiæ, atque ideo eam obligationem fateri debemus prouenire ex præcepto aliquo pluſquam humano.

74. *Ex Pauli verbis principaliter ſumi poteſt aliqua coniectura.*

Secundo principaliter ex ipſis Pauli verbis ſumi poteſt aliqua coniectura; primò, quia Paulus præmiſerat, doctrinam illam ſibi fuiſſe à Chriſto traditam: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*; quæ verba ad omnia ſubſequentia circa Euchariſtiæ cultum videntur poſſe referri. Secundò, quia ſi non Chriſti, ſed ipſius Pauli præceptum fuiſſet, non ſatis apparet, quomodo ex illo obligatio vniuerſalis potuiſſet colligi; cum Paulus præceptum illud ad ſolos Corinthios dirigeret, quos ſolos deberet obligare, non alios, ad quos nec Paulus ſcripſit, nec legitimè tranſmiſit illud præceptum. Omitto autem, quod licet Paulus Apoſtolicam auctoritatem, & poteſtatem haberet, atque ideo in ſingulis prouinciis poſſet prædicare, abſoluere, excommunicare, Epiſcopus conſtituere, & ſimilia; non eſt tamen certum, quod poſſet vniuerſalem Eccleſiæ ordinem præſcribere, aut leges condere, quæ poſſent totam Eccleſiam obligare, imo id de Apoſtolis omnibus præter vnum Petrum negat Suar. *disp. 10. de Fide, sect. 1. n. 25.* Vnde præceptum illud Pauli non induceret obligationem in vniuerſa Eccleſia.

75. *Tertiò colligi poteſt ex ipſis Patribus.*

Tertiò colligi hoc ipſum videtur ex Patribus ſupra adductis, qui non parum innuunt, præceptum hoc eſſe Diuinum. Sic Leo Papa *Epiſt. 91. c. 2.* dicit: *Mediator Dei, & hominum hanc præpoſitis Eccleſiæ dedit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum, ad ianuam reconciliationis admitterent.* Poteſtas enim admittendi à Chriſto tradita videtur ſupponere neceſſitatem; nam ſi proprio arbitrio abſque Sacerdotis abſolutione poſſet homo ad Euchariſtiam accedere, non diceretur propriè à Sacerdote admitti.

76. *Aliqui afferunt Cyprianum contra Vaſquez.*

Aliqui afferunt etiam Cyprianum, ſed P. Vaſquez *n. 43.* dicit, ex Cypriani verbis nihil colligi ad hoc intentum. Ego tamen plus mihi videor ex Cypriano colligere, quam ex Leone, cuius teſtimonium proximè citatum ad hoc vſurpat, & amplectitur ipſe Vaſquez. Cyprianus enim in illis Epiſtolis acriter inuehitur in eos, qui lapſos ob metum mortis in cultum idolorum admittebant ad Communionem abſque debita legitimi Sacerdotis abſolutione: hoc autem ſæpè dicit eſſe contra legem ſtatutam à Domino, ſiue à Chriſto. Sic loquitur *Epiſt. 10.* his verbis: *Nondum Pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur, cum ſcriptum ſit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Sed nunc illi rei non ſunt, qui minus Scripturæ legem nouerunt, erunt autem rei, qui præſunt, & hæc fratribus non ſuggerunt, vt inſtructi à præpoſitis faciant omnia cum Dei timore, & cum data ab eo, & præſcripta obſeruatione.* Ecce illam legem non accedendi ad Euchariſtiam niſi poſt Epiſcoporum abſolutionem, appellat legem Scripturæ, & obſeruationem à Deo datam, atque præſcriptam; quia ſcilicet implicitè ſaltem continebatur in illis verbis: *Probet ſe ipſum homo*, vt ſupra diximus.

Cyprian.

77. *Idem Cyprianus alibi eodem modo loquitur.*

Idem Cyprian. *Epiſt. 11.* eodem modo loquitur: *Illi contra Euangelij legem, contra veſtram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologeſim grauiſſimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo, & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerre lapſis pacem, & Euchariſtiam dare, id eſt, ſanctum Domini corpus profanare audeant, cum ſcriptum ſit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Item epiſt. 12. *Audio tamen, quoſdam de Presbyteris nec Euangelij memores, nec quid ad nos Martyres ſcripſerint, cogitantes iam cum lapſis communicare cœpiſſe, & offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem venire. Nam cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur iuſto tempore, & exomologeſis fiat, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo, & Clero manus fuerit impoſita; quanto magis in his grauiſſimis, & extremis delictis cautè omnia, & moderatè ſecundum diſciplinam Domini obſeruari oportet.*

78. *Non ſatisfacit quod dicitur.*

Nec ſatisfacit, ſi dicas, ideo hoc appellari à Cypriano contra Euangelicam, vel domini legem, & diſciplinam; quia nimirum ex Scriptura habetur, quod ſubditi obediant præpoſitis, & prælatis ſuis; vel quod non communicent fideles cum hæreticis; quales illi iam cenſebantur in foro ſaltem externo, propter externam negationem fidei: Hoc, inquam, non ſatisfacit; quia Cyprianus in verbis citatis ideo probat eſſe contra legem Scripturæ; quia ſcriptum eſt: *Qui ederit, vel biberit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Ergo illam appellat Scripturæ & Domini legem; quam violabant communicantes ante ſacerdotalem abſolutionem. Certum eſt autem, Paulum in illis verbis non loqui de communicatione fidelium cum hæreticis, aut de obedientia Prælatis debita, ſed de probatione ante communionem neceſſaria. Vnde nec dici poteſt, Cyprianum loqui ſolùm de abſolutione aliqua externa, quæ in foro Eccleſiæ requirebatur, & non de ſacramen-

tali; quia locus ille Pauli, quem adducit ad id comprobandum, non loquitur de illa æterna ſatisfactione, ſed de Sacramentali abſolutione, vt conſtat; huius ergo abſolutionis neceſſitatem ex Diuina lege prouenire ſupponit.

79. *Maximè deinde confirmatur quod nunquam Pontifex in eo diſpenſarit.* Addere poſſumus non leuem coniecturam ex eo, quod nunquam vſque adhuc Eccleſia, aut Summus Pontifex in eiuſmodi præcepto diſpenſauerit, ſicut diſpenſatum eſt aliquando in aliis præceptis Eccleſiaſticis; nam in præcepto ieiunij naturalis ad communionem prærequiſiti, ſcimus, cum aliquo diſpenſatum fuiſſe in aliquo caſu, præterquam quod olim feria quinta in Cœna Domini in aliquibus Eccleſiis ſumebatur communio poſt cœnam: in præcepto tamen confeſſionis prauiæ in iis circumſtantiis, in quibus præceptum obligat, nunquam diſpenſatio conceſſa, imo nec petita, aut intenta fuit.

80. *Obijci ſolet modus loquendi Tridentini. Reſpondetur.* Obijci ſolet modus loquendi Tridentini *dicto c.7. Communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum*, ſcilicet Apoſtoli, iuxta veriorem explicationem: non ergo agnouit Concilium præceptum diuinum Chriſti, ſed humanum Apoſtoli. Reſpondetur, ex illis verbis nihil colligi: non enim nouum eſt appellare legem, aut præceptum hominis illud, quod per hominem intimatur, licet re vera ſit præceptum aut lex ipſius Dei. Sic paſſim in Deoteronomio Moyſes vocat præcepta ſua, quæ à Deo
Deut.4. & 6. ipſo acceperat populo proponenda. *Cap 4. Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis*, & *cap.6. Vt timeas Dominum Deum tuum, & cuſtodias omnia mandata, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi.* Et paulo poſt: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo*, &c. Vnde ipſe Chriſtus appel-
Ioann.7. labat illam legem Moyſi, Ioan. 7. *Si circumciſionem accipit homo in Sabbato, vt non ſoluatur lex Moyſi.* Matth.
Matth.8. Marc.10. 8. *Oſtende te Sacerdotibus, & offer munus, quod præcepit Moyſes* Mar.10. *Quid vobis præcipit Moyſes?* Quæ tamen omnia præcepta fuerant ipſius Dei, vt conſtat; imo & ipſe Paulus eundem modum loquendi
1.Cor.7. vſurpat; nam in eadem *Epiſt.1. ad Cor. cap.7.* ſic ait: *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus vxorem à viro non diſcedere*: vbi vtrumque coniungit, ſcilicet, *præcipio*, & rurſus, *non ego, ſed Dominus*: vterque ergo præcipit, & Deus principaliter, & homo miniſterialiter; neque ex hoc, quod appelletur præceptum Pauli, arguit, quod non ſit præceptum Dei.

SECTIO V.

Quando liceat accipere Euchariſtiam, non præmiſſa Confeſſione.

81. *Id aliquando fieri poteſt præmiſſa contritione.* Certum eſt, poſſe aliquando id fieri, præmiſſa contritione; vt conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.13. cap 7.* in vltimis verbis, vbi propoſita neceſſitate præmittendæ Confeſſionis, ſubditur: *Modo non deſit illi copia Confeſſoris, quod ſi neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur*, & Can.11. *Declarat, inquit, ipſa ſancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem.* Ex quibus verbis rectè colligunt Theologi, duas conditiones requiri, vt non præmittatur confeſſio; ſcilicet, quod non ſit copia Confeſſoris, & quod ſit neceſſitas communi-
82. *Qui dicatur non habere copiam Confeſſarij.* candi, de quibus ſingillatim aliqua breuiter notanda ſunt.

Et primum ille dicitur non habere copiam Confeſſarij, qui vel nullum habet, vel Sacerdotem mutum, aut nolentem ex malitia, vel ignorantia, aut ex alio capite abſoluere, vel carentem iuriſdictione, aut alio modo impeditum; vel etiam quando pœnitens timet ſibi graue detrimentum, vt reuelationem ſigilli, vel malum graue à Confeſſario inferendum; tunc tamen debet pœnitens confiteri alia peccata mortalia, ſi quæ habet, omiſſis illis, propter quæ timet ſibi tale detrimentum.

83. *Quæritur quæ diſtantia conſeatur ſufficiens.* Quæritur, quæ diſtantia cenſeatur ſufficiens, vt dicamus, non eſſe copiam Confeſſarij? Cano *relect. de Pœnit. p.5. §. Ad tertium non eſt difficile*, dicit: Si con-
Cano. feſſarius ſit in alio oppido diſtante tribus milliaribus, non eſſe copiam confeſſarij. Alij dicunt, etiam tunc quærendum eſſe à pœnitente, ſi non ſingulis
Corduba. diebus, ſaltem aliquoties: ita Corduba *lib.1. quæſt.16. ante finem*, his verbis: *Non tenetur quotidie ire ad quærendum confeſſorem, & ita poteſt ſine confeſſione contritus vno, aut fortè duobus diebus, maximè diebus feſtis,*
Suarez. Vaſquez. *non tamen pluribus, celebrare.* Suarez *in præſenti ſect.4.* & Vaſquez *c.2.* dicunt, relinquendum hoc eſſe arbitrio prudentis, nec poſſe regulam vniuerſalem aſſignari, ſed pendere ex circumſtantiis perſonæ, temporis, difficultatis itineris, &c. Illud certum eſt contra Richardum, non ſufficere, quod aliquis maiori cum deuotione, & fructu alicui confiteatur, vt poſſit expectare illum, & interim celebrare abſque confeſſione, ſi adſit alius, cui abſque periculo poſſit confiteri.

84. *Aliud paulò difficilius.* Hæc certa videntur: illud eſt paulo difficilius; an qui habet peccatum reſeruatum, debeat confiteri Sacerdoti potenti abſoluere à non reſeruatis: an poſſit communicare abſque confeſſione, quaſi non
Sententia Suarez. habens copiam confeſſarij? P. Suarez *cum aliis loco citato, §. Quartus caſus eſt*, dicit, non eſſe improbabile, quod homo ille, licet poſſit confiteri inferiori omnia peccata, vt abſoluatur directè à non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis, adhuc tamen, ſi velit, poſſit nulli confiteri, quia alioquin obligabitur ad confitendum bis idem peccatum reſeruatum, nempe nunc, & poſtea ſuperiori, vt ab ipſo directè abſoluatur. Verius tamen, & probabilius cenſet, quod debeat confiteri inferiori reſeruata, & non reſeruata: quia illud onus non eſt adeo graue, vt idcirco excuſetur ab obligatione confeſſionis præmittendæ.

85. *Vaſquez. Vaſquez contrarium docet.* P. Vaſquez *in præſenti num.7. & 4. tom. q.91. art.3 dub.9.* per contrariam viam docet, illum poſſe quidem communicare cum ſola contritione: non tamen poſſe confiteri inferiori, etiamſi habeat peccata non reſeruata, quia inferior non poteſt validè abſoluere à non reſeruatis eum, qui ſimul confitetur reſeruata: non poteſt enim diuidi ſententia abſolutionis, ſicut nec poteſt diuidi confeſſio: & quia alioquin ſequeretur, poſſe confiteri ſola non reſeruata, tacendo reſeruata: quorſum enim dicat reſeruata illi, qui eorum iudex non eſt, neque eſſe poteſt? Cum ergo confeſſio Sacramentalis ſit illa ſolum, quia pœnitens ſe accuſat coram legitimo iudice: ille autem Sacerdos non ſit legitimus iudex peccatorum reſeruatorum, conſequens eſt, vt non poſſit pœnitens ſacramentaliter confiteri inferiori, atque ideo non erit obligatio ea dicendi. Conſequens autem eſt contra Auctores contrariæ ſententiæ, qui omnes volunt, omnia prorſus peccata integrè manifeſtanda inferiori.

86. *Sententia quæ nobis videtur probabilior.* Mihi (vt verum fatear) hoc vltimum argumentum ſuadet, non eſſe probabilem ſententiam illam, quæ docet, in prædicto caſu non obligari pœnitentem ad dicenda confeſſario peccata reſeruata, à quibus ipſe eum non poteſt abſoluere, ſed ea ſolum, à quibus abſoluere poteſt, circa illa enim ſola eſt

iudex;

iudca, atque, ideo illa ſola poreſt legitimè audire in ſuo tribunali. Quam ſententiam licet aliqui improbabilem dicant. & Durandus *in 4. diſt* 17. *q.* 15. *n.* 11. acerbiori cenſura afficiat, eam tamen veram, aut probabilem eſſe farentur non pauci, nec contemnendi Theologi. Gerſon 1. *p. tract. de Caſibus reſernat. & Alphab.* 42. Alea. vero Alenſia 4. *p* q. 78. *memb.* 5. *art.* 2. *ad vlt.* alias q 18. *memb* 4. *art.* 5. §. 2. & Maior *diſt.* 17. *q.* 5. dicunt, eſſe probabilem, Petrus de Soto *lect* 10. *de confeſſione*, eſſe maximè probabilem. S. Antonin. 2. *p. tit.* 14. *c.* 19. §. 6. contrariam ſententiam demonſtrari non poſſe, ſed tantum eſſe probabilem; quo etiam modo loquitur Mart. de Ledeſma 2. *p.* 4. *q.* 8. *art* 2. *dub.* 4. dicens contrariam ſententiam non eſſe certam. Nugnus *in* 3. *p.* q. 9. *Additionum, art.* 2 *in* 2. *p. art.* 2. *dub.* 3. refert pro hac ſententia aliquos iuniores, & contrariam ſolum vocat probabiliorem; quod etiam indicat Suar. *tom.* 4. *in* 3. *diſp.* 31. *ſect.* 3. *n.* 8. dicens poſſe reddi probabilem rationem, cur omnia peccata dici debeant inferiori. Clarius loquitur Antonin. Diana 2. *tom. reſolut. moral. tract.* 4. *reſol.* 104. *in fine*, vbi ita concludit: *Ex quibus omnibus apparet, pœnitentem habentem caſum reſeruatum etiam cum excommunicatione, vrgente neceſſitate ad celebrandum, vel communicandum poſſe, vbi magis libuerit, vel expedierit, aut confiteri peccata non reſeruata, ſeu ſimul reſeruata, & non reſeruata, vel elicere actum contritionis, & ſine prauia confeſſione celebrare, aut communicare.* Eandem ſententiam docet abſolutè Ferd. de Caſtro *p.* 1. *Operis moral. tr.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 3. §. 6. cuius titulus eſt. *Poſſit ne aliquando abſolui hæreticus à priuato Sacerdote de peccatis non reſeruatis, tacita hæreſi.* Et poſtea *n.* 2. reſpondet affirmatiuè. Eandem ſententiam probabilem eſſe docuit P. Ioan. de Salas *in manuſcriptis de Sacram. Pœnitent.* & indicat Bonacina *diſp.* 5. *de Sacram Pœnit.* q. 7 *p.* 5. §. 3. *num.* 9. vocans contrariam ſententiam ſolum probabiliorem.

Durand. Gerſon. Alea Alenſ. Maior. P. de Soto. S. Antonin. Mart. Ledeſma. Nugnus. Suarez. Diana. Ferd. de Caſt. Ioan. de Salas. Bonacina.

87\. *Sententia eſt communis eſt quidem probabilis, eius tamē fundamenta non cogunt omnino.*

Fateor ergo, ſententiam dicentem debere omnia peccata reſeruata cum non reſeruatis dici confeſſario inferiori, eſſe ſatis communem: eius tamen fundamenta non cogunt omnino; &, vt hoc obiter dicam, magis videtur mihi diſcedere à ſententia communi P. Vaſquez, dum ait, pœnitentem in eo caſu non ſolum non debere, ſed nec poſſe præmittere confeſſionem, ſed debere omnino abſque confeſſione communicare, quam qui dicit, non debere confiteri reſeruata, ſed ſolum non reſeruata, quibus directè abſolui poteſt. Nam qui negent abſolutionem à non reſeruatis fore validam, duos ſolum affert Vaſq. *n.* 26. ſcilicet Richard. *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 2. *q.* 8. *ad* 2. & Adrian. *q.* 4. *de confeſſione*, §. *ſed dubium.* Ex quibus Adrianus quidem id indicat; Richardus vero non loquitur in noſtro caſu, quando ſuperioris copia non eſt, ſed quando ipſe etiam adiri poteſt, & tunc dicit, quod debet præcedere abſolutio ſuperioris ante abſolutionem inferioris, quod certum eſt; pro illa vero alia ſententia non paucos attulimus: minus ergo opponitur ſententiæ communi illa, quam ſententia negans, poſſe pœnitentem in eo caſu confiteri. Vnde libentius dicerem, pœnitentem eo caſu, & poſſe, & debere confiteri ſaltem peccata non reſeruata, quia reſpectu illorum habet verè copiam confeſſarij, qui eſt legitimus eorum iudex: ergo reſpectu illorum vrget præceptum confeſſionis, quod quidem non ſolum eſt de confitendis omnibus copulatiuè, ſed etiam diuiſim omnibus, & ſingulis, iis ſcilicet, quæ ſaltem poſſit legitimè confiteri, vt conſtat in eo, qui ob iuſtam cauſam tacet aliquod peccatum non reſeruatum, quà tamen adhuc tenetur ad confitenda alia ante cōmunionem: debet ergo præmitti confeſſio mortalium, quantum fieri poteſt. Dixi, *mortalium*, quia ſi præter peccatum reſeruatum non haberet aliud mortale, non obligaretur ad confitenda venialia, niſi per accidens, quando non haberet contritionem; tunc enim deberet confiteri venialia, vt eo modo abſolueretur indirectè à reſeruatis, & reciperet gratiam.

Vaſquez. Richard. Adrian.

88\. *Obiectio prima. Reſponſio.*

Obiiciunt primo, confeſſionem de iure Diuino debere eſſe integram omnium mortalium, ergo non poſſet diuidi confeſſio explicando non reſeruata, & tacendo reſeruata. Reſpondetur hoc argumentum procedere contra omnes, qui communiter dicunt, poſſe tunc fieri confeſſionem ſaltem exprimendo omnia etiam reſeruata; de iure enim Diuino non eſt ſola integritas materialis, ſed formalis, hoc eſt, integritas confeſſionis ſacramentalis: confeſſio autem ſacramentalis non eſt narratio peccatorum, ſed confeſſio, qua pœnitens accuſat ſe coram iudice vicario Dei: ergo licet dicerentur omnia peccata, non eſſet confeſſio ſacramentalis integra: nam reſeruata non dicuntur Sacerdoti inferiori vt iudici, & vicario Dei, cum non ſit iudex illorum peccatorum. Vnde ipſe Suar. *tom.* 4. *diſp.* 31. *ſect.* 3. *n.* 4. fatetur confeſſionem illam quoad peccatum reſeruatum non eſſe Sacramentalem.

89\. *Ad argumentum omnes reſpondere debent, integritatem confeſſionis tantum requiri formalem.*

Ad argumentum itaque omnes debemus dicere, integritatem quidem confeſſionis requiri formalem, non materialem, hoc eſt, vt omnia dicantur, quantum fieri poteſt. Quare ſicut qui ex legitima cauſa tacet aliquod peccatum, vel qui oblitus illius id omittit, facit confeſſionem formaliter integram: & ſicut ille etiam, qui explicat omnia ſua peccata præter vnum, quod propter incapacitatem confeſſarij intelligere, & percipere non poteſt, dicitur etiam facere confeſſionem formaliter integram: ſic in noſtro caſu eſt confeſſio formaliter integra: nam pœnitens defert omnia ſua, peccata mortalia ad legitimum iudicem, quantum poteſt; ideo enim peccatum reſeruatum non defert, quia non habet iudicem legitimum, ad quem deferat: & hic iudex, quem habet non eſt capax legitimè, & Sacramentaliter audiendi illud: confitetur ergo integrè, quantum poteſt, omnia peccata: quia illud, quod tacet, non poteſt nunc Sacramentaliter confiteri, cum non ſit, qui illud Sacramentaliter poſſit audire.

90\. *Obiectio ſecunda.*

Secundo obiici poteſt, quia licet peccatum externum furti, v.g. ſit reſeruatum, actus tamen internus non eſt reſeruatus: ergo deberet pœnitens explicare ſaltem actum internum, qui ſubiici poteſt iudicio huius confeſſarij: ſicut in ſimili P. Coninck *diſp.* 7. *de Pœnit. dub.* 9. in fine dicit, eum, cui ex confeſſione actus externi imminet periculum, debere tamen confiteri affectum internum, ex cuius confeſſione non timet eiuſmodi periculum. Porrò ſi in noſtro caſu pœnitens debeat explicare actum internum, iam explicat totam malitiam actus externi, cum iſte non addat malitiam nouam, ſed denominetur malus à ſola malitia interni, vt ſuppono: imo cum actus internus, & externus non ſint duo peccata, ſed conflent vnum peccatum, conſequens erit, vt nullum ſit peccatum, quod non explicuerit, licet non omnino adæquatè quoad omnes partes: vnde nullum etiam erit peccatum, à quo non fuerit aliquomodo directè abſolutus.

Coninck.

91\. *Reſponſio. Hæc inconuenientia oſtendunt non eſſe obligationem explicandi tunc actum internum.*

Reſpondeo, hæc ipſa inconuenientia oſtendere, non eſſe obligationem explicandi tunc actum internum, quia certum eſt, aliquod peccatum non tolli tunc directè per abſolutionem: ſi autem tota malitia actus interni tolleretur directè, non video quid remaneret auferendum directè per abſolutionem

ſuperioris:

ſuperioris; nam dimiſſa tota malitia peccati, non poteſt manere non dimiſſum peccatum: quia dimitti malitiam, eſt auferri reatum, ſeu debitum odij, & auerſionis Diuinæ propter illam malitiam: non poteſt ergo manere odibilis homo propter peccatum, ſi iam non eſt odibilis propter malitiam peccati: quia motiuum formale odij eſt ſola malitia. Fatendum ergo eſt, non ſolum actum externum, ſed eius etiam malitiam, ac proinde effectum internum eſſe reſeruatum: nam licet de facto peccata interna ſecundum ſe non reſeruentur, hoc intelligitur, quando non prodeunt in actum externum: quando vero prodeunt in externum, tunc reſeruatur non ſolum actus externus, ſed etiam affectus internus, à quo prodiit: vnde à neutro poterit abſoluere directè inferior Sacerdos: quia vterque fuit reſeruatus, poſito actu externo.

92. *Tertio obiicitur.* Tertio obiici poteſt, quia ſi poteſt habens peccata reſeruata dimidiare confeſsionem cum inferiori, dicendo ſola non reſeruata, ſequitur, quod poterit id facere etiam abſque neceſsitate communicandi: nam ille, qui tacet aliquod peccatum confeſſario, eo quod ex confeſsione illius peccati timeat ab eo aliquod malum graue, non ſolum id poteſt facere, quando vrget neceſsitas communicandi, ſed etiam abſque ea neceſsitate, ſi vult confiteri, nec habet alium confeſſarium, cui poſsit abſque periculo omnia peccata dicere: ergo ſimiliter in noſtro caſu, ſi id licet, poterit fieri abſque vrgente tanta neceſsitate.

93. *Reſpondetur.* Reſpondetur negando ſequelam: & ad probationem dico, in primis aliquam etiam neceſsitatem requiri, vt in primo caſu confeſſio non differatur, nam ſi commodè poteſt differri confeſsio, differenda eſt, vt poſsit abſque periculo integra fieri, vt tradunt Soto *in 4. diſt.* 18 *q.* 1. *art.* 5. §. *Circa tertium*, & Suarez *4. tom. diſp.* 22. *ſect.* 1. *n.* 7. Minorem tamen neceſsitatem, & cauſam exigunt ad non differendam confeſſionem in eo caſu, quàm in noſtro, quando quis habet peccatum reſeruatum, nam Soto ſolum dicit, differendam eſſe quando commodè poteſt: Suarez vero dicit, eſſe iuſtam cauſam non differendi, ſi quis ideo deberet diu manere abſque confeſsione, etiamſi nulla alia vrgeat neceſsitas. Vnde oportet reddere rationem differentiæ, cur maior neceſsitas requiratur in noſtro caſu ad confitendum coram inferiori tacitis reſeruatis, quam in alio caſu ad confitendum, omiſſo illo peccato, quod abſque periculo dici non poteſt, cum tamen in vtroque caſu dimidietur materialiter confeſſio, & in neutro formaliter: cuius rationem non reddunt auctores.

94. *Differentiæ ratio colligitur.* Poteſt autem differentiæ ratio colligi ex diuerſitate præcepti, quod in vtroque illo caſu obſtare videtur: nam in primo caſu ſolum videtur obſtare obligatio confitendi integrè omnia peccata: quæ quidem obligatio intelligitur ſemper cum moralitate, & moderatione humanæ diligentiæ; vt conſtat in examine conſcientiæ, quod debet pœnitens præmittere ad eum finem, vt integrè confiteatur omnia peccata, quod tamen examen non exigit exquiſitam diligentiam, ſed humanam & ſuauem: ſicut nec in ipſa explicatione peccatorum obligatur homo ad adhibendam exquiſitam diligentiam, vt ea omnia diſtinctiſſimè explicet, ſed humanam, & moralem, propter eandem rationem, ne illud Sacramentum nimis oneroſum, & difficile redderetur. Hinc ergo fit, vt nec ſit obligatio adhibendi omnem curam exquiſitam, vt confeſsio fiat tunc, quando omnia peccata, nullo omiſso, integrè poſsint dici. Si enim aliquis, v.g. ſentit, ſe ob capitis debilitatem non poſſe nunc ſatis attendere ad recogitanda omnia ſua peccata, debet quidem expectare per aliquod breue

tempus, vt, reſumptis viribus, poſsit examinare ſuam conſcientiam, non tamen debet ea de cauſa diu differre confeſsionem; ſed poteſt confiteri ea, quæ ſibi occurrunt, licet ſciat, non poſſe à ſe fieri examen ſufficiens ad reuocanda in mentem omnia ſua peccata. Similiter ergo non debet diu differre, vt poſsit expectare alium confeſſarium, cui omnia peccata, nullo prorſus omiſſo, abſque periculo poſsit dicere, ſed poteſt nunc confiteri, quia integritas confeſsionis non obligat ad exquiſitam diligentiam adhibendam, ſed ad moralem, & humanam, vt vidimus.

At vero in noſtro caſu, qui habet reſeruata, indiget maiori cauſa, vt poſsit dimidiare confeſsionem coram inferiori; quia non ſolum obſtat præceptum integritatis confeſsionis, ſed aliud etiam, ſcilicet præceptum comparendi coram legitimo iudice in foro Sacramentali; quod quidem præceptum arctius obligat, quia ex eius violatione peruerteretur ordo Eccleſiaſticus, & debita ſubordinatio inferiorum ad ſuperiores, & præiudicaretur iuri Prælatorum, ſi poſſent facilè ſubditi, omiſsis ſuperioribus, recurrere ad inferiores: quare ad hoc faciendum merito exigitur grauis neceſsitas. Quando vero pœnitens comparet coram ſuo legitimo iudice, minor neceſsitas requiritur ad hoc, vt poſsit aliquod peccatum omittere, quia per hoc non peruertitur ordo hierarchicus, aut præiudicatur iuri ſuperiorum; & aliunde ſi integritas confeſsionis ita ſtrictè obligaret, redderetur, vt vidimus, nimis difficile confeſsionis remedium: quæ ratio non procedit in altero caſu; neque enim redditur durius remedium confeſsionis ex eo, quod debeat aliquis non comparere coram inferiori, quando comparendum eſt coram ſuperiori: quia poteſt homo tunc coram neutro comparere, ſi non eſt aditus ad ſuperiorem: non ergo obligatur ad aliquod onus, ſicut ſi obligaretur ad exactiſsimam omnium peccatorum confeſsionem, & adeo ſtrictè obligaret eius integritas. Hinc ergo præceptum illud integritatis materialis non exiſtimatur à fidelibus obligans cum tanto rigore, ſed cum ſuauitate ad diligentiam moralem, & humanam, licet illud aliud præceptum non peruertendi ordinem iudicij, nec recurrendi ad inferiorem pro ſuperiori, maiori cum rigore obligare credatur. 95. *Qui habet reſeruata indiget maiori cauſa vt poſſit dimidiare confeſſionem.*

96. *Infertur primo.* Ex dictis ergo infero primo, in prædicto caſu neceſſitatis pœnitentem poſſe, & debere adire confeſſarium inferiorem à quo poſſit abſolui directè à non reſeruatis: quod enim hæc ſimul ſint cum reſeruatis, non obſtat valori prædictæ abſolutionis, vt conſtat in eo, qui oblitus eſt inuincibiliter per longum tempus peccati reſeruati, & confeſſus eſt interim alia non reſeruata ſæpe confeſſario ordinario, à quo quidem validè abſoluitur directè ab illis, & indirectè à reſeruato, vt fatetur ipſe P. Vaſquez, qui fruſtrà conatur reddere rationem differentiæ inter illum caſum, & noſtrum, vt in illo ſit, in noſtro vero non ſit valida abſolutio à non reſeruatis, quam rationem bene impugnat P. Suar. *tom.* 4. *diſt. diſp.* 8. *de Pœnit dub.* 13. *num.* 101. Videtur enim abſque fundamento auferri poteſtatem abſoluendi indirectè à reſeruato, quando explicatur; cum tamen poſſet id fieri, ſi taceretur. Nam quid refert exprimi, vt ideo non poſſit dimitti? Aut cur abſolutio non poteſt terminari directè ad ſola non reſeruata, ſicut ſi illud dictum non fuiſſet?

97. *Opponunt aliqui verba Trident. Reſpondetur.* Opponunt aliqui verba Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. dicentis, Sacerdotem inferiorem *extra mortis articulum nihil poſſe in caſibus reſeruatis*. Sed reſpondetur facile, eos nihil poſſe directè, poſſe tamen indirectè, ſicut caſu, quo pœnitens immemor reſeruati confitetur non reſeruata, abſoluitur indirectè à reſeruatis

in omnium ſententia. Non ergo poteſt intelligi Trid. de poteſtate etiam ad abſoluendum indirectè.

98. *Infero ſecundò.* Infero ſecundo, pœnitentem, qui in prædicto caſu neceſſitatis non haberet alia mortalia non reſeruata, non teneri ex præcepto ad confitenda venialia Sacerdoti inferiori, vt ab iis directè abſoluetur, & indirectè à reſeruatis. Ita Suarez, & Coninch locis citatis, quia confeſſio venialium non videtur obligare ſub præcepto; ergo præceptum præmittendæ confeſſionis ante communionem non obligat ad venialia confitenda, niſi per accidens, quando aliquis non putaret ſe eſſe ſufficienter contritum. Poſſet tamen confiteri ſola venialia, ſi vellet; & melius id eſſet, quam non confiteri. An vero poſſet confiteri venialia ſimplici Sacerdoti, qui non eſſet approbatus, nec poſſet abſoluere ab vllo mortali, vt hac via ab eodem abſolueretur indirectè à reſeruatis; Suarez, & Coninch probabiliter affirmant, ſicut habens mortale non reſeruatum, cuius non recordatur, poſſet confiteri venialia ſimplici Sacerdoti, & obtinere indirectè remiſſionem mortalium. Ex hoc autem non leuiter confirmatur, quod ſupra diximus, non eſſe improbabile, poſſe illum tacere peccatum reſeruatum. Quorſum enim dicat peccata reſeruata ſimplici Sacerdoti nondum approbato, qui neque à non reſeruatis abſoluere poteſt?

99. *Infero tertiò.* Infero tertio, quid dicendum ſit de habente excommunicationem reſeruatam; an, vrgente etiam neceſſitate communicandi, & non data copia Superioris legitimi, poſſit, aut debeat confiteri inferiori, qui eum à prædicta excommunicatione ſoluere non poteſt. Non deſunt, qui dicunt, excommunicatum etiam occultum non poſſe extra mortis articulum communicare, vrgente etiam ſcandalo, & infamia. *Soto. Syluest. Roſel. Couar. Henriq.* Soto *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 4.* Syluester, *Excommunicatio 3. caſu 1.* Roſel. & Couarr. quos refert Henriq. *lib. 8. de Euchar. c. 47. §. 4. litt. Q.* qui dicit, poſſe, ſi premat periculum grauis infamiæ, aut ſcandali, ſemel, aut bis celebrare, cum contritione, & tremore.

100. *Alij communiter dicunt.* Alij communiter dicunt, poſſe, vrgente neceſſitate, communicare, aut celebrare, abſque abſolutione à cenſura, quia præceptum Eccleſiæ, quæ cenſuram imponit, non obligat cum tanto detrimento. Suarez *tom. 4. diſp. 11. ſect. 3. num. 6.* Coninch *diſp. 8. num. 107.* & alij quos afferunt. Quod confirmari poteſt à ſimili; quia excommunicatio priuat etiam auditione Sacri, ſicut priuat Sacramentorum participatione; & tamen excommunicatus occultus non potens habere abſolutionem, poteſt audire Sacrum ad vitandum graue ſcandalum, aut detrimentum. *S. Thom.* Item S. Thomas *in præſenti quæſt. 83. artic. 6. ad 2. & in 4. diſt. 17.* & alij concedunt, quod Sacerdos, ſi recordetur excommunicationis poſt conſecrationem, debet proſequi, ſi vero ante conſecrationem, dicunt tutius eſſe relinquere Miſſam, niſi timeatur graue ſcandalum. Vnde arguitur clarè, non eſſe intrinſecè malum, quod excommunicatus communicet, cum poſſit ratione ſcandali honeſtari: cur ergo non poſſet æqualis, & grauior cauſa occurrere etiam ante inchoatam Miſſam? Quod enim attinet ad hoc de ſcandalo, & graui detrimento, idem iudicium videtur eſſe de eo, qui inchoauit, vel non inchoauit Miſſam, cum vterque poſſit pati æquale detrimentum aut periculum.

101. *Alij dicunt hominem in tali caſu poſſe cum contritione communicare.* Alij ergo dicunt, poſſe quidem in tali caſu hominem cum contritione communicare, non tamen poſſe confiteri, vt abſoluatur directè à non reſeruatis. Quod certiſſimum, & abſque controuerſia dicit Vaſquez *tom. 4. quæſt. 9. artic. 3. dub. 9. num. 8.* & idem tenent alij, quos refert Suarez *dict. ſect. 4. num. 1.* quibus adde Syluium *in Addit. ad 3. p. quæſt. 20. artic. 2. quæſt. 3.* Alij denique dicunt tunc poſſe confiteri non reſeruata Sacerdoti inferiori, à quo abſoluetur directè ab illis, & indirectè à peccato reſeruato, licet ab excommunicatione nullo modo abſoluatur. Ita Suarez *loco citat. num. 6.* Coninch, & alij.

102. *Hoc dubium ex altero pendet.* Hoc dubium pendet ex quæſtione illa, an excommunicatus, non præmiſſa abſolutione à cenſura, poſſit validè abſolui à peccato; in qua multi negant, quos ſequitur Vaſquez; alij affirmant, quos ſequitur Suarez, & Sanchez *lib. 2. in Decalog. c. 8. num. 5.* quod etiam mihi probabilius videtur; &, ea ſententia ſuppoſita, conſequenter dicendum videtur, poſſe in prædicto caſu confiteri non reſeruata, ab eiſque directè abſolui, & indirectè à reſeruatis, licet maneat adhuc excommunicatus; quia excommunicatio, ſicut non priuat illum tunc receptione Euchariſtiæ propter vrgentem neceſſitatem, ſic nec priuat receptione Sacramenti pœnitentiæ, propter eandem neceſſitatem.

103. *Inſtantia.* Dices, excommunicationem per ſe prohibere receptionem cuiuſlibet Sacramenti; per accidens autem excuſatur tunc homo propter neceſſitatem: cum vero neceſſitas ſolum ſit accipiendi Euchariſtiam, qua accepta, ceſſat periculum ſcandali, vel infamiæ, non debet extendi ea licentia ad recipiendum aliud Sacramentum, quod non eſt neceſſarium ad ea detrimenta vitanda. *Diluitur.* Reſpondetur, eo ipſo, quod licita ſit ſuſceptio Euchariſtiæ, fieri licitam confeſſionem Sacramentalem, quæ ex Diuino præcepto debet præmitti Euchariſtiæ; vnde conſequenter dicendum cenſeo, tunc non ſolum licere, ſed debere omnino per ſe loquendo præmitti confeſſionem de peccatis mortalibus non reſeruatis, vt obſeruetur, quantum fieri poteſt, præceptum Diuinum confitendi omnia mortalia ante communionem. Dixi, *per ſe loquendo*: quia per accidens poterit excuſari: poteſt enim homo conformare ſe practicè cum ſententia contraria docente, non poſſe, aut non debere tunc præmitti confeſſionem, & iuxta eam poterit probabiliter operari. Quando vero non eſſent alia peccata non reſeruata, atque ideo ex hoc capite ceſſaret obligatio confitendi, adhuc videtur probabile, quod poſſet licitè confiteri de venialibus, vel de mortalibus, quæ antea confeſſus fuiſſet, vt ita abſolueretur indirectè à reſeruatis, & ſecurius diſponeretur ad Euchariſtiam, non poteſt enim præſumi, quod, vrgente neceſſitate communicandi, velit adhuc Eccleſia obligare ne confiteatur, & vt maneat cum onere, & neceſſitate habendi contritionem perfectam, quæ non ita facilè haberi poteſt ab homine paulo ante propter ſua crimina excommunicato. Vnde cum Eccleſia in mortis articulo non velit hominem relinquere cum illo onere, & ideo concedat facultatem abſoluendi eum directè à quolibet crimine, credibile eſt, quod in caſu noſtro non velit eum relinquere cum obligatione, & neceſſitate habendi contritionem, ſed permittat, quod ſaltem indirectè poſſit abſolui à reſeruatis, dum alia confitetur.

104. *Quanta debeat eſſe neceſſitas.* Quanta vero debeat eſſe neceſſitas, vt ante abſolutionem ab excommunicatione poſſit quis communicare, aliqui dicunt maiorem cauſam, & neceſſitatem ad hoc requiri, quam ad communicandum abſque confeſſione, ſi non eſſet excommunicatus. *Coninch. Vaſq.* Ita Coninck *loco citato, num. 107.* Sed P. Vaſquez *in præſenti diſputat. 208. num. 13.* dicit, ſe non inuenire differentiam in his præceptis, imo (ſi quæ eſt) magis ſtrictè debere obligare præceptum præmittendi confeſſionem, quod Diuinum eſt, quam alia præcepta merè Eccleſiaſtica.

105. *Quæſitum.* Quæri poteſt, an qui eiuſmodi peccatum reſer-

e. uatum

uatum cum excommunicatione habet, debeat in eo caſu confiteri Sacerdoti inferiori peccatum illud, licet non poſſit ab eo abſolui ab excommunicatione? Nam licet ſupra diximus, non eſſe improbabile, quod poſſit tacere reſeruata, à quibus non poteſt directè abſolui, alia tamen videtur eſſe ratio in hoc caſu. Solet enim communiter dici, peccata illa, quæ reſeruantur ratione excommunicationis, ablata, vel impedita excommunicatione, non eſſe reſeruata, vnde videtur tota reſeruatio cadere ſupra ſolam excommunicationem, non ſupra ipſum peccatum, ergo peccatum, prout condiſtinguitur ab excommunicatione, poteſt eſſe materia directa huius confeſsionis, & tolli directè per abſolutionem inferioris: licet non poſſit abſoluere ab excommunicatione. Et quidem ita dicendum eſſet, ſi vera eſſet ſententia, quam indicant Durandus, & Caietanus quos refert Suarez *dicto 4. tom. diſp. 19. ſect. 1. num. 7.* quod ſcilicet ſola excommunicatio per ſe & immediatè reſeruatur, culpa vero mediatè, & per accidens, quatenus non poteſt quis abſolui à peccatis, *Illa ſententia reiicitur.* niſi prius à cenſura abſoluatur. Illa tamen ſententia communiter reiicitur, & eam impugnant Suarez *ibi*, & Thom. Sanch. *d. cap. n. 5.* cum aliis, eo quod licet peccatum illud non reſeruetur ſine cenſura, verum tamen immediatè reſeruetur, cenſura & peccatum ipſum, atque ideo, quamdiu manet cenſura, manet etiam reſeruatio ipſius peccati, vnde neque peccatum poteſt eſſe materia directa illius confeſsionis, vel abſolutionis, quæ ab inferiori præſtatur; non ergo erit maior obligatio confitendi tunc illud peccatum quàm alia, quæ abſque cenſura reſeruantur.

106. *Infertur quartò.* Infertur quartò, non bene aſſignari alios caſus, vt in illis poſſit homo abſque confeſsione communicare, quaſi non habens copiam confeſſarij, v. g. ſi adſit confeſſarios idoneus, ſed ſperetur breuiter alios, cui ſolet cum maiori deuotione confiteri, item ſi adſit proprius Parochus, adſit autem alius, cui ea priuilegio ſolum confiteri poteſt. Qui caſus, & alij ſimiles benè impugnantur apud Suarez & Vaſquez, & reiiciuntur vt omnino inſufficientes.

Qua neceſſitas excuſet à præmittenda confeſſione.

107. *Caſus neceſſitatis ad duo capita reduci ſolet.* Reſtat breuiter dicere de ſecundo puncto, ſcilicet, de neceſsitate communicandi requiſita, vt poſsit abſque confeſsione prævia id fieri. Reduci autem ſolent caſus neceſsitatis ab aliquibus ad duo capita. Primum eſt inſtantis mortis, ſi aliquis v. g. in mortis articulo non poſsit confiteri, aut abſolutionem obtinere, & poſsit communicare, in quo caſu concedunt omnes, poſſe id fieri. Secundum caput eſt infamiæ, aut detrimenti, quod incurritur, ſi homo non communicet. Circa primum caput quæri ſolet, an ſufficiat neceſsitas dandi viaticum alteri, vt poſsit Sacerdos abſque confeſsione celebrare? Communis ſententia affirmat, vt teſtantur Suarez, & Conink *in præſenti*; contra hoc tamen videtur eſſe quod in prædicto caſu non poſſet aliquis celebrare non ieiunus iuxta communem ſententiam, & ſaltem in omnium ſententia non poſſet abſque veſtibus ſacris celebrare, cum tamen hæc requirantur ſolo præcepto humano: ergo multo minus poterit abſque confeſsione, quæ exigitur præcepto Diuino. Quod quidem argumentum non parum vrget, ſuppoſita doctrina P. Vaſquez, quæ in præſenti *diſp. 208. n. 14.* apertè dicit, magis obligare præceptum Diuinum præmittendi confeſsionem, quam præceptum ieiunij ante communionem, quod eſt merè humanum.

108. *Hoc argumentum nimis probat.* Cæterum, ſi hoc argumentum eſſet efficax, multum probaret, quia probaret, neceſsitatem, quæ ſufficit ad communicandum, non præmiſſa confeſsione, ſufficere ad celebrandum abſque veſtibus ſacris; atque adeo Sacerdotem, qui in articulo mortis ſuæ poſſet ex omnium ſententia celebrare ad communicandum pro viatico, non præmiſſa confeſsione, poſſet etiam tunc celebrare abſque veſtibus ſacris, abſque altari conſecrato, abſque vllis orationibus, aut Euangelio, ſed ſolis prolatis verbis conſecrationis, & iis, quæ requiruntur ad ſubſtantiam Sacrificij: reliqua enim ſunt ſolum ex præcepto humano, quod minus obligat, quam Diuinum præmittendæ confeſsionis, conſequens autem concedet.

109. *Neque ſubſiſtit doctrina P. Coninch.* Vnde nec videtur ſubſiſtere doctrina, ſeu reſponſio alia P. Coninch *infra q. 80. art. 8. n. 57.* dicentis, quando vnum præceptum Diuinum, & alterum humanum in eumdem hominem concurrunt, debere potius ſeruari Diuinum, quam humanum: ſecus, quando non concurrunt in eandem perſonam. Ex quo infert, Sacerdotem non ieiunum poſſe celebrare, vt ſe ipſum communicet pro viatico, & obſeruet præceptum Diuinum, non tamen poſſe celebrare vt alter accipiat viaticum. Hæc, inquam, doctrina non videtur vniuerſaliter vera, quia Sacerdos vt dicebam, non poteſt celebrare abſque veſtibus ſacris, vt ſeipſum pro viatico communicet; ergo non poteſt facere contra præceptum Eccleſiæ ſemper, vt obſeruet Diuinum, quia re vera tunc præceptum Diuinum non obligat, ſtante prohibitione Eccleſiæ.

110. *Aliter ergo dicendum eſt.* Aliter ergo dicendum eſt, loquendo de poſsibili, negari non poſſe, quod aliquando Eccleſia cum tanto rigore præcipiat, aut prohibeat aliquid, vt etiam intuitu obſeruandi præcepti Diuini id omitti, vel fieri non poſsit. Sicut etiam è contra poteſt aliquando præceptum Diuinum ita arctè obligare, vt nulla de cauſa prætermitti poſsit. Aliunde ergo colligendum eſt, quando hoc, vel illud præceptum in particulari obliget. Et quidem præceptum præmittendæ confeſsionis non obligare, vrgente neceſsitate, conſtat ex Concilio Tridentino, vt vidimus, & ex vſu ac traditione perpetua fidelium. Ratio autem eſt, quia cum finis intentus, ſcilicet ſtatus gratiæ requiſitus ad Euchariſtiam poſſit etiam abſque confeſsione haberi, media contritione, non debuit præceptum confeſſionis ita ſtrictè obligare, vt nulla prorſus neceſſitas excuſaret. Vnde cum magno fundamento colligere potuerunt Theologi, occurrente æquali neceſsitate ex parte proximi moribundi, poſſe etiam Sacerdotem abſque confeſsione celebrare, vt det illi viaticum: quia proximi neceſſitas aliquo modo propria eſt. At vero præceptum Eccleſiaſticum non celebrandi abſque altari aut veſtibus ſacris, &c. obligat cum maiori vniuerſalitate, vt conſtat ex eodem vſu fidelium, qui hoc præceptum ita ſemper intellexerunt (quod idem de præcepto ieiunij ante communionem, licet non cum æquali certitudine, dici poteſt) vt non poſſit neceſſitas viatici ſumendi, vel dandi excuſare: vnde nec poſſet aliquis viaticum accipere non ieiunus, niſi eadem Eccleſia iuſtis de cauſis id ſpecialiter indulſiſſet. Ratio autem fuit, quia ad reuerentiam erga tantum Sacramentum ſpectat, vt ritus, & cultus, quo celebratur, & ſumitur, ſit vniformis, & ſolemnis, non poſſet ob priuatas neceſſitates, aut vtilitates alterari, vt Miſſa abſque vllo ritu, aut apparatu celebraretur, ob communicandum infirmum, qui certè cultus, & veneratio Euchariſtiæ haberi non poſſet alia via, ſicut ſtatus gratiæ haberi poteſt per contritionem abſque confeſſione. Poſita ergo tanta, & tam vniuerſali obligatione

illius præcepti Eccleſiaſtici, non poteſt argui ab illo ad præceptum præmittendæ confeſſionis, quod non obligat cum tanta vniuerſalitate.

111. *Inſtabis.* Dices, prohibitio, quæ oritur ex excommunicatione, non eſt præcepti Diuini, ſed humani, ſicut prohibitio celebrandi abſque veſtibus ſacris; & tamen excommunicatus, non præmiſſa abſolutione poterit celebrare ad ſumendum ſibi, vel etiam ad miniſtrandum alteri viaticum; ergo neque Eccleſia intendit ſuis præceptis obligare cum tanta vniuerſalitate, vt excludat hanc etiam neceſſitatem. Reſpondeo, non eſſe neceſſe, quod Eccleſia æquè vniuerſaliter intendat obligare omnibus præceptis, neque enim in omnibus eadem eſt ratio. *Reſpondeo.* Et quidem veriſimile eſt, excommunicatum etiam pro viatico alteri miniſtrando poſſe abſque abſolutione celebrare, quando neceſſitas vrget, ſicut poteſt abſque confeſſione id facere, qui mortaliter peccauit. Nam quod excommunicatus non celebret, non tam ſpectat ad ritum, & venerationem Sacramenti, quam ad pœnam, & punitionem ipſius excommunicati. voluntas autem puniendi mitius interpretanda eſt, quam voluntas aliquid præcipiens propter reuerentiam, & cultum ipſius Sacramenti, circa quem oportet leges eſſe magis ſtabiles, & vniuerſales. Vnde minor cauſa ſufficit, vt excommunicatus celebret ante abſolutionem, quam vt celebret non ieiunus, vel abſque veſtibus ſacris, quæ non ad pœnam, ſed ad venerationem Sacramenti ordinantur.

112. *Quod attinet ad ſecundum caput deſumitur.* Quod attinet ad ſecundum caput, ex infamia, ſcilicet, aut detrimento, quod vt vitetur, licita eſt communio abſque confeſſione; ex hoc capite habetur, Primo, quod poſſit Sacerdos celebrare, quando non poteſt omittere abſque infamia, & nota; quod idem eſt de laico, qui eodem modo non poſſet abſque nota communionem relinquere; quod plerumque etiam procedit, quando iam quis acceſſit ad altare communicaturus; quo in loco nullo modo debet à ſacerdote de peccatis audiri, ſed, potiùs debet communicare, præmiſſa contritione, aut etiam non præmiſſa, ſi iam confeſſus eſt alia peccata, cum dolore vniuerſali de omnibus.

113. *Infertur ſecundo.* Infertur ſecundo, ex hac regula potius quam ex vlla alia decernendum eſſe de ſacerdote, qui ante, vel poſt conſecrationem recordatur alicuius peccati. ſemper enim iudicandum eſt, non teneri ad confeſſionem, quando abſque nota confiteri non poteſt. Non eſt ergo recurrendum ad Miſſam iam inceptam: ſi enim Miſſa incepta, ante conſecrationem poſſet diſcedere ad confitendum, deberet id facere; ſi poſſet item poſt conſecrationem accerſere ſacerdotem, cui confiteretur, deberet id facere; quia vero neutrum poteſt vix fieri vnquam abſque nota, non obligatur; vt cum aliis docet Vaſquez *in præſenti, n.11.* Vnde etiam antequam ad altare accedat poteſt æqualis ratio vrgere, vt ſi iam ex ſacrario veſtibus ſacris ornatus procedit, vel coram multis parare ſe incepit, nec poſſit abſque nota ſe exuere. Itaque poſt conſecrationem hæc ſola differentia eſt, quod licet ſine nota poſſet relinquere Miſſam, non debet, nec poteſt, ſed debet perficere Sacrificium. Cæterum, ſi tunc poſſet abſque nota confiteri ante communionem deberet id facere, atque ideo in tantum poteſt progredi abſque confeſſione, in quantum non poteſt abſque nota accerſere aut diſcedere ab altari, vt breuiter confiteretur, & rediret ad perficiendum Sacrificium.

114. *Infertur tertio.* Infertur tertio, concurrente eadem infamia, aut nota, poſſe ſacerdotem abſque confeſſione celebrare, vt in die feſto alij Miſſam audiant, ceſſante vero notæ periculo, non poſſe, vt docet Suarez *in præſenti ſect.4.* qui tamen oppoſitum dicit, quando eſſet Parochus, qui ex officio debet celebrare, vt ſubditi audiant ſacrum; tunc enim non exigit periculum infamiæ. Sed Vaſq. *in præſenti n.8.* magis conſequenter in vtroque caſu requirit infamiæ, aut notæ periculum. Poteſt tamen, qui velit, ſententiam contrariam vt probabilem ſequi, imo & illam, quod poſſit ſacerdos in die feſto non habens aliam Miſſam, quam audiat, celebrare, vt obſeruet præceptum audiendi ſacrum; quam tenent plures Auctores, quos refert & ſequitur Diana de celebrat. Miſſarum, *Reſol.63.* *Diana.* qui addit *Reſol.64.* poſſe etiam id facere, vt alij Miſſam audiant in die feſto, alioquin non audituri. Sed re vera Tridentinum ſupponit, exigi neceſſitatem, & carentiam confeſſarij; illa autem non videtur neceſſitas; quid enim refert, quod alij non audiant Miſſam, quando per illos non ſtat? Certè non teneor ego vllo modo celebrare, vel piſces mittere, vt alij obſeruent præceptum Miſſæ, vel ieiunij.

Obijcit P. Diana, ex hoc ſequi, quod nec poſſit 115. Sacerdos abſque confeſſione celebrare ad dandum *Obijcit Diana.* viaticum moribundo; neque enim peccabit ægrotus non accipiendo Viaticum, quando per ipſum non ſtat. Reſpondetur tamen, non eſſe paritatem: eſt *Reſpondetur.* enim grauior longè neceſſitas accipiendi Viatici, quam audiendi Miſſam: & eſt multo maius detrimentum, quod patitur homo, ſi viatico careat. Dices: ergo ſaltem non poterit Sacerdos celebrare, vt ipſemet audiat Sacrum in die feſto, non præmiſſa confeſſione: neque enim ipſe peccabit, aut incurret magnum detrimentum, non audita Miſſa, quando per ipſum non ſtat. Reſpondeo, ideo dixi, verius eſſe, quod tunc non poſſit celebrare, niſi aliunde ſequatur aliud inconueniens. Probabile tamen eſſe contrarium propter Doctores non paucos, qui id tenent. Cæterum, cum ij Doctores non id extendant, vt poſſit etiam ad hoc, vt alij audiant Miſſam, non poſſumus id exiſtimare probabile propter eorum auctoritatem: fortaſſe enim putarunt, Sacerdotem obligari ad audiendum Miſſam, & ideo habere neceſſitatem celebrandi: cum tamen non obligetur, vt alij audiant, non habet neceſſitatem celebrandi, vt illi habeant Miſſam, quam poſſit audire.

Infero quarto, quid dicendum ſit, quando vrget 116. præceptum communionis Paſchalis. Suarez enim, *Infertur* vbi ſupra, probabilius dicit, quod non poſſit ob *quarto de* eam ſolam cauſam Sacerdos celebrare, aut alius *communione* communicare abſque confeſſione, vt illud præce- *Paſchali.* ptum impleat, quia lex Euchariſtica non obligat ad communionem, niſi quando debito, & legitimo modo haberi poteſt. Alij tamen communiter concedunt, poſſe tunc communionem accipi cum ſola contritione, quos refert & ſequitur Henriquez *lib. 8. de* *Henriq.* *Euchariſtia, c.46. §.4. lit. M.* & Coninck *in præſenti* *Coninck.* *art. 4. dub. 2. n.17.* quod mihi etiam placet: quia præceptum illud Eccleſiæ de communione, non eſt purè Eccleſiaſticum, ſed eſt præceptum Diuinum determinatum ab Eccleſia quoad tempus: quare ſicut, vrgente præcepto Diuino Viatici ſumendi, noluit Deus obligare ad confeſſionem præmittendam, ſi non eſt copia confeſſarij: ſic vrgente præcepto Diuino communioni etiam extra mortis articulum idem credi poteſt: præſertim cum præceptum Diuinum communionis extra mortis articulum reſpiciat etiam neceſſitatem, quam habemus illius cibi: quem, quia eſt neceſſarius ad ſuſtentationem animæ ſpiritualem, ideo præcipit nobis Deus aliquandiu in vita ſumere: ergo hoc præceptum etiam extra mortis articulum debebat permittere communionem abſque confeſſione, quando non eſſet copia

Sacerdotis;

Sacerdotis, vtporè præceptum de cibo neceſſario, & de re neceſſaria.

117. *Infertur quinto de communione debita ex voto.* Infero quinto, aliter dicendum eſſe de communione debita ex voto, aut etiam ex præcepto merè humano; ob eam enim ſolum cauſam non poſſet quis abſque confeſſione communicare, ſi aliunde ceſſaret periculum notæ, aut infamiæ. Alioquin ſemper poſſent omnes communicare abſque confeſſione: poſſent enim vouere communionem hodiernam, & craſtinam, quotidianam. Poſſet item Superior præcipere eiuſmodi communionem, & hoc modo reddere neceſſariam communionem abſque confeſſione. Fatendum ergo eſt, votum, aut præceptum humanum debere intelligi de communione, quæ aliunde non opponatur modo debito ex Diuino præcepto, qualis eſt, quod præmittatur confeſſio mortalium.

118. *Infertur ſexto.* Infero ſexto, quomodo intelligi debeat id, quod in præſenti Doctores dicere ſolent, poſſe accipi communionem abſque confeſſione ratione ſcandali. Nam ſi hoc intelligatur de proprio ſcandalo, rariſſimè habebit locum: vix enim vnquam continget, quod alij excitentur ad peccandum ex eo, quod ego abſque confeſſione peccati occulti non communicem, debet ergo intelligi nomine ſcandali, nota, vel infamia, quam aliquis incurrit, omittendo communionem. *Suarez.* Nun tamen placet expoſitio P. Suar. *in præſenti ſect. 4. §. Quarta etiam, & communis*; quia ait, ex illa populi admiratione ſolere leues homines occaſionem ſumere detrahendi, aut iudicandi temerè, in quo videtur agnoſcere rationem ſcandali: Hoc, inquam, non placet; quia vel illa omiſſio communionis præbet fundamentum ſufficiens ad iudicandum, quod homo habeat peccatum, quod debeat confiteri; & tunc non erit iudicium temerarium id cogitare, vel de eo loqui, cum res ſit publica, quod Sacrum, vel Communionem omiſit; atque ideo non video, quæ occaſio detur iudicandi temerè ex eo, quod aliquis propter peccatũ re vera mortale omittat communionem, cum re vera peccatum commiſſum ſit cauſa non communicandi; vel illa omiſſio non præbat tale fundamentum ad id cogitandum, & tunc non video, quæ maior occaſio detur peccandi, aut temerè iudicandi, quam quando aliquis communicaturus quærit prius confeſſariũ; tunc enim poterit etiam aliquis temerè iudicare, quod habeat peccata grauia confitenda: & tamen non ideo tenemur omittere confeſſionem. Debemus ergo nomine ſcandali in hac materia potius intelligere, vt dixi, infamiam, & notam, quam affert illa omiſſio communionis, & quæ minus propriè ſolet ſcandalum appellari.

SECTIO VI.

An, & quomodo requiratur contritio, quando non præmittitur confeſſio ante communionem.

119. *Qui ex voluerunt ſufficere attritionem. Suarez. Filliuc. Retractatur.* NOn requiri contritionem perfectam, ſed ſufficere attritionem cognitam, voluerunt aliqui Recentiores, quos tacitè refert Suarez *in præſenti ſect. 5.* quorũ ſententiam probabilem eſſe ſignificat Filliucius *tom. 1. tract. 2. de Sacramento Confirmationis, cap 3 n. 17.* Eam tamen improbabilem eſſe, nec poſſe abſque temeritatis nota defendi, docet idem Suarez, & Lucius Turrianus in cenſuris Theologicis, *centur. 1. dub. 16.* & ipſe Filliucius poſtea *tract. 4. de Sacramento Euchar. cap. 8. num 110.* retractaſſe videtur, quod prius dixerat, dum abſolutè tradit, eſſe omnino neceſſariam contritionem perfectam ſalrem exiſtimatam; quam ſententiam docent omnes Theologi, quos latè refert Suar. ibi, & colligitur ex Patribus exigentibus omnino ſtatum gratiæ, & ſanctitatis, vt poſſit quis licitè accedere ad hoc Sacramentum. Eorum verba vide apud Suarez ibi. Colligitur etiam ex Tridentino *ſeſſ. 13. c. 7.* dicente, diligentius cauendum eſſe, ne abſque magna reuerentia, & ſanctitate accedat quis ad percipiendum hoc Sacramentum. *Conc. Trid.* Qui autem cum ſola attritione accedit, non accedit certè cum ſanctitate, ſed in ſtatu peccati. Denique, ex inſtitutione ipſius Sacramenti, quod cum ſit per modum cibi, & ſit Sacramentum viuorum, prærequirit omnino vitam in percipiente illud. Addit Suarez aliud argumentum, quia Sacerdos, vt miniſtret Euchariſtiam aliis, ſi ſit in peccato, & non velit confiteri, debet ſaltem per contritionem conſtituere ſe in ſtatu gratiæ, ergo multo magis, qui vult Euchariſtiam recipere: plus enim eſt recipere, quam miniſtrare. Hoc tamen argumentum facilè eludi poteſt; primo, quia probabilius eſt Sacerdotem non peccare mortaliter, licet in ſtatu peccati miniſtret aliis Euchariſtiam, vt vidimus ſupra *diſp. 6. de Sacram. in com. ſect. 9.* Deinde etiam dato antecedenti, conſequentia non eſt formalis: retorqueri enim poteſt in ſacramento Pœnitentiæ, ad quod miniſtrandum Sacerdos qui habet conſcientiam peccati, debet prius, ſi non confitetur, elicere actum contritionis, vt iuſtificetur; quod tamen non debet facere, qui illud recipit: quod etiam in ſacramento Baptiſmi locum habet. Melius ergo probatur ex doctrina Conciliorum, & Patrum, atque ex Sacramenti ipſius inſtitutione.

120. *Ex hoc non leue argumentum deſumitur contra eos qui dicunt poſſe conferri primam gratiam virtute Euchariſtiæ homini attrito.* Fateor, ex hoc ipſo non leue argumentum deſumi contra ſententiam illam, quæ docet, poſſe aliquando virtute huius Sacramenti conferri primam gratiam homini attrito. Si enim attritio aufert obicem effectui Euchariſtiæ, ergo qui accedit cum attritione cognita, non accedit cum obice, & per conſequens non accedit indignè. Si vero attritio non tollit obicem ſufficienter, ergo Sacramentum non confert gratiam. Cæterum cum auctores illius ſententiæ nunquam concedant hanc ſequelam, ſed ſemper conentur reſpondere, & conſtanter tueantur obligationem habendi contritionem exiſtimatam, non poteſt ex probabilitate illius ſententiæ argui vllo modo probabilitas huius, licet conſequentia ſit probabilis; quia nimirum in tantum illa alia ſententia eſt probabilis, in quantum probabiliter etiam negat hanc conſequentiam.

121. *Quæritur primo.* Hoc ergo ſuppoſito, quæri poterit, primo, an qui prius confeſſus fuerat, & poſtea recordatur peccati, quod in confeſſione oblitus omiſerat, nec poteſt iam confiteri; cum ſit in altari, v. g. an debeat elicere contritionem nouam illius peccati ante communionem. Et quidem ſi dolor præcedens in confeſſione non fuerat vniuerſalis de omnibus peccatis, vel ex motiuo vniuerſali, quod ſe extenderet etiam ad illud peccatum; certum videtur quod debeat elicere contritionem de hoc peccato; quia virtute confeſſionis nondum fuit iuſtificatus, cum hoc peccatum nondum retractatum non potuerit directè, nec indirectè remitti. Si vero dolor fuerat vniuerſalis, vel ex motiuo, quod ſe extenderet ad hoc etiam peccatum, Antonin. Diana *1 tom. tract. de celebrat. Miſſar. reſol. 48.* refert pro ſententia affirmante obligationem ad nouum dolorem tunc eliciendum, *Diana.* Valer. Reginald. *in praxi tom. 2. lib. 5. cap. 5. ſect. 3. n. 9.* *Valer. Reginal.* vbi dicit, illum eam ſententiam docere ex Medina, Suar. & de Graffiis. Sed neque in illo *tom. 2.* datur liber aliquis quintus; nec in libro quinto qui eſt in *1. tom.* habet aliquid ad illud propoſitũ; in libro autẽ 29. c. 6. q. 4. vbi agit de illa materia, ſolũ dicit, debere præmitti confeſſionem illius etiam peccati, ſi fieri *Reiicitur Diana.*

poſſit, ante communionem; non verò dicit, debere elici contritionem, ſi non præmittatur confeſſio. De illis vero aliis Auctoribus, Suarez Medina, & Graffeo, cum non deſignantur loca, non poſſumus omnino certo affirmare; credo tamen probabiliſſimum, eos nuſquam illud docuiſſe: certè in hoc loco Barth. Medina, & Suarez, nec leuiter id inſinuarunt.

Ioan. Medina. Si vero ſermo ſit de Ioanne de Medina, fateor, illum codice de Pœnitentia *tract. 1. quæſt. 3. §. Ex dictis ſequitur*; docuiſſe, quod poſt contritionem vniuerſalem, neceſſe eſt, de peccatis oblitis, quando memoriæ occurrunt, iterum in particulari dolere; quia ſicut eſt præceptum omnia ſingillatim confitendi, ſic etiam eſt præceptum pœnitendi de omnibus in peculiari, & non tantum in communi per deteſtationem vniuerſalem. Cæterum, nihil peculiare ibi dicit in ordine ad communionem, & totum id procedit ex ſententia illa de obligatione dolendi de ſingulis peccatis in peculiari, quæ ſententia iam communiter à Theologis reiicitur.

122. Concluſio. Præpoſiti. Dico itaque, in noſtro caſu non eſſe obligationem nouæ contritionis eliciendæ: quod etiam in particulari obſeruauit P. Ioannes Præpoſitus *3. p. q. 80. art. 5. dub. 3. n. 15.* & ſupponi videtur ab aliis Theologis dum obligationem totam habendi contritionem, quando non præmittitur confeſſio, probant ex eo, quod Euchariſtia ſit Sacramentum viuorum, & prærequirat ſtatum gratiæ ſaltem per ſe loquendo ad cauſandum ſuum effectum. Vnde ſimul deſumitur ratio concluſionis, quia in caſu noſtro iam

Ratio concluſionis. homo ſupponitur eſſe in ſtatu gratiæ per confeſſionem præcedentem, & abſolutionem, qua in directè ablata fuerunt omnia peccata mortalia; ergo non eſt fundamentum illius nouæ obligationis habendi aliam contritionem poſt memoriam peccati omiſſi.

123. Confirmatur. Confirmatur, quia ſæpe continget, quod poſtquam aliquis doluit per contritionem de omnibus peccatis in particulari, obliuiſcatur poſtea vnius ex illis in ipſa confeſſione, & poſtea recordetur, quando eſt in altari. Tunc autem quis dicat, debere iterum conteri de illo peccato, de quo expreſsè contritus iam erat: non ergo debet neceſſario ſubrogari contritio loco confeſſionis, quando hæc non poteſt haberi. Ex hoc autem colligitur, nec debere id fieri, quando ab initio fuit oblitus; quia per contritionem vniuerſalem verè doluerat iam homo de illo peccato, quæ contritio habitualiter perſeuerat, quandiu non reuocatur; non eſt ergo obligatio repetendi contritionem ex eo quod non poſſit homo tunc confiteri.

124. Magis apparenter poſſet dubitari. Ratio dubitandi eſſe poteſt. Magis apparenter poſſet primò dubitari, an tunc eſſet per ſe loquendo obligatio iterum confitendi illud peccatum ante communionem; an vero ſufficeret propoſitum illud ſuo tempore confitendi. Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia ille homo iam obſeruauit præceptum præmittendi confeſſionem ante communionem, & quidem confeſſionem formaliter integram; ergo non debet facere ſecundam confeſſionem ante communionem.

Confirmatur primo. Confirmatur, & explicatur primo, quia ſicut eſt præceptum confitendi omnia mortalia ante communionem, ſic eſt præceptum confitendi omnia mortalia ſingulis annis, & tamen ſi quis confiteatur omnia, quorum recordatur, non obligatur ad iterum confitendum eodem anno, licet poſtea recordetur alicuius peccati, cuius in confeſſione fuerat oblitus, iuxta probabilem multorum ſententiam; ergo nec debet illud ante communionem confiteri.

125. Confirmatur ſecundo. Confirmatur ſecundo, quia quando ad lucrandum Iubilæum exigitur confeſſio, non eſt neceſſe iterum confiteri intra tempus Iubilæi peccatum, cuius oblitus eſt pœnitens in confeſſione iam tunc facta, vt communiter tradunt Doctores; ergo nec ad communicandum oportebit iterum confiteri. Confirmatur tertio ex verbis Tridentini *illa ſeſſ. 13. can. 11.* vbi dicitur neceſſario eſſe præmittendam confeſſionem illis, *quos conſcientia peccati mortalis grauat.* In noſtro autem caſu non grauat conſcientia eum, qui ritè confeſſus eſt totum quod in mente habebat; non ergo debet ex præcepto iterum confiteri ante communionem.

In contrarium tamen eſt praxis, & conſenſus omnium fidelium, qui etiam poſt legitimam confeſſionem non audent communicare, niſi prius confiteantur illa peccata, quorum de nouo recordantur. Nec vllum Auctorem inuenio, qui contrarium docuerit. Solus Henriquez *lib. 8. de Euchariſt. cap. 46. §. 3.* obſcurè loquitur in hæc verba: *Laicus vero, qui ad linteum altaris aſtat paratus communicare cum aliis, & confeſſionem præmiſerat, excuſatur propter reuerentiam Sacramenti, ne ſtatim redeat ad confeſſarium, vt directè abſoluatur a peccato, cuius fuerat oblitus, etiam ſecluſa nota, & ſcandalo, cum iam accedat iuſtus, & probatus per confeſſionem. expeditque communiter, ne Sacerdos ad altare audiat reconciliationem volentium communicare. Pœnitens tamen noui peccati memor, antequam ad altare accedat, tenetur quæſito confeſſario id aperire, antequam communicet.* In quibus verbis videri poſſit hic Auctor negare obligationem confitendi de nouo ante communionem, eo quod iam ſit homo probatus per confeſſionem. Sed reuera non licentiam ita amplam, & generalem; primo, quia dicit, id tunc licere propter reuerentiam Sacramenti, ad quod recipiendum erat iam paratus. Secundo, quia in margine adducit plures Auctores, ex quibus nemo vniuerſaliter, ſed ſolum in certis circumſtantiis excuſat à noua confeſſione. Tertio, quia ipſe Henriquez præmittit id intelligendum de eo, qui iam eſt ad linteum altaris paratus communicare cum aliis. Quem etiam ſenſum indicare videntur vltimo verba, quibus ſignificat, ſi memoria peccati occurrat, antequam accedat ad altare, debere omnino quæri confeſſarium. Neque illa verba, *noui peccati*, videntur intelligenda de peccato commiſſo de nouo poſt confeſſionem, ſed de peccato nouo in memoria pœnitentis: nam peccati tunc commiſſi poſt confeſſionem eiuſdem diei non diceretur memoria, quod potius vſurpatur ad obiecta antiqua; & conſtat ex contextu: nam condiſtinguit hunc vltimum caſum à caſu præcedenti, in quo memoria occurrerat iam in ipſo altari; poſtea ergo loquitur de eo, qui recordatur peccati ſimilis, antequam ad altare accedat. Vnde P. Suarez *in præſenti ſect. 4. §. ſed huius occaſione*, indubitanter docet, debere, per ſe loquendo, præmitti confeſſionem illius peccati, cumque eſſe ſenſum omnium Doctorum. 126. In contrarium eſt praxis & conſenſus omnium. Henriq.

Suppoſita ergo praxi, & vſu Eccleſiæ, qui in hoc ſenſu explicuit præceptum hoc præmittendæ confeſſionis, reddi poteſt ratio à priori, quia nimirum præceptum non eſt confitendi vtcumque, ſed confitendi omnia peccata ante communionem; hoc autem non impletur, niſi illud aliud peccatum deferatur ad iudicem ante communionem. Eſt autem exemplum ſimile in præcepto confeſſionis in articulo mortis, quod ſimiliter obligat ad confitenda omnia peccata: vnde licet aliquis confeſſus ſit omnia, quorum recordabatur, & abſolutus iam ſit, ſi tamen poſtea recordetur alterius peccati, debet iterum confiteri, & iterum ſingula, prout memoriæ occurrunt, antequam moriatur; quia debet ante mortem omnia dicere integrè. Similiter ergo, cum ſic præceptum 127. Suppoſita hac praxi redditur ratio à priori.

præceptum omnia confitendi ante communionem, debent omnia dici, prout in memoriam redeunt, ante communionem.

128. *Ad rationem dubitandi reſpondetur.* Conc. Trid. Vnde ad rationem dubitandi, & primam confirmationem reſponderi poteſt, præceptum hoc differre à præcepto confeſſionis annuæ: nam illud ſolum eſt confitendi ſemel in anno; vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 5.* vbi explicans illud præceptum, ſic ait: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſti fideles confiterentur, quod iure Diuino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed vt præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis impleretur*, &c. Quod ex ipſis verbis præcepti relati *in cap. Omnis vtriuſque ſexus*, de Pœnitent. & remiſſ. colligi poteſt; in quibus ſolum dicitur, quod *ſaltem ſemel in anno confiteatur fideliter proprio Sacerdoti.*

129. Ex quibus probabiliter inferunt multi, non eſſe obligationem iterum confitendi eodem anno peccata, quæ de nouo veniunt in memoriam; præſertim cum vſus fidelium explicuerit, eum fuiſſe ſenſum præcepti. In noſtro autem caſu idem vſus fidelium explicuit ſenſum contrarium, quem ex modo præcipiendi colligere potuerunt, cum non iubeantur ſemel confiteri, ſed confiteri ſimpliciter omnia peccata eodem modo, quo præcipitur confeſſio in mortis articulo. Sicut ergo qui poſt confeſſionem annuam iterum peccat, non obligatur eodem anno ad nouam confeſſionem: obligatur tamen ante communionem ad nouam confeſſionem, qui poſt confeſſionem peccat: ſic licet memoria peccati omiſſi non obliget ad nouam confeſſionem ex præcepto confeſſionis annuæ, non poteſt argui, quod non obliget ex præcepto hoc præmittendi confeſſionem ante communionem.

130. *Ad ſecundam confirmationem reſpondetur.* Ex quo patet ad ſecundam confirmationem; ad Iubilæum enim ſolum exigitur vnica confeſſio, quæcunque illa ſit; vnde licet aliquis ſola venialia confeſſus ſit, & poſtea incidat in peccatum mortale intra tempus Iubilæi; non erit opus iterum confiteri ad lucrandum Iubilæum, ſed ſufficit actus contritionis, quo iterum redeat in Dei gratiam; quod tamen iuxta veriorem ſententiam non ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis annuæ; eſt enim obligatio confitendi ſaltem ſemel peccata mortalia, ſi quæ fuerint eo anno. Vnde non licet arguere ab illo caſu ad noſtrum.

131. *Ad tertiam facile etiam reſpondetur.* Denique ad tertiam confirmationem reſpondetur facilè, Concilium per illa verba, *quos conſcientia peccati mortalis grauat*, non intelligere eos ſolum, qui ſunt in peccato, vt conſtat clarè ex verbis ſequentibus, *quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment.* Si enim contritus eſt, non eſt iam in peccato; intelligit ergo nomine *conſcientia* ſcientiam ſolum peccati commiſſi, & non expiati per confeſſionem: ſicut etiam *ſeſſ. 14. c. 5.* dixit idem Concilium, eſſe obligationem confitendi omnia mortalia peccata, quorum conſcientiam habemus, hoc eſt, ſcientiam; nam certum eſt, ibi comprehendi ea etiam peccata, quæ iam per contritionem dimiſſa ſunt. Conc. Trid. Et in eodem ſenſu eadem *ſeſſ. 13. cap. 7.* dixerat, *nullum ſibi conſcium peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debere*: vbi certè *conſcius peccati* non eſt ſolum, qui eſt in ſtatu peccati, cum iuſtificati debeant confiteri, vt conſtat.

132. *Obiici poſſent verba Trid.* Obiici adhuc poſſent verba præcedentia eiuſdem Tridentini in illo *Can. 11. Et ne tantum ſacramentum indignè, atque ideo in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat ipſa ſancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat*, &c. Videtur enim finis illius præcepti eſſe, *ne indignè*, hoc eſt, in ſtatu peccati, Euchariſtia ſumatur. Ad hoc autem non eſt opus iterum confiteri, cum certum ſit, per primam confeſſionem remitti peccata per obliuionem inculpabilem omiſſa; vt conſtat ex *ſeſſ. 14. c. 5.* Ergo non intendit Concilium loqui de obligatione ad ſecundam confeſſionem, ſed ſolum ad vnam. Reſpondetur tamen concedendo, finem Concilij fuiſſe, ne indignè ſumatur hoc Sacramentum: nam ea de cauſa declarauit, & propoſuit clarè obligationem ex præcepto Diuino ab Apoſtolo magis implicitè propoſitam, præmittendi confeſſionem omnium mortalium ante communionem: ne ſcilicet eam confeſſionem prætermittentes, indignè communicarent, non obſeruando, quæ ex Diuino præcepto obſeruare debebant, & ideo communio fieret illis in mortem, & condemnationem. *Reſpondetur.* Sicut in eodem ſenſu dici poſſet: *Ne hoc Sacramentum indignè, & in condemnationem ſumatur, monentur fideles, non poſſe ab hæreticis, aut excommunicatis denuntiatis illud accipi*: quia ſcilicet accipiendo ab illis contra præcepta Eccleſiaſtica, peccaretur, & iam indignè acciperetur, & ad condemnationem. Hic etiam videtur ſenſus in noſtro caſu ab omnibus admittendus: alioquin ſequeretur, nec ex vi illius præcepti obligari ad confitendum illud peccatum, non ſolum ante hanc communionem, ſed neque etiam quando poſtea velit homo iterum, & ſæpius communicare. 133. *Hic ſenſus ab omnibus videtur admittendus.* Si enim tota ratio præcepti eſt, ne communicet in ſtatu peccati, cum certum ſit, per confeſſionem præcedentem remitti peccata per obliuionem omiſſa, non erit neceſſaria noua confeſſio ad procurandum ſtatum gratiæ ante ſecundam, vel tertiam communionem. Et tamen certum eſt, ante ſingulas communiones debere præmitti nouam confeſſionem, ſi ſit conſcientia peccati non explicati in confeſſione: ergo ſenſus illorum verborum non eſt ſolum, quod finis præcepti ſit procurare ſtatum gratiæ, ſed quod finis etiam Concilij in proponendo, & explicando illo præcepto Diuino, ſit vitare periculum communicandi indignè in illis, qui eiuſmodi præceptum violarent.

134. *Dubitari poteſt tertio.* Dubitari poteſt tertio principaliter, an qui in Miſſa recordatur, quod ſit in peccato, debeat habere contritionem ſtatim; an vero poſſit proſequi Miſſam, & habere contritionem ante conſecrationem, vel ante communionem? *De hoc dubio à Doctoribus nihil dicitur.* De hoc dubio non video aliquid à Doctoribus dici: ex eorum tamen principiis dicendum videtur, ſi memoria illa occurrat ante conſecrationem, ſatis eſſe, ſi in morula illa, qua in *Memento* orat pro viuis, vel alias antequam conſecret, habeat contritionem: ſi vero occurrat poſt conſecrationem, ſatis eſſe ſi ante communionem conteratur. *Reſpondetur tamen ex eorum principiis.* Nam ſtatus gratiæ, ad quem exigitur contritio, ſolum requiritur ex præcepto in conficiente, vel recipiente Sacramentum, non in exercente alias actiones etiam Ordinis ſacri; vt cum probabiliori ſententia diximus ſupr. *diſp. 8. de Sacram. in com. ſect. 9.* ergo defectus contritionis in aliis partibus Miſſæ non erit peccatum mortale; ſatis enim erit, ſi tempore conſecrationis, quo conficitur Sacramentum, & in communione, qua recipitur, Sacerdos ſit in ſtatu gratiæ: ſanctitas tamen totius illius actionis exigit, vt Sacerdos curet quam primum dolere, & conteri, præſertim ſi commodè poſſit abſque indecenti aliqua interruptione. Fauet autem huic reſolutioni Caiet. *tom. 1. Opuſc. tract. 10.* & clarius Thom. Sanch. *lib. 7. Conſil. cap. 2. dub. 10.*

SECTIO VII.

Quale ſit præceptum confitendi ſtatim poſt communionem, quando aliquis abſque confeſſione communicauit.

135. *Hoc dubium fundatur in verbis Trid.* Conc. Trid.

HOc dubium totum fundatur in verbis Concil. Trid. *ſeſſ.* 13. c. 7. vbi propoſito præcepto præmittendi confeſſionem, ſic concluditur: *Quod ſi, neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quam primum confiteatur.* In quibus verbis contineri præceptum confeſſionis quam primum faciendæ fatentur Theologi omnes, licet vnus, vel alter id negauerit, ſcilicet Petr. de Ledeſma *in ſumma* 1. *p. tract. de Euchariſt. c.* 11. *ante concl.* 9. & Henricus Villalob. *in ſumma tom.* 1. *tract.* 7. *dub.* 17. *n.* 7. ſed alij omnes, vt dixi, præceptum agnoſcunt in illis verbis, & in eo ſenſu videntur explicari in regulis Miſſalis Romani, in quibus pro illis verbis, *quamprimum confiteatur*, ponuntur hæc *quamprimum debet confiteri*, quæ clarius exprimunt obligationem. Et quidem, ſi illa verba non continent præceptum, idem dicendum eſſet de aliis præceptis, quæ in eodem Tridentino in decretis de reformatione imponuntur per ſimilia verba: imo non aliis verbis impoſitum fuit præceptum annuæ confeſſionis *in cap. Omnis vtriuſque ſexus*, niſi per illa: *Semel in anno confiteatur, &c.*

136. *Quæritur an hoc præceptũ ſit diuinũ vel humanum.*

Hoc ergo ſuppoſito, quæritur primo, an hoc præceptum ſit Diuinum, vel merè humanum? Indicant, eſſe de iure Diuino. Gloſſa *in cap. de homine, de celebratione Miſſarum*: Soto, Couar. Sotus, quos refert Suarez *in præſenti ſect.* 6. Fundamentum eſſe poteſt, quia præceptum præmittendi confeſſionem eſt de iure Diuino: ergo idem præceptum obligat ad confitendum poſtea, quamprimum poſſit fieri, quando ſuo tempore non potuit impleri. Sic enim præceptum confeſſionis annuæ obligat, vt ſi ſuo tempore non potuit obſeruari, poſtea, quamprimum fieri poſſit, obſeruetur.

137. *Communis & vera ſententia negat eſſe diuinum.*

Communis tamen, & vera ſententia negat, eſſe præceptum Diuinum; nullum enim eſt fundamentum ad tale præceptum aſſerendum. Nam licet ſit præceptum etiam Diuinum confitendi in articulo mortis; ſi id tamen ex malitia, vel impotentia non obſeruetur, non eſt obligatio, tranſacto illo articulo, confitendi quamprimum. Item licet de iure Diuino debeat Sacerdos præmittere contritionem, antequam conficiat aliqua Sacramenta; ſi tamen id non obſeruet, non obligatur ad eam contritionem habendam quamprimũ, ſed ſolo tempore; & ratio eſt, quia eiuſmodi præcepta, quatenus negatiua ſunt, ſolum obligant ad non communicandum, vel non conficiendum Sacramentũ abſque confeſſione, vel contritione, &c. quatenus vero ſunt affirmatiua, obligant ad præmittendam confeſſionem, vel contritionem ante communionem, ante mortem, &c. Neutro ergo modo obligant, tranſacto illo articulo, vt conſtat. Ad exemplum vero de confeſſione annua reſpondetur facilè, illo præcepto terminum anni præſcribi diuerſo modo; nempe terminum, vltra quem non differatur confeſſio debita ex præcepto Diuino; quod præceptum Eccleſia vult quod obſeruetur *ſaltem ſemel in anno*; illa autem particula *ſaltem* oſtendit apertè, ſenſum eſſe, ne differatur vltra annum; manet ergo obligatio eadem, & maior, tranſacto anno; quia in dies fit maior dilatio vltra annum, & per conſequens grauior tranſgreſſio præcepti.

138. *Secũdo quæritur an etiam obliget laicos.*

Secundo quæritur, an eo præcepto confitendi quamprimum obligentur ſoli Sacerdotes, an etiam laici communicantes abſque confeſſione in caſu neceſſitatis. Nauarrus enim, & alij voluerunt vtroſque comprehendi propter paritatem rationis. Sed hæc ſententia iam communiter ab omnibus reiicitur, & merito; tum quia in præceptis odioſis non debet fieri extenſio propter rationis paritatem, tum etiam quia reuera non eſt æqualis ratio, maius enim erat periculum in Sacerdotibus, qui ratione officij ſæpius habent illam neceſſitatem celebrandi abſque confeſſione, quia non eſt alius Sacerdos in illo oppido: laicus vero rarò habet talem neceſſitatem; præſertim cum regulariter poſſit confiteri illi Sacerdoti à quo communionem accepturus eſt. Vnde nec eo præcepto comprehenditur Sacerdos non celebrans, ſed communicans more laicorum: Concilium enim ſolum loquitur de Sacerdote celebrante. *Cõmunis ſententia negat.*

Tertio quæritur, an comprehendatur Sacerdos in die Paraſceues celebrans: ille enim non offert Sacrificium, cum ea die non fiat conſecratio, ac per conſequens non ſit propriè Miſſa. Cæterum verius eſt, comprehendi. Nam licet Sacerdos illa die non dicat propriè Miſſam, dicitur tamen ſimpliciter celebrare: vt paſſim habetur in Rubricis illius diei in Miſſali Romano: non enim communicat communione laica, ſed Sacerdotali; quare illum etiam caſum comprehendi docuit Suarez *in præſenti ſect.* 7. & alij, quos ſequitur Diana *tract. de celebrat. Miſſarum, reſol.* 60. qui idem docet, quando, deficiente Sacerdote poſt conſecrationem, aſſumitur alius Sacerdos ad complendum illud Sacrificium; prout etiam docuerant Suarez *illa ſect.* 7. & Vaſquez *in præſenti diſp.* 208. *c.* 3. *n.* 13. nam tunc etiam dicitur verè celebrare, & non accipere communionem more laicorum. 139. *Tertio quæritur de die Paraſceues. Verius eſt illũ etiam eſſe comprehendi.* *Miſſ. Rom.* *Suarez. Diana.*

Quarto quæritur, an ille, qui poſt conſecrationem recordatur peccati (& idem erit, ſi tunc illud commiſit) comprehendatur illo præcepto confitendi poſtea quamprimum poſſit. Affirmant Suarez *illa ſect.* 7. Reginaldus, Bonacina, Megala, Molfeſius, & alij, quos refert Diana *vbi ſupra, Reſolut.* 61. Et ratio poteſt deſumi ex dictis; quia in illa parte Miſſæ, quæ reſtat, Sacerdos verè celebrat, ſicut in caſibus proximè adductis: ergo de eo verificatur totum, quod Concilium requirit, vt debeat quamprimum poſtea confiteri. 140. *Quarto quæritur.* *Sententia Suarez.* Diana.

P. Vaſquez *in præſenti c.* 3. *n.* 20. negat, eum caſum comprehendi præcepto Tridentini, quam ſententiam amplectitur Diana *dict. reſol.* 61. & pro ea citat Franc. Syluium *in præſenti q.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. Sed Syluius ibi ſolum loquitur de Sacerdote, qui poſt communionem recordatur alicuius peccati. Sic enim dicit: *Idem iudicium exiſtimamus* (ſcilicet non obligari eo præcepto) *de illo, qui nullius peccati habens memoriam, confeſſionem non præmiſit, etiamſi poſt cõmunionem ei occurrat peccatum aliquod mortale, quia non prætermiſit eam ob neceſſitatem, de qua loquitur Concilium.* Suſpicor tamen, fuiſſe errorem in his verbis, & debuiſſe legi, *ante communionem*: pro illis, *poſt communionem*; alioquin probatio ſubſequens non eſt ad rem: nam ſi peccatum occurrat poſt communionem, ille non celebrat abſque confeſſione præuia cum conſcientia peccati; iam enim eſt abſolutum Sacrificium, & facta communio. Affert etiam pro illa ſententia Gregor. Sayr. *de Sacram. lib.* 1. quem nondum vidi. Eandem tamen amplectitur P. Ioan. Præpoſit. *in præſenti q.* 9. *art.* 5. *dub.* 4. 141. *Vaſquez contrariũ habet.* Syluius. Præpoſit.

Probat Vaſquez ſuam ſententiam, quia Tridentinum loquitur ſolum de Sacerdote, cui non eſt copia Confeſſarij, & neceſſitate vrgente, abſque præuia confeſſione celebrat. Præmiſerat enim obliga- 142. Vaſquez. *Probat Vaſq.*

tionem

tionem vniuerſalem præmittendi confeſſionem, *modo non deſit copia Confeſſarij*; & ſtatim ſubiungit: *quod ſi neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur.* Loquitur ergo de illo, cui deeſt copia confeſſarij; & ideo neceſſitate vrgente, celebrat abſque confeſſione. In noſtro autem caſu non celebrat abſque confeſſione, quia deſit copia confeſſarij, ſed ne incurrat notam infamiæ, quam incurreret vocando confeſſarium ad altare; ergo non eſt hic caſus, de quo loquitur Concilium.

143. *Hæc ratio impugnatur.* Hæc ratio, non video quomodo rectè cohæreat cum mente Tridentini, nec cum doctrina ipſius Vaſquez. Dato enim, quod Concilium loquatur de illo ſolum, qui propter inopiam confeſſarij in neceſſitate celebrat abſque confeſſione, adhuc in noſtro caſu vtrumque verificatur; quia ad hoc vt verum ſit, quod non datur copia confeſſarij, non requiritur, quod non adſit phyſicè in eo aliquis confeſſarius, ſed ſufficit, ſi pœnitens non poſſit abſque graui incommodo illi confiteri ſua peccata. Idque ipſemet Vaſq. *cap. præced.* cum omnibus Theologis docuit *n.* 5. & probatur clarè ex iiſdem verbis Tridentini; dicit enim omnibus in vniuerſum eſſe obligationem præmittendi confeſſionem, niſi deſit copia confeſſoris; quæ exceptio firmat regulam in contrarium: certum eſt autem, non debere præmittere confeſſionem illum, cuius quidem confeſſarius adeſt, ſed non poteſt ei confiteri abſque periculo reuelationis, aut iniuriæ grauis: ergo hic dicitur tunc carere copia confeſſarij, quia perinde eſt, ac ſi non adeſſet confeſſarius. In noſtro autem caſu licet adſit confeſſarius, non tamen poteſt Sacerdos celebrans illi confiteri abſque nota, & periculo infamiæ, ergo iuxta mentem Tridentini, & doctrinam ipſius Vaſquez non dicitur hic, & nunc habere copiam confeſſarij, atque adeo ex hoc capite non deſinit obligari præcepto iſto Tridentini ad confitendum quamprimum poſt Miſſam.

144. *Melius arguit Vaſquez.* Melius arguit idem Vaſquez ſecundo ex regulis Miſſalis Romani, quæ diuerſo modo loquuntur de Sacerdote, qui ante celebrationem, vel de eo, qui in ipſa celebratione habet conſcientiam peccati mortalis; nam in primo caſu dicitur, quod habeat contritionem, & poſtea quamprimum confiteatur: in ſecundo autem caſu ſolum dicitur, quod habeat contritionem cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi: non ergo putarunt ij, qui regulas illas collegerunt, quod Tridentini præceptum æquè vtrumque caſum comprehenderet; alioquin eodem modo in vtroque explicarent obligationem quamprimum confitendi.

145. *Ratio huius diuerſitatis ex Tridentino colligitur.* Rationem huius diuerſitatis poſſumus ex ipſis verbis Tridentini colligere; loquitur enim de illo ſolum, qui *neceſſitate vrgente, abſque præuia confeſſione celebrauit*; quibus verbis videtur ſignificari ille ſolus qui neceſſitate coactus non præmiſit confeſſionem, hoc eſt, non eſt confeſſus, antequam ad Miſſam celebrandam accederet: hoc enim ſignificat *præuia confeſſio*, confeſſionem ſcilicet ante Miſſam; confeſſio vero facta in media Miſſa non dicitur in toto rigore *præuia*, ſed concomitans. Quamvis ergo Sacerdos tunc communicet abſque confeſſione propter neceſſitatem & carentiam confeſſarij, cui poſſit abſque nota confiteri, non videtur tamen comprehendi præcepto Tridentini; quia non omiſit propter illam neceſſitatem confeſſionem præuiam, hoc eſt, quæ præcederet celebrationem Miſſæ, ſed ſolum confeſſionem, quæ præcederet communionem, vel proſecutionem celebrationis. Fuit autem minus fundamentum, vt Concilium vellet comprehendere primum caſum, quam ſecundum, eo quod voluit Parochos rurales reddere magis cautos ad quærendum confeſſarium ante celebrationem Miſſæ, propter periculum ſcilicet magis ordinarium, ne diu celebrarent abſque confeſſione prætextu carentiæ confeſſoris; quem non haberent fortaſsè, quando actu volebant celebrare: quod periculum non erat in ſecundo caſu, quando per accidens in ipſo altari alicuius peccati recordantur.

Videtur ergo probabilis ſatis hæc ſententia; iuxta quam conſequenter videtur idem dicendum ſiue peccati memoria occurrat poſt conſecrationem, ſiue etiam ante illam; & in hoc planè ſenſu videtur loqui P. Vaſq. nam regula illa Miſſalis Romani, quam affert, vniuerſaliter loquitur de eo, qui in altari recordatur alicuius peccati: & rationes, quibus vtitur, vniuerſaliter probant, in vtroque enim caſu omittitur confeſſio propter notam, & infamiam, ad quam parum refert, quod ſit ante, vel poſt conſecrationem. Quare idem Vaſq. *cap. præced. n.* 11. fatetur, non eſſe diſtinguendum ante, vel poſt conſecrationem quoad notam infamiæ, ſed in vtroque caſu eodem modo loquendum eſſe. Denique ratio, quam attulimus ex verbis Tridentini, eodem modo procedit: ille enim, qui ante conſecrationem immediatè confiteretur, non diceretur confeſſus ante Miſſam, nec illa confeſſio fuiſſet præuia in rigore: iã enim inceperat celebrare Sacerdos, cũ tota illa actio appelletur Miſſa integra, licet non omnes eius partes ſint æquè eſſentiales. 146. *Videtur probabilis ſatis, hæc ſententia.*

147. Rurſus iuxta eandem ſententiam conſequenter videtur idem dicendum, ſiue in Miſſa occurrat memoria peccati, ſiue occurrat peccatum ipſum quod tunc à Sacerdote fortaſsè committeretur: in quo caſu minus conſequenter videtur locutus Syluius *vbi ſupra*, dicens, tunc habere locum præceptum Tridentini confitendi quamprimum poſt Miſſam. Non eadem videtur eſſe ratio, cum neutro in caſu verificetur, Sacerdotem propter carentiam confeſſarij, & vrgentem neceſſitatem celebrare abſque præuia confeſſione: tunc enim confeſſio *præuia* omiſſa fuit non propter neceſſitatem, ſed quia nondum erat neceſſitas confitendi, cum nondum fuiſſet commiſſum peccatum.

148. *Obijcitur pro* ... Huic ſententiæ obiici adhuc poteſt, quia qui propter obliuionem peccati omittit confeſſionem præuiam, videtur eam omittere propter neceſſitatem vrgentem: quæ enim maior neceſſitas, quam obliuio? Ergo verificatur, quod ille celebrauit abſque præuia confeſſione propter neceſſitatem, & per conſequens obligatur Tridentini lege ad confitendum quamprimum poſt Miſſam P. Suar. *d. ſect.* 7. dicit probabilius eſſe, quod eiuſmodi caſus, quando obliuio durat per totam Miſſam, non comprehendatur Tridentini lege. Ergo id certum exiſtimo: quia Concilium in eo capite ſolum loquitur de eo, qui ante communionem eſt conſcius ſibi peccati mortalis; dicit enim: *Eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumcunque ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſeruandam eſſe decreuit: modo non deſit illis copia confeſſoris.* Ecce, huc vſque loquitur ſolũ de obligatione præmittendi confeſſionem, quando quis conſcius eſt ſibi peccati, modo non deſit copia confeſſarij. Statim autem ſubiungit: *Quod ſi neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur.* Quæ verba debent intelligi omnino iuxta ſubiectam materiam, ſcilicet de Sacerdote, qui conſcius ſibi peccati mortalis, celebrat abſque *Reſpondetur.* *Conc. Trid.*

præuia;

præmiſſa confeſſione, vrgente neceſſitate; ille enim, qui conſcius ſibi non eſt peccati, non comprehendebatur illo præcepto confeſſionis præuiæ, neque indigebat neceſſitate vrgente ad celebrandum abſque confeſſione: cum ergo ille, qui eſt omnino oblitus, non ſit conſcius ſibi alicuius peccati, non poteſt comprehendi hac lege Tridentini, quæ ſolum fertur ad eos, qui conſcij ſibi peccati excuſantur vrgente neceſſitate à præmittenda confeſſione. Non poteſt ergo in illo loco intelligi obliuio nomine *neceſſitatis vrgentis*, cum ſit ſermo de neceſſitate vrgente ad celebrandum cum conſcientia, ſeu ſcientia peccati, quæ ſcientia omnino excludit obliuionem.

149. *Quæritur quinto.* Quinto quæritur, an qui non ex neceſſitate, nec carentia confeſſarij, ſed ex mera malitia, & culpabiliter celebrat abſque confeſſione, obligetur illo præcepto Tridentini, ad poſtea quamprimum confitendum. Affirmant aliqui, cum quibus ſentit Franciſcus *Sylvius.* Syluius *loco ſupra citato, illo dub.* 2. Et ratio eſſe poteſt, quia videtur eſſe argumentum à minori ad maius: grauius enim delinquit, qui abſque neceſſitate, quam qui ex neceſſitate confeſſionem non præmittit: ergo ſi iſte comprehenditur eo præcepto, multo magis ille.

...iur. Dicendum tamen eſt, minimè comprehendi, quia Concilium apertè loquitur de illo, qui, neceſſitate vrgente, celebrat; & quidem in his præceptis poſitiuis non debemus arguere ab vno ad alium caſum: præſertim cum ſit maior ratio in præſenti; tum quia hoc præceptum ordinatur ad iniiciendum metũ iis, qui prætextu neceſſitatis celebrandi, differre poſſunt confeſſionem: poſito autem hoc nouo præcepto, diligentius quærent confeſſarium: illis autem, qui ex malitia id faciunt, non erat neceſſe iniicere talem metum, cum iam ſciant, ſe obligari ſub peccato ad præmittendam confeſſionem. Tum etiam, quia præceptum hoc in ordine ad illos non eſſet vtile, ſed occaſio certa noui peccati abſque vlla ſpe fructus. Quo modo enim ſperabitur confeſſurus ſtatim poſt Miſſam propter hoc nouum præceptum Eccleſiæ, quo, contempto præcepto Diuino, celebrat nunc abſque confeſſione? Aduerte tamen Sacerdotem, qui, vrgente neceſſitate, abſque confeſſione celebrat, licet culpabiliter non præmittat contritionem, comprehendi adhuc illo præcepto confitendi quamprimum: eius enim verba vniuerſalia ſunt, nec diſtinguunt inter Sacerdotem habentem, vel non habentem contritionem; ſed loquuntur de non præmittente confeſſionem ob neceſſitatem vrgentem.

151. *Quæſitum ſextum.* Sexto quæritur, an comprehendatur eo præcepto, qui prius quidem confeſſus fuerat, & abſolutus, ſed poſtea recordatur peccati non explicati in confeſſione, & ob neceſſitatem, & carentiam confeſſarij celebrat abſque noua confeſſione? Ratio dubitandi eſt, quia hic non celebrat abſque confeſſione præuia, cum reuera confeſſus fuerit. *Reſolutio.* Reſpondetur tamen, illum caſum comprehendi illa lege Tridentini; nam ille celebrat conſcius illius peccati abſque illius peccati confeſſione, quam præmittere deberet, ſi neceſſitas vrgens non excuſaret; confeſſio ergo præuia, quæ exigitur, non eſt ſolum confeſſio qualiſcumque, ſed confeſſio eius peccati, quæ propter neceſſitatem non præmittitur. Alioquin ſi aliquis integrè confeſſus fuiſſet, & poſtea peccaſſet mortaliter, & propter vrgentem neceſſitatem celebraret, abſque noua confeſſione, comprehenderetur illa lege Tridentini; nam nec hic diceretur celebrare abſque confeſſione aliqua præuia. Hoc autem eſt manifeſtè falſum: nam in hoc ſenſu nemo celebrat abſque confeſſione præuia, cum aliquando confeſſi ſint, omnes, licet poſt vltimum peccatum non ſint confeſſi. Ille igitur dicitur accedere abſque præuia confeſſione in præſenti, qui non præmittit confeſſionem eorum peccatorum, quorum conſcientiam habet ante celebrationem, qualis eſt ille, qui recordatur peccati non explicati in vltima confeſſione.

Septimo quæri poteſt de illo, qui habens caſum reſeruatum, & non potens recurrere ad ſuperiorem confitetur vrgente neceſſitate celebrandi, inferiori, ab eoque abſoluitur directè à non reſeruatis, an iſte obligetur illo præcepto Tridentini ad confitendum poſtea quamprimũ ſuperiori: an vero ſufficiat confiteri ſuperiori tempore debito, quando ſcilicet inſtet obligatio, aut præceptum confeſſionis annuæ, vel propter recipiendam Euchariſtiam? De hoc dubio nihil inuenio apud Auctores, conſequenter tamen ad doctrinam ſuper poſitam videtur hic etiam comprehendi præcepto confitendi poſtea quamprimum poſſit, quia hic re vera celebrauit ratione neceſſitatis vrgentis abſque confeſſione illius peccati, cuius conſcientiam habebat, & quam præmittere debebat: quod autem confeſſus fuerit alia peccata non reſeruata, non videtur ſufficere, ſicut neque in illo, qui confeſſus eſt alia, & poſtea recordatur ante Miſſam alterius peccati, quod non dixerat, quam tamen diximus debere poſt Miſſam quamprimum confiteri. 152. *Quæritur ſeptimo.* *De hoc dubio nihil inuenio apud Auctores.* *Reſpondetur tamen.*

Obiici tamen poteſt, quia ex hoc ſequitur comprehendi debere eodem decreto Tridentini illum, qui ante Miſſam confeſſus eſt omnia peccata mortalia præter vnum quod iuſtis de cauſis tacuit, ne incurreret graue damnum apud confeſſariũ, & quia non habebat alium confeſſarium: cui illud poſſet ſecurè confiteri, atque ideo etiam hunc obligari ad confitendum quamprimum illud peccatum, & quærendum confeſſarium, cui abſque periculo confiteri illud poſſit. Conſequens autem videtur falsũ; quia ille re vera fecit iam confeſſionem formaliter integram, & confeſſus eſt omnia ſua peccata, quantum humano modo potuit: non ergo celebrat abſque confeſſione debita præuia. Nam confeſſio debita eſt ſolum confeſſio omnium peccatorum quantum abſque incommodo, & humano modo, explicari poſſunt. Simile etiam exemplum afferri poteſt de illo, qui inſtante in bello, v. g. morte confiteretur aliqua peccata in ſpecie, & alia omnia propter temporis anguſtias ſolu in genere, & ſtatim celebraret, vt ſibi ac aliis prouideret de viatico; hic, inquam, non videtur obligandus, elapſo illo periculo, ad confitendũ ſtatim, quia non celebrauit abſque confeſſione præuia formaliter integra: ergo, neque in illo alio caſu habens caſum reſeruatum debet obligari ad adeundum ſuperiorem ſtatim poſt Miſſam. 153. *Obiici tamen poteſt.*

Aliquis fortaſsè dicet, poſſe aſſignari differentiam inter hos caſus, & illum alium, vt ille ſolus comprehendatur lege Tridentini, & non iſti; quia Tridentinum loquitur expreſſe de illo, qui ratione vrgentis neceſſitatis celebrat abſque confeſſione præuia; ille autem, qui habens peccatum reſeruatum celebrat abſque confeſſione facta ſuo ſuperiori, id certè facit propter vrgentem neceſſitatem celebrandi, vt vitet notam & infamiam, vel quid ſimile. At vero ad celebrandum poſt confeſſionem formaliter, & non materialiter integram, famam tamen coram legitimo confeſſario, potente hic, & nunc abſoluere ab omnibus peccatis, & requiritur ille gradus neceſſitatis. Requiritur quidem aliqualis neceſſitas ad dimidiandam licitè confeſſionem coram legitimo confeſſario; non tamen talis, quæ ſit neceſſitas vrgens ſimpliciter, vt explicuimus *ſupra ſect.* 5. vbi attulimus rationem, cur maior neceſſitas requiratur ad confitendũ inferiori, qui non poteſt abſoluere directè à reſeruatis, quam ad non 154. *Fortè aliquis diceret.*

confiten

confitendum integrè ei, qui poteſt abſoluere ab omnibus. Ille ergo, qui hoc modo dimidiat confeſſionem, non eſt neceſſe, quod id faciat propter neceſſitatem vrgentem ſimpliciter, & per conſequens non comprehendetur ſub decreto illo Tridentini, quod loquitur ſolum de omittente confeſſionem propter vrgentem neceſſitatem.

155. *Vrgetur adhuc.* Sed vrgeri poteſt contra hoc, quia licet non requiratur neceſſitas vrgens ſimpliciter ad dimidiandam confeſſionem coram legitimo confeſſario potente abſoluere ab omnibus, requiritur tamen neceſſitas ſimpliciter vrgens ad communicandum, vel celebrandum abſque præuia confeſſione peccati, cuius conſcientia actu eſt: ille autem, qui dimidiat confeſſionem coram ſuo legitimo confeſſario, verè celebrat poſtea conſcius peccati abſque præuia confeſſione illius; ergo debet habere neceſſitatem vrgentem ad celebrandum, & per conſequens comprehendetur lege illa Tridentini. Si enim hoc poteſt celebrare abſque neceſſitate vrgente ad celebrandum; cur non poterit etiam abſque vrgente neceſſitate celebrare ille, qui confeſſus eſt inferiori, & abſolutus eſt directè à ſolis peccatis non reſeruatis; Vterque enim æquè eſt conſcius peccati mortalis, cuius confeſſionem non præmiſit, vel certè non eſt illud confeſſus legitimo iudici in illo foro. Quod autem non requiratur æqualis neceſſitas ad dimidiam confeſſionem in vtroque caſu, videtur ſe habere per accidens, & omnino extrinſecè in ordine ad communionem. Poteſt enim contingere, quod aliquis habeat cauſam, & neceſſitatem ſufficientem ad dimidiandam confeſſionem, & non ad celebrandum, vel communicandum ante confeſſionem integram, v.g. Sacerdos, qui nunc habet confeſſarium, cui ob anguſtias temporis non poteſt integrè confiteri, & aliunde probabiliter timet, quod per longum tempus, & fortaſſe per totam vitam, non habebit aliam occaſionem confitendi, habet certè cauſam ſufficientem, vt confiteatur illi, licet non integrè, imo etiamſi haberet peccata reſeruata, à quibus ab illo non poſſet abſolui: non tamen habet cauſam ſufficientem, & vrgentem neceſſitatem ad celebrandum, ſi aliunde probabiliter etiam ſperat, quod breui habebit alium, cui integrè poſſit confiteri, & nunc non vrget neceſſitas alia, vel timor infamiæ ad celebrandum. Concilium ergo loquitur de iis, qui abſque præuia confeſſione celebrant propter neceſſitatem non quamcunque, nec quæ ſolum vrgeat ad confitendum, ſed quæ vrgeat ad celebrandum, quæ neceſſitas æqualis videtur requiri, vt poſſit celebrare, qui confeſſus eſt non integrè, potenti abſoluere ab omnibus, & vt poſſit celebrare ille, qui confeſſus eſt inferiori non potenti abſoluere à reſeruatis; vterque enim celebrat abſque præuia confeſſione peccati, cuius conſcius eſt: ergo vterque comprehenditur illa lege confitendi poſtea quamprimum.

156. *Verius itaque videtur in iis omnibus caſibus locũ habere præceptum Trident.* Conſequenter itaque verius exiſtimo, in iis omnibus caſibus locum habere præceptum illud Tridentini, quod quidem ex contextu illius capitis colligi videtur. Præmiſerat enim obligationem vniuerſalem præmittendi confeſſionem ante communionem, quoties aliquis conſcius eſt ſibi peccati mortalis: in quibus verbis certum eſt, nomine *confeſſionis* intelligi non quamlibet confeſſionem formaliter integram, ſed confeſſionem eorum omnium, quorum ante communionem conſcius eſt; alioquin ſi poſt confeſſionem recordamur alicuius peccati, non debemus illud ante communionem confiteri; quod eſt contra vſum totius Eccleſiæ, & omnino falſum. Proponitur ergo in illis verbis obligatio confitendi omnia peccata, quorum ante communionem memoriam, & conſcientiam habemus: de eiuſmodi autem confeſſione, & de hoc debito ſubiungitur: *Quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſeruandum eſſe decreuit; modo non deſit illis copia confeſſoris.* Ecce illam eandem confeſſionem omnium peccatorum, quorum ante communionem conſcientiam habemus, de qua ſermo erat: dicit, debere præmitti à Sacerdote, ſi non deſit copia confeſſoris: quod ſi deſit, & neceſſitas celebrandi vrgeat, & ideo *abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur*; quæ vltima verba neceſſariò intelligenda ſunt de eadem confeſſione præuia, de qua ſermo erat, ſcilicet, illa confeſſione integra omnium peccatorum, quorum memoria ſit ante communionem; ad quam confeſſionem præmittendam, Sacerdotes etiam teneri dixerat. Alioquin erit æquiuocatio ingens intra pauciſſima verba, intelligendo nunc vnum, & ſtatim aliud, nomine illo *Confeſſionis præuia*.

Fatendum eſt ergo, Concilium obligare voluiſſe ad quamprimum confitendum omnes Sacerdotes, qui carentes confeſſario propter vrgentem neceſſitatem celebrandi id faciunt abſque confeſſione illa præuia, ad quam præmittendam iure Diuino tenebantur, quæ eſt confeſſio integra omnium mortalium, quorum memoriam habent ante communionem. Quamvis ergo in caſibus ſupra adductis Laicus, vel etiam Sacerdos communicans more Laicorum non obligetur ad confitendum iterum ſtatim poſt communionem, voluit tamen Concilium, Sacerdotes celebrantes ad id obligare, vt propter maiorem frequentiam, & occaſionem, ac neceſſitatem ſæpius celebrandi, & communicandi, ſint magis cauti, & diligentes in quærendo confeſſario legitimo, ac opportunitate confitendi integrè omnia peccata. 157.

Quid intelligatur per illud, quamprimum *in verbis Concilij.*

Octauo quæritur, quomodo intelligendum ſit illud, *quamprimum*, quod eſt quærere, quæ, & qualis dilatio confeſſionis poſt Miſſam ſit materia ſufficiens ad peccandum grauiter contra iſtud præceptum? Aliqui videntur omnino ſtrictè illam vocem accipere, vt finita Miſſa ſtatim debeat Sacerdos quærere confeſſarium; pro qua explicatione Antoninus Diana *dicto tract. de celebratione Miſſarum, reſolut. 60.* affert Ioan. Sauciam in *Selectis diſput. 32. num. 4.* quem videre non potui. Alij autem, qui ab eodem dicuntur pro ſua ſententia citari, nempe Suarez, & Vaſquez, id non dicunt, ſicut nec Henriquez, qui ibidem citatur. 158. *Octauo quæritur quid intelligendum ſit per illud quamprimũ.* *Diana.* *Aliquorum ſententia.*

Alij ad illud extremum declinantes, dicunt, illam particulam ita intelligi, vt Sacerdos poſtea confiteatur ſuo tempore, nempe ante aliam celebrationem; quam ſententiam ſaltem per principia extrinſeca probabilem eſſe docet idem Diana *loco citato*; & pro ea affert Stephan. Fagundez *de præceptis Eccleſiæ, tract. 3. cap. 8. num. 9.* Molfeſium *in ſumma, tom. 1. tract. 3. cap. 10. num. 28.* & per Bluſfeldium *in Enchirid. Theol. Paſtor. c. 5.* Verum ex his auctoribus ſolus Fagundez id dixit, abſque alio auctore, vel ratione. Nam Molfeſius loquitur ibi expreſsè de Laico communicante, vrgente neceſſitate abſque præuia confeſſione; & de illo dicit, debere habere contritionem cum propoſito confitendi non ſtatim, ſed ſuo tempore; pro quo affert Suarium, & alios auctores, qui certè id non dicunt de Sacerdote 159.

dote celebrante. Petrus vero Binsfeldius citatur à P. Diana non deſignata parte illius operis: oportet tamen, quod ſit *in* 1. *part.* non *cap.* 5. ſed *cap.* 6. in quo tractat de illa obligatione Sacerdotis, ſed ibi nullo modo inſinuat eiuſmodi ſententiam: non poteſt ergo manere probabilis propter ſola principia extrinſeca, quæ non habet alium auctorem, niſi vnum; & eſt contra omnes alios.

160. *Cõtra hoc eſt expreſſa declaratio Miſſalis Romani.*

Contra illam vero eſt expreſſa declaratio appoſita in regulis Miſſalis Romani, in quibus illa dictio Concilij, *quamprimum*, explicatur, *cum primum poterit*. Ergo ſi poteſt confiteri ante aliud ſacrum, quod fortè non faciet ante menſem, debet ex illo præcepto confiteri. Deinde, quia nemo prorſus dicet, fieri illico, ſtatim, quamprimum, illud, quod poſt ſex, vel octo menſes fit. Cum ergo poſſit contingere, quod Sacerdos ille non celebret iterum intra ſex, vel octo menſes, non ſatisfacit præcepto Tridentini, dilata confeſſione per totum illud tempus, & habita (vt ſupponimus) interim copia confeſſarij. Denique in eo ſenſu præceptum Tridentini ad nihil nouum obligaret, neque eſſet differentia inter Sacerdotem celebrantem, & laicum communicantem, vrgente neceſſitate, abſque præuia confeſſione. Vterque enim præcepto Diuino obligatur ad confitendum, data occaſione, ante communionem ſequentem. Hoc ergo non eſt explicare, ſed auferre omnino illud Tridentini præceptum.

161. *Alij tertio dicunt.*

Alij ergo tertio dicunt, illud, *quamprimum*, intelligi intra triduum; quam explicationem approbat idem Diana *loc. cit.* & pro ea affert Thom. Sanchez, Ægid. de Coninck, Gonzalez, & alios. Sed ij omnes loquuntur in aliis materiis diuerſis; nec quoad hoc poteſt argui ab vna materia ad aliam; quia dictiones illæ, *ſtatim, incontinenti, mox, quamprimum*, & ſimiles non habent certam, & determinatam ſignificationem, ſed ex diuerſitate materiæ, de qua agitur, & ex aliis circumſtantiis iudicandum eſt, quando aliquid factum, vel non factum ſit ſtatim, incontinenti, &c. vt tradunt communiter Iuriſtæ: & videri poſſunt Card. Tuſch. in dictione *Mox*. Ioan. Petrus Surdus *conſil.* 417. *n.* 31. Paul. Ghirlandus *de hæreticis q.* 5. *n.* 16. *& ſeqq.* qui habetur *in tom.* 11. *tractatuum Iuris, part.* 2. Vnde aliquid in vna materia dicetur fieri *ſtatim* ſi fiat intra hebdomadam, vel menſem, in alia vero materia non dicetur ſtatim, niſi fiat intra

Pſal. 36

diem. Sic Dauid Pſal. 36. loquens de humiliatione peccatorum, quæ eorum gloriam conſequitur, dicit ſubſequi ſtatim: *Inimici vero Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient*; vbi non intelligitur de conſecutione intra diem, vel menſem, ſed de illa, quæ non differatur per longum tempus. Sic enim explicatur vox *ſtatim* in

2. Machab. 6.

illa materia 2. *Machab. cap.* 6. in illis verbis: *Etenim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij eſt indicium:* vbi *ſtatim* accipitur, prout opponitur ad multũ temporis: & tamen in aliis materiis non poteſt ita latè explicari. Quando enim dicitur Ioan. 18. *Et ſtatim gallus cantauit*, certè non poteſt intelligi de cantu poſt diem, nec per vnam horam. Debet ergo totum hoc relinqui prudentis arbitrio, qui ex materia huius præcepti & aliis circumſtantiis iudicare debet, quæ dilatio opponatur, vel non opponatur illi.

162. *Obſeruanda eſt intentio Concilij.*

Ad hoc autem obſeruanda eſt intentio Concilij in hac lege, quæ fuit Sacerdotum conſcientiæ, & puritati conſulere, qui propter neceſſitatem celebrandi facilius poſſent confeſſionis remedium negligere: idcirco voluit prouidere, ita permittendo in caſu veræ neceſſitatis celebrare cum contritione, vt maneret obligatio confitendi data occaſione, vt tollatur periculum ſæpius celebrandi abſque confeſſione. Illa autem particula *quamprimum*, idem eſt ac prima data opportunitate, ſeu, vt explicuit regula Miſſalis, *cum primum poterit*. Vnde infero, poſſe contingere, quod aliquando obliget illud præceptum ſub mortali ad confitendum eadem die, quando, ſcilicet hodie habet confeſſarium, & non eſt certum, an cras illum ſit habiturus, cum tamen inſtet eadem neceſſitas celebrandi cras; tunc enim etiamſi tertia die habiturus ſit certo confeſſarium, debet hodie confiteri; quia dilatio illa, licet ſit parua quoad tempus, eſt magna in qualitate, cum ſit cauſa celebrandi iterum abſque confeſſione; quod eſt directè contra finem huius præcepti.

Poteſt obligare hoc præceptũ ſub mortali ad confitendum eodem die.

Quando vero dilatio non afferret hoc periculum celebrandi abſque confeſſione, ſed ſiſteret intra terminos meræ dilationis confeſſionis poſt Miſſam, rurſus diſtinguendum videtur: nam ſi dilatio hodierna affert periculum, non quidem communicandi poſtea abſque confeſſione, ſed tamen non confitendi per plures dies, quia nunc habeo confeſſarium, & poſtea non habebo illum: tunc dilatio hodierna videtur aduerſari grauiter præcepto Concilij, quo præcipitur confeſſio, cum primum poterit fieri, hoc eſt, prima occaſione, & opportunitate habita: cui præcepto grauiter obſtat, qui vult dilationem illam notabilem poſt primam occaſionem, & opportunitatem confitendi. Ceſſante autem illo periculo, videtur probabilis ſententia illa, quod non ſit dilatio grauis, quando intra triduum confitetur Sacerdos. Eodem enim modo præcipitur *in cap. Eos, qui, de ſentent. excom. in* 6. quod illi, qui in articulo mortis abſoluuntur ab excommunicatione reſeruata, poſtea ſi conualuerint, debeant, cum primum commodè poſſint, recurrere ad ſuperiorem, alioquin reincidant in cenſuram: & tamen non iudicabuntur reincidere, qui intra triduum datæ commoditatis recurrerint. Sicut etiam præceptum deferendi libros hæreticorum ad Inquiſitores non violat grauiter, qui per biduum illos retinet; vt cum aliis docet Thom. Sanch. *lib.* 2. *in Decalog. c.* 10. *n.* 55. Non ergo videtur magis ſtrictè explicanda illa dictio, *quamprimum*, in caſu noſtro; neque enim videtur grauiter opponi fini, aut præcepto Concilij illa breuis dilatio. Sanchez.

163. *Quid dicendum ſit quando dilatio non affert periculum.*

Reſtabat nunc agere de obligatione negandi Euchariſtiam indigno, ſeu peccatori publico vel occulto: de hoc tamen diximus ſatis ſupra *diſp.* 8. *de Sacram. in com. ſect.* 10. *& ſeqq.*

DISPVTATIO XV.

De Diſpoſitione corporali requiſita ad percipiendam Euchariſtiam.

Sectio I. *Quæ munditiês exigatur in corpore, præſertim à pollutione, & copula.*
Sectio II. *De ieiunio requiſito ad communionem.*
Sectio III. *Quomodo propter mortis periculum, vel neceſſitatem ſumentis liceat communicare, non præmiſſo ieiunio.*
Sectio IV. *Alij caſus in quibus licet abſque ieiunio Euchariſtiam accipere.*

QVæ ad corpus pertinent, reduci ſolent ad munditiam externam, & internam ipſius corporis, & ad ieiunium naturale; de quibus hac diſputatione dicendum erit.

SECTIO

SECTIO I.

Quæ munditiès exigatur in corpore, præſertim à pollutione, & copula.

1. Sanch. *Aliquorum ſententia.*

DE hoc puncto agit optimè P. Thom Sanchez *lib. 9. de Matrim diſput. 13.* in quo licet olim fuerint diuerſæ Doctorum ſententiæ; hodie tamen ferè omnes conueniunt, licet vnus, vel alter adhuc à communi ſenſu diſcedat. Aliqui ergo dixerunt, eſſe peccatum mortale accipere Euchariſtiam poſt pollutionem, vel fornicationem moralem intra eandem diem, etiamſi præcedat confeſſio illius peccati. Hanc tenuit Nauarrus in Manuali *cap. 11. num. 51.* ſed poſtea mutauit ſententiam in eodem loco in editione poſteriori. Eam indicauerat S. Thomas *in 4. diſt. 9. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 3.* dicens: *Quod in tali pollutione, ſi ad cauſam recurrens dubitet de conſenſu, omnino abſtinere debet.* Richard *in 4. diſt 9 art. 2. quæſt. 2.* vbi ſic ait: *Crapula, vel cogitatio, ſi peccata mortalia fuerunt, vel probabile dubium eſt, vtrum fuerunt, tunc pollutio ex eis proueniens prohibet de neceſſitate huius Sacramenti ſusceptionem.* Marſilius *in 4. quæſt. 6. art. 4.* *Bene ſtat*, inquit, *aliquem eſſe ſobrium, & in gratia Dei gratum faciente, & tamen pro illo die ſuſcipere eſſe indignum. Patet de eo, qui de nocte pollutus eſt pollutione peccatum mortale inducente qui die ſequenti, etiam licet confeſſus & contritus, dummodo non ſit Curatus animarum, nequit celebrare, debet enim expectare ad viginti quatuor horas.* Indicat etiam Alex. Alenſis *4. p. q. 11.* (non 47. vbi citatur à Soto) *art. . §. 3.* vbi dicit, quaſdam eſſe cauſas neceſſitatis, & quaſdam congruitatis; & inter cauſas neceſſitatis aſſignat inhabilitatem mentis, quæ ex pollutione conſequitur, quamdiu remanet. Item Bonauent. *in 4. diſt. 12. art. 1. quæſt. 4.* vbi dicit: *Quod pollutio veniens ex turpi cogitatione, vel crapula ita impedit, vt ſic recipiens, niſi neceſſitas compellat, priuetur fructu, & incurrat damnum*, & alij ex antiquioribus. Fundamentum potiſſimum ſumitur ex Gregor. in epiſt. ad Auguſtinum relato *in cap. t. diſtinct. 6.* vbi dicitur, quod habens pollutionem ex praua cogitatione oportet die illa à ſacris myſteriis abſtinere.

Nauarrus. S. Thom. Richardus. Aleñſ. Bonauent. Gregor.

2. *Contraria ſententia.* Io. Sancius.

Alij contrariam ſententiam omnino extremam amplexi dicunt, quocumque modo poſita ſit pollutio, ſi tamen poſtea confeſſione purgauerit ſe pœnitens, nullam eſſe, nec poſſe eſſe culpam venialem eadem die communicare. Ita Ioan. Sancius in quæſtionibus ſelectis *diſp. 21. n. 30.* cuius fundamentum eſt, quod ille ſolus indignè accedit, qui ſibi conſcius alicuius peccati mortalis non præmittit Sacramentalem Confeſſionem, vt conſtat ex Trident. *ſeſſ. 14. c. 7.* Ergo qui poſt commiſſum peccatum præmiſit confeſſionem, non accedit indignè, ſed dignè; non ergo peccat accedendo: nam ſi acceſſus ipſe eſſet malus, & culpabilis, non accederet dignè, ſed culpabiliter, & indignè.

3. *Alij varias diſtinctiones adhibent.*

Alij varias diſtinctiones adhibent de pollutione culpabili, aut inculpabili; item de relinquente diſtractionem, & perturbationem mentis, vel non relinquente, iuxta quas regulas dicunt, aliquando nullam interuenire culpam venialem, neque indecentiam in communione; aliquando indecentiam aliquam abſque peccato; aliquando peccatum veniale, niſi neceſſitas, aut cauſa rationabilis ſpecialiter excuſet, ratione cultus melius ſit non omittere communionem. Auctores latè congerit Thom. Sanchez *loco citato*, qui ferè eandem ſententiam ſequitur. Suarez *in præſenti diſp. 68. ſect. 2.* & alij Recentiores. Aduerte obiter Dominicum Soto *in 4. diſt. 12. q. 1. art. 7.* poſt medium reprehendere Gabrielem, eo quod *lectione 10. in Canonem*, citet Alexandrum, Albertum, Bonauenturam, & Paludanum, vt docentes, quod pollutio, etiamſi non oriatur ex peccato, impediat de neceſſitate, atque ideo non poſſe abſque peccato accedi; cum tamen in illis Auctoribus etiam ſententiam Soto non inuenerit. Sed reuera Gabriel non citauit eos Auctores pro illa ſententia, imo expreſsè pro contraria, ſcilicet, quod tunc debeat homo abſtinere à celebratione, niſi in caſu neceſſitatis, aut vitationis ſcandali: *Debet*, inquit, *de conſilio, non de præcepto, ita quod moraliter peccet, ſi celebret*; quam ſententiam alij Auctores expreſsè amplectuntur.

Suarez. Dom. Soto.

4. *Prima concluſio contra ſententiã Sancij.*

In hoc puncto in primis exiſtimo, ſententiam illam Ioannis Sancij ſingularem, & falſam eſſe, præſertim, ſi intelligatur non ſolum de facto, ſed etiam de poſſibili, prout ille Auctor videtur intelligere; & certè eius fundamentum, vel nihil concludit, vel probat, nunquam poſſe actum communicandi reddi venialiter malum ex aliqua circumſtantia: quia iam ille homo non communicaret dignè, ſed indignè, & malè; ac per conſequens non acciperet fructum Sacramenti, licet eſſet in ſtatu gratiæ. Doctrina autem hæc noua eſt, & contra omnes Theologos: qui paſſim ſupponunt poſſe aliquando peccari venialiter in receptione huius Sacramenti, ſicut in receptione etiam Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, & aliorum: cur enim repugnat, quod ſumptio Euchariſtiæ aliquando opponatur leuiter legi alicui poſitiuæ, vel naturali, ſicut aliæ actiones humanæ opponi poſſunt? Et conſtat apertè, quia poteſt contingere, quod ſit obligatio ex charitate non grauis, ſed leuis hic, & nunc ſubueniendi proximo indigenti, vel ſit obligatio ex iuſtitia reſtituendi aliquid leue, quod poſtea reſtitui non poterit: quæ actiones impediuntur per hanc communionem; vel certè ſequitur ſcandalum leue, quod ſub veniali debebam vitare, vel nocumentum ſanitati, aut aliud ſimile: ex quibus reddi poteſt mala venialiter voluntas communicandi hic, & nunc; ſicut etiam multi dicunt, peccare venialiter Sacerdotem abſque cauſa celebrantem non dicto Matutino cum Laudibus: in quibus, & aliis ſimilibus caſibus Sacerdos, vel laicus communicans peccat venialiter, licet ſit in ſtatu gratiæ: ergo poteſt ſimiliter peccare venialiter communicans, vel celebrans poſt pollutionem, vel copulam licitam, vel illicitam, præmiſſa confeſſione; quia poteſt illa communio opponi leuiter reuerentiæ debitæ huic Sacramento: non poteſt enim negari, quod reuerentia debita huic Sacramento non conſiſtat in indiuiſibili, atque ideo quod poſſit in ea peccari grauiter, & etiam leuiter, quando ſit aliqua irreuerentia leuis, qualem dicet aliquis eſſe, ſi accedat quis ad celebrandum, vel communicandum abſque vlla præparatione, aut oratione praua. Fatendum ergo eſt, loquendo de poſſibili, contingere poſſe, quod aliquis peccet venialiter ſumendo hic & nunc Euchariſtiam licet ſit in ſtatu gratiæ; quod ſi hoc in genere eſt poſſibile, non erit contra Tridentinum, vt ille Auctor volebat, dicere, quod communicans, vel celebrans abſque ſpeciali cauſa, poſt pollutionem, peccet venialiter.

Illa enim doctrina eſt contra omnes Theologos.

Contingere ergo poteſt quando in hoc caſu aliquis peccet venialiter.

5. *Ad fundamentũ illius Auctoris omnes reſpondere debent.*

Ad fundamentum ergo illius Auctoris omnes debemus reſpondere, & dicere, illum, qui venialiter communicat, accedere quidem indignè, non indignitate graui, ſed leui, quæ non tollit

omnino effectum Sacramenti ex opere operato. Paulus enim dicens, eum, qui manducat, aut bibit indignè, iudicium ſibi manducare, & bibere, loquitur de indignitate graui, quæ dicitur indignitas ſimpliciter: ſicut nec dicetur ſimpliciter communio ſacrilega, quando peccatur venialiter ſic communicando, licet reuera contineat ſacrilegium leue, cum opponatur leuiter præcepto, & virtuti religionis. Sic ergo non dicitur ſimpliciter indignè accedere: ſicut nec ſacrilegus ſimpliciter, qui ſolum peccat venialiter, accedendo: atque in hoc ſenſu veriſsimum eſt, eum ſolum accedere indignè, qui accedit conſcius peccati mortalis abſque præuia confeſsione.

6. *Inſtabis.* Dices: Paulus omnibus iis, qui non accedunt indignè, conſulit, vt accedant, illis verbis: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*: cuius *probationis* nomine Concilium intelligit confeſsionem peccatorum mortalium: ergo qui cum illa confeſsione præuia accedit, non peccat venialiter ſic accedendo: alioquin non poſſet ei conſuli acceſſus malus ſaltem venialiter.

7. *Reſpondeo.* Reſpondeo, in primis aliquos Patres intelligere illud verbum, *probet*, non ſolum de probatione neceſſaria auferendo mortalia, ſed etiam de purgatione à venialibus, & eorum radicibus, quæ impediunt aliquo modo fructum Sacramenti. Sic explicat Cornelius ibi; & affert Chryſoſtomum, & Ambroſium, quibus addi poteſt Anſelmus dicens, illum indignè accedere, qui ſine debita reuerentia Euchariſtiam percipit. *Cornelius.* Iuxta quem ſenſum verba illa Pauli intelligi poſſunt primo, & per ſe de probatione, & purgatione à mortalibus, ne impediatur totus fructus Sacramenti: & deinde, ſecundo loco, & cum proportione de probatione, & purgatione à venialibus, præſertim iſtis, quæ afferunt irreuerentiam contra hoc Sacramentum, & quæ magna ex parte impediunt eius fructum. Non ergo conſulit Paulus omnibus, qui peccato mortali carent, vt ſtatim accedant; ſed hortatur omnes, ne accedant abſque præuia probatione; grauiorem tamen pœnam comminatus illi, qui abſque probatione, & purgatione à mortalibus accedere præſumit.

8. *Vlterius confirmatur.* Deinde, licet illud, *probet*, intelligatur ibi ſolum de examine in ordine ad mortalia, non ſequitur, quod Paulus hortetur ſimpliciter ad accedendum, eo ſolum examine præmiſſo, & omni alia præparatione relicta: hoc enim eſſet abſurdiſſimum; poteſt quippe contingere, vt aliquis ſit in ſtatu gratiæ, & tamen non debeat accedere hic & nunc, vel quia non eſt ieiunus, vel quia habet Eccleſiæ prohibitionem ob interdictum aliquod locale, vel aliam cauſam ſimilem; non ergo poteſt conſuli omnibus indifferenter, quod accedant eo ipſo, quod nullius peccati mortalis conſcij ſibi ſunt. Sic ergo poteſt contingere, vt licet non habeant peccatum mortale, non tamen poſſint accedere hic & nunc abſque nouo peccato veniali, ex aliqua lege poſitiua, vel naturali prouenient. Illa ergo verba, *& ſic de pane illo edat*, non debent accipi, vt excludant omnia alia requiſita. Permittit certè Paulus homini probato per confeſſionem accedere, quantum eſt ex illo capite: ſemper tamen ſubintelligitur, niſi aliunde impediatur, & cum debito modo, & reuerentia, quæ partim præſcribenda eſt ab Eccleſia, provt de facto præſcribitur ieiunium naturale, & alij ritus determinati, partim dictatur ab ipſo lumine intellectus, ſuppoſita excellentia, & dignitate Sacramenti, ad quod eſt accedendum. Sicut ergo non excludit Paulus debitum accedendi cum modeſtia, & reuerentia externa, quando homini per confeſſionem probato permittit accedere; quia reuerentia illa externa ſubintelligitur, ſi volumus accedere: ſic neque excludit debitum reuerentiæ internæ, ad quam ſicut pertinet præparare mentem internam bonis cogitationibus & deſideriis, ſic poteſt ad eandem pertinere aliquando mundare animum ab aliquibus reliquiis turpium cogitationum, aſſumendo aliquid temporis, quo id mediocri ſaltem diligentia præſtari poſſit. Quamvis ergo Paulus loquatur ibi ſolum de indignitate, quæ impedit totum fructum Sacramenti, & quæ tollitur per probationem, & confeſſionem præuiam peccatorum mortalium, & quæ facit, quod communicans in peccato iudicium ſibi manducet; non ſequitur, quod nihil aliud omnino requiratur ad vitandum etiam peccatum veniale; quia qui deterret ab vno, non permittit alia, ſed ſemper ſubintelligit, quod debeant etiam adeſſe omnia alia requiſita.

Hoc ergo circa poſſibilitatem ſuppoſito, reſtat dicendum, an, & quomodo eiuſmodi ſordes præcedentes impediant communionem. 9. *Circa hoc nõ poteſt ſtatui regula generalis.* De quo quidem non poteſt dari regula vniuerſalis, quia totum hoc pendet ex variis circumſtantiis, quas maturo iudicio ponderare debet prudens confeſſarius: aliquando enim indecentia erit talis, vt abſque peccato veniali non poſſit homo accedere; aliquando poterit quidem abſque peccato, ſed melius erit abſtinere; aliquando melius erit accedere. Sunt etenim aliqui, qui Dei gratia ita ſunt alieni ab eo genere voluptatis, vt ſi, natura ſe exonerante, in ſomno pollutionem patiantur, id prorſus abſque, vlla turpi cogitatione, vel ſpecie, & ſæpius abſque vllo ſenſu eis contingat; quare non magis eo fluxu afficiuntur, aut mutantur, quam ſi aliud quodvis excrementorum genus emiſiſſent; & iis non eſt cur prohibeatur ſequenti die communicare, vel celebrare, cum non aliter ſe ſentiant diſpoſitos, aut deuotos, quam ſi nihil tale eis contigiſſet. Alij in alio extremo ita ſunt ad eiuſmodi voluptates affecti; vt eas frequenter deſiderent, & procurent; & his quidem regulariter expedit iniungere; vt ea die, qua culpabiliter polluti ſunt (quod idem de copula illicita intelligitur) abſtineant: vix enim accedere poſſunt abſque irreuerentia, quæ ſit culpa venialis, niſi fortè ratio ſpecialis dictet, eſſe accedendum, cum timore, & tremore, ad vitandam notam, & infamiam, vel propter Iubilæum, aut feſtum ſolemne, vel quid ſimile. 10. *Quid dicendũ ſit de iis [illegible] ita ſunt ad voluptates affecti.* Alij denique ſunt, quibus pollutio contigit abſque propria culpa ſaltem graui: afficiuntur tamen eiuſmodi voluptate, & manet in eis vel memoria, vel delectatio ſenſibilis, quæ mentem à ſpiritualibus auocat, & reddit minus aptam, vt ſeſe deuotè præparent ad Diuina myſteria: & hi quidem regulariter non peccabunt venialiter accedendo; ſæpè tamen laudabilius illa die abſtinebunt, ſæpè laudabilius accedent; præſertim quando timeri poteſt, id poſſe prouenire, procurante dæmone, ad impediendam communionem; aut quando ſæpius id accideret, atque adeo ſæpius abſtinendum eſſet à communione; vel denique ſi celebritas feſti, aut exemplum, vel qui ſimile interueniret: quando vero ea inconuenientia non ſequuntur, & aliunde carnis perturbatione mens non poteſt ſeſe ad deuotionem reducere, laudabilius abſtinebit homo, iuxta conſilia Patrum, qui ad hanc partem non parum inclinare videntur. Gregorius relatus in illo *cap.* 1. *diſt.* 6. & Auguſtinus *ſerm.* 149. *de tempore*, cuius mentem bene explicat Vaſquez *in præſenti quæſt.* 80. *art.* 7. vbi affert alios, & addit, fortaſſe olim fuiſſe circa hoc aliquod præceptum quoad copulam ſaltem coniugalem, provt colligitur

ex

ex Concilio Eliberitano relato *in c. Omnis homo, de conſecratione, diſt.* 2. quibus addi poteſt id, quod S. Bernardus, in vita S. Malachiæ, narrat: *Cum Malachias (inquit) Sacramenta offerret, & appropiaſſet ei Diaconus facturus aliquid pro officio ſuo, intuitus eum Sacerdos ingemuit, quod ſenſit, et penes illum latere, quod non conueniret. Peracto Sacrificio, ſecretè percunctatus de conſcientia ſua, confeſſus eſt, & non negauit, illuſum ſibi per ſomnium nocte ipſa. Cui iniungens pœnitentiam: Non debueras, inquit, hodie miniſtraſſe, ſed verecundè te ſubtrahere ſacris, & deferre tantis, tamque Diuinis myſteriis, vt hac humilitate purgatus, dignus exinde miniſtrares.* Quamvis hæc verba fortaſſe poſſint ita intelligi, vt non acciderit pollutio abſque culpa Diaconi, quod videtur ſignificare pœnitentia illi à Malachia impoſita; & verba illa vltima, *vt hac humilitate purgatus*, quæ indicant culpam, à qua vt purgaretur, debuerat ſe humiliare.

S. Bernard.

11. *Huc ſpectant ſtatuta illa Ordinis Carthuſienſium.*

Huc etiam ſpectant ſtatuta illa Ordinis Carthuſienſis, quæ habentur in Statutis antiquis *part.* 1. *c.* 43. vbi ſtatuitur, quod nocte pollutus etiam circa culpam, mane non celebret, nec ad gradus altaris accedat. Excipitur tamen dies Natiuitatis, Paſchæ, Pentecoſtes, & cum aliquis ordinandus eſt Ordine ſacro; in die item Dedicationis Eccleſiæ interioris, vel quando aliquis frater debet communicare, vel profeſſionem facere, Prior poteſt celebrare. Item Sacriſta, & Procurator poterunt accedere ad gradum altaris, licet non miniſtrare Miſſæ. Etiam in ſecunda parte Statutorum antiquorum *cap* 6. §. 3. excipitur, quando aliquis debet ſepeliri eodem die. Et in 3. Compilatione Statutorum *cap.* 1. §. 35. excipitur Feſtum Corporis Chriſti. Vnde apparet, quantam puritatem non ſolum mentis, ſed etiam corporis voluerint Patres illi ſanctiſsimi in viris ſpiritualibus, & religioſis, vt ad hoc Sacramentum accederent.

12. Soto.

Ad quæ ſtatuta alluſiſſe videtur Dominicus Soto *dicta diſtinct.* 13. *q.* 1. *artic.* 7. verſus finem, vbi eorum rigorem videtur reprehendere, dum ait: *Statuit Carthuſienſium plus puderis religioſis obuci, quam neceſſaria reuerentia Sacramento exhiberi*; debuiſſet tamen vir doctus aduertere, non eſſe eandem regulam aſsignandam pro omnibus, plus enim perfectionis exigitur in monacho ſolitario ſui contemptum, & humilitatem procurante, ac deſiderante: vnde non mirum, ſi eam occaſionem arripiant ex defectu non culpabili, qui veras etiam culpas aliis innoteſcere non dedignentur, præſertim quando humilitas propria cedit in honorem, & cultum ſingularem Chriſti Domini ſub Sacramento contenti. Quod ſi aliquando ob circumſtantias, difficultatem, vel inconuenientia quiſquam inueniat, poterit à ſuo Superiore in illa regula diſpenſari, prout de facto fieri ex teſtimonio fide digno compertum habeo: imo Prælatum rem totam Confeſſariis relinquere, vt ipſi, prout in Domino iudicauerint, ſubditis, occurrente neceſsitate, conſulant. Porrò qui attentè legerit, quantam in hoc genere puritatem Deus in Lege veteri exigebat à Iudæis *Leuit.* 15. & quidem non à Sacerdotibus, ſed à Laicis, & à tota vulgi plebe, non mirabitur, quod ſanctiſsimi viri à perfectis Religioſis aliquid exigant ob reuerentiam tanti Sacramenti.

13. *Tota regula ergo deſumi debet ex gradu reuerentiæ.*

Regula itaque, quam in hoc puncto conſtituere poſſumus, tota deſumi debet ex gradu reuerentiæ huic Sacramento debitæ: qui gradus colligendus, & menſurandus eſt ex aliis materiis, in quibus reuerentia eadem exercetur. Videmus enim, haberi pro irreuerentia culpabili, vel ſaltem pro defectuoſa reuerentia, quando aliquis cum tali, vel tanta diſtractione, vel certè abſque tali, & tanta præparatione, vel oratione accedit: quando abſque tali, vel tali modeſtia, & corporis compoſitione externa. Poſſumus ergo comparare irreuerentiam, quæ reſultat ex tali pollutione in his circumſtantiis, & menſurare, an attingat eum gradum, quem in aliis materiis iudicamus irreuerentiam, vel certè defectum reuerentiæ: & iuxta illam menſuram debemus iudicare de culpa, vel defectu reuerentiæ in hac etiam materia. In qua tamen maior cauſa requiritur ad abſtinendum ſæpius, quam ad ſemel, vel iterum relinquendum Miſſam, vel communionem, quia defectus ille reuerentiæ excuſatur ob neceſsitatem virium ſpiritualium, cui noceret frequens illa abſtinentia, & ideo ſicut in aliis materiis, ſic etiam in iſta minuitur irreuerentia, quando neceſsitate adducimur ad aliquid ſubtrahendum de debito cultu, & reuerentia.

Ex dictis infertur, quid dicendum ſit de copula, vel licita, vel etiam illicita: de illicita enim & mortaliter culpabili idem ferè dicendum eſt, quod de pollutione mortali; nam licet hæc ex ſpecie ſua ſit grauius peccatum, quam fornicatio, aliunde tamen fornicatio videtur magis impedire communionem, tum quia plus habet de externo, & ita tollit plus de externa reuerentia: tum etiam, quia regulariter plus habet voluntarij, & deliberationis; quare raro permittendus videtur aliquis celebrare, aut communicare eadem die poſt copulam illicitam, licet confeſsionem præmiſerit. De copula etiam licita ferè dicendum videtur, ſicut de pollutione inculpabili: cum hoc tamen diſcrimine, quod magis videatur impedire, quam pollutio illa, quæ ex neceſsitate naturæ abſque prauis cogitationibus contingit. Regulariter itaque melius erit abſtinere poſt copulam ea die, niſi ſubſit cauſa aliqua ſpecialis; hoc enim probant Patrum loca, quæ affert Thom. Sanchez *loco citato*, ſuadet Canon ille Concilij Eliberitani relatus *in cap. Omnis homo, de conſecratione, diſtinct.* 2. & videri poſſunt, quæ ad hoc propoſitum Cauſius, *cap vltim. de Euchariſt.* & Viguerius *inſtitution. cap.* 16. §. 4. *verſicul.* 22. Aliquando etiam erit culpa venialis accedere eadem die: aliquando minor reuerentia abſque peccato. Facilius ergo permitti poteſt, accedere poſt pollutionem inculpabilem, quam poſt copulam: quia, vt diximus, copula plus tollit de reuerentia externa, & plus etiam habet de voluntario. Aliquando tamen accedendum erit eodem die, vel propter notam, aut aliam cauſam ſimilem: & quidem minor cauſa requiritur, quando copula non fuit ex voluptatis appetitu, ſed ex deſiderio prolis: & multo minor, quando non fuit petita, ſed reddita coniugi petenti, & vtenti iure ſuo, quo, prætextu communionis, fraudari non poterat. 14. *Infertur de uſu.*

15. *Quid dicendum ſit de aliis ſordibus corporis.*

Reſtat dicere de aliis ſordibus corporis, de quibus certum eſt, aliquando impedire poſſe à celebrando, quando ſcilicet afferunt ſecum irregularitatem. Aliquando impediunt ſaltem à celebrando, miniſtrando in publico, propter horrorem, & indecentiam. In quo ſenſu intelligitur textus *in cap. Tua nos, de Clerico ægrotante*; vbi Clericus leproſus præcipitur abſtinere (ſcilicet in publico) propter horrorem populi. In vniuerſum tamen ſordes corporeæ ſecundum ſe non impediunt à communione, ſaltem in occulto: quia licet in lege veteri aliquæ immunditiæ corporales arcerent ab ingreſſu templi, & ſacrificij, illa tamen cæremonialia erant propter populum craſſiorem, qui ſenſibilibus tenebatur: hic autem cibus non eſt corporis,

ſed mentis, cuius munditties exigitur. Decentia tamen, & reuerentia huius Sacramenti videtur exigere, vt ſi ſordes eiuſmodi facilè poſſint auferri, auferantur. Item, ſi breui ceſſabunt, & poteſt commodè differri communio, aliquando ſemel, aut iterum differatur; quando tamen longius durant, vel merè occultæ ſunt, vt contingit in menſtruo, non eſt, cur aliquis alimonia cœleſti priuetur.

SECTIO II.

De ieiunio requiſito ad Communionem.

16. *Certum eſt apud Catholicos prærequiri ieiunium.* Certum iam eſt apud Catholicos omnes, prærequiri ieiunium in iis, qui hoc Sacramentum accipiunt; quod quidem præceptum ab ipſis Apoſtolorum temporibus initium habuiſſe latè probant Recentiores; & videri poteſt Vaſquez *diſputat.* 211. *cap.* 1. qui tamen communiter probant hoc præceptum ex *Canone* 29. *Trullano ſexta Synodi*, vbi reuocatur licentia Concilij Carthaginenſis 3. *can.* 29. in quo præcipiebatur quidem ieiunium ante Sacramenti celebrationem, ſed excipiebatur feria quinta in Cœna Domini, quæ exceptio facta etiam fuit in Concilio Africano ſub Bonifacio primo *can.* 8. & in Concil. Matiſconenſi 2. *can.* 6. Aliquibus tamen non videtur efficax argumentum ex Canone illo Trullano, quia in eo reuocatur quidem decretum Concilij Carthaginenſis. Cæterum in Carthaginenſi non ſolum videtur licentiam, ſed præceptum continere celebrandi poſt prandium, vel cœnam illa feria quinta. Abſtulit ergo Canon ille Trullanus hoc præceptum, & dedit licentiam celebrandi illa feria quinta ante prandium, vel cœnam, ſicut aliis diebus: quod totum non arguit vllum præceptum ſeruandi ieiunij. Hæc tamen reſponſio non conuenit verbis Conciliorum: nam in Carthaginenſi nullum extat verbum præcepti, ſed permiſſionis pro illa feria quinta: *Sacramenta*, inquit, *altaris, non niſi ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo Cœna Domini celebratur.* Ecce à communi præcepto ieiunij præmittendi excipitur dies illa: exceptio autem à præcepto non eſt præceptum contrarium; ſed licentia, vt conſtat. Deinde in Canone illo Trullano expreſsè dicitur, illam fuiſſe diſpoſitionem pro feria quinta Cœnæ Domini; eamque diſpenſationem reuocant Patres in illo Canone; reuocatio autem diſpenſationis, non eſt permiſſio, ſed præceptum.

Conc. Carthag.

17. *Dubitatur de efficacia illius argumenti ex Canone Trullano.* Aliunde tamen magis dubito de efficacia illius argumenti ex Canone Trullano, quia nimirum Patres ibi non tam videntur præcipere ieiunium naturale, quam Eccleſiaſticum, & quadrageſimale, quod feria illa quinta ex permiſſione Concilij Carthaginenſis ſoluebatur. Vtuntur enim eiſdem verbis, quibus vſa fuerat Synodus Laodicena Can. 50. ad idem ieiunium retinendum, vbi ſic dicitur: *Quod non oporteat in Quadrageſima in vltima ſeptimana feria quinta ieiunium ſoluere, totamque quadrageſimam ſine veneratione tranſire, magiſque conuenire omnem quadrageſimam diſtricto venerari ieiunio.* Eodem modo loquuntur Patres in Canone Trullano: *Statuimus Apoſtolicas, ac paternas traditiones ſequentes, non oportere in quadrageſima poſtrema ſeptimana quinta feria ieiunium ſoluere, & totam quadrageſimam iniuria afficere.* Cum ergo ieiunium quadrageſimale, quod per illam licentiam labefactari, & maculari dicunt, non eſſet ieiunium naturale; ſed Eccleſiaſticum, de hoc ſolo videntur loquuti, præcipiendo ea die ieiunium, ſicut in aliis diebus Quadrageſimæ, atque adeo tollendo facultatem prandendi ante Miſſam, prout antea permittebatur.

Synod. Laod.

Sed quidquid ſit de illo Canone ſextæ Synodi, efficaciter probari poteſt, illud ieiunij ante Miſſam præceptum ex Concilio Bracharenſi I. *can.* 16. & Bracharenſi II. *can.* 10. in quibus prohibetur, ne aliquis, quocumque cibo præſumpto, oblationem conſecret in altari. Aduerte obiter, P. Vaſquez *n.* 3. obſeruaſſe, quod antequam in Concil. Matiſcon. II. ſupra adducto confirmaretur decretum illud Concilij Carthaginenſis circa feriam quintam, iam fuerat reuocatum in Concilio Bracharenſi primo. Quod quidem videtur fieri non potuiſſe, cum Concilium Bracharenſe celebratum fuerit circa tempora Honorij Papæ primi, hoc eſt, circa annum 626. prout in 2. *tomo.* Conciliorum aſſignatur in veteri editione. Concilium vero Matiſconenſe II. circa annum 588. Sed tamen in moderna Conciliorum editione, Concilium illud Bracharenſe I. non ponitur illo anno, nec ſub Honorio, ſed circa annum 562. tempore Ioannis III. 18. *Efficaciter melius probari poteſt.*

Deinde probatur ex Concilio *Tolet. VII. canon.* 2. *Nullus* inquit, *poſt cibum, potumque quamlibet minimum ſumptum Miſſas facere præſumat.* Colligitur hoc etiam ex illis Conciliis ſupra adductis, in quibus exceptio fiebat de ſola feria quinta in Cœna Domini: nam exceptio illa confirmabat regulam vniuerſalem prohibitionis pro aliis diebus. Porro, licet prædicta Concilia exprimant ſolos Sacerdotes celebrantes, Eccleſiaſtica tamen conſuetudo declarat, illud præceptum omnes fideles communicantes comprehendiſſe, prout eam obligationem, & conſuetudinem declararunt, & approbarunt Patres in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 13. paulo poſt principium, §. *In nomine ſancta & indiuidua Trinitatis*, his verbis: *Sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit, & ſeruat, quod huiuſmodi Sacramentum non debet confici poſt cœnam, nec à fidelibus recipi non ieiunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis à iure, vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo*; quod definit tanquam dogma contra eos, qui erroneè contrarium aſſerere præſumpſerint. Colligitur etiam ex dicto *Can.* 6. Concilij Matiſconenſis II. cuius vltima verba ſunt hæc: *Quæcumque reliquiæ Sacrificiorum poſt peractam Miſſam in Sacrario ſuperſederint, quarta, vel ſexta feria innocentes ab illo, cuius intereſt, ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis ieiunio, eaſdem reliquias conſperſa vino recipiant.* Si ergo paruuli debebant eſſe ieiuni ad communicandum, à fortiori erat præceptum ieiunij pro adultis. 19. *Probatur ex Conc. Tolet.* Conc. Conſt. Conc. Matiſcon.

Denique, quod præceptum illud inceperit ab Apoſtolorum tempore, probat Patrum verbis adductis Vaſquez *dict. cap.* 1. quibus addi poſſet ſanctus Sother Papa in decretis eius, quæ habentur *in primo tomo* Conciliorum: ſed tenera totum illud videtur potius *ex Concil. Tolet. VII.* ſup. adducto. 20. *Præceptum illud incepit ab Apoſtolorum temporibus.* Sother PP.

Circa hoc præceptum quæritur primo, an exigat ieiunium naturale, an vero ſolum Eccleſiaſticum, quod quidem non violatur per id, quod ſumitur per modum medicinæ. Refertur enim ſententia Gotfredi, & Ioannis Pariſienſis dicentium, ſufficere ieiunium Eccleſiaſticum. Sed contrarium eſt omnino tenendum cum omnibus Theologis, & conſtat ex praxi Eccleſiæ, & ex verbis ſupra citatis ex Concilio Toletano VII. vbi quicumque cibus, vel potus *quamlibet minimus* excluditur; & in Bracharenſi ſecundo ſupra adducto dicitur: ne aliquis *quocumque cibo præſumpto*, celebret; & Innoc. III. *in cap. Ex parte, de celebratione Miſſarum*, prohibet, ne ablutio calicis ſumatur à Sacerdote iterum celebraturo; quæ tamen omnia non violarent ieiunium Eccleſiaſticum. 21. *Quæritur primo circa hoc præceptum.* Gotfred. Ioan. Pariſ. *Requiritur ieiunium naturale.*

Vnde

22. *Paruitas materiæ hic non excuſat à peccato mortali.*

Vnde etiam conſtat, paruitatem materiæ non excuſare à peccato graui, cum in his decretis ſermo ſit de quolibet minimo cibo, vel potu; & praxis Eccleſiæ hoc ipſum apertè profitetur. Ratio autem eſt duplex; prima, quia dato, quod materia parua ſecundum ſe non poſſit ab Eccleſia prohiberi grauiter; quando tamen eſt materia magna in ordine ad ſignificationem, poteſt; vt gutta aquæ in calicem mittenda propter myſterium, & ſignificationem, præcipitur ſub mortali ab Eccleſia: ſic ergo ieiunium naturale, quod imponitur ad ſignificandum, Chriſtum eſſe primum cibum noſtrum, poteſt obligare ſub mortali; quia per quamcunque materiam tollitur hæc ſignificatio. Secunda ratio eſt, quia hoc præceptum non prohibetur directè illa materia cibi, vel potus, ſed communio poſt quemlibet cibum, vel potum: communio autem ſemper eſt materia grauiſſima.

23. *Quæritur per quid violetur hoc ieiunium.*

Secundo quæritur, quid requiratur, vt violetur ieiunium naturale. Reſpondetur, requiri quod aliquid ab extrinſeco ſumatur per modum cibi, aut potus. Hinc excuſantur, qui ſanguinem, aut humorem ex capite ad os prouenientem degluriunt; quia non ſumitur id ab extrinſeco. Item qui abluendo os deglutit guttam aquæ per modum ſaliuæ, cui admixta eſt; ſicut qui guſtando cibum, aut ius, aliquid per modum ſaliuæ traiicit. In his omnes ferè conueniunt; in aliis non omnes.

24. *Dubitatur tertio.*

Tertio ergo dubitatur de reliquiis cibi manentibus inter dentes, an, ſi traiiciantur die ſequenti, impediant communionem. Et quidem iam omnes ferè negant, impedire; quia illæ reliquiæ pertinere videntur ad cibum diei præcedentis. Addunt tamen, id procedere, quando caſu traiiciuntur; ſecus vero, ſi ex induſtria. Ita loquitur Paludanus *in 4. diſt.* 8. *q. 2 artic.* 1. *concl.* 5. Vaſquez *in præſenti diſp.* 111. *c.* 2. *num.* 30. Nugnus *in præſenti q* 80. *artic.* 4. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap* 8. *n.* 236. & alij communiter, & ſignificatur à S. Thoma *in præſenti q.* 80 *artic.* 8. *ad* 4. dum dicit, illas reliquias non impedire, *ſi tranſaliter tranſglutiantur.* Quam ſententiam vt ſecuriorem eligendam eſſe dicit Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 4. *ante* 1. *concluſ.*

Paludan. Vaſquez. Nugnus. Filliucius. S. Thom.

25. Tabiena. Henriq. Ioan. de la Cruz. Diana.

Alij tamen indifferenter dicunt, ſiue caſu, ſiue non caſu traiiciantur, non impedire. Ita Tabiena verbo *Communicare.* § 49. Henriquez *lib.* 8. *c.* 50. § 4. *in gloſſa, lit. V* Ioannes de la Cruz probabilem indicat *in Directorio conſc p.* 2. *q.* 5. *dub.* 4. *concl* 2. & aliis citatis, eandem probabilem indicat Diana 1. *tom. tract.* 4. *reſolut* 57.

26. *Difficile eſt in hoc aſſignare regulam vniuerſalem.*

In hoc puncto difficile eſt aſſignare regulam vniuerſalem & certam pro vna parte; nam ſi dicas, ad violandum ieiunium naturale requiri, quòd ſponte, & ex intentione traiiciatur, videtur id omnino falſum: nam ſi alicui, dum dormit, vel dum alienatus eſt à ſenſibus, in os immittatur iuſculum in magna quantitate, quis dicat, eum adhuc eſſe ieiunum, poſtquam in ſtomachum traiectum eſt? Deinde, quod illæ reliquiæ non ſint eadem die in os immiſſæ, non ſufficit: nam ſi aliquis ante mediam noctem ſaccharum, vel quid ſimile propter raucedinem ori imponat paulatim liquefaciendum, & deglutiendum, & partim ante, partim poſt mediam noctem traiiciat, non poterit communicare, licet ea die nihil in os immiſerit. Item ſi buccellam panis, aut ouum in ore habeat, quando vltimum horologium dat ſignum mediæ noctis, & adhuc poſtea deglutiat, non eſt ieiunus, vt fatentur communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Diana loco citato reſolut. 36.

Diana.

27. Aliunde tamen negari non poteſt, quod multum referat, ſi ſponte, & ex induſtria, an vero caſu, & præter intentionem aliquid traiiciatur: nam ſi aliquis granum aniſi, vel dimidium etiam ſponte ſumat, & deglutiat, non manet ieiunus; cum tamen ſi eandem particulam inter dentes ex heſterna cœna manentem hodie caſu deglutiat, poſſit hodie communicare. Item ſi particulam tenuiſſimam conſecratam, quæ in patena fortaſſe heri remanſit, hodie ſponte ſumat ſacerdos ante Miſſam, non poterit hodie celebrare, quia illa fuit vera communio, & ſi non habet obicem, illa particula potuit dare gratiam Sacramentalem: eadem tamen inter dentes manens ex communione heſterna, ſi hodie caſu deglutiatur, non impediet ſacrum facere, aut communicare, etiamſi aliquis ſciat, ſe illam hodie deglutiſſe. Multum ergo refert intentio, vel caſus, vt aliquis dicatur comedisse, vel non comediſſe.

Multum ergo refert, ſi ſponte aut caſu.

28. *Ex his omnibus regula aliqua moralis cōponitur.*

Poſſumus ergo regulam aliquam moralem ex his omnibus componere, quæ ad ſingulos caſus particulares applicari poſſit. Duo enim requiruntur, vt hoc naturale ieiunium violetur. Primum eſt, quod cibus, vel potus aliquis ſumatur, ſecundum, quod id fiat per actionem, comeſtio, aut potatio. Ex defectu prioris conditionis reſolui poteſt dubium frequens, an qui deglutit aliquod oſsiculum, vel fruſtulum ligni, papyrum, cretam, aliquid ex vnguibus, vel quid ſimile, poſsit poſtea communicare. Negant communiter plures. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 49. § 2. & *in gloſſa lit.* O. Nugnus *in præſenti art.* 8. Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract* 7. *difficult.* 49 *num.* 1. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 29. *cap* 6. *num.* 118. Naldus *in ſumma,* verb. *Euchariſtia, num.* 0. Layman *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *num* 18. Scortia *de ſacrificio Miſſæ, lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. & alij.

Henriq. Nugnus. Villalob. Reginald. Nald. Layman. Scortia.

29. Sum. Coronæ. Ioann. de la Cruz. Ludou. de S. Ioan. Sancius. Ledeſma. Diana.

Contrariam ſententiam docent alij. Summa Coronæ *part.* 4. *num.* 65. Ioannes de la Cruz *in Direct. part.* 2. *de Euchariſt. quæſt.* 5. *dub.* 4. *concluſ.* 2. Ludouicus de Sancto Ioanne *in ſumm. part.* 1. *tract. de Euchariſt. quæſt.* 7. *art.* 10. Ioannes Sancius *in Selectis diſput.* 42. *num.* 23. & probabilem dicit Ledeſma *in ſumm. tom.* 1. *de Sacram. Euchariſt cap.* 23. *concluſ.* 4. quos ſequitur Diana 1. *tom tract de celebratione Miſſarum, reſolut.* 52. & *tom.* 2. *tract.* 4. *de Sacramentis, reſol.* 38.

30. *Hæc ſententia bene intellecta eſt probabilis.* Con. Bracharen. Con. Toletan. 7.

Hæc ſententia debito modo intellecta; mihi etiam probabilis videtur, quam colligo ex verbis præcepti contentis in prædictis decretis, in quibus ſolum exigitur, vt nullus cibus, vel potus ſumptus fuerit. Sic loquitur Concilium Bracharenſe 2. illo Can. 10. prohibens, ne Sacerdos *non ieiunus, ſed quocumque iam cibo præſumpto,* Miſſam celebret Item Toletanum 7. *cap.* 2. relatum *in cap. Nihil* 7. *quæſt.* 1. *Nullus,* inquit, *poſt cibum potumque quamlibet minimum ſumptum Miſſas facere præſumat.* Nec obſtat decretum quoddam ſub nomine Sotheris Papæ, quod habetur *in* 1. *tom. Concilior.* in quo dicitur: *Nullus cibum, potumque, ſiue quodlibet minimum ſumptum Miſſam facere præſumat,* vbi non ſolum cibus, & potus; ſed quodlibet aliud videtur includi. Hoc, inquam, non obſtat, quia illud decretum ibi affertur ex ſola auctoritate Gratiani, qui illud inſeruit in ſuo decreto 7. *quæſt.* 1 *cap Illud,* & *cap. ſequenti,* in quo tamen loco non dicitur eſſe Sotheris, ſed Concilij Toletan. 7. *can.* 2. & merito: quia ad verbum in illo Concilio continetur, præter illud ſolum verbum, *ſiue quodlibet,* quod in Concilio non habetur, ſed ſolum, *cibum potumque quamlibet minimum* Potuit autem aliquis facilè per errorem tranſcribere pro *quamlibet, quodlibet,* quod tamen in Concilio non habetur.

Sother PP.

31. *Probatur ratione.*

Ratione item probari poteſt ex dictis probabilitas

litas huius ſententiæ; quia licet quoad potum differant ieiunium Eccleſiaſticum & naturale; nam ieiunium Eccleſiaſticum non violatur potu, ſicut violatur ieiunium naturale; & quoad cibum differunt in hoc, quod naturale violatur per medicinam, aut cibum minimum, quibus Eccleſiaſticum non violatur; cæterum ſi cibus ſit in quantitate notabili, nullum videtur eſſe diſcrimen, ſed potius cibus ille, qui violat ieiunium naturale, violabit etiam Eccleſiaſticum, niſi excuſet materiæ paruitas. Certum autem videtur, quod aliquæ materiæ ex ſupradictis, etiamſi in magna quantitate ſumantur, non violant ieiunium Eccleſiaſticum: nam ſi aliquis, v. g. (prout aliquando factum eſt) ad occultandos nummos aureos, & occultè transferendos, eos deglutiret, vt poſtea integros, & ſaluos haberet, non ideo diceretur violaſſe ieiunium Eccleſiaſticum, etiamſi neceſſitate nulla excuſaretur, ſed adhuc poſſet licitè hora ſolita prandere; ſicut ſi nihil comedeſſet: ille enim non æſtimaretur cibus, ſed depoſitum intra corpus, ſicut in area, vel burſa; quod idem dicendum eſſet, ſi acum, vel filum ferreum, aut globum plumbeum per errorem deglutiſſet: ergo nomine cibi non intelliguntur, niſi illa, quæ per ſe loquendo alterari poſſunt à ſtomacho, non ea, quæ perinde ſunt in ſtomacho; ſicut Angelus, qui non poteſt à ſtomachi actiuitate pati. Eiuſmodi ergo materia ſicut non violat ieiunium Eccleſiaſticum, ita nec violabit ieiunium naturale.

32. *Debet tamen hæc ſententia debitè modo intelligi.* Dixi tamen, hanc ſententiam debito modo intellectam probabilem mihi eſſe; quia in aſſignandis poſtea exemplis poteſt fortaſsè errari. Sic aliqui aſſignant pro exemplo ſanguinem, v. g. ex vulnere, quod ipſe homo habet in manu: quod certè exemplum diſplicet; quia ſicut qui comederet partem ſui digiti coctam, violaret omnino ieiunium naturale, imo & Eccleſiaſticum, ſi id eſſet in notabili quantitate; ſic qui biberet ſanguinem ex propria vena extractum, violaret naturale ieiunium: ille enim ſanguis reuera alterabilis eſt poſtea virtute ſtomachi, ſicut alij cibi qui comeduntur. Alij aſſignant pro exemplo papyrum, de qua tamen multum dubito, quia materia illa non eſt ita difficile alterabilis, cum reuera non ſit aliud quam tela ex lino contexta, & trita, quod totum tandem eſt herba tenuiſſima; vnde multa animalia vtuntur charta in cibum & alimentum, vt conſtat in ceruis, muribus, & aliis. De terra etiam dubito: & quando à fœminis comeditur ob delectationem, ſiue ad diminuendum colorem, dicit violare ieiunium Ioan. de la Cruz *in direct. conſcient. p. 2. de Euchariſt. q. 5. p. 4. concluſ. 1.* cui conſentit Diana 1. *tom. tract. de celebrat. Miſſarum, reſolut.* 51. *Ioan. de la Cruz. Diana. Regula vniuerſalis.* Regula ergo vniuerſalis poſſet eſſe, quod ea, quæ integra emittuntur in excrementis, eo quod nullo modo poſſit ab humano ſtomacho alterari, & concoqui, non impediant, nec violent ieiunium naturale, qualia ſunt oſſicula aliquorum fructuum, fragmenta metallorum, lapilluli, & fortaſsè lignum, præſertim ex ſolidioribus, & durioribus: quæ autem ſint in particulari eiuſmodi materiæ, magis ſpectat ad Medicos. Parum autem referret, quod aliquis propter ſtomachi debilitatem non poſſet concoquere, aut alterare aliquem cibum; de facto enim aliqui moribundi nec fruſtum panis poſſunt alterare; ſed tamen ille eſt cibus, & violat ieiunium, quia per ſe eſt alterabilis virtute ſtomachi humani, licet per accidens hic, & nunc non poſſit ab hoc ſtomacho alterari.

33. *Secunda conditio.* Secunda conditio erat, quod ſumatur aliquid per actionem, quæ ſit comeſtio, aut potatio. Ex defectu autem huius conditionis excuſatur, qui abluendo os, deglutiens ſaliuam, aliquam guttam aquæ traiicit cum illa; nam ea non eſt potatio, ſed eſt deglutire ſaliuam, & ideo nihil, quod per modum ſaliuæ traiicitur, violat ieiunium naturale. Dubitatur de illo, cui in apertum os ingreditur muſca, vel culex, eumque cum reſpiratione traiicit. Videtur enim non manere ieiunum, quia quod ipſe voluerit, vel noluerit comedere, parum videtur referre; quid enim, ſi alius mihi non aduertenti globulum ex ſaccharo confectum in os, & guttur immittat, nonne verè dicat comediſſe, & violaſſe ieiunium naturale? Certè infirmi, qui ſui compotes non ſunt, ignorantes etiam, & renuentes reficiuntur: cur ergo non dicendum ſimiliter, quando cibus à ſe ipſo ingreditur; præſertim cum muſca non ſolum alterari, ſed & nutrire poſsit, ſicut alij cibi.

Alij tamen dicunt, non impediri communionem ſequentem in eo caſu. Ita indicat Suarez *in præſenti ſect. 4. §. Quæres rurſus*, dicens, non violari hoc ieiunium, *ſi per modum reſpirationis attrahatur aliquid, quod poſſit nutrire, vel alterare.* Reginald. Valerius magis expreſsè *lib. 29. n. 119.* Fagundez *de præceptis Eccleſiæ, præcepto 3. cap. 5. num. 14.* Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacram. reſolut. 37.* & mihi etiam probabile videtur, quia illa actio non eſt comeſtio, ſed reſpiratio. Et licet nomine *comeſtionis* non veniat intelligenda ſola actio voluntaria, vt conſtat ex exemplis adductis: non tamen intelligitur illo nomine in præſenti *reſpiratio*; quia ſicut Eccleſia per hoc præceptum noluit prohibere, quod deglutiamus ſaliuam, ſic noluit prohibere reſpirationem; eſſet enim duriſſimum præceptum, & Iudaicam ſuperſtitionem redolens; ſi oporteret nihil omnino cum ſaliua, aut reſpiratione traiicere: quanta enim diligentia opus eſſet in expuenda millies aqua ad abluendum os ſemel accepta, ne aliquid cum ſaliua remaneret; quanta, ne puluis aut aliquid cum vento ingrederetur? Vnde oporteret clauſo ſemper ore, ne ad loquendum quidem aperto, procedere. Non præcipit Eccleſia aliud genus ieiunij; ſed humanum, quod excludit comeſtionem, & potationem, prout diſtinguuntur à reſpiratione, & traiectione ſaliuæ. 34. *Seruatur tamen aliquis ſententia.* *Suarez. Valer. Regin. Fagund. Diana.*

35. *Inſtabis.* Dices, ergo ſi aliquis mihi non aduertenti mittat in apertum os amygdalum, vel vuam, quam ego turbatione correptus reſpirandi cauſa traiiciam, adhuc manebo ieiunus ad celebrandum, vel communicandum. *Reſpondeo.* Nego ſequelam, quia Eccleſia ſua prohibitione noluit quidem impedire reſpirationem, atque ideo noluit quidem impedire ea, quæ per ſe loquendo cum reſpiratione, & aëre attrahuntur, qualia ſunt puluis, paleæ, & ea, quæ deferuntur cum ipſo aëre, quem non poſſumus purgare ab iis ad reſpirandum. Aliud vero eſt de iis, quæ non feruntur ab aëre, quem reſpiramus, ſed aliunde iniiciuntur in os; illa enim non propter reſpirationem, ſed propter aliam cauſam extrinſecam traiiciuntur, & ideo dicuntur comedi, ſicut ægroti eo modo comedunt deglutientes cum reſpiratione, quæ ab aliis infunduntur in os, ipſis non aduertentibus.

36. *Infertur quid ſit dicendum de reliquiis cibi præcedentis.* Hinc iam infero primo, quid dicendum ſit de illis reliquiis cibi præcedentis, quæ inter dentes remanent, ſi non caſu, ſed aduertenter degluriantur. Poſſumus enim vtramque ſententiam ſupra adductam hoc pacto conciliare, vt non ſit obligatio adhibendi curam & diligentiam ad illas reliquias ex dentibus extrahendas, etiamſi præuideantur deglutiendæ poſtea, ſi non extrahantur: neque etiam debemus eas ex dentibus iam extractas diligenter intra oris angulos quærere, vt expuantur; quia omiſsiuè

nea

nus in iis habere non eſt comedere, ſed permittere, vt cum ſaliua, vel reſpiratione traiiciantur, ad quod impediendum non obligat, vt diximus, ieiunium naturale, quod ſicut non impedit cœnam noctis præcedentis, ſic nec ea, quæ cum illa cœna habent moralem connexionem, & ideo non tenemur ad ea omnino impedienda. Quando vero reliquia illa è dentibus extracta in lingua ſenſibiliter haberetur, & homo vellet, ex induſtria illam non expuere, ſed retinere & deglutire, videtur id eſſe contra rationem ieiunij: nam licet non obligemur ad purgandum aërem, vel ſaliuam in reſpirando, vel deglutiendo ſaliuam, debemus tamen non quærere ſponte, & ex induſtria aërem, v.g. vbi eſt muſca, vt eam per reſpirationem deglutiamus: quod ſi muſca in os intrauit, debemus eam non ſponte traiicere, imo debemus, ſi abſque incommodo poſſumus, eam expuere; quia velle eam tunc retinere, quando poſſumus facilè expuere, & prævidemus alias deglutiendam, videtur moraliter eſſe velle eam deglutire; quare licet præceptum hoc non prohibeat permiſſionem regulariter loquendo; aliquando tamen permiſſio eſt talis, vt moraliter cenſeatur voluntas directa traiiciendi. Sic ergo qui granum aniſi ex dentibus extractũ in lingua ſenſibiliter habet, & ſciens vult illud retinere, cum abſque vlla difficultate, & diligentia poſſit illud expuere, cenſetur moraliter velle illud deglutire: nam licet Eccleſia non obliget ad exactam diligentiam adhibendam in abluendo ore, aut vitanda traiectione reliquiarum, vel rerum ſimilium; obligat tamen ad non quærendam illam realiter, vel moraliter; quia ille, qui ſentit muſcam in ore, & potens aperiendo os dare illi exitum, non vult, moraliter cenſetur velle eam deglutire. Non ergo debemus diligentiam adhibere ad eiuſmodi reliquias eiiciendas; ſed neque debemus eas ex induſtria velle traiicere, aut adeo tenaciter retinere, vt moraliter idem ſit ac velle eas deglutire.

37. *Ratio ſecunda.* Infero ſecundo, violari ieiunium, quando aliquis nocte mittit in os quidquam ex ſacchaIo ad emolliendam raucedinem, vt paulatim in ore liquefiat, ſi totum non fuit ante mediam noctem liquefactum; quia illud, quod poſt mediam noctem traiicitur, non eſt reliquia, ſed pars illius cibi, cuius comeſtio fit per continuam liquefactionem, & traiectionem; atque ideo tandiu durat comeſtio, quandiu liquefactio: ita omnes, quidquid in contrarium ſentiat Bartholom. ab Angelo *in exam. Confeſ. Dial.* 4. §. 214. *lit. A.* idem dicendum de eo, qui non reliquias, ſed cibum, v.g. buccellam panis, vel pomi, aut carnium in ore reſeruauit ex nocte præcedenti; quam quidem ſi deglutiat poſt mediam noctem, non poteſt communicare, quia illud non traiicitur per modum ſaliuæ, ſed eſt veriſſima comeſtio, vt docent etiam omnes. Imo addit Thomas Sanchez *lib.* 2 *de Matrimonio, diſputat.* 41. *num.* 40. non poſſe communicare eum, qui quando cœpit ſonare hora 12. quæ eſt extra Italiam ſignum mediæ noctis, aliquid bibit, licet quando ſonat vltimus pulſus horæ duodecimæ, deſiſſet iam bibere; quia cum incipit ſonare primus pulſus horæ, iam eſt hora completa, & incipit tempus horæ ſequentis; eſt autem per accidens, quod plures pulſus audiantur, eo quod non poſſit vnico pulſu duodecima hora indicari: quod quidem in rigore verum exiſtimo, non ſolum de pulſu, quo horæ deſignantur, ſed etiam de illo, quo prius deſignantur quadrantes horæ; ſolent enim, antequam detur ſignum horarum, ſonare pulſus minores pro quadrantibus; ita vt ante ſex, vel duodecim pulſus pro horis ſonent quatuor pulſus leuiores ad deſignandum iam eſſe finitos quatuor horæ quadrantes, & poſtea maiori ſono deſignantur duodecim horæ. Conſequenter ergo fatendum eſt, horam eſſe finitam, & medium noctis deſignari, vbi primum cœpit ſonare primus pulſus pro quatuor quadrantibus; quia ex illo puncto incipit tempus horæ ſequentis. Quod facilè conſtabit conſideranti motum rotæ illius, quæ in horologio continuè mouetur, & quæ diuiſa eſt ad modum crucis in quatuor partes æquales ſecundum ſpatia quatuor quadrantium: cum enim quatuor illa ſpatia ſint omnino æqualia, fatendum eſt, quod vbi primum pertranſitur illud quartum ſpatium rotæ, finitus eſt vltimus quadrans horæ, illud autem ſpatium finitur, quando ſonat primus pulſus pro quatuor quadrantibus ante pulſum horarum: ergo tunc eſt finita tota hora: nam tempus ſequens, quo ſonant tres alij pulſus pro quadrantibus, & duodecim pro horis, pertinet iam ad primum quadrantem horæ ſequentis: rota enim non quieſcit, ſed eodem modo mouetur, ita vt dum ſonant alij pulſus, pertranſeatur aliquod ſpatium ſequentis quadrantis, vt ad oculum conſtat. 38. *Medium noctis deſignatur vbi primum cœpit ſonare.*

19. *Infertur non requiri ſomnum poſt cibum.* Infero tertio, non requiri, quod poſt cibum, ſi ante mediam noctem homo cœnauit, dormierit, vel quod cibus digeſtus ſit: ſic etiam neque in rigore exigitur ieiunium per aliquod tempus poſt communionem, id tamen decentia poſtulat, vt non ſtatim ad profanos cibos eamus, quaſi vnam cum altera menſa confundere volentes. Præceptum autem, quod videtur eſſe in c. *Tribus, de conſecratione, diſt.* 2. ieiunandi poſt communionem, iam eſt abrogatum.

40. *Quæritur quarto quomodo computetur dies.* Quarto quæritur, quomodo computetur dies, intra quam debet obſeruari ieiunium naturale? Præceptum ſolum dictat, debere præcedere ieiunium tota illa die: notant autẽ Doctores, diem in vniuerſa Eccleſia quoad præcepta Eccleſiaſtica computari à puncto mediæ noctis; quare licet alicubi aliter computetur, vt in Italia ab occaſu Solis, id intelligitur in ordine ad alia negotia, non vero ad res Eccleſiaſticas. Videatur Henriquez *lib.* 8. *cap.* 59. §. 1. *lit. M.*

Quid dicendum de eo, qui dubitat, an ſit ieiunus.

41. *Quæritur de eo qui dubitat an ſit ieiunus.* Quinto quæritur, quid dicendum ſit de eo, qui dubitat, an comederit, aut biberit poſt mediam noctem. Poteſt autem dubium verſari, vel circa tempus, vel circa comeſtionem: poteſt enim dubitare, an eſſet iam media nox, vel an verè comederit, & deglutierit aliquid. In vtroque dubio poſſe illum communicare docet Layman *in Theolog. moral. lib.* 1. *cap.* 5. §. 4. *num.* 39. Ioannes Sancius *in ſelectis diſp.* 42. quam ſententiam ſecuram eſſe in praxi dicit Diana *in* 1. *tom. tract.* 4. *de Sacramentis, reſolut.* 29. *Layman affirmat.* *Layman.* *Sancius.* *Diana.*

Contrariam ſententiam docet Thomas Sanchez *de Matrim. lib* 1. *diſp.* 41. *num.* 40. Villalobos *in ſumma tom.* 1 *tract.* 4 *difficult.* 21. *num* 6. Fagundez *de præceptis Eccleſiæ, præcepto* 1. *lib.* 3. *c.* 5. *num.* 1 & 6. quia poſſeſſio eſt pro præcepto; & nulla poſſeſſio eſt in hoc caſu ex parte communicantis. *Sanchez negat.* *Sanchez.* *Villalobos.* *Fagundez.*

42. *Eſt tamen magnum diſcrimen inter illa duo dubia.* Ego media via procederem; inuenio enim magnum diſcrimen inter illa duo dubia: & ſicut non eſt reſtringendum hoc ieiunium, & præceptum, quando dubitamus, an aliquid traiecerimus, vel non; ſic non eſt danda nimia licentia comedendi, & bibendi; quoties nocte aliquis euigilat, & poſtea mane communicandi hoc prætextu, quod nunquam ſciret, quota eſſet hora, atque ideo dubius ſit, an poſt mediam noctem cibum, vel potum ſumpſerit, quod certè contra praxim, & mentem fidelium apertè eſt; fateri ergo debemus, eum, qui mane communicare vult, debere poſitiuè ſcire ſaltem proba-

bibiſſet, ſe non poſt, ſed omnino ante mediam noctem comediſſe, aut bibiſſe.

43. *Redditur ratio diſcriminis inter duos illos caſus.* Vt igitur rationem diſcriminis reddamus inter duos illos caſus, & vtramque partem probemus; aduerto in eiuſmodi dubiis, vt conſtet, quod poſſit, vel non poſſit licitè fieri, optimam regulam eſſe regulariter loquendo, quæ deſumitur ex foro externo; ſcilicet, conſiderare in foro iudiciali, cui incumberet onus probandi; ille enim deberet, deficiente probatione, & manente dubio, condemnari, & aduerſarius abſolui. In noſtro ergo caſu, ſi aliquis communionem petit, & opponatur ei, non eſſe ieiunum, & ideo negatur communio, ille poteſt negare, & tunc onus probandi incumbit, non ipſi, ſed aduerſario, igitur dum manet dubium, an deglutierit, an comederit, nihil probatur contra ipſum, atque ideo debet abſolui, & poteſt communicare. Præceptum enim Eccleſiæ erat, ne communicet poſt cibum aut potum etiam minimum, vt conſtat ex verbis Concilij, Brachatenſis ſecundi, Toletani ſeptimi, & Concilij Conſtantienſis ſupra adductis; cui præcepto non aduerſatur, qui facto examine non ſcit, ſe aliquid ſumpſiſſe: hic enim non communicat poſt cibum, aut potum.

44. *Quid dicendum ſit quando tantum dubitat de tempore.* Quando vero ſcit, ſe comediſſe, dubitat autem, an eſſet poſt mediam noctem, videtur probandi onus ad ipſum ſpectare. Quod probari poteſt aliis exemplis, v.g. ſi aliquis recordatur voti à ſe emiſſi; dubitat autem, an illud emiſerit ante, vel poſt ſeptennium, ipſi incumbit onus probandi; atque ideo, manente dubio, obligat votum; quia de voto conſtat, & non de excuſatione; vt docet Thom. Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 1. n. 14.* Rurſus, ſi debeo tibi dare ſingulis diebus vnum nummum, & dedi iam hodie, tu petis alterum, quando dubitatur, an ſit iam altera dies, debes probare, eſſe iam finitum diem priorem, quia de ſolutione conſtat, & non de die noua, quæ dat tibi ius ad aliam ſolutionem. Similiter ſi habeas ius ad communicandum ſemel tantum ſingulis diebus, prout de facto habes, & hodie communicaſti, dubitas poſtea, an ſit media nox, & an poſſis iterum communicare pro die altera; tibi incombit onus probandi; nam de communione conſtat, & non de inceptione nouæ diei, quæ dat tibi ius ad nouam communionem. Similiter ergo qui certus eſt de comeſtione, & dubitat de inceptione nouæ diei poſt comeſtionem non poteſt communicare; quia ſicut ſolutio ſemel facta aufert ius ad exigendum iterum eadem die: & ſicut communio tollit ius ad aliam communionem eadē die; ita comeſtio aufert ius ad communicandum eadem die; ergo ſicut in aliis caſibus, ſic in iſto, ille, qui fatetur comeſtionem, debet probare nouam diem poſt comeſtionem, vt habeat ius ad communionem: interim enim reiicietur eo titulo, quod comedit, & non habet ius, donec incipiat noua dies poſt comeſtionē. Quæ ratio non procedit in priori caſu, quādo dubitatur de ipſa comeſtione: huic enim nihil poteſt opponi, per quod amiſerit ius ad communicandum eadem die, cū non poſſit illi opponi comeſtio, de qua non conſtat.

Quid, quando ſunt plura horologia?

45. *Dubium poſitiuum & negatiuum.* Aduerte tamen, aliud eſſe, quando non eſt dubium negatiuum, ſed poſitiuum, eo quod ſunt rationes pro vtraque parte, quia vnum horologium v.g. dederat ſignum mediæ noctis, & alterum nondum dederat. In quo caſu Emanuel Rodriguez in noua editione ſummæ *tom. 1. cap. 105. num. 6.* & Salas *1. tom. in 1.2 tract. 8. diſp. vnica, ſect. 25. num. 264.* negat, poſſe nos computare tempus iuxta vltimum horologium, ab eoque puncto ſeruare ieiunium ad communicandum. Sed nullam afferunt rationem ſuæ ſententiæ: quare non videtur negandum id poſſe fieri, dum non conſtat de errore in vltimo horologio, vt fatetur Thomas Sanchez *loco citato*, Fagundez *præcepto 4. lib. 1. cap. 10. num. 3.* Ioannes Sancius in ſelectis *diſp. 42. num. 18.* Villalobos in ſumma *tom. 1. tract. 1. difficult. 11. n. 7.* Diana *tom. 2. tract. 4. reſol. 36.* & alij. Singula enim horologia, quandiu de errore non conſtat, faciunt probabilem opinionem, quam vnuſquiſque poteſt licitè ſequi in ſuis operationibus.

Rodrig. Salas. Sanchez. Fagundez. Sancius. Villalob. Diana.

46. *Dices aliquis idem dicendum eſſe de ieiunio Eccleſiaſtico.* Dicet aliquis, ex hoc ſequi, quod poſſit quis ſequi vnum horologium, quoad ieiunium Eccleſiaſticum, alterum vero, quoad ieiunium naturale. Vnde ſi hodie ſit dies ieiunij v. gr. & audita hora duodecima, nocte ſequenti cœnet, & comedat carnes, quas ſequenti die poteſt licitè comedere, poſtea verò audiat horam duodecimam alterius horologij, poterit ſequi hoc ſecundum horologium, & iuxta illud incipere ex tunc ieiunium naturale, vt poſſit communicare die ſequenti. Si enim poteſt ſe conformare cuilibet, tanquam opinioni probabili, cur non poterit nunc ſe conformare vni, & poſtea alteri; ſicut poſſumus nunc ſequi hanc ſententiam probabilem, & poſtea contrariam.

47. *Reſpondeo.* Reſpondeo, ſi audito primo horologio, & poſt cœnam agnoſcatur error prioris horologij, credo, quod poſſit abſque dubio ſequi ſecundum horologium, & obſeruato ieiunio, celebrare, vel communicare die ſequenti, quia verè eſt ieiunus, & carnium eſus per errorem fuit die præcedenti inculpabilis propter ignorantiam. Si verò non agnoſcatur error in primo horologio, ſed maneat vnicuique ſua probabilitas, aliquis fortaſſe concedet ſequelā, dummodo non habuerit ab initio illum animum, ſed bona fide ſequutus fuerit primum horologium, poſtea verò, audito ſecundo mutauerit mentem.

48. *Inde tamen aliqua ſequuntur inconuenientia. Primum eſt.* Ego tamen non facilè id concedam, quia video, ſequi aliqua inconuenientia, quæ in praxi non videntur admittenda. Primò, ſi aliquis, audito primo horologio celebret, (eo quod habeat facultatem celebrandi poſt mediā noctem) & poſtea audiat ſecundum horologium, poterit adhærens poſteriori iterum celebrare, quia iuxta hoc ſecundum non celebrauit hac die, ſed præcedenti. *Secundum.* Secūdò, in Quadrageſima poſſet, audito primo horologio poſt mediam noctem prandere pro die ſequenti, ſequens opinionem illam, quod anticipatio comeſtionis non ſit peccatū mortale: poſtea verò audito ſecundo horologio, poſſet ſe conformare cū illo, & ex tunc denuo cōputare diē ieiunij, vt poſſet hora ſolita iterum prandere, vtpote qui illo die nihil adhuc comediſſet. *Tertium.* Tertiò qui nondū dixit Completorium, aut Veſperas hodiernas, præuidens parum abeſſe vt ſonet in hoc horologio ſignum mediæ noctis, poteſt conformare ſe alteri horologio, ad cuius ſonum ſcit plus temporis ſupereſſe, atque ita differre paulisper recitationem: poſtquam vero ſonat in primo horologio hora mediæ noctis, poſſet ſe conformare cum illo primo, atque ideo iudicare ſe liberum ab onere recitādi, eo quod tranſacta eſſet iam dies præcedens iuxta probabilem opinionem illius primi horologij, quam mutato conſilio ſequi iam vellet. Hæc, & alia his ſimilia oſtendunt, non poſſe illum, qui ſemel accepit vnum horologium pro regula diei Eccleſiaſtici, poſtea pro libito relinquere illud, & accipere aliud, ſed ſæpè eſſe obligationē retinendi eandem regulam quamdiu non apparet manifeſtus error in primo horologio.

49. *Ratio à priori & regula.* Ratio autem à priori, & regula ſimul ad decernendum, quando non poſſimus facere eiuſmodi mutationem, hæc videtur eſſe poſſe, quia ſcilicet

quamuis

quamvis liberum ſit vnicuique, regulariter loquendo, amplecti ex duabus ſententiis probabilibus, quam voluerit, eam tamen, quam amplectitur, debet retinere, quamdiu de eius improbabilitate non conſtat, quoties libera facultas variandi ſententiam reſultat in præiudicium tertij, qui eo modo fraudaretur iure ſuo, quod ius habet, non probabile, ſed certum ad aliquid exigendum, v.g. debes dare Petro ex iuſtitia ſingulis diebus nummum aureum, quod ſit pondus diei, ita vt ſi intra diem non ſoluas, non debeas dare duplum ſequenti die: hoc ſuppoſito, imminente iam ſonitu mediæ noctis, exigit Petrus ſuum ius; reſpondes, ſequor illud alterum horologium, quod poſt mediam horam ſonabit, & hoc prætextu differs ſolutionem: poſtquam vero primum horologium dat ſignum mediæ noctis, mutata ſententia, dicis, ſequor magis hoc primum horologium; atque ideo tranſacta iam omnino die præterita, nihil debeo: hæc certè variatio ſententiæ licita non eſt; alioquin abſque peccato poſſes per totum annum nihil ſoluere Petro, mutata ſingulis diebus ſententia poſt ſonum primi horologij. Fatendum ergo eſt, ſicut Petrus habet ius, non probabile, ſed certum ad nummos illos quotidie habendos, ſic habere ius, vt non mutes ſucceſſiuè ſententiam probabilem in eius præiudicium, ſed retineas eandem: nam ſi ad hoc non habet ius, neque habet ius ad nummos, quos abſque illo alio iure de facto obtinere non poteſt: ius ergo ad nummos obligat te ad retinendam eandem ſententiam, cuius variatio ſolutionem debiti certi certiſſimè impediret.

50. *Hac regula etiam aliis materiis extra iuſtitiam applicatur rectè.* Hinc iam ad alias materias extra iuſtitiam eandem regulam applicare poſſumus, v.g. ſit duplex ſententia probabilis; altera dicit, hodie ieiunandum eſſe; altera, non eſſe hodie ieiunandum, ſed cras: ego hodie amplector ſecundam ſententiam, & ieiuno; cras amplector primam, & ideo iam tranſiit dies, qua debeat ieiunari, liber ſum à ieiunio; eaque via ſtante lege certa obligante ad ieiunium abſque peccato omitterem ieiunium, quod eſt abſurdum, nam Superior obligans ad ieiunium, reddit etiam illicitam mutationem illam ſententiæ, quæ omnino impedit legis obſeruantiam. Nec ſimile eſt in illo, qui mutando locum liberatur à ieiunio, ſi hodie ſit Romæ, vbi cras ſit vigilia S. Bartholomæi, & cras ſit in alio loco, vbi hodie facta fuit vigilia; hoc, inquam, non eſt ſimile, quia ille mutatione loci fit liber à præcepto, quatenus nunquam fuit debitor, eo quod nec Romæ, nec extra inuenerit præceptum. At vero in noſtro caſu homo comprehenditur præcepto, & lex exigit ab illo ieiunium, ſicut in priori caſu tu debes certo nummum Petro, atque ideo ſicut non potes abſque iniuria non ſoluere Petro nummum, ſic non potes abſque inobedientia non ſoluere ieiunium, cum ſit certa lex ieiunij te obligans, licet non ſit certum tempus, pro quo obligat.

51. *Eſt ſimile aliud exemplum in præcepto audiendi Sacrum.* Aliud ſimile exemplum eſſe poteſt in præcepto audiendi Sacrum; ſi v.g. die feſto, meridie iam imminente, dicas, amplector ſententiam dicentem, poſſe fieri Sacrum paulo poſt meridiem; deinde poſt meridiem mutata ſententia, dicis, amplector contrariam ſententiam, quod non liceat facere Sacrum poſt meridiem; atque ideo liber ſum à Sacro faciendo. Ecce præceptum erat certum, & debitum certum audiendi Sacrum, quare Superior obligans ad Sacrum, obligat ad retinendam ſententiam ſemel acceptam, ex cuius mutatione impeditur obſeruatio certi præcepti.

52. *Hoc etiā dici poteſt pro diuerſis horologiis.* Hoc ergo ipſum dicendum eſt, quando probabilitas oritur ex diuerſis horologiis; nam licet quodlibet poſſimus ſequi ad obſeruanda præcepta, non poſſumus tamen variare in præiudicium præcepti; quia ſicut præceptum obligat certo ad opus iniunctum: ſic obligat ad non mutandam ſententiam, cuius mutandæ libera facultas impediret præcepti obſeruantiam. Præceptum, v.g. ieiunij quadrageſimalis obligat certo ad vnicam comeſtionem ſingulis diebus, id eſt, prohibet ſecundam; ideo conſequenter tollit facultatem variandi horologia pro libito, ex quorum variatione eſſet in biduo triplex comeſtio; quia iam tunc non haberetur opus certo debitum, ſcilicet duplex ſola comeſtio in biduo. Eodem modo præceptum obligans ad recitandum Officium ſingulis diebus obligat conſequenter ad non varianda horologia pro libito, ex qua variatione ſequatur omiſſio Officij alicuius diei; & ſic de aliis.

Denique veniendo ad caſum obiectionis; ex eiſdem principiis dicendum eſt, non poſſe Sacerdotem amplecti vnum horologium ad ſoluendū ieiunium præcedentis diei, & alterum poſtea ad inchoandum ieiunium naturale, quod requiritur ad celebrandum die ſequenti, ſed debere ſequi vnum & idem horologium pro vtroque præcepto. Nam licet præcepta ſint diuerſa, & ſingulis præceptis ſeorſim videatur ſatisfieri (in quo videtur eſſe differentia aliqua ab exemplis adductis) non ſatisfit tamen toti legi, ſeu vtrique præcepto ſimul: vnde videtur ſequi eadem inconuenientia. Nam ſtante illo duplici præcepto, ego debeo ex complexione vtriuſque præcepti abſtinentiam à cibo, poſt comeſti nem vnicam diei præcedentis, ſeu poſt refectiunculam ſerotinam vſque ad Miſſam, vel communionem diei ſequentis; & Superior habet ius ex vi vtriuſque præcepti ad hoc totum; ergo habet ius ad prohibendam variationem horologij, ex qua impeditur obſeruantia & redditio totius illius debiti, ad quod certū habebat ius; quod enim id debeatur vnico, vel duplici præcepto, parū refert. Pone enim, te ex duplici titulo diuerſo debere Petro, de iuſtitia duo aliqua etiam diuerſa, v.g. ex vno contractu debes non auferre ab ipſo equum tuū toto hoc anno; rurſus ex alio contractu, vel alio titulo debes ei centum nummos, ſi anno ſequenti abſtuleris equum; tunc vltima diè anni poſt mediam noctem iuxta vnum horologiū, exigis ab eo equum ſciens, te contrahere obligationem ſoluendi centum nummos in conditione poſteros auferens equum poſt mediam noctem intra annum ſequentem. Accepto equo, ſonat ſignum mediæ noctis in ſecundo horologio, tunc mutato conſilio vis ſequi hoc ſecundum horologium, & contendis te nihil debere, quia non abſtuliſti equum intra ſecundum, ſed intra primum annum. Nemo dicet, te liberum eſſe, & potuiſſe in præiudicium Petri, mutare ſententiam: quia licet ex diuerſis contractibus, verè tamen debebas Petro in conſcientia non auferre equū niſi ſoluendo centū nummos: debebas enim non auferre abſolutè anno præcedenti ex primo contractu: debebas item ex ſecundo contractu non auferre anno ſequenti, niſi ſoluendo centum nummos, ergo Petrus habebat ius certum, ne auferretur ipſi equus, niſi cū obligatione ſoluendi centum nummos; quo tamen iure fraudatur per illam variationem, & mutationem ſententiæ iuxta diuerſa horologia. Fatendum ergo eſt, licet liberum ſit homini accipere pro regula quodlibet horologium, non tamen eſſe liberum recedere ab illo in præiudicium creditoris; quia eo ipſo, quod vnum horologium accipit, videtur renuntiare omnibus aliis, & ſe habere perinde, ac ſi non eſſet vllū aliud; alioquin creditor haberet ius non permittendi, quod vtatur illo horologio, ne hoc modo perdat ius ſuū, quod habet certum ad totum illud complexum. 53. *Dicendum eſt ad caſum obiectionis.*

Sic

54. Sic ergo Superior ex vi duplicis præcepti habet ius certum, vt poſt comeſtionem hodiernam homo nihil comedat ante communionem craſtinam; quo iure fraudatur, ſi homo iuxta primum horologium cœnet poſt mediam noctem, & iuxta ſecundum celebret cras; ergo non debet concedi talis libertas, ſed dicendum, quod eo ipſo, quod vult homo accipere primum horologium pro regula ad cœnandum, obligat ſe implicitè ad ſuſtinendam illam regulam, quamdiu de eius errore non conſtat, ne Superior fraudetur iure ſuo, quod habebat ex complexione vtriuſque præcepti, vt homo nihil comederet ante communionem craſtinam poſt prandium, vel refectiunculam hodiernam.

Dubium incidens de nocte Natalis; quomodo in ea obſeruetur ieiunium naturale.

55. *Hoc in præcepto ieiunij naturalis diſpenſare poteſt ſolus Pontifex.* In hoc denique præcepto ieiunij naturalis diſpenſare poteſt ſolus Papa, vt tradunt communiter omnes Doctores; de facto autem neque ipſe Papa diſpenſare ſolet. Solum dubitari poſſet de nocte Natalis Domini, in qua videtur de facto diſpenſare pro Cardinale celebrante primam Miſſam poſt Matutinum in Sacello Pontificio coram eodem Pontifice; nam re vera ſolet Miſſa tota abſolui ante mediam noctem, vt poſſint Cardinales opportunè conuenire ſequenti die ad tertiam Miſſam, quam celebrat ſolemniter Pontifex in Baſilica S. Petri. Vnde tacitè videtur Pontifex diſpenſare cum Cardinale, vt celebret ante mediam noctem non ieiunus: nam intra eam diem hora ſolita pranſus eſt; alioquin cogeretur aliquando per biduum ieiunare, quando v.g. vigilia Natalis eſt in Dominica; tunc enim debet ieiunare à prandio ſabbati, in quo fuit ieiunium vigiliæ vſque ad feriam ſecundam poſt tertiam Miſſam Natalis, quod quidem de facto non fit.

56. *Non tamen credo intentionem Pontificis talem eſſe.* Adhuc tamen ego non credo, intentionem Pontificis eſſe diſpenſare in ieiunio naturali pro illa vice ſingulis annis, ſed potius dicerem, quod velit pro illo loco, & pro illa nocte anticipari aliquantulum initium diei ſequentis; quia ieiunium ſolum debet eſſe intra illam diem: quando autem incipiat dies, pendet ab hominum placito; aliqui enim incipiunt diem ab ortu Solis, alij ab occaſu, alij ab alio termino: Eccleſia vero computat à media nocte; poteſt ergo eadem Eccleſia ſemper, vel aliquando computare diem ab aliqua alia hora, & ſic de facto poteſt Pontifex iuſtis de cauſis anticipare per vnam, vel duas horas initium illius diei in illo loco; ſicut etiam quoad celebritatem Officij ſabbato Sancto Eccleſia anticipat initium noctis per aliquas horas. Porro mentem Pontificis hoc pacto potius intelligi debere, quam quod velit diſpenſare in ieiunio naturali ad Miſſam prærequiſito, probant mihi plura inconuenientia, quæ ex illo alio modo diſpenſandi ſequerentur.

57. *Prima ratio.* Primò, quia ſi illa Miſſa cenſetur eſſe intra diem vigiliæ, & non intra diem Natalis, non ſatisfacerent præcepto audiendi Miſſam in die Natalis, qui illam Miſſam audirent; quod tamen videtur eſſe contra mentem Pontificis, qui illam Miſſam celebrari facit pro feſtiuitate Natalis. Secundò, ſi vigilia ſit in Dominica, poſſet aliquis nolle audire aliam Miſſam in ipſa Dominica, ſed expectare vt nocte ſequenti ſatisfaceret præcepto Dominicæ audiendo illam Miſſam ante mediam noctem. Tertiò, celebrans non poſſet facere ſacrum ipſa Dominica manè, ne celebraret bis intra eandem Dominicam: quod priuilegium ſolum habetur pro die Natalis. Quartò, poſſet die ſequenti Natalis alias tres Miſſas celebrare; quia de iure conceditur omnibus illa die ter celebrare: ipſe autem non fecit primum ſacrum intra, ſed ante illam diem. Quintò, poſſet poſt primam illam Miſſam cœnare, maximè ſi vigilia ſit in Dominica, cœnare, inquam, ante mediam noctem, & poſtea die ſequenti celebrare ſecundam, & tertiam Miſſam; quia verè eſſet ieiunus intra illam diem. Vnde ſexto poſſet, & deberet in prima Miſſa abſolutionem accipere poſt communionem: hæc enim non impediret ieiunium ad celebrandum die ſequenti. Quod tamen eſt contra Rubricam illius Miſſæ, & contra praxim, ſi Cardinalis vult celebrare ſecundam, & tertiam Miſſam. Hæc autem omnia inconuenientia ceſſant, ſi dicamus, mentem Pontificum non eſſe diſpenſare in ieiunio, ſed anticipare aliquantulum initium diei ſequentis pro illo loco: ita vt illa Miſſa perinde ſe habeat, ac ſi iam eſſet tranſactum medium noctis, & ita ſe gerere debeat celebrans, ac ſi verè incepta ſit ſequens dies Natalis: qui modus facilior, & ſuauior eſt, & magis connaturalis; qui enim anticipat Miſſam, videtur velle quantum poteſt, anticipare tempus illius Miſſæ. Sed de his ſatis. *Si aliter ergo dicamus, ceſſant hæc inconuenientia.*

SECTIO III.

Quomodo propter mortis periculum, vel neceſſitatem ſumentis liceat communicare, non præmiſſo ieiunio.

PRima exceptio à regula ſupra poſita de ieiunio naturali prærequiſito ad communionem, & hæc quidem conſtans, & certa apud omnes eſt, quando quis in periculo mortis conſtitutus accipit Euchariſtiam pro viatico; tunc enim, ſi ſit periculum in mora, aut ſi non poſſit commodè ieiunus accipere, poterit non ieiunus. Hanc exceptionem factam eſſe expreſſè in antiquis decretis, quæ præceptum illud continent, teſtatur P. Vaſq. *diſp.* 211. *c.* 4. *n.* 45. vbi ait, caſum illum exceptum fuiſſe Canonibus illis, quos *cap.* 1. citauerat; ibi autem citauerat loca illa ex Concilio Carthag. 3. Concilio Africano, Concilio Matiſconen. 2. Concilio Brachar. 1. & Brachar. 1. Canone Tiullano 29. quæ nos etiam ſupra adduximus; in quibus nulla eſt mentio illius exceptionis: ſolum poſſet habere aliquam ſpeciem Canon 2. Concil. 7. relatus *in c. Nihil contra* 7. *q.* 1. vbi dicitur: *Ne tamen, quod naturæ languoris cauſa conſulitur, in præſumptionis perniciem conuertatur, nullus poſt cibum, potumque quamlibet minimum ſumptum, Miſſas facere, nullus abſque patentis prauenta moleſtia miniſtrare, vel Sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere.* Quæ verba aliter retulit Vaſq. *d. c.* 1. *n.* 4. hoc modo: *Ne vllus id, quod ægritudinis cauſa conceditur, in perniciem ſuam facere præſumat, videlicet, vt poſt cibum, potumque, quantumvis minimum ſumptum, Miſſam celebret.* Quare illa verba, intellexit fortaſsè de confeſſione communicandi abſque ieiunio ægritudinis cauſa. Verum Canon ille non loquitur de tali confeſſione, ſed de alio caſu diuerſo, quando ſcilicet inchoata Miſſa Sacerdos ægritudinis ſuperuenientis cauſa *cœptum nequeat conſecrationis explere myſterium*: in quo caſu ſtatuitur, vt Epiſcopus, vel Preſbyter alius poſſit *conſecrationem exequi officij cœpti.* Poſtea vero ſubiungitur: *Quod etiam conſultum cunctis Ordinis Clerici indiuiduum eſſe ſibi non ambigant, ſed (vt præmiſſum eſt) præcedentibus libèter alij pro complementa ſuccedãt*, hoc eſt, Diaconus Diacono, Subdiaconus Subdiacono, qui ob ægritudinem proſequi non poſſit. Et ſtatim ſequuntur verba relata: *Ne tamen* 58. *Prima exceptio à regula de ieiunio naturali.* *Hæc conſtat ex antiquis decretis.* *Vaſq.*

quod

quod languoris cauſa conſulitur, &c. vbi Vaſquez appoſuit *conceditur,* pro illo verbo *conſulitur*; in quo non eſt ſermo de conceſſione viatici non ieiuno, ſed de conſulto, de quo proximè dicetur, *quod etiam conſultum cuncti Ordinis Clerici indiuiduum eſſe ſibi, non ambigant*: vt ſcilicet vnus alteri ſuccedat ad perficiendum miniſterium. Quia tamen poterat eſſe abuſus in illa ſucceſſione, ſi omnes libere poſſent vel dimittere miniſterium inceptum, vel proſequi, quod alij inceperant; adduntur illæ duæ limitationes: *ne quod natura languoris cauſa conſulitur, in præſumptionis perniciem conuertatur*, vt ſcilicet non omnes indifferenter, ſed qui ieiunus inuenietur, proſequatur Miſſam ab alio cœptam (quod intelligitur, excepto caſu extremæ neceſſitatis, quo nullus Sacerdos ieiunus inueniretur) curſus, ne aliquis, niſi manifeſta neceſſitate vrgente, inceptum miniſterium relinquat ab alio perficiendum. Vnde conſtat, ibi non eſſe ſermonem de communione danda infirmis non ieiunis, ſicut neque in illis aliis Canonibus antiquioribus.

59. *Cur afferatur Canon ille Conc. VVormat.* Solum ergo affertur Canon quidam Concilij VVormatienſis, relatus *in cap. Presbyter, de conſecrat. diſt.* 2. vbi præcipitur Presbyteris, quod habeant ſemper Euchariſtiam paratam pro infirmis, ne ægrotus ſine illo Sacramento moriatur. Sed prætérquam quod ille Canon non reperitur hodie inter Canones illius Concilij, ſed ſolum relatus à compilatoribus Decreti, ex eo etiam non habetur directè illa exceptio à ieiunio, ſed ſolum argumentò, quatenus ſupponi videtur, qualibet hora dari ſolitum viaticum, atque adeo etiam poſt prandium, cum eam ob cauſam præcipiatur Presbyteris habere Euchariſtiam paratam, vt abſque mora poſſit qualibet hora dari periclitantibus. Ex Conciliis etiam minus antiquis afferri poteſt Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 13. paulo poſt principium; vbi nihil quidem ſtatuitur, ſed ſolum declaratur contra hæreticos, laudabilem eſſe conſuetudinem, quam ſeruat Eccleſia, quod Euchariſtia non conſecretur poſt cœnam, nec à fidelibus recipiatur non ieiunis, *niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis à iure, vel Eccleſia concoſſa, vel admiſſa*. Ex quibus conſtat non haberi hanc exceptionem ex Concilio, vel Canone expreſſè illam ſtatuente, ſed ex perpetuo Eccleſiæ vſu, quem quidem credibile eſt ortum habuiſſe à Pontificum, & fortaſſe Apoſtolorum voluntate & decreto; quod tamen decretum nobis per conſuetudinem ſolum conſtat, quam conſuetudinem Patres Concilij Conſtantienſis agnouerunt.

60. *Rationē huius exceptionis affert Vaſquez.* Ratione item hanc exceptionem pro ægrotis probare contendit idem Vaſquez *c.* 4. ex eo, quod præceptum communicandi in articulo mortis eſt Diuinum; præceptum vero præmittendi ieiunium eſt humanum, & Eccleſiaſticum; quando ergo concurrit vtrumque, debet ſeruari illud, quod Diuinum eſt, vnde concludit *n.* 43. non potuiſſe lege illa ieiunij comprehendi caſum neceſſitatis, in quo viaticum ſumendum eſt; & rationem reddit *n.* 46. *quia in ea neceſſitate in qua iure Diuino præceptum eſt, ne vllus ex hac vita diſcedat, niſi in articulo mortis Euchariſtia pro viatico ſumpta, ita formare legem ieiunij, vt periculum eſſet ſine Euchariſtia diſcedere, pernicioſum eſſet.*

61. *Hæc ratio difficilis eſt.* Hæc ratio difficilis eſt, nimiumque probare videtur, quod ſcilicet in articulo mortis ad dandum viaticum conſecrari poſſet, & deberet Euchariſtia abſque veſtibus ſacris, abſque ara conſecrata, in pano etiam fermentato: quia ea omnia præcepta ſunt humana, quæ impedire non poſſunt obſeruantiam præcepti Diuini de accipiendo viatico: & tamen nemo concedet, illa fieri poſſe, etiamſi infirmus abſque Euchariſtia moriatur. Ergo ſi Eccleſia prohiberet aliquem etiam in articulo mortis, ne communicaret abſque ieiunio; præceptum Eccleſiæ ſeruandum eſſet, non obſtante Diuino præcepto; quia iſtud ſolum obligat ad communicandum, quando poſſumus; ille autem, qui ab Eccleſia prohibetur, non poteſt, atque ideo excuſatur; ſicut qui excommunicatus eſt, nec poteſt obtinere abſolutionem, non peccat, etiamſi per multos annos non communicet: quia præceptum Diuinum Euchariſtiæ non obligat, vt cum excommunicatione communicet contra Eccleſiæ prohibitionem. Sicut ergo Sacerdos moriturus gladio, vel incendio non debet nec poteſt celebrare abſque veſtibus ſacris, vel ara, ad accipiendum viaticum, licet hoc ſit præceptum Diuinum, & illa alia ſunt humana: ſic ægrotus non ieiunus non deberet, nec poſſet communicare, ſi id eſſet contra eiuſdem Eccleſiæ prohibitionem; quia, vt vidimus ſupra *diſput. præcedenti ſect.* 5. poteſt Eccleſia ita vniuerſaliter obligare ſuis præceptis, vt aliquando neque etiam intuitu obſeruandi præceptum Diuinum poſſit aliquis ab Eccleſiaſtico præcepto excuſari. Fuit ergo in caſo noſtro congruentia, & ratio, vt Eccleſia exciperet caſum illum neceſſitatis in articulo mortis à communi lege ieiunij: ſi tamen exceptio non fuiſſet facta, infirmus deberet obſeruare Eccleſiæ legem, licet abſque viatico moreretur; vt conſtat ex ſupra adductis exemplis. *Si hæc exceptio non fuiſſet facta, infirmus deberet obſeruare legē Eccleſiæ.*

Ex his deducitur iam reſolutio dubiorum, quæ circa hanc concluſionem fieri ſolent. Primo dubitatur, an ille, qui iam ſemel accepit viaticum, poſſit intra eandem infirmitatem iterum non ieiunus communicare. Dixi, *intra eandem infirmitatem*, quia omnes fatentur, id fieri poſſe, ſi morbus ſtatum mutet, vt ſi prius erat ægrotus in periculo, poſtea, tranſacto periculo, aliquantulum conualuit, & deinde redeat periculum. Dubium ergo eſt, quando perſeuerat periculum; in quo caſu negant Vaſquez *in præſenti diſputat.* 211. *cap.* 4. *num.* 38. & Ioannes de la Cruz *in Direct. conſcient. part.* 2. *tract. de Euchar. q.* 5. *dub.* 4. *concluſ.* 3. Ratio autem eſt, quia ratio, ob quam communicare poteſt non ieiunus, eſt propter præceptum Diuinum obligans ad viaticum ſumendum; hæc autem ratio ceſſat, quando aliquis impleuit iam illud præceptum; ergo ceſſat etiam facultas communicandi abſque ieiunio. Vnde etiamſi aliquis viaticum acceperit ieiunus, non poteſt iterum non ieiunus illud Sacramentum accipere, propter eandem rationem. 62. *Dubitatur an poſſit repeti viaticum.* *Vaſquez. Ioan. de la Cruz.* *Negant aliqui & probant.*

63. *Hæc ratio nimius probare.* Hæc ratio nimium videtur probare, & poteſt ad hominem retorqueri contra ipſum Vaſquez; quia ipſe infra *diſput.* 214. *cap.* 1. *num.* 17 docet, præcepto ſumendi viaticum ſatisfieri, quoties aliquis ægrotus morbo periculoſo communicat, etiamſi ex deuotione, & abſque intentione accipiendi viaticum id faciat. Vnde conſequenter fateri debet, illum, qui poſt cœptam ægritudinem communicauit ex deuotione, non poſſe iam intra eandem ægritudinem accipere viaticum non ieiunum; quia iam non obligatur amplius præcepto Diuino accipiendi viaticum: & tamen conſuetudo communis, & praxis omnium contraria eſt: ſolent enim ægroti, præſertim Religioſi, qui id facilius poſſunt facere, communicare vel octauo quoque die, vel etiam frequentius tota tempore ægritudinis, poſtea vero, appropinquante iam morte, viaticum accipiunt non ieiuni, etiamſi præcedenti die ex deuotione communicauerint, neque vllus vnquam circa hoc ſcrupulum iniecit. Fatendum ergo eſt, rationem adæquatam accipiendi viaticum abſque ieiunio non eſſe obligationem præcepti Diuini ſeruandi, vel certè damnatq

oſtre debemus praxim omnium vbique Religioſorum virorum, quia viaticum abſque ieiunio tribuunt iis, qui ſæpius in eadem infirmitate communicarunt.

64. *Alij vero concedunt communiter.* Tabiena. Armilla. Sà. Sotus. Toletus. Victoria. Graffius. Nugnus. Coninch. Reginald. Suarez. Henriq. Diana.

Alij ergo communiter concedunt, poſſe poſt ſemel acceptum viaticum iterum intra eandem ægritudinem dari abſque ieiunio. Tabiena verbo *Communicare, n.* 48. Armilla *ibi n.* 18. Sà verb. *Euchariſtia, n.* 6. Toletus *in Summa lib.* 10. *cap.* 15. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 8. Victoria *in Summa n.* 81. Graffius *in Deciſ. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 38. Nugnus *in præſenti q.* 80. *art.* 8. Coninck *ibi num.* 53. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 29. *cap.* 6. *n.* 110 Henriquez *lib.* 8. *c.* 4. *n.* 1. & *c.* 50. *n.* 1. Suarez *in præſenti diſp.* 68. *ſect.* 5. Diana 1. *tom. tract. de celebrat. Miſſar. reſolut.* 75. & alij communiter. Probant aliqui ex Concilio Conſtantienſi loco ſupra adducto, in quo abſque limitatione excipitur *caſus infirmitatis* à præcepto ieiunij præmittendi non limitando ad vnam, vel plures communiones; non ergo debemus id ad vnicam reſtringere.

Fundamentũ illud ex Concil. nimium probaret.

Verum hoc fundamentum nimium etiam probaret, quia nec Concilium explicuit ibi infirmitatem periculoſam, ſed abſque limitatione dixit: *niſi in caſu infirmitatis*; ergo eodem modo dicere poſſet aliquis, quod etiam extra mortis periculum poſſet abſque ieiunio ſumi Euchariſtia, quando infirmitas non permittit ea cum ieiunio accipere. Item nec Concilium expreſſit, id intelligi, quando infirmus commodè non poteſt accipere viaticum ieiunus, ſed abſque limitatione excepit caſum infirmitatis: ergo poſſet dici, quod in mortis periculo non ſit obligatio præmittendi ieiunium, etiamſi commodè poſſit: quæ tamen nemo concedit. Fatendum ergo eſt, verba Concilij intelligi debere iuxta ſenſum, in quo communiter accipiebantur; ibi enim non fiebat lex, vel exceptio, ſed referebatur conſuetudo Eccleſiæ non dandi Euchariſtiam non ieiunis, niſi in caſu infirmitatis, vel neceſſitatis, &c. nempe eo modo, & in eo caſu infirmitatis, in quo, & quo modo dari ſolabat; non enim erat ibi explicanda, ſed ſolum commemoranda illa conſuetudo, qualiſcumque illa eſſet.

65. *Non conueniunt omnes in determinandã diſtantia.*

Auctores huius ſententiæ non omnes conueniunt in determinanda diſtantia, quæ debet intercedere, vt poſſit iterum dari communio abſque ieiunio intra eandem infirmitatem. Aliqui enim exigunt multum tempus, vt Nauarrus, quem affert, & explicat de ſpatio triginta dierum Villalobos *in ſumma* 1. *part. tract.* 7. *dub.* 38. (Villalob.) Alij exigunt octo, vel decem dies, vt Suarez, & Nugnus *loco citato*; Henriquez *lib.* 8. *dicta cap.* 5. Fagundez *de præceptis Eccleſ. tract.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 10. Andr. Caſtaldus *in Praxi cæremon. lib.* 4. *ſect.* 14. *cap.* 8. *num.* 5. Syluius *in præſenti, art.* 9. cuius iudicio ſufficiunt ſeptem dies. (Henriq. Fagundez. Caſtaldus. Syluius.) Alij ſex dies exigunt, Armilla, Zambranus, Poſſeuinus, Filliucius, quos refert, & ſequitur Diana *vbi ſupra reſolut.* 77. (Armilla. Zambran. Poſſeuinus. Diana.) Alij tertia die dari poſſe cenſent, ita ſe facere ſolitum probantibus multis ex Magiſtris Complutenſibus teſtatur Ludouicus de S. Ioanne in ſumma Hiſpano ſermone edita *tom.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 10. *difficult.* 4. *de Sacram. Euchariſtiæ.* Alij denique addunt, poſſe ſequenti proxima die dari ob iuſtam cauſam; vt ſi quis ſolitus frequenter communicare propter deſiderium, aut deuotionem difficile abſtineat, & mortis periculum inſtare videatur. Ita Layman *lib.* 5. *Theol. Moral. tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 10.

66. *Conſuetudo fidelium eſt ad inſtar regula firma.*

In hac Doctorum varietate vnica regula firma, & ſecura videtur nobis eſſe conſuetudo fidelium. Cum enim facultas tota hæc accipiendi Euchariſtiam abſque ieiunio non tam ex decretis, quam ex Eccleſiæ conſuetudine probetur, quam conſuetudinem teſtati ſunt Patres Concilij Conſtantienſis, vt vidimus, conſequens eſt, vt de tota ea facultate eiuſque extenſione, non niſi iuxta eandem conſuetudinem iudicare debeamus. Non videtur autem negari poſſe, quod ſit nunc ſaltem conſuetudo talis (quidquid ſit de primis aut antiquis temporibus) dandi iterum Euchariſtiam non ieiunio, quando morbus, & periculum diu protrahitur; quod licitum eſſe teſtantur tot ex omnibus prouinciis Doctores, quorum ſaltem teſtimonio, & auctoritate fideles licitè eiuſmodi vſum amplexi ſunt. Vnde iam non ſolum propter principia extrinſeca, & propter auctoritatem eorum Doctorum, ſed propter principia intrinſeca ea ſententia vera eſt; quia nimirum vſus Eccleſiæ, à quo hæc facultas vires accipit, ita obtinuit, vt poſt aliquot dies, v. g. ſeptem, vel octo detur iterum Euchariſtia non ieiunis. De illo autem alio vſu dandi proxima, vel tertia die, non video eſſe à fidelibus ſufficienter approbatum, ita vt poſſit dare ius, in quo fundetur eiuſmodi licentia.

67. *Dubitatur an Sacerdos non ieiunus poſſit celebrare ad dandum viaticum.*

Secundò principaliter dubitatur, an Sacerdos non ieiunus poſſit celebrare ad dandum viaticum moribundo alioquin abſque Euchariſtia morituro. Affirmant Maior *in* 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 5. Zanardus *in Direct. Confeſſ. p.* 1. *tract. de Euchar. cap.* 7. Zambranus *in dec. caſ. tempore mortis, cap.* 4. *de Euchariſt. dub.* 6. *n.* 5. & probabile id vocat abſolutè Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *num.* 141. & cum limitatione, ſcilicet, ſi moriturus aliud Sacramentum Pœnitentiæ, aut Extremæ-Vnctionis ſuſcipere non poſſit, & ſcandalum ceſſet, probabile dicit Layman *loco citato num.* 11. & abſolutè eandem ſententiam amplectuntur Philiarchus *de officio Sacerdotis, tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 2. Fernandez de Heredia *in diſputationibus mixtis de Sacram. tit. de Euchariſt diſt.* 2. *punc.* 8. *dub.* 2. *n.* 8. & Per. Math. *in Adnotat. ad Rubricas Miſſalis, p.* 1. *cap.* 9. *n.* 1. Quare negari non poteſt, hanc eſſe ſententiam probabilem propter auctoritatem eorum Doctorum.

(Maior. Zanard. Zambran. Filliuc. *Sententia affirmans probabilis.* Philiarc. Heredia. Per. Math.)

68. *Negans probabilior.* Suar. Vaſquez.

Probabilior tamen, & communior eſt ſententia id negans, quam docent Suarez *in præſenti diſp.* 68. *ſect.* 5. Vaſquez *diſp.* 211. *c.* 5. *num.* 62. qui oppoſitam dicit nullo modo eſſe probabilem; Ledeſma, Nauarrus, Toletus, Syluius, Armilla, Syluester, Antoninus, Henriquez, Victoria, Sotus, Fagundez, Homobonus, Coninck, & alij, quos refert & ſequitur Diana 1. *tom. tract. de celebrat. Miſſar. reſol.* 66. & 2. *tom. tract.* 4. *de Sacrament. reſolut.* 33. (Diana. *Ratio iſtorum eſt.*) Ratio eſt, quia præceptum dandi viaticum debet ſemper intelligi, quando dari poteſt iuxta ritum, & ordinem ab Eccleſia præceptum in hoc Sacramento conficiendo, & miniſtrando. Quare ſicut non poteſt Sacerdos celebrare abſque veſtibus ſacris, abſque altari, abſque pane azymo ad dandum viaticum infirmo, quidquid dicat Maior vbi ſupra, cuius ſententiam omnes meritò refellunt: ſic non poterit celebrare abſque ieiunio, cum tam ſit præceptum Eccleſiæ hoc, ſicut illa.

69. *Inſtabis. Ad hoc iam ſupra reſponſum eſt.*

Dices, in eo caſu poterit Sacerdos celebrare abſque confeſſione cum ſola contritione, cum tamen ſit præceptum præmittendi confeſſionem; ergo & poterit abſque ieiunio. Ad hoc iam reſpondimus ſupra *diſput. præcedenti ſect.* 5. vbi etiam attulimus rationem, cur præceptum non celebrandi cum excommunicatione, vel abſque confeſſione, non tam vniuerſaliter obliget, ſicut hæc alia præcepta Eccleſiaſtica, quæ magis ſpectant ad ritum, & cultum externum huius Sacrificij. Licet autem præceptum ieiunij diſpenſatum ſit, quoad ipſum ægrotum communicatum, non reperitur tamen talis diſpenſatio pro Sacerdote celebraturo ad communicandum infirmum. Vnde ſi ponatur Sacerdos ipſe moriturus, vel occidendus, nec poſſit aliter viaticum

ſumere

ſumere, niſi ipſe celebret, tunc poſſet ipſe non ieiunus celebrare ad communicandum pro viatico: quia non plus eſt celebrare, quam communicare, abſque ieiunio: quare diſpenſatus ad hoc, videtur etiam diſpenſatus ad illud.

70. *Dubitatur tertio. Aliquorum ſententia.*

Tertio dubitari poteſt, an ſicut poteſt propter ſcandalum, vel infamiam vitandam aliquis communicare, vel celebrare abſque confeſſione: ſic poſſit etiam abſque ieiunio. Aliqui volunt, adeo ſtrictè obligare hoc præceptum, vt in neutro caſu liceat communicare. Oppoſitum tamen videtur dicendum, cum ſit præceptum humanum, quod non ſolet cum tanto rigore obligare. Vnde Suarez *ſect. 5. in fine*, & Vaſquez *in præſenti diſput. 111. num. 48.* expreſsè concedunt, propter vitandam tam infamiam, quam ſcandalum, ceſſare obligationem huius præcepti. Et certè cum communiter Doctores dicant, *Reſpondetur dub. 0.* Sacerdotem, qui etiam ante conſecrationem recordatur, ſe aliquid comediſſe; non obligari ad diſcedendum ab altari, quando ſine ſcandalo, aut infamiæ nota non poteſt, clarè ſupponunt, poſſe propter vitandam infamiam communionem accipi à non ieiuno.

71. *Inſtantia.*

Dices; ergo poterit etiam ob eandem cauſam vitandi ſcandali, vel infamiæ celebrare Sacerdos abſque veſtibus ſacris, vel pane azymo, cum hæc ſint etiam præcepta poſitiua. *Reſpondeo.* Reſpondeo, licèt formaliter conſequentia ſit bona, ratione tamen diuerſæ materiæ poſſe negari; quia difficile eſt, contingere tale periculum ſcandali, vel infamiæ in illo caſu: imo ſcandalum, vel infamia vera tunc erit, cum viderint aliquem abſque veſtibus ſacris, vel fermentato celebrare. Nemo enim timere poteſt infamiam, eo quod, deficiente hoſtia, vel patena, non celebrat, ſicut poteſt timere, quando prætextu cibi ſumpti diſcedit ab altari, cum poſſint facilè ſuſpicari, vel ipſum ſcienter acceſsiſſe non ieiunum ad celebrandum, vel certè prætextum illum falſum eſſe, & reuera diſcedere propter peccatum graue commiſſum, vel cenſuram, aut impedimentum aliquod: quod quidem periculum non ita facile eſt, quando omnes vident defectum hoſtiæ, vel patenæ: qui defectus, cum ſint externi, non relinquunt dubium de aliis defectibus magis occultis, qui ſint cauſa non celebrandi.

72. *Duo aduertenda.*

Pro complemento duo breuiter aduertenda ſunt. Primum eſt, facultatem communicandi abſque ieiunio in mortis periculo non limitari ad ægrotum, ſed locum habere in iis etiam, qui iuſtè, vel iniuſtè interficiendi ſunt, vel certè ſunt in eiuſmodi mortis periculo, nec poſſunt cōmodè expectare, vt ſequenti die ieiuni viaticũ accipiant. Quæri autem poteſt, an Iudex obligetur ad differendam mortem delinquentis ob eam rationem, vt cras ieiunus communicet: Certum eſt, non teneri ad hoc Iudicem, quando commodè non poteſt executio ſententiæ differri: & multo minus, quando reus ex induſtria violauit ieiunium, vt ita vitam protraheret; cogeretur enim Iudex diu differre ea occaſione, & daretur anſa reis impediendi rectum iuſtitiæ ordinem.

73. *Addi poteſt ſupradictis.*

Addo, me non inuenire obligationem in Iudice differendi executionem ſententiæ ea de cauſa, vt ieiunus communicet, qui interficiendus eſt. Nam licet ex charitate debeat non impedire, ſi commodè poſſit, quod Sacramenta ſuſcipiat, non tamen debet impedire, quod in eis ſuſcipiendis vtatur diſpenſatione, & facultate, quâ in caſu neceſſitatis vti poteſt; nec videtur agere contra præceptum, qui reducit aliquem ad caſum neceſſitatis, in quo facultatem habet, & priuilegium aliter operandi, v. g. ſi aliquis habeat facultatem audiendi Miſſam domi in ſacello priuato, quando non inuenit Miſſam in Eccleſia, poſſum ego etiam die feſto nolle facere Sacrum in Eccleſia, & ita reducere eum ad caſum, quo poſſit vti ſuo priuilegio. Clarius exemplum haberi poteſt in eodem damnato ad mortem. Poteſt enim contingere, quod habeat peccata reſeruata, & cenſuras, à quibus abſoluendus eſſet à Prælato poſt triduum venturo: Iudex tamen poteſt nolle expectare, ſed exequi hodie, vel cras ſententiam; ſcit enim, quod in eo articulo poſitus poterit, deficiente Prælato, abſolui ab inferiori. Sicut ergo poteſt Iudex reducere reum ad illum ſtatum, in quo debeat vti facultate accipiendi abſolutionem ab inferiori propter neceſſitatem: ſic poterit reducere illum ad neceſſitatem, in qua vtatur facultate ſumendi Euchariſtiam abſque ieiunio. Debet itaque reus ſeruare ieiunium, vt communicet ieiunus; eo tamen ieiunio violato, non video in iudice, ſecluſo ſcandalo, obligationem differendi ſupplicium, vt communicet ieiunus.

Secundum, quod aduertere oportet, eſt, infirmum debere etiam, quando commodè poteſt, ſeruare ieiunium ante viatici ſumptionem: hoc tamen cum omni moderatione, & ſuauitate accipi debet; quare ſi periculum ſit, ne vel moriatur, vel rationis vſum, aut corporis vires amittat, antequam poſſit cras ieiunus Euchariſtiam ſumere, communicandus eſt hodie non ieiunus. Item ſi Parochus hodie non poteſt commodè Euchariſtiam deferre, antequam infirmus comedat, vel bibat, dari poterit hora magis commoda, etiam poſt cibum: vnde non eſt reprehendendus vſus aliquorum Parochorum, qui veſpere ſero ſolent alicubi deferre viaticum: id enim faciunt, tum propter maiores occupationes, quibus matutino tempore ſolent in templo retineri; tum etiam, vt maiori cum decentia Sacramentum deferatur, concurrentibus tunc facilius laicis, & ruſticis ad illam actionem, quam diurno tempore quo ſinguli ſuis artibus, & functionibus occupantur: Minus etiam debet inter Regulares obligari Sacerdos aliquis ad dandum viaticum infirmo ſtatim poſt mediam noctem, qua hora non poteſt id cum debita ſolemnitate, aut abſque incommodo regulariter præſtari. 74. *Secundũ quod notãdum eſt.*

SECTIO IV.

Alij caſus, in quibus licet abſque ieiunio Euchariſtiam accipere.

PRimus caſus eſt, quando id neceſſarium eſt ad perficiendum, vel conſummandum ſacrificium, vt quando loco vini aquam appoſuit in calice, & errorem aduertit poſt ſumptam illam aquam: debet enim apponere iterum vinum cum aqua, & conſecrare, ac ſumere, ne maneat ſacrificium imperfectum. Addunt aliqui, debere illum, quando guſtu aquam percipit, illam euomere, ne violet ieiunium neceſſarium. Hoc tamen merito ab aliis reiicitur; tum quia facilè eiiceretur cum illa aqua particula hoſtiæ, quæ in calice erat; tum etiam, quia id abſque magna indecentia fieri non poſſet: Eodem modo, ſi ſacerdos poſt conſecrationem recordetur, ſe non eſſe ieiunum, debet proſequi, vt conſummet Sacrificium. Denique, ſi poſt conſecrationem ſacerdos deficiat, debet ob eandem rationem alius ſacerdos ſubſtitui, qui etiam non ieiunus (ſi ieiunus haberi non poſſit) Miſſam abſoluat, & Sacrificium conſummet. 75. *Primus caſus eſt ad cõſummandum Sacrificium.*

76. *Secundus ſi ſuperſint reliquiæ poſt ablutionem.*

Secundus caſus eſt, quando poſt calicis ablutionẽ ſumptã inueniuntur reliquiæ: poſſunt autem à Sacerdote etiam poſt ablutionẽ ſumi, eo quod pertineant ad cóplementum eiuſdem ſacrificij. Diſtinguit autem ſolet Iniar particulas eiuſdem ſacrificij, & alias præcõſecratas in alia Miſſa, vt illæ poſſint, hæ non poſſint ſumi poſt ablutionem. Ratio autem Caiet. quam latè explicat & defendit Vaſquez *diſp.* 211. *c.* 5. ea eſt, quod ſcilicet ſumptio illarum reliquiarum pertinet ad eandem actionem, & ſumptionem: ſufficit autem, quod ieiunium præmittatur toti illi actioni, hoc eſt, quod ſacerdos ſit ieiunus, antequam incipiat illam actionem, licet non ſit ieiunus ante ſingulas illius partes. Sic enim videmus, quod ſi particula hoſtiæ adhæreat calici vel palato, poteſt; ſũpta ablutione, illam poſtea cum noua aqua traiicere. Hoc autem (inquit Vaſquez) non habet locum in reliquiis antè conſecratis, quia non pertinent ad idem Sacrificium, neque ad eandem actionem. Similiter non habet locum in laico, eo quod ad ipſum non pertineat conſumere reliquias ſacramenti; & ideo perceptio reliquiarum, & perceptio ſacramenti non poteſt pro vna eademque actione reputari. Affert etiam idem Vaſq. *n.* 49. exemplum ex feria ſexta Paraſceues, in qua particola hoſtiæ conſecratæ accipitur ſimul cũ vino non conſecrato: vnde neceſſe eſt, quod prius traiiciatur aliqua vini pars, atque ideo particula hoſtiæ accipiatur à non ieiuno. Quod etiam fatendum eſt, quando particula hoſtiæ calici adhærens ſumitur cũ vino ablutionis, cuius aliquæ partes neceſſario traiiciuntur in ſtomachũ ante ipsã particulam: vnde in vtroque caſu accipitur abſque ieiunio.

Caiet.

Vaſquez.

77. *In hac ratio ne multa ſupponuntur falſa.*

In hac ratione aliqua ſunt mihi difficilia. Primum falſum exiſtimo: quod ieiunium ſolum præexigatur ante initium totius actionis, non vero ante ſingulas illius partes: alioquin enim non eſſet contra præceptum illius ieiunij, ſi Sacerdos poſt ſumptã hoſtiam ante ſumptionem ſanguinis, vel etiam poſt ſumptum ſanguinem, antequam ſumat primam ablutionem, in qua ſunt adhuc multæ guttæ conſecratæ, tunc, inquam, comederet tres ficus, vel aliquid aliud: iam enim acceſſerat ieiunus ad initium communionis. Deinde laicus accipiens duas particulas conſecratas, non communicat bis, ſed ſemel, quia tota illa eſt vna actio, & tamen ſi poſt primam particulam biberet, non poſſet accipere ſecundam, eo quod iam non ſit ieiunus: ergo non ſufficit acceſſiſſe ieiunum ad initium illius actionis, ſed requiritur continuatio ieiunij ante ſingulas partes illius actionis.

78. *Secundo diſplicet diſcrimen illud allatum.*

Secundò diſplicet diſcrimen inter particulas tunc, vel antea conſecratas, quod ſumptio harum, & non illarum poſſit pertinere ad eandem actionem: & ideo hæ, non illæ poſſint accipi à ſacerdote non amplius ieiuno: hoc, inquam, difficile eſt: quando enim ſacerdos immediatè poſt ſumptum ſanguinem accipit particulas, quæ erant antea in pyxide, illa non eſt alia ſumptio, ſed eadem continuata: alioquin daret nouam gratiam ſacramentalem, ſicut dat ſumptio noua in ſecunda Miſſa: imo non poſſet licitè ſacerdos per ſecundam ſumptionem illas particulas accipere: hoc enim eſſet bis communicare eadem die: fatendum ergo eſt, pertinere ad eandem actionem ſumptionem illarum particularum, quæ erant præcõſecratæ. Vnde, ſi ſufficeret ieiunium præuium ante initium illius actionis, poſſet, ex hoc capite ſacerdos ſumere illas particulas etiã poſt ſumptã ablutionẽ.

79. *Tertio diſplicet quod ſupponit Vaſq.*

Tertio diſplicet, quod ſupponit Vaſquez cum aliis, non ſeruari ieiunium, quando particula conſecrata ſumitur ſimul cum vino non conſecrato, eo quod aliquæ partes vini deglutiantur ante ipſam particulam: Hoc, inquam, falſum exiſtimo, & contra Eccleſiæ praxim, quæ in eo caſu nullam agnoſcit ieiunij violationem; primo, quia olim in Eccleſia Romana, quando dabatur laicis communio ſub vtraque ſpecie, miſcebantur ſpecies vini conſecratæ cum alio vino non conſecrato, & dabatur omnibus de illo: vnde certum erat, ſingulos accipere aliquas partes non conſecratas ante aliquas conſecratas; quæ mixtæ erant cum illis partibus, quæ vltimo loco deglutiebantur: & tamen Eccleſia Romana non cenſebatur recedere à ſua conſuetudine non dandi communionem non ieiunis. Porro morem illum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ miſcendi ſpecies conſecratas cum vino non conſecrato ad communicandum populum, conſtat ex Ordine Romano *c.* 4. & fatetur ipſe Vaſquez ſupra *diſp.* 195. *c.* 6. *n.* 64.

Secundo ſcimus, olim fuiſſe etiam conſuetudinem addocendi paruulos ad Eccleſiam, qui ieiuni conſumerent reliquias conſecratas, quas tamen dabant illis vino infuſas, vt facilius eas deglutirent; vt conſtat ex Concilio Matiſconenſi 2. *cap.* 6. his verbis: *Quæcumque reliquiæ Sacrificiorum poſt peractam Miſſam in Sacrario ſuperſederint, quarta, vel ſexta feria innocentes ab illo, cuius intereſt, ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis ieiunio, eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant.* Non ergo æſtimabatur violari ieiunium debitum, ſi aliqua vini pars ante aliquas particolas deglutiretur. Tertio, quando Sacerdos purificat pyxidem, ſolet poſt ſumptum ſanguinem vino abluere pyxidem, illudque vinum cum reliquiis illis in calicem mittit pro ablutione prima facienda, nec per hoc cenſetur accipere reliquias illas abſque debito ieiunio. Denique, quando deferimus Euchariſtiã ad ægrotum, non pro viatico, ſed ẽx deuotione in cubiculo cõmunicantẽ, ſolemus abluere poſtea pyxidẽ, eidemq; ægroto aquã illã, vel vinũ pro ablutione dare abſq; vllo ſcrupulo violãdi debitũ ieiuniũ. Supponimus enim, quæ permodũ vnius cum ipſa Euchariſtia ſumuntur, non violare ieiunium; quia non ſumuntur ante, ſed cum ipſamet Euchariſtia.

80. *Antiqua conſuetudo de adducendis ad Eccleſiam pueris.*

Ego itaque fateor in primis, diſcrimen aliquod eſſe inter particulas, vel reliquias tunc conſecratas, & inter illas, quæ antea conſecratæ fuerunt, ita vt illas poſſit ſumere Sacerdos etiam poſt ablutionem, dum eſt in altari, non vero iſtas, niſi per accidẽs, eo quod decenter ſeruari non poſſint. Ratio autem differentiæ non eſt, quod ad communionẽ ieiunus accederet, ſed quia eo ipſo quod inchoauit ſacrificium, ſiue ieiunus, ſiue non ieiunus (hoc enim parum refert, & idem erit, licet inchoauerit ſciens, vel ignorãs, non ieiunus) contraxit obligationem, atque adeo à fortiori facultatem conſummandi idem ſacrificium; & licet debeat conſeruare ſe ieiunum ad conſummandum ſacrificium propter præceptum accedendi cum ieiunio, non tamen debet non conſummare Sacrificium, ſi ieiunium violetur; quia vnitas illius actionis ſacrificandi petit, & à fortiori dat ius, vt, qui cœpit, perficiat, & conſummet eam. Non ergo attenditur vnitas ſumptionis; hæc enim in Laïco non dat, vt poſt ablutionem accipiat ſecundam hoſtiam, licet hæc non ſit communio noua, ſed vna, & eadem cum præcedenti; ſed attenditur vnitas actionis ſacrificandi, quæ actio perfici, & conſummari poteſt ab eodem. Conſummatio autem non conſiſtit in indiuiſibili: nam licet ad perfectionem ſacrificij ſufficeret accipere vnam particulam hoſtiæ conſecratæ, & aliquid etiam ex ſpeciebus vini; Sacerdos tamen potens conſummare illud ſacrificium, eo ipſo habet debitum conſummandi accipiendo parum, vel multum, vel totum de materia conſecrata; vnde qui ex iuſta cauſa abſque confeſſione celebrat, poteſt non ſolum ſumere hoſtiam, ſed alias etiam particulas

81. *Fateor quidẽ eſſe aliquod diſcrimen.*

Eſt tamen alia ratio diſcriminis.

Conſummatio non conſiſtit in indiuiſibili.

à

à ſe conſecratas, nec tenetur eas reſeruare, donec confiteatur: imo licet recordaretur de nouo peccati poſt ſumptam dimidiam hoſtiam, non tenetur alteram dimidiam reſeruare, licet commodè poſſet. Nec ſi recordaretur poſt ſumptum ſanguinem ante ſumptas alias reliquias, vel fragméta, quæ manẽãt, debet eas (licet aliàs commodè poſſet) reſeruare, vt ab alio ſtatim ibi celebraturo ſumantur, ſed poteſt ipſe, contritione præmiſſa, ſi non ſit in ſtatu gratiæ, proſequi & conſummare omnia, & eodem modo poſſet ſumere aliquas particulas à ſe conſecratas, quæ ex aliorum communione ſuperſunt, quia totũ hoc venit ſub cõſummatione illius Sacrificij, ad quã habet ius, eo quod illud inceperit. Similiter, ſi recordaretur poſt conſecrationem, ſe non eſſe ieiunum, poterit ſumere totam hoſtiam & alias particulas à ſe conſecratas, licet eas commodè ſeruare poſſet; ergo licet poſt ſumptionem hoſtiæ videat ſe non eſſe ieiunum propter ablutionem acceptam, poterit accipere particulas à ſe conſecratas, quia ſemper retinet idẽ ius conſummandi omnino Sacrificiũ à ſe inceptum, non obſtante carentia ieiunij. Cur enim magis obſtabit violatio ieiunij conſequens, quam præcedens ad ſumendam illam particulam, cum vtrobique ſit eadem ratio conſummandi omnino Sacrificium.

82. *Inſtabis.* Dices, Ergo Sacerdos poterit etiam finita Miſſa, & reuerſus ad ſacriſtiam conſummare adhuc idem Sacrificium, & ſumere particulas, vel fragmenta, quæ remanent ex iis, quæ conſecrauit. *Reſpondeo.* Reſpondeo, ſi fragmenta illa non poſſint commodè ſeruari, nec dari alteri Sacerdoti celebraturo, qui eas ſumat, poſſe quidem ab eodem accipi propter reuerentiã Sacramenti, aliàs non poſſe, quia iam cenſetur finita prior actio: quare cenſeretur ſecunda communio contra præceptũ bis non communicandi eadem die. Cenſeretur etiam noua conſummatio præcedentis Sacrificij, ſeu oblatio ex præſanctificatis, ſicut quando Sacerdos offerens feria ſexta Paraſceues ex præconſecratis à ſe die præcedenti, adhuc cenſetur ponere, nõ ſecundam Miſſam, (quia illa non eſt Miſſa) ſed nouã conſummationem præcedẽtis Sacrificij, qualem non poteſt etiam eadem die ponere, ſed vnicam ſolum. Cæterum, dum eſt in altari, etiamſi per populi communionem diu interrupetit, poteſt poſtea ſumere particulas, quæ ſuperſunt ex illo Sacrificio, quia adhuc cẽſetur perſeuerare eadem actio, vt diximus.

83. *Infertur quid dicendum ſit de particulis non conſecratis.* Hinc infero, quod attinet ad particulas non conſecratas in illa Miſſa, eandem eſſe rationem de Sacerdote, & de laico communicante; vterque enim debet eſſe ieiunus, quando illas accipit; vterque tamen poteſt eas ſimul cum ablutione ſumere, licet ablutio quoad aliquam ſui partem prius traiiciatur in ſtomachum, quàm aliquæ particulæ; id enim non eſt contra ieiunij debitum. Ratio autem eſt, quia ieiunij præceptum ſolum eſt, vt nihil comederimus, aut biberimus ante ſumptionem Euchariſtiæ; quod totum obſeruatur, quando cum aqua, aut vino ſumitur ſimul Euchariſtia: tunc enim totum illud ex ablutione, & particulis ſumitur vnica ſumptione: & ante illam ſumptionem homo eſt ieiunus; ergo eſt verè ieiunus ante ſumptionem Euchariſtiæ: cum enim totũ illud ſumitur per modũ vnius, tota etiam erit vnica ſumptio, quam debet præcedere ieiuniũ, licet non præcedat ſingulas partes illius: ſicut quando dabantur ſpecies vini conſecrati mixtæ vino non conſecrato, adhuc ſumebatur à ieiunis; quia ante ſumptionem illius potus mixti præcedebat ieiuniũ: & ſicut in Paraſceue ſumitur à Sacerdote ieiuno particula hoſtiæ conſecratæ infuſa vino non conſecrato, quia ſũptio illius mixti præſupponit ieiuniũ.

84. Dices: quid ergo, ſi in officio illo Paraſceues particula adhæreret calici, & maneret ibi, ſumpto toto vino, poſſetne adhuc Sacerdos alio vino infuſo illam ſumere? *Inſtabis.* Videtur enim conſequenter ad ſupradicta non poſſe, quia in iis, quæ non ſunt tunc conſecrata, Sacerdos ſe habet ſicut laicus quoad debitum ieiunij ante ſumptionem ſingularum particularum, quæ ſeorſim ſumuntur: laicus autem non poſſet poſt ablutionem ſumere aliam particulam; quia iam non eſt ieiunus: ergo nec Sacerdos poſt ablutionem poterit ſumere illam particulam.

85. *Reſpondeo.* Reſpondeo tamen, quod poſſet, vel digiro eam admouendo ad labium calicis, vel certè meliùs infuſo denuo vino, eam ſumere: Primò, propter reuerentiam debitam; non poſſet enim illa particula iam madefacta decenter ibi conſeruari vſque ad diem ſequentem, qua ab aliu Sacerdote ſumeretur. Secundò, quia licet ipſe non conſummet Sacrificium præſens, ſed heſternum à ſe, vel ab alio inceptum; verè tamen incepit iam conſummare nunc illud Sacrificium, & ſuccedit loco Sacerdotis, qui illud obtulit. Sicut autem per conſecrationem acquirit ius conſummandi totum Sacrificium, ita incipiendo ſacerdotaliter conſummare (quæ eſt actio propriè Sacerdotalis, vt ſuppono) acquirit ius ad conſummandum totaliter, ſicut ſi ipſe tunc conſecraſſet, non obſtante defectu ieiunij. Quoties enim redit ad complendum, & conſummandum Sacrificium, reſſumit perſonam quam dimiſerat, atque ideo ſicut prius habebat ius ad conſummandum totum, ſic nunc reaſſumit idem ius, continuando eandem actionem, quam reliquerat non omnino completam.

86. *Nec refert quid celebrãs ſit alius Sacerdos.* Nec refert, quod ſit alius Sacerdos celebrans illã die Paraſceues ab eo, qui conſecrauerat die præcedenti: nam ſecundus Sacerdos ſuccedit loco prioris, & facit vnum miniſtrũ cum priori in ordine ad complendum illud Sacrificium. Sicut quando poſt conſecrationem moreretur, aut deficeret morbo ſuperueniente Sacerdos, ſubrogatur alius, qui compleat, & hic quidem poterit eodem modo, ſicut prius, ſumere omnes reliquias, & particulas tũc conſecratas, etiam poſt ablutionem; quia ſuccedit loco prioris, qui id poterat, & habet ius conſummandi totũ illud Sacrificium. *Notandum. Quomodo vna ſumptio ſit actio ſacerdotalis, ſecus alia.* Vnde obiter aduerte, diuerſo modo ſe habere Sacerdotem, quando in Miſſa ſumit particulas cõſecratas, quæ ante erant in pyxide vt illam purificet, ac quando ſumit in Paraſceue hoſtiam heri ab alio conſecratam. Nam illa prior ſumptio non eſt vllo modo actio Sacerdotalis, ſed ſumptio, qualis fieri poſſet à laico; nec per illam completur, aut conſummatur Sacrificiũ, tunc enim ſolũ offert, & ſacrificat, quod ipſemet conſecrauit. At vero poſterior eſt actio Sacerdotalis, per quam Sacerdos perficit holocauſtum, & vltimo conſummat victimam, ſacrificando ſaltem completiuè, vt infra videbimus agentes de Sacrificio, quam actionem non poſſet laicus exhibere: & ideo, deficiente Sacerdote poſt conſecrationem, debet quæri alius Sacerdos, qui ſumat Euchariſtiam; quia ſumptio illa non ſolũ debet eſſe Sacramentalis, ſed Sacerdotalis; hoc eſt, completiua immolationis: quando autem ſumit particulas, quæ ſunt in pyxide, ab alio conſecratas, non eo animo ſumit, vt compleat Sacrificiũ præcedens, nec poteſt licitè eo animo ſumere: quia iam offerret ſaltem inadæquatè duo Sacrificia; vnde neque etiam ſi ſumeret hodie in Miſſa particulas à ſe ipſo altera hebdomada conſecratas, poſſet eas ſumere animo conſummandi Sacrificium præcedens, quia iam offerret ſaltem completiuè aliud Sacrificiũ diſtinctũ ab illo hodierno. Vides ergo differentiam inter illas ſumptiones; vnde oritur, quod altera poſſit, altera non poſſit fieri poſt ſumptam ablutionem:

quia altera fit ex iure conſummandi Sacrificium, quod acquirit, qui loco conſecrantis ſuccedit, & incipit conſummare, altera vero non fit ad conſummandum Sacrificium, ſed eſt ſolum ſumptio ſacramentalis, & prærequirit ieiunium naturale, ſicut in laico ſumente vnam hoſtiam poſt aliam.

87. *Tertius caſus eſt ad vitandam irreuerentiam.* Tertius caſus, in quo poteſt abſque ieiunio accipi Euchariſtia, eſt, quoties oportet illam conſumere, ad vitandam irreuerentiam, vt ſi periculum ſit, quod deueniat in poteſtatem infidelium, vel hæreticorum, aut quod comburatur, vel comedatur à bruto; tunc autem & à Sacerdote, & à laico (inquit Vaſquez) etiam non ieiuno, ſi nullus Sacerdos fuerit, ſumi poteſt. Sed non video, quo ſpectet illa limitatio *ſi nullus Sacerdos fuerit*; in illo enim caſu, etiamſi Sacerdos fuerit ieiunus, poterit dari Euchariſtia conſummanda laico ieiuno, & rurſus ſi adſit Sacerdos non ieiunus, poterit dari laico non ieiuno; quamvis enim præſente Sacerdote, non debeat laicus ipſe ſibi ſumere, ſed de manu Sacerdotis, poteſt tamen Sacerdos tunc vel ſibi ſumere, vel laico dare, provt voluerit.

DISPVTATIO XVI.

De Præcepto ſumendi Euchariſtiam.

Sectio I. *An ſit præceptum diuinum ſumendi Euchariſtiam.*

Sectio II. *Quas perſonas, & quando obliget hoc diuinum præceptum.*

Sectio III. *Vtrum debeat, vel poſſit dari viaticum illi, qui eadem die, ex deuotione communicauit.*

Sectio IV. *De præcepto Eccleſiaſtico communionis Paſchalis, & annuæ.*

Dvplex poteſt conſiderari præceptum, alterum Diuinum, alterum humanum; de vtroque in hac diſputatione dicendum erit.

SECTIO I.

An ſit præceptum Diuinum ſumendæ Euchariſtiæ.

1. *Fundamentū ſententiæ negantis.* Non pauci negant, dari aliquod Diuinum præceptum ſuſcipiendi hoc Sacramentum; Alex. Bonauent. Gabriel *in Canon. lib.* 87. Ferrar. Syluest. quos refert Vaſq. *diſp.* 213. c. 1. quam etiam ſententiam tenuit S. Thom. *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt. vnic. art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *& diſt.* 12. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 1. Fundamentum potiſſimum eſt, quia eiuſmodi præceptum nec ſequitur neceſſariò ex inſtitutione Sacramenti, nec colligi poteſt ex alio capite: Non primum, quia effectus huius Sacramenti eſt augmentum gratiæ, qui non eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem: ergo ſicut alia Sacramenta, quæ augent gratiam, non ſunt neceſſaria ex Diuino præcepto, ſic potuit hoc non eſſe neceſſarium, ſed inſtitui ad maiorem abundantiam, & pro illis, qui ad maiorem ſanctitatem adſpirarent. Non etiam ſecundum, quia ex nullo loco ſcripturæ colligi poteſt talis neceſſitas præcepti: ergo abſque fundamento adſtruitur.

2. *Contraria affirmans cōmunis.* Contraria ſententia communis eſt, quam, mutato conſilio, amplexus eſt S. Thom *in præſenti art.* 11. Durand. Palud. Gabriel ſibi etiam contrarius *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 2. Roffenſis, Caiet. Ledeſma, vterque Sotus, & alij quos referunt & ſequuntur Vaſq. *vbi ſupra c.* 2. & Suarez *in præſenti, diſp.* 69. *ſect.* 1. & eam tenent Recentiores communiter. *Vaſquez. Suarez.*

3. *Auguſtinus adductus pro hac ſententia.* Pro hac ſententia poſſumus (ni fallor) adducere meritò Auguſtinum, *Epiſt.* 118. *ad Ianuarium*, *c.* 1. vbi probat ſuauitatem, & facilitatem legis Euangelicæ ex eo, quod Chriſtus pauciſſima, & facillima præcepta iniunxerit, ſublatis innumeris illis Moſaicæ Legis præceptis; inter præcepta autem pauca, & facilia à Chriſto impoſita numerare videtur præceptum hoc ſuſcipiendi Euchariſtiam. Sic enim ait: *Auguſt.* *Primo itaque tenere te volo, quod eſt huius diſputationis caput, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut ipſe in Euangelio loquitur, leui iugo ſuo nos ſubdidiſſe, & ſarcinæ leui. Vnde Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit, ſicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, Communicatio corporis, & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur, exceptis iis, quæ ſeruitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, & Prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moyſi leguntur*; in quibus verbis Auguſtin. non loquitur de mera inſtitutione Baptiſmi, & Euchariſtiæ, ſed de præceptis eorum Sacramentorum; affert enim ea ſolum ad oſtendendam facilitatem legis Euangelicæ, in qua Chriſtus pauciſſima, & facillima præcepta impoſuit. Hoc autem ipſum clarius declarat in verbis immediatè ſequentibus, ex quibus apparet, ipſum ſolum loqui de præceptis, quorum aliqua pauca, & facilia dixerat in Scriptura commendari; de aliis vero ſubdit: *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri: ſicuti quod Domini paſſio, reſurrectio, & aſcenſio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolemnitate celebrantur; & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia. Alia vero, quæ per loca terrarum, regioneſque variantur, ſicuti eſt, quod alij ieiunant Sabbato, alij vero non; alij quotidie communicant corpori, & ſanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur; alibi Sabbato tantum, & Dominico; alibi tantum Dominico, & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt; totum hoc genus rerum liberam habet obſeruationem; nec diſciplina vlla eſt in his melior graui prudentique Chriſtiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quamcunque fortè deuenerit.* Ecce Auguſtinus clarè diſtinguit inter communionem, & inter vſum communicandi diebus Dominicis, vel ſingulis diebus: illam dicit eſſe ex præcepto Diuino; hunc verò, vbi eſt illa obligatio, eſſe ex præcepto humano: ſupponit ergo, inter Chriſti præcepta vnum fuiſſe de communione corporis, & ſanguinis ſui.

4. *Duo loca Scripturæ ad hoc probandum. Io. 6.* Ex Scriptura duo loca afferri ſolent ad id probandum. Primus eſt ex *c.* 6. Ioannis in illis verbis: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba licet aliquando explicari ſoleant de manducatione ſpirituali: hoc tamen non excludit, quin poſſint etiam, & debeant principaliter intelligi de manducatione Sacramentali, vt cum communi Theologorum notauimus ſupra *diſp.* 3. *ſect.* 2. & deſumi videtur ex Concil. Trid *ſeſſ.* 13. *c.* 2. vbi verba ſequentia: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*: adducuntur, & intelliguntur de manducatione Sacramentali: in eodem ergo ſenſu debent intelligi verba præcedentia, atque ideo debent continere ad minus neceſſitatem præcepti.

5. *Luc. 22. 1 Cor. 11. Secundus locus.* Secundus locus eſt *Luc. 22. & 1. ad Cor. 11. Hoc facite in meam commemorationem*, in quibus continetur præceptum Chriſti non ſolum ad Apoſtolos præſentes, ſed ad nos omnes, faciendi id, quod ibi factum erat. Cum ergo ibi non ſolum facta fuerit conſecratio, & oblatio à Chriſto, ſed etiam ſumptio ab Apoſtolis non ſacrificantibus, conſequens eſt, vt etiam huiuſmodi etiam ſumptio præcepta fuerit à Chriſto mãdante fieri in Eccleſia id totum, quod tunc factum fuerat.

6. *Reſponderi poteſt ex Caietano.* Reſponderi primo poteſt ex Caietano in præſenti, *art. 12.* in illis verbis non contineri præceptum ſumendi Euchariſtiam, ſed ſumendi eam in memoriam paſſionis Chriſti, hoc eſt, commemorandi Chriſti paſſionem, ſi Euchariſtiam ſumimus; quem ſolum ſenſum videtur exprimere Eccleſia in Canone, dum illa verba paulo aliter profert: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

7. *Hæc reſponſio refellitur. Conc. Trid. Primo.* Hæc tamen reſponſio refellitur primo ex Trid. *ſeſſ. 13. c. 2.* vbi ex illis verbis dicitur, quod Chriſtus *illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annuntiare mortem donec ad iudicandum veniat.* Quod quidem ipſa Chriſti verba ſatis exprimunt: nam qui præcipit, vt fiat aliquod feſtum in memoriam, vel honorem alicuius ſancti non præcipit ſolum conditionatè, quod ſcilicet, ſi fiat, fiat in memoriam illius ſancti, ſed præcipit abſolutè, quod fiat.

Secundo. Secundo, quia ſi præceptum ſolum eſſet conditionatum, non eſſet præceptum etiam Sacerdotibus offerendi abſolutè hoc Sacrificium, ſed ſolum conditionem, ſi offerant, offerendi in memoriam Chriſti.

Tertio. Tertio, quia in hoc caſu non potuit aliter præcipi illa commemoratio paſſionis, niſi præcipiendo ipſam ſumptionem: nam qui ſumit, non debet habere actum reflexum, quo ordinet illam ſumptionem ad commemorandam Chriſti paſſionem: imo regulariter ruſtici omnes, & indocti hoc ignorant, ſed ſatisfaciunt ſumendo ipſum Sacramentum, cuius ſumptionem Chriſtus inſtituit, & ordinauit ad ſignificandam, & repræſentandam ſuam paſſionem; vel nullum ergo præceptum impoſuit, vel fuit præceptum ſumendi Sacramentum. Nec oportet, quod Eccleſia totius præcepti vim exprimeret in Canone, in quo ſolum voluit excitare fideles ad recordationem paſſionis Chriſti; & ad hoc ſufficit ille ſenſus conditionatus, quem etiam expreſſit Paulus, cum dixit; *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.*

8. *Secundo reſpondent alij.* Secundo reſpondent alij, præceptum illud impoſitum fuiſſe Apoſtolis, & Sacerdotibus faciendi, quod Chriſtus fecit, ſcilicet, offerendo, conſecrando, & ſumendo; quem ſenſum videtur etiam expreſſiſſe Eccleſia in Miſſa corporis Chriſti in illis verbis: *Quod in cœna Chriſtus geſſit, faciendum hoc expreſſit in ſui memoriam.* Habent ergo præceptum Chriſti Sacerdotes conſecrandi, vt alij accipiant, ſi velint; non tamen habent alij præceptum accipiendi: ſicut etiam Epiſcopus habet obligationem conſecrandi Chriſma, & Oleum pro Sacramentis Confirmationis, & Extremæ-Vnctionis, licet alij non habeant præceptum ſuſcipiendi ea Sacramenta.

9. *Hæc reſponſio reijcitur.* Hæc etiam reſponſio reijcitur, primo, quia ad illos omnes dirigitur illud præceptum, qui ſumptione ipſa commemorare poſſunt Chriſti paſſionem; hæc enim commemoratio non habetur, niſi ex illis Chriſti verbis: ergo illi ſoli poſſunt commemorare paſſionem, ad quos verba illa diriguntur. Poſſunt autem, & de facto commemorant non ſolum Sacerdotes, ſed etiam Laici ſumentes, vt teſtatur Paulus verbis ſupra adductis: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*; quæ vniuerſalia ſunt, & ad omnes fideles dirigebantur: ergo verba etiam illa: *Hoc facite in meam commemorationem*, non ad ſolos Sacerdotes, ſed ad omnes fideles diriguntur: non tamen eodẽ modo ad omnes, ſed iuxta munus ſingulorum, ſcilicet, vt illam actionẽ, prout ad ſingulos ſpectat, ſinguli facere debeant, Sacerdotes offerendo, conſecrando, ſumendo: Laici vero ſumendo, vtrique in memoriam Chriſti.

10. *Additur ratio deſumpta ex ipſa inſtitutione.* Addere denique poſſumus rationem deſumptã ex ipſa inſtitutione, qua hoc Sacramentum inſtitutũ eſt per modũ cibi, & potus: nam ſicut cibus neceſſarius eſt ad conſeruandam vitam materialem, quia medio cibo reparamus id, quod continua caloris actione deperdimus: ſic cibus Sacramẽtalis neceſſarius eſt ad reparandum id, quod continua fomitis operatione debilitatur. Sic enim Baptiſmus etiam, & Pœnitentia neceſſitatem afferunt, quia ille generationem, hæc curationem à lethali vulnere, vel morbo ſignificant; quæ vtraque neceſſaria eſt ad vitam, illa omnibus, hæc lapſis, & lethaliter vulneratis: non eſt autẽ minus neceſſarius cibus ad eandẽ vitam conſeruandã; ergo ipſa inſtitutio Sacramenti, quod eſſet cibus in vita ſpirituali, indicauit non eſſe Sacramentũ liberũ, ſed neceſſarium; ſicut nec cibus corporeus eſt ex iis, quorum vſum liberum nobis natura reliquit. Quam neceſſitatem Confirmatio, vel Extrema-Vnctio non oſtendunt, quia illa ſolum ſignificat vnctionẽ vtilem quidam ad melius luctandum, non tamen omnino neceſſariam ad luctam: hæc vero ſignificat quidem medicinam, non tamen neceſſariam per ſe ad ſanitatem, ſed vtilem ad eandem ſanitatem confirmandam, & tollendas reliquias morbi præteriti, quæ omnia arguunt neceſſitatem ſimpliciter, ſicut arguitur in cibo, ſine quo vita conſeruari non poteſt: quam analogiam ſignificaſſe videtur Chriſtus illis verbis: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

11. Quia vero hæc cibi neceſſitas ad vitam ſpiritualem conſeruandam non poterat oriri ex natura vitæ ſpiritualis, ſicut neceſſitas cibi corporei oritur ex natura vitæ corporeæ, oportuit, vt aliunde, & ab extrinſeco oriretur, ſcilicet ex præcepto Chriſti, ſine quo non eſſet neceſſarium hoc Sacramentum ad conſeruandam vitam ſpiritualem: nam gratia habitualis ſemel accepta conſeruatur, quandiu non expellitur per peccatum mortale, & affert ſecum ex lege Dei auxilia, quibus vitari poſſit per longum tempus omne peccatum mortale: quare ſi non fuiſſet præceptum huius Sacramenti ſumendi, non imitaretur cibum corporeum in neceſſitate ſuæ manducationis ad conſeruandam vitam. Vt ergo eſſet cibus neceſſarius ad vitam, debuit inſtitui cum obligatione, & præcepto: quo præcepto poſito, iam eſt ita neceſſarius ad vitæ cõſeruationem, vt ſine ipſo in re, vel in voto vita ſpiritualis conſeruari non poſſit. Quamvis ergo totum hoc non arguat in Euchariſtia neceſſitatem medij ad ſalutem, vel etiam ad perſeuerantiam, aut ad conſeruationem gratiæ, vt probauimus ſupra *diſp. 3. ſect. 5.* arguunt tamen neceſſitatem præcepti, quæ ſufficit ad hoc, vt cibus hic non ſit minus neceſſarius in vita ſpirituali, quam cibus corporeus ad vitam materialem.

12. *Reſtat difficultas ex verbis Chriſti.* Reſtat difficultas communis contra hanc ſententiam ex eiſdem Chriſti verbis, ex quibus Euchariſtiæ neceſſitatem probauimus; quæ quidem, ſi aliquid probant, videntur probare obligationem, & neceſſitatem ſumendi vtramque ſpeciem; de vtraque enim dicit: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ergo vel concedendum eſt præceptum vtriuſque ſpeciei, vel negandum eſt præceptum alterius.

13. *Explicatur.* Omiſſis variis interpretationibus, & reſpõſionibus, quæ videri poſſunt apud Doctores infra *art. 12.* dum

hic locus cuius videre poterit varias interpretationes apud Doctores.

probant, non eſſe obligationem ſumendi calicem pro Laicis, & ſacerdotibus non celebrantibus; verior ſenſus videtur, quem Suarez ibi cum aliis amplectitur, quod ſcilicet ſolum Chriſtus ſignificet obligationem comedendi, vel bibendi, ita vt illud, *niſi*, idem ſit ac *ſi non*, vt habetur in originali Græco ἐὰν μὴ, hoc eſt, ſine hoc cibo, & potu non habebitis vitam in vobis, perinde ac ſi diceret, qui caret hoc cibo, & potu, non habebit vitam. Ex hoc autem non arguitur obligatio ſumendi vtrumque, ſed ſolum obligatio non carendi vtroque, ſeu non manendi ſine illis; qui vero accipit hunc cibum, non dicitur eſſe ſine illis. Sic enim dixit ille; *Sine Cerere, & Baccho friget Venus*, hoc eſt, ſine vtroque; ſufficit enim Bacchus, vt non frigeat. Sic dixit Petr. Act. 3. *Argentum, & aurum non eſt mihi*, hoc eſt, neutrum habeo. Sic Iſaiæ 55. *Emite abſque argento, & abſque vlla commutatione*, hoc eſt, nec cum argento, nec cum commutatione; in eodem ergo ſenſu dicitur: Qui fuerit abſque hoc cibo, & potu, non viuet; hoc eſt, qui carebit vtroque, qui nec cibum hunc comedit, nec hunc potum bibit. Qui ſenſus, vt dixi, colligitur ex textu Græco, in quo dicitur: qui non manducat, & bibit, ſubintellecta iterum negatione more Scripturæ, hoc eſt, qui non manducat, & non bibit, ſeu qui habet negationem cibi, & potus. Colligitur item idem ſenſus ex verbis Chriſti, qui, vt ponderauit optimè Concil.

Conc. Trid. Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 1. ibi idem ſatis clarè oſtendit, non eſſe vtramque ſpeciem ad ſpiritualem vitam neceſſariam. Hæc ſunt Concilij verba: *Sed neque ex ſermone illo apud Ioan. 6. rectè colligitur vtriuſque ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe, vtcumque iuxta varias ſanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligantur: namque qui dixit:* Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, *dixit quoque:* Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. *Et qui dixit:* Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, *dixit etiam:* Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. *Et denique qui dixit*: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo; *dixit nihilominus:* Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. In quibus verbis Concilium ſimul probanit dogma, & diſſoluit argumentum ex illis verbis deſumptum, oſtendens eorum ſenſum licet alioquin multiplex eſſe potuiſſet, colligendum eſſe ex cõtextu, & ex eiſdem verbis, in quibus ipſe Chriſtus apertè explicuit, non eſſe neceſſariam vtriuſque ſpeciei communionem, ſed alterius, atque adeo illum ſolum excludi à vita ſpirituali, qui vtroque, ſcilicet, & cibo, & potu, careret. Cum ergo ex ipſius Chriſti verbis ſenſum habeamus à Trident. Concilio optimè deductum, non eſt quod ad alias metaphoricas, aut minus proprias interpretationes recurramus, de

Salmeron. quibus vltra alios videri poteſt Alphonſus Salmer, *tom.* 8. *in Euangel. tract.* 22. in illa verba Ioannis.

14. *Retorqueri poteſt ratio ſuprap. ſita* Vrgere autem poteſt aliquis retorquendo rationem illam ſupra à nobis propoſitam ex eo, quod hoc Sacramentum inſtitutum fuerit per modum cibi, & nutrimenti, quod eo ipſo videtur neceſſitatem ſignificare, ſicut nutrimentum neceſſarium eſt ad vitam materialem conſeruandam. Hæc enim ratio retorqueri poteſt ad probandam neceſſitatem vtriuſque ſpeciei: nam ſicut cibus neceſſarius eſt, ita & potus ad vitam conſeruandam; vel certè cibus etiam determinatè neceſſarius eſt: ergo ex præcepto Chriſti non ſufficeret calix ſolus abſque ſpecie panis: hoc autem non conceditur, ſed altera ſpecies ſufficere creditur, ſiue hoſtia, ſiue calix, ergo vel illa ratio nihil, vel nimium probat.

Reſpondeo tamen, illam rationem debito modo intellectam, vtilem eſſe: probat enim, ſicut ad materialem vitam, nutrimentum aliquod neceſſarium eſt; ſic eſſe neceſſarium ſaltem ex præcepto ad vitam ſpiritualem. Porrò ad vitam materialẽ nec cibus determinatè, nec potus determinatè neceſſarius eſt in rigore loquendo: ſunt enim cibi aliqui ita humidi, vt pro cibo, & potu ſupplere poſſint; ſicut è contra ſunt aliquæ potiones tales, vt ſine alio cibo poſſint per longum tempus vitam alere. Nam potus in præſenti non accipitur ita ſtrictè, vt accipi ſolet in lege ieiunij Eccleſiaſtici, cum dicimus, potum non ſoluere ieiunium: tunc enim potus ſignificat eum, qui fit ex aqua, vino, & ſimilibus; non tamen comprehendit potum lactis, vel iuſculi, & multo minus potum ſanguinis, qui omnes eſſent contra legem ieiunij, vt conſtat. At vero in præſenti certum eſt, potum accipi in latiori ſignificatione, cum ſermo ſit de potando ſanguine, & loquendo de eiuſmodi potu, non eſt dubium, quod ſint aliqui, qui abſque alio cibo poſſunt ſufficienter nutrire, prout de facto infantes lacte ſolo nutriuntur, & alij poſſent confici potus, qui & nutrire, & roburare poſſent abſque alio cibo. Vnde retorqueri poteſt argumentum; quia cum ſermo ſit de pretioſiſſimo cibo, & potu corporis, & ſanguinis Chriſti; non potuit ex inſtitutione ipſa argui neceſſitas vtriuſque ſpeciei, ſed alterius, ad vitam ſpiritualem, cum in nutrimento etiam materiali reperiatur cibus impediens neceſſitatem potus, & potus etiam impediens alterius cibi neceſſitatem: arguitur tamen neceſſitas alterutrius ſpeciei, quia vita abſque nutrimento diu conſiſtere non poteſt. 15. *Reſpondetur.*

SECTIO II.

Quas perſonas, & quando obliget hoc Diuinum præceptum.

DE paruulis, & amentibus, qui nunquam habuerunt rationis vſum, certum eſt, non obligari hoc præcepto, vt definitur in Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 4. *& can.* 4. De amentibus autem, qui ante amentiam voluntatem habuerunt explicitam, vel implicitam huius Sacramenti, quomodo, & quando poſſint illud accipere, diximus ſupra *diſp.* 11. *ſect.* 3. & ex ibi dictis conſtat, eſſe obligationem dandi Euchariſtiam eiuſmodi amentibus in articulo mortis, quando non eſt periculum irreuerentiæ, & probabiliter creditur, quod ſint in ſtatu gratiæ. Cum enim ipſi ante amentiam implicitè ſaltem illud Sacramentum petierint per profeſſionem Chriſtianæ religionis, eo ipſo acquiſierunt ius, vt Eccleſia debeat illud non negare; ſicut aliis, qui habent rationis vſum non poteſt negari, niſi aliqua ſpecialis ratio negandi intercedat. Vide etiã quæ ibi diximus *ſect.* 4. de Viatico dando paruulis, vel aliis, quando dubitatur de eorum capacitate. 16. *De pueris & amentibus nõ eſt dubium.* Conc. Trid.

Difficultas poteſt eſſe de non baptizatis, an obligentur præcepto Diuino Euchariſtiæ, ita vt peccent ſpecialiter contra illud. Ratio dubitãdi eſt, quia ante Baptiſmũ non magis ſunt capaces huius Sacramẽti, quam aliorũ, ergo ſicut non obligantur tunc præcepto Confeſſionis, ita neque Euchariſtiæ. Sicut enim non peccant contra præceptum ieiunij, vel obſeruationis feſtorum in eo ſtatu, licet debeant venire per Baptiſmum ad Eccleſiam, qua obligentur: ſic licet debeant baptizari, & tunc debeant communicare, non tamen peccant contra illud præceptũ, antequam baptizentur. Sic etiam qui vouit Religionem, peccat contra votũ, ſi non ingreditur eam: non tamen peccat contra præcepta Religionis, aut contra votum Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, quandiu non *Difficultas eſt an obligentur baptizandi. Ratio dubitandi.*

eſt

eſt in Religione; quia alia eſt obligatio ingrediendi Religionem, alia non ſeruandi ea, quæ Religioſus ſeruare debet, ad quæ per illud prius votum non obligatur immediatè.

17. *Communis & vera ſententia.*

Communis tamen ſententia docet contra Sotum, præceptum Euchariſtiæ diuinum omnes obligare, atque ideo peccare ſpecialiter contra illud eos, qui non procurant per Baptiſmum reddi aptos ad accipiendam Euchariſtiam. Sicut excommunicatus peccat etiam contra hoc præceptum; quia licèt dum eſt excommunicatus, non poteſt communicare, debet auferre, ſi poteſt illud impedimentum, vt poſſit ſeruare præceptum ſuſcipiendi Euchariſtiam. *Ratio ſumitur ex verbis Chriſti.* Ratio à priori ſumitur ex verbis Chriſti, qui indifferenter omnibus loquitur, cum dixit: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. imo tunc cum nondum baptizatis loquebatur. Videatur Suarez in præſenti *diſp.* 69. *ſect.* 2. Vaſquez 114 *c.* 4. & alij communiter, qui bene aſſignant differentiam inter Confeſſionem, & Euchariſtiam; quia Confeſſio non poteſt fieri de peccatis commiſſis ante Baptiſmum; ergo tunc non eſt obligatio confitendi, niſi ſit obligatio peccandi poſt Baptiſmum, quod dici non poteſt; at vero præceptum Euchariſtiæ eſt abſolutum, ac proinde obligat ad ponenda media neceſſaria, quorum potiſſimũ eſt Baptiſmus. Exemplum etiam præcepti ieiunij, vel obſeruationis feſtorum non eſt ad rem; quia illud eſt Eccleſiaſticum, nec poteſt ligare, niſi Eccleſiæ ſubditos: præceptum vero Euchariſtiæ eſt Chriſti, qui ligare poteſt eos etiam, qui extra Eccleſiam inueniuntur. Denique ad illud de habente votum Religionis reſpondetur facilè, illud nondum ligari votis caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quia nondum ſunt emiſſa; neque etiam ligari præceptis Religionis, quia non eſt ſubditus Prælati præcipientis, ſolumque ligari voto iam emiſſo ingrediendi: in noſtro autem caſu extat iam præceptum Euchariſtiæ à legiſlatore Chriſto potente obligare etiam non baptizatos.

Suarez. Vaſquez.

18. *Contra hanc doctrinam poteſt eſſe difficultas.*

Contra hanc communem doctrinam poteſt eſſe difficultas; quia præceptum diuinum Euchariſtiæ ſecundum ſe non videtur obligare pro tempore aliquo determinato, ſaltem extra mortis articulum, ſed debet ab Eccleſia determinari tẽpus illius præcepti implendi, quâ determinatione ab Eccleſia facta, obligat iam determinatè præceptum Diuinum: ſed determinatio Eccleſiæ non poteſt obligare eos, qui non ſunt Eccleſiæ ſubditi; eſt enim actus iuriſdictionis ſuper illos; ergo antequam baptizentur, ſolum habent præceptum communicandi indeterminatum; quod quidem, quandiu indeterminatum eſt, ad nihil determinatè obligat; ergo non peccant determinatè contra illud præceptum, cum nunquam ſit verum, quod tunc habeant obligationem communicandi.

19. *Propter hoc extra mortis periculũ non eſt improbabilis opinio Soti.* Soto. *Reſp. videri tamen adhuc poteſt.*

Propter hoc poſſet, ſaltem extra mortis articulũ, exiſtimari non improbabilis ſententia Soti *diſt.* 15. *q.* 1 *artic.* 3. negantis, Catechumenos obligari eo præcepto. Adhuc tamen reſponderi poteſt, eos peccare etiam contra illud præceptum; quia licet Eccleſia ſuis præceptis non poſſit eos ligare; Chriſtus tamen præcipiens communionem cum determinatione ab Eccleſia ponenda, eo ipſo præcipit accipere ab Eccleſia eam determinationem, vel præcipiendo ſubiici Eccleſiæ, ad hoc vt poſſit quis ab ea accipere determinationem præcepti Diuini, vel fortaſſe ita vt determinatio Eccleſiæ; licet Catechumenos non poſſit obligare per modum præcepti Eccleſiaſtici, prout obligat baptizatos; poſſit tamen obligare eos, vt conditio ad obligationem præcepti Diuini; ad hoc enim non requiritur iuriſdictio Eccleſiæ in illos. Sicut ſi Confeſſarius imponat Pœnitenti ieiunium iis diebus, quos Medicus deſignauerit, non dat Medico iuriſdictionem, nec Medicus præcipit, quando determinat dies: ſic ergo Eccleſia determinando tempus communionis, licet id faciat præcipiendo etiam in ordine ad ſuos ſubditos, poteſt tamen illa determinatio obligare non baptizatos, non vt lex Eccleſiæ, ſed vt conditio, quam exigit præceptum ad determinatè obligandum. Et hic modus explicandi poſterior magis mihi placet: nam ſi iuxta priorem dicamus, præceptum Chriſti ſolum obligare, vt homo ſubiiciat ſe Eccleſiæ, vt ab ea poſſit accipere determinationem temporis, pro quo debeat communicare; reſtat eadem difficultas, quando obligetur homo ad ſubiiciendum ſe Eccleſiæ ex vi præcepti Chriſti de Euchariſtia: nam ſicut præceptum communicandi, quia non determinauit tempus, exigit determinationem Eccleſiæ; ſic præceptum intrandi in Eccleſiam ad eum finem, quia non determinauit tempus, exiget aliam determinationem Eccleſiæ, & præceptum exigendi hanc, etiam exiget aliam, & ſic de aliis; atque adeo nunquam poterit explicari, quando peccet aliquis contra illud Chriſti præceptum. Melius ergo explicatur, ſi dicamus, determinationem factam ab Eccleſia obligare etiam non baptizatos, non per modum præcepti, ſed vt conditionem: qua poſita, obligat illos Chriſti præceptum determinatè, atque ideo peccant contra Chriſti præceptum, ex quo deberent reddi habiles ad ſumendam Euchariſtiam tali tempore per Eccleſiam determinato.

20. *Quæritur de Catechumenis.*

Quæritur rurſus, ſi Catechumenus bona, vel mala fide debito tempore accipiat Euchariſtiam, an per illam communionem ſatisfaciat præcepto Diuino, ſicut dici ſolet, fidelem communicantem in ſtatu peccati etiam ſcienter, per illam communionem ſatisfacere præcepto. P. Suar *in præſenti, diſp.* 69. *ſect.* 2. paulo poſt principium obſcurè loquitur; ſolum enim dicit, *valde materialiter illud præceptum implere, nihilque illi ſeruire ad vitandam culpam: grauius enim ſic ſumendo delinquit, quam ſi omnino non ſumeret.* P. Vaſquez *dicto c.* 4. *num.* 31. clarius dicit, communionem illam hominis non baptizati, ſiue in gratia, ſiue in peccato fiat, non deſeruire ad ſatisfaciendum præcepto Diuino, quia non eſt magis communio Sacramentalis, quam ſi à bellua comederetur: cum hoc Sacramentum non ſit inſtitutum, niſi pro baptizatis, atque adeo reſpectu aliorum non eſt Sacramentum, nec ſignum ſenſibile gratiæ: de quo diximus *ſupra, diſp.* 13. *ſect.* 1. Cum ergo præceptum ſit de ſumptione Sacramentali, hoc eſt, de ſumptione, quæ inſtituta ſit ad ſignificandam gratiam, conſequens eſt, vt non ſatisfiat per ſumptionem hominis non baptizati, quæ ſumptio non eſt magis inſtituta, quam ſumptio, quæ fit à bellua. Quando vero baptizatus in ſtatu peccati ſumit Euchariſtiam, illa eſt verè ſumptio Sacramentalis, licet propter indiſpoſitionem ſubiecti non conferatur gratia.

Suarez. Vaſq.

21. *Confirmatur hæc doctrina primo.*

Hinc doctrinam, quam veram exiſtimo, poſſumus confirmare primo, quia Extrema-Vnctio inſtituta etiam eſt ad tollendas reliquias peccatorum, & ad roborandum infirmum, contra tentationes, &c. & tamen ſi aliquis in ſtatu peccati accipit illud Sacramentum, non poterit poſtea in eadem infirmitate iterum vngi in ſtatu gratiæ, quia illa prior vnctio fuit Sacramentalis, licet propter obicem non haberet effectum; quare etiamſi concedatur, quod ſit præceptum graue obligans ad illud Sacramentum recipiendum; iam eſt plenè ſatisfactum illi Sacramento per ſuſceptionem indignam: è contra

verò, ſi homo non erat verè infirmus, etiamſi eſſet in gratia, non fuiſſet vnctio ſacramentalis, quia ſubiectum non erat capax Sacramenti Vnctionis, quod non ſignificat, niſi in ordine ad ſubiectum grauiter ægrotans. Sic ergo ſumptio Euchariſtiæ, licet ſit Sacramentalis peccatori baptizato, non tamen erit talis homini non baptizato; atque ideo non ſufficiet ad implendum præceptum Diuinum.

12. *Confirmatur ſecundo.* Confirmatur ſecundo, quia ipſum Sacramentum Euchariſtiæ ſi ſumatur abſque intentione, vel ab ignorante, illam eſſe hoſtiam conſecratam; non ſatisfit præcepto per illam ſumptionem, ſed debet iterum ſumi, quia illa prior ſumptio non fuit Sacramentalis, nec instituta à Chriſto, ſed ſola ſumptio humana; ergo nec ſumptio hominis non baptizati ſatisfaciet præcepto, cùm non magis fuerit inſtituta à Chriſto illa ſumptio, quam illa alia non voluntaria. Quando vero ſumptio eſt voluntaria, licet ſit in peccato, ſatisfacit præcepto; quia licet non ſit vtilis ad finem intentum, ſcilicet ad augmentum gratiæ, hoc non obſtat: finis enim præcepti non percipitur, ſed ſola ſubſtantia rei. Quare ſicut præceptum orandi, vel ieiunandi, & ſimilia implentur per actiones malas, peccaminoſas, & inutiles, hic, & nunc ad finem præcepti: ſic præceptum communionis impleri poterit per communionem, quæ propter obicem non ſolum non augeat gratiam, ſed adiiciat nouum impedimentum gratiæ propter nouum peccatum ſacrificij: iam enim ponitur tota ſubſtantia præcepta, ſcilicet communio, & ſumptio Sacramentalis corporis Chriſti, quod tamen non poneretur, quando homo non eſſet baptizatus.

13. *Inſtantia.* Diceret aliquis, præceptum Diuinum Confeſſionis non impleretur ſufficienter per Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, ſi per illud poſtea, ablato obice, non daretur effectus remiſſionis peccatorum, ſed deberet pœnitens iterum eadem peccata confiteri ad obtinendam eorum remiſſionem in foro Sacramentali; inde enim probari ſolet, quod illud Sacramentum habeat effectum, ablato obice; quia alioquin deberet poſtea repeti confeſſio eorundem peccatorum: ergo ſatisfit præcepto Sacramenti recipiendi, quando inutiliter recipimus; cum Euchariſtia in mortali ſuſcepta non conferat ſuum effectum, poſtea ablato obice, vt diximus *diſp. 9. de Sacramentis in communi, ſect. 6.* conſequens eſt, vt per eiuſmodi communionem non ſatisfiat ſufficienter præcepto Communionis.

14. *Reſponſio.* Reſpondetur negando antecedens, quod in rigore loquendo falſum eſt: nam tunc etiam ſatisfieret per illam Confeſſionem præcepto Diuino: nec probari debet effectus ipſius, ablato obice, ex eo, quod alioquin haberet homo obligationem iterum confitendi, ſed potius ex eo, quod non haberet homo obligationem iterum confitendi; atque adeo illa peccata non remitterentur in foro Sacramentali, ſed per meram contritionem: quod quia abſurdum eſt, conſequens eſt, quod, ablato obice, illa peccata remitti debeant ex vi Sacramenti præteriti. Sic etiam per Baptiſmum validum, & informe ſatisfieret præcepto Baptiſmi; nec deberet, aut poſſet iterum ſuſcipi, licet non daret ſuum effectum, ablato obice; quia tamen abſurdum eſt, quod homo iuſtificaretur ab originali aliunde, quam per Baptiſmum in re, vel in voto; hinc fit, quod debeamus concedere effectum baptiſmo præcedenti, poſtquam auferrtur obex. Ratio autem eſt, quia Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt ſacramenta neceſſaria, non ſolum neceſſitate præcepti, ſed medij; quare eorum effectus haberi non poteſt niſi per ipſa in re, vel in voto: Euchariſtia autem ſolum eſt neceſſaria neceſſitate præcepti. Cæterum in omnibus iis verum eſt, quod præcepto præciſè Sacramenti ſuſcipiendi ſatisfiat per ſuſceptionem Sacramenti validi, etiamſi nec tunc, nec poſtea conferat ſuum effectum.

Quando obliget hoc præceptum Diuinum.

25. *Quæritur de tempore.* Circa tempus, quo obligat hoc præceptum Diuinum, diſtinguendum eſt de obligatione per ſe, vel per accidens: nam per accidens obligari poteſt homo ex natura rei ad communionem, quando iudicat illud medium neceſſarium ad reſiſtendum alicui tentationi graui, vel ad non peccandum moraliter: de quo non eſt ſpecialis difficultas, cum ſit eadem ratio de hac, & de aliis materiis. *Sententia aliquorum.* Loquendo itaque de obligatione per ſe, & formali; inter eos, qui præceptum Diuinum admittunt, aliqui dicunt, obligare ſolum ſemel in vita; Caiet. Ledeſma, Victoria, Paludanus, quos affert Suar. *diſp. 69. ſect. 3.* Vnde inferunt, ſi aliquis iam ſemel in vita communicauit; non obligari præcepto Diuino in articulo mortis. Fundamentum præcipuum eſt, quia præceptum affirmatiuum per vnum actum ſufficiẽter obſeruatur.

26. Alij dicunt pro tempore mortis non eſſe ſpecialem obligationem ex hoc præcepto Diuino. Ita Bonauentura, Syluester, Armilla apud eundem Suarez ibidem 6. *Dico primo* Aliqui vero dicunt, dari obligationem ex conſuetudine, vel præcepto Eccleſiæ: alij denique dicunt, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, non eſſe obligationem ſub mortali.

27. *Communis & vera ſententia.* Communis ſententia, præſertim hoc tempore, & verior, duo dicit: primum, dari ex Diuino præcepto obligationem accipiendi pluries in vita hoc Sacramentum: ſecundum, dari ſpecialem obligationem accipiendi in articulo mortis. *Suarez. Vaſquez.* Vtramque partem docent plures, quos ſequuntur Suarez *vbi ſupra*, Vaſquez *diſp. 214. c. 2. & 3.* & alij Recentiores. *Probatur potiſſimè.* Prima pars, (omiſſis rationibus minus efficacibus) probari videtur potiſſimè ex ipſa inſtitutione huius Sacramenti, quod inſtitutum eſt per modum cibi ad nutriendam ſpiritualiter animam; ex qua inſtitutione intulimus ſupra neceſſitatem ex præcepto; quia cibus neceſſarius eſt ad conſeruandam vitam: ex eodem autem capite probari videtur obligatio pluries ſumendi Euchariſtiam: quia neceſſitas cibi non eſt comedendi ſemel, ſed comeſtionis repetitæ, eo quod neceſſarius ſit ad reparandum, & reſarciendum id, quod continua actione caloris naturalis deperdimus. Si ergo Euchariſtia neceſſaria eſt ex præcepto, vt cibus, erit neceſſaria eius repetita ſumptio: quia inſtituta eſt ad reparandum id, quod continua fomitis impugnatione deperditur, & debilitatur. Sicut ergò ex ipſa inſtitutione potuit colligi obligatio ſimpliciter: potuit etiam colligi talis obligatio ad communionem non vnicam, ſed repetitam. *Accedit vſus Eccleſiæ.* Accedit vſus Eccleſiæ, quæ ſemper procurauit, vt hoc Sacramentum à fidelibus ſæpè ſumeretur, eos cogendo, ſi quando negligentiores eſſent: quod tamen in aliis Sacramentis, quorum vſum Chriſtus non præcepit, Eccleſia nunquam fecit, nec obligauit ad Sacramentum accipiendum, quod Chriſtus libertati ſingulorum reliquit: agnouit ergo Eccleſia in hoc Sacramento obligationem illud ſæpius accipiendi.

28. *Hinc oritur dubium alterum.* Hinc oritur dubium, quoties debeat accipi ex præcepto Chriſti, præciſo omni alio Eccleſiaſtico præcepto. Aliqui dicunt, tertio ſaltem, vel quarto anno: ita Suarez, & alij. Melius alij, Chriſtum non determinaſſe tempus, ſed reliquiſſe determinandum ab Eccleſia, quando fidelium negligentia id exigeret. Poſſumus autem hoc ipſum (ne

fortaſſe

fortaſſe gratis videatur dici) ex ipſa Sacramenti inſtitutione colligere. Cum enim ita fuerit inſtitutum, vt fideles in eius vſu debeant omnino à propriis Paſtoribus dependere, *quibus ſic congruit, vt ſumant, & dent cæteris*; fruſtra videretur præceptum dirigi ad ſubditos, cum ipſi non poſſint ſibi Euchariſtiam accipere: ſed debuit ad Paſtores dirigi, vt ipſi cogerent ſubditos ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, quando neceſſarium iudicaretur. Neceſſitas quippe huius cibi ad reparandas vires ſpirituales duplex poteſt eſſe, vt ſupra diximus. Altera per accidens, & extraordinaria, ac peculiaris aliquorum; & hanc quidem ſinguli debent apud ſe examinare, & proponere Paſtori, vt ab eo accipiant cibum neceſſarium: altera vero eſt communis, & ordinaria, cuius quidem examen, & iudicium non tam debuit ſubditis, quam Paſtoribus committi: parum enim referret ſubditi iudicium, ſi Paſtores aliter ſentirent; è contra vero ſi Paſtores iudicant talem vſum, & frequentiam expedire, licet ſubditi diſſentiant, poſſunt eos cogere, & ita Euchariſtiæ frequentia debita obtinebitur. Debuit ergo præceptum hoc magis directè ad Paſtores dirigi, qui actiuè ſe habent inuitando, vocando, cogendo, quando oportet, ad hoc Sacramentum; quàm ad ſubditos, qui habent ſe quaſi paſſiuè accipiendo illud, quod à Paſtoribus datur. Accedente autem Eccleſiæ præcepto, & determinatione, iam fideles tenentur ex Diuino præcepto, quod licet eis non determinaret tempus, obligabat ad talem frequentiam qualem Paſtores determinarent.

29. *Hanc frequentiam non ſemper eodem modo Eccleſia determinauit.* Vaſquez. S. Thom.
Hanc autem frequentiam non ſemper eodem modo Eccleſia determinauit, ſed variam iuxta diuerſam temporis, & deuotionis exigentiam. Multi dicunt, in primitiua Eccleſia præceptum fuiſſe quotidie communicandi; quod manifeſtum eſſe affirmat Vaſquez *in præſenti c. 3. n. 21.* & videtur concedi à S. Thoma *hac q. 80. art. 10. ad 5*. Sed re vera licet vſus fuerit quotidie communicandi, præceptum tamen obligans omnes ſub mortali ad quotidianam communionem nec ſufficienter probatur, nec facile credi poteſt. Vix enim Sacerdoti poſſet tale præceptum imponi quotidie celebrandi; quomodo omnibus fidelibus in vniuerſum præciperetur nulla prorſus die à communione abſtinere.

30. *Loca & decreta adducta non id probant.* Anaclet.
Nec loca, aut decreta, quæ adducuntur, id probant. Primũ, & præcipuum eſt Anacleti Papæ, quod refertur *in cap. Epiſcopus 59. de conſecrat. diſt. 1.* vbi ſic dicitur: *Peracta autem conſecratione, omnes communicent qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus*. Sed ibi non eſt ſermo de omnibus, ſed de ſolis miniſtris, qui Epiſcopo ſolemniter celebranti aſſiſtunt, vt conſtat clarè ex ipſo textu: in quo etiam ſenſu intelligi debent verba, quæ ſunt *in cap. Peracta 10. de conſecrat. diſt. 2. Peracta*, inquit, *conſecratione, omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim & Apoſtoli inſtituerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.* Qui textus olim in Decreto tribuebatur Calixto Papæ, ſed falsò; quia eſt Anacleti, & idem cum illo ſupra citato, cuius verba hic iterum repetita ſunt, vt notatur in emendationibus Decreti; quare ibi in Summario notatur, ſermonem eſſe de miniſtro altaris: debuiſſet addi, de miniſtro altaris, qui miniſtrat Epiſcopo ſolemniter celebranti; de his enim loquitur Anacletus.

31. *Ab aliis affertur Conc. Antioch.* Concil. Antiochenum. Remissionem
Affertur ab aliis Concil. Antiochenum *Can. 2.* vbi ſic dicitur: *Omnes, qui ingrediuntur Eccleſiam Dei, & Scripturas ſacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo; ſed pro quadam intemperantia ſe à perceptione ſanctæ communionis auertunt, hi de Eccleſia remoueantur*, &c. Verum cum Concilium hoc celebratũ fuerit ſub Iulio Papa, qui ſedit centum annis poſt Fabianum, à quo obligatio tota ad tres communiones in anno reducta fuerat, non poterat ſupponere obligationem quotidie communicandi. Loquitur autem de iis, qui propter deprauatam opinionem, aut inſolentiam tenebant communionem cum aliis accipere. Nam verbum illud, *pro quadam intemperantia*, aliæ verſiones clarius explicant hoc modo: *Euchariſtiæ participationem propter aliquam inſolentiam auerſantur.* Alia vero verſio ſic habet: *Auerſantur etiam ſanctam aſſumptionem Dominici ſacramenti ſecundum aliquam propriam diſciplinam*: & ideo merito ab Eccleſia expelli iubentur.

Tertio affertur communiter Can. 10. Apoſtolorum, vbi ſic dicitur: *Omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & Scripturas audiunt, non autem perſeuerant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commouentes, conuenit communione priuari.* Cæterum ex illo Canone in primis non habetur obligatio vniuerſalis communionis quotidianæ, ſed ad ſummum, tunc quando volebant Miſſæ aſſiſtere, & Scripturas audire; ad quod certè non omnes quotidie tenebantur. Deinde verba illius Canonis paulò aliter leguntur apud Gratianum *in cap. Omnes fideles, 62. de conſecrat. diſt. 2.* vbi ſic dicitur: *Omnes fideles, qui conueniunt in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiam*, &c. Vnde Gloſſa ibi verbo *percipiunt*, explicat de *tempore deputato*, cum ſermo ſit de Feſtis ſolemnioribus. Tertio apud Martinum Bracharenſ. *in Decretis collectis, num. 83.* aliter legitur: *Si quis intrat in Eccleſiam Dei, & ſacras Scripturas audit, & pro luxuria ſua auertit ſe à communione Sacramenti*, &c. Denique aduerte, ibi pœnam non tam imponi, quia non communicarent, quam propter inquietudinem, vel (vt habet alia lectio) propter confuſionem, quam afferunt, hoc eſt, propter ſcandalum, quod ſua ſingularitate dabant, dum aliis omnibus communicantibus, ipſi recedebant à communione; quod quidem debuerant præcauere non accedendo, quando communicare non volebant. Meritò ergo Suarez *dicta ſect. 3. & diſp. 70. ſect. 2. in principio*, dicit, probabiliſſimum eſſe, quod nunquam fideles obligati fuerunt ad quotidie communicandum. Hoc certum eſt, refrigeſcente fidelium deuotione, præceptum fuiſſe à Fabiano Papa ter in anno, ſcilicet in Paſchate, Natali Domini, & Pentecoſte, vt conſtat *ex cap. Etiamſi non frequentius, de conſecrat. diſtinct. 2.* quod confirmatum fuit in Conc. Agathenſi *Can. 18.* & in Concil. Turonenſi ſub Carolo Magno, *c. 50.* Denique Innocentius III. in Concil. Lateranenſi præcipit communionem annuam in Paſchate, vt habetur *in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* quod hodie ex obligatione ſeruatur.

32. Can. Apoſt. *Affertur etiam Can. decimus Apoſt.*
Ex illo tamen non habetur obligatio vniuerſalis.
Gratian.
Martinus Bracharenſ.
Suarez.
Conc. Agath. Conc. Tur. Innoc. III.

Secunda concluſionis pars, quod ſcilicet præceptum Diuinum obliget peculiariter in mortis articulo, probatur ab aliquibus; quia Eccleſia nunquam negat Viaticum etiam excommunicatis; ergo ideo quia non poteſt diſpenſare in præcepto Diuino obligante ad illud ſuſcipiendum. Sed hoc argumentum non eſt efficax, quia Eccleſia poteſt, & aliquando priuauit aliquos Viatico in pœnam delictorum, licet raro id fieri debeat, vt fatetur Suarez *ſect. 3. in fine*; & Vaſquez *diſp. 114. n. 19.* Adde, etiam de iure Diuino eſſe obligationem pluries communicandi in vita; & tamen Eccleſia priuat aliquos Euchariſtia per totam vitam.

33. *Secunda concluſionis pars ab aliquibus probatur.*
Hoc argumentum reiicitur.

34. Conc. Nicæn.
Melius probatur ex Conc. Niceno, *Can. 13.* relato

In

Melius probatur ex Niceno.

in cap. *De his, 26. quæſt.6.* in quo ſtatuitur, vt cum eis, qui vita creduntur diſceſſuri, antiqua lex ſeruetur, nempe vt vltimo, & neceſſario Viatico non priuentur. Loquitur autem etiam de publicè pœnitentibus, vt conſtat ex verbis ſequentibus, vbi ratio redditur, quia Viaticum eſt neceſſarium; non videtur autem ſermo eſſe de neceſſitate ex præcepto Eccleſiaſtico; quia lex ipſa Eccleſiaſtica non bene redderet pro ratione neceſſitatem prouenientem ex eadem, vel ſimili lege Eccleſiaſtica: ergo debet intelligi de neceſſitate aliunde prouenìente ex lege Diuina.

35. *Secundo à priori.*

Secundo, & à priori reddi poteſt ratio ex ſupradictis; quia ex inſtitutione huius Sacramenti vt nutrimenti, colligitur, vt vidimus, obligatio ſumendi illud, quando neceſſarium putabitur; nunquam autem poteſt magis eſſe neceſſitas huius cibi, quam in illo articulo, ex quo pendet vltima æternitas, & imminet vltima lucta cum hoſte ad decernendum de tota re: ergo ex eadem inſtitutione Sacramenti colligi potuit obligatio in Eccleſia ad cogendos determinatè ſubditos in ordine ad illum articulum, & in ſubditis ad accipiendum ab Eccleſia, Sacramentum in illo articulo, Neceſſitas enim, vt dixi, eſt duplex; alia eſt peculiaris, & per accidens reſpectu huius hominis taliter tentati, &c. & hæc debet ab ipſo, qui eam patitur, proponi: alia vero eſt communis, & hæc aliquando eſt indeterminata, vt circa frequentiam, & debet ab Eccleſia determinari prudenter ſecundum diuerſas circumſtantias temporis, & vtilitatis communis: aliquando eſt omnino determinata, qualis eſt in mortis articulo, & in hac debet Eccleſia ſemper determinatè, & vniformiter obligare ſubditos, prout de facto ſemper determinauit, & obligauit ſubditos ad tunc communicandum, niſi ipſa Eccleſia in pœnam iuſtis de cauſis eos priuauerit; ſicut iudex ſecularis poteſt in pœnam priuare reum cibo corporali.

36. *Quæritur quomodo tempus debeat computari.*

Quæritur primò, quomodo debeat computari tempus huius obligationis, an ſcilicet ille, qui paulo antequam incideret in mortis periculum, communicauit, debeat rurſus communicare in ipſo periculo. Aliqui affirmant, quos tacito nomine refert, & ſequitur Vaſq. *d. diſp.* 214. *c.*2. cuius præcipuum fundamentum eſt, quia non poteſt ſatisfieri præcepto per actum, qui fit, antequam præceptum incipiat obligare; vt ſi quis hodie audiat Miſſam, vel recitet Officium, non ſatisfaciet per hunc actum præcepto audiendi Miſſam, vel recitandi Officium die craſtina. Ratio autem videtur eſſe, quia quando aduenit poſtea præceptum, incipit obligatio ponendi rem præceptam: ergo debet poni poſt obligationem, vt fiat quod præcipitur.

Vaſquez.

37. *Communior ſententia.* Suarez. Henriq.

Communior ſententia dicit, non obligari hominem ad nouam communionem, quando paulo ante mortis periculum communicauerat. Ita Suarez *in præſenti ſect.* 1. *§ Tertium dubium.* Henriq. *lib.* 8. *de Euchariſt. c.* 4. *lit. P*, qui exemplum adhibet in eo, qui paulo ante per octo dies communicaſſet: eandem regulam amplectitur Coninch *in præſenti art.* 11. *dub* 3 *n.*98. Layman. *lib.* 5 *tract.* 4. *c.* 5 *n* 4. Diana 1. *tom. tract.* 4. *de Sacram. reſol.*40. & alij Recentiores communiter.

Coninch. Layman. Diana.

38. *Probatur à P. Suarez.*

P. Suarez probat ex eo, quod vnuſquiſque in ſuis actionibus cenſetur habere intentionem virtualem, & implicitam implendi omnem obligationem, quam poteſt, & debet, licet fortaſſe eam ignoret; hanc ergo virtualem voluntatem cenſetur homo habere in prædicto caſu. Hanc tamen rationem bene impugnat, & retorquet P. Vaſq. nam ſi per communionem ante mortis periculum ſuſceptam, impletur præceptum, etiamſi abſque vlla intentione, imo etiamſi cum voluntate contraria fieret, impleretur præceptum; ſicut ſi quis audiat Miſſam die feſto abſque intentione implendi præceptum, imo cum intentione non implendi, adhuc implet præceptum, quia ponit totam rem præceptam: non poteſt ergo excuſari homo ab alia communione ratione illius intentionis virtualis.

Hanc rationem bene retorquet Vaſquez.

39. *Hæc communis ſententia verior eſt.*

Ego hanc communem ſententiam veriorem exiſtimo, non quidem propter intentionem virtualem, quam homo habuit, ſed quia fundamentum illud P. Vaſquez in vniuerſum acceptum, difficile ſemper mihi viſum eſt; quod ſcilicet per actum ante præcepti obligationem factum, nunquam poſſit præcepto ſatisfieri. Scio, aliquos dicere, eum qui Subdiaconatum accipit, ſi mane ante Ordinem acceptum recitet Officium totum illius diei, non ſatisfacere præcepto. ſed debere poſt Ordinem acceptum repetere horas ſaltem illi tempori correſpondentes; quod docet etiam Bonacina *tract. de horis Canonicis, diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 5. *n.* 11. Hoc tamen ipſum difficile mihi ſemper viſum eſt; quis enim credat, Religioſum Nouitium, qui more ſolito mane recitat totum Officium diei, qua profeſſionem debet emittere, non ſatisfacere, ſed debere poſt Profeſſionem repetere officium; quia antea non habebat obligationem ex præcepto, ſed ex regula Nouitiorum? Rurſus, ſi aliquis Sacerdos mane faciat Sacrum, & poſtea pergat ad locum alium, in quo eſt præceptum audiendi Miſſam, propter feſtum illius loci, quis dicat, teneri eum audire denuo aliam Miſſam, quia nondum obligatus fuerat præcepto in loco, in quo Sacrum fecit? Hoc certè eſt contra praxim: ſolent enim iter agentes præuenire, & anticipare auditionem Miſſæ, quando ituri ſunt ad locum vbi feſtum obſeruatur. Denique, ſi ratio illa quidquam probet, probaret etiam, ſi quis habens penſionem, & obligationem recitandi Officium ſolum paruum B. Virginis, vellet loco illius recitare Officium maius, & eadem die poſt recitatum mane totum officium, acciperet Beneficium Eccleſiaſticum, debere repetere partem officij; quia quando illud recitauit, nondum habebat obligationem recitandi officium maius. Imo etiamſi iam prius haberet Beneficium, & debitum recitandi officium maius; eadem die acciperet aliud ſecundum Beneficium obligans ad officium, deberet repetere officium, quod mane anticipatè dixerat; quia hoc ſecundum Beneficium re vera affert nouam obligationem recitandi, cui non potuit ſatisfieri per actum, antequam inciperet obligatio. Vnde conſequenter loquendo, idem quod dicunt de accipiente Subdiaconatum, deberent dicere de accipiente Diaconatum, vel Sacerdotium; quia hi etiam ordines afferunt nouam obligationem, & debitum recitandi officium, licet intra eandem ſpeciem; & ideo non explicandum in confeſsione: cui nouo debito non potuiſſet ſatisfieri per anticipatam recitationem. Quæ tamen omnia eſſe parum credibilia, & contra communem fidelium ſenſum, quis non videt?

Bonac.

40. *Sunt aliqua præcepta quibus ſatisfieri poteſt per opus factum ante obligationem.*

Fatendum ergo eſt, aliqua eſſe præcepta, quibus ſatisfieri poſſit per opus factum ante obligationem: nam licet obligationi recitandi cras non poſſit ſatisfieri per recitationem hodiernam, id quidem eſt, quia non ponitur res præcepta: quod enim præcipitur, eſt recitare cras, ſeu quod intra ſingulos dies recitetur, nec tranſeat dies ſine recitatione: quod quidem non ponitur, ſi cras non recitetur. Quando vero recitauit quis manè totum officium, iam ponitur res præcepta, quod ſcilicet

intra

intra illam diem recitetur: præceptum enim non eſt de recitatione poſt meridiem; ſed de recitatione intra illam diem, ergo poſita recitatione intra illam diem, non violator præceptum. Vnde quotieſcumque eiuſmodi leges, aut præcepta fiunt tranſacta iam aliqua parte temporis, intra quod præcipitur opus, includunt conditionem aliquam implicitam, *ſi non ſit iam factum illud opus*, v. g. ſi præcipiatur hodie audire Miſſam, & obſeruare feſtum; intelligitur, ſi non eſt iam hodie audita: ſi præcipiatur Confeſſio ſingulis annis, ſubintelligitur, facienda hoc anno præſenti, ſi non ſit iam hoc anno facta. Sic debuit intelligi præceptum annuæ Confeſſionis in Concilio Lateranenſi editum, quod quidem Concilium celebratum fuit menſe Nouembri *anno* 1215. Quare qui illo anno ſemel, aut ſæpius confeſſus fuiſſet, non eſt credibile, quod obligaretur ad ite-
Ratio eſt. rum confitendum ante finem anni. Ratio autem eſt, quia huiuſmodi leges, & præcepta ſolum intendunt, quod ſingulis annis aut diebus, tale opus ponatur à parte rei, ſeu quod non tranſeat illud tempus abſque tali operatione intra illud poſita: hoc autem habetur, quando opus poſitum eſt intra illud tempus: ergo ita ſatisfactum eſt præcepto, vt ad nihil amplius obliget. Sic ergo in noſtro caſu dici poteſt, quod præceptum accipiendi Euchariſtiam in mortis articulo ſolum obliget ad accipiendam illam paulo ante mortem, ſeu quod non moriatur homo abſque Euchariſtia proximè accepta: hoc autem totum habetur, licet aliquis morbum, aut periculum nondum incurrerit: nam & vere Sacramentum acceptum eſt paulo ante mortem; nec moritur homo abſque Euchariſtia proximè ſuſcepta: ergo licet nondum incepiſſet obligatio, potuit præcepto ſatisfieri.

40. Probatur ſecundo hoc ipſum, quia ſi aliquis ex
Probatur ſecundo. reuelatione ſciret, ſe cras repente moriturum, vel occidendũ abſque opportunitate accipiendi Sacramenta, obligaretur iam hodie ad illa accipienda: quid enim refert mortem obeundam ſcire à iudice, vel à Deo? Cum ergo obligetur ad Euchariſtiam accipiendam, qui præmonetur à iudice de morte craſtina, non eſt cur non obligetur, quando præmoneretur à Deo. Incipit ergo re ipſa obligatio, antequam vulnus vel morbus adueniat, licet propter nullam ignorantiam excuſemur: atque ideo communio tunc facta re ipſa fuit intra tempus, quo iam præceptum obligabat, licet ignoraretur: præceptum enim eſt de communione paulo ante mortem præmittenda.

41. Sed contra hoc arguit Vaſquez primo, quia ſi
Obiicit Vaſquez. ante articulum mortis poteſt ſatisfieri huic præcepto, non apparet, cur non ſufficeret communio
Reſpondetur. longius à periculo diſtans. Reſpondetur, rationem eſſe, quia communio debet eſſe tempore mortis: tempus autem mortis ſicut non eſt ipſa ſola dies, ſic nec totus annus præcedens, ſed debet moraliter computari iuxta humanam apprehenſionem, & conſuetudinem, qua ea omnia, quæ proximè facta ſunt dicuntur facta mortis tempore: ſic enim Cœna, & inſtitutio huius Sacramenti dicitur facta à Chriſto mortis tempore, & in fine vitæ, licet vulnera, aut comprehenſio nondum veniſſent.

42. Obiicit ſecundo, quia ſi ſatisfacit præcepto per
Obiicit ſecundo. communionem heſternam ante initium morbi; ergo hodie non poteſt accipere viaticum non ieiunus; quia ſolum propter præceptum Diuinum viatici ſumendi poteſt accipi abſque ieiunio. Conſequens autem eſt falſum; quia in eo caſu omnes etiam abſque ieiunio accipiunt viaticum; ergo non fuit ſatisfactum per priorem communionem.

Hoc argumentum retorqueri poteſt facilè; quia *Retorquetur facile hoc argumentum.*
ſi non poteſt accipi viaticum abſque ieiunio ab eo, qui iam ſatisfecit præcepto; ergo ægrotus, qui in eadem ægritudine ſæpius communicauit ex deuotione, non poteſt iam morti proximus accipere viaticum abſque ieiunio: nam multo ante, & ferè ab initio incipit morbus eſſe periculoſus, & per re quælibet communio accepta poſtquam cœpit periculum, ſatisfacit præcepto, etiamſi fiat abſque intentione viatici: & tamen praxis omnium Religioſorum hæc eſt, vt, durante infirmitate, ſæpius communicent: poſtea vero, inſtante iam morte datur illis viaticum etiam non ieiunis: quam praxim non potuit P. Vaſquez ignorare, cum omnes infirmi in noſtra Societate debeant ex Regula ſingulis hebdomadis communicare: vnde ſæpe accipiunt viaticum die ſequenti poſt vltimam communionem, quam quidem acceperunt in eodem morbo iam periculoſo, licet non ita proximi morti. Vel debemus ergo damnare praxim piorum: vel fateri, quod poteſt accipere viaticum non ieiunus ille, qui in rigore non obligatur ad communionem, eo quod ſatisfecerit iam Diuino præcepto communicandi in fine vitæ. Neque enim diſpenſatur in ieiunio ſolum propter obligationem Diuini præcepti, ſed etiam propter maiorem neceſſitatem, & propter maiorem conſolationem moribundi, cui Eccleſia pia mater indulget, vt ad hunc finem, & ex intentione muniendi ſe, & præparandi ad viam, poſſit ſemel communicare etiam non ieiunus.

Vltimo arguit Vaſquez: quia ſi obligatio huius 43.
præcepti incipit ante ægritudinem, ergo ſi aliquis *Vltimo arg. Vaſq.*
ſciret ex reuelatione, quod ſequenti die debet incurrere morbum periculoſum, obligatur ad accipiendum hodie viaticum, nec poteſt amplius differre: quod tamen videtur apertè falſum. Hoc *Hoc argumentum etiam retorquetur.*
etiam argumentum retorqueri poteſt: quia certum eſt, poſt initium periculi ſatisfieri poſſe per communionem præcepto Diuino: & tamen non obligatur homo ad communicandum ſtatim ipſa die, qua primo agnoſcitur periculum morbi, ſed poteſt differre, & aliquando differt per duos, vel tres dies: nam periculum non conſiſtit in duratione indiuiſibili, ſed poteſt eſſe morbus periculoſus per decem, vel viginti dies: ita tamen vt moraliter poſſit, & prudenter differri communio ad diem ſequentem, & vlterius, quia non eſt periculum morale mortis hodiernæ: poteſt ergo hodie ſatisfacere iam præcepto, licet non ſit obligatio communicandi hodie: quia nimirum ad ſatisfaciendum præcepto, ſufficit communicare in fine vitæ, vt poſſit armari recenti cibo contra vltimam luctam aduerſarij. Cum ergo per communionem factam heri ante morbum, armatus etiam ſit homo recenti cibo ad luctam hodiernam præſentia mortis, non apparet, cur non ſit ſufficienter ſatisfactum obligationi illius præcepti.

Quæritur ſecundo, an, qui accepit communionem 44.
in ſtatu peccati, ſatisfecerit huic præcepto viatici, *Quæritur ſecundo de eo qui accepit in peccato mortali.*
an vero debeat iterum in ſtatu gratiæ communicare. Ad hoc conſtat ex *dictis ſupra num.* 21. vbi diximus, præceptum hoc non obligare ad finem præcepti, ſed ad opus: quare licet præcipiatur communio ad roborandum hominem per gratiam Sacramenti in illo articulo, qui finis non obtinetur per communionem indignè ſuſceptam: tes tamen præcepta iam ponitur: ſicut quando aliquis audit Miſſam ad finem turpem, adhuc ſatisfacit præcepto, licet

licet illa auditio Miſſæ non conſerat ad finem ab Eccleſia intentum.

45. *Inſtabis.* Dices, hinc ſequi, quod communio illa conferat ſuum effectum, poſtea ablato obice, contra id, quod diximus ſupra *in tract. de Sacramentis in communi, diſp. 6. ſect. 6.* Sequela probatur, quia ideo de Extrema-Vnctione & aliis diximus, dare ſuum effectum, ablato obice, quia non debent repeti: ergo ſi communio non debet repeti, nec dari iterum viaticum, manebit ægrotus abſque effectu illius Sacramenti magis ſibi neceſſario, quam effectu Extremæ-Vnctionis.

Reſpondetur. Reſpondetur, ex ibi dictis conſtare differentiam: nam Extrema-Vnctio, & alia Sacramenta non ſunt ex ſua inſtitutione reiterabilia: at vero Euchariſtia ex ſua inſtitutione eſt reiterabilis, non ſolum die ſequenti, ſed eadem die, & hora: nam licet Eccleſia id prohibuerit eadem die, & licet prohibuerit communionem abſque ieiunio iterum ſumi die ſequenti, hæc tamen non ſunt ex inſtitutione ipſius Sacramenti; atque ideo ex ſua inſtitutione non debuit habere collationem ſui effectus ablato obice, ſicut alia Sacramenta.

46. *Tunc non obligat hoc præceptum ad ſumendam iterum Euchariſtiam.* Hinc conſtat primo à fortiori, non obligare hoc præceptum ad ſumendam iterum Euchariſtiam ſi ſumpto ſemel viatico, poſtea ægrotus mortaliter peccauit; contra Sotum *diſt. 12. q. 1. art. 11.* Cuius ſententiæ aduerſatur praxis Eccleſiæ: nullus enim Parochus daret hodie iterum viaticum infirmo non ieiuno, cui heri dederat illud non ieiuno, licet diceret, ſe hac nocte peccaſſe mortaliter; ſed ſolum datur illi abſolutio Sacramentalis. Porro ſi eſſet obligatio accipiendi iterum viaticum, deberet dari etiam non ieiunis: Eccleſia enim vniuerſaliter diſpenſauit in ieiunio, quoties accipitur viaticum, & non poteſt commodè ſeruari ieiunium.

47. *Non ita ſit ad hoc obligatur qui moriturus ex ægritudine naturali.* Conſtat ſecundo, obligationem hanc ſumendi Euchariſtiam locum habere non ſolum in morte ex naturali ægritudine, ſed in iis, qui ob ſua delicta iuridicè interficiendi ſunt: imo in iis, qui periculum mortis aliunde habent, vt ſi periculoſum prælium ſit committendum, aut periculoſa nauigatio ſubeunda: vt bene notat Vaſq. *4. tom. de Pœnitentia, q. 90. art. 3. dub. 2. n. 15.* & Ioan. Præpoſitus *hac q. 80. art. 11. n. 54.* & colligitur ex communi doctrina, qua Doctores dicunt, obligare hoc præceptum, quoties probabile mortis periculum occurrit. (*Vaſquez. Præpoſit.*)

48. *Tranſacto mortis periculo non manet amplius obligatio.* Conſtat tertio, tranſacto mortis periculo, in quo aliquis culpabiliter, vel inculpabiliter hoc præceptum non obſeruauit, non eſſe obligationem præcedentem; quia obligatio ſolum erat pro articulo illo neceſſitatis; qua ceſſante, ceſſat præceptum. An vero pueris, aut amentibus debeat tunc dari, diximus ſupra *diſp. 13. ſect. 2. & ſeqq.* de licentia item accipiendi viaticum abſque ieiunio, & an poſſit pluries id fieri in eadem infirmitate; diximus *diſp. 15. ſect. 3.* Reſtat vnum dubium; an poſſit, vel debeat dari viaticum illi, qui eadem die celebrauit, vel communicauit ex deuotione; de quo *ſect. ſequenti.*

SECTIO III.

Vtrum debeat, vel poſſit dari viaticum illi, qui eadem die ex deuotione communicauerat.

49. *Hic caſus frequenter contingit.* Caſus hic poteſt frequenter contingere; & varij fuerunt in praxi Theologorum ſenſus: poteſt autem dupliciter id euenire. Primò, ſi Sacerdos, v. g. celebrauit mane, vel laicus communicauit, cum bene valeret, & poſtea, vel morbo ſubito correptus, vel vulnere, aut alio caſu percuſſus in periculo mortis ſit eadem die. Secundo, ſi, cum iam ægrotaret, mane non animo ſumendi viaticum, ſed ex deuotione communicauit, poſtea verò eadem die, morbo ingraueſcente, & morte inſtante, velit viaticum accipere.

Aliqui ergo ſentiunt, in vtroque caſu poſſe iterum dari Euchariſtiam: alij addunt, poſſe & debere. Alij in primo ſolum caſu id concedunt: alij in eodem primo caſu dicunt poſſe, ſed non eſſe obligationem id faciendi. Afferuntur pro hac ſententia nonnulli Auctores; ſed reuera eam non docent: imo eam videntur negare, quatenus ſemper addunt limitationem illam, qua ſignificant ſe loqui de eo, qui *præcedenti die*, non de eo, qui eadem die communicauerat. Sic loquitur P. Vaſquez, quem pro hac ſententia afferunt: ipſe tamen nunquam hoc conceſſit, ſed *n. 14.* dixit: *Si quis conſtitutus in ægritudine ſentiret mortis periculum, iuſtè poſſet Sacramentum non ieiunus accipere, etiamſi præcedenti die bene valens illud accepiſſet.* Non dixit, *etiamſi eadem die*, ſed *præcedenti.* Affertur etiam pro illa ſententia Lud. Lopez *1. parte inſtructorij, de Euchariſtia, cap. 76. de vſu Sacramenti, § ſecundo ſequitur corollario.* Sed hic Auctor ibi ſolum agit contra ſententiam Paludani, qui dicebat, per communionem factam aliquibus diebus ante ægritudinem excuſari infirmum ab obligatione communicandi in articulo mortis. Affertur item Alfonſus de Vega *part. 1. cap. 100. caſu 14.* vbi dicit, quando quis nutu aliquo oſtendit deuotionem internam, & ideo datur ei communio, ſi poſtea ſui compos Euchariſtiam petat, debere iterum ei dari. Cæterum hic Auctor non poteſt intelligi de communione danda iterum eadem die: quia in eo ſenſu loqueretur etiam contra prædictam ſententiam, pro qua citatur. Nemo enim dicit, poſſe Euchariſtiam dari bis pro Viatico eadem die: & tamen in illo caſu iam prima etiam vice data fuerat communio pro Viatico homini ſenſibus deſtituto: ergo non vult ille Auctor quod intra eandem diem detur iterum Viaticum ægroto iam petenti dari ſibi Euchariſtiam, ſed quod detur die ſequenti. Affertur denique Petrus Ochagauia *de Sacrament. tract. 2. de Euchariſt. q. 14.* Sed ibi ſolum tranſcribit verba P. Vaſquez, & docet idem de obligatione ſumendi Euchariſtiam poſtquam incepit periculum: nihil vero dicit de iterum ſumenda eadem die, qua fuerat ſemel ſumpta.

50. Aliqui ſentiunt in vtroque caſu poſſe iterum dari. — Vaſq. — Lopez. Multi Auctores afferuntur pro ea ſententia qui eam non docent. — Vega. — Ochagauia.

51. Itaque huc vſque ego nullum Auctorem inueni, qui eam ſententiam typis mandauerit: ſolum inuenio, ter vel quater fuiſſe in diuerſis locis ad praxim deductam in totidem caſibus. Sed re vera, quod ſemel, aut iterum in repentinis caſibus fit, non æquiualet auctoritati eorum, qui accuratè de re cogitantes ſcribunt; facilè enim fieri poteſt, vt in ſubita illa turbatione non occurrant rationes omnes, & ideo eligatur id, quod tutius & vtilius exiſtimatur animæ ægroti.

52. *Contrariam ſententiam docent Doctores omnes.* Contrariam ergo ſententiam docent vel in communi, vel etiam in particulari Doctores omnes, qui, dum dicunt, etiam illum, qui paulo ante communicauit, poſſe poſtea, adueniente periculo, iterum communicare: addunt exceptionem: *niſi eadem die communicaſſet.* Sic loquitur Suar. *diſp. 69. ſect. 1. §. Rogabis*; & addit, *contrarium non ſolum eſſe contra omnes Doctores, ſed etiam contra Eccleſiæ conſuetudinem.* P. Coninch. *q. 80. art. 11. dub. 3. num. 100.* dicens, illud à nemine concedi; P. Fagund. *lib. 2. de 3. Præcepto, c. 3 in fine,* vbi negat, id licere; P. Iacob. Granado *in præſenti tract. 10. diſp. 5. num. 9.* dicens, id (*Suarez. — P. Coninch. — Fagund. — Granado.*)

Zambrano. id nullo modo licere; Citatur etiã Melchior Zambrano (quem videre non licuit) *in tract. deciſ. caſuum occurrentium in articulo mortis circa Sacram. c. 5. dubio. 5.* Hoc ipſum docuiſſe videtur Layman *tom. 2. tract. 4. de Sacramento Euchar. c. 5. n. 5.* dum contra quandam ſententiam, quam impugnat, infert vt magnum abſurdum, quod aliquando ægrotus communicaret bis intra eandem diem, quod concedi non poteſt.

Layman

Præpoſit. Eodem modo afferri poteſt P. Ioan. Præpoſitus *hac q. 80. art. 11. n. 54.* vbi ſequitur ſententiam P. Vaſq. ſupra adductam, quod ægrotus, qui ante ægritudinem communicauit, nondum ſatisfecerit huic præcepto: vnde concludit pro praxi, ſi vno, vel altero die ante morbum communicaſſet, obligari ad accipiendum poſtea Viaticum. Eodem modo loquuntur alij omnes, nemine concedente pro eadem die: à qua communi auctoritate non videtur facilè recedendum.

53. *Quid dicendum ſit in vno caſu.*

Et quidem, ſi ſermo ſit de illo, qui iam in ægritudine poſitus communicauit ex deuotione illa die, non video, quo modo poſſit dari iterum communio eadem die: impoſſibile enim eſt, quod morbus ille, qui hodie ducit ad mortem hoc mane non eſſet periculoſus, quantumvis eius periculum non agnoſceretur: ergo iam accepit hoc Sacramentum in periculo conſtitutus, ad quod ſolum obligat præceptum Diuinum. Poſſet quidem aliquando euenire, vt propter errorem, aut exceſſum aliquem morbus, qui nondum erat periculoſus, fiat repente periculoſus; quia v.g. medicinam noxiam æger accepit, vel ſanguinem intempeſtiuè è vena extraxit: regulariter tamen morbi lethales non fiunt repente periculoſi, ſed die præcedenti, & multo ante periculoſè ægrotabat infirmus, atque ideo in mortis periculo communicauit.

54. *Quid in alio.*

Si vero ſermo ſit de illo, qui mane bene valebat, & vulnere percuſſus, vel ſubito morbo correptus veſpere moritur, apparentius dici poſſet, quod poſſet iterum communicare; quia re vera nondum accepit Euchariſtiam in mortis articulo conſtitutus. Ad quod videtur conducere doctrina illa P. Vaſq. relata, quod per communionem ante vulnus, vel morbum factum nondum ſatisfactum ſit Diuino præcepto. Si enim nondum eſt ſatisfactum, debet ſatisfieri, antequam moriatur, & per conſequens eadem die. Quare pro hac ſententia adducunt aliqui P. Vaſq. ſed immerito; tum quia ipſe, vt vidimus, nunquam conſequentiam conceſſit, ſed ex induſtria appoſuit limitationem illam, *etiamſi præcedenti die communicaſſet*; tum etiam, quia conſequentia non eſt legitima: adhuc enim, conceſſa tota illa doctrina, negari poteſt: quia præceptum Viatici accipiendi non obligat ad accipiendum illud, quando accipi non poteſt: tunc autem non poteſt accipi eadem die, propter Eccleſiæ prohibitionem, quia prohibetur, ne quis pluries eadem die communicet. Quare ſicut non obligat ad ſumendum illud, quando deſunt veſtes ſacræ requiſitæ ex præcepto Eccleſiæ ad conſecrandum, quia obſtat Eccleſiæ prohibitio: ſic nec poterit accipi, quando obſtat eiuſdem Eccleſiæ prohibitio communicandi pluries intra eandem diem.

55. *Doctores dicunt eadem die nūquam licere communicare bis extra Miſſam, niſi ſit neceſſarium ad conſummationem Sacramenti.*

Vnde etiam in eo ſecundo caſu hæc pars videtur in hoc rerum ſtatu vera, dum legitima conſuetudo contraria contrarium non introduxerit: quia omnes Doctores, qui huius dubij meminerunt, id ſupponunt tanquam certum & indubitatum, cæteri autem vniuerſaliter ſaltem id docent, dũ dicunt, nunquam licere bis communicare eadem die extra Miſſam, niſi quando propter reuerentiam Sacramenti neceſſe eſt, quod ab aliquo conſumatur: quæ exceptio vnica ab omnibus aſſignata firmat regulam vniuerſalem in contrariũ. Quod enim aliqui reſpondent, omiſſum fuiſſe à Theologis hunc caſum, quia rariſſimus eſt, non poteſt ſatisfacere: multo enim rarior eſt caſus ille irreuerentiæ, propter quam neceſſe ſit à laico ſecũda communione ſumi Euchariſtiam, quem caſum nemo noſtrum fortaſſe vidit euenire, cum tamen neceſſitatem ſumendi Euchariſtiam iterũ propter mortis periculum ſæpius intra paucos annos in noſtris domibus euenire ſciamus; & credibile eſt, quod frequenter contingat in tanta Sacerdotũ multitudine, qui quotidie celebrant, & eadem die, vel vulnere, vel colliſione, vel ſubito morbo correpti in mortis periculum incidunt, quibus, cum non detur eadem die Viaticum, meritò dixit Suarez, id contra Eccleſiæ conſuetudinem, & praxim eſſe.

56. *Probatur hoc vlterius, quia ſi eadem die, ergo eadem hora, &c.*

Vnde ſecundo argui poteſt, quia ſi intra eandem diem deberet, aut poſſet iterum dari communio, deberet, aut poſſet dari intra eandem horam, aut ſemihoram, ſi aliquis ſtatim poſt communionem vulnere, vel morbo oppreſſus inciperet mori: ratio enim eadem eſt, ſcilicet obligatio: vel facultas accipiendi communionem cum intentione accipiendi Viaticum. Conſequens autem nec in praxi vnquam viſum eſt; nec fieri poſſet abſque ſcandalo: ſi aliquis ægrotos ex deuotione communicaret, & ſtatim reuocaretur Parochus, dum ad Eccleſiam rediret, vt iterum eidem ægroto iam morienti communionem daret, quia vel prius periculosè non ægrotabat, vel non acceperat communionem cum intentione accipiendi Viaticum: ergo ſignum eſt, quod iuxta ſenſum fidelium in eo caſu nec ſit obligatio id faciendi, nec poſſit licitè fieri.

57. *Ratio ex dictis ſect. præcedenti facilè colligitur.*

Ratio autem à priori ex dictis ſectione præcedenti facile colligitur, quia ſcilicet per communionem factam paulo ante mortem, etiam ſine periculi, aut mortis cogitatione, ſatisfactum eſt reipſa præcepto communicandi in fine vitæ, ſicut de facto ſatisfacit, qui bene valens, ſciens, ſe cras occidendũ, hodie communicat, & ſatisfaceret, ſi id ſolum ex reuelatione ſciret; cum ergo periculũ non augeatur ex eo, quod homo ſciat, inſtare mortem (nam periculũ re ipſa iam eſt, licet ignoretur) fatendum eſt, illum etiam, cui inſtabat mors eadem die, re ipſa communicaſſe in mortis periculo, licet id ignoraret, atque adeo ſatisfeciſſe præcepto Diuino. Meritò ergo Eccleſia non diſpenſauit in prohibitione communicandi bis eadem die, cũ nulla eſſet neceſſitas ſecundæ communionis. Vnde obiter ſoluitur præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ, quod deſumitur ex obligatione præcepti Diuini de Viatico ſumendo, quæ debet præferri præcepto humano prohibenti bis communicare eadem die. Reſpondetur enim facile, in illo caſu ſatisfactum eſſe iam Diuino præcepto per primam communionem, vt diximus. Adde etiamſi non fuiſſet ſatisfactum, non obligaret Diuinum præceptum ad ſumendum iterum eadem die, ſtante prohibitione contraria Eccleſiæ, ſicut non obligat ad celebrandum ſine veſtibus ſacris propter Eccleſiæ prohibitionem: vnde Vaſquez, & alij, qui dicunt, nondum fuiſſe ſatisfactum præcepto Diuino, non concedunt tamen, quod debeat, aut poſſit accipi communio iterum eadem die, ſed ſequenti.

Soluitur præcipuum contrariæ ſententiæ fundamentum.

58. *Obijcitur ſecundò.*

Arguunt ſecundo, præceptũ ieiunij naturalis ante communionem non obligat, quando neceſſe eſt accipi Viaticum; ergo nec præceptum non communicandi bis eadem die; præſertim cum præceptum ieiunij naturalis habeatur clarè ex lege Eccleſiaſtica, præceptũ vero non communicandi bis habeatur ſolum ex conſuetudine; lex enim Eccleſiaſtica ſolum loquitur de non celebrando bis eadem die, vt conſtat

ex cap conſulniſti, & *cap. Te referente* de celebratione Miſſarum. Reſpondetur retorquendo argumentum: imo enim vt poſſet Viaticum accipi à non ieiuno, neceſſaria fuit expreſſa licentia eiuſdem Eccleſiæ, quæ in eo caſu noluit obligare ad ieiunium, quæ licentia cum non ſit ab Eccleſia data ad duplicem communionem, nec Doctores meminerint talis exceptionis; non eſt, cur fiat à nobis ea exceptio, ſicut nec ſit ad celebrandum tunc abſque veſte ſacra, quia Eccleſia non excepit hunc caſum in præcepto celebrandi cum veſtibus ſacris.

Reſpondetur.

59. *Tertio arguiſt.*

Tertio arguunt, quia Sacerdos poteſt bis celebrare eademdie, ſi ieiunus ſit, ad dandum Viaticum moribundo; ergo & ipſe infirmus, cuius cauſa agitur, poterit ad accipiendum Viaticũ ſecundo communicare. Reſpondetur negando conſequentiam, primò quia decreta citata concedunt Sacerdoti illam licentiam, dum concedunt, quod poſſit Sacerdos in neceſſitate pluties celebrare: nec argui poteſt à Sacerdote ad laicos: nam in die Natalis, & in aliis caſibus poteſt Sacerdos pluries celebrare, in quibus tamen laicis nunquam conceſſa eſt duplex communio. Secundo, quia ſi Sacerdos in eo caſu non celebrat ſecundò, infirmus morietur abſque Viatico: hoc autem non ſequitur, ſi ipſe infirmus non ſecundò communicet; quia per primam communionem, vt vidimus, ſatiſfactum fuit obligationi accipiendi Viaticum.

Reſpondeo.

60. *Obiiciunt vltimò.* *Reſpondeo.*

Vltimò obiiciunt, hanc ſententiam eſſe nimis rigidam. Reſpondeo, magis rigidam eſſe contrariam, cũ obliget ſub peccato mortali ad accipiendam iterum communionem eadem die, & eadem hora, qua idem infirmus communicauerat. Nam quod aliqui mediam viam ſequentes dicunt, poſſe quidem, ſed non debere ex obligatione accipi ſecundam communionem; non videtur id ſatis conſequenter dici. Si enim præceptum Viatici ſumendi non obligat, non apparet, vnde habeatur illa licentia pluries communicandi contra prohibitionem vniuerſalem, cum neque ex conſuetudine, aut ex lege aliqua probari poſſit. Poſt hæc ſcripta inueni P. Gaſp. Hurtado *in tr. de Sacram. diſp. 10. de Euchar diffic. 2.* docentem, eum, qui bene valens communicauit manè, debere eadem die mortis periculo adueniente, iterum communicare: quod dicit feciſſe P. Claudiũ Aquauiuam Generalem Societatis, qui celebrato manè Sacro, eadem die accepit Viaticum: & alios duos Patres Matriti. Ego de illis aliis neſcio quid fecerint: de P. Claudio, ſcio certò, illum non celebraſſe illa die, ſed per multos dies periculosè ægrotaſſe, & iuxta vſum Societatis communicaſſe illo manè: quare hoc exemplum eſt contra illum Auctorem, qui negat, poſſe accipere Viaticum qui eadem die in periculo iam conſtitutus communicauerat; nec adduci debent, vt dixi, in exemplum ea, quæ ab aſſiſtentibus in illa perturbatione ſemel aut iterum facta ſunt, quando temporis anguſtia non permittit rationes, & Auctores accuratè examinare.

SECTIO IV.

De Præcepto Eccleſiaſtico Communionis Paſchalis, & annua.

61. *Fabian. Papa.*

PRæceptum Fabiani Papæ, quod olim obligabat ad ter in anno communicandum, iam nunc obligat ad ſemel ſaltem in Paſchate; quod decretũ fuit ab Innoc. III. in Conc. Lateran. relato *in c. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* verba decreti hæc ſunt: *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & viuens ab Eccleſia ingreſſu arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura.* Quod præceptum quia commune eſt pro vtroque Sacramento, ſolet magis ex profeſſo in materia de Pœnitentia explicari. Aliqua tamen Euchariſtiæ propria breuiter attingemus.

Innoc III. Præceptum Fabiani eſt Innoc. III.

Primo itaque nomine *Paſchatis* non intelligitur ſolus dies Reſurrectionis, ſed quindecim dies à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè, iuxta communem vſum, & declarationem Eugenij IV. Imo in aliquibus locis extenditur tempus ad totam Quadrageſimam, ita vt qualibet eius die ſatisfieri poſſit præcepto. 62. *Quid intelligatur nomine Paſchatis.*

Secundo dubitatur, an præceptum hoc ſit affixum Paſchati, ita, vt qui tunc non communicauit, non obligetur amplius ad communicandum illo anno. Prima ſententia docet, non obligari amplius pro illo anno, ſicut qui hodie non recitauit, vel non audiuit Miſſam in feſto; non tenetur ad recitandum, quod omiſit, vel audiendam Miſſam die ſequenti; quia ſunt obligationes annexæ tali diei. Ita Antonin. Syluest. Tabiena, Medina, Soto, Victoria, quos affert Suar. *diſp. 70. ſect. 2.* Item Ledeſma, Ioan. de la Cruz. Toler. Valent. Eman. Sà, quos affert & ſequitur Anton. Diana *2. tom tract. 4. de Sacram. reſolut. 41.* 63. *Quando obliget hoc præceptum. Prima ſententia.* Suarez.

Secunda ſententia diſtinguit inter eum, qui omiſit communionem Paſchalem ex legitima cauſa, ſiue cum conſilio, ſiue abſque conſilio Confeſſarij, & eum qui colpabiliter omiſit; illum dicit obligari ad communicandum poſtea, hunc non obligari. Ratio autem eſt, quia præceptum ipſum ita impoſitum fuit, vt differri poſſet communio ex rationabili cauſa cum conſilio Confeſſarij: idem autem videtur eſſe, quando ex conſilio præſumpto Confeſſarij differtur: ergo tunc nondum præteriit tempus præſcriptum ab ipſa lege, ſicut præteriit, quando abſque rationabili cauſa fuit omiſſa communio. Ita Armilla, & alij apud Suarez. 64. *Secunda ſententia.*

Tertia ſententia dicit, ſemper manere obligationem continuam communicandi, quamprimum moraliter poſſit, poſt Paſcha: quia terminus ille non aſſignatur, vt in illo ſolo debeat fieri, ſed vt vltra illũ non debeat differri opus præſcriptum. Nam in hac lege ſunt duo præcepta, alterum communicandi ſemel ſaltem in anno, alterum communicandi in Paſchate; quando ergo hoc ſecundum præceptum impleri non poteſt, debet obſeruari primum, cui opponitur illa vlterior dilatio communionis. Ita Suarez *d. diſp. 70. ſect. 2.* Vaſquez *tom. 4. de Pœnitent. q. 90. art. 3. dub. 2. n. 14.* Conink *dub. 4.* Layman *tract. 4 c. 5. n. 8.* Nugnus, Pitigianus, Fagundez, Azor, Syluius, Graffios, quos refert Diana *illa reſol. 41.* 65. *Tertia ſententia vult ſemper manere obligationem.* Suarez. Vaſquez. Coninck. Layman, &c. Diana.

Ego partim conuenio cum hac tertia ſententia, partim diſſentio. Placet itaque, quod, elapſo termino Paſchatis, non extinguatur obligatio præcepti, ſed adhuc duret: quia reuera hoc preceptum non eſt, ſicut præceptum ieiunandi, vel audiendi Miſſam tali die, ſed continet virtualiter duo præcepta, vt dictum eſt; alterum communionis ſaltem in anno: alterum communicandi in Paſchate: hoc ſecundum alligatur tali termino, quia reſpicit venerationem illius feſtiuitatis, alterum adhuc perſeuerat. Colligitur autem hoc in primis ex verbis legis: *Semel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*: nam illa verba, *ſaltem*, &, *ad minus*, ſatis indicant, ſimul prohiberi minorem frequentiam communionis, & præcipi ad minus annuam. Quem eſſe illorum verborum ſenſum, explicuit magis Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. 66. *Aliquid placet in hac ſententia, ſcilicet non extingui obligationem elapſo termino Paſchatis.* *Colligitur ex verbis legis.* Conc. Trid.

ſeſſ. 13. can. 9. *Si quis, inquit, negauerit, omnes, & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum, iuxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ, anathema ſit.* Vbi verba illa Innocent. *ſemel ſaltem in anno*, non ſolum ad Confeſſionis, ſed ad Communionis etiam præceptum referuntur.

67\. *Ratione etiã probatur.* Ratione item hoc ipſum conuincitur; quia Eccleſia, vt ſupra vidimus, debuit exigente fidelium negligentia, determinare tempus implendi diuinum præceptum, in quo non fuerat tempus determinatum: in hoc autem defeciſſet Eccleſia, ſi eum, qui in Paſchate non communicaret, liberum reliquiſſet: multi enim tunc ob impotentiam excuſarentur: cum ergo Diuinum præceptum non reſpiceret venerationem, & cultum Paſchatis, ſed debitam frequentiam Euchariſtiæ, hãc debuit Eccleſia primo loco, & principaliter præcipere, ac infrequentiã prohibere, licet obiter præciperet Paſchalis feſtiuitatis venerationẽ.

68\. *Simile eſt præceptum recitandi debito tempore.* Simile ferè eſt præceptum recitandi, quod obligat ſub veniali ad recitandum debito tempore, niſi rationabilis cauſa excuſet: & tamen, qui debita hora non recitauit, non manet liber, ſed debet ſub mortali intra eandem diem ſupplere, quia eſt quaſi duplex præceptum: alterum obligans ſub mortali ad recitandum ſemel in die, alterum obligans ſub veniali ad recitandum tali hora; qua elapſa, adhuc manet obligatio alterius præcepti. Sic ergo videtur eſſe in caſu noſtro, cũ hoc diſcrimine, quod vtraque obligatio ſit ſub mortali propter materiæ grauitatẽ.

69\. *Diſplicet tamen quod ipſa vlterior obligatio nouam culpam ſemper afferat.* In hoc ergo conuenio cum illa tertia ſententia; ſed diſſentio, quatenus illi Auctores ſupponunt ita perſeuerare obligationem communicandi poſt Paſcha, vt ipſa vlterior dilatio ſemper afferat nouam culpam, quia obligatio perſeuerat exigens ſtatim poſt Paſcha obſeruationem præcepti: Hoc, inquam, non videtur mihi ſatis conſequenter dici; quia ſi diſtinguimus illa duo præcepta, quorum alterum communicandi in Paſchate amplius non obligat, nec poteſt obſeruari; ſolum manet obligatio alterius præcepti communicandi ſaltem ſemel in anno; hoc autem non obligat ad communicandum hoc menſe potius quam illo, ſed ad communicandum ſemel hoc anno: non ergo manet obligatio communicandi ſtatim poſt Paſcha, ſed ſolum communicandi ante finem anni; qui annus, iuxta veriorem ſententiam, computatur à principio Ianuarij vſque ad finem Decembris, qui eſt annus Eccleſiaſticus, & profanus, ſicut hebdomada computatur à die Dominica vſque ad Sabbatum: quare ſicut qui habet obligationem communicandi ſingulis hebdomadis, ſufficit ſi intra illos ſeptem dies communicet, quocumque die id faciat, ſic qui debet intra annum ſemel communicare, ſufficit, quocumque menſe id faciat, quantum eſt ex vi illius præcepti. Vnde P. Vaſquez, qui *illo tom. 4. loco citato, dub. 1. n. 15.* dixerat, annum in illo cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, debere computari ab initio Ianuarij, vſque ad finem Decembris, non video, quomodo poſtea *dub. 2. n. 6. & 7.* dixerit, ſtatim elapſo Paſchate continuari obligationem in dies communicandi, ne differatur amplius communio: nam, vt dixi, terminus huius ſecundæ obligationis non eſt Paſcha, ſed annus, intra quem ſufficit impleri præceptum Communionis, ſicut Confeſſionis, poſtquam violatum eſt præceptum communicandi in Paſchate.

Vaſquez.

70\. *Reſpondetur ad id quod obiicitur.* Nec obſtat, quod iis, qui non communicant intra hebdomadam Paſchæ, aſſignari ſoleat alia hebdomada; in qua ſi non communicant, denuntiantur vt excommunicati. Reſpondetur enim, excommunicationem illam infligi propter tranſgreſſionem præteritã præcepti Eccleſiaſtici, quod obligabat ſub excommunicatione ex ipſo Concilio Lateranenſi; infligenda tamẽ poſtea à Prælatis; quã Prælatus non vult exequi in eos, qui hebdomada ſequenti cõmunicauerint.

71\. *Vrget contra hoc P. Vaſq.* Contra hoc tamen vrget P. Vaſquez *illo dub. 2. n. 6.* quia illi, qui non communicarunt in Paſchate excommunicantur, & non poſſunt abſolui à Parochis, vel aliis Confeſſariis, niſi communicent poſtea: ergo ideo, quia differendo vlterius communionem actu peccant; quo argumento *n. 5.* probauerat manere obligationem confitendi quamprimum ei, qui aſſignato ab Eccleſia tempore non communicauit. Si enim non duraret obligatio confitendi, ſed excommunicatio eſſet ſolum propter peccatum præteritum, non apparet, cur non poſſet abſolui à Parochis extra confeſſionem ab illa excommunicatione, à qua, cùm non ſit reſeruata, poſſent de iure communi abſolui à ſuo Confeſſario. Similiter ergo poſtea de obligatione communionis probat perſeuerare; quia alioquin ille etiam, qui poſtea non communicaret, poſſet abſolui ab excommunicatione contracta propter peccatum præteritum.

72\. *Non videtur in hac doctrina quam conſequenter loquatur Vaſq.* In hoc argumento, & hac doctrina non video quam conſequenter loquatur P. Vaſquez, quia ipſemet, vt dixi, docuerat *dub. præcedenti n. 15.* annum in præcepto Confeſſionis debere computari à principio Ianuarij vſque ad finem Decembris; quomodo ergo in eius ſententia poteſt excommunicari aliquis, eo quod non confiteatur menſe Aprili, vel Maio, cum anno præcedenti fuerit confeſſus, & poſſit adhuc obſeruare præceptum Confeſſionis hoc anno menſe Nouembri, vel Decembri: & tamen in eiuſmodi excommunicatione nunquam attenditur, an confeſſus fuerit anno præcedenti: ergo fatendum eſt, excommunicari propter omiſſam communionem debito tempore Paſchatis. Rurſus de ipſo præcepto communionis idem Vaſquez, *infra n. 13. & 14.* dicit, tunc ſolum eſſe obligationem anticipandi communionem ante Paſcha, quando aliquis exiſtimaret, ſe non habiturum copiam Euchariſtiæ *tota anno*: ſi autem timeret ſe non habiturum copiam tempore Paſchali, bene tamen poſtea, *tunc*, inquit, *non teneretur anticipare; quia cum ab eo tempore Paſchali excuſaretur*, propter impotentiam, *poſtea frequentia Sacramenti*, ſcilicet communioni, *ſatisfacere poterit.* Quomodo ergo excõmunicatur propter peccatũ, quod continuat non cõmunicando poſt Paſcha, & ideo non poteſt abſolui, quia non deſiſtit à violatione præcepti. *Vaſquez.*

73\. *Ad argumentum Vaſq. facilè reſpondetur.* Ad argumentũ ergo illud P. Vaſquez reſpondere ipſe debet, & reſpõdemus facilè, excõmunicationem, vt dixi, imponi propter peccatum præteritũ. Epiſcopi enim exequuntur pœnam, & cenſuram Conc. Lateranenſis; nolunt tamen illam exequi, niſi poſt aliquot dies: ſicut autẽ differunt executionẽ, ita volunt, ne ſolui poſtea poſſit, niſi homo communicare velit; imo nec tunc ſoluatur, niſi ad reincidentiã, hoc eſt, quod reincidat homo in cenſuram, ſi poſt abſolutionem obtentam non communicauerit; quod quidẽ ipſe P. Vaſq. fateri debet; nam abſolutio ab excõmunicatione ſemper datur ante communionem: & tamẽ nemo dicet, quod ſi homo poſtea, mutato conſilio, nolit communicare, maneat liber ab excõmunicatione: ergo reincidit, quia Prælati ita vtuntur iure ſuo excommunicandi propter Eccleſiæ præceptũ violatũ, vt exigant talem ſatisfactionem à peccatore; quam dum non offert, non abſoluatur, & quam, ſi poſtea re ipſa non præſtat, reincidit in eandem cenſuram.

74\. *Tertia quæſtio de eo* Ex his ergo oritur tertia quæſtio, an, qui præuidet ſibi futurũ impedimentũ in Paſchate, debeat ex obligatione præuenire, & cõmunicare ante tẽpus ab Ec-

qui ſibi futurum impedimentum prævidet. *Suar.* *Azor.* *Pitigianus.* *Sententia Suar. & Vaſq. contraria.*

eleſia aſſignatum ; Negat Suarez *in præſenti ſect. 2. §. Tertium dubium* : quod etiam tenent Azor t. 1. *lib.* 17. c. 41. q. 13. Pitigianus *in 4. Sent. t. 1 diſt. 9. q. 3 art. 9.* & alij. Probat Suar. quia nemo obligatur ad anticipandum actum præceptum, niſi per talem actum poſſit ſatisfacere obligationi præcepti : ſed per communionem illam anticipatam non ſatisfacit homo obligationi præcepti; nam ſi poſtea tempore Paſchatis ceſſaſſet impedimentum, quod timebatur, adhuc homo deberet ſeruare legem communicandi in Paſchate, cum poſſet, & lex abſolutè præcipiat id fieri: ergo non obligatur ex vi illius legis ad præueniendam, & anticipandam communionem, ſicut nec tenetur ad recitandum hodie Officium craſtinum, eo quod cras habiturus ſit impedimentum.

75. *Vaſq.* Contrariam ſententiam docet Vaſq. *dicto t. 4. dub. illo 2. n. 13.* quod ſcilicet ſit obligatio præueniendi, non tamen reſpondit ad fundamentum P. Suar. nec illud propoſuit. Eamdem ſententiam docent Syluius *hac q. 80 art. 1 q. 7.* Nugnus *ibid. diff. 1.* Fagundez *lib. 1. de Præcepto Eccleſ. c. 6. n. 3.* & alij ; quæ ſententia mihi etiam ex parte placet, & probatur facilè ex dictis: diximus enim in hoc præcepto contineri virtualiter duo præcepta : alterum cõmunicandi ſemel ſaltem in anno; alterum communicandi in Paſchate; & quidem vt huic ſecundo ſatisfiat, non eſt obligatio anticipandi ; ſicut qui cras non poteſt recitare Officium, vel audire Miſſam, non tenetur anticipare hodie, imo nec illa anticipatio deſeruiret ad ſatisfaciẽdũ præcepto, ſed adhuc cras obligaretur, ſi ceſſaret impedimentum; ſic etiam anticipatio communionis non deſeruiret ad ſatisfaciendum præcepto communionis Paſchalis. Cæterum alterum præceptum communionis annuæ obligat ad præueniendum, ſicut qui habet præceptum ſub mortali recitandi Officium intra hanc diem, & præceptum ſub veniali recitandi tali hora, præuidens impedimentum futurum tali hora, & toto tempore ſequenti, obligatur ad præueniendum ex vi obligationis recitandi illa die. Sic ergo præceptum communicandi intra hunc annum obligat ad præueniendum, quando non poteſt impleri præceptum eo tempore, quo deberet, ex vi alterius præcepti de communione Paſchali.

Silaius. *Fagundez.* *Hæc ſententia partim placet, partim diſplicet.*

76. Dixi tamen ex parte placere mihi illam ſententiam, quia non ſufficit futurũ eſſe impedimentum in Paſchate ad hoc, vt ſit obligatio anticipandi communionem : cum enim hæc obligatio oriatur ſolum ex præcepto communicandi intra annum, & huic obligationi poſſit fieri ſatis communicandu duobus, vel tribus menſibus poſt Paſcha, dum ſit ante finem illius anni, non poteſt eſſe obligatio anticipandi ; niſi forte præuideatur impedimentum duraturum per totum annum ; tunc enim deberet in principio anni obſeruari : ſicut qui præuidet, ſe non auditurum Miſſam horis ſequentibus, debet eam audire prima hora ad obſeruandum præceptum.

77. *Ad fundamentum Suar. reſpondetur.* Hinc iam ad fundamentum P. Suar. poſſumus reſpondere. Et quidem aliqui dicunt, eum, qui propter futurum impedimentũ in Paſchate anticipauit bona fide cõmunionem, non obligari poſtea ad communicandũ in Paſchate, etiamſi ceſſauerit impedimentũ. Quam ſententiam P. Diana *d. reſol. 42.* dicit eſſe veram, & eam docuiſſe Suar. *in præſenti ſect. 2. circa finem.* Sed reuera Suar. eam non tenet, ſed contrariam, cum expreſsè dicat, *ſe non audere excuſare ab obligatione communicandi in Paſchate eum, qui ſic anticipaſſet communionem, ſi poſtea nihilominus communicare poteſt tempore præcepti.* Affert tamen idem Diana pro illa ſententia quendam Fernand. de Heredia, quem videre non potui, *in diſp. de Sacr. tr. de Euchar. part. 8. dub. 1. n. 10.*

Diana. *Suar.*

78. Cæterum cuiuſcumque ſit, ego verius exiſtimo cum Suarez, obligari hominem tunc ad communicandum in Paſchate : quia illa communio non fuit facta ad ſatisfaciendum præcepto communionis Paſchalis, vt dixi, ſed ad ſatisfaciendum præcepto communionis annuæ, cui quidem iam eſt ſatisfactum, ſed illud alterum præceptum adhuc manet cum ſua vi ad obligandum. Sic etiam qui de facto communicauit hoc anno ante Quadrageſimam de manu ſui Parochi, ſatisfecit quidem præcepto annuæ communionis, licet nõ habuerit talem intentionem, & tamen obligatur ad communicandum in Paſchate : quia illi præcepto nõdũ ſatisfecit. Vnde ad argumentum P. Suar. in forma concedo Maiorem, & diſtinguo Minorem. Per illam communionem non ſatisfacit homo obligationi annuæ communionis, nego : obligationi communionis Paſchalis, concedo: atque ideo non obligatur ad anticipandum propter hoc ſecũdum præceptum, ſed propter illud primum, cum quidem iam ſatisfactum eſt : hoc autem debet intelligi, vt diximus, ſi impedimentum timeatur duraturum per totum annum: alioquin non obligaretur ad communicandũ ante Paſcha: ſi tamẽ communicaſſet, non obligaretur amplius ex præcepto communionis annuæ, ſed ſolum ex præcepto communionis Paſchalis, ſi in Paſchate poſſet communicare.

Poteſt tamen eſt obligari eum hominẽ ad communicandum in Paſchate.

79. *Obiicitur exemplum ſupra adductum.* Obiiciet aliquis exemplum ſupra adductum de præcepto graui recitandi intra hanc diem, & præcepto leui recitandi tali hora: quod exemplum videtur poſſe contra nos retorqueri. Nã ſi aliquis bona fide putans, ſe habiturum impedimentũ tali hora, anticiparet recitationem Officij, poſtea licet impedimentum non ſit illa hora, non obligabitur etiã ſub veniali ad recitandũ iterum illa hora, ergo per recitationẽ anticipatã ſatisfecit vtrique præcepto, alioquin ſi ſecũdo nondũ eſt ſatisfactũ, manebit obligatio ſub veniali recitãdi illa hora: ergo ſimiliter per cõmunionẽ anticipatã bona fide factã, ſatisfactũ fuit vtrique præcepto: eadẽ enim videtur eſſe ratio in vtroq; caſu.

80. *Reſponſio.* Reſpondetur, exemplum illud non eſſe ſimile in omnibus, differt enim materialiter in aliquo à noſtro caſu, quatenus præceptum recitandi tali hora non eſt omnino abſolutum, ſed conditionatum, ſcilicet niſi rationabilis cauſa ſit anteponendi, vel poſtponendi, vel non recitandi illa hora. Vnde qui ex rationabili cauſa propter impedimentũ, quod futurũ timebat, anticipauit, nõ obligatur amplius illo præcepto leui recitandi tali hora, etiamſi poſtea ceſſet impedimentum : imo licet abſque rationabili cauſa anticipauerit aliquis recitationem, & in hoc ipſo peccauerit venialiter : poſtea tamen non obligatur ſub veniali ad recitandum iterum hora debita, quia iam tunc habet rationabilem cauſam non recitandi illa hora, ſcilicet, ne cogatur bis recitare, cum iam recitauerit intra eamdem diem : hunc autem eſſe ſenſum, & modũ obligationis illius præcepti quoad talem horam, conſtat ex omnium vſu. At vero præceptum communicandi in Paſchate non habet eiuſmodi conditiones, ſed eſt ſicut præceptum audiendi Miſſam, vel ieiunandi tali die, quæ alligantur tali diei, & ideo nec poſſunt anticipari, nec poſtponi.

81. *Inſtantia.* Dices ; imo habet explicatam conditionem, vt ex rationabili cauſa impleatur alio tempore, cum lex ipſa præbeat facultatem differendi cõmunionem ex conſilio Confeſſarij: vnde poterit ex eodem conſilio cum rationabili cauſa anteponi. Reſpondetur, imo quia lex ſolum dat facultatem differendi ex conſilio Confeſſarij, arguitur non poſſe anticipari : neque enim ex vna facultate ſequitur altera, quia, vt notauit bene Suar. *illa ſect. 3. in fine.* Confeſſarius non poteſt diſpẽſare, aut conſulere, vt, qui in Paſchate non habet impedimentum aliquod, abſtineat tunc à communione;

Diluitur.

munione ; ergo nec poterit diſpenſare, vt qui antea communicauit, non communicet in Paſchate, ſi tunc nullum habeat impedimentum : nunquam ergo lex illa dat facultatem abſtinendi à communione : quando non adeſt impedimentum in ipſo tempore, quod à lege præſcribitur.

82. *Quæritur quartò, an ſatisfaciat qui communicat in peccato mortali. Aliqui negãt.* Suarez. Dionyſ. Ciſtercienſ. Nugnus. Syluius.

Quarto quæri ſolet, an qui ſcienter, vel ignoranter communicauit in Paſchate in ſtatu peccati, ſatisfecerit Eccleſiæ præcepto, ita vt poſtea non obligetur ad communicandum iterum eodem anno. Negant plures, Durand. Capreol. Adrian. apud Suar. *loc. cit. ſect.* 3. Afferri etiam poteſt Dionyſ. Ciſtercienſ. *in* 2. *diſp.* 17. quatenus dicit, modum charitatis cadere ſub præceptis Decalogi. Sed magis expreſsè hoc docent in noſtro caſu Nugnus *in præſenti q.* 80. *art.* 1. *diffic.* 1. *dub. vlt.* Syluius *in præſenti art.* 11. *quæſito* 2. & alij Recentiores.

83. *Communis ſententia affirmat.* Azor. Lopez. Fagund. Pitigian. Villalob. Diana.

Contraria ſententia communis eſt, quam tenent Corduba, Soto, Conar. quos refert, & ſequitur Suar. *ſect.* 3. Azor *tom* 1. *lib.* 7. *c.* 41. *q.* 12. Lud. Lopez *p.* 1. *Inſtruct. c.* 11. Fagund. *lib.* 1. *de* 3. *Precept. Eccleſ. c.* 6. *n.* 4. Pitigian. *in* 4. *diſt* 9. *q.* 3. *art.* 10. Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 7. *diffic.* 42. *n.* 6. Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 43 & alij omnes ferè communiter.

Ratio præcipua eſt.

Ratio præcipua eſt, quia præcepta non obligant ad finem, ſed ad ſubſtantiam præcepti : quare licet Eccleſia in hoc præcepto intendat, quod fideles huius Sacramenti fructus, & effectus percipiant, id tamen, quod præcipit, ſolũ eſt, quod ſuſcipiant Sacramentum ; ergo ille, qui reuera ſuſcipit hoc Sacramentum, verè ſatisfacit præcepto, licet inutiliter, imo ſacrilegè, & cum nouo peccato. Sicut præceptum ſuſcipiendi Ordinem, aut Confirmationem, vel contrahendi Matrimonium, obſeruaretur ab eo, qui indignè ea Sacramenta ſuſciperet : & ſicut ſatisfacit præcepto audiendi Miſſam, qui eam ex malo fine, & peccaminosè audit. Vide, quæ diximus *ſect.* 2. *n.* 21. circa præceptum Diuinum, & poſtea *n.* 45. circa præceptum ſumendi Viaticum : ea enim à fortiori probant de hoc præcepto Eccleſiaſtico ; vbi etiam aſſignauimus differentiam inter communionem factam in peccato, & illam, quæ fieret caſu, & abſque intentione ; per hanc enim non impleretur præceptum, quia non eſſet Sacramentalis, ſicut illa alia : præceptum autem eſt de communione Sacramentali, & valida ; non defectuoſa.

84. *Obiicitur primò.*

Obiicitur primò ; quia Eccleſia præcipit ſemel in anno Euchariſtiam *reuerenter* ſuſcipere : vt conſtat ex verbis Legis ſupra relatis ; qui autem indignè ſuſcipit, non accedit reuerenter, ſed irreuerenter : ergo non ſatisfacit præcepto. *Reſpondetur.* Reſpondetur Eccleſiam illo verbo, *reuerenter*, vel voluiſſe ſolum reducere in memoriam vnicuique debitum reuerentiæ, quod aliunde obligat, vel præcipere reuerentiam externam. Alioquin non congrueret pœnam arcendi, ab Eccleſia tranſgreſſores, quam imponit : quomodo enim poſſent Prælati eam exequi contra indignè communicantes ?

85. *Obiicitur ſecundò.*

Obiiciunt ſecundò ; quia hoc præceptum eſt determinatiuum præcepti Diuini : ſed Diuinum præceptum non ſolum obligat ad communionem, ſed etiam ad communicandum dignè, & in ſtatu gratiæ : ergo Eccleſiæ præceptum debet habere idem obiectum ; neceſſe enim eſt, vt id, quod determinat aliud, participet eadem prædicata, & ſit ſub eodem genere cum eo, quod determinatur. *Reſpondetur.* Reſpondetur, conceſſa Maiori, diſtinguendo Minorem : præceptum Diuinum poſitiuum, quod obligat ad communionem, præcipit, quod ſumatur in gratia, nego : huic enim præcepto ſatisfit etiam per communionem indignam, vt vidimus *ſect.* 2. *locis ſuprà citatis* ; Præceptum Diuinum aliud naturale, quo prohibetur accedere indignè, concedo : præceptum autem Eccleſiæ determinat ſolum illud prius præceptum Diuinum propoſitum, non hoc poſterius naturale & negatiuum : hoc enim non indiget determinatione, cum ſit vniuerſale, & obliget pro ſemper.

86. *Obiicitur tertiò.*

Tertio obiiciũt, quia Eccleſia præcipiens recitare Officium, vel audire Sacrum, præcipit etiam reuerentiam, & attentionem debitam, quia hæc ſunt de ſubſtantia illarum actionum, quas præcipit ; ergo præcipit etiam dignam ſumptionem Euchariſtiæ, quæ dignitas eſt magis de ſubſtantia rei præceptæ. *Reſpondetur.* Reſpondetur retorquendo Antecedens : nam Eccleſiæ præcepto fit ſatis per recitationem, vel auditionem Miſſæ ſacrilegam, & factam ex fine peccaminoſo, quia adhuc illæ manent ſubſtantialiter recitatio, vel auditio Miſſæ ; ergo per communionem indignam ſatisfiet, quia hæc eſt ſubſtantialiter communio Sacramentalis, quam Eccleſia præcipit. Itaque recitatio etiam Officij abſque attentione interna, dummodo adſit intentio, & alia requiſita, eſt recitatio ſubſtãtialis. An vero de facto Eccleſia etiam præcipiat attentionem, & qualem, dicemus aliquid infra *diſp. vlt. de auditione Miſſæ.*

87. *Obiicitur quartò. Syluius.*

Quarto obiicit Syluius, quia Sacramentum hoc eſt cibus animæ ; non ſatisfaceret autem præcepto de ſuſtentanda vita corporali, qui cibum corporis ſumeret eo modo, quo non poteſt prodeſſe, ſed ſolum obeſſe ; ergo neque is, qui accipit Euchariſtiam indignè, ſatisfacit præcepto. *Reſpondeo.* Reſpondeo, illud præceptum naturale non eſſe formaliter ſumendi cibum, ſed ſuſtentandi vitam ; quare ſi quis abſque cibo ſuſtentaret vitam, quomodocunque id fieret, non teneretur ad capiendum cibum. In noſtro autem caſu præceptum non eſt de fine, quod à poſteriori conſtat, quia licet aliquis ex reuelatione ſciret, ſe abſque Euchariſtia conſeruaturum, & cum augmento gratiam, adhuc obligaretur præcepto ſumendi Euchariſtiam : non ergo præcipitur finis, ſed ſumptio huius cibi, ſiue proſit, ſiue non proſit conſeruationi gratiæ. Secluſo enim præcepto poſitiuo Diuino, & humano, non eſt obligatio grauis procurandi conſeruationem vitæ ſpiritualis per hoc medium, cum ſint alia media ad illum finem obtinendum.

De hoc quæſito ſatis ſupra dictum eſt.

Quinto quæri ſolet, qua ætate obligentur pueri hoc præcepto Eccleſiaſtico ? De hoc tamen diximus ſatis *ſupra diſp.* 12. Quæri denique ſolet, an huic præcepto debeat ſatisfieri in Eccleſiis Regularium ; de hoc vero dicemus *infra diſp.* 18. de miniſtro Euchariſtiæ, *ſect.* 1.

DISPVTATIO XVII.

Vtrum conſulendum ſit omnibus Fidelibus indifferenter vſus quotidianus Euchariſtiæ.

SECTIO I. *Sententia affirmans, omnibus expedire communionem quotidianam.*

SECTIO II. *Prior pars vera, & communis ſententia explicatur & probatur.*

SECTIO III. *Secunda pars communis, & vera ſententia probatur.*

SECTIO IV. *Soluuntur obiectiones contra communem ſententiam.*

DVBIVM hoc tetigit S. Doctor *in præſenti art.* 10. cuius ſententiam reliqui Scholaſtici amplexi breuiter ſupponunt, & tam

res videbatur extra controuerſiam eſſe, donec pietas aliquorum adeo acriter quotidianæ communionis partes ſuſcepit, vt hæc breuis quæſtiuncula ad librum vſque excreuerit, & vulgi mentes in varias, vt fieri ſolet, factiones diuiſerit. Oportet ergo rem hanc ad trutinam diſputationis Scholaſticæ reuocare; breuiſſimè tamen; & ſanè ſufficit, ſi veritatem ſincerè quærimus: ſi contentionem, nec liber integer.

SECTIO I.

Sententia affirmans, omnibus expedire communionem quotidianam.

1. *Supponitur primò id in quo omnes conueniunt.*

SVpponendum primò, Auctores vtriuſque partis conuenire in eo, quod homini exiſtenti in gratia licet ſimpliciter quotidianus vſus Euchariſtiæ, nec in huiuſmodi frequentia includi labem peccati lethalis: nam ſicut præceptum graue ſolum cogit ad communionem annuam; ſic etiam ſolum prohibet duplicem communionem vnius diei, ſiue hæc prohibitio ſola conſuetudine, ſiue poſitiuo præcepto inducta fuerit: quare licet aliquando nimia frequentia poſſit eſſe culpa venialis, ſicut etiam nimia abſtinentia intra annum ob aliquam circumſtantiam; cæterum neutrum extremum continet materiam culpæ grauis, ſed tota controuerſia eſt, vtrum intra terminos conſilij, & perfectionis oporteat quotidianam communionem omnibus indifferenter conſulere, vtpote rem vtiliorem, & medium aptius Chriſtianæ & Euangelicæ perfectioni.

2. *Supponendum ſecundò non dubitari quin vſus ille ſit laudabilis.* *Conc. Trid.*

Supponendum ſecundò, non dubitari, an vſus quotidianus Euchariſtiæ de ſe laudabilis ſit, & perfectior, quàm vſus rarior, atque ideo curandum omnibus eſſe ad illum peruenire, ſi poſſint. Hoc enim ſub his terminis adeo certum eſt, vt nemo Catholicus potuerit de hoc dubitare. Habetur enim ferè expreſsũ in Trid. *ſeſſ.* 22 *c.* 6. vbi Eccleſia hanc frequentiam maximopere deſiderat: *Optaret*, inquit, *ſacroſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos ſanctiſſimi huius Sacrificij fructus vberior proueniret.* Quòd ſi perfectius eſſet abſtinere, quàm communicare; proculdubio non optaret frequentiam Eccleſia. Ex quo etiam fit in genere loquendo, non expedire prohibere omnes fideles abſolutè à communione quotidiana: hoc enim eſſet, prohibere illos ab eo, quod de ſe eſt perfectius, & vtilius: ſicut ſi prohiberentur à voto caſtitatis, vel ſtatu religionis. Quare merito Congregatio Cardinalium 4. *volumine deciſionum Romæ, in declaratione præfati loci Tridentini*, decreuit, huiuſmodi prohibitiones eſſe pernicioſas: *Obſtat*, inquiunt, *Conc. Trid. Epiſcopo volenti præſcribere certa tempora: vt dies Dominicos, quartam, & ſextam ferias, quibus tantum liceat viris laicis, coniugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non coniugatis ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere; etiam ob irreuerentiam, quam poteſt quotidiana huius Sacramenti ſumptio in ſua diœceſi parere. Hoc fuit deciſum in menſe Ianuarij* 1587. *obſtare, quia antiquo tempore, peracta conſecratione, omnes adſtantes ſumebant Euchariſtiam: & ideo licitum eſt quotidie Euchariſtiam ſumere.* Hæc ſunt verba Cardinalium, ex quibus conſtat, vſum quotidianum Euchariſtiæ laudabilem eſſe, & deſiderandum ob innumeros fructus, quos parere poteſt in Eccleſia. Quæſtio ergo non

3. procedit de perfectione huius frequentiæ ſecundum ſe, ſed prout in hoc indiuiduo (vt ita loquar) poteſt enim contingere, aliquem actum ſecundum ſe eſſe perfectiorem, & tamen huic indiuiduo non eſſe vtiliorem, licet alioquin non ſit illicitus. Sanè dubitari non poteſt, perfectiorem eſſe cæteris paribus virginitatem, & cœlibatum, quàm nuptias, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *can.* 10. & tamen poſſunt dari caſus quibus magis expediant huic fœminæ nuptiæ, quàm virginitas. Dubium ergo eſt, an hæc maior vtilitas, & perfectio communionis quotidianæ vniuerſaliter ſit accipienda reſpectu omnium fidelium exiſtentium in ſtatu gratiæ: an vero ſint aliqui etiam iuſti, quibus ob magnam tepiditatem, ob relaxationem voluntariam, ob diſtractiones, & curas ſæculi, conſultius ſit rariùs, quàm ſingulis diebus ad Euchariſtiam accedere.

Partem affirmantem ſub his terminis explicatam, & quod omnibus iuſtis vniuerſaliter ſit vtilior quotidiana communio, neſcio aliquem ex antiquis, qui eam docuerit. Nam licet omnes tam Patres, quam Scholaſtici vniuerſaliter frequentiam ſuadeant (vt poſtea videbimus) ſicut etiam ſuadent virginitatem, & religionem: accipiendi tamen ſunt, ſuppoſitis terminis habilibus. Cæterũ hanc doctrinam vniuerſaliter docuit hac tempeſtate Theologus quidam Bene- 4.

5. *Quidã Benedictinus partem affirmantem tenuit nouiter.*

dictinus Petrus Vincentius de Marzilla apud Compoſtellanos primarius Theol. Profeſſor, qui pro ſua opinione Memoriale quoddã edidit ad Archiepiſcopum Compoſtellanum, & poſtea libellum integrum, quem vocauit *Additiones ad Memoriale*, vtrumque Hiſpano idiomate, vt facilius apud plebem ſpargeretur; quæ, vt fieri ſolet, in partes diuiſa cœpit partim prædicto Magiſtro adhærere, partim illum reprehendere, & nouitatis pernicioſæ inſimulare, præſertim quod non ſolum homines, ac mulieres cuiuſque ſtatus, & conditionis ad communicandum quotidie induceret, ſed eo potiſſimum, quod eos hac in parte Confeſſarij iudicium expectare nollet, nedum eius monitis, aut conſilio obtemperare, ſed eo ipſo quod abſolutionem Sacramentalem à lethalibus obtinerent, vterentur iure ſuo, & inuito etiam, ac diſſuadente Confeſſario, ad communionem accederent.

6. *Alius eiuſdem ordinis, & opinionis aſſertor.*

Mortuo præfato Magiſtro ſucceſſit alius eiuſdem Ordinis, & opinionis aſſertor Fr. Maurus de Valdetas, qui, edito Theologico certamine, eandem doctrinam renouauit: addit tamen, ruſticis, & ignaris non eſſe conſulendum accedere ſine licentia Confeſſarij, eo quod facilè poſſit contingere incidiſſe in aliquod lethale, cuius ſpeciem, aut grauitatem ignorent, & accedant ſine gratia ad hoc Sacramentum: cæterũ, abſolutione obtenta, non credo requiri etiam ab hoc Theologo vlterius Confeſſarij placitum.

7. *Potiſſima fundamenta horum Auctorum.*

Potiſſima fundamenta horum Auctorum ſumuntur ex Patrum verbis vbique quotidianam communionem ſuadentium: ex vſu primitiuæ Eccleſiæ: ex deſiderio Tridentini ſuprapoſito: ex fructu Sacramenti, qui datur ex opere operato omnibus iuſtis, quem procurare melius eſt, quam illo carere, cum ſit augmentum gratiæ, & virtutum: & denique ex eo, quod Paulus ſolum exigit hanc conſcientiæ puritatem à lethali, vt quis dignè accedat: quare qui eam habet, non eſt, cũr amplius abſtineat. Hæc ſunt potiſſima capita argumentorum, quæ tamen poſtea ſigillatim recenſebimus, vt ſimul diſſoluantur, poſtquam vera, & communis ſententia in ſequentibus ſectionibus explicata fuerit, & comprobata.

SECTIO II.

Prior pars vera, & communis ſententia explicatur, & comprobatur.

8. *Vera & communis ſententia duas*

VEra, & antiqua ſententia, quam fideles omnes ipſo cum lacte acceperunt, & quaſi ex terminis notam Scholaſtici Doctores non tam probare

curarunt,

habet partes. Prima eſt hoc non expedire omnibus indifferenter. Secunda eſt in hoc ſtandum eſſe iudicio prudentis confeſſarij.

curarunt, quam ſupponere, duas habet partes: prima eſt, non expedire omnibus iuſtis indifferenter, cuiuſque ſtatus, & vitæ ſint, quotidianam communionem, neque eis eſſe vtiliorem, licet alioquin non ſit illicita. Secunda eſt, eum, qui in re tanti ponderis errare noluerit, non ſe ſuo arbitrio debere ducere, ſed ſtandum ſibi iudicio prudentis Confeſſarij, vel Patris ſpiritualis, cuius erit hanc frequentiam plus, minuſve extendere, pro maiori, vel minori ipſius aptitudine. Primam partem in hac ſectione; poſteriorem in ſectione ſequenti comprobabimus.

9. *In prima parte omnes conueniunt. S. Thom.*

Et quod attinet ad primam partem, in ea conueniunt omnes Scholaſtici, nullo prorſus excepto. S. Thom. *in præſenti art. 10. in corpore*, ſic ait: *Circa vſum huius Sacramenti duo poſſunt conſiderari: vnum ex parte ipſius Sacramenti, cuius virtus eſt hominibus ſalutaris, & ideo vtile eſt quotidie ipſum ſumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat, &c. Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione, & reuerentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile eſt, quod quotidie ſumat. Vnde Auguſtinus cum dixiſſet:* Accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit, *ſubiungit:* ſic ſume, vt quotidie merearis accipere. *Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis ind iſpoſitionem, vel animæ, non eſt vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.* Hæc S. Thomas, apud quem vides expreſſè, communionem quotidianam non eſſe vtiliorem ob defectum magnæ deuotionis, & reuerentiæ, quam dicit deſiderari ex parte hominis ad hoc Sacramentum. Quis autem dicat nomine *magnæ deuotionis, & reuerentiæ*, intelligi carentiam ſolam peccati mortalis, admixtam etiam cum diſtinctione, & tepiditate maxima, & cum propoſito actuali committendi innumera venialia ex aduertentia? Sanè ego iſtam magis dicerem indeuotionem, & irreuerentiam, quam magnam deuotionem, & reuerentiam.

10. *S. Thom. ſeipſũ explicat. S. Thom.*

Sed age, explicet ſe ſanctus Doctor, de qua reuerentia loquatur: ipſe ergo *in 4. diſt. 12. quæſt. 3. art. 1. quæſtiuncula 1.* ſic ait: *In hoc Sacramento duo requiruntur, ſcilicet deſiderium coniunctionis ad Chriſtum, quod facit amor; & reuerentia Sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet: primum incitat ad frequentationem huius Sacramenti quotidianam; ſed ſecundum retrahit. Vnde ſi aliquis experimentaliter cognoſceret, ex quotidiana ſumptione feruorem amoris augeri, & reuerentiam non minui, talis deberet quotidie communicare: ſi autem ſentiret, per quotidianam frequentationem reuerentiam minui, & feruorem non multum augeri, talis deberet interdum abſtinere, vt cum maiori reuerentia, & deuotione poſtmodum accederet.* Hæc S. Thomas, apud quem cæcus videat, nomine *reuerentiæ* non intelligi carentiam peccati mortalis: hæc enim non minuitur per quotidianam communionem, ſed deuotionem actualem, & præparationem, ac feruorem, qui vt poſtea videbimus, poterit aliquando per accidens minui ob nimiam frequentiam. Quare idem ſanctus Doctor poſtea *art. 1. quæſtiunc. 3.* concludit, ſumere Euchariſtiam, eſſe bonum per ſe, & ex genere; abſtinere vero, eſſe bonum per accidens, & addit: *ideo ſimpliciter loquendo melius eſt Euchariſtiam ſumere, quam ab ea abſtinere: ſed in caſu aliquo nihil prohibet, eſſe melius abſtinere, quando aliquis probabiliter præſumit, ex ſumptione reuerentiam minui.* Hæc S. Thomas, cuius verba ſi legit

Idem.

Auctor contrariæ ſententiæ, cur miratur c. 19. apud diſcipulos S. Thomæ ſuam doctrinam offenſionem parere, & nouitatem? Quid enim pareret, quæ ex diametro opponitur menti, & verbis Angelici Doctoris.

Accedat S. Bonauentura huius venerabilis Sacramenti deuotiſſimus teſtis *in 4. diſt. 12. part. 2. quæſt. 2.* propoſitis pro vtraque parte rationibus, ſic concludit: *Si ergo quæritur, vtrum expediat frequentare alicui? Dicendum, quod, ſi videat ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ primitiuæ, laudandum eſt quotidie communicare: ſi autem in ſtatu Eccleſiæ finalis, vtpote frigidum, & tardum; laudandum eſt, quod raro: ſi autem medio modo; medio modo ſe debet habere, & aliquando debet ceſſare, vt addiſcat reuereri; aliquando accedere, vt inflammetur amore: Quia tali hoſpiti debetur honor, debetur & amor; & tunc ſecundum illam partem, ſecundum quam viderit ſe melius proficere, ad illam magis declinet: quod homo ſolum experientia diſcit. Omnes ergo rationes ad primam partem pro frequentia intelligantur, ſalua debita præparatione, quæ in pauciſſimis eſt vt ſemper.* Hæc Bonauentura; cum quibus videant aduerſarij, quomodo cohæreant, quæ docent, dum dicunt, communionem quotidianam expedire omnibus cuiuſque ſtatus, & conditionis, dummodo non ſint in mortali, & præparationem debitam ad iſtam frequentiam reperiri in omnibus etiam laicis ritè abſolutis à lethalibus. 11.

Accedit Bonauentura. Bonauent.

Habemus etiam aliud præclarum teſtimonium eiuſdem Bonauent. *lib. 2. de profectu religioſis, cap. 77.* in hæc verba: *Vix aliquis ita religioſus eſſe videtur, & ſanctus, (exceptis Sacerdotibus) quin ſemel in ſeptimana ſufficiat ei ex conſuetudine communicare, niſi ſpecialis cauſa quandoque, vel ratio plus ſuadeat, infirmitas ſuperueniens, vel ſingulariter feſtiuitas ſolemnis, &c.* 12.

Aliud eiuſdẽ teſtimonium.

Hunc modum loquendi obſeruant alij Scholaſtici. Alex. Alenſis *4. p. art. 4. §. 1. quæſtiunc. 2.* cum propoſuiſſet verba Auguſtini de Eccleſiaſticis dogmatibus: *Quotidie Euchariſtiam ſumere, nec laudo, nec vitupero*; quærit, vtrum Auguſtinus loquatur de bonis, an de malis; ſi enim de malis, deberet vituperare; ſi de bonis, laudare; reſpondet in hæc verba: *Auguſtinus loquitur de bonis: & poteſt eſſe in bonis, quod quotidie communicare generet faſtidium, & minorem reuerentiam, & deuotionem, &c. in aliquibus vero ipſa frequentia auget deuotionem & reuerentiam; & tunc laudabile eſt quotidie accipere: & ideo nec laudat, nec vituperat; quia aliquando bene poteſt fieri à bonis, quandoque bene omitti à bonis.* Quod ipſum repetit infra *quæſtiunc. 4.* dicens: *Per ſe loquendo magis expedit alicui dignè accedere, quam expediat eidem ceſſare: occaſionaliter tamen magis expedit ceſſare ad tempus, quam frequenter accedere, quia aliquando contingit, quod ceſſatio eſt cauſa maioris deuotionis, & reuerentiæ.* Hæc Alexander: cui contradicunt Auctores primæ ſententiæ dicentes; qui hodie non communicat ineptiorem eſſe ad craſtinam communionem, quam ſi hodie communicaſſet. 13.

Hunc modum loquendi obſeruant alij Scholaſtici. Alenſis.

Idem habet Richardus *in 4. d. 12. art. 6. q. 1.* vbi ſic ait: *Si autem ſentiret homo, per multam frequentationem minui reuerentiam ad hoc Sacramentum, & feruorem non multum augeri, interdum deberet abſtinere, ut cum maiori reuerentia, & deuotione poſtmodum accederet.* Eadem verba habet Palud. *ibi quæſt. 1.* Dionyſ. Carthuſian. *quæſt. 5.* Alber. *diſput. 13. art. 27. & 28.* qui addit, quod *inter feruorem charitatis trahentem ad communicandum, & inter timorem reuerentiæ retrahentem, medium de-* 14.

Richard. Palud. Dionyſ. Carthuſ. Albert.

Melius proba tur ex Niceno.

in cap. *De iis, 26. quæſt 6.* in quo ſtatuitur, vt cum eis, qui vita creduntur diſceſſuri, antiqua lex ſeruetur, nempe vt vltimo, & neceſſario Viatico non priuentur. Loquitur autem etiam de publicè pœnitentibus, vt conſtat ex verbis ſequentibus, vbi ratio redditur, quia Viaticum eſt neceſſarium; non videtur autem ſermo eſſe de neceſſitate ex præcepto Eccleſiaſtico; quia lex ipſa Eccleſiaſtica non bene redderet pro ratione neceſſitatem prouenientem ex eadem, vel ſimili lege Eccleſiaſtica: ergo debet intelligi de neceſſitate aliunde prouenienti ex lege Diuina.

35. *Secundo à priori.*

Secundo, & à priori reddi poteſt ratio ex ſupradictis; quia ex inſtitutione huius Sacramenti vt nutrimenti, colligitur, vt vidimus, obligatio ſumendi illud, quando neceſſarium putabitur: nunquam autem poteſt magis eſſe neceſſitas huius cibi, quam in illo articulo, ex quo pendet vltima æternitas, & imminet vltima lucta cum hoſte ad decernendum de tota re: ergo ex eadem inſtitutione Sacramenti colligi potuit obligatio in Eccleſia ad cogendos determinatè ſubditos in ordine ad illum articulum, & in ſubditis ad accipiendum ab Eccleſia, Sacramentum in illo articulo. Neceſſitas enim, vt dixi, eſt duplex; alia eſt peculiaris, & per accidens reſpectu huius hominis taliter tentati, &c. & hæc debet ab ipſo, qui eam patitur, proponi: alia vero eſt communis, & hæc aliquando eſt indeterminata, vt circa frequentiam, & debet ab Eccleſia determinari prudenter ſecundum diuerſas circumſtantias temporis, & vtilitatis communis: aliquando eſt omnino determinata, qualis eſt in mortis articulo, & in hac debet Eccleſia ſemper determinatè, & vniformiter obligare ſubditos, prout de facto ſemper determinauit, & obligauit ſubditos ad tunc communicandum, niſi ipſa Eccleſia in pœnam iuſtis de cauſis eos priuauerit; ſicut iudex ſecularis poteſt in pœnam priuare reum cibo corporali.

36. *Quæritur quomodo tempus debeat computari.*

Quæritur primò, quomodo debeat computari tempus huius obligationis, an ſcilicet ille, qui paulo antequam incideret in mortis periculum, communicauit, debeat rurſus communicare in ipſo periculo. Aliqui affirmant, quos tacito nomine refert, & ſequitur Vaſq. *d. diſp.* 214. c. 2. (*Vaſquez.*) cuius præcipuum fundamentum eſt, quia non poteſt ſatisfieri præcepto per actum, qui fit, antequam præceptum incipiat obligare; vt ſi quis hodie audiat Miſſam, vel recitet Officium, non ſatisfaciet per hunc actum præcepto audiendi Miſſam, vel recitandi Officium die craſtina. Ratio autem videtur eſſe, quia quando aduenit poſtea præceptum, incipit obligatio ponendi rem præceptam: ergo debet poni poſt obligationem, vt fiat quod præcipitur.

37. *Communior ſententia. Suarez. Henriq.*

Communior ſententia dicit, non obligari hominem ad nouam communionem, quando paulo ante mortis periculum communicauerat. Ita Suar. *in præſenti ſect. 2. § Tertium dubium.* Henriq. *lib. 8. de Euchariſt. c. 4. lit. P,* qui exemplum adhibet in eo, qui paulo ante per octo dies communicaſſet: eandem regulam amplectitur Coninch *in præſenti art. 11. dub. 3. n. 98.* Layman. *lib. 5 tract. 4. c. 5 n 4.* Diana *2. tom. tract. 4. de Sacram. reſol. 40.* & alij Recentiores communiter. (*Coninch. Layman. Diana.*)

38. *Probatur à P. Suarez.*

P. Suarez probat ex eo, quod vnuſquiſque in ſuis actionibus cenſetur habere intentionem virtualem, & implicitam implendi omnem obligationem, quam poteſt, & debet, licet fortaſſe eam ignoret; hanc ergo virtualem voluntatem cenſetur homo habere in prædicto caſu. Hanc tamen rationem bene impugnat, & retorquet P. Vaſq. (*Hanc rationē bene retorquet Vaſquez.*) nam ſi per communionem ante mortis periculum ſuſceptam impletur præceptum, etiamſi abſque vlla intentione, imo etiamſi cum voluntate contraria fieret, impleretur præceptum; ſicut ſi quis audiat Miſſam die feſto abſque intentione implendi præceptum, imo cum intentione non implendi, adhuc implet præceptum, quia ponit totam rem præceptam: non poteſt ergo excuſari homo ab alia communione ratione illius intentionis virtualis.

39. *Hæc communis ſententia verior eſt.*

Ego hanc communem ſententiam veriorem exiſtimo, non quidem propter intentionem virtualem, quam homo habuit, ſed quia fundamentum illud P. Vaſquez in vniuerſum acceptum, difficile ſemper mihi viſum eſt; quod ſcilicet per actum ante præcepti obligationem factum, nunquam poſſit præcepto ſatisfieri. Scio, aliquos dicere, eum qui Subdiaconatum accipit, ſi mane ante Ordinem acceptum recitet Officium totum illius diei, non ſatisfacere præcepto, ſed debere poſt Ordinem acceptum repetere horas ſaltem illi tempori correſpondentes; quod docet etiam Bonacina (*Bonac.*) *tract. de horis Canonicis, diſp. 1. q. 2. punct. 5. n. 11.* Hoc tamen ipſum difficile mihi ſemper viſum eſt; quis enim credat, Religioſum Nouitium, qui more ſolito mane recitat totum Officium diei, qua profeſſionem debet emittere, non ſatisfacere, ſed debere poſt Profeſſionem repetere officium; quia antea non habebat obligationem ex præcepto, ſed ex regula Nouitiorum? Rurſus, ſi aliquis Sacerdos mane faciat Sacrum, & poſtea pergat ad locum alium, in quo eſt præceptum audiendi Miſſam, propter feſtum illius loci, quis dicat, teneri eum audire denuo aliam Miſſam, quia nondum obligatus fuerat præcepto in loco, in quo Sacrum fecit? Hoc certè eſt contra praxim: ſolent enim iter agentes præuenire, & anticipare auditionem Miſſæ, quando ituri ſunt ad locum vbi feſtum obſeruatur. Denique, ſi ratio illa quidquam probet, probaret etiam, ſi quis habens penſionem, & obligationem recitandi Officium ſolum paruum B. Virginis, vellet loco illius recitare Officium maius, & eadem die poſt recitatum mane totum officium, acciperet Beneficium Eccleſiaſticum, debere repetere partem officij; quia quando illud recitauit, nondum habebat obligationem recitandi officium maius. Imo etiamſi iam prius haberet Beneficium, & debitum recitandi officium maius; eadem die acciperet aliud ſecundum Beneficium obligans ad officium, deberet repetere officium, quod mane anticipatè dixerat; quia hoc ſecundum Beneficium re vera affert nouam obligationem recitandi, cui non potuit ſatisfieri per actum, antequam inciperet obligatio. Vnde conſequenter loquendo, idem quod dicunt de accipiente Subdiaconatum, deberent dicere de accipiente Diaconatum, vel Sacerdotium; quia hi etiam ordines afferunt nouam obligationem, & debitum recitandi officium, licet intra eandem ſpeciem; & ideo non explicandum in confeſsione: cui nouo debito non potuiſſet ſatisfieri per anticipatam recitationem. Quæ tamen omnia eſſe parum credibilia, & contra communem fidelium ſenſum, quis non videt?

40. *Sunt aliqua præcepta quibus ſatisfieri poteſt per opus factum ante obligationem.*

Fatendum ergo eſt, aliqua eſſe præcepta, quibus ſatisfieri poſſit per opus factum ante obligationem: nam licet obligationi recitandi cras non poſſit ſatisfieri per recitationem hodiernam, id quidem eſt, quia non ponitur res præcepta: quod enim præcipitur, eſt recitare cras, ſeu quod intra ſingulos dies recitetur, nec tranſeat dies ſine recitatione; quod quidem non ponitur, ſi cras non recitetur. Quando vero recitauit quis manè totum officium, iam ponitur res præcepta, quod ſcilicet

intra

intra illam diem recitetur: præceptum enim non eſt de recitatione poſt meridiem, ſed de recitatione intra illam diem, ergo poſita recitatione intra illam diem, non violatur præceptum. Vnde quotieſcumque eiuſmodi leges, aut præcepta fiunt tranſacta iam aliqua parte temporis, intra quod præcipitur opus, includunt conditionem aliquam implicitam, *ſi non ſit iam factum illud opus*, v. g. ſi præcipiatur hodie audire Miſſam, & obſeruare feſtum; intelligitur, ſi non eſt iam hodie audita: ſi præcipiatur Confeſſio ſingulis annis, ſubintelligitur, facienda hoc anno præſenti, ſi non ſit iam hoc anno facta. Sic debuit intelligi præceptum annuæ Confeſſionis in Concilio Lateranenſi editum, quod quidem Concilium celebratum fuit menſe Nouembri *anno* 1215. Quare qui illo anno ſemel, aut ſæpius confeſſus fuiſſet, non eſt credibile, quod obligaretur ad iterum confitendum ante finem anni.

Ratio eſt. Ratio autem eſt, quia huiuſmodi leges, & præcepta ſolum intendunt, quod ſingulis annis aut diebus, tale opus ponatur à parte rei, ſeu quod non tranſeat illud tempus abſque tali operatione intra illud poſita: hoc autem habetur, quando opus poſitum eſt intra illud tempus: ergo ita ſatisfactum eſt præcepto, vt ad nihil amplius obliget. Sic ergo in noſtro caſu dici poteſt, quod præceptum accipiendi Euchariſtiam in mortis articulo ſolum obliget ad accipiendam illam paulo ante mortem, ſeu quod non moriatur homo abſque Euchariſtia proximè accepta: hoc autem totum habetur, licet aliquis morbum, aut periculum nondum incurrerit: nam re vera Sacramentum acceptum eſt paulo ante mortem; nec moritur homo abſque Euchariſtia proximè ſuſcepta; ergo licet nondum incepiſſet obligatio, potuit præcepto ſatisfieri.

40. *Probatur ſecundo.* Probatur ſecundo hoc ipſum, quia ſi aliquis ex reuelatione ſciret, ſe cras repente moriturum, vel occidendũ abſque opportunitate accipiendi Sacramenta, obligaretur iam hodie ad illa accipienda: quid enim refert mortem obeundam ſcire à iudice, vel à Deo? Cum ergo obligetur ad Euchariſtiam accipiendam, qui præmonetur à iudice de morte craſtina, non eſt cur non obligetur, quando præmoneretur à Deo. Incipit ergo re ipſa obligatio, antequam vulnus vel morbus adueniat, licet propter noſtram ignorantiam excuſemur. atque ideo communio tunc facta re ipſa fuit intra tempus, quo iam præceptum obligabat, licet ignoraretur: præceptum enim eſt de communione paulo ante mortem præmittenda.

41. *Obiicit Vaſquez. Reſpondetur.* Sed contra hoc arguit Vaſquez primo, quia ſi ante articulum mortis poteſt ſatisfieri huic præcepto, non apparet, cur non ſufficeret communio longius à periculo diſtans. Reſpondetur, rationem eſſe, quia communio debet eſſe tempore mortis: tempus autem mortis ſicut non eſt ipſa ſola dies, ſic nec totus annus præcedens, ſed debet moraliter computari iuxta humanam apprehenſionem, & conſuetudinem, quia ea omnia, quæ proximè facta ſunt dicuntur facta mortis tempore: ſic enim Cœna, & inſtitutio huius Sacramenti dicitur facta à Chriſto mortis tempore, & in fine vitæ, licet vulnera, aut comprehenſio nondum veniſſent.

42. *Obiicit ſecundo.* Obiicit ſecundo, quia ſi ſatisfacit præcepto per communionem heſternam ante initium morbi; ergo hodie non poteſt accipere viaticum non ieiunus; quia ſolum propter præceptum Diuinum viatici ſumendi poteſt accipi abſque ieiunio. Conſequens autem eſt falſum; quia in eo caſu omnes etiam abſque ieiunio accipiunt viaticum: ergo non fuit ſatisfactum per priorem communionem.

Retorquetur facile hoc argumentum. Hoc argumentum retorqueri poteſt facillè; quia ſi non poteſt accipi viaticum abſque ieiunio ab eo, qui iam ſatisfecit præcepto; ergo ægrotus, qui in eadem ægritudine ſæpius communicauit ex deuotione, non poteſt iam morti proximus accipere viaticum abſque ieiunio: nam multo ante, & ferè ab initio incipit morbus eſſe periculoſus, & per te quælibet communio accepta poſtquam cœpit periculum, ſatisfacit præcepto, etiamſi fiat abſque intentione viatici: & tamen praxis omnium Religioſorum hæc eſt, vt, durante infirmitate, ſæpius communicent: poſtea vero, inſtante iam morte datur illis viaticum etiam non ieiunis: quam praxim non potuit P. Vaſquez ignorare, cum omnes infirmi in noſtra Societate debeant ex Regula ſingulis hebdomadis communicare: vnde ſæpe accipiunt viaticum die ſequenti poſt vltimam communionem, quam quidem acceperunt in eodem morbo iam periculoſo, licet non ita proximi morti. Vel debemus ergo damnare praxim piorum: vel fateri, quod poteſt accipere viaticum non ieiunus ille, qui in rigore non obligatur ad communionem, eo quod ſatisfecerit iam Diuino præcepto communicandi in fine vitæ. Neque enim diſpenſatur in ieiunio ſolum propter obligationem Diuini præcepti, ſed etiam propter maiorem neceſſitatem, & propter maiorem conſolationem moribundi, cui Eccleſia pia mater indulget, vt ad hunc finem, & ex intentione muniendi ſe, & præparandi ad viam, poſſit ſemel communicare etiam non ieiunus.

Vltimo arguit Vaſquez. quia ſi obligatio huius 43.
præcepti incipit ante ægritudinem, ergo ſi aliquis *Vltimo arguit Vaſq.*
ſciret ex reuelatione, quod ſequenti die debet incurrere morbum periculoſum, obligatur ad accipiendum hodie viaticum, nec poteſt amplius differre: quod tamen videtur apertè falſum. *Hoc argumentum etiam retorquetur.* Hoc etiam argumentum retorqueri poteſt: quia certum eſt, poſt initium periculi ſatisfieri poſſe per communionem præcepto Diuino: & tamen non obligatur homo ad communicandum ſtatim ipſa die, qua primo agnoſcitur periculum morbi, ſed poteſt differre, & aliquando differt per duos, vel tres dies: nam periculum non conſiſtit in duratione indiuiſibili, ſed poteſt eſſe morbus periculoſus per decem, vel viginti dies: ita tamen vt moraliter poſſit, & prudenter differri communio ad diem ſequentem, & vlterius, quia non eſt periculum morale mortis hodiernæ: poteſt ergo hodie ſatisfacere iam præcepto, licet non ſit obligatio communicandi hodie: quia nimirum ad ſatisfaciendum præcepto; ſufficit communicare in fine vitæ, vt poſſit armari recenti cibo contra vltimam luctam aduerſarij. Cum ergo per communionem factam heri ante morbum, armatus etiam ſit homo recenti cibo ad luctam hodiernam præſentis mortis, non apparet, cur non ſit ſufficienter ſatisfactum obligationi illius præcepti.

Quæritur ſecundo, an, qui accepit communionem 44.
in ſtatu peccati, ſatisfecerit huic præcepto viatici, *Quæritur ſecundo de eo qui accepit in peccato mortali.*
an vero debeat iterum in ſtatu gratiæ communicare. Ad hoc conſtat ex *dictis ſuprà num.* 22. vbi diximus, præceptum hoc non obligare ad finem præcepti, ſed ad opus: quare licet præcipiatur communio ad roborandum hominem per gratiam Sacramenti in illo articulo, qui finis non obtinetur per communionem indignè ſuſceptam: ea tamen præcepta iam ponitur: ſicut quando aliquis audit Miſſam ad finem turpem, adhuc ſatisfacit præcepto,

licet

licet illa auditio Miſſæ non conſerat ad finem ab Eccleſia intentum.

45. *Inſtatis.*

Dices, hinc ſequi, quod communio illa conferat ſuum effectum, poſtea ablato obice, contra id, quod diximus ſupra *in tract. de Sacramentis in communi, diſp.* 6. *ſect.* 6. Sequela probatur, quia ideo de Extrema-Vnctione & aliis diximus, dare ſuum effectum, ablato obice, quia non debent repeti: ergo ſi communio non debet repeti, nec dari iterum viaticum, manebit ægrotus abſque effectu illius Sacramenti magis ſibi neceſſario, quam effectu Extremæ-Vnctionis.

Reſpondetur.

Reſpondetur, ex ibi dictis conſtare differentiam: nam Extrema-Vnctio, & alia Sacramenta non ſunt ex ſua inſtitutione reiterabilia: at vero Euchariſtia ex ſua inſtitutione eſt reiterabilis, non ſolum die ſequenti, ſed eadem die, & hora: nam licet Eccleſia id prohibuerit eadem die, & licet prohibuerit communionem abſque ieiunio iterum ſumi die ſequenti, hæc tamen non ſunt ex inſtitutione ipſius Sacramenti; atque ideo ex ſua inſtitutione non debuit habere collationem ſui effectus ablato obice, ſicut alia Sacramenta.

46. *Tunc non obligat hoc præceptum ad ſumendam iterum Euchariſtiam.*

Hinc conſtat primo à fortiori, non obligare hoc præceptum ad ſumendam iterum Euchariſtiam ſe ſumpto ſemel viatico, poſtea ægrotus mortaliter peccauit; contra Sotum *diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 11. Cuius ſententiæ aduerſatur praxis Eccleſiæ: nullus enim Parochus daret hodie iterum viaticum infirmo non ieiuno, cui heri dederat illud non ieiuno, licet diceret, ſe hac nocte peccaſſe mortaliter; ſed ſolum datur illi abſolutio Sacramentalis. Porro ſi eſſet obligatio accipiendi iterum viaticum, deberet dari etiam non ieiunis: Eccleſia enim vniuerſaliter diſpenſauit in ieiunio, quoties accipitur viaticum, & non poteſt commodè ſeruari ieiunium.

47. *Non tantùm ad hoc obligantur qui moriuntur ex ægritudine naturali.*

Conſtat ſecundo, obligationem hanc ſumendi Euchariſtiam locum habere non ſolum in morte ex naturali ægritudine, ſed in iis, qui ob ſua delicta iuridicè interficiendi ſunt: imo in iis, qui periculum mortis aliunde habent, vt ſi periculoſum prælium ſit committendum, aut periculoſa nauigatio ſubeunda: vt bene notat Vaſq. 4. *tom. de Pœnitentia, q.* 90. *art.* 3. *dub.* 2. *n.* 15. & Ioan. Præpoſitus *hac q.* 80. *art.* 11. *n.* 54. & colligitur ex communi doctrina, qua Doctores dicunt, obligare hoc præceptum, quoties probabile mortis periculum occurrit.

Vaſquez. Præp ſit.

48. *Tranſacto mortis periculo non manet amplius obligatio.*

Conſtat tertio, tranſacto mortis periculo, in quo aliquis culpabiliter, vel inculpabiliter hoc præceptum non obſeruauit, non eſſe obligationem præcedentem; quia obligatio ſolum erat pro articulo illo neceſſitatis; qua ceſſante, ceſſat præceptum. An vero pueris, aut amentibus debeat tunc dari, diximus ſupra *diſp.* 13. *ſect.* 2. *& ſeqq.* de licentia item accipiendi viaticum abſque ieiunio, & an poſſit pluries id fieri in eadem infirmitate; diximus *diſp.* 15. *ſect.* 3. Reſtat vnum dubium; an poſſit, vel debeat dari viaticum illi, qui eadem die celebrauit, vel communicauit ex deuotione; de quo *ſect. ſequenti.*

SECTIO III.

Vtrum debeat, vel poſſit dari viaticum illi, qui eadem die ex deuotione communicauerat.

49. *Hic caſus frequenter contingit.*

Caſus hic poteſt frequenter contingere; & varij fuerunt in praxi Theologorum ſenſus: poteſt autem dupliciter id euenire. Primò, ſi Sacerdos, v. g. celebrauit mane, vel laicus communicauit, cum bene valeret, & poſtea, vel morbo ſubito correptus, vel vulnere, aut alio caſu percuſſus in periculo mortis ſit eadem die. Secundò, ſi, cum iam ægrotaret, mane non animo ſumendi viaticum, ſed ex deuotione communicauit, poſtea verò eadem die, morbo ingraueſcente, & morte inſtante, velit viaticum accipere.

Aliqui ergo ſentiunt, in vtroque caſu poſſe iterum dari Euchariſtiam: alij addunt, poſſe & debere. Alij in primo ſolum caſu id concedunt: alij in eodem primo caſu dicunt poſſe, ſed non eſſe obligationem id faciendi. Afferuntur pro hac ſententia nonnulli Auctores; ſed reuera eam non docent: imo eam videntur negare, quatenus ſemper addunt limitationem illam, qua ſignificant ſe loqui de eo, qui *præcedenti die*, non de eo, qui eadem die communicauerat. Sic loquitur P. Vaſquez, quem pro hac ſententia afferunt: ipſe tamen nunquam hoc conceſſit, ſed *n.* 14. dixit: *Si quis conſtitutus in ægritudine ſentiret mortis periculum, iuſtè poſſet Sacramentum non ieiunus accipere, etiamſi præcedenti die bene valens illud accepiſſet.* Non dixit, *etiamſi eadem die,* ſed *præcedenti.* Affertur etiam pro illa ſententia Lud. Lopez 1. *parte inſtructorij, de Euchariſtia, cap.* 76. *de vſu Sacramenti*, § *ſecundo ſequitur corollarium.* Sed hic Auctor ibi ſolum agit contra ſententiam Paludani, qui dicebat, per communionem factam aliquibus diebus ante ægritudinem excuſari infirmum ab obligatione communicandi in articulo mortis. Affertur item Alfonſus de Vega *part.* 1. *cap.* 100. *caſu* 24. vbi dicit, quando quis nutu aliquo oſtendit deuotionem internam, & ideo datur ei communio, ſi poſtea ſui compos Euchariſtiam petat, debere iterum ei dari. Cæterum hic Auctor non poteſt intelligi de communione danda iterum eadem die: quia in eo ſenſu loqueretur etiam contra prædictam ſententiam, pro qua citatur. Nemo enim dicit, poſſe Euchariſtiam dari bis pro Viatico eadem die: & tamen in illo caſu iam prima etiam vice data fuerat communio pro Viatico homini ſenſibus deſtituto: ergo non vult ille Auctor quod intra eandem diem detur iterum Viaticum ægroto iam petenti dari ſibi Euchariſtiam, ſed quod detur die ſequenti. Affertur denique Petrus Ochagauia *de Sacramen. tract.* 1. *de Euchariſt. q.* 14. Sed ibi ſolum tranſcribit verba P. Vaſquez, & docet idem de obligatione ſumendi Euchariſtiam poſtquam incepit periculum: nihil vero dicit de iterum ſumenda eadem die, qua fuerat ſemel ſumpta.

50. *Aliqui ſentiunt in vtroque caſu poſſe iterum dari.*

Vaſq.

Lopez. *Multi Auctores afferuntur pro ea ſententia qui eam non docent.*

Vega.

Ochagauia.

51.

Itaque huc vſque ego nullum Auctorem inueni, qui eam ſententiam typis mandauerit: ſolum inuenio, ter vel quater fuiſſe in diuerſis locis ad praxim deductam in totidem caſibus. Sed re vera, quod ſemel, aut iterum in repentinis caſibus fit, non æquiualet auctoritati eorum, qui accuratè de re cogitantes ſcribunt: facilè enim fieri poteſt, vt in ſubita illa turbatione non occurrant rationes omnes, & ideo eligatur id, quod tutius & vtilius exiſtimatur animæ ægroti.

52. *Contrariam ſententiam docent Doctores omnes.*

Contrariam ergo ſententiam docent vel in communi, vel etiam in particulari Doctores omnes, qui, dum dicunt, etiam illum, qui paulo ante communicauit, poſſe poſtea, adueniente periculo, iterum communicare: addunt exceptionem: *niſi eadem die communicaſſet.* Sic loquitur Suar. *diſp.* 69. *ſect.* 3. §. *Rogabis*; & addit, *contrarium non ſolum eſſe contra omnes Doctores, ſed etiam contra Eccleſiæ conſuetudinem.* P. Coninch. *q.* 80. *art* 11. *dub.* 4. *num.* 100. dicens, illud à nemine concedi; P. Fagund. *lib* 1. *de* 3. *Præcepto, c.* 3 *in fine*, vbi negat, id licere; P. Iacob. Granado *in præſenti tract.* 10. *diſp.* 4. *num.* 9. dicens, id

Suarez. P. Coninch. Fagund. Granado

Zambrano. id nullo modo licere; Citatur etiã Melchior Zambrano (quem videre non licuit) *in tract. decis. casuum occurrentium in articulo mortis circa Sacram. c. 3. dubio.* Layman. 5. Hoc ipſum dicere ille videtur Layman *tom. 2. tract. 4. de Sacramento Euchar. c. 5. n. 5.* dum contra quandam ſententiam, quam impugnat, infert vt magnum abſurdum, quod aliquando ægrotus communicaret bis intra eandem diem, quod concedi non poteſt. Præpoſit. Eodem modo afferri poteſt P. Ioan. Præpoſitus *hac q. 80. art. 11. n. 54.* vbi ſequitur ſententiam P. Vaſq. ſupra adductam, quod ægrotus, qui ante ægritudinem communicauit, nondum ſatisfecerit huic præcepto: vnde concludit pro praxi, ſi vno, vel altero die ante morbum communicaſſet, obligari ad accipiendum poſtea Viaticum. Eodem modo loquuntur alij omnes, nemine concedente pro eadem die: à qua communi auctoritate non videtur facilè recedendum.

53. *Quid dicendum ſit in vno ca. 1.* Et quidem, ſi ſermo ſit de illo, qui iam in ægritudine poſitus communicauit ex deuotione illa die, non video, quo modo poſſit dari iterum communio eadem die: impoſſibile enim eſt, quod morbus ille, qui hodie ducit ad mortem hoc mane non eſſet periculoſus, quantumvis eius periculum non agnoſceretur: ergo iam accepit hoc Sacramentum in periculo conſtitutus, ad quod ſolum obligat præceptum Diuinum. Poſſet quidem aliquando euenire, vt propter errorem, aut exceſſum aliquem morbus, qui nondum erat periculoſus, fiat repente periculoſus; quia v.g. medicinam noxiam æger accepit, vel ſanguinem intempeſtiuè è vena extraxit: regulariter tamen morbi lethales non fiunt repente periculoſi, ſed die præcedenti, & multo ante periculosè ægrotabat infirmus, atque ideo in mortis periculo communicauit.

54. *Quid in alio.* Si vero ſermo ſit de illo, qui mane bene valebat, & vulnere percuſſus, vel ſubito morbo correptus veſpere moritur, apparentius dici poſſet, quod poſſet iterum communicare; quia re vera nondum accepit Euchariſtiam in mortis articulo conſtitutus. Ad quod videtur conducere doctrina illa P. Vaſq. relata, quod per communionem ante vulnus, vel morbum factam nondum ſatisfactum ſit Diuino præcepto. Si enim nondum eſt ſatisfactum, debet ſatisfieri, antequam moriatur, & per conſequens eadem die. Quare pro hac ſententia adducunt aliqui P. Vaſq. ſed immerito; tum quia ipſe, vt vidimus: nunquam conſequentiam conceſſit, ſed ex induſtria appoſuit limitationem illam, *etiamſi præcedenti die communicaſſet*; tum etiam, quia conſequentia non eſt legitima: adhuc enim, conceſſa tota illa doctrina, negari poteſt: quia præceptum Viatici accipiendi non obligat ad accipiendum illud, quando accipi non poteſt: tunc autem non poteſt accipi eadem die, propter Eccleſiæ prohibitionem, quia prohibetur, ne quis pluries eadem die communicet. Quare ſicut non obligat ad ſumendum illud, quando deſunt veſtes ſacræ requiſitæ ex præcepto Eccleſiæ ad conſecrandum, quia obſtat Eccleſiæ prohibitio: ſic nec poterit accipi, quando obſtat eiuſdem Eccleſiæ prohibitio communicandi pluries intra eandem diem.

55. *Doctores dicunt eadẽ die nūquam licere communicare bis extra Miſſam, niſi ſit neceſſarium ad cõſummationem Sacramenti.* Vnde etiam in eo ſecundo caſu hæc pars videtur in hoc rerum ſtatu vera, dum legitima conſuetudo contraria contrarium non introduxerit: quia omnes Doctores, qui huius dubij meminerunt, id ſupponunt tanquam certum & indubitatum, cæteri autem vniuerſaliter ſaltem id docent, dũ dicunt, nunquam licere bis communicare eadem die extra Miſſam, niſi quando propter reuerentiam Sacramenti neceſſe eſt, quod ab aliquo conſumatur; quæ exceptio vnica ab omnibus aſſignata firmat regulam vniuerſalem in contrariũ. Quod enim aliqui reſpondent, omiſſum fuiſſe à Theologis hunc caſum, quia rariſſimus eſt, non poteſt ſatisfacere: multo enim rarior eſt caſus ille irreuerentiæ, propter quam neceſſe ſit à laico ſecũda communione ſumi Euchariſtiam, quem caſum nemo noſtrum fortaſſe vidit euenire, cum tamen neceſſitatem ſumendi Euchariſtiam iterũ propter mortis periculum ſæpius intra paucos annos in noſtris domibus eueniſſe ſciamus; & credibile eſt, quod frequenter contingat in tanta Sacerdotũ multitudine, qui quotidie celebrant, & eadem die, vel vulnere, vel colliſione, vel ſubito morbo correpti in mortis periculum incidunt, quibus, cum non detur eadem die Viaticum, meritò dixit Suarez, id contra Eccleſiæ conſuetudinem, & praxim eſſe.

Vnde ſecundo argui poteſt, quia ſi intra eandem diem deberet, aut poſſet iterum dari communio, deberet, aut poſſet dari intra eandem horam, aut ſemihoram, ſi aliquis ſtatim poſt communionem vulnere, vel morbo oppreſſus inciperet mori; ratio enim eadem eſt, ſcilicet obligatio: vel facultas accipiendi communionem cum intentione accipiendi Viaticum. Conſequens autem nec in praxi vnquam viſum eſt, nec fieri poſſet abſque ſcandalo: ſi aliquis ægrotus ex deuotione communicaret, & ſtatim reuocaretur Parochus, dum ad Eccleſiam rediret, vt iterum eidem ægroto iam morienti communionem daret, quia vel prius periculosè non ægrotabat, vel non acceperat communionem cum intentione accipiendi Viaticum: ergo ſignum eſt, quod iuxta ſenſum fidelium in eo caſu nec ſit obligatio id faciendi, nec poſſit licitè fieri. 56. *Probatur hoc vlter. ſi, quia ſi eadem die, ergo eadem hora, &c.*

Ratio autem à priori ex dictis ſectione præcedenti facile colligitur, quia ſcilicet per communionem factam paulo ante mortem, etiam ſine periculi, aut mortis cogitatione, ſatisfactum eſt reipſa præcepto communicandi in fine vitæ, ſicut de facto ſatisfacit, qui bene valens, ſciens, ſe cras occidendũ, hodie communicat, & ſatisfaceret, ſi id ſolum ex reuelatione ſciret; cum ergo periculũ non augeatur ex eo, quod homo ſciat, inſtare mortem (nam periculũ re ipſa iam eſt, licet ignoretur) fatendum eſt, illum etiam, cui inſtabat mors eadem die, re ipſa communicaſſe in mortis periculo, licet id ignoraret, atque adeo ſatisfeciſſe præcepto Diuino. Meritò ergo Eccleſia non diſpenſauit in prohibitione communicandi bis eadem die, cũ nulla eſſet neceſſitas ſecundæ communionis. Vnde obiter ſoluitur præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ, quod deſumitur ex obligatione præcepti Diuini de Viatico ſumendo, quæ debet præferri præcepto humano prohibenti bis communicare eadem die. Reſpondetur enim facile, in illo caſu ſatisfactum eſſe iam Diuino præcepto per primam communionem, vt diximus. Adde etiamſi non fuiſſet ſatisfactum, non obligaret Diuinum præceptum ad ſumendum iterum eadem die, ſtante prohibitione contraria Eccleſiæ, ſicut non obligat ad celebrandum ſine veſtibus ſacris propter Eccleſiæ prohibitionem: vnde Vaſquez, & alij, qui dicunt, nondum fuiſſe ſatisfactum præcepto Diuino, non concedunt tamen, quod debeat, aut poſſit accipi communio iterum eadem die, ſed ſequenti. 57. *Ratio ex dictis ſect. præcedenti facilè colligitur.* *Soluitur præcipuum contrariæ ſententiæ fundamentum.*

Arguunt ſecundo, præceptũ ieiunij naturalis ante communionem non obligat, quando neceſſe eſt accipi Viaticum; ergo nec præceptum non communicandi bis eadem die; præſertim cum præceptum ieiunij naturalis habeatur clarè ex lege Eccleſiaſtica, præceptũ vero non communicandi bis habeatur ſolum ex conſuetudine; lex enim Eccleſiaſtica ſolum loquitur de non celebrando bis eadem die, vt conſtat 58. *Obijciunt ſecundò.*

ex cap conſuluiſti, & *cap. Te referente* de celebratione Miſſarum. *Reſpondetur.* Reſpondetur retorquendo argumentum: imo enim vt poſſet Viaticum accipi à non ieiuno, neceſſaria fuit expreſſa licentia eiuſdem Eccleſiæ, quæ in eo caſu noluit obligare ad ieiunium, quæ licentia cum non ſit ab Eccleſia data ad duplicem communionem, nec Doctores meminerint talis exceptionis; non eſt, cur fiat à nobis ea exceptio, ſicut nec fit ad celebrandum tunc abſque veſte ſacra, quia Eccleſia non excepit hunc caſum in præcepto celebrandi cum veſtibus ſacris.

59. *Tertio arguitur.* Tertio arguunt, quia Sacerdos poteſt bis celebrare eadem die, ſi ieiunus ſit, ad dandum Viaticum moribundo; ergo & ipſe infirmus, cuius cauſa agitur, poterit ad accipiendum Viaticū ſecundo communicare. *Reſpondeo.* Reſpondetur negando conſequentiam, primo quia decreta citata concedunt Sacerdoti illam licentiam, dum concedunt, quod poſſit Sacerdos in neceſſitate pluries celebrare: nec argui poteſt à Sacerdote ad laicos: nam in die Natalis, & in aliis caſibus poteſt Sacerdos pluries celebrare, in quibus tamen laicis nunquam conceſſa eſt duplex communio. Secundo, quia ſi Sacerdos in eo caſu non celebrat ſecundò, infirmus morietur abſque Viatico: hoc autem non ſequitur, ſi ipſe infirmus non ſecundò communicet; quia per primam communionem, vt vidimus, ſatiſfactum fuit obligationi accipiendi Viaticum.

60. *Obiiciunt vltimo. Reſpondeo.* Vltimo obiiciunt, hanc ſententiam eſſe nimis rigidam. Reſpondeo, magis rigidam eſſe contrariam, cū obliget ſub peccato mortali ad accipiendam iterum communionem eadem die, & eadem hora, qua idem infirmus communicauerat. Nam quod aliqui mediam viam ſequentes dicunt, poſſe quidem, ſed non debere ex obligatione accipi ſecundam communionem; non videtur id ſatis conſequenter dici. Si enim præceptum Viatici ſumendi non obligat, non apparet, vnde habeatur illa licentia pluries communicandi contra prohibitionem vniuerſalem, cum neque ex conſuetudine, aut ex lege aliqua probari poſſit. Poſt hæc ſcripta inueni P. Gaſp. Hurtado *in tr. de Sacram. diſp. 10. de Euchar diffic. 2.* docentem, eum, qui bene valens communicauit manè, debere eadem die mortis periculo adueniente, iterum communicare: quod dicit feciſſe P. Claudiū Aquauiuam Generalem Societatis, qui celebrato manè Sacro, eadem die accepit Viaticum: & alios duos Patres Matriti. Ego de illis aliis neſcio quid fecerint: de P. Claudio, ſcio certò, illum non celebraſſe illa die, ſed per multos dies periculoſè ægrotaſſe, & iuxta vſum Societatis communicaſſe illo manè: quare hoc exemplum eſt contra illum Auctorem, qui negat, poſſe accipere Viaticum qui eadem die in periculo iam conſtitutus communicauerat; nec adduci debent, vt dixi, in exemplum ea, quæ ab aſſiſtentibus in illa perturbatione ſemel aut iterum facta ſunt, quando temporis anguſtia non permittit rationes, & Auctores accuratè examinare.

SECTIO IV.

De Præcepto Eccleſiaſtico Communionis Paſchalis, & annua.

61. *Fabian. Papa.* PRæceptum Fabiani Papæ, quod olim obligabat ad ter in anno communicandum, iam nunc obligat ad ſemel, ſaltem in Paſchate; quod decretū fuit *Innoc. III. Præcep. non Fabiani eſt Innoc. III.* ab Innoc. III. in Conc. Lateran. relato *in c. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* verba decreti hæc ſunt: *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & viuens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura.* Quod præceptum quia commune eſt pro vtroque Sacramento, ſolet magis ex profeſſo in materia de Pœnitentia explicari. Aliqua tamen Euchariſtiæ propria breuiter attingemus.

Primo itaque nomine *Paſchatis* non intelligitur ſolus dies Reſurrectionis, ſed quindecim dies à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè; iuxta communem vſum, & declarationem Eugenij IV. Imo in aliquibus locis extenditur tempus ad totam Quadrageſimam, ita vt qualibet eius die ſatisfieri poſſit præcepto. 62. *Quid intelligatur nomine Paſchatis.*

Secundo dubitatur, an præceptum hoc ſit affixum Paſchati, ita, vt qui tunc non communicauit, non obligetur amplius ad communicandum illo anno. Prima ſententia docet, non obligari amplius pro illo anno; ſicut qui hodie non recitauit, vel non audiuit Miſſam in feſto; non tenetur ad recitandum, quod omiſit, vel audiendam Miſſam die ſequenti; quia ſunt obligationes annexæ tali diei, Ita Antonin. Syluest, Tabiena, Medina, Soto, Victoria, quos affert Suar. *diſp. 70. ſect. 2.* Item Ledeſma, Ioan. de la Cruz. Toler. Valent. Eman. Sà, quos affert & ſequitur Anton. Diana *2. tom tract. 4. de Sacram. reſolut. 41.* 63. *Quomodo obliget hoc præceptum. Prima ſententia. Suarez.*

Secunda ſententia diſtinguit inter eum, qui omiſit communionem Paſchalem ex legitima cauſa, ſiue cum conſilio, ſiue abſque conſilio Confeſſarij, & eum qui culpabiliter omiſit, illum dicit obligari ad communicandum poſtea, hunc non obligari. Ratio autem eſt, quia præceptum ipſum ita impoſitum fuit, vt differri poſſet communio ex rationabili cauſa cum conſilio Confeſſarij: idem autem videtur eſſe, quando ex conſilio præſumpto Confeſſarij defertur: ergo tunc nondum præteriit tempus præſcriptum ab ipſa lege, ſicut præteriit, quando abſque rationabili cauſa fuit omiſſa communio. Ita Armilla, & alij apud Suarez. 64. *Secunda ſententia.*

Tertia ſententia dicit, ſemper manere obligationem continuam communicandi, quamprimum moraliter poſſit, poſt Paſcha: quia terminus ille non aſſignatur, vt in illo ſolo debeat fieri, ſed vt vltra illū non debeat differri opus præſcriptum. Nam in hac lege ſunt duo præcepta, alterum communicandi ſemel ſaltem in anno, alterum communicandi in Paſchate; quando ergo hoc ſecundum præceptum impleri non poteſt, debet obſeruari primum, cui opponitur illa vlterior dilatio communionis. Ita Suarez *d. diſp. 70. ſect. 2.* Vaſquez *tom. 4. de Pœnitent. q. 90. art. 3. dub. 1. n. 13.* Coninck *dub. 4.* Layman *tract. 4 c. 5. n. 8.* Nugnus, Pitigianus, Fagundez, Azor, Sylueſt, Graſſius, quos refert Diana *illa reſol. 41.* 65. *Tertia ſententia ſemper manere obligationem. Suarez. Vaſquez. Coninck. Layman, &c. Diana.*

Ego partim conuenio cum hac tertia ſententia, partim diſſentio. Placet itaque, quod, elapſo termino Paſchatis, non extinguatur obligatio præcepti, ſed adhuc duret: quia reuera hoc præceptum non eſt, ſicut præceptum ieiunandi, vel audiendi Miſſam tali die, ſed continet virtualiter duo præcepta, vt dictum eſt; alterum communionis ſaltem in anno: alterum communicandi in Paſchate: hoc ſecundum alligatur tali termino, quia reſpicit venerationem illius feſtiuitatis, alterum adhuc perſeuerat. Colligitur autem hoc in primis ex verbis legis: *Semel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*: nam illa verba, *ſaltem*, &, *ad minus*, ſatis indicant, ſimul prohiberi minorem frequentiam communionis, & præcipi ad minus annuam. Quem eſſe illorum verborum ſenſum, explicuit magis Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. 66. *Aliquid placet in hac ſententia, ſcilicet non extingui obligationem elapſo termino Paſchatis. Colligitur ex verbis legis. Conc. Trid.*

ſeſſ. 13. can. 9. *Si quis*, inquit, *negauerit*, *omnes*, *& ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate ad communicandum, iuxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ; anathema ſit.* Vbi verba illa Innocent. *ſemel ſaltem in anno*, non ſolum ad Confeſſionis, ſed ad Communionis etiam præceptum referuntur.

67. *Ratione etiā probatur.* Ratione item hoc ipſum conuincitur; quia Eccleſia, vt ſupra vidimus, debuit exigente fidelium negligentia, determinare tempus implendi diuinum præceptum, in quo non fuerat tempus determinatum: in hoc autem defeciſſet Eccleſia, ſi eum, qui in Paſchate non communicaret, liberum reliquiſſet: multi enim tunc ob impotentiam excuſarentur: cum ergo Diuinum præceptum non reſpiceret venerationem, & cultum Paſchatis, ſed debitam frequentiam Euchariſtiæ, hāc debuit Eccleſia primo loco, & principaliter præcipere, ac infrequentiā prohibere, licet obiter præciperet Paſchalis feſtiuitatis venerationē.

68. *Simile eſt præceptum recitandi debito tempore.* Simile ferè eſt præceptum recitandi, quod obligat ſub veniali ad recitandum debito tempore, niſi rationabilis cauſa excuſet: & tamen, qui debita hora non recitauit, non manet liber, ſed debet ſub mortali intra eandem diem ſupplere, quia eſt quaſi duplex præceptum: alterum obligans ſub mortali ad recitandum ſemel in die, alterum obligans ſub veniali ad recitandum tali hora, qua elapſa, adhuc manet obligatio alterius præcepti. Sic ergo videtur eſſe in caſu noſtro, cū hoc diſcrimine, quod vtraque obligatio ſit ſub mortali propter materiæ grauitatē.

69. *Diſplicet tamen quod ipſa vlterior obligatio nouam culpam ſemper afferat.* In hoc ergo conuenio cum illa tertia ſententia: ſed diſſentio, quatenus illi Auctores ſupponunt, ita perſeuerare obligationem communicandi poſt Paſcha, vt ipſa vlterior dilatio ſemper afferat nouam culpam: quia obligatio perſeuerat exigens ſtatim poſt Paſcha obſeruationem præcepti: Hoc, inquam, non videtur mihi ſatis conſequenter dici; quia ſi diſtinguamus illa duo præcepta, quorum alterum communicandi in Paſchate amplius non obligat, nec poteſt obſeruari; ſolum manet obligatio alterius præcepti communicandi ſaltem ſemel in anno; hoc autem non obligat ad communicandum hoc menſe potius quam illo, ſed ad communicandum ſemel hoc anno: non ergo manet obligatio communicandi ſtatim poſt Paſcha, ſed ſolum communicandi ante finem anni; qui annus, iuxta veriorem ſententiam, computatur à principio Ianuarij vſque ad finem Decembris, qui eſt annus Eccleſiaſticus, & profanus, ſicut hebdomada computatur à die Dominica vſque ad Sabbatum: quare ſicut qui habet obligationem communicandi ſingulis hebdomadis, ſufficit ſi intra illos ſeptem dies communicet, quocumque die id faciat; ſic qui debet intra annum ſemel communicare, ſufficit, quocumque menſe id faciat, quantum eſt ex vi illius præcepti. Vnde P. Vaſquez, qui *illo tom. 4. loco citato, dub. 1. n. 15.* dixerat, annum in illo cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, debere computari ab initio Ianuarij, vſque ad finem Decembris, non video quomodo poſtea *dub. 2. n. 6. & 7.* dixerit, ſtatim elapſo Paſchate continuari obligationem in dies communicandi, ne differatur amplius communio: nam, vt dixi, terminus huius ſecundæ obligationis non eſt Paſcha, ſed annus, intra quem ſufficit impleri præceptum Communionis, ſicut Confeſſionis, poſtquam violatum eſt præceptum communicandi in Paſchate.

Vaſquez.

70. *Reſpondetur ad id quod obijcitur.* Nec obſtat, quod iis, qui non communicant intra hebdomadam Paſchæ, aſſignari ſoleat alia hebdomada; in qua ſi non communicant, denuntiantur vt excommunicati. Reſpondetur enim, excommunicationem illam infligi propter transgreſſionem præteritā præcepti Eccleſiaſtici, quod obligabat ſub excommunicatione ex ipſo Concilio Lateranenſi, exequendā tamē poſtea à Prælatis; quā Prælatus non vult exequi in eos, qui hebdomada ſequenti cōmunicauerint.

Contra hoc tamen vrget P. Vaſquez *illo dub. 2. n. 6.* quia illi, qui non communicarunt in Paſchate excommunicantur, & non poſſunt abſolui à Parochis, vel aliis Confeſſariis, niſi communicent poſtea: ergo ideo, quia differendo vlterius communionem actū peccant; quo argumento *n. 3.* probauerat manere obligationem confitendi quamprimum ei, qui aſſignato ab Eccleſia tempore non communicauit. Si enim non duraret obligatio confitendi, ſed excommunicatio eſſet ſolum propter peccatum præteritum, non appareret, ut non poſſet abſolui à Parochis extra confeſſionem ab illa excommunicatione, à qua, cùm non ſit reſeruata, poſſent de iure communi abſolui à ſuo Confeſſario. Similiter ergo poſtea de obligatione communionis probat perſeuerare; quia alioquin ille etiam, qui poſtea non communicaret, poſſet abſolui ab excommunicatione contracta propter peccatum præteritum. 71. *Vrget contra hoc P. Vaſq.*

In hoc argumento, & hac doctrina non video quam conſequenter loquatur P. Vaſquez: quia ipſemet, vt dixi, docuerat *dub. præcedenti n. 15.* annum in præcepto Confeſſionis debere computari à principio Ianuarij vſque ad finem Decembris; quomodo ergo in eius ſententia poteſt excommunicari aliquis, eo quod non confiteatur menſe Aprili, vel Maio, cum anno præcedenti fuerit confeſſus, & poſſit adhuc obſeruare præceptum Confeſſionis hoc anno menſe Nouembri, vel Decembri: & tamen in eiuſmodi excommunicatione nunquam attenditur, an confeſſus fuerit anno præcedenti: ergo fatendum eſt, excommunicari propter omiſſam communionem debito tempore Paſchatis. Rurſus de ipſo præcepto communionis idem Vaſquez *infra n. 13. & 14.* dicit, tunc ſolum eſſe obligationem anticipandi communionem ante Paſcha, quando aliquis exiſtimaret, ſe non habiturum copiam Euchariſtiæ *toto anno*: ſi autem timeret ſe non habiturum copiam tempore Paſchali, bene tamen poſtea, *tunc*, inquit, *non teneretur anticipare; quia cum ab ea tempore Paſchali excuſaretur*, propter impotentiam, *poſtea frequentia Sacramenti*, ſcilicet communioni; *ſatisfacere poterit*. Quomodo ergo excōmunicatur propter peccatū, quod continuat non cōmunicando poſt Paſcha, & ideo non poteſt abſolui, quia non deſiſtit à violatione præcepti. 72. *Non videtur in hac doctrina quam conſequenter loquatur Vaſq.* Vaſquez.

Ad argumentū ergo illud P. Vaſquez reſpondere ipſe debet, & reſpōdemus facilè, excōmunicationem, vt dixi, imponi propter peccatum præteritū. Epiſcopi enim exequuntur pœnam, & cenſuram Conc. Lateranenſis; nolunt tamen illam exequi, niſi poſt aliquot dies: ſicut autē differunt executionē, ita volunt, ne ſolui poſtea poſſit, niſi homo communicare velit; imo nec tunc ſoluatur, niſi ad reincidentiā, hoc eſt, quod reincidat homo in cenſuram, ſi poſt abſolutionem obtentam non communicauerit; quod quidē ipſe P. Vaſq. fateri debet; nam abſolutio ab excōmunicatione ſemper datur ante communionem: & tamē nemo dicet, quod ſi homo poſtea, mutato conſilio, nolit communicare, maneat liber ab excōmunicatione: ergo reincidit, quia Prælati ita vtuntur iure ſuo excommunicandi propter Eccleſiæ præceptū violatū, vt exigant talem ſatisfactionem à peccatore; quam dum non offert, non abſoluatur, & quam, ſi poſtea re ipſa non ponat, reincidit in eandem cenſuram. 73. *Ad argumentum Vaſq. facilè reſpondetur.*

Ex his ergo oritur tertia quæſtio, an, qui præuidet ſibi futurū impedimentū in Paſchate, debeat ex obligatione præuenire, & cōmunicare ante tēpus ab Ec- 74. *Tertia quæſtio de eo*

qui ſibi futurum impedimentum præuidet. electa aſſignatum; Negat Suarez *in præſenti ſect. 2. §. Tertium dubium*: quod etiam tenent Azor *c. 1. lib. 17. c. 41. q. 13.* Pitigianus *in 4. Sent. t. 1 diſt. 9. q. 3 art. 9.* & alij. Probat Suar. quia nemo obligatur ad anticipandum actum præceptum, niſi per talem actum poſſit ſatisfacere obligationi præcepti: ſed per communionem illam anticipatam non ſatisfacit homo obligationi præcepti: nam ſi poſtea tempore Paſchatis ceſſaſſet impedimentum, quod timebatur, adhuc homo deberet ſeruare legem communicandi in Paſchate, cum poſſet, & lex abſolutè præcipiat id fieri: ergo non obligatur ex vi illius legis ad præueniendam, & anticipandam communionem, ſicut nec tenetur ad recitandum hodie Officium craſtinum, eo quod cras habiturus ſit impedimentum.

Suar. Azor Pitigianus. Sententia Suar & Vaſq. contraria.

75. *Vaſq.* Contrariam ſententiam docet Vaſq *dicto t. 4 dub. illo 2 n. 13.* quod ſcilicet ſit obligatio præueniendi, non tamen reſpondit ad fundamentum P. Suar. nec illud propoſuit. Eamdem ſententiam docent Syluius *hac q. 80 art. 1. q. 2.* Nugnus *ibid. diffic. 1.* Fagundez *lib. 1. de Præcepto Eccleſ. c. 6. n. 3.* & alij, quæ ſententia mihi etiam ex parte placet, & probatur facilè ex dictis: diximus enim, in hoc præcepto contineri virtualiter duo præcepta: alterum cõmunicandi ſemel ſaltem in anno; alterum communicandi in Paſchate, & quidem vt huic ſecundo ſatisfiat, non eſt obligatio anticipandi; ſicut qui cras non poteſt recitare Officium, vel audire Miſſam, non tenetur anticipare hodie, imo nec illa anticipatio deſeruiret ad ſatisfaciẽdũ præcepto, ſed adhuc cras obligaretur, ſi ceſſaret impedimentum; ſic etiam anticipatio communionis non deſeruiret ad ſatisfaciendum præcepto communionis Paſchalis. Cæterum alterum præceptum communionis annuæ obligat ad præueniendum, ſicut qui habet præceptum ſub mortali recitandi Officium intra hanc diem, & præceptum ſub veniali recitandi tali hora, præuidens impedimentum futurum tali hora, & toto tempore ſequenti, obligatur ad præueniendum ex vi obligationis recitandi illa die. Sic ergo præceptum communicandi intra hunc annum obligat ad præueniendum, quando non poteſt impleri præceptum eo tempore, quo deberet, ex vi alterius præcepti de communione Paſchali.

Siluius. Fagundez. Hæc ſententia partim placet, partim diſplicet.

76. Dixi tamen ex parte placere mihi illam ſententiam, quia non ſufficit futurũ eſſe impedimentum in Paſchate ad hoc, vt ſit obligatio anticipandi communionem: cum enim hæc obligatio oriatur ſolum ex præcepto communicandi intra annum, & huic obligationi poſſit fieri ſatis communicando duobus, vel tribus menſibus poſt Paſcha, dum ſit ante finem illius anni, non poteſt eſſe obligatio anticipandi; niſi forte præuideatur impedimentum duraturum per totum annum; tunc enim deberet in principio anni obſeruari: ſicut qui præuidet, ſe non auditurum Miſſam horis ſequentibus, debet eam audire prima hora ad obſeruandum præceptum.

77. *Ad fundamentum Suar. reſpondetur.* Hinc iam ad fundamentum P. Suar. poſſumus reſpondere. Et quidem aliqui dicunt, eum, qui propter futurum impedimentũ in Paſchate anticipauit bona fide cõmunionem, non obligari poſtea ad communicandũ in Paſchate, etiamſi ceſſauerit impedimentũ. Quam ſentent. P. Diana *d reſol. 42.* dicit eſſe veram, & eam docuiſſe Suar. *in præſenti ſect. 1. circa finem.* Sed reuera Suar. eam non tenet, ſed contrariam, cum expreſsè dicat, *ſe non audere excuſare ab obligatione communicandi in Paſchate eum, qui ſic anticipaſſet communionem, ſi poſtea nihilominus communicare poteſt tempore præcepti.* Affert tamen idem Diana pro illa ſententia quendam Fernand. de Heredia, quem videre non potui, *in diſp. de Sacr. tr. de Euchar. part. 8. dub. 1. n. 10.*

Diana. Suar.

78. Cæterum cuiuſcumque ſit, ego verius exiſtimo cum Suarez, obligari hominem tunc ad communicandum in Paſchate: quia illa communio non fuit facta ad ſatisfaciendum præcepto communionis Paſchalis, vt dixi, ſed ad ſatisfaciendum præcepto communionis annuæ, cui quidem iam eſt ſatisfactum, ſed illud alterum præceptum adhuc manet cum ſua vi ad obligandum. Sic etiam qui de facto communicauit hoc anno ante Quadrageſimam de manu ſui Parochi, ſatisfecit quidem præcepto annuæ communionis, licet nõ habuerit talem intentionem, & tamen obligatur ad communicandum in Paſchate: quia illi præcepto nõdũ ſatisfecit. Vnde ad argumentum P. Suar. in forma concedo Maiorem, & diſtinguo Minorem. Per illam communionem non ſatisfacit homo obligationi annuæ communionis, nego: obligationi communionis Paſchalis, concedo: atque ideo non obligatur ad anticipandum propter hoc ſecũdum præceptum, ſed propter illud primum, cum quidem iam ſatisfactum eſt: hoc autem debet intelligi, vt diximus, ſi impedimentum timeatur duraturum per totum annum: alioquin non obligaretur ad communicandũ ante Paſcha: ſi tamẽ communicaſſet, non obligaretur amplius ex præcepto communionis annuæ, ſed ſolum ex præcepto communionis Paſchalis, ſi in Paſchate poſſet communicare.

Potius tamen eſt obligari eum hominẽ ad communicandum in Paſchate.

79. *Obiicitur exemplum ſupra adductum.* Obiiciet aliquis exemplum ſupra adductum de præcepto graui recitandi intra hanc diem, & præcepto leui recitandi tali hora: quod exemplum videtur poſſe contra nos retorqueri. Nã ſi aliquis bona fide putans, ſe habiturum impedimentũ tali hora, anticipet recitationem Officij, poſtea licet impedimentum non ſit illa hora, non obligabitur etiã ſub veniali ad recitandũ iterum illa hora, ergo per recitationẽ anticipatã ſatisfecit vtrique præcepto: alioquin ſi ſecũdo nondũ eſt ſatisfactũ, manebit obligatio ſub veniali recitãdi illa hora: ergo ſimiliter per cõmunionẽ anticipatã bona fide factã, ſatisfactũ fuit vtrique præcepto: eadẽ enim videtur eſſe ratio in vtroq; caſu.

80. *Reſponſio.* Reſpondetur, exemplum illud non eſſe ſimile in omnibus; differt enim materialiter in aliquo à noſtro caſu, quatenus præceptum recitandi tali hora non eſt omnino abſolutum, ſed conditionatum, ſcilicet niſi rationabilis cauſa ſit anteponendi, vel poſtponendi, vel non recitandi illa hora. Vnde qui ex rationabili cauſa propter impedimentũ, quod futurũ timebat, anticipauit, nõ obligatur amplius illo præcepto leui recitandi tali hora, etiamſi poſtea ceſſet impedimentum imo licet abſque rationabili cauſa anticipauerit aliquis recitationem, & in hoc ipſo peccauerit venialiter: poſtea tamen non obligatur ſub veniali ad recitandum iterum hora debita, quia iam tunc habet rationabilem cauſam non recitandi illa hora, ſcilicet, ne cogatur bis recitare, cum iam recitauerit intra eamdem diem: hunc autem eſſe ſenſum, & modũ obligationis illius præcepti quoad talem horam, conſtat ex omnium vſu. At vero præceptum communicandi in Paſchate non habet eiuſmodi conditionem, ſed eſt ſicut præceptum audiendi Miſſam, vel ieiunandi tali die, quæ alligantur tali diei, & ideo nec poſſunt anticipari, nec poſtponi.

81. *Inſtantia.* Dices; imo habet explicatam conditionem, vt ex rationabili cauſa impleatur alio tempore, cum lex ipſa præbeat facultatem differendi cõmunionem ex conſilio Confeſſarij, vnde poterit ex eodem conſilio cum rationabili cauſa anteponi. Reſpondetur, imo quia lex ſolum dat facultatem differendi ex conſilio Confeſſarij, arguitur non poſſe anticipari: neque enim ex vna facultate ſequitur altera; quia, vt notauit bene Suar *illa ſect. 1 in fine*, Confeſſarius non poteſt diſpẽſare, aut conſulere, vt, qui in Paſchate non habet impedimentum aliquod, abſtineat tunc à communione;

Diluitur.

munione ; ergo nec poterit diſpenſare, vt qui antea communicauit, non communicet in Paſchate, ſi tunc nullum habeat impedimentum : nunquam ergo lex illa dat facultatem abſtinendi à communione : quando non adeſt impedimentum in ipſo tempore, quod à lege præſcribitur.

82. *Quæritur quartò, an ſatisfaciat qui communicat in peccato mor. als. Aliqui negãt.* Suarez. Dionyſ. Ciſtercienſ. Nugnus. Sylueſ.

Quarto quæri ſolet, an qui ſcienter, vel ignoranter communicauit in Paſchate in ſtatu peccati, ſatisfecerit Eccleſiæ præcepto, ita vt poſtea non obligetur ad communicandum iterum eodem anno. Negant plures, Durand. Capreol. Adrian. apud Suar. *loc. cit ſect.* 3. Afferri etiam poteſt Dionyſ. Ciſtercienſ. *in* 2. *diſp.* 17. quatenus dicit, modum charitatis cadere ſub præceptis Decalogi. Sed magis expreſsè hoc docent in noſtro caſu Nugnus *in præſenti q.* 80. *art.* 1. *diffic.* 2. *dub. vlt.* Syluius *in præſenti art.* 11. *quæſito* 2. & alij Recentiores.

83. *Communis ſententia affirmat.* Azor. Lopez. Fagund. Pitigian. Villalob. Diana. *Ratio præcipua eſt.*

Contraria ſententia communis eſt, quam tenent Corduba, Soto, Couar. quos refert, & ſequitur Suar. *ſect.* 3. Azor *tom* 1. *lib.* 7. *c.* 41. *q.* 12. Lud. Lopez *p.* 1. *Inſtruct. c.* 11. Fagund. *lib.* 1. *de* 3. *Præcept. Eccleſ. c.* 6. *n.* 4. Pitigian. *in* 4. *diſt* 9. *q.* 5 *art.* 10. Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 7. *diffic.* 42. *n.* 6. Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 23 & alij omnes ferè communiter.

Ratio præcipua eſt, quia præcepta non obligant ad finem, ſed ad ſubſtantiam præcepti : quare licet Eccleſia in hoc præcepto intendat, quod fideles huius Sacramenti fructus, & effectus percipiant, id tamen, quod præcipit, ſolũ eſt, quod ſuſcipiant Sacramentum ; ergo ille, qui reuera ſuſcipit hoc Sacramentum, verè ſatisfacit præcepto, licet inutiliter, imo ſacrilegè, & cum nouo peccato. Sicut præceptum ſuſcipiendi Ordinem, aut Confirmationem, vel contrahendi Matrimonium, obſeruaretur ab eo, qui indignè ea Sacramenta ſuſciperet : & ſicut ſatisfacit præcepto audiendi Miſſam, qui eam ex malo fine, & peccaminosè audit. Vide, quæ diximus *ſect.* 2. *n.* 21. circa præceptum Diuinum, & poſtea *n.* 45. circa præceptum ſumendi Viaticum : ea enim à fortiori probant de hoc præcepto Eccleſiaſtico ; vbi etiam aſſignauimus differentiam inter communionem factam in peccato, & illam, quæ fieret caſu, & abſque intentione ; per hanc enim non impleretur præceptum, quia non eſſet Sacramentalis, ſicut illa alia : præceptum autem eſt de communione Sacramentali, & valida ; non defectuoſa.

84. *Obiicitur primò.*

Obiicitur primo, quia Eccleſia præcipit ſemel in anno Euchariſtiam *reuerenter* ſuſcipere : vt conſtat ex verbis Legis ſupra relatis ; qui autem indignè ſuſcipit, non accedit reuerenter, ſed irreuerenter : ergo non ſatisfacit præcepto. *Reſpondetur.* Reſpondetur Eccleſiam illo verbo, *reuerenter*, vel voluiſſe ſolum reducere in memoriam vnicuique debitum reuerentiæ, quod aliunde obligat ; vel præcipere reuerentiam externam. Alioquin non congrueret pœnam arcendi, ab Eccleſia tranſgreſſores, quam imponit : quomodo enim poſſent Prælati eam exequi contra indignè communicantes ?

85. *Obiicitur ſecundò.*

Obiiciunt ſecundò ; quia hoc præceptum eſt determinatiuum præcepti Diuini : ſed Diuinum præceptum non ſolum obligat ad communionem, ſed etiam ad communicandum dignè, & in ſtatu gratiæ : ergo Eccleſiæ præceptum debet habere idem obiectum, neceſſe enim eſt, vt id, quod determinat aliud, participet eadem prædicata, & ſit ſub eodem genere cum eo, quod determinatur. *Reſpondetur.* Reſpondetur, conceſſa Maiori, diſtinguendo Minorem : præceptum Diuinum poſitiuum, quod obligat ad communionem, præcipit, quod ſumatur in gratia, nego : huic enim præcepto ſatisfit etiam per communionem indignam, vt vidimus *ſect.* 2. *locis ſuprà citatis* ; Præceptum Diuinum aliud naturale, quo prohibetur accedere indignè, concedo : præceptum autem Eccleſiæ determinat ſolum illud prius præceptum Diuinum propoſitum, non hoc poſterius naturale & negatiuum : hoc enim non indiget determinatione, cum ſit vniuerſale, & obliget pro ſemper.

Tertio obiiciũt, quia Eccleſia præcipiens recitare Officium, vel audire Sacrum, præcipit etiam reuerentiam, & attentionem debitam, quia hæc ſunt de ſubſtantia illarum actionum, quas præcipit ; ergo præcipit etiam dignam ſumptionem Euchariſtiæ, quæ dignitas eſt magis de ſubſtantia rei præceptæ. 86. *Obiicitur tertiò.*

Reſpondetur retorquendo Antecedens ; nam Eccleſiæ præcepto ſit ſatis per recitationem, vel auditionem Miſſæ ſacrilegam, & factam ex fine peccaminoſo, quia adhuc illæ manent ſubſtantialiter recitatio, vel auditio Miſſæ ; ergo per communionem indignam ſatisfiet, quia hæc eſt ſubſtantialiter communio Sacramentalis, quam Eccleſia præcipit. Itaque recitatio etiam Officij abſque attentione interna, dummodo adſit intentio, & alia requiſita, eſt recitatio ſubſtãtialis. An vero de facto Eccleſia etiam præcipiat attentionem, & qualem, dicemus aliquid infra *diſp vlt. de auditione Miſſæ.* *Reſpondetur.*

Quarto obiicit Syluius, quia Sacramentum hoc eſt cibus animæ ; non ſatisfaceret autem præcepto de ſuſtentanda vita corporali, qui cibum corporis ſumeret eo modo, quo non poteſt prodeſſe, ſed ſolum obeſſe ; ergo neque is, qui accipit Euchariſtiam indignè, ſatisfacit præcepto. 87. *Obiectio quarto. Syluii* Reſpondeo, illud præceptum naturale non eſſe formaliter ſumendi cibum, ſed ſuſtentandi vitam ; quare ſi quis abſque cibo ſuſtentaret vitam, quomodocunque id fieret, non teneretur ad capiendum cibum. In noſtro autem caſu præceptum non eſt de fine, quod à poſteriori conſtat, quia licet aliquis ex reuelatione ſciret, ſe abſque Euchariſtia conſeruaturum, & cum augmento gratiam, adhuc obligaretur præcepto ſumendi Euchariſtiam : non ergo præcipitur finis, ſed ſumptio huius cibi, ſiue proſit, ſiue non proſit conſeruationi gratiæ. Secluſo enim præcepto poſitiuo Diuino, & humano, non eſt obligatio grauis procurandi conſeruationem vitæ ſpiritualis per hoc medium, cum ſint alia media ad illum finem obtinendum. *Reſpondeo.*

Quinto quæri ſolet, qua ætate obligentur pueri hoc præcepto Eccleſiaſtico ? De hoc tamen diximus ſatis *ſupra diſp.* 12. Quæri denique ſolet, an huic præcepto debeat ſatisfieri in Eccleſiis Regularium ; de hoc vero dicemus *infra diſp.* 18. de miniſtro Euchariſtiæ, *ſect.* 2. *De hoc quæſito ſatis ſupra dictum eſt.*

DISPVTATIO XVII.

Vtrum conſulendum ſit omnibus Fidelibus indifferenter vſus quotidianus Euchariſtiæ.

SECTIO I. *Sententia affirmans, omnibus expedire communionem quotidianam.*
SECTIO II. *Prior pars vera, & communis ſententia explicatur & probatur.*
SECTIO III. *Secunda pars communis, & vera ſententia probatur.*
SECTIO IV. *Soluuntur obiectiones contra communem ſententiam.*

DVBIVM hoc tetigit S. Doctor *in præſenti art.* 10. cuius ſententiam reliqui Scholaſtici amplexi breuiter ſupponunt, & iam

res videbatur extra controuerſiam eſſe, donec pietas aliquorum adeo acriter quotidianæ communionis partes ſuſcepit, vt hæc breuis quæſtiuncula ad librum vſque excreuerit, & vulgi mentes in varias, vt fieri ſolet, factiones diuiſerit. Oportet ergo rem hanc ad trutinam diſputationis Scholaſticæ reuocare; breuiſſimè tamen; & ſanè ſufficit, ſi veritatem ſincerè quærimus: ſi contentionem, nec liber integer.

SECTIO I.

Sententia affirmans, omnibus expedire communionem quotidianam.

1\. *Supponitur primo id in quo omnes conueniunt.*

SVpponendum primò, Auctores vtriuſque partis conuenire in eo, quod homini exiſtenti in gratia licet ſimpliciter quotidianus vſus Euchariſtiæ, nec in huiuſmodi frequentia includi labem peccati lethalis: nam ſicut præceptum graue ſolum cogit ad communionem annuam; ſic etiam ſolum prohibet duplicem communionem vnius diei, ſiue hæc prohibitio ſola conſuetudine, ſiue poſitiuo præcepto inducta fuerit: quare licet aliquando nimia frequentia poſſit eſſe culpa venialis, ſicut etiam nimia abſtinentia intra annum ob aliquam circumſtantiam; cæterum neutrum extremum continet materiam culpæ grauis, ſed tota controuerſia eſt, vtrum intra terminos conſilij, & perfectionis oporteat quotidianam communionem omnibus indifferenter conſulere, vtpote rem vtiliorem, & medium aptius Chriſtianæ & Euangelicæ perfectioni.

2\. *Supponendum ſecundo non dubitari quin vſus ille ſit laudabilis.*

Conc. Trid.

Supponendum ſecundo, non dubitari, an vſus quotidianus Euchariſtiæ de ſe laudabilis ſit, & perfectior, quàm vſus rarior, atque ideo curandum omnibus eſſe ad illum peruenire, ſi poſſint. Hoc enim ſub his terminis adeo certum eſt, vt nemo Catholicus potuerit de hoc dubitare. Habetur enim ferè expreſsè in Trid. *ſeſſ.* 22 c. 6. vbi Eccleſia hanc frequentiam maximopere deſiderat: *Optaret*, inquit, *ſacroſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos ſanctiſſimi huius Sacrificij fructus vberior proueniret.* Quòd ſi perfectius eſſet abſtinere, quam communicare; proculdubio non optaret frequentiam Eccleſia. Ex quo etiam fit in genere loquendo, non expedire prohibere omnes fideles abſolutè à communione quotidiana: hoc enim eſſet, prohibere illos ab eo, quod de ſe eſt perfectius, & vtilius: ſicut ſi prohiberentur à voto caſtitatis, vel ſtatu religionis. Quare meritò Congregatio Cardinalium 4. *volumine decisionum Rotæ, in declaratione præfati loci Tridentini*, decreuit, huiuſmodi prohibitiones eſſe pernicioſas: *Obſtat*, inquiunt, *Conc. Trid. Epiſcopo volenti præſcribere certa tempora: vt dies Dominicos, quartam, & ſextam feriam, quibus tantum liceat viris laicis, coniugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non coniugatis ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere; etiam ob irreuerentiam, quam poteſt quotidiana huius Sacramenti ſumptio in ſua diœceſi parere. Hæc fuit deciſum in menſe Ianuarij* 1587. *obſtare, quia antiquo tempore, peracta conſecratione omnes adſtantes ſumebant Euchariſtiam: & ideo licitum eſt quotidie Euchariſtiam ſumere.* Hæc ſunt verba Cardinalium, ex quibus conſtat, vſum quotidianum Euchariſtiæ laudabilem eſſe, & deſiderandum ob innumeros fructus, quos parere poteſt in Eccleſia.

3\. Quæſtio ergo non procedit de perfectione huius frequentiæ ſecundum ſe, ſed prout in hoc indiuiduo (vt ita loquar;) poteſt enim contingere, aliquem actum ſecundum ſe eſſe perfectiorem, & tamen huic indiuiduo non eſſe vtiliorem, licet alioquin non ſit illicitus. Sanè dubitari non poteſt, perfectiorem eſſe cæteris paribus virginitatem, & cœlibatum, quam nuptias, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *can.* 10. & tamen poſſunt dari caſus quibus magis expediant huic fœminæ nuptiæ, quam virginitas. Dubium ergo eſt, an hæc maior vtilitas, & perfectio communionis quotidianæ vniuerſaliter ſit accipienda reſpectu omnium fidelium exiſtentium in ſtatu gratiæ: an vero ſint aliqui etiam iuſti, quibus ob magnam tepiditatem, ob relaxationem voluntariam, ob diſtractiones, & curas ſæculi, conſultius ſit rariùs, quàm ſingulis diebus ad Euchariſtiam accedere.

Partem affirmantem ſub his terminis explicatam, & quod omnibus iuſtis vniuerſaliter ſit vtilior quotidiana communio, neſcio aliquem ex antiquis, qui eam docuerit. Nam licet omnes tam Patres, quam Scholaſtici vniuerſaliter frequentiam ſuadeant (vt poſtea videbimus) ſicut etiam ſuadent virginitatem, & religionem: accipiendi tamen ſunt, ſuppoſitis terminis habilibus. 4.

5\. *Quidā Benedictinus partem affirmantem tenuit recenter.*

Cæterū hanc doctrinam vniuerſaliter docuit hac tempeſtate Theologus quidam Benedictinus Petrus Vincentius de Marzilla apud Compoſtellanos primarius Theol. Profeſſor, qui pro ſua opinione Memoriale quoddā edidit ad Archiepiſcopum Compoſtellanum, & poſtea libellum integrum, quem vocauit *Additiones ad Memoriale*, vtrumque Hiſpano idiomate, vt facilius apud plebem ſpargeretur; quæ, vt fieri ſolet, in partes diuiſa cœpit partim prædicto Magiſtro adhærere, partim illum reprehendere, & nouitatis pernicioſæ inſimulare, præſertim quod non ſolum homines, ac mulieres cuiuſque ſtatus, & conditionis ad communicandum quotidie induceret, ſed eo potiſſimum, quod eos hac in parte Confeſſarij iudicium expectare nollet, nedum eius monitis, aut conſilio obtemperare, ſed eo ipſo quod abſolutionem Sacramentalem à lethalibus obtinerent, vterentur iure ſuo, & inuito etiam, ac diſſuadente Confeſſario, ad communionem accederent.

6\. *Alius eiuſdem ordinis, & opinionis aſſertor.*

Mortuo præfato Magiſtro ſucceſſit alius eiuſdem Ordinis, & opinionis aſſertor Fr. Maurus de Valdeças, qui, edito Theologico certamine, eandem doctrinam renouauit: addit tamen, ruſticis, & ignaris non eſſe conſulendum accedere ſine licentia Confeſſarij, eo quod facilè poſſit contingere incidiſſe in aliquod lethale, cuius ſpeciem, aut grauitatem ignorent, & accedant ſine gratia ad hoc Sacramentum: cæterū, abſolutione obtenta, non credo requiri etiam ab hoc Theologo vlterius Confeſſarij placitum.

7\. *Potiſſima fundamenta horum Auctorum.*

Potiſſima fundamenta horum Auctorum ſumuntur ex Patrum verbis vbique quotidianam communionem ſuadentium: ex vſu primitiuæ Eccleſiæ: ex deſiderio Tridentini ſuprapoſito: ex fructu Sacramenti, qui datur ex opere operato omnibus iuſtis, quem procurare melius eſt, quam illo carere, cum ſit augmentum gratiæ, & virtutum: & denique ex eo, quod Paulus ſolum exigit hanc conſcientiæ puritatem à lethali, vt quis dignè accedat: quare qui eam habet, non eſt, cùr amplius abſtineat. Hæc ſunt potiſſima capita argumentorum, quæ tamen poſtea ſigillatim recenſebimus, vt ſimul diſſoluantur, poſtquam vera, & communis ſententia in ſequentibus ſectionibus explicata fuerit, & comprobata.

SECTIO II.

Prior pars vera, & communis ſententiæ explicatur, & comprobatur.

8\. *Vera & communis ſententia duas*

VEra, & antiqua ſententia, quam fideles omnes ipſo cum lacte acceperunt, & quaſi ex terminis notam Scholaſtici Doctores non tam probare curarunt,

habet partes. Prima eſt hoc non expedire omnibus indifferenter. Secunda eſt in hoc ſtandum eſſe iudicio prudentis confeſſarij.

curarunt, quam ſupponere, duas habet partes: prima eſt, non expedire omnibus iuſtis indifferenter, cuiuſque ſtatus, & vitæ ſint, quotidianam communionem, neque eis eſſe vtiliorem, licet alioquin non ſit illicita. Secunda eſt, eum, qui in re tanti ponderis errare noluerit, non ſe ſuo arbitrio debere ducere, ſed ſtandum ſibi iudicio prudentis Confeſſarij, vel Patris ſpiritualis, cuius erit hanc frequentiam plus, minuſve extendere, pro maiori, vel minori ipſius aptitudine. Primam partem in hac ſectione; poſteriorem in ſectione ſequenti comprobabimus.

9. *In prima parte omnes conueniunt.* S. Thom.

Et quod attinet ad primam partem, in ea conueniunt omnes Scholaſtici, nullo prorſus excepto. S. Thom. *in præſenti art. 10. in corpore*, ſic ait: *Circa vſum huius Sacramenti duo poſſunt conſiderari: vnum ex parte ipſius Sacramenti, cuius virtus eſt hominibus ſalutaris, & ideo vtile eſt quotidie ipſum ſumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat, &c. Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione, & reuerentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile eſt, quod quotidie ſumat. Vnde Auguſtinus cum dixiſſet:* Accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit, *ſubiungit:* ſic ſume, vt quotidie merearis accipere. *Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem, vel animæ, non eſt vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.* Hæc S. Thomas, apud quem vides expreſsè, communionem quotidianam non eſſe vtiliorem ob defectum magnæ deuotionis, & reuerentiæ, quam dicit deſiderari ex parte hominis ad hoc Sacramentum. Quis autem dicat nomine *magnæ deuotionis, & reuerentiæ*, intelligi carentiam ſolam peccati mortalis, admixtam etiam cum diſtinctione, & tepiditate maxima, & cum propoſito actuali committendi innumera venialia ex aduertentia? Sanè ego illam magis dicerem indeuotionem, & irreuerentiam, quam magnam deuotionem, & reuerentiam.

10. *S. Thom. ſe ipſũ explicat.* S. Thom.

Sed age, explicet ſe ſanctus Doctor, de qua reuerentia loquatur: ipſe ergo *in 4 diſt. 12. quæſt. 3. art. 1. quæſtiuncula* 1. ſic ait: *In hoc Sacramento duo requiruntur, ſcilicet deſiderium coniunctionis ad Chriſtum, quod facit amor; & reuerentia Sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet: primum incitat ad frequentationem huius Sacramenti quotidianam; ſed ſecundum retrahit. Vnde ſi aliquis experimentaliter cognoſceret, ex quotidiana ſumptione feruorem amoris augeri, & reuerentiam non minui, talis deberet quotidie communicare: ſi autem ſentiret, per quotidianam frequentationem reuerentiam minui, & feruorem non multum augeri, talis deberet interdum abſtinere, vt cum maiori reuerentia, & deuotione poſtmodum accederet.* Hæc S. Thomas, apud quem cæcus videat, nomine *reuerentiæ* non intelligi carentiam peccati mortalis: hæc enim non minuitur per quotidianam communionem, ſed deuotionem actualem, & præparationem, ac feruorem, qui vt poſtea videbimus, poterit aliquando per accidens minui ob nimiam frequentiam. Quare idem ſanctus Doctor poſtea *art. 1. quæſtiunc.* 3. concludit, ſumere Euchariſtiam, eſſe bonum per ſe, & ex genere; abſtinere vero, eſſe bonum per accidens, & addit: *ideo ſimpliciter loquendo melius eſt Euchariſtiam ſumere, quam ab ea abſtinere: ſed in caſu aliquo nihil prohibet, eſſe melius abſtinere, quando aliquis probabiliter præſumit, ex ſumptione reuerentiam minui.* Hæc S. Thomas, cuius verba ſi legit

Idem.

Auctor contrariæ ſententiæ, cur miratur c. 19. apud diſcipulos S. Thomæ ſuam doctrinam offenſionem parere, & nouitatem? Quid enim pareret, quæ ex diametro opponitur menti, & verbis Angelici Doctoris.

Accedat S. Bonauentura huius venerabilis Sacramenti deuotiſſimus teſtis *in 4. diſt. 12. part. 2. quæſt. 2.* propoſitis pro vtraque parte rationibus, ſic concludit: *Si ergo quæritur, vtrum expediat frequentare aliciui? Dicendum, quod, ſi videat ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ primitiuæ, laudandum eſt quotidie communicare: ſi autem in ſtatu Eccleſiæ finalis, vtpote frigidum, & tardum; laudandum eſt, quod raro: ſi autem medio modo; medio modo ſe debet habere, & aliquando debet ceſſare, vt addiſcat reuereri; aliquando accedere, vt inflammetur amore: Quia tali hoſpiti debetur honor, debetur & amor; & tunc ſecundum illam partem, ſecundum quam viderit ſe melius proficere, ad illam magis declinet: quod homo ſolum experientia diſcit. Omnes ergo rationes ad primam partem pro frequentia intelliguntur, ſalua debita præparatione, quæ in pauciſſimis eſt vt ſemper.* Hæc Bonauentura; cum quibus videant aduerſarij, quomodo cohæreant, quæ docent, dum dicunt, communionem quotidianam expedire omnibus cuiuſque ſtatus, & conditionis, dummodo non ſint in mortali, & præparationem debitam ad iſtam frequentiam reperiri in omnibus etiam laicis ritè abſolutis à lethalibus. 11.

Accedit Bonauentura. Bonauent.

Habemus etiam aliud præclarum teſtimonium eiuſdem Bonauent. *lib. 2. de profectu religioſorum, cap. 77.* in hæc verba: *Vix aliquis ita religioſus eſſe videtur, & ſanctus, (exceptis Sacerdotibus) quin ſemel in ſeptimana ſufficiat ei ex conſuetudine communicare, niſi ſpecialis cauſa quandoque, vel ratio plus ſuadeat, infirmitas ſuperueniens, vel ſingulariter feſtiuitas ſolemnis, &c.* 12.

Aliud eiuſdẽ teſtimonium.

Hunc modum loquendi obſeruant alij Scholaſtici. Alex. Alenſis *4. p. art. 4. §. 1. quæſtiunc. 2.* cum propoſuiſſet verba Auguſtini de Eccleſiaſticis dogmatibus: *Quotidie Euchariſtiam ſumere, nec laudo, nec vitupero*; quærit, vtrum Auguſtinus loquatur de bonis, an de malis; ſi enim de malis, deberet vituperare; ſi de bonis, laudare; reſpondet in hæc verba: *Auguſtinus loquitur de bonis: & poteſt eſſe in bonis, quod quotidie communicare generet faſtidium, & minorem reuerentiam, & deuotionem, &c. in aliquibus vero ipſa frequentia auget deuotionem & reuerentiam; & tunc laudabile eſt quotidie accipere: & ideo nec laudat, nec vituperat; quia aliquando bene poteſt fieri à bonis, quandoque bene omitti à bonis.* Quod ipſum repetit infra *quæſtiunc. 4.* dicens: *Per ſe loquendo magis expedit alicui dignè accedere, quam expediat eidem ceſſare: occaſionaliter tamen magis expedit ceſſare ad tempus, quam frequenter accedere, quia aliquando contingit, quod ceſſatio eſt cauſa maioris deuotionis, & reuerentiæ.* Hæc Alexander: cui contradicunt Auctores primæ ſententiæ dicentes; qui hodie non communicat ineptiorem eſſe ad craſtinam communionem, quam ſi hodie communicaſſet. 13.

Hunc modum loquendi obſeruant alij Scholaſtici. Alenſis.

Idem habet Richardus *in 4. d. 12. art. 6. q. 1.* vbi ſic ait: *Si autem ſentiret homo, per multam frequentationem minui reuerentiam ad hoc Sacramentum, & feruorem non multum augeri, interdum deberet abſtinere, vt cum maiori reuerentia, & deuotione poſtmodum accederet.* Eadem verba habet Palud. *ibi quæſt. 1.* Dionyſ. Carthuſian. *quæſt. 5.* Albert. *diſput. 13. art. 27. & 28.* qui addit, quod *inter feruorem charitatis trahentem ad communicandum, & inter timorem reuerentiæ retrahentem, medium de-* 14.

Richard. Palud. Dionyſ. Carthuſ. Albert.

bet *ſeruare temperatrix diſcretio.* Et in *lib. de Miſſa* in fine, *De his, qui mulieres omni die communicant: Videtur*, inquit, *quod acriter reprehendendi ſunt, quia nimia vſu vileſcere faciunt Sacramentum, & potius ex leuitate mulierum putatur eſſe deſiderium, quam ex deuotione cauſatus.* Ac denique de viduis, ſeu in caſtitate manentibus, & de iis qui præparant ſe ad communionem per abſtinentiam à coïtu, dicit, non debere prohiberi de menſe in menſem.

15\. Victoria. Soto. Domin. Sotus. Ouandus. Caietan. Antonin. Thom. Argent.

Similiter loquitur Victoria *de Euchariſtia, n.* 85. Pet. Soto latè *lect.* 4 *de Euchar.* Durandus *in* 4 *d.* 12. *q.* 5. Domin. Sotus *ibi q.* 1. *art.* 10. vbi coniugatis non permittit, niſi ad ſummum ſemel in hebdomada communicare. Ouandus *ibid. t* 2. *in fine* addit, *indecens eſſe vno die poſt alterum Laicas communicare.* Caietanus ibi dictus loquitur etiam cum Sacerdotibus S. Antoninus 3. *p. tit.* 14. *c.* 12. §. 5. iubet tepidos aliquando abſtinere, quia nimia familiaritas parit contemptum. Thomas de Argentina *illa diſt.* 12 *q.* 13. *art.* 3. diſcrimen aſſignat inter perfectos, & tepidos: & adducto exemplo caloris naturalis, *illos* inquit, *ſæpius congruit ſumere, qui ſpiritualiter habent fortiorem virtutem digeſtiuam, putà in quibus magis viget amor, & æſtuans deſiderium ad ſumendum.* Didacus de Tapia *in* 3. *p. q.* 8. *de Euchar. art.* 12. & Nugnus *in præſenti.* Pelbartus de Themeſnar 4. *p. Roſarij, verbo Euchariſtia,* §. 23. *circa finem.* Sylueſter, *Euchariſtia* 3. *q.* 15. Ioan. de Friburgo *in ſumma, lib.* 3. *tit.* 24. *q.* 119. Tabiena, *Communio, num.* 17. Alfonſ. Vega *in ſua Summa, cap.* 10. *de Euchariſtia,* §. 18. Pet. de Ledeſma 1. *part. ſumma, c.* 14. Barthol. de Ledeſma *in Summario de Sacramento Euchariſt. difficult.* 27 *col.* 412. & acriter contra aduerſarios Bartholomæus de Medina *in Inſtruct. Confeſſarij* 3. *Præcept. Eccleſ.* §. 42. Angelus, *Euchariſtia* 3. *num.* 38. & vno verbo omnes Theologi Scholaſtici, Morales, & Myſtici, inter quos M. Ioan. de Auila adducendus *infra ſect.* 4. Omitto authores noſtræ Societatis, quæ licet ab eius ortu in frequentiam huius Sacramenti valde fuerit propenſa; ſemper tamen cautiſſimè communionem quotidianam dari voluit, & non niſi probatæ vitæ, & eximiæ virtutis teſtimonio præëunte. Videatur Suarez *in præſenti, diſp.* 69. *ſect.* 4. Henriquez *lib.* 8. *de Euchariſtia, cap.* 53. P. Ægidius *in præſenti.* Valentia *diſp.* 6. *q.* 8. *puncto* 4. & alij omnes. Nec mirum, eos ita ſentire, quos proprij inſtituti ratio ad hanc doctrinam præuenerat; vt pote, quæ in *Reg.* 26. *Sacerdotum* præſcribit omnibus Societatis Confeſſariis, ne ſint faciles ad communionem quotidianam pœnitentibus concedendam, ſed potius coniugatos moueant, ne crebrius quam octauo quoque die accedant: quam Regulam licet Marzilla oppugnare tentauerit per epiſtolam ad Præpoſitum Generalem Claudium, quâ enixè poſtolabat, & ſperabat, vt abrogaretur; fruſtra tamen talem ſpem de noſtra Societate concepit, quod tam facilè diſſuaderetur ab ea opinione, quam à primis parentibus adeo prudenter imbiberat. Quare meritò hanc fiduciam ei abſtulit noſter Ludouicus de Ponte, epiſtola quadam de hac materia, quæ habetur in prædictis Additionibus, vbi breuiter, & grauiter probat, quod de hac frequentia doctè ſatis & piè dixerat 1. *tom Perfectionis Chriſtianæ, tract.* 4 *c.* 6. omnino videndus.

(Marginal notes: Tapia. Nugnus. Themeſn. Syluest. Friburgus. Tabiena. Pet. Ledeſm. Bart. Ledeſm. Bar. Medina. Angelus. Auila. Suarez. Henriq. Ægidius. Valentia. Marzilla. Ludou. de Ponte.)

16\. *Talis ergo eſt Scholaſticorũ conſenſus.*

Vides communem Scholaſticorum conſenſum, à quo in re graui, & mortali non licet priuata auctoritate diſcedere, præſertim cum credibile non ſit, Scholaſticos, & Doctores grauiſſimos ſine firmiſſimo fundamento in hanc ſententiam conſpiraſſe. Primum deſumitur ex Patribus, qui licet frequentiam Euchariſtiæ ſæpiſſimè ſuadeant, nunquam tamen voluerunt ita intelligi, vt cum ſola gratia habituali expediret quotidie ad Sacramentum accedere, vel vlterius maximam quandam reuerentiam, & præparationem exigunt. Chryſoſtomus *hom.* 17. *ſuper epiſt. ad Hebreos: Quando dicis, Sancta ſanctis; hoc dicis: ſi quis non eſt ſanctus, non accedat; non ſimpliciter dicit, à peccatis mundus, ſed ſanctus: ſanctum enim non mundatio peccati tantum facit, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum operum opulentia. Non enim inquit, volo à cœno vos mundos eſſe, ſed etiam albos eſſe, & pulchros,* &c. hæc eadem repetit *hom.* 61. ad populum Antiochenum. Auguſtinus item, ſiue quicumque Auctor fuit libri de Eccleſiaſticis dogmatibus, *cap.* 53. *tom.* 3. vbi illa vulgaria verba habentur: *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.* Ex quibus verbis ad minus colligitur, apud Auguſtinum magis apertam eſſe vtilitatem communionis hebdomadariæ, quam quotidianæ: illam enim ſimpliciter ſuadet; de iſta dubitat: nec valet dicere, Auguſtinum loqui de eo, qui non eſt in gratia; hunc enim nec ad hebdomadariam communionem hortaretur. Loquitur ergo de homine iuſto, vt explicat Bonauent. *in* 4. *vbi ſuprà*; quem tamen, quia raro inuenitur cum puritate requiſita ad quotidianam frequentiam, vt dixit idem Bonauentura, relinquit Auguſtinus ſuæ conſcientiæ. Sciebant Patres, habendam eſſe rationem etiam reuerentiæ tanto Sacramento debitæ: ideo licet ad frequentiam ſæpè incitarent, aliquando etiam reuerentiæ admonebant. Sic Ambroſius in oratione ante Miſſam. *Quanta cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, & animæ puritate illud Diuinum myſterium eſt celebrandum, Domine Deus, vbi caro tua in veritate ſumitur!* Quare Catechiſmus Pij V. cum antiquæ frequentiæ meminiſſet, rationem addidit, feruorem ſcilicet eximium illius ſæculi, *parte* 2. *cap.* 4. *ſect.* 61. *Omnes enim*, inquit, *qui tunc fidem Chriſtianam profitebantur, vera & ſincera charitate ita ardebant, vt cum ſine intermiſſione orationibus, & aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad ſacra Dominici corporis myſteria ſumenda parati inuenirentur.* Attende, obſecro, an hæc præparatio in ſola carentia lethalis conſiſteret: & an hodie in omnibus ſæcularibus paſſim inueniatur. Noſtro autem ſæculo quid faciendum, explicat idem Catechiſmus paulo ante his verbis: *Verum autem ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præſcribi non poteſt.* At hi Auctores vnam omnibus regulam communem aſſignant; vt, qui ſine lethali eſt, accedat; qui non eſt, non accedat.

(Marginal notes: Chryſoſt. Auguſt. Bonau. Ambroſ. Catechiſm. Pij V.)

17\. *Fundatur hæc ſententia in ſumentis vtilitate, & Sacramenti reuerentia.*

Secundo fundatur hæc communis Scholaſticorum ſententia firmiſſima ratione, cuius vis ad duo potiſſimum capita ſpectat: primo, ad ſumentis vtilitatem; ſecundo, ad Sacramenti reuerentiam. Nam in primis, cum certum ſit, effectum Euchariſtiæ creſcere pro maiori, & meliori præparatione ſumentis, procuranda ſummopere eſt hæc præparatio; eſt autem optima præparatio ad hunc cibum, ſicut ad alios, fames quædam, & ſpiritualis eſuries: nam vt dixit Auguſtinus, *panis hic interioris hominis eſuriem deſiderat*, & licet de eo pane dictum ſit, quod, *qui edunt illum, adhuc eſurient*; cæterum apud imperfectos non raro ſolet contingere, vt nimiam frequentiam pariat contemptum quendam, & faſtidium, abiiciantque communionem ipſam in conſue-

tudinem

tudinem torpori admixtam, ortam magis ex vſu, quam ex feruore ſpirituali: nam ipſo vſu vileſcunt
Bonauent. pretioſa, magis immutant. Ideo merito dixit Bonauentura in 4. d. 12. vbi ſupra quod *maiorem efficaciam recipit homo in vna Miſſa, vel manducationem cum bona preparatione, quam in multis, ſi non ſe preparet diligenter*: quia nimirum nimia frequentia adimit paulatim diligentiam præparationis, & per conſequens fructuum vbertatem quæ datur pro menſura diſpoſitionis, quare ad iſtam famem conſeruandam & excitandam, fugiendumque periculum inſenſibilitatis, & contemptus, expedit aliquando homini etiam exiſtenti in gratia abſtinere. Ideo forſitan
Leuit. 24. *Leuit.* 24. iubetur, panes propoſitionis per ſingula Sabbatha mutari, & alios recentes ſubſtitui; vt moneamur, panem hunc, non niſi nouo cum calore, & feruore ſpirituali offerre, ad quem concipiendum regulariter conducit hebdomadæ menſura.

18. Secundo attenditur, vt dixi, ad ipſius Sacramenti reuerentiam; in quo licet Chriſtus ſe totum ad noſtram effuderit vtilitatem, expedit tamen tanti Domini rationem habere, & cum, vt par eſt, tractare reuerenter: ſicut *Iſaiæ* 6. legimus Seraphim non manu, ſed forcipe tuliſſe prunam, ſeu calculum de altari; non quidem quia, ſi manu tangeret, crematetur manus Angelica, ſed in ſignum reuerentiæ, qua cœleſtis pruna in altari poſita tractanda eſt. Huius ergo reuerentiæ, & decoris cauſa multa fiunt circa hoc Sacramentum, quæ prima facie videntur diſpendium afferre noſtræ vtilitatis, licet reuera non afferant, vt videbimus. Nam in primis ideo non licet duplex communio in vno die; quia licet ſingulæ nouum fructum afferrent, eſſet tamen quædam ſpecies minoris reuerentiæ paſſim accedere ad tam venerabile Sacramentum; nec ideo ſolum prohibetur multiplex communio in die, quia per vnam communionem melius repræſentatur vnitas mortis, & paſſionis Chriſti, vt vult Marſilla; quia licet hæc ſit ratio alicuius congruentiæ, non tamen conuincens: poſſet enim pariter ob eundem reſpectum prohiberi duplex communio in hebdomada. Ratio ergo fuit, quam tradit Gabriel *lect.* 87. *in Canonem* his verbis: *Defectus debita reuerentia, præſumptio dignitatis propriæ, & inſufficientia gratitudinis reddendæ. Ad dignam ſumptionem huius Sacramenti requiritur meditatio excellentia tanti Sacramenti, vt mens excitetur ad ſumendum cum reuerentia, & deuotione. Requiritur etiam meditatio propriæ indignitatis, vt excitetur animus ad ſumendum cum timore, &c. Hæc autem difficulter dignè exhibentur pluries vna die, vnde tandem in conſuetudinem veniret ſine hac præparatione ſumere, & per hoc minus*
Gabriel. *reuerenter*. Hæc Gabriel; ex quibus colligitur clarè, hominem, cui quotidiana communio cauſa eſſet accedendi ſine meditatione, & conſideratione, ſiue quia frequentes occupationes impediunt, ſiue quia exigua deuotio non ſufficeret ad quotidianam præparationem, hunc (inquam) melius facere accedendo ſemel in hebdomada, quam ſingulis diebus, cum reſpectu huius militet eadem ratio.

19. Confirmatur primo, quia ob eandem Sacramenti
Confirmatur primo ex eo quod ratione eiuſdem reuerentiæ prohibuit Eccleſia infantibus. reuerentiam prohibuit Eccleſia Euchariſtiæ ſumptionem infantibus baptizatis, licet hoc non fiat ſine aliquo ipſorum diſpendio, quibus Euchariſtia augeret gratiam ex opere operato. & vſus etiam obtinuit, pueris etiam doli capacibus non dari Euchariſtiam ante perfectum vſum rationis. Quem morem licet videatur Marſilla reprehendere in Memoriali ante primam obiectionem, probant tamen illum
Suarez. Theologi omnes, quos refert Suarez *in præſenti diſp.* 70. *ſect.* 1. & Catechiſmus Pij V. & conſuetudo omnium Sacerdotum non admittentiũ ſtatim pueros ad communionem, licet eis abſolutionem impendant. Qua etiam ratione apud Indos non admittuntur omnes ſine delectu ad Euchariſtiam, licet omnes abſoluantur, ſed illi ſolum, qui prouectiores ſunt, & melius diſcernunt cibum iſtum. Vide, quam infirma ſit hæc conſequentia: aliquis eſt iam per abſolutionem capax fructus Euchariſtiæ; ergo non eſt, cur illi negetur. Debet enim vlterius haberi ratio reuerentiæ ipſius Sacramenti, vt docuit Tridentin. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. dum ait in Sacramentorum diſpenſatione attendendum eſſe ad vtilitatem ſuſcipientiũ, & ad Sacramentorum venerationem, pro temporũ varietate, &c.

Confirmatur ſecundo, quia ob eandem reuerentiam non datur Euchariſtia amentibus etiam non perpetuis, & baptizatis, & capacibus effectus Euchariſtiæ; quibus licet in fine vitæ detur pro Viatico, non tamen ante mortem: vt cum Catechiſmo Pij Quinti docent communiter Theologi: quos ſequitur noſter Suarez *Diſp.* 69. *ſect.* 2. vbi bene aduertit, rationem diſcriminis inter mortis articulum, & aliud tempus procedere ex veneratione debita huic Sacramento: quod poſtulat, non niſi ex graui cauſa dari ei qui per propriam deuotionem non poteſt ſe ad illud præparare: quæ ſanè ratio cum proportione procedit, aliis omnibus cõtrariis, & cum grauiori cauſa dandum, quò minus habent deuotionis, & præparationis: vt etiam in hoc ſenſu habeat locum illud Cant. 5. *Comedite, amici, & bibite: & inebriamini, chariſſimi*: vbi vides ad maiorem ſatietatem inuitari chariſſimos, quam amicos; habet enim ſuam latitudinem inuitatio, ſicut & ipſa amicitia, & familiaritas conuiuarum. 20. *Confirmatur ſecundo ex amentibus.* Suar.

Confirmatur tertio, quia eadem de cauſa ablatus eſt vſus calicis laicis, vt ſcilicet ſeruaretur debita reuerentia Sanguini, licet alioquin careant laici maiori fructu, quem ex vtraque ſpecie haberi diximus *Diſp.* 12. *ſect.* 3. Item ea de cauſa prohibetur communio infirmo habenti periculum vomitus; quia plus refert cauere vomitum ſpecierum ob irreuerentiam, quam infirmum habere fructum Viatici. Quid dico periculum vomitus? Etiamſi non ſit tale periculum, non permittitur ægroto ſumere Euchariſtiam de manu laici, caſu quo abſit Sacerdos: exiſtimante Eccleſia, minus inconueniens eſſe quod moriatur ſine Viatico, quam tangi Euchariſtiam manu laica, abſente Sacerdote. Adeo curat reuerentiam huic Sacramento in omnibus ſeruari: & mirum erit, ob eandem reuerentiam, hominem remiſſum, & venialibus ex aduertentia plenum, in ipſiſque actu complacentem abſtinere à quotidiana communione. 21. *Confirmatur tertio ex quod Sanguis non datur Laicis.*

Confirmatur quarto: quia ob eandem reuerentiam prohibitum fuit olim accedere ad Euchariſtiam poſt coitum etiam coniugalem, & licitum: & licet illa præcepta ceſſauerint in ratione præcepti, manent tamen in vi conſilij congruentiſſimi, vt poſt talem coïtum vel pollutionem etiam inuoluntariam abſtineat homo: vt docent Patres, & Theologi, quos refert, & ſequitur noſter Sanch. *lib* 9. *de Matrim. diſp.* 13. niſi fortè aliqua rationabilis cauſa in particulari excuſet ab irreuerentia: de quo diximus *Diſp.* 15. *ſect.* 1. 22. *Confirmatur quarto ex antiqua prohibitione.* Sanch.

Senſit difficultatem Marſilla *in Additionibus, c.* 7. & reſpondet, in primis illa antiqua decreta non tam præcipere, hominem non communicare poſt copulam, quam non habere copulam ante communionem: itaque ob reuerentiam Euchariſtiæ iubebatur homo abſtinere à copula ante communionem: quod ſi non abſtineret, non ideo iubebatur abſtinere à communione: quia data illa negligentia antecedenti, adhuc melius erat communicare, quam abſtinere. Cæterum hæc expoſitio eſt contra verba Patrum 23. *Marſilla ſoluere difficultatem conatur.* *Hæc expoſitio eſt contra*

eſſet ad holocauſta, *incidit illis conſilium bonum, & repoſuerunt*, inquit, *lapides in monte domus in loco apto, quoad vſque veniret Propheta, & reſponderet de eis.* Sic ſanè fieri debet, quoties dubitatur de puritate ad frequentiam huius Sacramenti; mundare lapides, quantum fieri poteſt, ponere eos in loco apto, & puro, ac de reliquo conſulere Prophetam, Prophetam, inquam, non quemlibet Sacerdotem, ſed doctum, & pium, qui ſpiritum Dei habeat; ſicut Iudas noluit conſulere Sacerdotes, quos ſecum habebat, ſed expectata Prophetam: eſt enim res periculi plena, & in qua vel per exceſſum, vel per defe-
35. ctum facile decipi poſſumus. Vnde non deſunt, qui doctrinam illam de non ſequendo conſilio Confeſſarij in ordine ad communionem temerariam, & ſcandaloſam iudicent; cum quibus ſentit P. Luiſius
Turrianus. Turrianus *in diſp. ſelectis, diſp. 36. de Cenſuris Theolog. cenſura 4. dub. 44.*

S. Thom. Obſtare videtur huic doctrinæ S. Thomas *in 4. diſt. 12. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 1.* vbi ex Auguſtino docet, quoad hoc *relinqui debere vnumquemque ſuo iudicio*; ergo non oportet ſequi iudicium Confeſ-
Reſpondetur ſancto Th. ſarij. Reſpondemus, S. Thomam docere, vnumquemque conſulere debere in primis propriam conſcientiam, an experiatur minui, vel augeri in ſe reuerentiam, & effectum per frequentiam: hoc enim nemo ſcire poteſt, niſi ipſe, qui experitur, & quoad hoc relinqui debet quiſque ſuo iudicio: cæterum poſtquã Confeſſarium de hoc inſtruxerit, ad Confeſſarium ſpectat præcipere, quod facere debeat.

SECTIO IV.

Soluuntur obiectiones contra communem ſententiam.

36.
Salmeron. Videamus nunc fundamenta aduerſæ opinionis, cuius auctor ea ferè deſumpſit ex Salmerone *dicto tom. 9. tract. 41.* non tamen ſumpſit limitationem, qua Salmeron abſoluit illum tractatũ per hæc verba: *Vt autem ad Laicos veniamus, quibuſdam quotidiana communio conuenient, quibuſdam octauo quoque die, quibuſdam ſemel in menſe, & ſic de aliis pro cuiuſque diſpoſitione, & arbitrio Sacerdotis, modo ſit prudens, ac probus; ita vt non poſſit certa aliqua regula aſſignari.* Hæc ille. Veniamus tamen ad argumenta; & in primis ad ea, quæ ducuntur ab auctoritate; deinde ad rationes.

37.
Chryſoſt.
Primo obiici poteſt Chryſoſt. & alij. Primo ergo obiici poteſt Chryſoſtomus *tom. 4. hom. 5. ſuper 1. ad Timoth.* in hæc verba: *Hoc eſt, quod vniuerſa perturbat; quia non munditia animi, verum interuallo temporis longiore conſtare meritum putas: ſummamque arbitraris reuerentiam, ac religionem eſſe, ſi non ſæpius cæleſtem illam adeas menſam. Ignoras, quoniam indignè accedere, etiamſi ſemel tantum fiat, te ſupplicio tradit: dignè verò, etiamſi ſæpe accedas, ſalutem inde conquiris?* Idem Chryſoſtomus *hom. 3.* in Epiſt. ad Epheſ. *Tempus non efficit dignos tanti aditu Sacramenti: ſed ſola animæ ſynceritas, atque expurgatio: cum tali puritate accede ſemper: ſine hac ne præſumas vnquam.* Conſonat
Auguſt. illud Auguſtini *tom. 10. ſer. 28.* de verbis Domini: *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt*
Bonauent. *annum accipere.* Bonauentura *de proceſſ. Relig. proceſſu 7. cap. 21. Licet tepidè, accedas fiducialiter confidens de miſericordia Dei: quia quo magis æger, magis indiges medico.*

38.
Idem.
Exponuntur ſancti PP. Hæc, & alia ſimilia explicat idem Bonauent. *in 4. vbi ſupra*, dicens, debere intelligi, *ſalua ſemper debita præparatione, quæ in pauciſſimis eſt, vt ſemper.* Suadens ergo Sancti frequentem communionem eo tamen ipſo ſuadent diſponere ſe hominem ad frequenter accedendum, vt dixit Ambroſius: *Quotidie accipe, quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* Fateor item, ſolam temporis dilationem per ſe non conferre ad meliorem præparationem, nec frequentiam reddere minus aptum, imo potius magis per ſe loquendo: per accidens tamen poteſt alicui occaſionaliter frequentia parere irreuerentiam, vt ſupra probatum eſt. Cum verò dicit Chryſoſtomus, cum vitæ puritate ſemper accedendum, debet accipi illud, *ſemper*, cum proportione, id eſt, ſuis temporibus congruis, pro maiori vel minori congruitate & neceſſitate: ſicut, *ſemper orandum*, debet accipi cum eadem proportione. Adde, veriſſimum eſſe, qui non eſt dignus quotidie, non eſſe dignum poſt annum: hoc tamen ſolum arguit, ineptam eſſe excuſationem eorum, qui prætendunt indignitatem, ne accedant. Cæterum licet poſt annum non ſit dignus condignitate adæquationis, poteſt tamen accedere aliquis ſine indecentia; quæ eſſet, ſi cum eadem tepiditate accederet quotidie: quia poſt annum datur grauior neceſſitas, qua excuſatur, & compenſatur illa irreuerentia. Ambroſius.

Secundo obiicitur, *panem* iſtum appellari *quotidianum*, id eſt, quotidie accipiendum: quæ verba de Euchariſtia intelligunt plures Patres adducti à Salmerone vbi ſupra: Reſpondeo cum Bonauentura ſupra, panem eſſe quotidianum per ſe loquendo, & ſuppoſita debita diſpoſitione, quam obiter petimus petendo panem illum fieri nobis quotidianum. Eodem modo intelligi debet admonitio Catechiſmi docentis Parochum, vt hortetur fideles hunc panem quotidie ſumere, ſicut corpori in ſingulos dies alimentum ſubminiſtrant. Quæ verba explicari debent ad mentem eiuſdem vbi ſupra docentis, diſpoſitionem ad Euchariſtiam latitudinem habere, atque ideò non poſſe vnam regulam pro omnibus præſcribi. 39. *Secundo obiicitur hunc panẽ ideo vocari quotidianum. Reſpondetur.*

Tertio obiicitur ex Hilario *in cap. Si non ſunt, de conſecrat. diſp. 2. Si non ſunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis, & ſanguinis Domini ſeparare:* ergo ſola carentia mortalis culpæ ſufficit ad vtilius accedendum. Reſpondeo, ibi non agi de maiori vtilitate quotidianæ communionis, ſed ſolum de omiſſione communionis; quæ intuitu delictorum præcedentium non debet omitti, ſi homo velit ſe præparare, niſi propter illa fuerit excommunicatus. Quo etiam ſenſu loquitur Gregorius *lib. 2. Epiſtol. 26. Sicut, exigente culpa, quos à Sacramento Communionis dignè ſuſpenditur: ita inſontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta.* 40. Hilari

Quarto obiicitur Tridentinum *Seſſ. 22. cap. 6.* vbi optat, in ſingulis Miſſis fideles adſtantes communicare. Item declaratio Cardinalium *in 4. vol. deciſionum Rotæ*, ſupra illum locum Concilij, vbi dicitur, Tridentinum obſtare Epiſcopo prohibenti cõmunionem quotidianam omnibus coniugatis, ſeu præſcribenti certos dies, extra quos non fiat communio. Reſpondeo, Tridentinum optare id quod perfectius eſt; cæterum ſimul optare in omnibus diſpoſitionem congruam ad illam frequentiam. Quare meritò reprehenditur Epiſcopus prohibens communionem quotidianam, ſicut reprehenderetur, qui prohiberet in vniuerſum ſtatum Religioſum; licet certum ſit non expedire omnibus in particulari ingredi Religionem. 41. Conc. Trid. *Obiicit. Tridentinũ. Reſponſio.*

Quinto obiicit Marcilla *in Additionibus, c. 21.* auctoritatem Ioannis de Auila, viri pietate, & doctrina noſtro ſæculo inſignis; qui conſultus, an Parochus rogatus ſæpe in anno debeat dare Euchariſtiam petenti, 42. Auila. *Obiicit auctoritatem Ioan. de Auila.*

Reſpondetur illum auctorem à nobis ſtare.

petenti, necne? Reſpondet affirmatiuè, & multum commendat frequentiam communionis, quæ reſponſio habetur *in* 1. *tom.* 3. *partis ſuorum Operum tract.* 14. Gaudeo, Marzillam velle litem hanc definiri ex ſententia Ioannis de Auila, quem fateor virum piiſſimum, & magnæ auctoritatis: debuerat tamen videre, an eum ſatis haberet pro ſe in hac cauſa. Fateor, fuiſſe propenſum valdè in frequentiam Euchariſtiæ, & perpetuum eius commendatorem: non tamen talem, quales ſunt hi auctores, vt patet ex integra eius epiſtola, quæ habetur *in* 1. *part. Epiſtolarum*, ad Concionatorem rogantem, vtrum quotidiana communio conſulenda ſit omnibus perſonis coniugatis, & laicis? Vbi acerrimè inuehitur in hanc conſuetudinem, & conſilium; & concludit, rariſſimum eſſe, vt coniugatus poſſit congrue accedere noſtro ſæculo quotidiu ad Euchariſtiam, & diſſoluit clare omnia argumenta oppoſitæ partis, adeo vt mirum ſit Marzillam eam epiſtolam legiſſe, & in Auilam, vt in hoſtem apertum, non irruiſſe. Videatur tota; quam libenter tranſcriberem, niſi omnibus vulgari lingua præ manibus haberetur.

43. *Obiicit ſextò vſum primitiuæ Eccleſiæ. Bonauen. Reſpondetur.*

Sextò obiicitur vſus primitiuæ Eccleſiæ, in qua fideles omnes quotidie communicabant. Reſpondet Bonauentura vbi ſupra feruorem illius ſæculi proportionem habuiſſe cum illa frequentia: quare qui ſe experiatur ſapere illud ſæculum, habeat etiam frequentiam illius ſæculi. Reſpondet ſecùdo Auila, vbi ſupra, non eſſe credibile, quod coniugati etiam poſt copulam accederent quotidie ad Euchariſtiam, cum ex decretis illius temporis conſtet, quam ſeriò ab Euchariſtia remouerentur poſt copulam.

44. *Septimò obiicitur ex Paulo. Reſpondetur.*

Septimò obiiciunt ex Paulo, diſpoſitionem neceſſariam eſſe ſolam puritatem à lethalibus; qua poſita, homo edat, & bibat: Ergo ſi hæc datur quotidie, quotidie expedit edere de hoc pane. Reſpondetur, in primis hoc argumentum probat ſimiliter poſt pollutionem nocturnam, & cum delectatione veniali expedire communionem, quod non audent concedere aduerſarij, vt vidimus. Deinde Gregorius

Gregor.

Papa, 1. *Reg* 1. prædicta verba Apoſtoli de munditia etiam à venialibus cum proportione quadam intelligit, vt ſupra viſum eſt. Nam cum dixiſſet, peccata etiam minima euacuanda, vt famelici ſimus; ſtatim ſubdit: *Hac repletione nos euacuare Paulus inſinuans, ait:* Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. *Quid enim eſt hoc loco probare, niſi, euacuata peccatorum nequitia, ſe probatum ac purum ad Dominicam menſam exhibere? De repletis etiam ſubdit:* Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. *Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus; quia ipſa ſola virtus eſt, quæ euacuet, quod in ventre animæ culpa coadunat: & tunc verè famelici ſaturantur; quia quo ſtudioſius mundamur lamento pœnitentiæ, eo vberiorem Diuinæ gratiæ fructum recipimus in ſpirituali refectione.* Hæc Gregorius, vbi non vult, venialia inducere grauem reatum communicanti, ſed cum proportione quadam conſilium Pauli accipiendum, vt ſcilicet eo maior fructus ſperetur, quo maior fuerit euacuatio: & eo plus periculi eſſe in hac menſa, quo minus euacuata fuerint etiam venialia, & quotidiana peccata. Denique dici poteſt, verba illa: *Sic de pane illo edat*, non eſſe conſulentis, ſed permittentis edere, poſtquam præcedit puritas à lethali; manet tamen locus conſilij abſtinendi aliquando, vt cum reuerentia ſumatur.

45. *Obiicit octauò, ex quod*

Octauò obiicitur; quia Sacerdotes celebrant quotidie, cum tamen ad celebrandum eo maior requiratur puritas, quo excellentior eſt dignitas Sacerdotis, quam laici communicantis. Reſpondeò primò, Sacerdotes etiam cum pari diſpoſitione poſſe frequentius celebrare; quia defectus ille puritatis compenſatur per maiorem obligationem, quam ex officio habent offerendi Sacrificium: ſunt enim nuntij, & miniſtri publici deputati ab Eccleſia, vt eius nomine Deum placatum reddant: quare ipſius Eccleſiæ puritas, cuius nomine accedunt, reddit eos magis acceptos, vt accedant ad Deum. Reſpondetur ſecundo Sacerdotes ex officio habere per ſe minorem indiſpoſitionem accedendi quotidie, vtpote quos ipſe ſtatus ſeparat à curis ſæcularibus, à coniuge, à filiis, &c. Reſpondetur tertio, Sacerdoti, qui culpabiliter, vel inculpabiliter habet idem periculum irreuerentiæ, & indeuotionis ob nimiam frequentiam, optimum etiam conſilium eſſe, aliquando abſtinere, vt poſtea reuerentius accedat. Sic enim Sacerdotibus conſulit D. Bonauentura vbi ſuprà *lib.* 2. *de profectu Religioſorum*, *cap.* 77. omnino videndus.

Sacerdotes quotidie celebrent. Reſpondeo. Reſpondetur ſecundò.

46. *Obiicit nonò.*

Nonò obiiciunt, quia ex noſtra ſententia ſequitur, nemini laico poſſe concedi quotidianam communionem ſine vehementi periculo ſuperbiæ; nam eo ipſo iudicat Confeſſor, habere maximam puritatem ad talem frequentiam requiſitam. Reſpondeo; maior ſuperbiendi occaſio naſcitur, cum Deus aliquem ad miracula, vel reuelationes extollit: ſed re vera in iis caſibus eſt minus periculum ſuperbiæ; quia quo maior eſt puritas, eo maior eſt lux ad cognoſcendum, puritatem illam eſſe donum Dei à Deo dependens, & de quo nonniſi ſtultiſſimè poteſt aliquis gloriari.

Reſpondetur.

47. *Obiicit vltimò. Reſpondeo.*

Obiiciunt vltimò, ſi hodiè non expedit communicare, ergo nec poſt octo dies: quia tunc non erit maior puritas. Reſpondeo, in primis ipſa abſtinentia eſt occaſio, vt poſtea accedat aliquis cum maiori deuotione actuali, & ſe diligentius præparet, vt ſupra vidimus. Deinde, etiamſi diſpoſitio eſſet æqualis, minor irreuerentia eſt accedere ſingulis hebdomadis, quam ſingulis diebus: quia neceſſitas eſt maior pro ſingulis hebdomadis, quam pro ſingulis diebus: & exceſſus neceſſitatis tollit irreuerentiam, vt patet in amente; cui, dum ſanus eſt, non datur Euchariſtia ob irreuerentiam, & tamen datur in articulo mortis propter maiorem neceſſitatem: ergo cum proportione, quo magis creſcit neceſſitas, minor erit irreuerentia accedere ad Euchariſtiam etiam cum æquali diſpoſitione.

48. *Turrian. Sherlog. Concionatoris tamè ad frequentiam debent incitare.*

Omitto alia argumenta leuiora, & alia teſtimonia, quæ afferunt, & facile ex dictis poſſunt diſſolui. Pro coronide tantum huius Diſputationis, de qua vltra citatos videri poſſunt Luiſius Turrianus *in diſputat. Select. part.* 2. *diſp.* :. & Paulus Sherlogus *in Anteloquiis ad Cantica*, *Anteloq.* 4. *ſect.* 10. *&* 11. Hoc vnum monere velim, Concionatores regulariter debere ad frequentiam incitare; tum quia populus in hoc ſæculo multo magis inclinat ad raritatis, quam ad frequentiæ vitium: &, ſi frequentia reprehendatur, facile fiet, vt plures ſuam deſidiam reuerentiæ velamine ſimulare velint; tum etiam, quia multo plura inconuenientia ex raritate naſcuntur, quam ex frequentia: nam vt in plurimum ad frequentiam non declinabunt, niſi timorati, & pij. Cum enim Euchariſtia cibus ſit carni inſipidus, & ſuper quo carnalis homo quotidie nauſeat, quantumuis frequentia prædicetur: non niſi perpauci ad quotidianam communionem accedent; facilius erit, ſi frequentiam reprehendas, quamplures ab hebdomadaria remouere. Decet ergo Theologum ſcire, quod doceat Theologica veritas in hoc negotio; ſermonem tamen temperare, & apud

qui ſibi futurum impedimentum prouidet. *Suar.* *Azor* *Pitigianus.* *Sententia Suar & Vaſq. contraria.*

eleſia aſſignatum; Negat Suarez *in præſenti ſect.* 2.5. *Tertium dubium*: quod etiam tenent Azor *t.* 1. *lib.* 17. *c.* 41. *q.* 15. Pitigianus *in* 4. *Sent t.* 1 *diſt.* 9. *q.* 3 *art.* 9. & alij. Probat Suar. quia nemo obligatur ad anticipandum actum præceptum, niſi per talem actum poſſit ſatisfacere obligationi præcepti: ſed per communionem illam anticipatam non ſatisfacit homo obligationi præcepti: nam ſi poſtea tempore Paſchatis ceſſaſſet impedimentum, quod timebatur, adhuc homo deberet ſeruare legem communicandi in Paſchate, cum poſſet, & lex abſolutè præcipiat id fieri: ergo non obligatur ex vi illius legis ad præueniendam, & anticipandam communionem, ſicut nec tenetur ad recitandum hodie Officium craſtinum, eo quod cras habiturus ſit impedimentum.

75. *Vaſq.* Contrariam ſententiam docet Vaſq. *dicto t.* 4 *dub. illo a n.* 15. quod ſcilicet ſit obligatio præueniendi, non tamen reſpondit ad fundamentum P. Suar. nec illud propoſuit. Eamdem ſententiam docent Syluius *hac q.* 80 *art.* 1 *q.* . Nugnus *ibid. diffic.* 1. Fagondez *lib.* 1. *de Præcepto Eccleſ c.* 6. *n.* 3. & alij; quæ ſententia mihi etiam ex parte placet, & probatur facilè ex dictis: diximus enim, in hoc præcepto contineri virtualiter duo præcepta: alterum cõmunicandi ſemel ſaltem in anno; alterum communicandi in Paſchate; & quidem vt huic ſecundo ſatisfiat, non eſt obligatio anticipandi; ſicut qui cras non poteſt recitare Officium, vel audire Miſſam, non tenetur anticipare hodie, imo nec illa anticipatio deſeruiret ad ſatisfaciẽdũ præcepto, ſed adhuc cras obligaretur, ſi ceſſaret impedimentum; ſic etiam anticipatio communionis non deſeruiret ad ſatisfaciendum præcepto communionis Paſchalis. Cæterum alterum præceptum communionis annuæ obligat ad præueniendum, ſicut qui habet præceptum ſub mortali recitandi Officium intra hanc diem, & præceptum ſub veniali recitandi tali hora, præuidens impedimentum futurum tali hora, & toto tempore ſequenti, obligatur ad præueniendum ex vi obligationis recitandi illa die. Sic ergo præceptum communicandi intra hunc annum obligat ad præueniendum, quando non poteſt impleri præceptum eo tempore, quo deberet, ex vi alterius præcepti de communione Paſchali.

Siluius. *Fagundez.* *Hac ſententia partim placet, partim diſplicet.*

76. Dixi tamen ex parte placere mihi illam ſententiam; quia non ſufficit futurũ eſſe impedimentum in Paſchate ad hoc, vt ſit obligatio anticipandi communionem; cum enim hæc obligatio oriatur ſolum ex præcepto communicandi intra annum, & huic obligationi poſſit fieri ſatis communicando duobus, vel tribus menſibus poſt Paſcha, dum ſit ante finem illius anni, non poteſt eſſe obligatio anticipandi; niſi forte præuideatur impedimentum duraturum per totum annum; tunc enim deberet in principio anni obſeruari: ſicut qui præuidet, ſe non auditurum Miſſam horis ſequentibus, debet eam audire prima hora ad obſeruandum præceptum.

77. *Ad fundamentum Suar. reſpondetur.* Hinc iam ad fundamentum P. Suar. poſſumus reſpondere. Et quidem aliqui dicunt, eum, qui propter futurum impedimentũ in Paſchate anticipauit bona fide cõmunionem, non obligari poſtea ad communicandũ in Paſchate, etiamſi ceſſauerit impedimentũ. Quam ſentent. P. Diana *d reſol.* 12. dicit eſſe veram, & eam docuiſſe Suar. *in præſenti ſect.* 2. *circa finem*. Sed reuera Suar. eam non tenet, ſed contrariam, cum expreſsè dicat, *ſe non audere excuſare ab obligatione communicandi in Paſchate eum, qui ſic anticipaſſet communionem, ſi poſtea nihilominus communicare poteſt tempore præcepti*. Affert tamen quidem Diana pro illa ſententia quendam Fernand. de Heredia, quem videre non potui, *in diſp de Sacr. tr. de Euchar part.* 8. *dub.* 1. *n.* 10.

Diana. *Suar.*

78. Cæterum cuiuſcumque ſit, ego verius exiſtimo cum Suarez, obligari hominem tunc ad communicandum in Paſchate: quia illa communio non fuit facta ad ſatisfaciendum præcepto communionis Paſchalis, vt dixi, ſed ad ſatisfaciendum præcepto communionis annuæ, cui quidem iam eſt ſatisfactum, ſed illud alterum præceptum adhuc manet cum ſua vi ad obligandum. Sic etiam qui de facto communicauit hoc anno ante Quadrageſimam de manu ſui Parochi, ſatisfecit quidem præcepto annuæ communionis, licet nõ habuerit talem intentionem, & tamen obligatur ad communicandum in Paſchate: quia illi præcepto nõdũ ſatisfecit. Vnde ad argumentum P. Suar. in forma concedo Maiorem, & diſtinguo Minorem. Per illam communionem non ſatisfacit homo obligationi annuæ communionis, nego: obligationi communionis Paſchalis, concedo: atque ideo non obligatur ad anticipandum propter hoc ſecũdum præceptum, ſed propter illud primum, cui quidem iam ſatisfactum eſt: hoc autem debet intelligi, vt diximus, ſi impedimentum timeatur duraturum per totum annum: alioquin non obligaretur ad communicandũ ante Paſcha: ſi tamẽ communicaſſet, non obligaretur amplius ex præcepto communionis annuæ, ſed ſolum ex præcepto communionis Paſchalis, ſi in Paſchate poſſet communicare.

Prius tamen eſt obligare eum hominem ad communicandum in Paſchate.

Obiiciet aliquis exemplum ſupra adductum de præcepto graui recitandi intra hanc diem, & præcepto leui recitandi tali hora: quod exemplum videtur poſſe contra nos retorqueri. Nã ſi aliquis bona fide putans, ſe habiturum impedimentũ tali hora, anticipet recitationem Officij, poſtea licet impedimentum non ſit illa hora, non obligabitur etiã ſub veniali ad recitandũ iterum illa hora, ergo per recitationẽ anticipatã ſatisfecit vtrique præcepto: alioquin ſi ſecũdo nondũ eſt ſatisfactũ, manebit obligatio ſub veniali recitãdi illa hora: ergo ſimiliter per cõmunionẽ anticipatã bona fide factã, ſatisfactũ fuit vtrique præcepto: eadẽ enim videtur eſſe ratio in vtroq; caſu. 79.

Obiicitur exemplum ſupra adductum.

Reſpondetur, exemplum illud non eſſe ſimile in omnibus; differt enim materialiter in aliquo à noſtro caſu, quatenus præceptum recitandi tali hora non eſt omnino abſolutum, ſed conditionatum, ſcilicet niſi rationabilis cauſa ſit anteponendi, vel poſtponendi, vel non recitandi illa hora. Vnde qui ex rationabili cauſa propter impedimentũ, quod futurũ timebat, anticipauit, nõ obligatur amplius illo præcepto leui recitandi tali hora, etiamſi poſtea ceſſet impedimentum: imo licet abſque rationabili cauſa anticipauerit aliquis recitationem, & in hoc ipſo peccauerit venialiter: poſtea tamen non obligatur ſub veniali ad recitandum iterum hora debita, quia iam tunc habet rationabilem cauſam non recitandi illa hora, ſcilicet, ne cogatur bis recitare, cum iam recitauerit intra eamdem diem: hunc autem eſſe ſenſum, & modũ obligationis illius præcepti quoad talem horam, conſtat ex omnium vſu. At vero præceptum communicandi in Paſchate non habet eiuſmodi conditiones, ſed eſt ſicut præceptum audiendi Miſſam, vel ieiunandi tali die, quæ aſſigantur tali diei, & ideo nec poſſunt anticipari, nec poſtponi. 80.

Reſponſio.

Dices; imo habet explicatam conditionem, vt ex rationabili cauſa impleatur alio tempore, cum lex ipſa præbeat facultatem differendi cõmunionem ex conſilio Confeſſarij; vnde poterit ex eodem conſilio cum rationabili cauſa anteponi. Reſpondetur, imo quia lex ſolum dat facultatem differendi ex conſilio Confeſſarij, arguitur non poſſe anticipari: neque enim ex vna facultate ſequitur altera: quia, vt notauit bene Suar *illa ſect* 3 *in fine*, Confeſſarius non poteſt diſpẽſare, aut conſulere, vt, qui in Paſchate non habet impedimentum aliquod, abſtineat tunc à communione; 81.

Inſtantia. *Diluitur.*

munione; ergo nec poterit diſpenſare, vt qui antea communicauit, non communicet in Paſchate, ſi tunc nullum habeat impedimentum: nunquam ergo lex illa dat facultatem abſtinendi à communione: quando non adeſt impedimentum in ipſo tempore, quod à lege præſcribitur.

82. *Quæritur quartò, an ſatisfaciat qui communicat in peccato mor. ali. Aliqui negãt. Suarez. Dionyſ. Ciſtercienſ. Nug. n. Syluius.*

Quarto quæri ſolet, an qui ſcienter, vel ignoranter communicauit in Paſchate in ſtatu peccati, ſatisfecerit Eccleſiæ præcepto, ita vt poſtea non obligetur ad communicandum iterum eodem anno. Negant plures, Durand. Capreol. Adrian apud Suar. *loc. cit ſect.* 3. Afferri etiam poteſt Dionyſ. Ciſtercienſ. *in* 2. *diſp.* 17. quatenus dicit, modum charitatis cadere ſub præceptis Decalogi. Sed magis expreſſè hoc docent in noſtro caſu Nugnus *in præſenti q.* 80. *art.* 1. *diffic.* 2. *dub. vlt.* Syluius *in præſenti art.* 11. *quæſito* 2. & alij Recentiores.

83. *Communis ſententia affirmat. Azor. Lopez. Fagund. Pitigian. Villalob. Diana. Ratio præcipua eſt.*

Contraria ſententia communis eſt, quam tenent Corduba, Soto, Conar. quos refert, & ſequitur Suar. *ſect.* 3. Azor *tom* 1. *lib.* 7. *c.* 41. *q.* 12. Lud. Lopez *p.* 1. *Inſtruct. c.* 11. Fagund. *lib.* 1. *de* 5. *Præcept. Eccleſ. c.* 6. *n.* 4. Pitigian. *in* 4. *diſt* 9. *q.* 3. *art.* 10. Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract* 7. *diffic.* 41. *n.* 6. Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 3. & alij omnes ferè communiter.

Ratio præcipua eſt, quia præcepta non obligant ad finem, ſed ad ſubſtantiam præcepti: quare licet Eccleſia in hoc præcepto intendat, quod fideles huius Sacramenti fructus, & effectus percipiant, id tamen, quod præcipit, ſolū eſt, quod ſuſcipiant Sacramentum: ergo ille, qui reuera ſuſcipit hoc Sacramentum, verè ſatisfacit præcepto, licet inutiliter, imo ſacrilegè, & cum nouo peccato. Sicut præceptum ſuſcipiendi Ordinem, aut Confirmationem, vel contrahendi Matrimonium, obſeruaretur ab eo, qui indignè ea Sacramenta ſuſciperet: & ſicut ſatisfacit præcepto audiendi Miſſam, qui eam ex malo fine, & peccaminosè audit. Vide, quæ diximus *ſect.* 2. *n.* 21. circa præceptum Diuinum & poſtea *n.* 45. circa præceptum ſumendi Viaticum: ea enim à fortiori probant de hoc præcepto Eccleſiaſtico; vbi etiam aſſignauimus differentiam inter communionem factam in peccato, & illam, quæ fieret caſu, & abſque intentione; per hanc enim non impleretur præceptum, quia non eſſet Sacramentalis, ſicut illa alia: præceptum autem eſt de communione Sacramentali, & valida; non defectuoſa.

84. *Obiicitur primò.*

Obiicitur primo, quia Eccleſia præcipit ſemel in anno Euchariſtiam *reuerenter* ſuſcipere: vt conſtat ex verbis Legis ſupra relatis; qui autem indignè ſuſcipit, non accedit reuerenter, ſed irreuerenter: ergo non ſatisfacit præcepto.

Reſpondetur.

Reſpondetur Eccleſiam illo verbo, *reuerenter*, vel voluiſſe ſolum reducere in memoriam vnicuique debitum reuerentiæ, quod aliunde obligat, vel præcipere reuerentiam externam. Alioquin non congrueret pœnam arcendi, ab Eccleſia tranſgreſſores, quam imponit: quomodo enim poſſent Prælati eam exequi contra indignè communicantes?

85. *Obiicitur ſecundò.*

Obiiciunt ſecundò; quia hoc præceptum eſt determinatiuum præcepti Diuini: ſed Diuinum præceptum non ſolum obligat ad communionem, ſed etiam ad communicandum dignè, & in ſtatu gratiæ: ergo Eccleſiæ præceptum debet habere idem obiectum, neceſſe enim eſt, vt id, quod determinat aliud, participet eadem prædicata, & ſit ſub eodem genere cum eo, quod determinatur.

Reſpondetur.

Reſpondetur, conceſſa Maiori, diſtinguendo Minorem: præceptum Diuinum poſitiuum, quod obligat ad communionem, præcipit, quod ſumatur in gratia, nego: huic enim præcepto ſatisfit etiam per communionem indignam, vt vidimus *ſect.* 2. *locis ſuprà citatis*; Præceptum Diuinum aliud naturale, quo prohibetur accedere indignè, concedo: præceptum autem Eccleſiæ determinat ſolum illud prius præceptum Diuinum propoſitum, non hoc poſterius naturale & negatiuum: hoc enim non indiget determinatione, cum ſit vniuerſale, & obliget pro ſemper.

86. *Obiicitur tertiò.*

Tertio obiiciūt, quia Eccleſia præcipiens recitare Officium, vel audire Sacrum, præcipit etiam reuerentiam, & attentionem debitam, quia hæc ſunt de ſubſtantia illarum actionum, quas præcipit; ergo præcipit etiam dignam ſumptionem Euchariſtiæ, quæ dignitas eſt magis de ſubſtantia rei præceptæ.

Reſpondetur.

Reſpondetur retorquendo Antecedens: nam Eccleſiæ præcepto fit ſatis per recitationem, vel auditionem Miſſæ ſacrilegam, & factam ex fine peccaminoſo, quia adhuc illæ manent ſubſtantialiter recitatio, vel auditio Miſſæ; ergo per communionem indignam ſatisfiet, quia hæc eſt ſubſtantialiter communio Sacramentalis, quam Eccleſia præcipit. Itaque recitatio etiam Officij abſque attentione interna, dummodo adſit intentio, & alia requiſita, eſt recitatio ſubſtãtialis. An vero de facto Eccleſia etiam præcipiat attentionem, & qualem, dicemus aliquid infra *diſp vlt. de auditione Miſſæ*.

87. *Obiicitur quartò. Syluius.*

Quarto obiicit Syluius, quia Sacramentum hoc eſt cibus animæ: non ſatisfaceret autem præcepto de ſuſtentanda vita corporali, qui cibum corporis ſumeret eo modo, quo non poteſt prodeſſe, ſed ſolum obeſſe: ergo neque is, qui accipit Euchariſtiam indignè, ſatisfacit præcepto.

Reſpondeo.

Reſpondeo, illud præceptum naturale non eſſe formaliter ſumendi cibum, ſed ſuſtentandi vitam; quare ſi quis abſque cibo ſuſtentaret vitam, quomodocunque id fieret, non teneretur ad capiendum cibum. In noſtro autem caſu præceptum non eſt de fine, quod à poſteriori conſtat, quia licet aliquis ex reuelatione ſciret, ſe abſque Euchariſtia conſeruaturum, & cum augmentu gratiam, adhuc obligaretur præcepto ſumendi Euchariſtiam: non ergo præcipitur finis, ſed ſumptio huius cibi, ſiue proſit, ſiue non proſit conſeruationi gratiæ. Secluſo enim præcepto poſitiuo Diuino, & humano; non eſt obligatio grauis procurandi conſeruationem vitæ ſpiritualis per hoc medium, cum ſint alia media ad illum finem obtinendum.

De hoc quæſito ſatis ſupra dictum eſt.

Quinto quæri ſolet, qua ætate obligentur pueri hoc præcepto Eccleſiaſtico? De hoc tamen diximus ſatis *ſupra diſp.* 12. Quæri denique ſolet, an huic præcepto debeat ſatisfieri in Eccleſiis Regularium; de hoc vero dicemus *infra diſp.* 18. de miniſtro Euchariſtiæ, *ſect.* 1.

DISPVTATIO XVII.

Vtrum conſulendum ſit omnibus Fidelibus indifferenter vſus quotidianus Euchariſtiæ.

Sectio I. *Sententia affirmans, omnibus expedire communionem quotidianam.*

Sectio II. *Prior pars vera, & communis ſententia explicatur & probatur.*

Sectio III. *Secunda pars communis, & vera ſententia probatur.*

Sectio IV. *Soluuntur obiectiones contra communem ſententiam.*

DVBIVM hoc tetigit S. Doctor *in præſenti art.* 10. cuius ſententiam reliqui Scholaſtici amplexi breuiter ſupponunt, & iam

res videbatur extra controuerſiam eſſe, donec pietas aliquorum adeo acriter quotidianæ communionis partes ſuſcepit, vt hæc breuis quæſtiuncula ad librum vſque excreuerit, & vulgi mentes in varias, vt fieri ſolet, factiones diuiſerit. Oportet ergo rem hanc ad trutinam diſputationis Scholaſticæ reuocare; breuiſſimè tamen; & ſanè ſufficit, ſi veritatem ſincerè quærimus: ſi contentionem, nec liber integer.

SECTIO I.

Sententia affirmans, omnibus expedire communionem quotidianam.

1. *Supponitur primo id in quo omnes conueniunt.*

SVpponendum primo, Auctores vtriuſque partis conuenire in eo, quod homini exiſtenti in gratia licet ſimpliciter quotidianus vſus Euchariſtiæ, nec in huiuſmodi frequentia includi labem peccati lethalis; nam ſicut præceptum graue ſolum cogit ad communionem annuam; ſic etiam ſolum prohibet duplicem communionem vnius diei, ſiue hæc prohibitio ſola conſuetudine, ſiue poſitiuo præcepto inducta fuerit: quare licet aliquando nimia frequentia poſſit eſſe culpa venialis, ſicut etiam nimia abſtinentia intra annum ob aliquam circumſtantiam; cæterum neutrum extremum continet materiam culpæ grauis; ſed tota controuerſia eſt, vtrum intra terminos conſilij, & perfectionis oporteat quotidianam communionem omnibus indifferenter conſulere, vtpote rem vtiliorem, & medium aptius Chriſtianæ & Euangelicæ perfectioni.

2. *Supponendum ſecundo non dubitari quin vſus ille ſit laudabilis.* Conc. Trid.

Supponendum ſecundo, non dubitari, an vſus quotidianus Euchariſtiæ de ſe laudabilis ſit, & perfectior, quàm vſus rarior, atque ideo curandum omnibus eſſe ad illum peruenire, ſi poſſint. Hoc enim ſub his terminis adeo certum eſt, vt nemo Catholicus potuerit de hoc dubitare. Habetur enim ferè expreſsũ in Trid. *ſeſſ.* 22 *c.* 6. vbi Eccleſia hanc frequentiam maximopere deſiderat: *Optaret*, inquit, *ſacroſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos ſanctiſſimi huius Sacrificij fructus vberior proueniret.* Quod ſi perfectius eſſet abſtinere, quàm communicare; proculdubio non optaret frequentiam Eccleſia. Ex quo etiam fit in genere loquendo, non expedire prohibere omnes fideles abſolutè à communione quotidiana: hoc enim eſſet, prohibere illos ab eo, quod de ſe eſt perfectius, & vtilius: ſicut ſi prohiberentur à voto caſtitatis, vel ſtatu religionis. Quare merito Congregatio Cardinalium 4. *volumine deciſionum Rotæ, in declaratione præfati loci Tridentini*, decreuit, huiuſmodi prohibitiones eſſe pernicioſas: *Obſtat*, inquiunt, *Conc. Trid. Epiſcopo volenti præſcribere certa tempora: vt dies Dominicos, quartam, & ſextam feriam, quibus tantum liceat viris laicis, coniugatis, negotiatoribus, & melioribus etiam non coniugatis ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere; etiam ob irreuerentiam, quam poteſt quotidiana huius Sacramenti ſumptio in ſua diœceſi parere. Hoc fuit deciſum in menſe Ianuarij* 1587. *obſtare, quia antiquo tempore, peracta conſecratione, omnes adſtãtes ſumebant Euchariſtiam: & ideo licitum eſt quotidie Euchariſtiam ſumere.* Hæc ſunt verba Cardinalium, ex quibus conſtat, vſum quotidianum Euchariſtiæ laudabilem eſſe, & deſiderandum ob innumeros fructus,
3. quos parere poteſt in Eccleſia. Quæſtio ergo non procedit de perfectione huius frequentiæ ſecundum ſe, ſed prout in hoc indiuiduo (vt ita loquar) poteſt enim contingere, aliquem actum ſecundum ſe eſſe perfectiorem, & tamen huic indiuiduo non eſſe vtiliorem, licet alioquin non ſit illicitus. Sanè dubitari non poteſt, perfectiorem eſſe cæteris paribus virginitatem, & cœlibatum, quam nuptias, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *can.* 10. & tamen poſſunt dari caſus quibus magis expediant huic fœminæ nuptiæ, quam virginitas. Dubium ergo eſt, an hæc maior vtilitas, & perfectio communionis quotidianæ vniuerſaliter ſit accipienda reſpectu omnium fidelium exiſtentium in ſtatu gratiæ: an vero ſint aliqui etiam iuſti, quibus ob magnam tepiditatem, ob relaxationem voluntariam, ob diſtractiones, & curas ſæculi, conſultius ſit rariùs, quàm ſingulis diebus ad Euchariſtiam accedere.

Partem affirmantem ſub his terminis explicatam, 4.
& quod omnibus iuſtis vniuerſaliter ſit vtilior quotidiana communio, neſcio aliquem ex antiquis, qui eam docuerit. Nam licet omnes tam Patres, quam Scholaſtici vniuerſaliter frequentiam ſuadeant (vt poſtea videbimus) ſicut etiam ſuadent virginitatem, & religionem: accipiendi tamen ſunt, ſuppoſitis terminis habilibus. Cæterũ hanc doctrinam vniuerſaliter docuit hac tempeſtate Theologus quidam Bene- 5. *Quidã Benedictinus partem affirmantem tenuit recenter.*
dictinus Petrus Vincentius de Marzilla apud Compoſtellanos primarius Theol. Profeſſor, qui pro ſua opinione Memoriale quoddã edidit ad Archiepiſcopum Compoſtellanum, & poſtea libellum integrum, quem vocauit *Additiones ad Memoriale*, vtrumque Hiſpano idiomate, vt facilius apud plebem ſpargeretur; quæ, vt fieri ſolet, in partes diuiſa cœpit partim prædicto Magiſtro adhærere, partim illum reprehendere, & nouitatis pernicioſæ inſimulare, præſertim quod non ſolum homines, ac mulieres cuiuſque ſtatus, & conditionis ad communicandum quotidie induceret, ſed eo potiſſimum, quod eos hac in parte Confeſſarij iudicium expectare nollet, nedum eius monitis, aut conſilio obtemperare, ſed eo ipſo quod abſolutionem Sacramentalem à lethalibus obtinerent, vterentur iure ſuo, & inuito etiam, ac diſſuadente Confeſſario, ad communionem accederent.

Mortuo præfato Magiſtro ſucceſſit alius eiuſdem 6. *Alius eiuſdem ordinis, & opinionis aſſertor.*
Ordinis, & opinionis aſſertor Fr. Maurus de Valderas, qui, edito Theologico certamine, eandem doctrinam renouauit: addit tamen, ruſticis, & ignaris non eſſe conſulendum accedere ſine licentia Confeſſarij, eo quod facilè poſſit contingere incidiſſe in aliquod lethale, cuius ſpeciem, aut grauitatem ignorent, & accedant ſine gratia ad hoc Sacramentum: cæterũ, abſolutione obtenta, non credo requiri etiam ab hoc Theologo vlterius Confeſſarij placitum.

Potiſſima fundamenta horum Auctorum ſumun- 7. *Potiſſima fundamenta horum Auctorum.*
tur ex Patrum verbis vbique quotidianam communionem ſuadentium: ex vſu primitiuæ Eccleſiæ: ex deſiderio Tridentini ſupra poſito: ex fructu Sacramenti, qui datur ex opere operato omnibus iuſtis, quem procurare melius eſt, quam illo carere, cum ſit augmentum gratiæ, & virtutum: & denique ex eo, quod Paulus ſolum exigit hanc conſcientiæ puritatem à lethali, vt quis dignè accedat: quare qui eam habet, non eſt, cur amplius abſtineat. Hæc ſunt potiſſima capita argumentorum, quæ tamen poſtea ſigillatim recenſebimus, vt ſimul diſſoluantur, poſtquam vera, & communis ſententia in ſequentibus ſectionibus explicata fuerit, & comprobata.

SECTIO II.

Prior pars vera, & communis ſententia explicatur, & comprobatur.

VEra, & antiqua ſententia, quam fideles om- 8. *Vera & communis ſententia duas*
nes ipſo cum lacte acceperunt, & quaſi ex terminis notam Scholaſtici Doctores non tam probare curarunt,

habet partes. Prima eſt hoc non expedire omnibus indifferenter. Secunda eſt in hoc ſtandum eſſe iudicio prudentis confeſſarij. curarunt, quam ſupponere, duas habet partes: prima eſt, non expedire omnibus iuſtis indifferenter, cuiuſque ſtatus, & vitæ ſint, quotidianam communionem, neque eis eſſe vtiliorem, licet alioquin non ſit illicita. Secunda eſt, eum, qui in re tanti ponderis errare noluerit, non ſe ſuo arbitrio debere ducere, ſed ſtandum ſibi iudicio prudentis Confeſſarij, vel Patris ſpiritualis, cuius erit hanc frequentiam plus, minuſve extendere, pro maiori, vel minori ipſius aptitudine. Primam partem in hac ſectione; poſteriorem in ſectione ſequenti comprobabimus.

9. *In prima parte omnes conueniunt.* *S. Thom.* Et quod attinet ad primam partem, in ea conueniunt omnes Scholaſtici, nullo prorſus excepto. S. Thom. *in præſenti art. 10. in corpore*, ſic ait: *Circa vſum huius Sacramenti duo poſſunt conſiderari: vnum ex parte ipſius Sacramenti, cuius virtus eſt hominibus ſalutaris, & ideo vtile eſt quotidie ipſum ſumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. &c. Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione, & reuerentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile eſt, quod quotidie ſumat. Vnde Auguſtinus cum dixiſſet:* Accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit, *ſubiungit:* ſic ſume, vt quotidie merearis accipere. *Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem, vel animæ, non eſt vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.* Hæc S. Thomas, apud quem vides expreſsè, communionem quotidianam non eſſe vtiliorem ob defectum magnæ deuotionis, & reuerentiæ, quam dicit deſiderari ex parte hominis ad hoc Sacramentum. Quis autem dicat nomine *magnæ deuotionis, & reuerentiæ*, intelligi carentiam ſolam peccati mortalis, admixtam etiam cum diſtinctione, & tepiditate maxima, & cum propoſito actuali committendi innumera venialia ex aduertentia? Sanè ego iſtam magis dicerem indeuotionem, & irreuerentiam, quam magnam deuotionem, & reuerentiam.

10. *S. Thom. ſeipſũ explicat.* *S. Thom.* Sed age, explicet ſe ſanctus Doctor, de qua reuerentia loquatur: ipſe ergo *in 4 diſt. 12. quæſt. 3. art. 1. quæſtiuncula 1.* ſic ait: *In hoc Sacramento duo requiruntur, ſcilicet deſiderium coniunctionis ad Chriſtum, quod facit amor; & reuerentia Sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet: primum incitat ad frequentationem huius Sacramenti quotidianam; ſed ſecundum retrahit. Vnde ſi aliquis experimentaliter cognoſceret, ex quotidiana ſumptione feruorem amoris augeri, & reuerentiam non minui, talis deberet quotidie communicare: ſi autem ſentiret, per quotidianam frequentationem reuerentiam minui, & feruorem non multum augeri, talis deberet interdum abſtinere, vt cum maiori reuerentia, & deuotione poſtmodum accederet.* Hæc S. Thomas, apud quem cæcus videat, nomine *reuerentiæ* non intelligi carentiam peccati mortalis: hæc enim non minuitur per quotidianam communionem, ſed deuotionem actualem, & præparationem, ac feruorem, qui vt poſtea videbimus, poterit aliquando per accidens minui ob nimiam frequentiam. Quare idem ſanctus Doctor poſtea *art. 1. quæſtiunc. 3.* concludit, ſumere Euchariſtiam, eſſe bonum per ſe, & ex genere; abſtinere vero, eſſe bonum per accidens, & addit: *Idem.* *ideo ſimpliciter loquendo melius eſt Euchariſtiam ſumere, quam ab ea abſtinere: ſed in caſu aliquo nihil prohibet, eſſe melius abſtinere, quando aliquis probabiliter præſumit, ex ſumptione reuerentiam minui.* Hæc S. Thomas, cuius verba ſi legit

Auctor contrariæ ſententiæ, cur miratur c. 19. apud diſcipulos S. Thomæ ſuam doctrinam offenſionem parere, & nouitatem? Quid enim pareret, quæ ex diametro opponitur menti, & verbis Angelici Doctoris.

Accedat S. Bonauentura huius venerabilis Sacramenti deuotiſſimus teſtis *in 4. diſt. 12. part. 2. queſt. 2.* propoſitis pro vtraque parte rationibus, ſic concludit: *Si ergo quæritur, vtrum expediat frequentare aliquis? Dicendum, quod, ſi videat ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ primitiuæ, laudandum eſt quotidie communicare: ſi autem in ſtatu Eccleſiæ finalis, vtpote frigidum, & tardum, laudandum eſt, quod raro: ſi autem medio modo; medio modo ſe debet habere, & aliquando debet ceſſare, vt addiſcat reuereri; aliquando accedere, vt inflammetur amore: Quia tali hoſpiti debetur honor, debetur & amor; & tunc ſecundum illam partem, ſecundum quam viderit ſe melius proficere, ad illam magis declinet: quod homo ſolum experientia diſcit. Omnes ergo rationes ad primam partem pro frequentia intelliguntur, ſalua debita præparatione, quæ in pauciſſimis eſt vt ſemper.* Hæc Bonauentura; cum quibus videant aduerſarij, quomodo cohæreant, quæ docent, dum dicunt, communionem quotidianam expedire omnibus cuiuſque ſtatus, & conditionis, dummodo non ſint in mortali, & præparationem debitam ad illam frequentiam reperiri in omnibus etiam laicis ritè abſolutis à lethalibus. 11. *Accedit Bonauentura.* *Bonauent.*

Habemus etiam aliud præclarum teſtimonium eiuſdem Bonauent. *lib. 2. de profectu religioſorum, cap. 77.* in hæc verba: *Vix aliquis ita religioſus eſſe videtur, & ſanctus, (exceptis Sacerdotibus) quin ſemel in ſeptimana ſufficiat ei ex conſuetudine communicare, niſi ſpecialis cauſa quandoque, vel ratio plus ſuadeat, infirmitas ſuperueniens, vel ſingulariter feſtiuitas ſolemnis,* &c. 12. *Aliud eiuſdẽ teſtimonium.*

Hunc modum loquendi obſeruant alij Scholaſtici. Alex. Alenſis *4. p. art. 4. §. 1. quæſtiunc. 2.* cum propoſuiſſet verba Auguſtini de Eccleſiaſticis dogmatibus: *Quotidie Euchariſtiam ſumere, nec laudo, nec vitupero;* quærit, vtrum Auguſtinus loquatur de bonis, an de malis: ſi enim de malis, deberet vituperare; ſi de bonis, laudare; reſpondet in hæc verba: *Auguſtinus loquitur de bonis: & poteſt eſſe in bonis, quod quotidie communicare generet faſtidium, & minorem reuerentiam, & deuotionem, &c. in aliquibus vero ipſa frequentia auget deuotionem & reuerentiam; & tunc laudabile eſt quotidie accipere: & ideo nec laudat, nec vituperat; quia aliquando bene poteſt fieri à bonis, quandoque bene omitti à bonis.* Quod ipſum repetit infra *quæſtiunc. 4.* dicens: *Per ſe loquendo magis expedit alicui dignè accedere, quam expediat eidem ceſſare: occaſionaliter tamen magis expedit ceſſare ad tempus, quam frequenter accedere, quia aliquando contingit, quod ceſſatio eſt cauſa maioris deuotionis, & reuerentiæ.* Hæc Alexander: cui contradicunt Auctores primæ ſententiæ dicentes; qui hodie non communicat ineptiorem eſſe ad craſtinam communionem, quam ſi hodie communicaſſet. 13. *Hunc modum loquendi obſeruant alij Scholaſtici,* *Alenſis.*

Idem habet Richardus *in 4. d. 12. art. 6. q. 1.* vbi ſic ait: *Si autem ſentiret homo, per multam frequentationem minui reuerentiam ad hoc Sacramentum, & feruorem non multum augeri, interdum deberet abſtinere, vt cum maiori reuerentia, & deuotione poſtmodum accederet.* Eadem verba habet Palud. *ibi quæſt. 1.* Dionyſ. Carthuſian. *quæſt. 5.* Albert. *diſput. 13. art. 27. & 28.* qui addit, quod *inter feruorem charitatis trahentem ad communicandum, & inter timorem reuerentiæ retrahentem, medium de-* 14. *Richard.* *Palud.* *Dionyſ. Carthuſ.* *Albert.*

bet ſeruare temperatrix diſcretio. Et in *lib. de Miſſa* in fine, *De his, qui mulieres omni die communicant: Videtur*, inquit, *quod acriter reprehendendi ſunt, quia nimio vſu vileſcere faciunt Sacramentum, & potius ex leuitate mulierum putatur eſſe deſiderium, quam ex deuotione cauſatum.* Ac denique de viduis, ſeu in caſtitate manentibus, & de iis qui præparant ſe ad communionem per abſtinentiam à coïtu, dicit, non debere prohiberi de menſe in menſem.

15. Victoria. Similiter loquitur Victoria de *Euchariſtia*, *n.*85. Soto. Pet. Soto latè *lect.*4. *de Euchar.* Durandus *in* 4. *d.*12. Domin. Sotus. *q.*5. Domin. Sotus *ibi q.*1. *art.*10. vbi coniugatis non permittit, niſi ad ſummum ſemel in hebdomada communicare. Durandus. Durandus *ibid.* 12. *in fine* addit, *indecens eſſe vno die poſt alterum Laicos communicare.* Caietan. Antonin. Caietanus ibi dubius loquitur etiam cum Sacerdotibus S. Antoninus 3. *p. tit.* 14. *c.* 12. §. 5. iubet tepidos aliquando abſtinere, quia nimia familiaritas parit contemptum. Thom. A gent. Thomas de Argentina *illa diſt.* 12 *q* 13. *art.* 3. diſcrimen aſſignat inter perfectos, & tepidos: & adducto exemplo caloris naturalis, *illos* inquit, *ſæpius congruit ſumere, qui ſpiritualiter habent fortiorem virtutem digeſtiuam, putà in quibus magis viget amor, & æſtuans deſiderium ad ſumendum.* Didacus de Tapia *in* 3. *p. q.* 8. *de Euchar. art.* Tapia Nugnus. Themeſn. 12. & Nugnus *in præſenti.* Pelbartus de Themeſnar 4. *p. Roſarij*, *verbo Euchariſtia*, §. 23. *circa finem.* Syluest. Friburgus. Tabiena Pet. Ledeſm. Bart. Ledeſm. Sylueſter, *Euchariſtia* 3. *q.*15. Ioan. de Friburgo *in ſumma*, *lib.*3. *tit.*24. *q.*119. Tabiena, *Communio*, *num.* 17. Alfonſ. Vega *in ſua Summa*, *cap.* 10. *de Euchariſtia*, §. 18. Pet. de Ledeſma 1. *part. ſummæ*, *c.*14. Barthol. de Ledeſma *in Summario de Sacramento Euchariſt. difficult.* 27 *col.* 412. & acriter contra aduerſarios Bartholomæus de Medina *in Inſtruct.* Bar. Medina Angelus. *Confeſſarij* 3. *Præcept. Eccleſ* §. 42. Angelus, *Euchariſtia* 3. *num.* 38. & vno verbo omnes Theologi Scholaſtici, Morales, & Myſtici, inter quos M. Ioan. Auila de Auila adducendus *infra ſect.* 4. Omitto authores noſtræ Societatis, quæ licet ab eius ortu in frequentiam huius Sacramenti valde fuerit propenſa; ſemper tamen cautiſſimè communionem quotidianam dari voluit, & non niſi probatæ vitæ, & eximiæ virtutis teſtimonio præëunte. Videatur Suarez. Henriq. Ægidius. Valentia. Suarez *in præſenti*, *diſp.*69. *ſect.*4. Henriquez *lib.*8. *de Euchariſtia*, *cap.*53. P. Ægidius *in præſenti.* Valentia *diſp* 6. *q* 8. *puncto* 4. & alij omnes. Nec mirum, eos ita ſentire, quos proprij inſtituti ratio ad hanc doctrinam præuenerat; vt vipote, quæ in *Reg.* 26. *Sacerdotum* præſcribit omnibus Societatis Confeſſarijs, ne ſint faciles ad communionem quotidianam pœnitentibus concedendam, ſed potius coniugatos moneant, ne crebrius quam octauo quoque die accedant: quam Regulam licet Marzilla. Marzilla oppugnare tentauerit per epiſtolam ad Præpoſitum Generalem Claudium, quâ enixè poſtulabat, & ſperabat, vt abrogaretur; fruſtra tamen talem ſpem de noſtra Societate concepit, quod tam facilè diſſuaderetur ab ea opinione, quam à primis parentibus adeo prudenter imbiberat. Quare merito hanc fiduciam ei abſtulit noſter Ludo- Ludou. de Ponte. uicus de Ponte, epiſtola quadam de hac materia, quæ habetur in prædictis Additionibus, vbi breuiter, & grauiter probat, quod de hac frequentia doctè ſatis & piè dixerat 1. *tom Perfectionis Chriſtianæ*, *tract.* 4 *c.*6. omnino videndus.

16. *Talis ergo eſt Scholaſticorum conſenſus.* Vides communem Scholaſticorum conſenſum, à quo in re graui, & mortali non licet priuata auctoritate diſcedere, præſertim cum credibile non ſit, Scholaſticos, & Doctores grauiſſimos ſine firmiſſimo fundamento in hanc ſententiam conſpiraſſe. Primum deſumitur ex Patribus, qui licet frequentiam Euchariſtiæ ſæpiſſimè ſuadeant, nunquam tamen voluerunt ita intelligi, vt cum ſola gratia habituali expediret quotidie ad Sacramentum accedere, vel vlterius maximam quandam reuerentiam, & præparationem exigunt. Chryſoſtomus *hom.* 17. Chryſoſt. *ſuper epiſt. ad Hebræos*: *Quando dicit, Sancta ſanctis; hoc dicit: ſi quis non eſt ſanctus, non accedat; non ſimpliciter dicit, à peccatis mundus, ſed ſanctus: ſanctum enim non mundatio peccati tantum facit, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum operum opulentia. Non enim inquit, volo à cœno vos mundos eſſe, ſed etiam albos eſſe, & pulchros*, &c. hæc eadem repetit *hom.* 61. ad populum Antiochenum. Auguſtinus Auguſt. item, ſiue quicumque Auctor fuit libri de Eccleſiaſticis dogmatibus, *cap* 53. *tom.*3. vbi illa vulgaria verba habentur: *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.* Ex quibus verbis ad minus colligitur, apud Auguſtinum magis apertam eſſe vtilitatem communionis hebdomadariæ, quam quotidianæ: illam enim ſimpliciter ſuadet; de iſta dubitat: nec valet dicere, Auguſtinum loqui de eo, qui non eſt in gratia; hunc enim nec ad hebdomadariam communionem hortaretur. Loquitur ergo de homine iuſto, *vt* explicat Bonauent. *in* 4. *vbi ſuprà*, quem tamen, quia raro Bonau. inuenitur cum puritate requiſita ad quotidianam frequentiam, vt dixit idem Bonauentura, relinquit Auguſtinus ſuæ conſcientiæ. Sciebant Patres, habendam eſſe rationem etiam reuerentiæ tanto Sacramento debitæ: ideo licet ad frequentiam ſæpè incitarent, aliquando etiam reuerentiæ admonebant. Sic Ambroſius in oratione ante Miſſam: *Quanta* Ambroſ. *cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, & animæ puritate illud Diuinum myſterium eſt celebrandum, Domine Deus, vbi caro tua in veritate ſumitur!* Quare Catechiſmus Pij V. cum antiquæ frequentiæ meminiſſet, rationem addidit, feruorem ſcilicet eximium illius ſæculi, *parte* 2. *cap.*4. *ſect.*61. *Omnes enim*, inquit, *qui tunc fidem Chriſtianam profitebantur, vera & ſincera charitate ita ardebant, vt cum ſine intermiſſione orationibus, & aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad ſacra Dominici corporis myſteria ſumenda parati inueniretur.* Attende, obſecro, an hæc præparatio in ſola carentia lethalis conſiſteret: & an hodie in omnibus ſæcularibus paſſim inueniatur. Noſtro autem ſæculo quid faciendum, explicat idem Catechiſmus pau- Catechiſm. Pij V. lo ante his verbis: *Vtrum autem ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præſcribi non poteſt.* At hi Auctores vnam omnibus regulam communem aſſignant; vt, qui ſine lethali eſt, accedat; qui non eſt, non accedat.

Secundo fundatur hæc communis Scholaſtico- 17. *Fundatur hæc ſententia in ſumentis vtilitate, & Sacramenti reuerentia.* rum ſententia firmiſſima ratione, cuius vis ad duo potiſſimum capita ſpectat: primo, ad ſumentis vtilitatem; ſecundo, ad Sacramenti reuerentiam. Nam in primis, cum certum ſit, effectum Euchariſtiæ creſcere pro maiori, & meliori præparatione ſumentis, procuranda ſummopere eſt hæc præparatio; eſt autem optima præparatio ad hunc cibum, ſicut ad alios, fames quædam, & ſpiritualis eſuries: nam vt dixit Auguſtinus, *panis hic interioris hominis eſuriem deſiderat*, & licet de eo pane dictum ſit, quod, *qui edunt illum, adhuc eſurient*; cæterum apud imperfectos non raro ſolet contingere, vt nimiam frequentiam pariat contemptum quendam, & faſtidium, abiiciantque communionem ipſam in conſue-

tudinem

tudinem torpori admixtam, ortam magis ex vſu, quam ex feruore ſpirituali: nam ipſo vſu vileſcunt
Bonauent. pretioſa, nouas immutant. Ideo merito dixit Bonauentura *in 4. d. 12. vbi ſupra* quod *maiorem efficaciam recipit homo in vna Miſſa, vel manducatione cum bona praeparatione, quam in multis, ſi non ſe praeparet diligenter*: quia nimirum nimia frequentia adimit paulatim diligentiam praeparationis, & per conſequens fructuum vbertatem, quae datur pro menſura diſpoſitionis, quare ad iſtam famem conſeruandam & excitandam, fugiendumque periculum inſenſibilitatis, & contemptus, expedit aliquando homini etiam exiſtenti in gratia abſtinere. Ideo forſitan
Leuit. 24. *Leuitic. 24.* iubetur, panes propoſitionis per ſingula Sabbatha mutari, & alios recentes ſubſtitui; vt moneamur, panem hunc, non niſi nouo cum calore, & feruore ſpirituali offerre, ad quem concipiendum regulariter conducit hebdomadae menſura.

18. Secundo attenditur, vt dixi, ad ipſius Sacramenti reuerentiam; in quo licet Chriſtus ſe totum ad noſtram effuderit vtilitatem, expedit tamen tanti Domini rationem habere, & eum, vt par eſt, tractare reuerenter: ſicut *Iſaiae 6.* legimus Seraphim non manu, ſed forcipe tuliſſe prunam, ſiue calculum de altari; non quidem quia, ſi manu tangeret, cremaretur manus Angelica, ſed in ſignum reuerentiae, qua caeleſtis pruna in altari poſita tractanda eſt. Huius ergo reuerentiae, & decoris cauſa multa fiunt circa hoc Sacramentum, quae prima facie videntur diſpendium afferre noſtrae vtilitatis, licet reuera non afferant, vt videbimus. Nam in primis ideo non licet duplex communio vno die; quia licet ſingulae nouum fructum afferrent, eſſet tamen quaedam ſpecies minoris reuerentiae paſſim accedere ad tam venerabile Sacramentum; nec ideo ſolum prohibetur multiplex communio in die, quia per vnam communionem melius repraeſentatur vnitas mortis, & paſſionis Chriſti, vt vult Marzilla; quia licet haec ſit ratio aliquius congruentiae, non tamen conuincens: poſſet enim pariter ob eundem reſpectum prohiberi duplex communio in hebdomada. Ratio ergo eſt, quam tradit Gabriel *lect. 87. in Canonem* his verbis: *Deſectus debita reuerentia, praeſumptio dignitatis propriae, & inſufficientia gratitudinis reddendae. Ad dignam ſumptionem huius Sacramenti requiritur meditatio excellentiae tanti Sacramenti, vt mens excitetur ad ſumendum cum reuerentia, & deuotione. Requiritur etiam meditatio propriae indignitatis, vt excitetur animus ad ſumendum cum timore, &c. Haec autem difficulter dignè exhibentur pluries vna die, vnde tandem in conſuetudinem veniret ſine hac praeparatione ſumere, & per hoc minus*
Gabriel. *reuerenter.* Haec Gabriel; ex quibus colligitur latè, hominem, cui quotidiana communio cauſa eſſet accedendi ſine meditatione, & conſideratione, ſiue quia frequentes occupationes impediunt, ſiue quia exigua deuotio non ſufficeret ad quotidianam praeparationem, huic (ſi quam) melius facere accedendo ſemel in hebdomada, quam ſingulis diebus, cum reſpectu huius militet eadem ratio.

19. *Confirmatur primo ex eo quod ratione eiuſdem reuerentiae prohibuit Eccleſia infantibus.* Confirmatur primo, quia ob eandem Sacramenti reuerentiam prohibuit Eccleſia Euchariſtiae ſumptionem infantibus baptizatis, licet hoc non fiat ſine aliquo ipſorum diſpendio, quibus Euchariſtia augeret gratiam ex opere operato. & vſus etiam obtinuit, pueris etiam doli capacibus non dari Euchariſtiam ante perfectum vſum rationis. Quem morem licet videatur Marzilla reprehendere in Memoriali ante primam obiectionem, probant tamen illum
Suarez. Theologi omnes, quos refert Suarez *in praeſenti diſp. 70. ſect. 1.* & Catechiſmus Pij V. & conſuetudo omnium Sacerdotum non admittentium ſtatim pueros ad communionem, licet eis abſolutionem impendant. Qua etiam ratione apud Indos non admittuntur omnes ſine delectu ad Euchariſtiam, licet omnes abſoluantur, ſed illi ſolum, qui prouectiores ſunt, & melius diſcernunt cibum iſtum. Vides, quam infirma ſit haec conſequentia: aliquis eſt iam per abſolutionem capax fructus Euchariſtiae; ergo non eſt, cur illi negetur. Debet enim vlterius haberi ratio reuerentiae ipſius Sacramenti, vt docuit Tridentin. *ſeſſ. 21. c. 2.* dum ait in Sacramentorum diſpenſatione attendendum eſſe ad vtilitatem ſuſcipientium, & ad Sacramenti venerationem, pro temporum varietate, &c.

Confirmatur ſecundo, quia ob eandem reuerentiam non datur Euchariſtia amentibus etiam non perpetuis, & baptizatis, & capacibus effectus Euchariſtiae; quibus licet in fine vitae detur pro Viatico, non tamen ante mortem: vt cum Catechiſmo Pij Quinti docent communiter Theologi: quos ſequitur noſter Suarez *Diſp. 69. ſect. 2.* vbi bene aduertit, rationem diſcriminis inter mortis articulum, & aliud tempus procedere ex veneratione debita huic Sacramento: quod poſtulat, non niſi ex graui cauſa dari ei qui per propriam deuotionem non poteſt ſe ad illud praeparare: quae ſane ratio cum proportione currit, alijs omnibus cum ratiùs, & cum grauiori cauſa dandum, quò minus habent deuotionis, & praeparationis: vt etiam in hoc ſenſu habeat locum illud Cant. 5. *Comedite, amici, & bibite, & inebriamini, chariſſimi*: vbi vides ad maiorem ſatietatem inuitari chariſſimos, quam amicos; habet enim ſua in latitudinem inuitatio, ſicut & ipſa amicitia, & familiaritas conuiuarum. 20. *Confirmatur ſecundo ex amentibus.*

Confirmatur tertio, quia eadem de cauſa ablatus eſt vſus calicis laicis, vt ſcilicet ſeruaretur debita reuerentia Sanguini, licet alioquin careant laici maiori fructu, quem ex vtraque ſpecie haberi diximus *Diſp. 11. ſect. 3.* Item ea de cauſa prohibetur communio infirmo habenti periculum vomitus; quia plus refert cauere vomitum ſpecierum ob irreuerentiam, quam infirmum habere fructum Viatici. Quid dico periculum vomitus? Etiamſi non ſit tale periculum, non permittitur aegroto ſumere Euchariſtiam de manu laici, caſu quo abſit Sacerdos: exiſtimante Eccleſia, minus inconueniens eſſe quod moriatur ſine Viatico, quam tangi Euchariſtiam manu laica, abſente Sacerdote. Adeo curat reuerentiam huic Sacramento in omnibus ſeruari: & mirum erit, ob eandem reuerentiam, hominem remiſſum, & venialibus ex aduertentia plenum, in ipſiſque actu complacentem abſtinere à quotidiana communione. 21. *Confirmatur tertio eo quod Sanguis non datur Laicis.*

Confirmatur quarto: quia ob eandem reuerentiam prohibitum fuit olim accedere ad Euchariſtiam poſt coitum etiam coniugalem, & licitum: & licet illa praecepta ceſſauerint in ratione praecepti, manent tamen in vi conſilij congruentiſſimi, vt poſt talem coitum, vel pollutionem etiam inuoluntariam abſtineat homo: vt docent Patres, & Theologi, quos refert, & ſequitur noſter Sanch. *lib. 9. de Matrim. diſp. 13.* niſi forte aliqua rationabilis cauſa in particulari excuſet ab irreuerentia: de quo diximus *Diſp. 15. ſect. 1.* 22. *Confirmatur quartò ex antiqua prohibitione.* Sanch.

Senſit difficultatem Marzilla *in Additionibus, c. 7.* & reſpondet, in primis illa antiqua decreta non tam praecipere, hominem non communicare poſt copulam, quam non habere copulam ante communionem: itaque ob reuerentiam Euchariſtiae iubebatur homo abſtinere à copula ante communionem: quod ſi non abſtineret, non ideo iubebatur abſtinere à communione: quia data illa negligentia antecedenti, adhuc melius erat communicare, quam abſtinere. Caeterum haec expoſitio eſt contra verba 23. *Marzilla ſoluere difficultatem conatur.* *Haec expoſitio eſt contra*

Patrum

Verba PP. Patrum,& Auctorũ,qui de hac re loquuntur etiam ex ſuppoſitione copulæ,vel pollutionis: & dicunt, non licere tunc accedere ad Euchariſtiam. Sic expreſſe Timotheus Alexandrinus in Reſponſis Canonicis,quæ habentur *in 6.tom.Biblioth Sacra,reſponſ.5. & 13.* vbi ait, coniugatos non poſſe ſumere ſynaxim eo die, quo ſimul cohabitauerit: & S. Malachias, teſte Bernardo in eius Vita,monacho polluto dixit: *Non debueras ſic miniſtrare.* Et Carthuſiani lege lata ita ſtatuerunt,vt habetur *in ſtatutis antiquis,p.1.c.4.* Monachum nocte pollutum etiam citra culpam, mane non celebrare, nec ad altare accedere. Et denique Scholaſtici & Morales,quos refert Sanch. *vbi ſupra* omnes loquuntur ex ſuppoſitione copulæ,vel pollutionis, & dicunt, tunc minus decere communionem, niſi aliqua ſit cauſa rationabilis.

Tim. Alex.

24. Reſpondet ſecundo Marzilla, illam indecentiam inueniri, quando ex copula, vel pollutione præcedenti manent adhuc reliquiæ in imaginatione, & appetitu,nec omnino ſedata eſt delectatio ex copula orta: tunc enim, etiamſi non interuenerit culpa grauis, decentius eſſet abſtinere. Iam ergo concedit hic Auctor,& fatetur,licet inuitus, caſu,quo careat homo gratia Sacramentali ob reuerentiam Euchariſtiæ, cum tamen probatus ſit, iuxta Apoſtolum,& dignè manducaret. Videat nunc, ſi,quod ipſe ſemel concedit,liceat nobis pariter concedere,quando homo habeat actualem complacentiam in venialibus innumeris,& nullam prorſus actualem deuotionem, vel ferè nullam ob diſtractionem, & euagationem circa res domeſticas,an tunc iniuria fiat huic homini, ſi ob Sacramenti reuerentiam abſtineat ab hodierna ſumptione, donec cras diſcat melius ſe diſponere. Certè Euchariſtia magis dedignaretur hodie iſtud hoſpitium, quam hominem qui ob matrimonij legem ſeruandam habuit copulam; & tamen Paulus per ſe non ſuadet illi, ſed permittit communicare; ergo nec iſti, de quo loquimur.

Reſpondet ſecundo.

Impugnatur.

Adde tamen,non ita attendi in hac abſtinentia ad
25. ſolam Sacramenti reuerentiã,quin attendatur etiam ad ſumentium vtilitatem; imo dixerim præſertim attendi ad noſtram vtilitatem: quia regulariter loquendo quotidiana communio in eo ſtatu remiſſionis,& corporis vix contingeret ſine multiplici culpa veniali concomitanti,& antecedenti: tum quia,moraliter loquendo,repugnaret illũ hominem quotidie præparare ſe cum ea deuotione, & attentione,quam poſtulat ſuſceptio huius Sacramenti; vix enim,qui taliter viuunt, poſſunt ſe componere, & præparare ſemel in hebdomada, nedum ſingulis diebus: tum etiam præcipuè,quia moraliter loquendo,quamplures communiones haberent finem defectuoſũ,& malum venialiter,nempe inanem gloriam,vanam æmulationem,vel aliquid ſimile. Ratio eſt, quia cũ tota dulcedo, & efficacia huius cibi ſpiritualis ſit,& famem exigat ſpiritualem, neceſſe eſt, hominem eſurientem quotidie hunc cibum,habere famem,& eſuriem magnam ſpiritualem: hæc autem non reperitur,niſi in corde vacuo,& puro à mundanis curis & delectationibus illicitis:cum ergo ſine iſta fame deſiderari non poſſit cibus hic, prout oportet;hæc autem tanta fames non adſit, niſi in corde puro, conſequens eſt, hominem nimis deditum humanis voluptatibus, (etiam citra culpam mortalem) vel non deſiderare verè hunc cibum quotidianum, & corpori inſipidum, vel regulariter deſiderium illud habere admixtum alium finem imperfectum.

Additur tamen non tantũ attendi ad reuerentiam, ſed etiam ad vtilitatem ſumentium.

26. Sanè vis huius rationis moralis colligitur ex doctrina Patrum, qui paſſim negant veram famem in corde nimis impuro. Sufficiat pro omnibus afferre Gregor. *ſuper 1. Reg.1.* vbi de culpis etiam venialibus loquitur: *Non ſaturantur*, inquit, *niſi famelici, qui a vitiis perfectè ieiunante. Diuina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. & quia ſine peccato electi etiam viri eſſe non poſſunt; quid reſtat, niſi vt a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non deſinit, euacuari quotidie conentur: nam qui quotidie non exhauriunt, quod delinquunt, etſi minima ſunt peccata, quæ ingerunt, paulatim anima repletur; atque ei merito auferunt fructum internæ ſaturitatis. Hac repletione nos euacuare Paulus inſinuauit,ais:* Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, &c. Hæc Gregorius: quæ neſcio quomodo adducat pro ſe Marzilla, vt probet, ſolam peccati mortalis carentiam commendari à Paulo, & Patribus, ad ſumptionem Euchariſtiæ, cum conſtet ex Gregorio, etiam minima peccata, ſi plura ſint, obeſſe,& impedire famem ſpiritualem, niſi per diſplicentiam euacuentur.

Denique libet addere, quod Ludouicus Bloſius 27.
in Monili Spirituali c.6. refert S. Gertrudem intellexiſſe à Domino: *Quicunque(inquit)viri,vel fœminæ ſæculares viuant in aliquo ſtatu,qui a Deo & Eccleſia non diſcordes, ſiue ſint in matrimonio, ſiue extra matrimonium ſiue vendant, ſiue emant, ſeu quauis alia licita ratione victum ſibi parent, ſi bona voluntate præditi ex Dei gratia perſeuerant in bono, & a grauibus culpis ſeſe continent, vitamque ſuam ſecundum Dei præcepta, ac ſanctæ Eccleſiæ decreta dirigere volunt, peccataque ſua humili corde Sacerdoti confitentur: hi omnes de Dei miſericordia confiſi venerandum Euchariſtiæ Sacramentum in ſolemnitatibus, vel diebus a Patre ſpirituali ipſorum ſtatutis accipere poſſunt. Licet enim rebus externis multipliciter occupati ſint, & in leuiores culpas ſæpius cadant, pro viribus tamen ſunt iuſti in omnibus ob idque Deo placent. Inueniuntur autem nonnunquam inter eos, qui habitum ſæcularem geſtant, aliqui tam puri, & feruentes, vel ſancti, vt quotidie ſacram communionem percipere poſſint.* Hæc ibi: quæ eo libentius tranſcripſi, quo maioris ponderis apud aduerſarios erit doctrina à Chriſto tradita ſanctæ virgini Gertrudi Ordinis S. Benedicti, & relata à Venerab. Viro Ludouico Bloſio Abbate eiuſdem Ordinis. Conſtat autem ex verbis illis, non omnes, ſed aliquos paucos eſſe ex iis ſæcularibus, qui Deum timent, quibus Euchariſtia quotidie danda ſit: conſtat etiam, non, niſi ſtatutis à Patre ſpirituali diebus, eam debere accipi, quæ erat ſecunda pars probanda *ſect. ſequenti.*

Bloſius. S. Gertrud. Ludouic. Bloſius contra ſe [illegible]

SECTIO III.

Secunda pars communis, & vera ſententiæ probatur.

ID quod ſecundo loco probandum propoſuimus, 28.
eſt Confeſſarij, ſeu Patris Spiritualis conſilium attendendum, non ſolum quatenus per Sacramentalem abſolutionem iudicat hominem dignum Euchariſtia, ſed quatenus etiam aſſignet vnicuique regulam prudentem, magis vel minus frequenter accedendi: quod quia magis diſcedit à Theologo Scholaſtico, breuius à nobis in hac ſectione oſtenditur. Et in primis probari poteſt auctoritate omniũ Theologorũ,quos ſuperius adduximus, qui hoc vel ſupponunt ex praxi receptiſſima fideliũ,vel expreſsè docent. Videatur præſertim Petr. de Soto *vbi ſupra*, Barth à Medina, P. Henriq. qui alios affert *lib 8. de Euchariſt. c.53.§.2.* Alphonſus Salmeron *tom 9. in Euangel. tract. 41. circa finem*; qui licet acerrimè ſuadeat communionis frequentiam, addit tamen hoc fieri debere à laicis *arbitrio Sacerdotis, modo ſit prudens*

Secunda pars ſententiæ communis probatur Auctoritate omnium Theologorum.

Soto. Medina. Henriq. Salmeron.

prudens, ac probus. Et in eodem tractatu paulo à principio affert ex Dionyſio Carthuſ. exemplum quarondam Monialium contra eos, qui, ſpreto iudicio, & conſilio ſuorum Præfectorum, ſæpe audent communicare. Eodem modo loquitur Suarez, & alij omnes Recentiores, quos non oportet ſingillatim enumerare.

29. *Probatur ſecundo ex regula generali.* Ratione item probari poteſt ex duplici capite; primo, ea regula illa generali apud Sanctos & ſpirituales viros receptiſſima; quod in rebus ad profectum ſpiritus pertinentibus debet vnuſquiſque Patris ſpiritualis conſilio ſtare, nec ſuo ſe arbitrio regere; quod in rebus alioquin ſanctis locum habet, vt in oratione, ieiunio, pœnitentiis, &c. quanto magis in Euchariſtia, cuius nimiam ſumptionem habere aliquid periculi probatum eſt ſupra; & per conſequens, dubium eſt hic, & nunc, qualis frequẽtia huic homini magis expediat, iuxta vitæ ſtatum, quem habet. Nam, (vt dixit Catechiſmus ſupra adductus,) non poteſt vna regula pro omnibus aſſignari. Cur ergo in hoc dubio non ſtabit prudentis Patris iudicio, ſicut & in aliis ad ſpiritum pertinentibus? Sanè ſi Eccleſia non prohibuiſſet binam in die communionem, poſſet etiam aliquis dubitare, an ſibi expediret duplex communio, matutina, & veſpertina? Diceret tunc fortè Marzilla, non eſſe de hoc conſulendum, quia res erat de ſe bona, & vtilis. Falleretur tamen; nam ipſa Eccleſiæ prohibitio oſtendit, vnicam eſſe ipſi ſumenti vtiliorem, quam duas. Cur ergo nunc non poteſt dari homo, cui vnica in hebdomada vtilior ſit? Et per conſequens, ne decipiatur, oportebit Patris alicuius prudentiam conſulere.

30. *Maximè in vſu huius Sacramenti ſpectatur conſenſus Sacerdotis.* Cæterum, quidquid ſit de aliis rebus; circa vſum tamen huius Sacramenti magis voluit Eccleſia, ſpectari conſenſum Sacerdotis a laicis. Nam in primis ideo Chriſtus Dominus noluit laicos habere hunc cibum, niſi per manus Sacerdotis; vt ſcilicet ſciret Sacerdos, quibus, & quando dari expediret. Nec ſufficit quicumque Sacerdos, ſed requiritur proprius Paſtor, Parochus ſcilicet, vel alius, qui ab eo habeat iuriſdictionem delegatam: quod indubitatum eſt apud omnes Theologos: vt ex Conciliis

Vaſq. Suarez. Henriq. & Patribus probat Vaſquez *diſp.* 219. *cap.* 1. Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 1. & ex Scholaſticorum, & Summiſtarum conſenſu, quos affert & probat Henriq *dicto lib.* 8. *de Euchar cap* 55. Sanè hæc iuriſdictio, quæ in dante deſideratur, ideo eſt, vt Paſtor, cuius eſt oues agnoſcere, melius poſſit conſulere vtilitati ſubditorum: alioquin ſi hæc ſumptio non haberet peculiarem difficultatem poſt Sacramentalem abſolutionem, non deſideraretur peculiaris iuriſdictio, vt homini ſemel à proprio Paſtore abſoluto poſſet Euchariſtia miniſtrari, ſed poſſet eam à quolibet accipere.

31. *Reiicitur etiã Marzilla.* Concedit Marzilla conſequentiam *in Memoriali ante primam obiectionem*, vbi docet ad communicandum ex deuotione per annum, nullam exigi iuriſdictionem in Sacerdote, ſed ſolam poteſtatem Ordinis; ſed an ſine temeritate, viderint alij, cum ſit contra omnes prorſus Theologos, & contra mentem Pontificum, qui Religioſis concedunt priuilegia miniſtrandi Euchariſtiam non ſubditis: & hoc cum limitatione, ſcilicet in propriis ſolum domibus: & contra Rubricam, & Canones poſitos *in Manuali, pag.* 1. vbi expreſsè habetur Sacramentum Euchariſtiæ nunquam niſi in caſu neceſſitatis poſſe miniſtrari niſi à Parocho: & deinde ſine vllo prorſus fundamento Nam in primis affert pro ſe illud ex Hymno Eccleſiæ: *Cuius officium committi voluit ſolis preſbyteris, quibus ſic congruit, vt ſumant, & dent cæteris.*

Cæterum ex hoc loco, non magis probatur, poſſe Sacerdotem ſimplicem miniſtrare Euchariſtiã, quam abſoluere. Nam ſimiliter dici poteſt, Chriſtum dediſſe Sacerdotibus poteſtatem abſoluendi, quando ordinantur. In vtroque autem caſu ſermo eſt de poteſtate ordinis, non de poteſtate iuriſdictionis, quæ poſtea exigitur. Sicut etiam ad vngendum infirmum requiritur eadem poteſtas, licet Apoſtolus abſolutè dicat, hoc munus cõgruere Preſbyteris: *Inducat Preſbyteros Eccleſiæ, &c.* affert ſecundo pro ſe verba Tridentini optantis, quod omnes fideles communicent in omnibus Miſſis priuatis: ergo ſupponit, omnes Sacerdotes poſſe miniſtrare Euchariſtiam; alioquin optaret Concilium fideles accipere Euchariſtiam ab eo, qui dare non poteſt. Futile ſanè argumentum, ſicut ſi inferret ex eodem loco Concilij, poſſe aliquem communicare bis eodem die; quia Concilium optat, quod communicet in omnibus Miſſis, quas audit: contingit autem eadem die audire plures Miſſas. Ridicula eſſet conſequentia; quia Concilium ſupponit terminos habiles, quod ſcilicet illa die non communicauerit, quod ſit ritè abſolutus à proprio Sacerdote, & quod ab eodem habeat veniam accipiendi Euchariſtiam. *Affert pro ſe ille auctor verba Tridentini.* *Sed futile eſt argumentum.*

Confirmatur primo *ex cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſ.* vbi cum ſermo ſit de communione annua ex præcepto facienda tempore Paſchatis, adhuc permittitur differri ex conſilio Confeſſarij: ergo à fortiori communio non ex præcepto, ſed ex deuotione facienda differri vtiliter poterit aliquando ex eiuſdem Confeſſarij conſilio. Nec obſtat, ſi dicas, in caſu illius textus intelligi dilatam abſolutionem ſacramentalem, quia obſtant verba illa, *de conſilio*: quæ in rigore non ſonant obligationem præcepti, ſed directionem conſilij. 32. *Confirmatur.*

Confirmatur ſecundo ex vſu, & praxi ſanctorum, de quibus paſſim legitur, quod prohibiti à Confeſſariis abſtinebant ſæpe à quotidiana communione. Sic narrat Ribera de S. Thereſa *lib* 4. c. 12. & idem legitur de aliis innumeris, qui ſanè ſpiritu Dei ducebantur ad obediendum Nam licet Confeſſarios aliquando poſſit decipi; pœnitens tamen non decipitur, dum ei obedit, qui perſonam Chriſti ſuſtinet; vt certum eſt in materia de obedientia. Ad quod facit, quod legitur in vita S. Bernardi *lib.* 1. quod cum Monacho die ſolemni quodam præcepiſſet, abſtinere ab Euchariſtia, ille tamen verecundiæ cauſa acceſſit; non tamen potuit cœleſtem cibum traiicere, donec à Bernardo veniã obtinuit ſuæ inobedientiæ, nec eſt credibile, Monacho illi dilatam fuiſſe abſolutionem ſacramentalem ob aliquod peccatum mortale, tum quia ætas illa, & perfectio illius ſanctiſſimi Cœnobij delicatiorem viuendi rationem habebat; tum etiam, quia, ſi abſolutio meritò negata fuerat, vt experientia ſumeretur de Monacho, vt fieri ſolet; procul dubio non debet tam cito abſolui eadem die, vt communicaret: quare verius videtur, dilatam fuiſſe eam communionem ob maiorem Sacramenti reuerentiam ex conſilio Prælati, cui in hac materia obediendum oſtendit illud *Exodi* 16. vbi taxante Moyſe menſuram Gomor, quam ex manna ſinguli colligerent, & aliquibus non obedientibus, ſed menſuram excedentibus, & relinquentibus vſque mane, *ſcatere cœpit vermibus, atque computruit*: quia omnium, quantumvis ſit panis Angelorum, colligi tamen debet iuxta conſilium Patris, & Confeſſarij, ne fortè occaſionaliter noceat. 33. *Confirmatur ſecundo ex vſu ſanctorum.*

Ad quod etiam facit, quod refertur 1. *Mach. c.* 4. quod cum inueniſſet Iudas altare holocauſtorum profanatum; & dubitaret de illo, an verendum ipſo 34. *Affertur exemplum ex Scriptura.*

eſſet

eſſet ad holocauſta, *incidit illis conſilium bonum, & repoſuerunt*, inquit, *lapides in monte domus in loco apto, quoad vſque veniret Propheta, & reſponderet de eis.* Sic ſanè fieri debet, quoties dubitatur de puritate ad frequentiam huius Sacramenti; mundare lapides, quantum fieri poteſt, ponere eos in loco apto & puro, ac de reliquo conſulere Prophetam, Prophetam, inquam, non quemlibet Sacerdotem, ſed doctum, & pium, qui ſpiritum Dei habeat; ſicut Iudas noluit conſulere Sacerdotes, quos ſecum habebat, ſed expectare Prophetam: eſt enim res periculi plena, & in qua vel per exceſſum, vel per defe-
35. ctum facile decipi poſſumus. Vnde non deſunt, qui doctrinam illam de non ſequendo conſilio Confeſſarij in ordine ad communionem temerariam, & ſcandaloſam iudicent; cum quibus ſentit P. Luiſius Turrianus *in diſp. ſelectis, diſp. 36. de Cenſuris Theolog. cenſura 4. dub. 44.*

Turrianus.

S.Thom. Obſtare videtur huic doctrinæ S. Thomas *in 4. diſt. 12. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 1.* vbi ex Auguſtino docet, quoad hoc *relinqui debere vnumquemque ſuo iudicio*; ergo non oportet ſequi iudicium Confeſſarij. Reſpondetur, S. Thomam docere, vnumquemque conſulere debere in primis propriam conſcientiam, an experiatur minui, vel augeri in ſe reuerentiam, & effectum per frequentiam: hoc enim nemo ſcire poteſt, niſi ipſe, qui experitur, & quoad hoc relinqui debet quiſque ſuo iudicio: cæterum poſtquã Confeſſarium de hoc inſtruxerit, ad Confeſſarium ſpectat præcipere, quod facere debeat.

Reſpondetur ſancto Th.

SECTIO IV.

Soluuntur obiectiones contra communem ſententiam.

36. Salmeron. Videamus nunc fundamenta aduerſæ opinionis, cuius auctor ea ferè deſumpſit ex Salmerone *dicto tom. 9. tract. 41.* non tamen ſumpſit limitationem, qua Salmeron abſoluit illum tractatũ per hæc verba: *Vt autem ad Laicos veniamus, quibuſdam quotidiana communio conueniunt, quibuſdam octauo quoque die, quibuſdam ſemel in menſe, & ſic de aliis pro cuiuſque diſpoſitione, & arbitrio Sacerdotis, modo ſit prudens, ac probus; ita vt non poſſit certa aliqua regula aſſignari.* Hæc ille. Veniamus tamen ad argumenta; & in primis ad ea, quæ ducuntur ab auctoritate; deinde ad rationes.

37. Chryſoſt. *Primo obiici poteſt Chryſoſt. & alij.* Primo ergo obiici poteſt Chryſoſtomus *tom. 4. hom. 5. ſuper 1. ad Timoth.* in hæc verba: *Hoc eſt, quod vniuerſa perturbat; quia non mũditia animi, verum interuallo temporis longiore conſtare meritum putas: ſummamque arbitraris reuerentiam, ac religionem eſſe, ſi non ſæpius cæleſtem illam adeas menſam Ignoras, quoniam indignè accedere, etiamſi ſemel tantum fiat, te ſupplicio tradit: dignè verò, etiamſi ſæpe accedas, ſalutem inde conquiris?* Idem Chryſoſtomus *hom. 3* in Epiſt. ad Epheſ. *Tempus non efficit dignos tanti aditu Sacramenti: ſed ſola animæ ſynceritas, atque expurgatio: cum tali puritate accede ſemper: ſine hac ne præſumas vnquam.* Conſonat illud Auguſtini *tom. 10 ſer. 28.* de verbis Domini: *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* Bonauentura *de proceſſ. Relig. proceſſu 7. cap. 11. Licet tepidè, accedas fiducialiter confidens de miſericordia Dei: quia quo magis æger, magis indiges medico.*

Auguſt.

Bonauent.

38. Idem. *Expiicantur ſancti PP.* Hæc, & alia ſimilia explicat idem Bonauent. *in 4. vbi ſupra*, dicens, debere intelligi, *ſalua ſemper debita præparatione, quæ in pauciſſimis eſt, vt ſemper.* Suadent ergo Sancti frequentem communionem: eo tamen ipſo ſuadent diſponere ſe hominem ad frequenter accedendum, vt dixit Ambroſius: *Quotidie accipe, quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* Fateor item, ſolam temporis dilationem per ſe non conferre ad meliorem præparationem, nec frequentiam reddere minus aptum, imo potius magis per ſe loquendo: per accidens tamen poteſt alicui occaſionaliter frequentia parere irreuerentiam, vt ſupra probatum eſt. Cum verò dicit Chryſoſtomus, cum vitæ puritate ſemper accedendum, debet accipi illud, *ſemper*, cum proportione, id eſt, ſuis temporibus congruis, pro maiori vel minori congruitate & neceſſitate: ſicut, *ſemper orandum*, debet accipi cum eadem proportione. Adde, veriſſimum eſſe, qui non eſt dignus quotidie, non eſſe dignum poſt annum: hoc tamen ſolum arguit, ineptam eſſe excuſationem eorum, qui prætendunt indignitatem, ne accedant. Cæterum licet poſt annum non ſit dignus condignitate adæquationis, poteſt tamen accedere aliquis ſine indecentia; quæ eſſet, ſi cum eadem tepiditate accederet quotidie: quia poſt annum datur grauior neceſſitas, qua excuſatur, & compenſatur illa irreuerentia.

Ambroſius.

39. *Secundo obiicit panē ideo vocari quotidianum. Reſpondetur.* Secundo obiicitur, *panem* iſtum appellari *quotidianum*, id eſt, quotidie accipiendum: quæ verba de Euchariſtia intelligunt plures Patres adducti à Salmerone vbi ſupra: Reſpondeo cum Bonauentura ſupra, panem eſſe quotidianum per ſe loquendo, & ſuppoſita debita diſpoſitione, quam obiter petimus petendo panem illum fieri nobis quotidianum. Eodem modo intelligi debet admonitio Catechiſmi docentis Parochum, vt hortetur fideles hunc panem quotidie ſumere, ſicut corpori in ſingulos dies alimentum ſubminiſtrant. Quæ verba explicari debent ad mentem eiuſdem vbi ſupra dicentis, diſpoſitionem ad Euchariſtiam latitudinem habere, atque ideò non poſſe vnam regulam pro omnibus præſcribi.

40. Hilari. 2. *Obiicitur ex Hilario. Reſpondetur.* Tertio obiicitur ex Hilario *in cap. Si non ſunt, de conſecrat. diſt. 2. Si non ſunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis, & ſanguinis Domini ſeparare*: ergo ſola carentia mortalis culpæ ſufficit ad vtilius accedendum. Reſpondeo, ibi non agi de maiori vtilitate quotidianæ communionis, ſed ſolum de omiſſione communionis; quæ intuitu delictorum præcedentium non debet omitti, ſi homo velit ſe præparare, niſi propter illa fuerit excommunicatus. Quo etiam ſenſu loquitur Gregorius *lib. 2. Epiſtol. 26. Sicut, exigente culpa, quis à Sacramento Communionis dignè ſuſpenditur: ita inſontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta.*

Gregor.

41. Conc. Trid. *Obiicit Tridẽt.* Quarto obiicitur Tridentinum *Seſſ. 22. cap. 6.* vbi optat, in ſingulis Miſſis fideles adſtantes communicare. Item declaratio Cardinalium *in 4. vol. deciſionum Rotæ*, ſupra illum locum Concilij, vbi dicitur, Tridentinum obſtare Epiſcopo prohibenti cõmunionem quotidianam omnibus coniugatis, ſeu præſcribenti certos dies, extra quos non fiat communio. Reſpondeo, Tridentinum optare id quod perfectius eſt; cæterum ſimul optare in omnibus diſpoſitionem congruam ad illam frequentiam. Quare meritò reprehenditur Epiſcopus prohibens communionem quotidianam, ſicut reprehenderetur, qui prohiberet in vniuerſum ſtatum Religioſum; licet certum ſit non expedire omnibus in particulari ingredi Religionem.

Reſponſio.

42. Auila. *Obiicit auctoritatem Ioan. de Auila.* Quinto obiicit Marſilla *in Additionibus, c. 21.* auctoritatem Ioannis de Auila, viri pietate, & doctrina noſtro ſæculo inſignis; qui conſultus, an Parochus rogatus ſæpè in anno debeat dare Euchariſtiam petenti

Reſpondetur illum auctorem à nobis ſtare.

petenti, necne? Reſpondet affirmatiuè, & multum commendat frequentiam communionis, quæ reſponſio habetur *in 1. tom. 3. partis ſuorum Operum tract.13.* Gaudeo, Marzillam vella litem hanc definiri ex ſententia Ioannis de Auila, quem fateor virum piiſſimum, & magnæ auctoritatis: debuerat tamen videre, an eum ſatis haberet pro ſe in hac cauſa. Fateor, fuiſſe propenſum valdè in frequentiam Euchariſtiæ, & perpetuum eius commendatorem: non tamen talem, quales ſunt hi auctores, vt patet ex integra eius epiſtola, quæ habetur *in 2. part. Epiſtolarum*, ad Concionatorem rogantem, vtrum quotidiana communio conſulenda ſit omnibus perſonis coniugatis, & laicis? Vbi acerrimè inuehitur in hanc conſuetudinem, & conſilium; & concludit, rariſſimum eſſe, vt coniugatus poſſit congrue accedere noſtro ſæculo quotidie ad Euchariſtiam; & diſſoluit clare omnia argumenta oppoſitæ partis, adeo vt mirum ſit Marzillam eam epiſtolam legiſſe, & in Auilam, vt in hoſtem apertum, non irruiſſe. Videatur tota; quam libenter tranſcriberem, niſi omnibus vulgari lingua præ manibus haberetur.

43.
Obiicit ſextò vſum primitiuæ Eccleſiæ.
Bonauen:
Reſpondetur.

Sextò obiicitur vſus primitiuæ Eccleſiæ, in qua fideles omnes quotidie communicabant. Reſpondet Bonauentura vbi ſupra feruorem illius ſæculi proportionem habuiſſe cum illa frequentia: quare qui ſe experiatur ſapere illud ſæculum, habeat etiam frequentiam illius ſæculi. Reſpondet ſecũdo Auila, vbi ſupra, non eſſe credibile, quod coniugati etiam poſt copulam accederent quotidie ad Euchariſtiam, cum ex decretis illius temporis conſtet, quam ſeriò ab Euchariſtia remouerentur poſt copulam.

44.
Septimò obiicitur ex Paulo.
Reſpondetur.

Septimò obiiciunt ex Paulo, diſpoſitionem neceſſariam eſſe ſolam puritatem à lethalibus; qua poſita, homo edat, & bibat: Ergo ſi hæc datur quotidie, quotidie expedit edere de hoc pane. Reſpondetur, in primis hoc argumentum probat ſimiliter poſt pollutionem nocturnam, & cum delectatione veniali expedire communionem, quod non audent concedere aduerſarij, vt vidimus. Deinde Gregorius Papa, 1. *Reg* 1. prædicta verba Apoſtoli de munditia etiam à venialibus cum proportione quadam intelligit, vt ſupra viſum eſt. Nam cum dixiſſet, peccata etiam minima euacuanda, vt famelici ſimus; ſtatim ſubdit: *Hac repletione nos euacuare Paulus inſinuans, ait:* Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. *Quid enim eſt hoc loco probare, niſi, euacuata peccatorum nequitia, ſe probatum ac purum ad Dominicam menſam exhibere? De repletis etiam ſubdit:* Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. *Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus; quia ipſa ſola virtus eſt, quæ euacuet, quod in ventre animæ culpa coadunat: & tunc verè famelici ſaturantur; quia quo ſtudioſius mundamur lamento pœnitentiæ, eo vberiorem Diuinæ gratiæ fructum recipimus in ſpirituali refectione.* Hæc Gregorius, vbi non vult, venialia inducere grauem reatum communicanti, ſed cum proportione quadam conſilium Pauli accipiendum, vt ſcilicet eo maior fructus ſperetur, quo maior fuerit euacuatio: & eo plus periculi eſſe in hac menſa, quo minus euacuata fuerint etiam venialia, & quotidiana peccata. Denique dici poteſt, verba illa: *Sic de pane illo edat*, non eſſe conſulentis, ſed permittentis edere, poſtquam præcedit puritas à lethali: manet tamen locus conſilij abſtinendi aliquando, vt cum reuerentia ſumatur.

Gregor.

45.
Obiicit octauò, eo quod

Octauò obiicitur; quia Sacerdotes celebrant quotidie, cum tamen ad celebrandum eo maior requiratur puritas, quo excellentior eſt dignitas Sacerdotis, quam laici communicantis. Reſpondeo primò, Sacerdotes etiam cum pari diſpoſitione poſſe frequentius celebrare; quia defectus ille puritatis compenſatur per maiorem obligationem, quam ex officio habent offerendi Sacrificium: ſunt enim nuntij, & miniſtri publici deputati ab Eccleſia, vt eius nomine Deum placatum reddant: quare ipſius Eccleſiæ puritas, cuius nomine accedunt, reddit eos magis acceptos, vt accedant ad Deum. Reſpondetur ſecundo Sacerdotes ex officio habere per ſe minorem indiſpoſitionem accedendi quotidie, vtpote quos ipſe ſtatus ſeparat à curis ſæcularibus, à coniuge, à filiis, &c. Reſpondetur tertio, Sacerdoti, qui culpabiliter, vel inculpabiliter habet idem periculum irreuerentiæ, & indeuotionis ob nimiam frequentiam, optimum etiam conſilium eſſe, aliquando abſtinere, vt poſtea reuerentius accedat. Sic enim Sacerdotibus conſulit D. Bonauentura vbi ſuprà *lib. 1. de profectu Religioſorum, cap.* 77. omninò videndus.

Sacerdotes quotidie celebrant.
Reſpondeo.
Reſpondetur ſecundò.

46.
Obiicit nonò.
Reſpondetur.

Nonò obiiciunt, quia ex noſtra ſententia ſequitur, nemini laico poſſe concedi quotidianam communionem ſine vehementi periculo ſuperbiæ; nam eo ipſo iudicat Confeſſor, habere maximam puritatem ad talem frequentiam requiſitam. Reſpondeo; maior ſuperbiendi occaſio naſcitur, cum Deus aliquem ad miracula, vel reuelationes extollit: ſed re vera in iis caſibus eſt minus periculum ſuperbiæ quia quo maior eſt puritas, eo maior eſt lux ad cognoſcendum, puritatem illam eſſe donum Dei à Deo dependens, & de quo nonniſi ſtultiſſimè poteſt aliquis gloriari.

47.
Obiicit vltimò.
Reſpondetur.

Obiiciunt vltimò, ſi hodiè non expedit communicare, ergo nec poſt octo dies: quia tunc non erit maior puritas. Reſpondeo, in primis ipſa abſtinentia eſt occaſio, vt poſtea accedat aliquis cum maiori deuotione actuali, & ſe diligentius præparet, vt ſupra vidimus. Deinde, etiamſi diſpoſitio eſſet æqualis, minor irreuerentia eſt accedere ſingulis hebdomadis, quam ſingulis diebus: quia neceſſitas eſt maior pro ſingulis hebdomadis, quam pro ſingulis diebus: & exceſſus neceſſitatis tollit irreuerentiam, vt patet in amente; cui, dum ſanus eſt, non datur Euchariſtia ob irreuerentiam, & tamen datur in articulo mortis propter maiorem neceſſitatem: ergo cum proportione, quo magis creſcit neceſſitas, minor erit irreuerentia accedere ad Euchariſtiam etiam cum æquali diſpoſitione.

48.
Turrian.
Sherlog
Concionatoris tamè ad frequentiam debent incitare.

Omitto alia argumenta leuiora, & alia teſtimonia, quæ afferunt, & facile ex dictis poſſunt diſſolui. Pro coronide tantum huius Diſputationis, de qua vltra citatos videri poſſunt Luiſius Turrianus *in diſputat. Select. part. 2. diſp.* . & Paulus Sherlogus *in Anteloquiis ad Cantica, Anteloq. 4. ſect. 10. & 11.* Hoc vnum monere velim. Concionatores regulariter debere ad frequentiam incitare; tum quia populus in hoc ſæculo multo magis inclinat ad raritatis, quam ad frequentiæ vitium: &, ſi frequentia reprehendatur, facile fiet, vt plures ſuam deſidiam reuerentiæ velamine ſimulare velint; tum etiam, quia multo plura inconuenientia ex raritate naſcuntur, quam ex frequentia: nam vt in plurimum ad frequentiam non declinabunt, niſi timorati, & pij. Cum enim Euchariſtia cibus ſit carni inſipidus, & ſuper quo carnalis homo quotidie nauſeat, quantumuis frequentia prædicetur: non niſi perpauci ad quotidianam communionem accedent; facilius erit, ſi frequentiam reprehendas, quamplures ab hebdomadaria remouere. Decet ergo Theologum ſcire, quod doceat Theologica veritas in hoc negotio; ſermonem tamen temperare, & apud

plebem in fauorem frequentiæ loqui, prout ſancti Patres, & Theologi omnes Scholaſtici fecerunt. Faxit Deus, ita omnes ſentiamus, & loquamur, prout ad huius Venerabilis Sacramenti reuerentiam magis expedit, & ad noſtrarum animarum vtilitatem.

DISPVTATIO XVIII.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

SECTIO I. *Vtrum ſolus Sacerdos poſſit Euchariſtiam miniſtrare.*

SECTIO II. *Vtrum omnes Sacerdotes poſſint Euchariſtiam miniſtrare.*

Actio miniſtri duplex. S. Thom. DVPLEX eſt actio miniſtri in hoc Sacramento; altera ad conficiendum; altera, ad dandum ſuſcipienti. De vtraque agit S. Th. q. 82. & de prima dicit *art.* 5. pertinere ad ſolum Sacerdotem rite Ordinatum: eſt quidem quia ad controuerſias ſpectat, qui contra hæreticos noſtri temporis id accurate tractarunt, illis relinquitur: & videri etiam poteſt Vaſquez *diſp.* 218. *c.* 1. Poſtea *art.* 2. tractat S. Thomas, an poſſit hoc Sacramentum confici ſimul à pluribus Sacerdotibus; de quo puncto latè diximus ſupra *diſp.* 11. *ſect.* 8. Reſtat nunc agere de ſecunda actione, dandi hoc Sacramentum; de qua duo breuiter tractari poſſunt. Primum, quis poſſit hoc Sacramentum diſpenſare; Secundum, quibus, & quando poſſit, vel debeat à miniſtro diſpenſari. (Vaſquez.)

SECTIO I.

Vtrum ſolus Sacerdos poſſit Euchariſtiam miniſtrare?

1\. *De conſecratione non eſt dubium apud Catholicos.* Concil. Trid. NOn eſt dubium apud Catholicos, ſolum Sacerdotem rite Ordinatum poſſe valide Euchariſtiam conſecrare, vt conſtat ex definitione Tridentini *ſeſſ.* 13. *c.* 4 & aliis paſſim. Neque etiam dubium eſt, quod Sacerdotes hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, &c. valide conficiant, quamvis non licite, hoc Sacramentum, vt cum S. Thoma *dicta q.* 82. *art.* 7. *&* 8. probant omnes Theologi. (S. Thom.)

Ex officio etiã diſpenſandi poteſtas ſpectat Sacerdoti. De poteſtate diſpenſandi, conueniunt ferè, eam ex officio competere ſoli Sacerdoti; ex commiſſione vero competere aliquando Diaconis, qui olim Sanguinem populo miniſtrabant, & aliquando etiam Corpus; vt conſtat ex Iuſtino Mart. *apolog.* 2. pro Chriſtianis in fine. Quare ſententia, quæ tribui ſolet Soto, & aliis, quaſi dicant, iure Diuino ad ſolos Sacerdotes pertinere diſpenſationem Euchariſtiæ; intelligitur, non quod iure diuino vetitum ſit aliis miniſtrare, ſed quod iure Diuino ſolus Sacerdos conſtitutus ſit miniſter ex officio, Diaconis vero id ſolum competat ex commiſſione Sacerdotis, vt bene explicat Vaſquez *diſp.* 219. *c.* 1.

2\. *Duplex tamẽ difficultas hinc oritur.* Hinc tamen oriri videtur duplex difficultas: prima; quia ſi Diacono ſolum ex commiſſione competit miniſtrare Euchariſtiam, hoc quidem non eſt aliquid peculiare: nam Subdiacono, & Laico etiam poſſet Sacerdos committere, vt deferret, vel daret ægroto Euchariſtiam. Sic enim apud Euſebium *lib.* 6. *hiſtor c.* 36. legitur Euchariſtia à Serapione Miſſa per Laicum ad infirmum: & olim fidelibus non ſolum dabatur in manus, vt ipſi eam acciperent, ſed etiam vt domum deferrent poſtea ſumendam. Cur ergo non poſſet illuc à Presbytero per alium tranſmitti? Secunda difficultas eſt, quia Sacerdos, qui non eſt Parochus, non poteſt etiam niſi ex commiſſione, & licentia Parochi miniſtrare Euchariſtiam. Si ergo Diaconus poteſt ex commiſſione, non differt in hoc à Sacerdote, ſed à Parocho.

3\. *Dupliciter poteſt aliquis hoc Sacramentum miniſtrare.* Pro ſolutione & explicatione vtriuſque difficultatis aduerto, dupliciter poſſe aliquem miniſtrare hoc Sacramentum. Primo, vtendo auctoritate, & iure, quod habet ad diſpenſandum: ſecundo, vt merum miniſtrum, & inſtrumentum alterius. Sic enim videbimus, in humanis aliquem dupliciter poſſe diſpenſare pecunias, vel cibos aliis: primo, vtendo poteſtate, & iure ſuo, vel ab aliis accepto; vt cum dominus, vel is qui à domino habet ius vtendi, diſtribuit; ſecundo, mere miniſterialiter, vt cum famulus defert cibos ad menſam, & diſtribuit ſingulis conuiuis ex iuſſu domini præſentis, vel abſentis. Et quidem eſt magna differentia inter vtrumque modum: nam primo modo non liceret Religioſo aliquid diſtribuere abſque licentia Prælati: vteretur enim iure aliquo circa res illas, & exerceret actum dominij, vel quaſi dominij dando, & transferendo ius in alios: at vero ſecundo modo nihil ageret contra votũ Paupertatis, ſi Religioſus miniſtraret conuiuis, vel pauperibus, & apponeret illis, quæ alius apponẽdi præſcriberet: tunc enim non operaretur nomine ſuo, ſed tanquam merum inſtrumentum inanime alterius, perinde ac ſi ea actio fieret per amentem, vel infantem, qui non eſt capax transferendi dominiũ in aliũ. (*Eſt magna differentia inter vtrumque modum miniſtrandi.*)

4\. *Prima concluſio.* Hoc ergo ſuppoſito, dicimus primo, Laicum accipientem Euchariſtiam de manu Sacerdotis, etiamſi eam accipiat in manus, vt inde ore ſumat, habere ſe ſicut merum conuiuam; qui dum cibos accipit de manu domini, non exercet poteſtatem, aut actum dominij, ſed habet ſe paſſiuè, conſumendo cibos illus nomine illius, à quo accipit. Laicus item, qui iuſſu Sacerdotis deferret Euchariſtiam infirmo, haberet ſe, ſicut famulus in conuiuio, qui non diſpenſat nomine proprio, ſed eſt merum inſtrumentum diſpenſantis: vnde actio illa eodem modo fieri poſſet ab infante, vel amente, ſed aliunde non eſſet periculum irreuerentiæ. Quod idem dicendum eſt de Subdiacono, & aliis inferioribus Clericis, qui ſi ex commiſſione Presbyteri Euchariſtiam miniſtrarent, non aliter ſe haberent, ſed eſſent merum inſtrumentum exequutionis voluntatis, & poteſtatis Presbyteri.

5\. *Diſtinctio illa Patris Coninch non videtur ad rem.* Coninch. Vnde obiter infero, non videri ad rem præſentem diſtinctionem illam actionum, quæ interueniunt in diſtributione huius Sacramenti; quam conſiderandam eſſe dixit P. Coninck *in præſenti q.* 82. *art.* 3. *n.* 15. Alia enim eſt inquit, qua miniſter Sacramentum ex altari aut loco, quo ſeruatur, porrigit communicaturo, vt ipſum ſumat. Alia eſt qua illud præciſè admouetur ori communicantis: quæ actiones etſi iam ſimul, & ab eodem fiant; tamen diſtinctæ ſunt: & diſtributio Sacramenti propriè conſiſtit in prima actione: ſecunda vero ad ſumptionem ſpectat. Hæc, inquam diſtinctio ad propoſitum non videtur apta: tum quia per accidens eſt ad diſtributionem propriam Sacerdotis, quod accipiatur hoſtia ex altari, vel cuſtodia: nam licet hoſtia ab alio daretur Sacerdoti in manus, & ipſe eam communicaturo porrigeret accipiendo eius ori, verè diſtributio eſſet Sacerdotalis: tum etiam, quia omnes illæ actiones præuiæ poſſent, ſecluſo omni iure humano, fieri à Clerico minori Sacerdotis iuſſu, & vt à mero inſtrumento, modo ſupra explicato, abſque eo quod ille diſtribueret propriè loquendo. Non ergo eſt attendenda diuerſitas phyſica illarum actionum, ſed moralis, an ſcilicet fiant ab operante per poteſtatem, & auctoritatem propriam, an ſolum miniſterialiter, & materialiter nomine alterius.

Iam

6\. *Sacerdos vt Sacerdos eſt diſtribuit illam ex poteſtate à Chriſto accepta.*

Iam ergo de Sacerdote dicimus ſecũdo eum, quoties Euchariſtiam miniſtrare vult, vt Sacerdos eſt, diſtribuere illam ex poteſtate à Chriſto accepta, atque adeo primo modo ſupra explicato. Nam in ſua Ordinatione, ſicut accipit poteſtatem ad conficiendum, ita & ad diſtribuendum hoc Sacramentum, prout fatetur Eccleſia in hymno feſti Corporis Chriſti in illis verbis: *Cuius officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, vt ſumant, & dent cæteris.* Conſecrantur enim in Paſtores, atque adeo illis ex officio congruit, vt paſcant fideles. Fatemur quidem, poteſtatem illam, quam accipiunt, eſſe ſolam poteſtatem Ordinis, & requiri poſtea ad eius exequutionem licitam, quod exerceatur circa ſubditos, & oues ipſius Sacerdotis, ſicut accipiunt etiam poteſtatem ad abſoluendum à peccatis, quæ tamen vt exerceatur, exigit poteſtatem iuriſdictionis, per quam dentur ſubditi, circa quos applicetur. Sic etiam in præſenti poſſunt diſtingui in Sacerdote aliæ duæ poteſtates, Ordinis, & Iuriſdictionis ad diſtribuendam Euchariſtiam; ita vt in Ordinatione factus ſit iam Paſtor conſecrationis ouium, quæ ipſi deſignatæ fuerint à Superiore legitimo.

7\. *Difficultas eſt de Diacono qui olim ſanguinem Chriſti diſpenſabat.*

Difficultas tota eſſe poteſt de Diacono, qui olim ſanguinem Chriſti diſpenſabat, atque ideo videtur ex officio id facere, an eius actio ſit prioris, vel poſterioris gradus, an faceret ex poteſtate, & auctoritate ſua, an vt merum inſtrumentum, ſicut faceret laicus, vel Clericus minorum ordinum. Nam videtur plus dandum eſſe illi, quam laicis; cum iura antiqua Diacono ſoli permittant aliquando aliis dare, & ſibimet hoc Sacramentũ accipere. Hoc enim habetur in Concil. Niceno c. 14. in Carthagin. 4. c. 38. Arelat. c. 15. & colligitur ex Iuſtino ſupra citato. Vnde S. Th. *in præſenti dicto art. 3. ad 1. & ad 2.* fatetur, Diaconum, quaſi propinquum ordini Sacerdoti, aliquid participare de eius officio. Et probari videtur argumento ſupra indicato; quia ſi ſolum id poſſet Diaconus vt merum inſtrumentũ Sacerdotis, nec haberet id ex officio, non differret à Subdiacono, & aliis Clericis minoribus quoad hoc; cum tamen Concilia in ſolo Diacono agnoſcant hanc facultatem. Quare huic parti fauere videntur Soto *in 4. diſt.* 13. *q.* 1. *art.* 3. Ledeſma *in 4. 1. p. q.* 13. *art.* 1. Syluester *in ſumma*, verbo *Diaconus*, *q. 4. dicto* 2. dum aiunt, Diaconum diſpenſare ſanguinem Chriſti *ex officio*, corpus vero ſolum ex commiſſione. Imo P. Vaſq. *d. diſp.* 219. *c. 1. n. 2.* vbi poteſtatem Diaconi, quoad hoc, explicat exemplo poteſtatis, quam habet Sacerdos ſimplex ad miniſtrandum Sacramentum Confirmationis, non quidem iure ſuo, ſed ex commiſſione Pontificis Summi. Certum autem eſt, Sacerdotem in ſua Ordinatione, licet non accipiat poteſtatem ſimpliciter ad conferendum Sacramentum Confirmationis, fieri tamen aptum; cui Pontifex poſſit dare talem poteſtatem; ergo ſimiliter Diaconus, licet non poſſit abſque commiſſione Sacerdotis dare Euchariſtiam; fit tamen in ipſa Ordinatione aptus, cui Sacerdos poſſit illam poteſtatem communicare.

Conc. Nicen. Carthag. Arelatenſ. S. Thom. Soto. Ledeſma. Syluester. Vaſquez.

8\. *Difficile tamen videtur quod Diaconus ex vi ſuæ Ordinationis aliquid peculiare accipiat.*

Aliũde tamen difficile videtur, quod Diaconus ex vi ſuæ Ordinationis aliquid peculiare accipiat: nam vel illud eſt ad valide, vel ad licite miniſtrãdam Euchariſtiam. Non quidem ad valide, quia valor Sacramenti, vel illius actiones non pendet ab Ordine Diaconatus, vt conſtat, ſed nec videtur conferre Diaconatus ad reddendam licitam illam actionem, nam ſine facultate Sacerdotis, vel Prælati Eccleſiaſtici nõ poteſt Diaconus diſpenſare illud Sacramẽtũ, vt iura omnia ſupponit. De licentia vero Sacerdotis, aut legitimi Prælati poteſt etiam Subdiaconus, aut minor Clericus, ſaltem attenta inſtitutione huius Sacramenti; quod quidem ex ſua inſtitutione non habet, quod non poſſit Sacerdos illud mittere per Clericũ minorem, aut etiam per laicum, ad ægrotum; licet id fortaſſe iure humano prohibitũ ſit. ergo nihil remanet, quod Diaconus ex vi ſuæ Ordinationis accipiat in ordine ad diſpenſandum hoc Sacramentũ.

9\. *Exemplũ adductu ex Confirmatione nõ videtur omnino aptum.*

Vnde exemplum illud de poteſtate Sacerdotis ad conferendum Sacramentum Confirmationis, accedente licentia Summi Pontificis, non videtur omnino aptum ad hoc explicandum: quia Sacerdos in ſua Ordinatione verè accipit poteſtatem aliquam, à qua pendet valor Sacramenti Confirmationis, & ſine qua, etiam accedente licentia Pontificis, Sacramentum Confirmationis poſtea non eſſet validum; quare optimè intelligitur, quid accipiat Sacerdos in ſua Ordinatione in ordine ad Confirmationem, ſcilicet aptitudinem, vt accedente conſenſu Pontificis, Confirmatio ſit valida. At in noſtro caſu Diaconus nihil tale accipit, vt vidimus, in ordine ad miniſtrandam Euchariſtiam, cum non minus valida ſit actio illa facta à Subdiacono, quam à Diacono.

10\. *Idem dico de alio exemplo, quod afferri ſolet.*

Similiter non videtur omnino aptum aliud exemplum, quod afferri ſolet ad id explicandum ex poteſtate, quam Diaconus peculiariter habet ex Ordinatione ſua ad baptizandum; quia poteſt in defectum Sacerdotis, vel eius iuſſu aliquando baptizare, licet Subdiaconus, & laicus etiam validè baptizent. Hoc, inquam, exemplum non videtur etiam omnino aptũ; quia Diaconus accipit ex ſua Ordinatione aliquid, non vt valide, ſed vt licitè baptizet in aliquibus caſibus, in quibus alij licite non poſſunt. At vero ad licite miniſtrandam Euchariſtiam, nihil tale videtur accipere; quia, vt dixi, ſecluſa prohibitione humana, & ex præciſa inſtitutione huius Sacramenti, non videtur illicitum, quod Sacerdos vtatur miniſterio Subdiaconi ad dandam Euchariſtiam.

11\. *Hæc omnia facile conciliantur.*

Poſſumus hæc omnia facile conciliare: & in primis, attenta præciſa inſtitutione huius Sacramenti, non apparet intrinſecè malũ ex ſe, præſertim malitia graui, quod Sacerdos vtatur opera aliorum ad dandũ hoc Sacramentum aliis: nam ſicut poteſt vti opera ipſius accipientis, vt ipſemet illud ſibi in os ingerat, vel vt domum ferat poſtea accipiendũ, non apparet, cur non poſſit per alium illud mittere. Quod enim alius, ſiue Clericus, ſiue Laicus illud tangat, non eſt intrinſecè malũ, ſecluſa prohibitione Eccleſiæ: quod vero deſeruiat tanquam inſtrumentum, quo medio Sacerdos alteri porrigat Sacramentum: non videtur afferre indecentiam grauem, ſecluſa eiuſdem Eccleſiæ prohibitione. Ratio autem à priori deſumi videtur ex ipſa Sacramenti inſtitutione, quod inſtitutum eſt per modũ conuiuij; quare in hoc ſequitur, quantum eſt ex ſe, conditionem conuiuij, de cuius ratione non eſt, quod ille, qui inuitat, aut dat prandiũ, ingerat in os cibum ſingulis, vel quod ipſe immediatè apponat, aut det ſingulis in manus; poteſt enim id fieri per alios. Non eſt ergo, vnde id in hoc Sacramento ſit neceſſariũ, cum eius eſſentia, aut ſubſtantia non pendeat ab vſu, ſed ante vſum ſit conditus complete cibus, qui poterit per miniſtros apponi, vel ab ipſis conuiuis directione, & iuſſu Sacerdotis accipi.

12\. *Diaconus in hoc tantum operatur vt inſtrumentũ Sacerdotis.*

Secundo dicendum videtur, Diaconũ, totum, quod facit, non propria auctoritate, & poteſtate, ſed ſolũ, vt Sacerdotis vel Prælati inſtrumentum id facere poſſe in hoc Sacramento diſtribuendo, & miniſtrando. Hoc videtur colligi ex verbis Clemẽtis Romani *lib. 8. Conſtit. Apoſt. c. 28.* vel alias 34. de Diacono ſic loquentis: *Non baptizat, non offert: oblatione ab Epiſcopo, aut Presbytero facta, ipſe Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat Presbyteris.* Et ex verbis Concil. Carthag. 4.

Clem. Rom. Concil. Carthag.

can. 38. vbi dicitur: *Vt Diaconus, præſente presbytero, Euchariſtiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, iuſſus eroget.* Quæ omnia indicant, Diaconum non miniſtrare hoc Sacramentum, prout Sacerdos illud miniſtrat, ſed ſolum vt inſtrumentum, & miniſter conuiuij, qui iuſſu ſacerdotis apponit conuiuis fercula; hoc enim propriè ſignificant illa verba Clementis, *non tanquam Sacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat Presbyteris.*

13. *Habet tamen Diaconus aliquid adhuc ſupra Subdiaconum.*

Tertio addo, habere Diaconum ex ſua Ordinatione in ordine ad functionem miniſtrandi hoc Sacramentū aliquid pluſquam Subdiaconum, vel alios Clericos minores, non quod habeat ex ſua Ordinatione poteſtatem diſtribuēdi, aut capacitatem, vt illā recipiat, ſed quia conſecratur peculiariter in miniſtrū immediatum Sacerdotum, hoc eſt ſupremum inter miniſtros, atque adeo ad miniſtrandū, & inſeruiendū Sacerdoti in rebus ſuperioribus, & dignioribus, quorū præcipua, & potiſſima eſt diſtributio Euchariſtiæ, cuius miniſterij excellentiam ſignificauit

S. Laurent.

S. Laurent. in verbis illis ad S. Sixtum: *Experire, vtrū miniſtrum idoneum elegeris, cui cōmiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem.* Subdiaconus autem Ordinatur ad miniſtrandū in aliis minus dignis; nam Diaconus miniſtrat ſoli Sacerdoti; Subdiaconus (vt nomen ipſius ſignificat) miniſtrat Diacono. Vnde ſicut Acolythi ordinantur ad miniſtrandū in Miſſa circa infima; ſic Diaconus ad miniſtrandū circa ſuprema: quare ſicut Acolythus ex ſua ordinatione habet poſſe inſeruire in Sacro, quamvis ex cauſa id ſoleat aliis laicis paſſim cōmitti; ſic Diaconus habet ex ſua Ordinatione poſſe inſeruire Sacerdoti in miniſtratione Euchariſtiæ, licet aliquando ex cauſa poſſet ad illud miniſterium aſſumi à Sacerdote Subdiaconus, & alij Clerici minores, ſecluſa Eccleſiæ prohibitione. Cæterū quia diſtribuere Euchariſtiā res eſt maioris momenti, quam inſeruire Sacro, ideo multo maior cauſa requiritur, vt Sacerdos poſſet vti opera Subdiaconi, aut Acolythi. Habet ergo Diaconus ex ſua Ordinatione eſſe legitimū miniſtrum, cuius opera poſſit Sacerdos vti in rebus ſublimioribus, qualis eſt miniſtratio Euchariſtiæ: nunquā tamen trāſgreditur limites meri miniſtri, & famuli apponentis cibū, vel potū. Vnde conſtat iam reſponſio ad primam difficultatē ſupra poſitā de differentia Diaconi à Subdiacono, & aliis, in ordine ad miniſtrandū hoc Sacramentum.

14. *Hinc infertur diſcrimē inter Sacerdotē & Diaconum.*

Hinc iam infero primo diſcrimen inter Diaconū, & Sacerdotem, quæ erat ſecunda difficultas ſupra propoſita; nam Sacerdos, etiam quando ex commiſſione alterius miniſtrat hoc Sacramentū alienis ouibus, non id facit vt miniſter, & famulus alterius, ſed vtitur poteſtate diſtribuendi ſibi tradita in Ordinatione. Sicut enim Sacerdos, quando ex commiſſione alterius abſoluit alienas oues, non abſoluit vt merus miniſter alterius, ſed ex poteſtate accepta in Ordinatione, applicata ſibi materia per hoc, quod alienæ oues factæ ſint oues ipſius quoad illū actum per voluntatem proprij Paſtoris: ſic Sacerdos dans Euchariſtiam alienis ouibus, vtitur poteſtate ſibi à Chriſto tradita, paſcendo oues, quæ quoad illum actum factæ ſunt oues ipſius à proprio Paſtore: iam enim ex ſe habebat poteſtatem Ordinis & erat conſecratus Paſtor, ſed deerant illi oues, quæ datæ ſunt ei à Superiore; quare poteſt iam eas paſcere, non vt famulus, ſed vt Paſtor ex officio ſuo. Diaconus vero nō ita ſe habet: non paſcit enim fideles tanquā oues ſuas, ſed vt merus miniſter, & famulus, ac inſtrumentū Paſtoris, apponens cibum conuiuis prout Sacerdos, qui eſt diſtributor, iubet apponi, prout dictum eſt.

15. *Inſtabit aliquis.*

Dicet aliquis; licet Diaconus non habeat poteſtatem Ordinis ad paſcendum, poſſe tamen habere poteſtatem iuriſdictionis requiſitam ad miniſtrandum hoc Sacramentum: ad habendam enim iuriſdictionem Eccleſiaſticam non requiritur Ordo Sacerdotalis, vt conſtat in Epiſcopo electo nondum Sacerdote, & in vicario Epiſcopi; qui habent iuriſdictionem integram, licet nondum ſint Sacerdotes. Poteſt ergo Diaconus, qui ſit Epiſcopus non conſecratus, habere poteſtatem iuriſdictionis ad miniſtrandam Euchariſtiam: vnde ſi ex conſenſu Sacerdotis miniſtret Euchariſtiam, non faciet vt merus famulus, & miniſter Sacerdotis, ſed vt Paſtor: nam illæ oues magis ſunt oues ipſius, quam illius Sacerdotis ſimplicis, qui conſecrauit Euchariſtiam, & non habet iuriſdictionem requiſitam, vt eam miniſtret ouibus huius Epiſcopi Diaconi. Quod ſi hoc ſemel admittitur, cōcedi etiam poteſt, quoties quilibet Diaconus miniſtrat, id facere ex poteſtate iuriſdictionis ſibi ab Eccleſia, vel à Prælato collata. Si enim capax eſt Diaconus illius iuriſdictionis, cur negabimus, dari ei in iis caſibus, in quibus à iure, vel Prælatis conceditur, vel committitur ipſi, vt Euchariſtiam miniſtret.

Reſpondetur, neutram poteſtatem eſſe in Diacono ad miniſtrandū hoc Sacramentum immediatè per ſe ipſum. Poteſt quidem Diaconus habere iuriſdictionem, qua Sacerdoti committat paſcere oues ſuas, & dare illis Euchariſtiam: non tamen eſt ipſe capax, cui cōmittatur exequutio illius poteſtatis: ſicut Diaconus Parochus, vel Epiſcopus poteſt dare Sacerdoti iuriſdictionem ad abſoluendū, non tamen eſt capax accipiendi talem poteſtatē valide abſoluendi. Ratio autem eſt, quia nemo poteſt paſcere, niſi ſit Paſtor: Diaconus autem licet habeat iuriſdictionē Paſtoris, non tamen habet poteſtatem Paſtoritiam Ordinis, quia non eſt conſecratus in Paſtorem animarū; non poteſt ergo exercere officium Paſtoris. Vnde Diaconus Epiſcopus non poſſet dare Euchariſtiam ſuis ouibus, niſi iuſſu Sacerdotis: & tunc non daret vt Paſtor, ſed vt merum inſtrumentū, & miniſter illius Sacerdotis, qui licet non eſſet Paſtor ex officio illarū ouium, eſſet tamen ex commiſſione. Nam prius debet conſiderari Diaconus Epiſcopus dans iuriſdictionē illi Sacerdoti, vt det Euchariſtiā ſuis ouibus: poſtea Sacerdos habens iam vtramque poteſtatem exercet illam per Epiſcopum Diaconum tanquam per miniſtrum, & inſtrumentū ſuum. Nam Diaconus, vt ſuprà ex Clemente vidimus, non dat Euchariſtiam, niſi vt miniſtrans, & inſeruiens Sacerdoti: ergo Diaconus etiamſi eſſet Epiſcopus, in illo actu dandi Euchariſtiam miniſtraret Sacerdoti, ſicut ſi cantaret Euangeliū, aut exerceret alium actum Diaconi: non ergo operaretur immediatè ex poteſtate ſua, ſed mediatè, quatenus ipſe dedit iuriſdictionem Sacerdoti, à quo poſtea aſſumitur vt miniſter ad exequendum illum actum. Quoties ergo Diaconus Euchariſtiam miniſtrat, debet id facere, vt inſtrumentū, & nomine alicuius Sacerdotis, qui per Diaconum miniſtrat, & illius opera vtitur. Nec obſtat, quod in iure detur poteſtas generalis Diacono miniſtrandi Euchariſtiam in certis caſibus, tunc enim etiam operaretur, vt miniſter vel Summi Pontificis, vel ſi ille etiam Diaconus eſſet, Prælatorum Eccleſiæ, à qua habet commiſſionem diſpenſandi Euchariſtiam in tali caſu.

16. *Reſpondetur neutram poteſtatem eſſe in Diacono.*

17. *Infertur ſecundo Diaconum peccare mortaliter ſi miniſtret in ſtatu peccati. Layman.*

Infero ſecundo, contra Layman *lib. 5. Theolog. Moral. tr. 1. c. 5. n. 8.* & alios Diaconum miniſtrantem Euchariſtiam in ſtatu peccati non peccare mortaliter: tum quia nec Sacerdos ipſe in ſtatu peccati miniſtrans Euchariſtiā, peccat mortaliter iuxta probabiliorem ſententiam, vt diximus ſuprà *in tract. de Sacram. in commu. diſp. 8. ſect. 9.* tum etiam, quia illa actio miniſtrādi iuſſu Sacerdotis, licet magis pertineat ad Diaconū, non eſt tamē ita propria illius, vt nō poſſet

aliquando

aliquando per alium fieri, ſecluſa prohibitione humana, vt diximus. Adde, licet ille Diaconus eſſet Parochus, vel Epiſcopus, qui daret Euchariſtiam ſuis ouibus, idem dicendum eſſet propter eaſdem rationes: Imo etiamſi exerceret propriè actum iuriſdictionis in illa actione, quia merum exercitium iuriſdictionis non induciit culpam mortalem, licet fiat in peccato: tunc autem non eſſet exercitium Ordinis ſufficiens ad peccatum mortale.

18. *Sacerdos non habet maiorẽ poteſtatẽ diſpenſandi hoſtias à ſe conſecratas quã ab alio.*

Infero tertiò, Sacerdotem non habere maiorem poteſtatem diſpenſandi hoſtias à ſe conſecratas, quam conſecratas ab alio, ſed habere æqualem ad diſpenſandum omnes. Cum enim ſit idem cibus, & eadem paſcua; omnes Sacerdotes ex vi ſuæ Ordinationis ſunt Paſtores, & habent ius dandi ſuis ouibus, à quocumque fuerit hoſtia conſecrata.

19. *Secluſa prohibitione Diacono ſufficit ad hoc voluntas præſumpta Sacerdotis.*

Infero quartò, attenta inſtitutione huius Sacramenti, & ſecluſa etiam omni prohibitione humana, ſufficere Diacono ad miniſtrandam Euchariſtiam voluntatem præſumptam Sacerdotis, & Paſtoris, licet non haberet expreſſam, & formalem iuſſionem: in quo differt miniſtratio huius Sacramenti ab abſolutione Sacramentali, in qua non ſufficit ratihabitio, nec præſumpta, aut interpretatiua voluntas ſuperioris, de quo creditur, quod ſi peteret, daret facultatem: nam illa voluntas præſumpta, & conditionata non influit, neque poteſt dare iuriſdictionem abſolutam, cum verè ſuperior non velit, ſed vellet, ſi peteretur. At vero in Euchariſtia ſufficit voluntas præſumpta: nam in hoc etiam imitatur conuiuia humana, in quibus vt famulus miniſtret cibos, ſufficit voluntas interpretatiua, & præſumpta domini: per illam enim tollitur ratio inuoluntarij, & non eſt amplius inuitus dominus. Cum ergo Sacerdos ſit, ad quem ſpectat diſtribuere, & diſpenſare hunc cibum, ſufficit eius voluntas interpretatiua, vt Diaconus, vel quicumque alius poſſit illum dare, vel accipere. Hæc tamen voluntas licet ſufficeret cuiuſcumque Sacerdotis Prælati potentis huic dare licentiam miniſtrandi hic, & nunc, ad hoc, vt, etiam repugnante immediato, poſſet ex ſuperioris voluntate præſumpta accipi vel miniſtrari; non poteſt tamen facilè præſumi voluntas Superioris mediati, quando immediatus repugnat; nam tunc potius præſumitur Superior velle, vt obſeruetur debitus ordo, & ſubordinatio, ne fiat aliquid reſiſtente immediato, niſi in aliquo caſu, in quo magna inconuenientia ſequerentur. Non ſufficit ergo ad præſumendam voluntatem Superioris ſcire, quod ſi peterem licentiam daret: aliquando enim tanti intereſt, ne fiat aliquid, non petita licentia, vt quandiu non petitur, Superior ſit inuitus, non ſolum quoad modum, ſed etiam quoad ſubſtantiam actionis; vt conſtat in Religioſo, cui nõ ſufficit ad dandũ, vel expendendum ſcire quod, ſi peteret licentiam, Prælatus daret: nam ſi hoc ſufficeret, tueret prorſus obſeruantia Religioſa, & votũ Paupertatis eſſet merum nomen: ſemper enim, aut ferè ſemper præſumi poſſet talis voluntas, ſaltem in Superiori mediato, Prouinciali, v.g. Generali; legato Papæ vel in ipſo Pontifice; atque adeo nunquam deberet peti licentia, quod tamen falſum omnino eſt; quia licet Prælatus licentiam petitam daret, eſt tamẽ inuitus etiam quoad ſubſtantiam actionis, quandiu non petitur; quia ob grauiſſima inconuenientia, quæ ſequuntur ex illo alio modo operandi, debet velle retinere totũ ius ſuum, & eſſe omnino inuitus circa illam actionem, niſi in aliquo caſu, in quo propter peculiares circumſtantias præſumi poſsit, eum non eſſe ita inuitum. De hoc tamen ſuo loco.

20. *Quæritur virum extra Miſſam poſsit Sacerdos ſibi miniſtrare.*

Quæri poteſt, an attenta præciſa inſtitutione Sacramenti, & ſecluſa prohibitione humana, Sacerdos ipſe ita ſit diſpenſator Euchariſtiæ, vt non ſolum, dum celebrat, ſed etiam extra Miſſam, ſicut poteſt eam aliis dare, poſsit etiam ſibi ſumere. Videtur enim ita eſſe, quia non debet eſſe ipſe peioris conditionis, quam alij, quibus poteſt eam diſpenſare: nec in miniſtratione huius Sacramenti requiritur diſtinctio perſonarũ, quæ in aliis, vt conſtat, cum ipſe Sacerdos in Miſſa ſumat illud à ſe ipſo. Nec obſtat, quod Trident. *ſeſſ. 13. c. 3.* ait: *In Sacramẽtali ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes ſe ipſos communicarent:* vbi ſolum intra Miſſam videtur cõcedi eiuſmodi poteſtas Sacerdoti miniſtrandi ſibi ipſi: Hoc, inquam, non obſtat; tum quia Concilium ſolũ loquitur de facto, non autem de iure, quid poſſet fieri, ſecluſa prohibitione humana, prout nunc loquitur; tum etiam, quia nec Concilium dicit, Sacerdotes extra Miſſam accepiſſe Euchariſtiam ab aliis; ſolũ dicit, laicos accepiſſe à Sacerdotibus, & Sacerdotes in Miſſa à ſe ipſis: quomodo autem Sacerdotes extra Miſſam acceperint, omittit; vnde potius argumentum contrarium deſumi poteſt, quod de eo puncto nihil dixerit Concilium, eo quod non erat vſus conſtans, ſed varius, & liber in vtramque partẽ: vel potius omiſſus fuit ille caſus, quia Sacerdotes vel non ſolent regulariter communicare, niſi dum celebrant; vel id faciunt, dum ægrotant, vel in Miſſa communi alterius, vt in Cœna Domini, vel alia ſimili, vbi ad repræſentandum factum Chriſti, omnes communicant de manu celebrantis. Cæterum ex vi præciſa inſtitutionis non apparet, cur Sacerdos non poſsit extra Miſſam ſibi accipere Euchariſtiam ſicut dat aliis. Hæc tamen doctrina in vniuerſum non videtur vera, propter rationes, quas afferemus *infra n. 31.* ex quibus conſtabit reſolutio huius dubij.

Cone. Trid.

Non apparet cur ex vi præciſa inſtitutionis non hoc liceat, de quo tamen infra n. 31.

21. *Idem quæritur de Subdiacono.*

Hæc itaque procedũt ex vi inſtitutionis Sacramẽti: de facto tamen, & attento vſu, & lege Eccleſiaſtica, dubitatur primò, an Subdiaconus, vel Clericus inferior, aut laicus poſsint de licẽtia Sacerdotis miniſtrare, vel accipere ſibi Euchariſtiam. Et quidem extra caſum neceſsitatis, negant communiter Theologi, quos ſequuntur Suar. *ſect. 1 §. vltimò dicendũ eſt.* Vaſquez *cap. 1. n. 12. & 13.* qui id probant ex Concilio Rhemenſi relato in cap. *Peruenit*, de conſecrat. *d. 2.* vbi intolerabilis & abominabilis vocatur conſuetudo illa dandi Euchariſtiam laicis, vel fœminis, vt eam ad infirmos deferant. In caſu autem extremæ neceſſitatis poſſe illam ſibi ſumere, vt in articulo mortis, quando non eſt Sacerdos, vel Diaconus, à quo illam accipiat, docent aliqui, in quorum ſententiam propendet Suarez *art. 1. in fine:* & eam ſententiam abſolutè amplectũtur Layman *loc. cit.* Diana *2. tom. Reſol. moral tr. 4. de Sacram. reſol. 47.* qui addit, licere etiam in eodem neceſsitatis articulo Subdiacono, vel Laico miniſtrare Viaticum moribundo: quia caſus ille neceſsitatis extremæ ſemper videtur exceptus.

Extra caſum neceſſitatis negatur communiter. Suarez Vaſquez.

Layman. Diana.

22. *Negat etiam communis ſententia extra neceſſitatem.* Fagundez. *Hoc probatur vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine.*

Communis ſententia Theologorum contrarium docet, quos referunt prædicti Auctores: & Fagund. *Præcepto 3. Eccleſ. lib. 3. c. 1.* Et quidem quod non poſsit miniſtrare aliis etiam in eo caſu; quidquid ſit de aliquibus decretis, quæ ad id probandum afferri ſolent: probatur melius vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine: cui aliqui reſpondere conantur, de conſuetudine non poſſe conſtare: quia cum hodie ſit tanta copia Sacerdotum, caſus hic rariſsimus eſt; & non occurrente caſu, non poteſt probari conſuetudo contraria. Hoc tamen reſponſum non ſatisfacit: quia caſus, de quo nunc loquimur, non eſt ita rarus, præſertim in oppidis, in quibus eſt vnus Sacerdos: & accidit ſæpè, plures mori abſque Viatico propter abſentiã Parochi: quibus ſi poſſet æditiuus afferre Viaticũ,

deberet vtique id facere: & tamen nunquam à multis ſæculis id factum audiuimus; nec vllus, vt fieret, conſuluit. Auctores deinde, quos pro illa parte affert P. Diana, non ſufficiunt; quia reuera illam non tuentur, ſcilicet Layman loco citato, & Coninck in præſenti *q. 82. art. 3. n. 23.* quorum neuter id aſſerit, ſed referunt, quod alij ſentiant; nec approbando, nec reprobando; imo Coninck addit, ſe id aſſerere non audere. Valent. vero, quem idem Diana affert *tom. 4. diſp. 6. q. 10. puncto 1. in fine*, ſolum dicit, illam ſententiam non eſſe improbabilem, quod fundat in eo, quod laicus in neceſſitate poteſt licitè tangere Euchariſtiam. Aliud tamen eſt tangere, aliud diſtribuere, quæ eſt actio orta ex poteſtate, & quaſi dominio, quod non eſt penes ſingulos, ſed penes Eccleſiæ miniſtros. Quod vero vrgeat neceſſitas proximi, ne moriatur abſque Viatico, non refert; quia hoc Sacramentum non eſt neceſſarium ad ſalutem. Et quidem minus eſt quod Sacerdos celebret abſque patena ad dandum Viaticum moribundo: & tamen id Eccleſia non permittit; quanto minus, quod laicus deferat, & miniſtret, abſente Sacerdote?

Layman. Coninch. Valentia. Diana.

23\. *Alteram partem quidam graues Auctores vt probabilem docent.*

Quod attinet ad alteram partem, quod ſcilicet poſſit laicus, vel non Diaconus ſibimet in mortis articulo Euchariſtiam accipere, deficiente miniſtro; fateor, aliquos Doctores graues id vt probabile docere; inter quos Dian. loco citato refert P. Coninck, qui tamen eam non tenet, imo dicit, difficilè poſſe repugnari ſententiæ contrariæ, quam docet maxima Doctorũ pars. Fauet tamen Suar. *d. diſp. 82. ſect. 3. in fin.* Layman, & alij, quos refert & ſequitur idem Diana, propter quorum auctoritatem probabilis erit, præſertim, cum conſuetudo contraria non ita poſſit conſtare in hoc puncto, ſicut in præcedenti; eo quod moribundi non ita facilè poſſent ipſi ire ad Eccleſiam, & accipere ſibi Viaticum, abſente Parocho, & ideo hic caſus difficilius, & rarius poſſit contingere.

24\. *Communem tamen ſententiam veriorem iudicamus.*

Cæterum veriorem iudico communem ſententiam contrariam; primo, quia conſuetudo tot ſæculorum arguit, id non eſſe licitum: nam licet caſus rarus ſit, aliquando tamen contingere poteſt, & reuera contingit, quod, abſente Sacerdote, aliquis, vel peſte infectus, vel in periculo mortis exiſtens propter imminens prælium, vel hoſtiũ incurſionem, *&c.* poſſet ſibi Euchariſtiam accipere ex Sacrario; quod tamen in tot ſæculis nunquam factum eſt. Vnde ſecundo à priori probatur, quia nemo poteſt ſibi accipere Euchariſtiam, niſi de voluntate, & conſenſu, ſaltem præſumpto Sacerdotum, & Paſtorum, ad quos pertinet diſtributio, vt vidimus. Hæc autem voluntas Eccleſiæ, aut Paſtorum in hac cauſa neque eſt expreſſa, vt conſtat; neque etiam poteſt prudenter præſumi, cum nunquam vel minimum indicium dederint talis voluntatis, nunquam factum approbauerint, vel laudauerint, nunquam propenſionem oſtenderint, quod facile fieri potuiſſet; ſicut de communione abſque ieiunio, & de abſolutione à quouis Sacerdote obtinenda in eo mortis articulo Eccleſia fecit. Non poteſt ergo laicus abſque eiuſmodi voluntate Paſtorum accipere ſibi Euchariſtiam. Denique à poſteriori oſtenditur; quia ſi Eccleſia præſumeretur ita velle, id vtique eſſet propter inſtantem neceſſitatem mortis, ne homo abſque Viatico moriatur. Hæc autem ratio non ſufficit ad præſumendam talem voluntatem: alioquin poſſemus præſumere, quod vellet in eodem articulo miniſtrari Euchariſtiam à laico, vel fœmina, abſente Sacerdote, ne ægrotus abſque Viatico morîatur, cum ſit eadem ratio neceſſitatis, & aliunde ſit minus diſſonum vſui communi accipere Euchariſtiam ab alio, quam à ſe ipſo. Et tamen iidem Auctores, qui in hoc puncto affirmant, non audent id aſſerere in illo alio, quod poſſit quilibet tunc miniſtrare, vt vidimus, & meritò: quis enim credat, Epiſcopum non puniturum, ſed laudaturum fœminam, quæ, non inuento Parocho, auderet Sacrarium aperire, & Euchariſtiam ad virum ſuum morientem deferre?

In hoc voluntas Eccleſiæ nec eſt expreſſa, nec poteſt præſumi.

Nec obſtat, quod refertur de Regina Scotiæ, quæ noſtra ætate martyrium ſubitura ſub Elizabetha regina Angliæ, Sacramentum Euchariſtiæ, quod apud ſe habebat, prius deuotè ſumpſit: tum quia illud factum dicitur ex ſpeciali Pontificis licentia, quam habebat; tum etiam, quia in aliis circumſtantiis fieri id poterat, & debebat, ad vitandum periculũ irreuerentiæ, cum timeri iure poſſet, hæreticos poſt eius mortem Euchariſtiam inuentam irreuerenter tractaturos: quo caſu certum eſt, poſſe laicum, & fœminam propria auctoritate Euchariſtiam ſumere, vrgente tunc præcepto naturali de vitanda eius irreuerentia. Adde, etiamſi non habuiſſet expreſſam facultatem ſumendi ſibi Euchariſtiam, ſed ſolum retinendi eam apud ſe, adhuc in illo caſu poterat facilè præſumere voluntatem Pontificis, vt conſumeret, ne ſcilicet remaneret Euchariſtia apud eius famulas, quæ facultatem non habebant eam apud ſe retinendi, qualem ipſa ſola habebat; vnde merito præſumere poterat, Pontificem voliturum potius vt conſumeretur à Martyre, quam vt apud fœminas remaneret. 25.

Adid de Maria regina Scotiæ reſpondetur.

Dices, cùm Eccleſia ob neceſſitatem imminentis mortis permittat accipi Euchariſtiam à non ieiuno; cur non præſumetur velle etiam, quod accipiat eam ſibimet moriturus abſque interuentu Sacerdotis? 26.

Inſtantia.

Reſpondeo primum caſum eſſe adeo frequentem, vt niſi id permitteretur, magna pars fidelium moreretur abſque Viatico: ſecundum caſum eſſe rarum; propter quem non debuit diſpenſari in lege vniuerſali; ſicut nec diſpenſatur, vt celebretur abſque veſtibus ſacris ad dandum Viaticum; quia hic etiam caſus neceſſitatis rarus erit.

Reſpondetur.

Dubitatur ſecundò; an de facto poſſit Sacerdos nunc committere Diacono, vt miniſtret Euchariſtiam. Reſpondetur, poſſe in neceſsitate, quæ non reſtringitur ad ſolum caſum dandi Viaticum moribundo, ſed latius patet, vt ſi Sacerdos impeditus ſit, & non poſsit populo Euchariſtiam diſtribuere. Nam decretum Concil. Carthag. 4. *can.* 18. vniuerſaliter loquitur: *Vt Diaconus, præſente Presbytero, Euchariſtiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, iuſſus eroget.* Quod quidem non eſt reuocatum, licet non ſit in vſu; quia eiuſmodi neceſsitas non occurrit; rarò enim inuenitur Diaconus, vbi non ſit Sacerdos. Poſſet etiam Diaconus, abſente Parocho, deferre Viaticum infirmo, ne abſque communione moriatur; quod conceſſum videtur in Concil. Nicæno *can.* 14. Quod idem dicendum, ſi Parochus præſens nolit ipſe deferre, nec committere Diacono, vt ferat; tunc enim ex præſumpta Eccleſiæ voluntate, vel ex conceſsione dicta Concil. Niceni, quæ non inuenitur reuocata, poterit id facere: & in hoc ferè omnes conueniunt. Notant tamen, non poſſe Diacono committi, quando adſunt alij Sacerdotes, qui poſsint miniſtrare; quia Concil. Carthag. allegatum ſolum id permittit in caſu neceſsitatis, quæ non datur, cum adeſt Sacerdos, qui poſsit. 27.

Quæritur an nunc poſſit Sacerdos committere Diacono vt miniſtret.

Concil. Carthag.

Conc. Nicæn.

Dubitatur tertiò; an Sacerdos de facto poſsit licitè ſibimet accipere Euchariſtiam extra Miſſam? Affirmant communiter Doctores, in caſu neceſsitatis; quanta vero debeat eſſe neceſsitas, non conueniunt. Aliqui concedunt ſolũ in mortis articulo; alij concedũt; quod deuotionis etiam cauſa poſsit id facere, vtrique tamen exigũt, ne ſit ſcandalũ, (quod quidem facilè vitari poteſt) & quod non ſit alius Sacerdos, 28.

Dubitatur an Sacerdoti extra Miſſam liceat in caſu neceſſitatis, omnes communiter affirmant.

à

à quo poſſit communionem accipere, quæ duplici conditione poſita, id concedit Suarez *ſect. 3.* Vaſq. *diſt. c. 1. n. 17.* & alij, quos refert, & ſequitur Diana *1. tom. tract. de celebrat. Miſſar. reſolut. 53.* Addunt aliqui, ſi adſit Diaconus, non poſſe ſacerdotem accipere ſibi Euchariſtiam, ſed de manu Diaconi. Alij id negant; quia Diaconus non eſt miniſter, niſi in defectum ſacerdotis, qui tunc non deeſt.

Suarez. Vaſquez. Diana.

29. *In hac ſententia vna reſtat difficultas.*

In hac ſententia vna reſtat difficultas; quomodo cohæreant eius partes inter ſe: nam ſi Sacerdos id poteſt facere propria auctoritate, & ex officio ſuo, non apparet, cur non poſſit, quando adeſt alius ſacerdos, à quo poſſit accipere communionem: per hoc enim non perdit ius ſuum diſpenſandi Euchariſtiam iis, qui volunt communicare, quorum ipſe eſt vnus. Quod ſi dicas, poſſe quidem, ſed obſtare Eccleſiæ prohibitionem, niſi in caſu neceſſitatis; deberet in primis oſtendi ea prohibitio Eccleſiæ, quæ non apparet. Recurrere verò ad conſuetudinem, non ſufficit; quia conſuetudo non minus probat, fieri non poſſe, præſente quam abſente alio ſacerdote; cum reuera neutro modo fiat. Quod enim aliqui dicunt, ſacerdotem ſe communicare in die Paraſceues etiam abſque Miſſa, non eſt ad rem: nam licet tunc non conſecret, verè celebrat, & perficit ſacrificium diei præcedentis; quare illa non eſt communio priuata, & quaſi laica, ſed ſacerdotalis; nos autem loquimur quando ſacerdos non communicat vt ſacerdos, ſed more laicorum; de qua communione non magis afferri poteſt conſuetudo, abſente alio ſacerdote, quam præſente. Denique ſi ſacerdos in eo caſu non vtitur poteſtate, quam habet vt ſacerdos ad diſpenſandam Euchariſtiam, remanet tam æqualis laicis; & non apparet, cur magis poſſit ipſe, quam quilibet alius, id facere. Deberet ergo conſequenter concedi, quod ſacerdos in vniuerſum id poſſit, etiamſi alius ſacerdos præſens ſit.

30. *Explicatur & defenditur communis ſententia.*

Non eſt tamen nobis à communi ſententia diſcedendum; quam vt expliceinus, & defendamus, aduerto, quoties ſacerdos non communicat vt Sacerdos, hoc eſt, offerendo, vel perficiendo, & conſummando ſacrificium prius à ſe, vel alio inceptum, communionem illam eſſe & appellari laicam, & quoad illam per accidens ſe habere, quod ſit, vel non ſit Sacerdos. Quare licet in Miſſa non accipiat Euchariſtiam à ſuo Paſtore, ſed à ſe ipſo; extra Miſſam verò debet, ſicut cæteri omnes Euchariſtiam accipere à Paſtore, vel de licentia illius. In Miſſa quidem non paſcitur ab aliquo Paſtore inferiori, ſed à ſolo Chriſto; quia ibi accipit Euchariſtiam, vt homo publicus, & offerens ſacrificium nomine Eccleſiæ: extra Miſſam verò ceſſat hæc ratio, & accipit vt homo priuatus, atque adeo vt ouis, quæ non poteſt accipere paſtum, niſi à proprio Paſtore.

31. *Eſt etiam magna differentia inter duos illos modos communicandi.*

Porro eſſe magnam differentiam inter illos duos modos communicandi, conſtat in primis ex ipſa appellatione: nam communio ſacerdotis extra Miſſam vocatur ſemper in Conciliis communio laica; debet ergo ad illam conſiderari ſacerdos, ac ſi eſſet laicus: atque ideo non habet maiorem poteſtatem quam quilibet alius ſumendi ſibi Euchariſtiam. Deinde à poſteriori conſtat hoc ipſum: quia ſi ſacerdos haberet eandem independentiam ad ſumendum hunc cibum etiam extra Miſſam, ſequeretur quod, ſecluſo omni priuilegio, poſſet quilibet ſimplex Sacerdos dare Euchariſtiam omnibus Sacerdotibus volentibus communicare, etiam repugnantibus eorum Paſtoribus, aut Parochis. Rurſus ſequeretur, poſſe quemlibet Sacerdotem in mortis articulo accipere viaticum à quolibet Sacerdote ſimplici abſque vlla Parochi licentia: quod tamen videtur contra ſenſum fidelium: & contra doctrinam communem Theologorum, qui vniuerſaliter dicunt, omnes fideles debere accipere viaticum vltimum de manu, vel conſenſu Parochi, vel Prælati, nulla facta exceptione. Denique Theologi etiam, quando loquuntur de Communione in Paſchate à proprio Parocho accipienda, excipiunt nominatim Sacerdotes in aliena etiam Eccleſia celebrantes; quia præceptum illud non loquitur de iis, qui celebrando communicant, ſed de iis ſolum, qui communionem accipiunt de manu alterius. Vnde ſupponunt, quod Sacerdos non celebrans obligaretur etiam tunc præcepto communicandi de manu Parochi. Ex quibus omnibus conſtat, Sacerdotem extra Miſſam non minus dependere à ſuo Paſtore in hoc Sacramento accipiendo, quam alios fideles: atque adeo non poſſe, niſi de manu, vel licentia Paſtoris communicare. Quod indicare etiam videtur Pontifex in Clementina, *Religioſi*, de Priuilegiis: vbi imponitur pœna Religioſis, qui abſque Parochi conſenſu, *Clericis, aut laicis Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare præſumpſerint*; vbi de omnibus Clericis in vniuerſum loquitur.

32. *Ad propoſitum dubium reſpondetur.*

Hoc ergo ſuppoſito, iam circa propoſitum dubium dico, Sacerdotem extra Miſſam poſſe quidem dare Euchariſtiam aliis, qui vel ſint eius oues, vel licentiam habeant proprij Paſtoris, vt videbimus *ſect. ſequenti*: & tunc miniſtrat vt Sacerdos, & vt Paſtor, vel proprius, vel ſaltem ex commiſſione, quoad illum actum, vt ſupra explicuimus. Si autem ſibi ipſi communionem extra Miſſam accipiat, tunc non operatur vt Sacerdos, nec vt Paſtor: nam receptio illa Euchariſtiæ, cum non ſit ad conſummandum Sacrificium, non eſt Sacerdotalis: miniſtratio autem, vel diſpenſatio actiua non eſt etiam actio Sacerdotis, quia tunc non operatur vt Paſtor proprius, neque ex commiſſione: neutro enim modo eſſe poteſt Paſtor ſui ipſius: non ergo miniſtrat ex poteſtate Paſtoritia, cum non paſcat ouem ſuam propriam, vel ex commiſſione. Operaretur ergo tunc ſicut Diaconus, vel alius Clericus inferior, vel etiam laicus, cui, attenta præcisè inſtitutione huius Sacramenti, non repugnaret, quod ex facultate, aut iuſſu Sacerdotis Paſtoris ſui acciperet ipſe ſibi ex Sacrario Euchariſtiam, vt ſupra vidimus. Sic ergo Sacerdos in prædicto caſu poſſet id facere, vt inſtrumentum proprij Sacerdotis Parochi, vel Prælati ſui; atque ideo tunc non operaretur vt Sacerdos, ſed vt inſtrumentum & miniſter Sacerdotis, qui hoc modo diceretur paſcere ouem ſuam, ſicut quando de facto Diaconus, & Subdiaconus miniſtrant Summo Pontifici in Miſſa ſolemni, & accipiunt ſibi Sanguinem ex Calice, non agunt, nec accipiunt, vt Sacerdotes (etiamſi ipſi Sacerdotes plerumque ſint) ſed vt miniſtri, & inſtrumentum Sacerdotis Pontificis, qui eo modo dat illis Euchariſtiam, & paſcit illos, vt oues ſuas. Talis eſſet actio, qua Sacerdos extra Miſſam ſumeret ſibi Euchariſtiam: deberet enim procedere ex voluntate ſui Paſtoris volentis illo modo paſcere ouem ſuam.

33. *Reſtat difficultas an de facto Sacerdotes habeant hanc licentiam.* *Reſpondeo probabile eſſe habere.*

Reſtat ergo difficultas, an de facto Sacerdos extra Miſſam habeat licentiam ſui Paſtoris, vt poſſit ſibi Euchariſtiam ſumere, vt inſtrumentum ipſius, licet alij fideles laici etiam facultatem non habeant: & an ea facultas vniuerſalis ſit, vel ſolum pro caſu neceſſitatis vrgentis. Reſpondeo itaque, probabile eſſe, quod Sacerdos de facto id poſſit, vrgente neceſſitate, vt communis ſententia docet. Fundamentum autem deſumi debet ex *Canone illo 14.* Concilij Niceni, in quo conceditur Diacono, vt, abſente Sacerdote, det aliis, & ſumat ſibi Euchariſtiam

ea Sacrario; quæ facultas non inuenitur reuocata, & à fortiori competit omnibus Sacerdotibus, cum & ipſi Diaconi ſint: poterunt ergo, abſente Sacerdote, qui miniſtrare poſſit, & velit; accipere ſibi, ſicut poſſet ſimplex Diaconus, non vt Paſtores, ſed vt inſtrumentum Paſtoris, vt explicuimus.

34. *Non obſtat contraria conſuetudo.* Nec obſtat conſuetudo contraria, qua illa facultas abrogata videri poſſet, ſicut ea ſimili conſuetudine diximus, non poſſe Laicum, aut Subdiaconum miniſtrare, vel ſumere ſibi Euchariſtiam. Nam diuerſa eſt ratio in hoc caſu: habemus enim in primis conceſſionem expreſſam Concilij vniuerſalis, quæ non præſumitur reuocata, niſi probetur. Conſuetudo præterea contraria non probat, quia non oritur ex defectu poteſtatis, ſed neceſſitatis; caſus enim nõ occurrit: nam Diaconus iam fere nullus eſt abſque Sacerdote, cum nemo, niſi ad breue tempus in eo gradu perſeueret. Sacerdotes autem nunquam volunt communicare, quando celebrare non poſſunt; quando autem celebrare poſſunt, non poſſunt vti facultate illa, quia iam deeſt neceſſitas, & abſentia Sacerdotis requiſita. Illa autem alia conſuetudo, ex qua ſupra arguebamus defectum facultatis in Subdiacono, vel Laico, eſt cõſuetudo poſitiua, occurrente ſæpius illo caſu, vt vidimus, nec apparente vnquam ea parte Prælatorum indicio voluntatis concedendi, aut permittendi talem facultatem, ſicut apparet, & conſtat reſpectu Diaconi.

35. *In hoc caſu æquales ſunt Sacerdos & Diaconus.* Hinc infero; quoad hunc caſum æquales eſſe Sacerdotem & Diaconum, imo facilius poſſe contingere Diacono, quã Sacerdoti: nã Sacerdos, cũ poſſit ipſe celebrare, non facile habebit neceſſitaté communicandi extra Miſſam propter abſentiã Sacerdotis: Diaconus tamen, qui conſecrare non poteſt, facilius poterit in tali neceſſitate inueniri: hæc autem non eſt neceſſitas ſolius Viatici, ſed deuotionis etiã propter Feſtum ſolemne, aut quid ſimile: nam Concilium Nicenum non loquitur de articulo mortis, vt conſtat. Denique, quod diximus, Sacerdotem extra Miſſam accipientem ſibi Euchariſtiam operari ex poteſtate Paſtoris, & Sacerdotis, locum non habet in Summo Pontifice, quia ſicut poteſt propria auctoritate dare ſibi Indulgẽtias, ſic etiã poſſet extra Miſſam Euchariſtiam ſibi ſumere; & hoc ea auctoritate, & poteſtate vniuerſali, quam habet, diſpenſandi illud Sacramentum: nam licèt ipſe non ſit ouis ſui ipſius, eſt tamen ouis Chriſti, atque ideo poteſt, ſicut paſcit alios, paſcere etiam ſeipſum, cum datum ei ſit, paſcere omnes oues Chriſti. Cæteris autem Paſtoribus non datur poteſtas ita ampla, ſed limitata ad tales oues, nempe ad ſuos ſubditos, in quorum numero ipſe Paſtor non eſt. Sicut tamen poteſt eligere ſibi confeſſarium, qui eo ipſo eſt Paſtor, quoad illum actum; ſic poteſt eligere Sacerdotem, à quo accipiat Euchariſtiam, qui eo ipſo ſit Paſtor ipſius, quoad illum actum miniſtrandi hoc Sacramentum.

SECTIO II.

Vtrum omnes Sacerdotes poſſint Euchariſtiam miniſtrare?

36. *Primo certum eſt.* ALiqua certa ſunt, & communia fere apud omnes; alia magis dubia. Primo certum eſt ad miniſtrandum hoc Sacramentum præter poteſtatem Ordinis ſupra explicatam, requiri iuriſdictionem. Ad Paſtorem enim ſpectat paſcere oues ſuas; nec eo inuito, poteſt alius licite mittere falcem in meſſem alienam. Quod licet negare voluerit Marſilla citatus à nobis *diſp. 17. ſect. 1.* id tamen apertè eſt contra Theologos omnes, & mentem Pontificum, vt ibi vidimus. Hic autem conſenſus Paſtoris requiritur non ſolum ad dandam communionem laicis, ſed etiam Clericis, & Sacerdotibus, quando extra Miſſam communicant, vt probaui *ſect. præcedenti.*

Secundo certum eſt, ad miniſtrandum hoc Sacramentum ſufficere facultatem, aut conſenſum Paſtoris expreſſum; vel interpretatiuum, vel etiam præſumptum; qui quidem ad Sacramentum Pœnitentiæ non ſufficit. Ratio autem differentiæ inter vtrumque Sacramentum aſſignari ſolet; quia abſolutio eſt actio iuriſdictionis propriè, non vero miniſtratio Euchariſtiæ. Ita Vaſquez *in præſenti n. 30.* Sed debet amplius explicari, ſcilicet, abſolutionem eſſe actionem talem, quæ ad ſui valorem prærequirat voluntatem poſitiuam potentis condonare peccata: inferior autem non habet eam poteſtatem, niſi communicetur à Superiore, vel Paſtore. Miniſtratio autem Euchariſtiæ ad ſui valorem nullam requirit voluntatem Paſtoris, valida enim erit, licet fiat, inuito Paſtore: vt vero licitè fiat, non requiritur voluntas poſitiua, ſed ſolum quod ſuperior non ſit inuitus, ſeu negatio voluntatis contrariæ, quæ negatio ſemper adeſt, quoties prudenter præſumimus, cum ratum habiturum, ſi ſciret; hoc enim ſatis eſt, vt tunc non fiat contra eius voluntatem, & per conſequens, vt licitè fiat. 37. *Secundo certum etiam eſt.*

Tertio certum eſt, poſſe competere facultatem dandi Euchariſtiam ex commiſſione, & delegatione iis etiam qui Parochi, vel Paſtores non ſunt; prout de facto eam habent communiter Religioſi ex Priuilegiis Pontificum eorum Ordinibus conceſſis. Circa quæ aduerto, facultatem noſtræ Societati conceſſam à Paulo III. eſſe vniuerſalem pro omnibus Chriſti fidelibus: & licèt facultas etiam abſoluendi ab eodem Paulo III. conceſſa, ſit æque vniuerſalis pro omnibus Chriſti fidelibus; hæc tamen limitatur in Compendio noſtrorum Priuilegiorum, verbo *Abſolutio, §. 1.* vt non poſſimus abſoluere Regulares, qui licentiam non habuerint extra ſuum Ordinem confitendi. At vero facultas dandi Euchariſtiam non habet illam limitationem: atque ideo poſſumus ex vi illius dare Euchariſtiam quibuſlibet, etiam Regularibus, abſque vlla licentia ſuorum Prælatorum. 38. *Tertio certum eſt.*

Quarto conueniunt ferè omnes in hoc, quod ad miniſtrandum Sacramentum non requiratur approbatio, quæ ex Concilio Tridentino requiritur ad Sacramentũ Pœnitentiæ, ad quod requiritur approbatio, & iuriſdictio: in hoc autem Sacramento ſufficit iuriſdictio, vel commiſſio, aut conſenſus Parochi abſque alia approbatione Ordinarij, quia Conciliũ ſolum ad Confeſſiones audiendas petit approbationem: neque erat eadem ratio petendi examen, aut aliam approbationem ad hoc Sacramentum, in cuius miniſtratione exigua peritia miniſtri deſideratur. 39. *Quarto omnes conueniunt.*

Hæc certa ſunt. Dubitatur primo, an per Bullam Cruciatæ poſſit, qui eam habet, accipere Euchariſtiam à quolibet Sacerdote abſque vllo conſenſu ſui Parochi. Negant plures: Eman. Rodrig *in explicatione Bullæ, p. 1. Addit. ad §. 5. n. 31* Suar *in præſenti diſp. 72. ſect. 2.* quem ſequitur Nugnus *q. 82. art. 1.* vocans contrariam improbabilem, quia conceſſa facultate eligendi Confeſſarium, non intelligitur data facultas eligendi miniſtrum Euchariſtiæ. Ergo ex eo quod in Bulla Cruciatæ conceditur illud, non conceditur hoc ſecundum: alioquin quia in Bulla conceditur facultas vniuerſalis eligendi Confeſſarium, ita vt confeſſioni annuæ ſatisfiat per illam confeſſionem, daretur etiam facultas ſatisfaciendi communioni annuæ extra Parochiam, quod eſt aperte falſum. 40. *Dubitatur primo de eo qui habet Bullam Cruciata.* Em. Rodr. Suarez. Nugnus.

Alij tamen concedunt, in Bulla dari illam facultatem; quam ſententiam tuetur, & explicat Vaſq. *in præſenti diſp. 219. c. 5.* quem ſequitur Diana *3. tom. in tract. de Bulla Cruciata, reſolut. 20.* Fundamentum autem 41. *Alij concedũt dari illam facultatẽ.* Vaſq. Diana.

autem non ſumitur ab iis, ex eo quod conceditur facultas eligendi Confeſſarium, ſed ex alia clauſula eiuſdem Bullæ; in qua conceditur, quod poſſit *Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paſchatis, recipere.* Quæ verba licet Suar. velit ita intelligi, vt ſolum concedant, tempore interdicti ea Sacramenta ſuſcipere, videlicet à miniſtro idoneo, & qui alias ea Sacramenta iure conferre poteſt; *Vaſquez.* Vaſq. tamen probat ampliora eſſe: nam in Bulla Hiſpana dicitur, vt poſſint *recebir el Sacramento de la Eucharistia, y los demas Sacramentos (ſalue en el dia de la Paſqua) au que ſea tiempo de entredicho*: Hoc eſt, *etiamſi ſit tempus interdicti*, quæ verba ampliant, non reſtringunt ad tempus interdicti. Secundò, quia ſi conceſſio non eſſet eligendi miniſtrum, fruſtra addita eſſet illa exceptio diei Paſchatis; nam tempore interdicti, ſi quis etiam in priuato Oratorio accipiat Euchariſtiã à Parocho, vel cum eius licentia in die Paſchatis, proculdubio ſatisfacit præcepto annuæ communionis. Facultas ergo illa præſcindit à licentia Parochi, & ideo excepit communionem Paſchalem, ſicut excepta eſt etiam in Priuilegiis Mendicantium.

42. *Arguit contra hoc Suarez.* Sed contra hoc arguit P. Suarez, quia ſequeretur concedi etiam, quod Extremam-Vnctionem, & Matrimonium poſſit à quolibet Sacerdote ſuſcipere abſque conſenſu Parochi: facultas enim communis eſt *Euchariſtiam, & alia Sacramenta recipiendi.* *Reſpondet Vaſquez.* Reſpondet Vaſquez concedendo de Extrema-Vnctione, negando de Matrimonio: hoc enim non recipitur à Sacerdote, ſed à coniuge, qui eſt miniſter: Parochus vero non requiritur, vt miniſter, ſed vt teſtis eſſentialis ad valorem Sacramenti. Vnde nec argui poteſt ad Sacramentum Ordinis, & Confirmationis, quia ibi ſolum eſt ſermo de Sacramentis, quæ à Sacerdote, & Parocho de iure ordinario conferri poſſunt, qualia non ſunt Ordo, & Confirmatio.

43. *Reiicitur.* Sed contra hoc eſt, quia ibi conceditur vniuerſaliter Euchariſtiã, & alia Sacramenta recipere; nec ſermo eſt de iis, quæ recipi poſſunt à Sacerdote, vel Parocho; non debemus ergo illam conceſſionẽ reſtringere. Imo virtute illius conceſſionis poteſt, qui Bullam habet, recipere Ordinem ab Epiſcopo tempore interdicti, & poſſet etiam Confirmationem, ſi huius receptio per interdictũ prohiberetur. Alioquin non apparet, de quibus aliis Sacramentis loquatur Bulla, dũ dicit, *Euchariſtiã, & alia Sacramenta* poſſe recipi: nam Extrema-Vnctio eſt vnũ ſolum ſacramentum.

44. *Reſpondet Vaſquez. Reiicitur.* Reſpondet P. Vaſquez intelligi de Pœnitentia & Extrema-Vnctione. Sed contra, quia ſi intelligitur illa clauſula de Sacramento Pœnitentiæ: ergo non conceditur ibi facultas recipiendi ea Sacramenta à quolibet Sacerdote, ſed à miniſtro debito. Probatur ſequela; quia nemo dicet, concedi in Bulla facultatem accipiendi Sacramentũ illud à quolibet Sacerdote, cum in eadem Bulla, quando conceditur facultas eligendi Confeſſarium, limitetur ad Confeſſariũ approbatum ab Ordinario: ergo in illis aliis verbis non datur facultas eligendi miniſtrum, ſed ſolum recipiendi Sacramenta, non obſtante interdicto: per Sacramẽta vero alia Euchariſtica intelligũtur, Pœnitentia, Extrema-Vnctio, Ordo, & Matrimonium, iuxta ſententiam probabilem, quæ docet etiam Matrimonium prohiberi tempore interdicti: ad Baptiſmum autem, & Confirmationem non erat neceſſarium eiuſmodi priuilegium. Vnde Rodrig *ubi ſuprà*, concedit, poſſe ex vi illius clauſulæ accipi tempore interdicti Ordinem, & Extremam-Vnctionem.

45. *Aliud eſt concedere alicui ut poſſit recipere; aliud quod poſſit recipere à quolibet miniſtro.* Confirmatur, quia in rigore aliud eſt concedere alicui, vt poſſit recipere Sacramenta; aliud vero quod poſſit recipere à quolibet miniſtro: nam illud prius pertinet ad ſolam ſubſtantiam; hoc poſterius ad quandam circũſtantiam: non conceduntur autem omnes circumſtantiæ, cui conceditur ſubſtantia: alioquin in illa clauſula conceſſa eſſet facultas recipiendi Sacramenta in quolibet loco, qualibet hora diei, & alia ſimilia. Cum ergo conceſſio ſolum ſit recipiendi Sacramẽta, & nihil ibi dicatur de miniſtro, debet intelligi, prout de iure; ſcilicet, à debito miniſtro, ſicut intelligitur debito tempore, debito loco, &c. Quod ad hominem probatur iuxta doctrinam ipſius Vaſq. quia ipſe vult, ibi ſermonem eſſe etiam de Sacramento Pœnitentiæ: & tamen non conceditur facultas recipiendi illud, niſi à miniſtro debito. Fatendum ergo eſt facultatem non eſſe circa miniſtrum, ſed circa tempus interdicti; alioquin quæ facultas datur ibi circa Sacramentũ Pœnitentiæ? Non quidem vt poſſit, qui habet Bullam, confiteri cuilibet venialia; ad hoc enim non requiritur Bulla: ſed nec vt confiteatur mortalia cuilibet Sacerdoti; hæc enim non conceditur in Bulla: ſed nec vt confiteatur Sacerdoti approbato; hoc enim poſtea ſpecialiter conceditur, & in illa clauſula non fit mentio Confeſſoris approbati: reſtat ergo, quod concedatur ibi ſolum facultas recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, & alia Sacramenta tempore interdicti.

Hic autem ſenſus colligitur ex contextu Bullæ, ex quo apparet, quod in illa clauſula ſolum detur priuilegium quoad circũſtantiam interdicti, non quoad ſubſtantiam, nec quoad circũſtantiam miniſtri, nam in illa clauſula conceditur facultas *Tempore interdicti celebrandi, vel audiendi ſacrum ſimul cum ſuis familiaribus in Eccleſiis, monaſteriis, vel oratoriis priuatis ab Ordinario deſignatis, & viſitatis: & accipiendi Euchariſtiam, & alia Sacramẽta, dum tamen ipſi interdicto cauſam non dederint.* In quibus verbis certum eſt non concedi facultatem ſimpliciter celebrandi, vel faciendi celebrare in Oratorio priuato, ſed ſolum id faciendi tempore interdicti, ſuppoſita aliunde facultate debita ad illud oratorium. Quod conſtat ex vſu: quia poſtquam Paulus V. prohibuit, ne Ordinarij concederent facultatem celebrandi in domibus, & oratoriis priuatis, adhuc in Bulla Cruciatæ ponitur eadem clauſula: & nemo audet vti priuato oratorio abſque facultate Summi Pontificis, etiamſi habeat Bullam Cruciatæ: ergo illa clauſula non dat facultatem vtendi Oratorio priuato, ſed audiendi Miſſam in illo tempore interdicti, ſi aliunde ſit facultas debita vtendi illo Oratorio: ſicut eodem modo dat licentiam audiendi Miſſam in Eccleſiis, vel Monaſteriis: quæ certè non eſt ad ſubſtantiam, vt conſtat, ſed ob circumſtantiam temporis interdicti, de quo tempore ſolo intelligitur illud priuilegium. 46. *Hic ſenſus ex contextu Bullæ colligitur.*

Nec obſtant fundamenta contrariæ ſententiæ. Ad primũ enim reſpondetur, verba Bullæ Hiſpanæ hæc eſſe: *Que puedan aun en tiempo de entredicho Apoſtolico, ò Ordinario, oir Miſſa en las Igleſias, y Monaſterios, ò en oratorio particular, ſeñalado y viſitado por el Ordinario, dezir Miſſa, y otros Diuinos Officios por ſus perſonas, ſi fueren Presbyteros, ò hazerlos celebrar a otros en ſu preſencia, y de ſus familiares, y parientes, y recebir el ſanto Sacramento de la Euchariſtia, y los demas Sacramentos; ſaluo en el dia de la Paſqua. con que ellos no ayan dado cauſa al tal entredicho. &c.* In quibus verbis illa priora, *aun en tiempo de entredicho*, non ſignificant dari eam facultatem, vt, *non obſtante interdicto*, id faciant: ſicut ſi diceretur, Concedimus, vt etiam in diebus feſtis laboretis, vt etiam in diebus ieiunij, ſeu prohibitis, comedatis carnes: non eſt ſenſus, quod detur etiam licentia pro aliis diebus, ſed quod detur pro illis, non obſtante prohibitione. 47. *Ad primum fundamentum reſpondetur.*

Ad ſecundum reſpondet bene Emmanuel Rodrig. *loco citato*, fieri exceptionem diei Paſchatis in illa clauſula, quia cum ibi conceſſa ſit facultas generalis accipiendi Euchariſtiam in priuato Oratorio à mi- 48. *Ad ſecundum bene etiam reſpondetur.*

niſtro

niſtro legitimo,& hic ſit quilibet ſacerdos, regulariter loquendo, vel ſaltem omnes Regulares, voluit Pontifex auferre occaſionem dubitandi, & explicare, quod facultas ibi conceſſa non erat vniuerſaliter pro toto anno, ſed cum exceptione ſolita diei Paſchatis, ſicut ſi diceret, *dum non ſit in præiudicium Parochi*, vel *ſaluo iure Parochi*, quod ſcilicet habet ad illam communionem. Vnde ſi Parochus conſentiret, vel ipſemet vellet dare Euchariſtiam; poſſet vtique etiam illa die id facere in Sacello priuato etiam tẽpore interdicti: quia tamen non ſolent Parochi id facere, ideo ſimpliciter exceptus eſt ibi dies Paſchatis.

49. *Dubitatur de mendicantibus priuilegiatis.*

Dubitatur ſecundo, an Mendicantes per ſua priuilegia poſſint miniſtrare Euchariſtiam toto anni tempore? Oritur dubium ex verbis, quæ addi ſolent in eiuſmodi priuilegiis, ſcilicet, *præterquam in die Paſchatis*: & ideo communis ſententia negat, eorum facultatem extendi ad illam diem. Alij tamen afferunt priuilegium aliud magis amplum, & ſine vlla reſtrictione conceſſum à Nicolao quinto monaſterio S. Mariæ *de Guadalupe* Ordinis S. Hieronymi in Hiſpania datum Romæ 4. Kalend. Octobr. anno 1458. Pontificatus 4. quod referunt Eman. Rodrig. *tom. 1. qq regular q. 56. art. 3. §. Quantum ad ſecundum*, & Fagundez *de 3 Præcepto, lib. 1 c. 5. n. 13.* quod priuilegium licet conceſſum ſit pro illo ſolo Monaſterio propter concurſum, & deuotionem ad illum locum, poſtea tamen Pius quartus, & Pius quintus priuilegia omnia illius Monaſterij extenderant ad omnia Monaſteria eiuſdem Ordinis, etiamſi non militent in illis eædem cauſæ, vt probat Rodriguez *vbi ſupra q. 55. art. 9.* Quare per communicationem priuilegiorum videtur iam hæc facultas competere omnibus Mendicantibus. Et ideo hanc ſententiam tenet Ludouic. Beia 4. *part. caſu* 4. Verum circa illud priuilegium duplex dubium occurrit; primum eſt, quia omnes prædicti Auctores, qui illud referunt, dicunt conceſſum eſſe à Nicolao quinto, anno 1458. quod conſtat eſſe manifeſtè falſum, cùm illo anno eſſet Papa Pius ſecundus, qui ſucceſſit Calixto tertio, qui Nicolao quinto ſucceſſerat anno 1455. Secundum dubium eſt, quia ſi illud fuiſſet per Bullam conceſſum, cur idem Eman. Rodrig. in Bullario Regularium, vbi alias Bullas eiuſdem Papæ congeſſit, illius Bullæ non meminit? Si autem fuit ſolum viuæ vocis oraculo conceſſum, reuocatum cenſebitur per reuocationem generalem Sanctiſſimi D. N. Vrbani octaui, qui omnia eiuſmodi priuilegia viuæ vocis oraculis conceſſa reuocauit. Cæterum ſi inueniatur per Bullam, vel Breue aliquod conceſſum, non video cur non habeat adhuc ſuum vigorem.

50. *Dubitatur quid intelligatur per diẽ Paſchatis in illis priuilegiis.*

Suppoſita tamen ſententia communi, dubitatur tertio, quid intelligatur per diem Paſchatis in illis priuilegiis exceptum. Aliqui enim intelligunt ipſum diem Reſurrectionis, extra quem dicunt poſſe, in eo autem non poſſe Mendicantes dare Euchariſtiam. Alij tamen communiter illa verba non intelligunt materialiter, ſed formaliter de communione Paſchali, quocunque die fiat: nam intentio Pontificum fuit illam communionem reſeruare Parochis. Si autem ſola dies materialis exciperetur, parum prodeſſet, quia poſſent omnes die ſequenti ſatisfacere præcepto in Eccleſiis Regularium. Vnde inferunt, poſſe ea etiam die Reſurrectionis dare Euchariſtiam Regulares iis, qui iam in Parochia communicarunt, vel poſtea communicare volunt. Item non poſſe dare diebus ſequentibus, vel præcedentibus iis, qui ea communione volunt ſatisfacere præcepto communionis annuæ; quæ ſententia videtur omnino iuxta mentem Pontificum. Aduertit autem Layman *tr. 4. de Sacr. Euchariſtia c. 7. a. 4.* in dubio præſumi poſſe, ac debere, eos, qui accedunt ad communicandum, ſatisfeciſſe iam vel habere animũ ſatisfaciendi in ſua Parochia, cum non facilè ſit quiſpiam ab altari repellendus, quando cum aliis accedens Euchariſtiam petit. Denique peregrinis, & vagis poſſunt etiam Regulares dare communionẽ Paſchalem, quia nullã Parochiã habẽt, in qua ſatisfacere debent: in quo cõueniũt etiã omnes ferè Doctores. Videatur Sãch. *lib. 3. de Matr. diſp. 25. n. 17.* & alij, quos congerit & ſequitur Diana *tom. 2. tr. 2. de dubiis Regularium reſol. 12.* Sanchez. Diana.

51. *Quæſitum.*

Petes; ſicut extra Paſcha ſufficit conſenſus præſumptus Parochi, vt poſſimus etiam, ſecluſis priuilegiis, dare Euchariſtiam; cur non ſufficiet idem cõſenſus præſumptus, ſeu ratihabitio Parochi, ad dandam communionem in Paſchate? Reſpondeo, formaliter loquendo, nullam eſſe differentiam: materialiter tamen eſſe differentiam magnam; quia extra illud tempus facilè poteſt præſumi ratihabitio, vel conſenſus Parochi: ad communionem vero Paſchalẽ non ita facilè præſumi poteſt; quia volunt retinere ſuum ius, vt oues recognoſcant paſtorem proprium. Et licet petenti licentiam darent, nolunt tamen id fieri abſque licentia ſua, & ita firmiter nolunt, vt inuiti ſint quoad modum, & quoad ſubſtantiam: ſicut Prælatus Religionis, quando ſubditus expendit abſque licentia, quam certè petitam daret, inuitus eſt etiam quoad ſubſtantiam. Cæterũ aliquando accidere poteſt, vt præſumi poſſit conſenſus in his circumſtantiis, & tunc licebit communicare in Eccleſia Regularium. vt fatentur Suarez *dicta diſp. 22 ſect. 1. §. Sed inquires*, & aliis citatis; Fagundez *dicto lib 1. c. 5. n. 1.* Layman. *dicto n. 4.* & Diana *dicta reſolut. 12. in fine.* Satisfit. Suarez. Fagundez. Diana.

52. *Dubitatur quartò, an poſſint dare Viaticũ Mendicantes.*

Dubitatur quarto, an aliquando Mendicantes poſſint dare Viaticũ abſque licentia Parochi. Similiter enim excipi ſolet in dictis Priuilegiis communio in articulo mortis. Vnde aliqui docent, nec vrgente neceſſitate, & deficiente Parocho, poſſe dari ægroto Viaticum à Religioſis; ita Nauarros, Syluest. Card. quos refert Fagund. *Lib. 3. de 3. Præcepto, c. 1. a. 19.* vbi affert etiam pro ea ſententia P. Suarez dicta ſect. 2. §. *Sed inquires.* Poſtea vero *n. 20.* propoſita ſententia contraria, quam ipſe Fagundez ſequitur, affert etiam pro ea eũdem Suar. §. *Sed quæres.* & dicit, quod contradicit ſibi, cũ folio præcedenti contrariam docuiſſet. Oportuiſſet tamen attentius legere verba Suarij; qui certè in præteri loco nõ loquitur de caſu noſtro; quando deeſt Parochus, ſed de communione in vniuerſum neceſſaria propter mortis imminentis periculũ, pro vt condiſtinguitur contra communionẽ voluntariam, quæ abſque neceſſitate fit, loquitur enim contra aliquos, qui volebant, Religioſos non incurrere cenſuram latam in Clementina, *Religioſi*, de Priuilegiis, quando dant Euchariſtiã communicantibus ex deuotione, ſed quando dant communicantibus ex neceſſitate ſcilicet in mortis articulo, in quo debent relinquere illud munus Parocho proprio. Fagundez.

Verba Suarij ſunt: *Tertio nõ tantũ incurritur hæc excõmunicatio, ſi Euchariſtia detur in neceſſitate per modum Viatici (vt aliqui eã limitãt) ſed in vniuerſum ſiue in neceſſitate, ſiue extra illam, ſiue publicè, ſiue occultè miniſtretur*, &c. Cõmunio ergo *in neceſſitate* eſt, quæ non fit liberè, ſed ex obligatione in mortis periculo: quem modũ loquendi obſeruant alij Theologi, & P. Vaſq. *in præſenti c. 3. n. 33.* dicens: *Addo autem hanc pœnã impo[ſi]t[am] Religioſis ſiue Sacramentã hoc diſpen[ſ]e[n]t in nece[ſſi]tate, niſi alius non adeſſet Sacerdos, qui tunc mi[n]iſtrare poſſet, ſiue extra illam ſiue publicè, ſiue ſecretò: nam verba legis generalia ſunt.* Vbi vtrum[q]ue coniungit, ſcilicet, quod miniſtretur *in neceſſitate, & non deficiente, vel abſente Parocho.* Cautè ergo, & abſque vllo periculo contradictionis loquutus eſt Suar. nec debemus facilè contradictiones ita craſſas intra duas chartas de viris adeo doctis ſine maximo ſtudio & diligẽtia ſuſpicari. Suarez. Vaſquez.

Commu

53. *Communio & vera ſententia.*

Communis ergo, & verior ſententia concedit poſſe Religioſos, imo & Sacerdotes etiam ſæculares miniſtrare Viaticum deficiente Parocho: quamvis enim non ſit Sacramentum omnino neceſſarium ad ſalutem, eſt tamen maximopere vtile, & aliquo modo neceſſarium ad vires ſpirituales in illo periculoſo agone acquirendas. Solent autem Pontifices ad maiorem claritatem, quando excipiunt Viaticum in Priuilegiis, declarare, exceptionem illam non intelligi eo caſu, quando propter abſentiam Parochi, vel ſimilem cauſam eſſet neceſſitas; prout Paulus III. declarauit in facultate data noſtræ Societati. Aduertunt tamen Doctores, hoc non procedere in communione Paſchali, quando deeſſet Parochus, quia in hoc caſu non vrget neceſſitas, nec multum refert, ſi expectetur Parochus. Si enim interim communione indigebit aliquis ad ſuam ſpiritualem conſolationem, poterit ex deuotione communicare, & poſtea communicare iterum de manu Parochi ad ſatisfaciendum præcepto annuæ communionis.

De obligatione miniſtri ſupra diximus.

Solet etiam in præſenti tractari de obligatione miniſtri non dandi hoc Sacramentum peccatori; de hoc diximus *in tract. de Sacram. in com. diſp. 8. ſect.* 10. *&* 11. ſicut & *ſect.* 9. diximus de obligatione miniſtrandi in ſtatu gratiæ, an ſit, vel non ſit ſub peccato mortali; de quo etiam aliqui in præſenti agere ſolent. Alia dubia leuiora circa obligationes miniſtri videri poſſunt apud Suarez *ſect.* 1. *&* 4. vbi etiam cum aliis notat, debere Sacerdotem extra Miſſam habere Stolam, & Superpellicium ad Euchariſtiam miniſtrandam.

DISPVTATIO XIX.

De Euchariſtia, vt eſt Sacrificium.

SECTIO I. *Præmittuntur aliqua de Sacrificio in communi.*

SECTIO II. *In Miſſa offerri verum Sacrificium à Chriſto inſtitutum.*

SECTIO III. *Quo pacto reperiatur in Miſſa vera ratio Sacrificij. Referuntur variæ ſententiæ.*

SECTIO IV. *Quomodo conſecratio pertineat ad eſſentiam Sacrificij, variè à Theologis declaratur.*

SECTIO V. *Noſtra ſententia de eſſentia huius Sacrificij.*

SECTIO VI. *Soluuntur aliæ obiectiones, quæ contra prædicta poſſunt fieri.*

SECTIO VII. *Infertur, an Chriſtus ſit offerens, & tota res oblata in hoc Sacrificio.*

SECTIO VIII. *Vtrùm ex diſpenſatione Papæ poſſit conſecrari vnica ſpecies; & vtrum conſecratio vtriuſque ſit de eſſentia huius Sacrificij.*

SECTIO IX. *De effectibus huius Sacrificij.*

SECTIO X. *De iis, quibus prouenire poſſunt effectus huius Sacrificij, quatenus pro ipſis offertur.*

SECTIO XI. *De iis, quibus, vt offerentibus prouenit fructus huius Sacrificij.*

SECTIO XII. *Vtrum hoc Sacrificium habeat valorem infinitum.*

AGimus de Euchariſtia, vt Sacramentum eſt; nunc dicemus de ipſa, quatenus eſt Sacrificium Legis nouæ. Oportebit autem prius præmittere aliquid breuiter de eſſentia Sacrificij in communi vt poſtea facilius poſſimus rationem huius Sacrificij in particulari explicare.

SECTIO I.

Præmittuntur aliqua de Sacrificio in communi.

OMitto Hrrericos recentiores contendentes, 1.
nomine Sacrificij intelligi verè, & propriè quodlibet opus bonum, non ſolum externum, ſed etiam internum: contra quos videatur Card. Bellarm. *tom. 2. lib. 1. de Sacrificio, c. 2.* Suarez, & Vaſquez *in præſenti.* Inter Catholicos conſtans eſt ſententia, Sacrificium eſſe actum peculiarem virtutis Religionis, quo ſupremum cultum ſoli Deo debitum exhibemus. Sed quoniam totum hoc reperitur in aliis actionibus, quæ non ſunt Sacrificia, quales ſunt illæ, quibus cultum latriæ ſoli Deo debitum præſtamus; difficile eſt explicare, quid ſit illud, quo Sacrificium peculiariter differt ab aliis actibus Religionis. Varij varias definitiones Sacrificij conſtruxerunt, quas refert, & impugnat Vaſq. *in præſenti diſp.* 220. Quidam ita definiunt: *Sacrificium eſt oblatio externa ſoli Deo facta, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem Diuinæ maieſtatis à legitimo miniſtro res aliqua ſenſibilis, & permanens ritu myſtico conſecratur, & tranſmutatur.* Alij breuius: *Eſt oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in ſignum legitimè inſtitutum Diuinæ excellentiæ, & reuerentiæ.* Vel aliter: *Eſt externus actus religionis continens ſupremum cultum latriæ, ſolique Deo debitum.* Hæ tamen omnes definitiones videntur etiam conuenire aliis à definito, vt conſtructioni templi, vel conſecrationi altaris; vbi etiam fit cultus latriæ ſoli Deo debitus in ſignum reuerentiæ, & excellentiæ, & cum tranſmutatione alicuius rei ſenſibilis, &c. P. Vaſq. *n.* 25. ita definit: *Sacrificium eſt nota exiſtens in re qua profitemur Deum auctorem vitæ, & mortis:* quibus verbis iam videtur addere aliquid peculiare, quod per Sacrificium ſignificetur, ſcilicet poteſtas ſuprema Dei in vitam, & mortem noſtram. Adhuc tamen non videtur explicari ſufficienter vltima Sacrificij differentia: nam poſſet etiam aſſumi aliquid aliud ad ſignificandum ſupremum Dei dominium in vitam & mortem, quod non eſſet Sacrificium: ſi, v.g. depingeretur in tabula aliqua figura ad hoc ſignificandum, non diceretur illa tabula ſacrificari. Aliquid ergo aliud debet in definitione Sacrificij explicari.

Multi hæretici Sacrificium confundunt.
Bellarmin. Suar. et Vaſquez.
Variæ definitiones Sacrificij.
Vaſquez.
Vaſquez.

Suppono igitur, Sacrificium eſſe in genere oblationis, & in genere etiam ſigni ſacri; quatenus oblatio eſt, conuenit in primis cum aliis actibus religioſis, qui pertinent ad Dei cultũ, qualis eſt genuflexio, pectoris tunſio, &c. Conuenit item cum aliis oblationibus, quæ non ſunt ſacrificia, qualis eſt oblatio calicis, vel cerei, vel pecuniæ, vel aliarũ rerum. Quatenus vero eſt ſignum ſacrum, conuenit cum Sacramentis, quæ regulariter non ſunt Sacrificia, ſed ſigna gratiæ, atque ex hoc capite neceſſe eſt, Sacrificium eſſe ſignũ ad placitum, ſicut Sacramentum; licet ſicut in Sacramentis præcedit aliqua congruitas, & proportio ex parte illius rei, quæ aſſumitur ad ſignificandum, v.g. ablutio habet proportionem ad ſignificandam ablutionem internam; ita etiam in Sacrificio detur aliqua proportio, & congruitas ad ſignificandum id, quod per Sacrificium intenditur ſignificari. Difficultas ergo eſt in explicando, quid ſit illud, quod per hanc oblationem, quæ appellatur Sacrificium, intendimus ſignificare, & quomodo ſignificetur. In hoc enim poſita eſt peculiaris Sacrificij differentia à reliquis oblationibus, & ſignis ſacris.

2. *Supponitur Sacrificium eſſe in genere oblationis & ſigni ſacri.*

Et in primis certum eſt, per Sacrificium, ſicut per 3.
omnes alios cultus, ſignificari internã animi ſubmiſ-

ſionem

Primo ſignificatur interna ſumiſſio, & ſupremæ Dei excellentia. *Suarez.*

ſionem: ſignificari etiam ſupremam Dei excellentiam. Sed hoc, vt vidimus, non pertinet ad differentiam vltimam Sacrificij. P. Suarez *diſp.* 73 *ſect.* 2. dicit, per Sacrificium ſignificari ex parte Dei ſupremam excellentiam, & dignitatem primi principij, vltimi finis, & ſupremi domini rerum omnium: ex parte vero hominis ſignificari ſubiectionem ad Deũ & recognitionem prædictæ excellentiæ ac poteſtatis. P. Vaſquez addit, ſignificari poteſtatem ſupremam Dei in vitam, & mortem noſtram.

Vaſquez.

4\. *Quomodo Sacrificium ſignificet ſupremam Dei poteſtatem.*

Ego in primis exiſtimo, Sacrificium inſtitutum eſſe ad ſignificandam hanc ſupremam Dei poteſtatem, non tamen vtcumque; quia ad hoc ipſum ſignificandum poſſent inſtitui alia ſigna, vt dixi, quæ non eſſent ſacrificia, ſed taliter, ſeu cum tali proportione ex parte ipſius ſigni, quo ſignificatur. In quo autem conſiſtat hæc proportio, non eodem modo videtur explicari. Multi enim dicunt, ſignificari per Sacrificium, quaſi per tributum, quod homines ſoluunt Deo vt ſupremo Principi in recognitionem ſupremæ poteſtatis ipſius. Hoc tamen in aliis etiam oblationibus reperitur, & in conſtructione templi, quæ tamen non eſt ſacrificium.

5\. *Placet ratio Euſebij.* *Euſeb.*

Mihi ſemper placuit ratio, quam inſinuauit Euſebius *lib.* 1 *de demonſtrat. cap. vlt.* dicens: *Hominem debere vitam ſuam Deo in ſacrificio: quia tamen hoc non expedit, ideo lege naturæ introductum fuiſſe, vt in ſacrificium animalia, vel aliquid eiuſmodi commutaretur*: quaſi dicat, Sacrificium eſſe proteſtationem, qua homo profitetur, ſe habere totum ſuum eſſe à Deo & ideo dignum eſſe Deum, in cuius honorem, & cultum, idem eſſe, & eadem vita conſumatur, & deſtruatur: quod quia regulariter non licet, offertur pro vita propria, vita, ſeu entitas alterius rei, proteſtando, eodem modo noſtram vitam oblaturos, ſi liceret, & oporteret. Quæ proteſtatio, & ſignificatio digniſſima eſt, & valde conformis lumini naturæ: & ideo ab omnibus vbique gentibus accepta, vt Deum verum, vel putatiuum ſupremo cultu venerarentur.

6\. *In quo nõ differat ab aliis Dei cultibus.*

Hinc infero primo, Sacrificium non differre præciſè ab aliis Dei cultibus, in hoc, quod ſit proteſtatio ſupremæ Dei excellentiæ, vel ipſius in vitam, & mortem poteſtatis, vt dicebat P. Vaſquez: nam ad hoc ipſum ſignificandum poſſet homo producere, vel extinguere ignem, v.g. vel aliquid aliud, proteſtando ſe fuiſſe etiam à Deo productum, & poſſe à Deo deſtrui, ſicut ille ignis producitur, vel extinguitur: & tamen illa actio procul dubio non eſſet Sacrificium. Significat ergo Sacrificium aliquid aliud, & alio modo, per quod differt ab omni alio cultu, in primis ex parte rei ſignificatæ, quia ſignificat, dignum eſſe Deum, in cuius honorem noſtra vita conſumatur: ex parte vero modi, quia hoc ipſum ſignificat per deſtructionem alicuius rei, per quam explicamus affectum noſtræ deſtructionis, ſi ad cultum Dei licita eſſet, vel neceſſaria.

7\. *Non eſt de illius eſſentia quod aliud pro nobis ſubſtituatur.*

Aduerte tamen, non eſſe de eſſentia Sacrificij, quod fiat per deſtructionem alterius rei, quæ pro nobis ſubſtituatur. Poſſet enim melius, & verius ſaluari eius eſſentia, ſi noſtra ipſa vita ſacrificaretur, ſicut Chriſtus Dominus in cruce verum ſacrificium Deo obtulit per deſtructionem, & mortem propriam, quæ eandem Dei excellentiam, & dignitatem proteſtatus eſt. Dicimus ergo, de ratione Sacrificij eſſe, quod ſit proteſtatio illius excellentiæ Diuinæ, qua dignus eſt, vt in ipſius cultum noſtra vita deſtruatur, ſiue hæc proteſtatio fiat per realem deſtructionem propriæ vitæ, ſiue per deſtructionem alterius rei, per quam noſter affectus explicetur, quando deſtructio propria non licet, vel expedit.

In omni Sacrificio interuenire deſtructio aliqua. *Bellarm.* *Vaſquez.* *Alanus.* *Henriq.* *Victoria.* *Malderus.*

Infero ſecundo, in omni Sacrificio debere interuenire deſtructionem aliquam rei oblatæ. Ita Bellarm. *vbi ſupra c.* 2. Vaſquez *c.* 2. Alanus *lib.* 2 *de Euchar. c.* 3. P. Henriquez *lib.* 9 *c.* 1. Victoria *relect. de Temperant. n.* 7. & alij, quos refert, & ſequitur Ioan. Malderus 2. 2. *tit.* 10 *c.* 3. *de Sacrificio, dub.* 1. Et videtur eſſe expreſſa ſententia S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 86. *art.* 1. vbi dicit, per Sacrificium fieri rem ſacram, non vtcumque, ſed conſumendo illam in illud ſacrum, quod inde fieri debet. Probatur etiam ex dictis, quia alioquin conſecratio Sacerdotis, vel Aræ, per quam illa perſona, vel illa res conſecratur, & dicatur Deo, eſſet Sacrificium. Deinde, quia ſine aliqua rei deſtructione non apparet, quæ peculiaris proportio ſit in Sacrificio ad ſignificandam illam ſupremam Dei poteſtatem, & dignitatem, quam diximus ſignificari aptè per ſacrificium: per deſtructionem vero id aptiſſimè ſignificatur, vt vidimus. Ideo in omnibus veterum Sacrificiis tam ſacris, quam profanis, inueniemus interueniſſe deſtructionem rei oblatæ: nam animalia, vel homines occidebantur, ideoque idem erat dicere, mactare, & ſacrificare; cætera vero vel comburebantur, vel, ſi erant liquida, effundebantur, vt vinum, vel oleum, quod dicebatur, libari, nec vnquam inuenietur Sacrificium per ſimplicem oblationem: ergo deſtructio rei ſacrificatæ pertinebat omnino ad eſſentiam cuiuſlibet Sacrificij.

P. Suarez *ſect.* 5. §. *Dico primo*, dicit hanc occiſionem, vel deſtructionem ideo fuiſſe vſitatam; quia cum per Sacrificium res Deo offeratur, & quaſi ei donetur, Deus autem nec rebus noſtris indigeat, nec poſſit de nouo earum dominium acquirere, non poteſt melius hæc oblatio ſignificari, quam eam rem omnino deſtruendo in honorem Dei. Sed contra hoc eſt, quia in primis multo melius, & verius poneretur aliquid de nouo in dominio Dei, producendo illud, quam deſtruendo. Melius ergo ſacrificaretur homo generando illum, in honorem Dei, quam occidendo illum: quis autem conciperet illud habere eſſentiam & conceptum Sacrificij? Non ergo deſtruitur res præciſè, vt offeratur Deo, ſed vt ſignificetur per ipſam deſtructionem aliquid, quod aliter non poſſet ita congruè ſignificari. Deinde ſcimus, apud Ethnicos olim ſacrificatum fuiſſe non ſolum Diis, ſed etiam Principibus aliquando ex adulatione, quibus ſanè melius poſſent offerri res ipſæ ſine deſtructione, vt eſſet in eorum dominio, quam per occiſionem, vel deſtructionem, & tamen nunquam ſine deſtructione iis ſacrificabatur: ergo non ideo præciſè ponebatur deſtructio, vt res daretur vel transferretur in dominium illius, cui offerebatur, ſed ad aliquid aliud ſignificandum, vt diximus. 8.

Impugnatur ratio quam affert Suarez.

Obiicies, aliqua fuiſſe Sacrificia in Lege ſcripta, vel etiam in Lege naturæ, quæ non fiebant per deſtructionem rei, qualis erat oblatio panum propoſitionis, & aliæ oblationes, quæ fiebant ex pane, vel vino, & Sacrificium, quod item obtulit Melchiſedech ex pane, & vino, in quo nulla legitur facta deſtructio. Reſpondetur, in primis non video, vbi in Scriptura dicatur fuiſſe verum Sacrificium, & pluſquam oblatio ſacra, illa, quæ fiebat de panibus propoſitionis: quare id expreſsè negat Azor. *lib.* 10. *c.* 17. *q.* 2. & Malderus *vbi ſuprà*. Deinde de aliis Sacrificiis, quæ fiebant ex farina, vel maſſa, conſtat, ſemper aliquam earum partem debuiſſe comburi, quod appellatur *adoleri partem illius ſuper altare*. Vinum item offerebatur vt condimentum alterius ſacrificij, quod comburebatur, vel deſtruebatur, & ſic iam pertinebat ad illud totum, quod deſtruebatur 9.

Obiicies. *Reſpondeo.* *Azor.*

batur; vel offerebatur ſeorſim, effundebatur ſaltem quoad partem, quo ritu libabant communiter Ethnici vinũ, effundendo partem illius in cultum ſuorum Deorum: per hoc enim cenſebatur iam totum oblatum, & ſacrificatum, ſicut per hoc, quòd adoleretur pars farinæ, vel panis, cenſebatur totus panis ſacrificatus. Denique de ſacrificio Melchiſedech, Scriptura ſolum dicit, obtuliſſe panem, & vinum, non tamen explicat modum, quo obtulit; fortaſſe, quia res adeo erat nota, non potuiſſe ſacrificari ſine deſtructione ſaltem alicuius partis, vt non neceſſe fuerit illud explicare, ſed potuerit relinqui, vt res nota. Aliam ſolutionem adhibet P. Vaſq. *vbi ſupra n.* 18. circa antiqua ſacrificia ex maſſa, quo ſcilicet per coctionem ipſam factam in clibano, vel per frixuram in ſartagine ſacrificabantur, & aliquo modo deſtruebantur. Verum difficile creditur in clibano fuiſſe oblatum Sacrificium, & non potius in altari, quod erat locus deputatus ad ſacrificandum.

Vaſquez.

10. Sanchez. *Quæritur qua auctoritate poſſit inſtitui Sacrificium.* Infertur tertio deciſio illius quæſtionis, quam tractat P. Suarez *in præſenti ſect.* 4. an ſcilicet ſit de ratione Sacrificij, quod inſtituatur auctoritate publica, an vero poſſit inſtitui auctoritate priuata; in quo non quæritur, an fiat licitè: certum enim eſt, poſſe à Deo ſaltem prohiberi priuatam Sacrificij inſtitutionem, ſicut in Lege noua prohibita ſunt omnia Sacrificia præter Eucharistiam: & in Lege ſcripta prohibita etiam ſunt multa. Certum etiam videtur, ex natura rei, non requiri inſtitutionem Diuinam, ſed ſufficere humanam ad eſſentiam Sacrificij; quia cum hæc ſit ſignificatio ad placitum, potuerunt homines hæc, vel illa ſigna aſſumere ad hoc ſignificandum. Nec obſtat, Sacramenta non poſſe ab alio, quam à Deo inſtitui: eſt enim diſcrimen manifeſtum: nam Sacramentum non eſt ſignum vtcumque, ſed ſignum efficax gratiæ; homines autem non poſſunt facere, vt aliquid efficaciter cauſet gratiam, quam ſignificat; at vero Sacrificium non eſt neceſſe quod operetur gratiam, ſed quod ſignificet cultum, & proteſtationem illam hominis erga Deum: quam ſignificationem poteſt habere Sacrificium ab hominum voluntate, & inſtitutione.

11. *Difficultas eſt, an fieri poſſit auctoritate priuata.* Difficultas ergo eſt, an auctoritate priuata poſſit quis offerre Sacrificium, inſtituendo aliquid vt ſignum ad placitum illius proteſtationis? In quo P. Vaſq. *vbi ſupra n.* 19. impugnat P. Suarez negantem; quia, ſecluſa prohibitione Diuina, vel humana, vnuſquiſque poſſet eligere ſibi ſignum, per quod hoc genere cultus coleret Deum, cum Sacrificium iure naturæ introductum ſit, ſicut & omnis alia Dei reuerentia. Sed tamen verius videtur, illud non futurum verè Sacrificium; quia Sacrificium (vt vidimus) eſt ſignum ad placitum ad ſignificandam talem proteſtationem per deſtructionem rei ſacrificatæ: & quidem ipſa deſtructio rei, licet ſecundum ſe habeat aliquam congruitatem, vt aſſumatur ad illud ſignificandum, non tamen eſt ſignum naturale, ſed omnino indifferens ad ſignificandum hoc, vel illud: quare ſicut vox *homo* non poteſt priuata alicuius voluntate accipere vim ſignificandi hominem, ſed neceſſaria eſt ad hoc inſtitutio communis, vel alicuius habentis pluſquam priuatam auctoritatem: ſic occiſio ouis v.g. non videtur poſſe fieri ſignum ſufficienter ſignificans talem, vel talem reuerentiam, ex ſola vnius, vel alterius priuata voluntate. Nam ſi aliquis nunc vellet abſcindere arborem, vel putare vites, vt ſignificaret per illam deſtructionem idem, quod ſignificatur per occiſionem ouis, nemo diceret illum verè, & realiter ſacrificare; quia illa abſciſſio arboris non eſt aſſumpta publicè ad hoc ſignificandum, ſicut occiſio ouis: non ergo poteſt reperiri vera, & eſſentialis ratio Sacrificij ſine auctoritate publica illud inſtituente, quia Sacrificium in ſua eſſentia, eſt ſignum humanum politicum, & in ordine ad commercium humanum, ſicut voces; quo homo ſignificet ſuam proteſtationem, *&c.* & per conſequens debet vti ſigno habenti ex inſtitutione publica, vim & poteſtatem ſignificandi.

Hinc infero quarto; ſi homines ſolitariè degerent, & ſine humano commercio, nec publica auctoritate Sacrificia inſtituiſſent, licet poſſent vti aliis ſignis reuerentiæ erga Deum, qualia eſſent genuflexio, capitis humiliatio, & alia huiuſmodi, quæ naturaliter, vel quaſi naturaliter ſignificant internam ſummiſſionem: non tamen videri, quod poſſent tunc vti Sacrificio, quod eſſet verum ſacrificium, quia nullum tale ſignum haberent cum ſufficienti vi ad ſignificandum per modum Sacrificij. Dicitur ergo Sacrificium eſſe de iure naturæ, non quia naturaliter ſignificat, & independenter ab inſtitutione humana; ſed quia ipſo naturæ lumine inclinantur homines ad aſſumenda aliqua ſigna congrua in ordine ad ſacrificandum Deo; ſicut naturæ lumine mouentur ad inſtituendas voces in ſigna conceptuum, non tamen poſſet homo in ſyluis degens facere, quod voces haberent eam vim ſignificandi, quæ requiritur ad hoc, vt faciat ſermonem, & idioma humanum ſimpliciter & abſolutè. 12. *Illatio quarta, quid facerent homines ſi ſolitariè viuerent.*

Infero quinto, Sacrificium oblatum Deo falſo, eſſe verum & eſſentiale Sacrificium; neque ad veritatem Sacrificij requiri, quod fiat vero Deo: ſicut etiam vera adoratio poteſt exhiberi Deo falſo; vt bene notat P. Vaſq. *vbi ſupra n.* 29. & nos diximus *diſp.* 33. *de Incarnat. n.* 14. Dices; Sacrificium eſt ſignum ſignificans excellentiam, & poteſtatem Dei, cui offertur, & ſubmiſſionem eius, qui offert: ergo ſi illa excellentia non fuerit vera in eo, cui offertur, non erit verum ſignum, ſed falſum: ergo nec verum Sacrificium. Reſp. Diſtinguendo conſequens: non erit verum veritate tranſcendentali, & eſſentiali, nego; non erit verum veritate formali, concedo. Aliud enim eſt, quod ſit verum ſignum, id eſt, habens ea, quæ verè requiruntur ad ſignificandum; aliud, quod ſignificet verè, id eſt, ea, quæ ſignificat, ita ſint à parte rei, poteſt enim aliquid eſſe verè, & eſſentialiter ſignum, & tamen ſignificare aliquid falſum, ſicut hæ voces: *Antichriſtus exiſtit*, verè ſignificant Antichriſtum exiſtere: alioquin vera non eſſet propoſitio, ſed tamen eſt propoſitio falſa: quia id, quod ſignificant, non ita ſe habet à parte rei. Ita Sacrificium verè ſignificat, illum, cui offertur, habere excellentiam: ſi tamen illa excellentia non ſit prout ſignificatur; ſignificabitur falſo. Habet igitur tunc Sacrificium veritatem tranſcendentalem, & eſſentialem Sacrificij: non tamen veritatem formalem, quæ conſiſtit in conformitate cum re ſignificata. Imo eadem ratione, licet ex parte eius, qui offert Sacrificium, non eſſet affectus interior, quo ſuam etiam deſtructionem offerret, ſi neceſſaria eſſet, in cultum Dei; quam voluntatem diximus ſignificari exterius per actionem ſacrificandi, adhuc illud eſſet eſſentialiter Sacrificium: quia eſſet ſignum ſignificans illam voluntatem internam, licet ob defectum voluntatis non haberet veritatem formalem in ſignificando, ſed ſolum tranſcendentalem. 13. *Infertur quinto. Sacrificium Deo falſo oblatum eſſe verum Sacrificium. Inſtabis. Reſponſio.*

Infero ſexto, cur mors Martyrum non fuerit verum & proprium Sacrificium; quia licet ex priuata eorum intentione fuerit in Dei cultum, & in proteſtationem ſupremæ Dei poteſtatis in vitam, & mortem: non tamen fuit ad hoc inſtituta per aliquam publicam auctoritatem: Mors autem Chriſti ideo potuit eſſe verum Sacrificium, quia potuit 14. *Cur mors Martyrum non fuerit verum Sacrificium.*

ex diuina inſtitutione hoc ſignificare: ſicut etiam ſacrificium Euchariſticum ex publica Chriſti inſtitutione accepit hanc ſignificationem.

15. *Inſtabis.*

Dices; voluntas ſola Chriſti, quandiu non erat nota hominibus, non videtur ſufficiens, vt conſtitueret illam actionem in ratione ſigni; non enim poterat illa actio ſignificare, ſi homines neſciebant, fuiſſe aſſumptam ad ſignificandum, & tamen adhuc erat verum ſacrificium mors Chriſti, licet illa ſignificatio ignoretur: ergo mors Martyrum potuit eſſe verum ſacrificium, licet non eſſet publicè aſſumpta ad ſignificandum. *Reſpondeo.* Reſponderur negando maiorem; quia ſignum de quo loquimur, ſufficienter conſtituitur in ratione ſigni per ipſam inſtitutionem auctoritate publica factam, antequam aliis pateſiat. Nam Adamus imponens nomina cunctis animalibus, antequam formaretur Eua; eo ipſo fecit, illas voces eſſe iam ſigna illarum rerum: nam ſtatim adiungit Scriptura: *Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cæli.* Non ergo pendebat à notitia aliorum hominum nomen *leonis*, vt ſignificaret leonem, ſed à ſola inſtitutione Adami, qui erat caput, & princeps reipublicæ humanæ, & ideo in ſe cenſebatur habere hominum voluntates ad inſtitutionem ſignorum. & gubernationem totius generis humani. Sic etiam Chriſtus princeps Eccleſiæ in ſe habebat eminenter voluntates totius reipublicæ ad inſtituenda ſigna, & ſacrificia auctoritate publica, quorum inſtitutio etiam antequam veniret in aliorum notitiam, iam erat legitimè facta, non priuatim, ſed auctoritate legitima, & publica reſidente in Chriſto, & in capite; quæ auctoritas neque erat in martyribus, nec ſi eſſet, vellent illa vti ad inſtituendam ſuam mortem in ſignum legitimum; quia talis inſtitutio eſſet contra præceptum Dei.

16. *Aliqua fortè fuerunt ſacrificia apud Ethnicos quæ auctoritate priuata initiū habuerunt.*

Hinc etiam eſt, aliqua fortaſſe fuiſſe apud Ethnicos ſacrificia, quæ à priuata auctoritate initum habuerunt; ſed tamen illa vel initio non fuerunt propriè ſacrificia, donec paulatim introducta, per vſum, & conſuetudinem accepta fuerunt à populo: vel ſi à principio habuerunt vim ſacrificij, id fuit ex eo, quod tantam habebant affinitatem cum aliis ſacrificiis iam inſtitutis, vt in ipſis quaſi in radice viderentur iam inſtituta ad ſignificandum. Quod videmus quotidie in vocibus ipſis contingere: nam ſæpè voces de nouo à priuatis introducuntur, vel probante eas paulatim populi vſu, & dante illis vim ad ſignificandum: vel quia deriuantur ab aliis, in quarum ſignificatione, quaſi implicitè continebatur ſignificatio alterius vocis vicinæ; vt contingit in voce *tranſſubſtantiatio*, quæ licet fuerit noua; ſed tamen in ſignificatione aliarum vocum, ſcilicet, *trans*, & *ſubſtantia*: continebatur quaſi implicitè ſignificatio huius vocis nouæ. Et hoc ſufficiat de ſacrificio in communi; vt iam in particulari de eſſentia ſacrificij Euchariſtici videamus.

SECTIO II.

In Miſſa offerri verum Sacrificium à Chriſto inſtitutum.

17. *De nomine Miſſæ.*

De nomine *Miſſa* variæ ſolent aſſignari etymologiæ: quidam abſque fundamento vocem Græcam eſſe volunt: alij Hebraïcam *Miſſac*, ſeu *Mizah*, hoc eſt, *obligationem*. Alij verius dicunt, eſſe vocem Latinam, quaſi *miſſionem*: vt Tertul. *lib. 4. contra Marcionem, c. 18.* & Cyprian *lib. de bono Patientiæ; & epiſt. 10.* dixerunt, *remiſſa*, pro *remiſſio*. Cur autem hoc ſacrificium appelletur *miſſio*, aliqui dicunt, quia per Sacerdotem populus mittit ad Deum ſua deſideria, & hoſtiam ſalutiferam; & ideo in fine dicitur, *Ito miſſa eſt*, ſcilicet obligatio ad Deum. Alij dicunt, quia in hoc ſacrificio mittitur Filius Dei, vt ſit nobiſcum. Alij melius dicunt, quia finito Symbolo dimittebantur Cathecumeni, & finito toto Sacrificio, dimittebantur fideles; quod conſonat moribus Sacerdorum Gentilium, qui peracto Sacrificio, dicebant: *Ilicet*, hoc eſt, ire licet: vt refert Plutarchus, & Seruius 6. *Æneidos*: & videre licet Calepinum, verb. *Ilicet*: ſicut etiam Græcorum Sacrificuli Græcos ſequuti, finito ſacrificio, dicebant: λαοῖς ἄφεσις, id eſt, *populis miſſio*, vt notat Beroaldus in Apuleium *lib. 11. de aſino aureo*. Et in eodem ſenſu Chryſoſtomus Miſſam vocat ἀπόλυσιν, id eſt, ſolutionem, quia populus ſoluebatur: & Caſſianus *lib. 3. cap. 7.* & S. Benedictus *in Reg. c. 17. Miſſam* ſumunt pro fine, & terminatione alicuius rei. Quia ergo in Miſſa bis miſſio fiebat ſcilicet Catechumenorum dicto Euangelio, & concione: & poſtea altera omnium in fine Miſſæ, quæ, priore iam omiſſa, adhuc retinetur, dum dicitur: *Ito miſſa eſt*; ideo dici ſolet, in Miſſarum ſolemnia, quia in vno ſacrificio duæ miſſæ, ſeu miſſiones fiebant: de quo videri poſſunt Couar. 4. *var. c. 21.* Lindan. 4. *Panol. c. 57.* Torrenſis 3. *Confeſſ. Auguſt. c. 7.* Claud. de Sainctes *præfatione in Liturgiam, c. 4.*

Plutarch. Seruius. Beroald. Chryſoſt. Caſſian. S. Benedict. Couarru. Lindan. Torrenſis. Sainctes.

18. *De re, grauis eſt contra hæreticos noſtri temporis controuerſia.*

Hæc de voce: de re autem ipſa, grauiſſima fuit contra hæreticos noſtri temporis controuerſia, qui primi omnium contra id, quod omnibus ſæculis vniuerſi Catholici tenuerunt, & prædicarunt, auſi ſunt negare, in Miſſa offerri verum, & proprium ſacrificium Deo; ſed dicunt vocari impropriè, & lato modo ſacrificium, ſicut omnia opera bona appellari etiam poſſunt ſacrificia, & holocauſta Deo gratiſſima. Contra quos dogma hoc definitum rurſus eſt in Concil. Trident. *ſeſſ. 22.* & doctè, ac eruditè pugnarunt Controuerſiſtæ Catholici, qui latiſſimè huius dogmatis veritatem comprobarunt: & videri poſſunt Bellarm. *lib. 1. de Miſſa*; & Valentia *in præſenti diſp. 6.* quibus ferè nihil addendum occurrit: indicabimus breuiter potiſſima capita, ex quibus hoc dogma ſolet comprobari.

Hoc dogma eſt definitum in Conc. Trid.

19. *Habetur primò ex Scriptura.*

Primo ex Scriptura: *Malach. 1.* vbi de hoc ſacrificio vaticinium habetur, vt indicat Tridentinum vbi ſupra: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus; & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Daniel. 12. vbi prædicitur; quod tempore Antichriſti auferetur iuge ſacrificium. Item ad Hebr. 7. Chriſtus dicitur Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: cùm ergo hic ſacrificium obtulerit ex pane, & vino, debuit Chriſtus ſimile ſacrificium offerre. Act. 13. *Miniſtrantibus illis Domino, & ieiunantibus*: vbi; *miniſtrare Domino*, Græcè λειτουργεῖν *ſacrificare*, ſignificat. Ad Hebr. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent facultatem, qui tabernaculo deſeruiunt.* Et 1. ad Cor. 10: *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*: vbi menſa dæmoniorum accipitur pro altari, in quo illis ſacrificabatur; & opponitur menſæ, hoc eſt, altari noſtro: altare autem non eſt, niſi in ordine ad ſacrificium. Verba etiam, quibus Chriſtus hoc ſacrificium inſtituit *hoc facite*, idem ſignificant, cum tam in ſacris, quam in profanis, *facere* idem ſit ac ſacrificare.

Malach. 1. Daniel. 12. Hebr. 7. Act. 13. Hebr. 13. 1. Cor. 10.

20. *Secundò ex Patribus.*

Secundo ex Patribus ab initio naſcentiæ Eccleſiæ id teſtantibus; quorum verba, & loca latè videri poſſunt apud prædictos Auctores. Tertio ex Conciliis, Nicen. 1. *can. 13.* Laodicæno *can. 19. & 58.* Tolet. 1. *can. 5.* Antiſiod. *c. 8.* Brachar. 3. *can. 1.* Lateran.

relato in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate. Conſtantienſ. in Bulla Martini V. *poſt vltimam ſeſſ.* & clarius in Trid. *ſeſſ. 22. c. 1. & 2. & can. 1. & 2.*

21. *Quartò, ratione.* Quartò, ratione; quia in Eccleſia Chriſti ſunt de facto Sacerdotes, vt conſtat ex Patribus, qui libros integros ediderunt de honore noſtri Sacerdotij: Sacerdos autem non eſt, niſi in ordine ad ſacrificium offerendum. Item, quia non poſſet abſque imperfectionis nota grauiſſima, carere Eccleſia Chriſti ſacrificio aliquo, & cultu illo, quo nulla vnquam barbara gens caruit, ad colendum verum Deum, vel fictos, quos ſibi venerandos aſſumeret. Denique, quia nulla poteſt aſſignari indecentia in hoc ſupremo cultu; quem aliunde lex ipſa naturæ dictat Deo deferendum: quod enim fiat per actionem ſenſibilem, non obſtat; cùm Sacramenta etiam, quibus potiſſimè colitur Deus, ſint ſigna ſenſibilia.

22. *Accedit traditio perpetua.* Accedit vltimò, traditio perpetua Eccleſiæ ab Apoſtolorum tempore, quæ Miſſam ſemper hoc ritu celebrauit, ſcilicet proteſtando, quod in ipſa offeratur ſacrificium Deo, vt conſtat ex omnibus Liturgiis Græcis, Hebræis, Syris, Chaldæis, Latinis, & aliis omnibus, in quibus nihil aliud niſi oblatio, applicatio, commemoratio ſacrificij inuenitur: quare vel fatendum eſt, Eccleſiam totam in hoc puncto ab initio erraſſe turpiſſimè, vel concedendum verum & proprium ſacrificium Deo offerri, dum Miſſa celebratur.

23. *Primum fundamentum hæreticorum.* Videamus nunc breuiter potiſſima fundamenta hæreticorum. Primum eſt, quia ex Euangelio, aut verbis Chriſti non habetur, quod obtulerit Sacrificium, ſed quod dederit Apoſtolis corpus, & ſanguinem ſuum. *Reſpondetur.* Reſpondetur, licet id non habeatur expreſsè ex verbis Chriſti, haberi tamen implicitè in illo verbo, *facite*, & clarius ex aliis locis Scripturæ, adiuncta denique perpetua Eccleſiæ traditione ab ipſis Apoſtolis deriuata offerendi ſacrificium in Miſſa; non poteſt dubitari, quin id intenderit Chriſtus. Et certè minus poſſet ex facto Chriſti, vel Euangelica hiſtoria colligi, ipſum in cruce Sacrificium obtuliſſe, quam in cœna: nam actus illa conſecrandi panem, & vinum cum tali ritu ex ſe apparebat ſacra; mors autem nihil tale præ ſe ferebat: & tamen hæretici non negant, ibi interueniſſe verum, & proprium ſacrificium.

24. *Secunda illorum obiectio. Soluitur.* Secundo arguunt: ſi Miſſa eſt ſacrificium, quia eſt commemoratio ſacrificij cruenti; ergo feſtum etiam Natiuitatis eſt natiuitas propriè, quia eſt commemoratio natiuitatis. Negatur ſequela: neque enim ideo ſolum Miſſa eſt ſacrificium, quia eſt commemoratio ſacrificij; hoc enim etiam fit in Veſperis, vel officio Diuino; ſed quia ſimul eſt oblatio noua cum cæteris requiſitis ad eſſentiam ſacrificij, vt infra videbimus.

Tertia obiectio. Tertio, Euchariſtia eſt Sacramentum, ergo non eſt ſacrificium, quia Sacramentum tenet ſe ex parte Dei, qui per illud ſignificat: Sacrificium tenet ſe ex parte noſtra, quia per illud ſignificamus noſtram reuerentiam internam. *Reſpondetur.* Reſpondetur negando conſequentiam: poteſt enim idem eſſe ſignum Dei & noſtrum: ſic Circumciſio erat ſignum, quo circumciſus ſignificabat ſuam fidem Chriſti venturi, & quo Deus ſignificabat etiam Chriſtum à ſe mittendum, & gratiam, ſi quæ dabatur in illo Sacramento.

25. *Quarta obiectio.* Quarto, quia Euchariſtia eſt teſtamentum, ergo non eſt ſacrificium: nam per teſtamentum teſtator largitur, per ſacrificium nos offerimus aliquid Deo. *Reſponſio.* Negatur etiam conſequentia: ſacrificare enim non eſt aliquid ita offerre Deo, vt ponamus in eius dominio id, quod antea erat noſtrum, ſed eſt per immutationem alicuius rei proteſtari, Deum eſſe authorem vitæ, & mortis noſtræ. Poſſumus autem ſimul accipere à Deo victimam, quam ei offeramus: ſicut ſi aliquis mihi non habenti ouem propriam, permitteret ſacrificare eius ouem; tunc ego ſimul acciperem ouem, & offerrem. Sic Deus nobis victimam non habentibus idoneam, concedit ſacrificare eius Filium, quem ſimul accipimus à Deo, & eidem in ſacrificium offerimus, quatenus per immutationem victimæ proteſtamur cultum Dei, vt authoris vitæ, & mortis. Non repugnat ergo ex hoc capite, quod eſſet ſimul teſtamentum, & ſacrificium: alias tamen ſolutiones huius argumenti, vide apud Suar. *ſect. 2 in fine*, & Coninck *in præſenti, n. 67. & ſeqq.*

26. *Quinta obiicitur.* Quinto, ſi Miſſa eſt ſacrificium repræſentatiuum paſſionis Chriſti; ergo non offerimus, quomodo Chriſtus obtulit: nam ipſe in cœna obtulit ſe commemorando paſſionem futuram: nos offerimus commemorando præteritam. *Reſpondetur.* Reſpondetur; etiamſi non ſit ſacrificium, reſtat eadem difficultas: nam vt Sacramentum etiam debet celebrari in memoriam paſſionis, iuxta illud Pauli: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Fatendum ergo eſt, nos facere, quod Chriſtus fecit commemorando mortem eius præteritam, quam ipſe repræſentauit futuram: imo ſi nos repræſentaremus nunc futuram, non faceremus, quod ipſe fecit: nam ipſe repræſentauit proximè futuram, nos autem ſignificaremus longè futuram à cœna, ſi nunc ſignificaremus adhuc futuram: Sicut ergo nos credimus idem, quod crediderunt & prædixerunt Prophetæ, licet ipſi crediderint Chriſtum paſſurum, & nos credamus iam paſſum: ſic facimus quod Chriſtus fecit, repræſentando mortem eius præteritam, quam ipſe repræſentauit futuram.

Sexta obiectio. Soluitur. Sexto, quia ſacrificium fit per mactationem, & immutationem victimæ, nihil autem tale fit circa Chriſtum in Miſſa. Ad hoc argumentum conſtabit infra *ſect. 5.* explicando, quomodo in Miſſa reperiatur vera definitio ſacrificij.

27. *Septima. Diluitur.* Septimo, quia derogatur paſſioni Chriſti, & ſacrificio cruento crucis, ſi aliis ſacrificiis toties repetitis profitemur illius inſufficientiam. Reſpondetur; idem argumentum fieri poteſt contra Sacramenta: ſicut ergo hæc non derogant paſſioni Chriſti, quia per Sacramenta Chriſtus non ſatisfacit, aut meretur, ſed applicat merita, & ſatisfactionem ſuam præteritam, quæ quidem ex ſe ſufficiunt, ſed debent applicari per cauſas particulares; ſic ſacrificium Miſſæ non fit, vt ſuppleat imbecillitatem paſſionis, nec vt Chriſtus nũc mereatur, vel ſatisfaciat, ſed vt per illud applicetur virtus, & ſatisfactio paſſionis Chriſti.

28. *Octaua. Reſpondetur.* Octauo, quia Chriſtus in cœna per illud ſacrificium confeciſſet redemptionem noſtram: ſuperfluum ergo fuit ſacrificium cruentum. Reſpondetur, idem argumentum fieri poſſe de omnibus meritis, quæ Chriſtus habuit ante paſſionem: ſicut ergo noluit redemptionem noſtram dari, niſi omnia merita conſummarentur per paſſionem; ſic noluit, ſacrificio illo incruento eam obtinere, niſi prout coniuncto cum ſacrificio cruento offerendo in cruce.

29. *Nona obiectio.* Nono arguunt ex Paulo *ad Hebr. 7.* vbi efficaciam ſacrificij cruenti Chriſti probat ex eo, quod non habeat neceſſe quotidie offerre ſicut Sacerdotes antiqui: *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo: hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.* Non ergo reſtat aliud ſacrificium poſt oblationem cruentam in cruce factam. Simile argumentum deſumi poteſt ex eodem Paulo *cap. 10.* eiuſdem Epiſtolæ; vbi eandem comparationem proſequitur his verbis: *Et omnis*

quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata: hic autem (nempe Chriſtus) *vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſacrificatos.*

30. *Reſpondeo.* Ad hoc autem diximus *tom. de Incarnat. diſp.* 29. *ſect.* 2. Paulum ibi non negare repetitionem omnis ſacrificij, ſed repetitionem talem, qualis fiebat in Lege veteri; in qua propter inefficaciam ſacrificij præcedentis oportebat repetere aliud, & aliud, quod adderet nouum meritum, & nouam ſatisfactionem ad merendum, & ſatisfaciendum de nouo. Quo ſanè modo non offertur Miſſæ ſacrificium, ſed à Chriſto non iam ſtante, ſed ſedente in dextera Dei, hoc eſt, non amplius merente, aut ſatisfaciente, ſed applicante merita, & ſatisfactionem prioris ſacrificij, per oblationem quotidianam Sacrificij incruenti: quæ repetitio oſtendit maximè efficaciam infinitam præcedentis Sacrificij, cuius virtus exhauriri, vel diminui non poteſt per tot alias applicationes eiuſdem virtutis. Vide, quæ diximus in prædicto loco, ne ea iterum fruſtra repetamus.

31. *Vltimo argui poteſt.* Vltimo argui poteſt, quia ſacrificium debet eſſe cultus externus, & per conſequens viſibilis, cum ſit ſignum externum, quo proteſtamur Deum auctorem vitæ, & mortis: in Miſſa autem nihil tale externum apparet: quia quidquid ibi circa Chriſtum fit, inuiſibiliter fit, nec ſenſibus percipitur; ergo non eſt aptum ad verum ſacrificium. *Reſpondetur.* Reſpondetur; ſicut ad rationem Sacramenti ſufficit eſſe aliquid ſenſibile per ſe, vel per aliud, & ideo corpus Chriſti eſt verum Sacramentum, quia fit ſenſibile per ſpecies panis, & verba: ſic eius immutatio facta ſenſibilis per ſpecies, & verba, eſt apta ad ſignificandum ſenſibiliter cultum Dei, quo proteſtamur noſtrum cultum internum: neque enim minus ſenſibiliter debet ſignificari gratia per Sacramenta, quam cultus Dei per Sacrificium.

32. *Dubitant aliqui.* Dubitant aliqui, an ſi Chriſtus hoc ſacrificiũ non inſtituiſſet, potuiſſet adhuc ab Eccleſia inſtitui. Certum eſt de facto à Chriſto fuiſſe inſtitutũ per verba illa: *Hoc facite*, &c. & teſtatur Paulus in illis verbis: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, &c. & definitur in Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. Rurſus certum eſt, ſi Chriſtus nec Sacrificium, nec Sacramentum hoc inſtituiſſet, Eccleſiam non poſſe Sacrificium illud inſtituere, cum eius materia, ſcilicet, Sacramentum, deeſſet, quod Eccleſia inſtituere non poſſet. Denique ſi Chriſtus Sacramentum inſtituiſſet, ſcilicet conſecrationem corporis, & ſanguinis ſui, illamque nec aſſumpſiſſet in Sacrificium, nec etiam aſſumi prohibuiſſet, tũc poſſet Eccleſia ex poteſtate gubernatiua in hac Republica Chriſtiana illam actionem, & materiam aſſumere in ſacrificium, & inſtituere, vt miniſtri, dum conſecrarent, Sacrificium offerrent, cum actio de ſe eſſet apta, vt aſſumeretur ad ſignificationem Sacrificialem, ſicut de facto aſſumpta eſt à Chriſto: & aliunde non deeſſet poteſtas in Eccleſia, ſicut de iure naturæ quælibet Reſpublica poteſt inſtituere aliquod certum genus Sacrificiorum ad colendum Deum, niſi ab ipſo Deo prohibeatur.

33. *Inſtabis.* Dices, ad offerendũ hoc Sacrificium datur de facto Character Sacerdotalis, vt conſtat ex forma, qua ordinantur: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificiũ*, &c. Eccleſia autem non poſſet dare Characterem. *Reſpondeo.* Reſpondetur; poteſtatem, quam Eccleſia daret, non fore indelebilem, poſſet tamen idem actus fieri auctoritate humana qui vt modo fiat congruentius, auctoritate Diuina, & nomine Chriſti, datur Character, licet ex natura rei ad illum actũ neceſſarius non ſit.

34. *Maior eſt difficultas.* Maior difficultas eſſe poteſt, an de facto Eccleſia poſſit aliquod aliud Sacrificium inſtituere præter Euchariſtiam: hæc enim poteſtas reſidet in qualibet republica, vt diximus: & aliunde non apparet prohibitio, qua hoc genus cultus Religioſi prohibitum ſit Eccleſiæ. Non defuit, qui diceret, de facto in Eccleſia eſſe alia Sacrificia; idque colligi ex Canone 2. & 4. Apoſtolorum, in quibus permittitur oblatio ſola thymiamatis, olei, ſpicarum, & ſimilium in altari; quæ oblationes in Lege veteri erant vera Sacrificia. Sed ibi non eſt ſermo de proprio Sacrificio, ſed de ſimplici oblatione, qualis fieri poteſt etiam B. Virgini, aut aliis Sanctis, quibus tamen Sacrificium offerri non poteſt. Afferri etiam ſolent illa Eccleſiæ verba in benedictione ſolemni cerei Paſchalis, quæ fit Sabbatho ſancto: *Suſcipe, ſancte Pater, incenſi huius ſacrificium veſpertinum*: quibus indicari videtur oblationem illam eſſe verum ſacrificium; quia ibi (vt fatetur Suar. *ſect.* 4. §. *Circa ſecundam partem*) eſt oblatio, & benedictio, & conſumptio cuiuſdam rei creatæ in honorem Dei. Verum ex illis eiſdem verbis, ni fallor, argui poteſt, neque aliarum rerum, quas ſupra numerauimus, oblationem eſſe ſacrificiũ. Nam incenſum illud proculdubio non conſumitur; ſed etiam, conſumpto cereo, cui affigitur, integrum in quinque granis toto Paſchali tempore: ergo vox *ſacrificium*, non poteſt ibi intelligi propriè, ſed lege, & multo minus alia, quæ non dicuntur ſacrificari, ſed offerri, erunt propria ſacrificia.

35. *Loquendo de poſſibili dicendum videtur.* Hinc iam loquendo de poſſibili, dicendum videtur nec poſſe Eccleſiam ſacrificium aliud inſtituere, vel vſurpare, præter illud, quod à Chriſto inſtitutum eſt. Ad quod probandum Suarez *d. ſect.* 4. §. *Hinc addo vltimo*, multa adducit argumenta; quibus addo vnum ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. præſertim *can.* 6. vbi definitur, Diuina ordinatione inſtitutam eſſe Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris. *Sanchez. Conc. Trid.* Ex quibus verbis conſtat, Chriſtum inſtituiſſe hunc ordinem, & gradus ſuperiores, & inferiores: hoc enim ſignificat ordo Hierarchicus, quo alij aliis ſubduntur, nempe miniſtri Sacerdotibus, & ſacerdotes Epiſcopis. Porro, ſi Eccleſia poſſet inſtituere alia ſacrificia, poſſet etiam creare alios Sacerdotes. Sacrificium enim eſt correlatiuum ad Sacerdotium, vt docet idem Trident. *d. ſeſſ.* 23. *c.* 1. Quare ij, qui poſſent aliqua alia Sacrificia Eccleſiæ auctoritate offerre, eſſent verè, & propriè Sacerdotes: imo non eſſent ſolum Sacerdotes miniſteriales, (vt ita dicam) & inſtrumentales, quales nos ſumus, eo quod Chriſtus ſemper ſit principalis Sacerdos, qui per miniſtros offert Sacrificium, vt infra videbimus: ſed eſſent ſacerdotes principales. Vnde poſſet etiam Eccleſia inſtituere aliud ſuperius genus quaſi Epiſcoporum, ſcilicet eorum, qui poſſent prædictos Sacerdotes inſtituere, & creare. Denique poſſet inſtituere alium ordinem miniſtrorum, quaſi Diaconorum, qui Sacerdotibus miniſtrarent, & quaſi Subdiaconorum, qui miniſtrarent Diaconis. Ecce iam eſſet in Eccleſia alia hierarchia, & ſeries diuerſa, conſtans ex Sacerdotibus veris ſupremis, ac infimis, & miniſtris, qui Sacerdotes neque eſſent ſuperiores neque inferiores Diaconis à Chriſto inſtitutis, atque adeo eſſent in ordine Hierarchico diſparato, & confunderetur hierarchia à Chriſto relicta. Fateri ergo debemus, Chriſtum eo ipſo, quod Sacerdotes inſtituit, voluiſſe ſolos illos eſſe, & non alios Sacerdotes in Eccleſia ſua, ac per conſequens illud ſolum, & non aliud eſſe Sacrificium.

36. *Dicet aliquis.* Dicet aliquis: Stat bene, quod Chriſtus voluerit, illos ſolos eſſe Sacerdotes, nec vllum alium poſſe in

Eccleſia

Eccleſia offerre Sacrificium præter illos: & adhuc liberum ſit Eccleſiæ, alia ſacrificia inſtituere, quæ non ab aliis, ſed ab illis, qui iam Sacerdotes à Chri-
Sed contra. ſto inſtituti ſunt, offerri poſſint. Sed contra hoc eſt; quia Chriſtus non inſtituit, vel ordinauit ſuos Sacerdotes ad omnia Sacrificia offerenda, ſed ad vnum determinatè, dum dixit: *Hoc facite*, &c. & ad hoc idem Sacrificium ordinantur de facto, dum illis dicitur: *Accipe poteſtatem Miſſas celebrandi*, &c. Ergo Eccleſia debebat poſtea eos ordinare, & conſecrare ad alia Sacrificia offerenda; alioquin non haberent poteſtatem ad illa: neque enim poteſt eſſe dubium, quod de iure naturæ aliquis poſſet conſtitui publica auctoritate Sacerdos ad aliqua Sacrificia, & non ad alia; quia cum totum hoc pendeat ex inſtitutione, qua ille conſtituitur quaſi Legatus publicus populi ad Deum, poteſt inſtitui, vt fungatur illo munere per tale Sacrificium, & non per aliud: & ita de facto ordinati ſunt à Chriſto Sacerdotes Euangelici, cum ſolùm dederit eis poteſtatem ad tale Sacrificium corporis, & ſanguinis ſui tali ritu offerendum. Deberent ergo per nouam ordinationem ab Eccleſia accipere poteſtatem offerendi alia Sacrificia, ſi alia inſtituerentur. Hoc autem non poteſt conſequenter concedi: quia ſi ex eo, quod Chriſtus conſtituit illos Sacerdotes, colligimus, noluiſſe, quod ſint alij Sacerdotes in Eccleſia præter ſuos: ergo ex eo, quod conſtituit, & ordinauit eos ad tale Sacrificium, colligi etiam debet, noluiſſe ipſum, quod eſſet alia ordinatio Sacerdotalis, qua fierent Sacerdotes, & ordinarentur ad alia Sacrificia præter illud. Cur enim ex illa ordinatione colligemus magis, noluiſſe ipſum alios Sacerdotes, quam illud Sacerdotium præter illud? Rationes autem, & congruentias, quæ ad hoc ita volendum fuerunt, vide apud Suar. *loc. cit.*

SECTIO III.

Quo pacto reperiatur in Miſſa vera ratio Sacrificij. Referuntur variæ ſententiæ.

37. Difficultas oritur ex dictis *ſect.* 1. Cum enim Sacrificium ſit conſecratio, & oblatio, quæ fit per deſtructionem alicuius rei, non apparet, quid in Miſſa ſacrificetur, niſi fortaſſe ſubſtantia panis, & vini, quæ per conuerſionem deſtruitur; illud autem eſſet ignobile Sacrificium, & dignitati Chriſtianæ Eccleſiæ non conſentaneum.

Prima ſententia. Variæ ſunt in hac quæſtione ſententiæ. Prima docet, oblationem vocalem pertinere ad eſſentiam huius Sacrificij: eſt autem duplex eiuſmodi oblatio; vna fit ante conſecrationem, altera poſt conſecrationem: quia Sacrificium eſt eſſentialiter oblatio, & ſpecies oblationis: ergo non poteſt intelligi ſine oblatione: ergo vbi propriè offertur, ibi ſacrificatur. Pro hac ſententia affertur P. Vaſq *diſp.* 122. *c.* 1. Scotum, & Gabrielem Alij etiam ſolent citari; ſed fortaſſe in alio ſenſu loquuntur.

38. *Hæc communiter reiicitur.* Hæc ſententia communiter reiicitur, & meritò; quia Sacrificium non tam in verbis quam in actione aliqua conſiſtit: nam cum Abraham ſacrificabat filium ſuum, nihil certè ſcimus eum loqui voluiſſe, ſed ſolum occidere filium, & comburere: non ergo poteſt per vocalem illam oblationem fieri verum Sacrificium Explicatur ſanè melius oblatio illa, & ſacrificatio atque offerentis animus per verba; atque adeo conducunt verba illa ad claritatem, & perſpicuitatem (vt ita dicam) Sacrificij, non tamen ad eſſentiam: ſicut neque etiam oblatio incenſi indiget verbis aliquibus, vt ritè fiat; ſatis enim erit, illud realiter cremare ſine vlla verborum prolatione, per quod patet ad fundamentum illius ſententiæ: concedimus enim, ſacrificium eſſe eſſentialiter oblationem, negamus tamen, oblationem debere neceſſario fieri per verba, imo oblatio ſacrificij debet neceſſario fieri per aliquam aliam realem actionem diuerſam à verbis.

Secunda ſententia docet, fractionem pertinere ad eſſentiam huius Sacrificij. Ita Canus *lib.* 12. *de locis Theolog. cap.* 12. Probatur, quia illa eſt fractio myſtica, & non ad diſtributionem Sacramenti facta; illa ſignificat optimè Chriſti mortem, ſicut per mixtionem corporis, & ſanguinis ſignificatur eius reſurrectio. Item hoc ipſum videntur ſignificare verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, hoc eſt, *frangitur*; vt ex textu Græco deduci videtur: vt notauit P. Vaſquez *vbi ſupra*, *n.* 11. ibi autem videtur ſignificari immolatio, quæ pro Apoſtolis fiebat. 39. *Secunda ſententia.*

Hæc etiam ſententia communiter reiicitur; primo, quia, licet illa ceremonia myſtica ſit, & vſitata, non tamen vniuerſaliter. Nam in Liturgia Baſilij non fit mentio fractionis. Ita Suarez *dict. ſect.* 3. § *Tertio dicendum*. Sed neſcio, quo fundamento id de Liturgia Baſilij affirmet, in qua clariſſimè inuenimus, hoſtiam conſecratam frangi à Sacerdote, eiſdem ferè verbis, quibus nos vtimur in fractione; vt videre eſt in eadem Liturgia *tom.* 4 *Biblioth. ſacra*, vel *tom.* 6. *in editione Pariſienſi, anni* 1610. Neque ego aliquam adhuc Liturgiam vidi, vbi fractio non præcipiatur. Melius probari poteſt ex vſu Eccleſiæ Latinæ, in qua ſi hoſtia conſecrata ante fractionem ceciderit in calicem, non frangitur, vt habetur in Miſſali Romano: non eſt autem veriſimile, quod omitteretur vllo caſu fractio, ſi pertineret ad eſſentiam ſacrificij. Deinde ſanguis non minus ſacrificatur, quam corpus, & tamen ſpecies vini non diuiduntur, ſed ſumuntur: ergo fractio hoſtiæ non eſt neceſſaria ad ſacrificium corporis: eſt ergo illa fractio myſtica, ſicut etiam mixtio cum ſanguine, ſed non eſſentialis; ſicut aliæ multæ actiones myſticæ ſunt in Miſſa, quæ non ſunt eſſentialiter requiſitæ, ſed ab Eccleſia introductæ ad ſignificanda aliqua myſteria. Reſtant duæ ſententiæ magis communes, & veriſimiles, quarum præcipua fundamenta, & probabilitatem proponemus, vt poſtea inter vtramque facilius poſſimus aliquod ferre iudicium. 40. *Hæc etiam communiter reiicitur.*

Tertia ergo ſententia ſatis communis docet, eſſentiam huius ſacrificij reperiri in conſecratione, reliqua omnia non pertinere ad eſſentiam. Hanc tenent innumeri, quos referunt, & ſequuntur Suar. & Vaſq. vbi ſupra, Card. Bellarm Leſſ. *de Iuſtit. & iure, lib.* 2. *c.* 38. *dub.* 2. *& lib.* 10. *de perfectionib. diuin. c.* 13. Seb. Perez *de Euchar. c.* 11. & ferè omnes Recentiores. Fundatur præcipuè teſtimoniis multorū Patrum, quorum potiſſima hæc ſunt. Gregor. 4. *Dialog. c.* 56. ſic ait: *Quis fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe; ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus iungi, vnum quoque ex viſibilibus atque inuiſibilibus fieri?* Vocat immolationis horam quando verba proferuntur, & fit conſecratio: dicit enim id fieri ad Sacerdotis voces Irenæus *lib* 4. *contra Hæreſes, cap.* 32. *num* 7. de Chriſto ſic ait: *Sed & ſuis diſcipulis dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens:* Hoc eſt corpus meum: *& calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt: & noui Teſtamenti nouam* 41. *Tertia ſententia.* *Suarez. Vaſquez. Bellarm. Leſſius. Perez.* *Fundatur in teſtimoniis PP.* *Gregor.* 42. *Irenæus.*

Greg. Nyſſ.
docuit oblationem. Gregor. Nyſſen. *Orat. 2 de Chriſti reſurrectione, col. 6.* vbi probat, Chriſtum ſeipſum obtuliſſe in ſacrificium, antequam ſe Apoſtolis edendum dediſſet, his verbis: *Tunc apertè declarauit, agni ſacrificium iam eſſe perfectum; nam victima corpus non eſt ad edendum idoneum, ſi animatum ſit. Quare cum corpus edendum, & ſanguinem bibendum diſcipulis exhibuit, iam arcana, & non aſpectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipſius myſterium peragentis poteſtati collibuerat.* His verbis clarè videtur ſupponere Irenæus, ante manducationem fuiſſe iam ſacrificatam carnem Chriſti, tunc ſcilicet, quando apta reddita fuit, vt comederetur: illa enim eſt quaſi occiſio illius corporis; hoc autem certum eſt, non fieri niſi
Iſidor.
conſecratione. Iſidor *lib. 6. Etymolog. c. 19. Sacrificium dictum, quaſi ſacrum factum; quia prece myſtica conſecratur in memoriã pro nobis Dominicæ paſſionis.* Ambr.
Ambroſ.
Pſal. 39. Tunc ipſe Chriſtus offerre manifeſtatur in nobis, quando ſermo eius ſanctificat ſacrificium, quod offerimus. Sermo autem Chriſti non eſt alius, niſi verba
Cyrillus.
conſecrationis, vt conſtat. Cyril. Hieroſolymitan. *Catech. 5. myſtag.* ſic ait: *Deinde vero, poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus, ſuper ipſa propitiationis hoſtia obſecramus Deum pro communi Eccleſiæ pace, &c.* Et infra: *Cum hoc ſacrificium offerimus, poſtea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, &c.* Vbi videtur apertè ſupponere, ſacrificium ante conſumptionem fuiſſe ipſa conſecratione factum; quia commemoratio pro defunctis poſt conſecrationem fit ante
43.
conſumptionem. Simeon Theſſalon. *lib. 1 de myſter.*
Sim. Theſſal.
Eccleſ. c. 23. quem affert P. Vaſq. ex Franciſc. Turrian. *in c. 50. lib. 8. Apoſtolicarum conſtitutionum Clementis,* vbi quærit, quando munera ſacrificentur: Reſpondet autem: *Nec ante conſecrationem, nec poſt conſecrationem, ſed in ipſa conſecratione; tunc enim fit mutatio ex pane non mactato in corpus Chriſti, quod verè fuit mactatum; ſicut ſacrificium ouis tunc fit, cum in oue fit mutatio ex non mactata in mactatam.* Hoc teſtimonium valde commendat Vaſq. *in præſenti, n. 39.* dicens, illud eſſe omnium præclariſſimum, ſed immeritò; auctor enim ignotus eſt, vel ſaltem ignobilis, cum ſit modernus: & ad minus ſchiſmaticus; vt ſatis inſinuat idem Turrian *dict. lib. 8. c. 12.* vbi eiuſdem auctoris mentionem fecerat: locum vero in Turriano, quem citat P. Vaſq. inuenire non potui, quia in illo lib. 8. non ſunt 50. cap. forſitan fuit error calami, vel typographi. Omitto alia teſtimonia minoris momenti, quæ afferunt Suarez, & Vaſquez locis allegatis. Iis addit
Dionyſ. Areopag.
Dionyſ. Areopagit. P. Salmer. *tom. 9. in Euang. tr. 29. aſſert. 4.* Sed non inuenio in Dionyſio aliquid, quod non poſſit ad omnes ſententias reduci. Melius ad-
Rupert.
duci poteſt Rupert. *lib. 2. in Exod c. 6.* vbi de Chriſto ſic ait: *Prius propriis manibus Deo Patri ſemetipſum immolauit, accipiens panem, & vinum, mira atque ineffabili ſanctificans potentia transferens hæc in corporis, & ſanguinis ſui Sacramentum.* Ecce, immolationem in ipſa tranſſubſtantiatione videtur conſtituere. Item
Conc. Nic. Guttebert. Alfonſ. Piſ.
ex Concilio Niceno 1. apud Guttebert. *lib 1. de veritate corporis & ſanguinis Chriſti,* & Alfonſ. Piſanum Soc. Ieſu *lib. 3. de Concilio Niceno,* in hæc verba: *Quin potius, cogitatione noſtra ſurſum erecta intelligamus fide, poſitum eſſe in ſacra illa menſa agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi incruentè à Sacerdotibus immolatum.* Non dixit, *immolandum,* ſed *immolatum,* iam ante ipſam ſumptionem. Idem videtur indicari
Can. Trull.
in Can. Trullano 52. vbi prohibetur in feriis Quadrageſimæ, *panem benedictum offerri,* hoc eſt, conſecrari; quaſi idem ſit *offerre,* & *conſecrare.*

44.
Probatur etiã auctoritate
Secundo probari poteſt hæc ſententia auctoritate etiam eorum, qui dicunt, ſacrificium non fieri feria ſexta maioris Hebdomadæ, quando non datur conſecratio: nam eo ipſo ſignificant, conſecrationem eſſentialiter requiri ad actionem ſacrificandi. *aliorum hac ſententia.*
Sic loquitur Rupert. *lib. 6. de Diuin. Offic. c. 3. Hodie,* inquit, *non ſacrificamus, dum nobis hoſtia de manibus tollitur: non ſacrificant amici, dum trucidant inimici.* Rupert.
Quæ verba eadem omnino habet Hugo de S. Victore *lib. 5. ex radice Miſcellaneor. c. 43. tom. 3.* Fortaſſe illa deſumpſit ex Ruperto, qui fuit aliquantulum antiquior; ſi tamen liber ille ſit Hugonis, de quo eſt dubium. Cæterum idem Hugo alibi, ſcilicet *lib. 3. de Offic. Eccleſ. c. 20.* apertè dicit, illa die Miſſam non celebrari. Eodem modo loquitur Theodorus Balſam *in Can. 52. Trullanum,* vbi iubetur, ne in Quadrageſima conſecretur, niſi in Sabbatho, Dominica, & aliquibus feſtis, ſed fiat Sacrum ex præconſecratis, quæ conſuetudo ſeruatur apud Græcos per totam Quadrageſimam, ſicut apud nos feria ſexta in Paraſceue. Theodorus ergo de illo ritu ſic ait: *Statutum eſt, vt ieiuniorum dies, luctus, & compunctionis dies ſint, ad ſua vniuſcuiuſque peccata expianda. Deo autem Sacrificium peragere, eſt panegyrium agere, &c. Cum ergo nemo poſſit mœrore, & gaudio ſimul affici, ſtatuerunt Patres, ne conficeretur Sacrificium tota Quadrageſima excepto Sabbatho, Dominico, & Annuntiationis feſto: in iis enim feſtum agitare, non flere, aut ieiunare, aut genuflectere iuſſi ſumus.* Ecce, negat apertè, tunc fieri ſacrificium, qua die non conſecratur. Eodem modo dicitur in officio de myſteriis ante conſecratis, quod habetur in *tom. 4.* vel 6. *Bibliothecæ Patrum;* vbi ponitur ritus illius Officij, cum autem Sacerdos ſumit hoſtiam præconſecratam ex Sacrario, præſcribitur, vt nihil dicat; ſubditurque ratio his verbis: *Nam præſanctificatum, & conſummatum eſt iſtud Sacrificium.* Hoc etiam modo loquuntur Patres Concilij Tolet. 16. *can.* 8. vbi dicitur: *Feria ſexta in Paraſceue nullum omnino Sacerdotem poſſe Miſſam celebrare.* Eodem modo loquitur Ordo Romanus antiquus in die Paraſceues. Alcuinus *lib. de Diuinis Officiis in eodem die.* Rabanus *lib. 2. de inſtitut. Cleric. c. 37* & Amalarius Fortunatus Epiſcopus Treuerenſis *lib. de Eccleſiaſt. Offic. c. 13.* iuxta editionem Roman. anni 1591. Sed tamen meritò notatur in margine, illa verba deeſſe in pleriſque exemplaribus: quare credibile eſt, non eſſe legitima; quia hic Auctor poſtea *lib. 4. c. 20.* expreſſe aſſerit, in illa feria ſexta eſſe Miſſam, ſicut illam, quæ erat tempore Apoſtolorum, licet non cum cæteris, quæ poſtea ſint addita; quare ipſe exiſtimat eſſe veram, & ſubſtantialem rationem Miſſæ in officio illius diei. Alij tamen antiqui ferè communiter dicunt, illo die non cantari Miſſam in Eccleſia. Vnde non video, quo fundamento dixerit Magiſter Nugnus in præſenti, ſenſum omnium fidelium eſſe, illo die celebrari Miſſam, neque vllum de hoc dubitare. Certè Patres Concilij Toletani fideles erant, & non ſolum dubitarunt, ſed negarunt.

Conc. Tolet. Ordo Rom. Alcuinus. Rabanus. Amal. Fort.

Tertio probatur, quia Sacerdos in ſua Ordinatione ſolum accipit poteſtatem ad offerendum Sacrificium: non enim dicitur illi: *Accipe poteſtatem conſecrandi,* ſed *offerendi Sacrificium:* ergo ipſum conſecrare eſt offerre; alioquin non apparet, vbi datur ei principalis poteſtas, quam habet in ordine ad conſecrandum. 45. *Tertio probatur.*

Quarto, quia certum eſt, Chriſtum in cœna obtuliſſe Sacrificium: non eſt autem æquè certum ſumpſiſſe Euchariſtiam: ergo ipſa conſecratione obtulit: non enim eſt veriſimile Euangeliſtas omiſiſſe actum potiſſimum ſacrificandi, quem Chriſtus Apoſtolis præcepit; cum tamen nullus Euangeliſta referat clare Chriſtum ipſum communicaſſe. *Quarto.*

Quinto

Quinto. Quinto, Chriſtus eſt nunc principalis offerens vnà cum Sacerdote: non ſumit autem Chriſtus corpus ſuum per Sacerdotem, ſicut conſecrat illud verbis Sacerdotis: ergo Sacerdos non offert, quando ſumit, ſed quando conſecrat corpus, & ſanguinem Chriſti. Hæc ſunt fundamenta potiſſima huius ſententiæ; alia leuiora poſtea videbimus.

46. *Quarta ſententia.* Quarta ſententia docet, ſumptionem huius Sacramenti eſſe id, in quo eſſentia huius Sacrificij conſiſtit. Ita Ledeſma & alij, quos refert Suar. *ſect.5. in principio*; quibus videtur fauere S. Thom. multis in locis infra adducendis. Probatur etiam primò auctoritate *August.* Aug. *lib. 17. de ciuit. Dei, c.5. tom.5. Manducare panem, quod eſt in nouo Teſtamento Sacrificium Chriſtianorum.* 1°. *Salmeron.* Salmeron *vbi ſupra, §. An vero*, circa finem paragraphi affert pro hac ſententia Concilium Neocæſarienſe, *can.* 13. & Concilium Laodicenum *c.* 19. Sed non video in iis aliquid, quod faciat ad propoſitum. *Conc. Tolet.* Afferri etiam ſolet Concil. Tolet. 12. *c.* 5. vbi reprehendit eos, qui in Sacrificio non ſumebant corpus, & ſanguinem Chriſti; & addit rationem in hæc verba: *Nam quale erit ſacrificiũ, cui nec ipſe ſacrificãs particeps eſſe dignoſcitur?* Sed ex illo textu magis poteſt confirmari contraria ſententia: nã ſtatim ſubiungit Concilium hæc alia verba, quibus apertè videtur condiſtinguere immolationem à ſumptione: *Ergo modis*, inquit, *omnibus tenendum eſt, vt quotieſcumque ſacrificans corpus, & ſanguinem Ieſu Chriſti Domini noſtri in altario immolat; toties perceptionis corporis, & ſanguinis Chriſti ſe participem præbeat.* Sanè ſi pro eodem ſumeret ſumptionem, & immolationem, hoc præceptum ridiculum eſſet; nam idem eſſet, ac dicere; quotieſcumque immolat immolet: vel quotieſcumque ſumpſerit, toties ſumat corpus, & ſanguinem Chriſti. Ergo fateri debemus, ibi magis probari oppoſitam ſententiam. Poteſt tamen afferri pro iſta *Petr. Cluniac.* Pet. Cluniacenſis *lib. 1 Epiſtolarum, cap.* 2. Contra id quod dicunt, *Miſſam nihil eſſe, nec celebrari debere*, vbi explicans, quomodo dicatur Chriſtus in altari immolari, ſic ait: *Neque enim ibi Chriſtus, vt olim, dolores, aut mortem patitur, cum tamen immolari dicatur. Dicitur autem immolari, cum licet inuiolabiliter in altari frangitur, diuiditur, comeditur, cum his, & quibuſdam aliis ſignis, in quantum fieri poteſt, mors Domini maximè repræſentatur.*

47. *Secundo probari poteſt prædicta ſententia.* Secundo probari poteſt prædicta ſententia ex aliis, qui loquentes de Officio feriæ ſextæ in Paraſceue, & de Officio Græcorum in Feriis Quadrageſimæ, quando ex præconſecratis celebrant, appellant illud Sacrificium. Sic loquitur Eccleſia Latina in Officio illius diei, dum orat: *Sic fiat Sacrificium noſtrum in cõſpectu tuo hodie, vt placeat tibi Domine Deus.* Et poſtea dicit Sacerdos: *Orate, fratres, vt meum, ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat*, &c. Confirmari poteſt ex Concilio Laodicen. *can.* 49. vbi præcipitur in Quadrageſima fieri Sacrum ex præſanctificatis, exceptis aliquibus diebus; vbi indicat, tunc etiam fieri Sacrificium ſine conſecratione: nam *facere Sacrum*, & *Sacrificare*, idem videtur.

48. *Tertio probatio.* Tertio probari poteſt, quia ſi Sacrificium conſiſteret in ſola conſecratione, fruſtra applicaretur poſt conſecrationem pro aliquo: nam fructus Sacrificij non poteſt eſſe in ſuſpenſo. Hoc autem eſt contra vſum Eccleſiæ, quæ poſt conſecrationem applicat ſacrificium pro defunctis; ergo ideo, quia nondum eſt poſita eſſentia Sacrificij.

Quartò probatur. Quarto probatur ratione à priori, quia per ſolam conſumptionem fit deſtructio rei oblatæ: conſecratio autem magis eſt adductio, vel productio victimæ, quam eius deſtructio: Sacrificium vero vt Sacrificium, fit per deſtructionem, qua res oblata deſtruitur in Dei cultum, vt ſupra vidimus; non ergo poteſt conſiſtere eſſentia huius Sacrificij in conſecratione, ſed magis in conſumptione.

Quinto, quia ſi ſumptio non eſſet de eſſentia Sacrificij, non apparet, cur ſit tam ſtricta obligatio ſumendi, quoties conſecratur: ſiquidem iam eſſet peractum Sacrificium, præſertim ſi ſpecies vini poſt conſecrationem effundantur, quo caſu neceſſe eſt alias conſecrare; ergo ideo quia ſine ſumptione non eſt Sacrificium; alioquin magis eſſet repetere ſacrificationem nouam, quam perficere illam præcedentem. Hæc ſunt fundamenta huius ſententiæ. 49. *Quinto.*

Vides, pro vtraque parte eſſe rationes difficiles. Pro vtraque etiam videtur eſſe S. Thomas diuerſis in locis: nam quod conſecratio ſit actio ſacrificandi, videtur ſentire *q.82. art.4. ad* 1. vbi dicit, conſecrationem Euchariſtiæ non eſſe ſicut conſecrationem chriſmatis: illa enim conſecratio eſt ſacrificium; non autem hæc. Item *q.83. art.4. in corpore*, vbi dicit, Sacerdotem poſt conſecrationem petere, vt Sacrificium iam peractum, ſit Deo acceptum. Et clarius *q.82. art.10. in corpore*, vbi ait, *conſecratione huius Sacramenti Sacrificium offertur*; & *in ſolutione ad* 1. ſic ait: *Hoc Sacramentum perficitur in conſecratione, in qua Sacrificium Deo offertur.* E contra vero, quod ſumptio ipſa pertineat ad eſſentiam Sacrificij, videtur probari ex eodem S. Thoma *q.80. art.12. ad* 3. vbi dicit, Sacerdotem in perſona omnium ſumere hoc Sacramentum; ergo illa actio non eſt priuata, ſed actio publica, & per conſequens oblatio huius Sacrificij. Item *q.83. art.6. ad.* 3. dicit, ſi poſt conſecrationem ſpecies vini conſecratæ non poſſint ſumi propter aliquem caſum, debere aliud vinum conſecrari, & ſumi, ne maneat Sacrificium imperfectum; ergo non perficitur ſola conſecratione. Poteſt item adduci ſanctus Doctor *art.2. ad* 2. vbi dicit, feria ſexta in Paraſceue ſumi à Sacerdote corpus Chriſti præconſecratum, ne careat Eccleſia illa die fructu paſſionis Chriſti; vbi videtur ſentire per ipſam ſumptionem communicari fructum huius Sacrificij, non ſolum ſumenti, ſed Eccleſiæ, cuius nomine ſumit; ergo illa ſumptio non eſt ſumptio vtcumque, ſed oblatio Sacrificij. Denique 1. 2. *q.*85. *art.*3. *ad* 2. dicit panem in tantum ſacrificari, in quantum frangitur, comeditur, & benedicitur; ſicut animalia occiſione ſacrificabantur. Vides etiam, pro vtraque parte adduci non improbabiliter S. Thomam. Nunc videamus, quomodo poſſimus vtramque conciliare. Prius tamen oporteret examinare rationes, quibus eſſentiam Sacrificij in conſecratione ſtare explicant Auctores illius tertiæ ſententiæ. 50. *Pro vtraque parte rationes ſunt difficiles. S. Thom.*

SECTIO IV.

Quomodo conſecratio pertineat ad eſſentiam ſacrificij, varie à Theologis declaratur.

QVamuis in ea ſententia, quæ dicit, ſubſtantiam huius ſacrificij conſiſtere in conſecratione, conueniat maior pars Theologorum; diſſentiunt tamen non parum in modo illam defendendi, & declarandi, quomodo conſecrare ſit formaliter ſacrificare, cum per conſecrationem non deſtruatur, ſed potius producatur, vel ſaltem ponatur ibi de nouo corpus, & ſanguis Chriſti. 51.

Primo dicunt aliqui, in conſecratione interuenire deſtructionem ſubſtantiæ panis, & vini, quæ deſtructio fit in cultum, & honorem Dei. Sed hoc benè impugnant Bellarmin. *d. lib. 1. c. 27. propoſit.* 8. & Vaſq. *in præſenti, n.*51. quia hoc ſenſu non tam corpus & ſanguis Chriſti, quàm ſubſtantia ipſa panis, & *Primò dicunt aliqui conſiſtere in deſtructione panis & vini. Bellarm. Vaſq.*

 vini,

Sed bene impugnatur à Bellarmino.

vini ſacrificaretur: nam illud ſacrificatur, per cuius deſtructionem Deum colimus; ergo cum ſolius panis, & vini deſtructione exhibeatur hic Dei cultus: illa ſolum ſacrificantur. Ex quo fieret, noſtrũ Sacrificiũ non eſſe excellentius ſacrificiis veteris Legis, ſed ignobilius, cum nobilior ſit ouis, vel vitulus, quam panis, & vinum. Item noſtrum Sacrificium non eſſe vnum, ſed plura, contra Chryſoſtomum, Ambroſium, Primaſium, & alios *in c. 10. ad Hebr.* Denique fieret etiam contra Patres, non eſſe idem Sacrificium Miſſæ, & Sacrificium Crucis; neque eſſe eundem Sacerdotem, & Sacrificium: & alia ſimilia abſurda.

52. *Secundo dicunt alij non requiri deſtructionem.*

Secundo ergo dicunt alij: quamvis in Sacrificio debeat intercedere mutatio, non tamen requiri, quod id, quod offertur, deſtruatur. Contigit ſanè plerumque ita eſſe, vt quando ſacrificatur ouis vel vitulus, aliquando tamen non ita: vt quando offerebatur incenſum, vel thymiama, vel thus; id quod principaliter offerebatur, non erat ſubſtantia thuris, vel thymiamatis, quæ comburebatur, ſed ſuffitus potius, vel odor, qui de nouo producebatur, & qui aptior erat ad cultum Dei, quam deſtructio præcedens. Ita in Euchariſtia eſt aliquid, quod deſtruitur, & aliquid, quod producitur: & hoc poſterius eſt, quod principaliter offertur, non illud prius.

Regula generalis.

Regula enim generalis eſt, vt, quando id quod deſtruitur, eſt principalius, & nobilius, illud etiam ſit, quod principaliter offertur: ſecus vero, quando id, quod deſtruitur, eſt ignobilius quam id, quod ſequitur. Idem in occiſione ouis, quod principaliter offertur, eſt ouis, non cadauer, quod de nouo producitur, quia cadauer eſt multo ignobilius: è contra vero in combuſtione thuris, nobilior eſt ſuffitus, qui reſultat, quam illud, quod deſtruitur: ideo ſuffitus eſt, quod principaliter offertur.

Suarez. Ægidius. Leſſius.

Hunc modum dicendi indicat P. Suar. *ſect. 5.* & magis expreſsè P. Ægid. *in præſenti dub. 5.* poſt Leſſium, qui eodem modo loquutus fuerat *lib. 1 de Iuſtit. c. 38. dub. 2.* Sed tamen hic Auctor poſtea *lib. 12. de perfectionib diuin. n. 95.* magis probat alium modum dicendi poſtea referendum, quare videtur ab illo priori tacitè receſſiſſe.

53. *Hæc ſententia diſplicet.*

Hæc tamen ſententia diſplicet, quia eſt contra communem omnium concipiendi, & loquendi modum dicere, rem aliquam quando producitur, ſacrificari; potuiſſeque offerri Sacrificiũ Deo generando filios, vel applicando alias cauſas naturales ad ſimiles procreationes, vel productiones efficiendas. Deinde templi conſtructio, vel alterius rei in cultum Dei, eſſet verum Sacrificium, & templum illud de nouo factum diceretur verè ſacrificatum: quod ſanè eſt omnino mutare conceptum, & vocem ſacrificij, vt defendamus, in Miſſa eſſe verum, & propriũ ſacrificium. Falſum item eſt, in oblatione thymiamatis odorem, vel ſuffitum fuiſſe, quod ſacrificabatur; nam ſi ibi interueniebat verum Sacrificium, illud ſolum ſacrificabatur, quod deſtruebatur. Illud enim ſacrificatur, per cuius deſtructionem proteſtamur affectum internum noſtrum, qui non explicatur bene per productionem, ſed per deſtructionem, vt vidimus. Imo de ratione omnis rei ſacrificatæ eſt, quod ſit res permanens, vt aduertunt communiter omnes in definitione Sacrificij; quare ille ſuffitus, cum eſſet res valde tranſiens, non videtur materia apta vt ſacrificaretur: erat quidem apta, vt per ipſam coleretur Deus, non tamen per illius ſacrificationem.

54. *Tertio dicunt alij deſtructionem non eſſe de ratione Sacrificij commemoratiui.*

Tertio dicunt alij, immutationem rei, quæ ſacrificatur, ſeu eius deſtructionem eſſe quidem de ratione omnis ſacrificij abſoluti, non vero de ratione ſacrificij commemoratiui. Abſolutum vocant, quod independenter ab alio ſacrificio, habet in ſe veram rationem ſacrificij. Commemoratiuum vero dicunt, non quod in ſe non ſit verum ſacrificium ſimpliciter, ſed quia eſt ſacrificiũ repræſentatiuum alterius ſacrificij abſoluti, quale eſt ſacrificium Euchariſtiæ, quod in tantum eſt ſacrificium, in quantum præcisè repræſentat ſacrificium Crucis. Si autem petas ra- 55.
tionem diſcriminis, dicũt eam eſſe, quod ſacrificium in ratione ſacrificij debet eſſe ſignum: ſacrificium autem abſolutum non poteſt ſignificare ſupremam poteſtatem Dei, vt eſt dominus vitæ, & mortis, niſi per veram deſtructionem rei oblatæ: at vero ſacrificium commemoratiuum, cum repræſentet ſacrificiũ abſolutum Crucis, v.g. iam ſignificat ſufficienter illud idem quod mors Chriſti ſignificabat, repræſentando ipſam Chriſti mortem, ac ſi nunc Chriſtus realiter occideretur; atque ideo conuenit ei vera ratio ſacrificij.

Suarez. Vaſquez.

Hanc ſententiam indicat etiã P. Suar. *d. ſect. 5. §. Quarto poteſt.* Sed clarius, & latius eam docuit P. Vaſq. *vbi ſup. c. 7. & 8.* vbi conatur eam probare ex ſanctis Patribus; ſed fruſtra: nam ij omnes ſolum dicunt, hoc ſacrificiũ eſſe commemoratiuum ſacrificij Crucis, quod nemo negat; non autem dicunt, ideo conuenire illi eſſentiam ſacrificij, quia præcisè eſt commemoratiuum alterius ſacrificij: imo oppoſitum inſinuant.

Auguſt.

Nam Aug. *lib. 20. contra Fauſtum Manichæum, c. 21.* adductus ab eodem Vaſq. *n. 59.* æquiparat in ratione commemoratiui hoc ſacrificiũ cum ſacrificiis veteris legis, his verbis: *Huius ſacrificij caro, & ſanguis ante aduentum Chriſti per victimarum ſimilitudinem promittebatur; in paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur: poſt aſcenſum Chriſti per Sacramentum memoriæ celebratur:* & tamen non ſenſit Auguſt. ſacrificia veteris legis eo præcisè habuiſſe rationem ſacrificij, quod repræſentarent ſacrificium Crucis futurum: ergo nec id ſentit de ſacrificio Miſſæ, licet dicat eſſe commemoratiuum. Fruſtrà ergo multiplicantur loca Patrum ad probandũ, hoc ſacrificiũ eſſe commemoratiuum: de hoc enim nulla eſt controuerſia; ſed difficultas tota eſt, quomodo in eo reperiatur vera ratio ſacrificij.

Algerus.

Vnus eſt Algerus ibi adductus ab eodem Vaſq. qui magis ei videtur fauere, his verbis: *Sciendum igitur, quod licet oblatio Chriſti ſemel in cruce ſit vera, quotidiana autem in altari ſit figurata, prorſus tamẽ eadem hic, & ibi noſtra ſalutis eſt gratia:* vbi videtur non agnoſcere aliam rationem ſacrificij in Miſſa, niſi quatenus eſt oblatio figurata, ſeu repræſentatiua oblationis illius, quæ fuit in cruce. Cæterum illa verba ſano modo intelligenda ſunt, ne faueant hæreticis negantibus veram rationem Sacrificij in Euchariſtia, vel reiicienda, ſicut in eodem libro ſunt aliqua alia improbanda circa hoc Sacramentum; vt obſeruauit bene Card. Bellarm. *lib. de Scriptor. Eccleſiaſt.* tractans de Algero.

36. *Hanc ſententiã fauere videtur S. Th.* *S. Thom.*

Fauere etiam videtur illi ſententiæ S. Th. *in præſenti art. 1.* vbi dicit, celebrationem huius Sacramenti appellari Sacrificium & Immolationem; quia imagines rerum ſolent iiſdem nominibus appellari, quibus res ipſæ, quas repræſentant: *Celebratio autem huius Sacramenti imago quædam eſt repræſentatiua paſſionis Chriſti, quæ eſt vera eius immolatio; & ideo celebratio huius Sacramenti dicitur Chriſti immolatio.* Sed hæc verba ita fauent P. Vaſq. vt dent illi pluſquam volebat: videntur enim probare, in Euchariſtia non dari verè, & propriè ſacrificium, ſed ſolum analogicè, quatenus imagines rerum ſolent appellari ipſarum nominibus: & imago S. Petri ſolet appellari S. Petrus. Quare ab omnibus explicandus erit S. Thom in alio ſenſu, ne eiuſmodi doctrinam tradiderit. Mihi ſatis veriſimile eſt, S. Thom. non habuiſſe pro eodem *ſacrificium, & immolationem*, ſed tanquam genus, & ſpeciem. Sacrificium enim latius patet, quam immolatio: & conuenit propriè omnibus cuiuſque rei

sacri

ſacrificiis; immolatio autem propriè & ſtrictè videtur ſonare occiſionem victimæ, reliquis autem non niſi per aliquam ſimilitudinem ſolet applicari; nam immolatio realis eſt ſacrificatio cruenta, vt obſeruauit ad aliud propoſitum Malder. *d. tr. 10. de relig. c. 5. dub. 1. §. Vt igitur.* Vnde §. ſeq. concludit, in Miſſa dari verum & reale ſacrificium, immolationem vero non niſi myſticam, propriè loquendo. Quo ſenſu loquitur etiam Aug. *epiſt. 13. tom. 2. & alibi*; dum dicit, Chriſtum ſemel immolatum fuiſſe; & alij Patres, ac Theologi, quos refert Bellar. ſupra c. 5. §. *Alter modus.* Non ergo mirum, quod S. Thomas dicat, in Euchariſtia interuenire immolationem, quatenus eſt imago immolationis factæ in Cruce: ibi enim non docet, quomodo ſit propriè ſacrificium, ſed quomodo appelletur *immolatio*; de quo eſt diuerſa ratio, vt conſtat ex dictis.

Malder. *Auguſt.*

57. *Ergo loquendo de re ipſa ille loquendi modus non ſufficit.*

Loquendo ergo de re ipſa, ille explicandi modus non ſufficit, vt in eo quieſcat animus: nam (vt bene aduertit Card. Bellarm. *d. dub. 1. c. 4. §. Tertio mirum eſt*) ea acceptio ſacrificij planè arbitraria, & conficta eſt; verum enim, & reale ſacrificium veram & realem rei ſacrificatæ deſtructionem deſiderat; ergo vbi non eſt vera deſtructio, ſed ſola imago deſtructionis, non dabitur verum ſacrificiū, ſed ſola imago Sacrificij: nec ſufficit dicere, non dari verum ſacrificium abſolutum, dari tamen verum ſacrificiū commemoratiuum: de hoc enim eſt quæſtio, an ſacrificiū commemoratiuum ſit verum ſimpliciter, an ſolum ſecundum quid: non enim ſufficit eſſe commemoratiuum alterius rei, vt aliquid poſſit dici tale: nam in tragœdia eſt commemoratio, & repræſentatio mortis Cæſaris, & tamen non eſt mors Cæſaris ſimpliciter, ſed mors repræſentatiuè, ſeu commemoratiuè. Item ſacrificia veteris legis repræſentabant etiam Chriſti mortem, & immolationem futuram: non tamen ſufficeret hoc, vt illa eſſent verè ſacrificia, niſi in ſe ipſis continerent realiter deſtructionem alicuius rei tunc ſacrificatæ: ergo quod in Miſſa detur commemoratio, ſeu repræſentatio mortis Chriſti, nō erit ſatis vt dicatur verè, & ſimpliciter ſacrificium, ſed ſolum ſecundum quid, ſeu repræſentatiuè.

58. *Reſpondet Vaſquez.*

Reſpondet P. Vaſq. in ſacrificiis antiquis, licet daretur repræſentatio mortis Chriſti, non tamen interueniſſe ipſum Chriſtum præſentem; ideo non potuiſſe tunc illum ſacrificari, nihil enim poteſt ſacrificari; niſi vbi adeſt: in Euchariſtia vero adeſt realiter ipſe Chriſtus, in quo fit repræſentatio ſuæ mortis præteritæ: ideo poteſt verè ibi ſacrificari. Sed contra, quia licet adſit in tragœdia præſens Rex ipſe, qui olim vulneratus eſt, & repræſentatiuè vulneraretur; non tamē verè, & realiter diceretur vulnerari: item licet filia Iepte, quæ olim fuit ſacrificata, nunc reſurgeret, & adeſſet in tragœdia, qua ſua mors repræſentaretur, non diceretur nunc verè, & propriè ſacrificari: alioquin ſufficeret etiam, quod recitaret ſuam mortem: iam enim ipſa recitatione commemoraretur illud ſacrificium, & illa mors; atque ideo diceretur nunc in illa recitatione verè ſacrificari ſacrificio, non cruento, ſed commemoratiuo; quod ridiculum eſſet: ergo nec ſufficit mera repræſentatio mortis Chriſti in ipſo Chriſto facta, vt dicatur Chriſtus propriè ſacrificari; aliud enim eſt repræſentari illud prius ſacrificium: aliud fieri verum ſacrificiū.

Reiicitur.

59. *Inſtans.*

Dices, per meram recitationem non daretur verum ſacrificium: quia ſacrificiū dicit aliquam actionem exercitam circa rem, quæ ſacrificatur: verba autem nihil exercent circa illam rem: at vero in Euchariſtia ita repræſentatur deſtructio præterita, vt nunc etiam fiat aliqua actio circa eundem Chriſtū, licet non deſtructiua. Sed contra, quia Sacrificium in ſuo conceptu tam dicit deſtructionem, quam actionem, & tamen per te reperitur eſſentia ſacrificij commemoratiui cum ſola repræſentatione deſtructionis: ergo poterit etiam reperiri eſſentia ſacrificij commemoratiui cum ſola repræſentatione actionis. Deinde ponamus, aliquem in tragœdia repræſentare thurificationem, quam olim exhibuit Deo, & ad hoc melius repræſentandum aſſumere nunc thuribulum cum thure, & carbonibus, ſed ſine igne, & hoc ipſo thuribulo repræſentare, quod olim fecit, ac ſi re ipſa nunc thurificaret: nemo tamen dicet, hunc hominem nunc verè, & propriè thurificare, cum verè non accendatur thus: atque ideo licet non ſolum verbis, ſed actionibus, & motibus circa thus, & thuribulum exhibitis repræſentet thurificationem præteritam; illa tamen thurificatio repræſentatiua non eſt vera thurificatio ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & analogicè: ergo ſimiliter, licet Chriſtus in ſuo corpore exerceat nunc aliquam actionem, qua repræſentat mortem præteritam, & ſacrificationem præteritam: hoc tamen non ſufficiet, vt illud dicatur verum, & proprium ſacrificium, cum per te non ſit deſtructio, ſed repræſentatio deſtructionis.

Reſpondeo.

Ratio autem à priori, eſt, quia licet iſta repræſentatio ſignificet ſufficienter ſacrificium præteritum, non tamen ſignificat immediatè per hoc præciſe id, quod ſignificabat ſacrificium illud: ſicut licet illa repræſentatio thurificationis ſignificet thurificationem illam præteritam, non tamen eſt actus adorationis, quia non ſignificat immediatè nutum ſummiſſionis internæ, quæ non poteſt ſignificari per repræſentationem thurificationis, ſed per thurificationem: ita ſimiliter repræſentatio ſacrificij, licet ſignificet ipſum ſacrificiū, non tamē ſignificat propterea illud, quod ipſum ſacrificium ſignificabat: quia eſt ſignum quaſi reflexum ſignificans illud aliud ſacrificium, quod erat ſignum directum, ſignum autem reflexum non poteſt ex hoc præciſè, quod ſignificet aliud ſignum, participare eſſentiam illius ſigni directi, quod per ipſum ſignificatur, vt conſtat faciendo inductionem per omnia alia ſigna directa, & reflexa. 60. *Ratio à priori eſt.*

Propterea alij dicunt quarto, conſecrationem eſſe veram actionem ſacrificatiuam: quia per eam ex vi verborum ſeparatur corpus à ſanguine: nam licet per concomitantiam ſit idem ſub vtraque ſpecie, hoc tamen eſt per accidens, nam verba, quantum eſt de ſe, ſeparant corpus à ſanguine, & diſſoluunt illud compoſitum, atque ideo Sacramentaliter mactant illud, & ponunt in altari tanquam victimam occiſam, & ſacrificatam. Huic modo dicendi acquieuit tandem P. Leſſius *dicto lib. 12. de Perfectionib. Diuin. n. 95.* & alij, quos commemorat Bellarminus vbi ſupra, §. *Alij volunt.* Sed ipſe merito eos reiicit; quia quantumcunque explicetur *ex vi verborū* illa mactatiu, & ſeparatio, re tamen vera non ſeparatur corpus à ſanguine, nec ab anima: ſicut ſi ictu gladij percuteretur ouis in ſacrificio, Deus tamen miraculosè penetraret gladiū cum gutture ouis, ita vt non ſequeretur abſciſſio nec vulneratio, verè non diceretur ouis ſacrificata: quia licet de ſe ictus ſufficeret ad occiſionem, re tamen vera non fuit ſequuta occiſio. Sic etiam contingit in præſenti. Adde, hanc concomitantiam non eſſe miraculoſam, ſed debitam ad poſitionem alterius partis, vt ſupra vidimus: quare neque etiam poſſumus hic inuenire ictum, vel actionem tendentem ex natura ſua ad ſeparandum vnum ab alio; nam aliud eſt, quod ex vi verborum non ponatur ſanguis cum corpore: aliud vero, quod verba petant, quod non ponatur ibi ſanguis; illud primum eſt verum: hoc ſecundum falſum: verba enim licet 61. *Alij quartò dicunt conſecrationem eſſe veram actionem ſacrificatiuam.*

non

non ſignificent ſanguinem, non tamen petunt, non poni ibi ſanguinem: imo (ſi ita fas eſt dicere) exigendo quod ponatur corpus, exigunt quaſi mediatè, & conſequenter, quod ponatur etiam ſanguis: tantum abeſt, quod ex ſe tendant ad ſeparandum vnum ab alio, & mactandum, quantum eſt ex ſe. Rurſus iuxta illam ſententiam dicendum videtur in triduo, quando iam re ipſa erat ſeparatum corpus à ſanguine, ſi re ipſa fieret conſecratio, non faciendum Sacrificium per conſecrationem Euchariſtiæ; quia tunc per verba non ſepararentur, quæ eſſent coniuncta, ſed ponerentur ſeparata, quæ iam re ipſa erant ſeparata; quare ſicut qui corpus, & ſanguinem ouis iam occiſæ poneret in alio loco, non diceretur ſacrificare; ille enim non ſepararet vnum ab alio: ſic in triduo cum iam Chriſtus eſſet occiſus realiter, non cenſeretur vllo modo occidi per conſecrationem, cum per ipſam non ſepararentur eius partes, quæ iam ſupponebantur ſeparatæ.

62. *Refertur alius modus dicendi Nic. Cabaſil.*

Vltimo loco referri poteſt alius modus dicendi, quo iſtam rationem ſacrificij explicuit Nicol. Cabaſilas Græcus in expoſitione Liturgiæ *c.* 32. 4. *vel* 6. *tom. Bibliotheca ſacra*; quia ſcilicet ſicut tunc dicitur ſacrificari ouis, quando ex non mactata fit ouis mactata; ſic etiam illa mutatio eſt vera, & propria ſacrificatio, qua ex pane non mactato fit verè corpus Chriſti mactatū, qualiter fit in altari, dū panis tranſit in corpus Chriſti, quod pro nobis fuit mactatum.

63. *Hunc modum dicendi bene impugnat Vaſquez.*

Hunc modum dicendi bene impugnat P. Vaſquez *c.* 6. *n.* 43. *& ſequentibus*; quia quod res ipſa, in quam aliquid conuertitur, ſit iam occiſa, non eſt mactatio ipſius, ergo nec ſacrificatio: ſicut ſi panis conuerteretur in ouem, quæ iam erat antea occiſa, non daretur tunc mactatio ouis. Item corpus Chriſti in cœna nondum erat occiſum: ergo tunc non conuerſus fuit panis in aliquid mactatum: ergo non fuit tunc factum ſacrificium: quod eſſet contra Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. Denique nec modo poſt reſurrectionem eſt verè corpus Chriſti occiſum, ſed viuum, ergo modò panis non conuertitur in aliquid mactatum, ſed in id, quod aliquando fuit mactatum, & nunc eſt viuum: hoc autem non ſufficit ad ſacrificium; ſicut ſi panis conuerteretur in ouem, quæ anno præterito fuit mortua, & poſtea ſurrexit, nemo diceret, ſacrificari nunc illam ouem. Denique addi poteſt, hoc modo non tam ſacrificari Chriſtum, quam ipſum panem: illud enim dicitur ſacrificari, quod ex non mactato tranſit in mactatum: cum ergo panis ſit, qui non mactatus tranſit in mactatum, ille erit, qui ſacrificatur magis propriè, quam corpus Chriſti.

SECTIO V.

Noſtra ſententia de eſſentia huius ſacrificij.

64. FVndamenta tertiæ, & quartæ ſententiæ ſupra poſita ſatis oſtendunt probabilitatem vtriuſque; quare illa mihi magis placet, quæ vtramque ita coniungat, vt neutrius fundamenta habeat contra ſe.

Conſecratio & ſumptio pertinent ad eſſentiam huius ſacrificij. Bellarm. Scortia.

Veriſimilius ergo exiſtimo, vtramque actionem, conſecrationem ſcilicet, & conſumptionem pertinere ad ſubſtantiam huius ſacrificij; quæ videtur eſſe ſententia communior apud Theologos. Bellarm. *d. c.* 27. *concl.* 7. *&* 8. Sotus, & alij, quos refert, & ſequitur P. Ioan. Bapt. Scortia *lib.* 1 *de ſacrificio c.* 5. Addo tamen ita vtramque actionem pertinere ad ſubſtantiam ſacrificij, vt poſita conſecratione, iam ſit poſita ſubſtantialis ſacrificatio, adueniente vero ſumptione, ponatur etiam aliqua pars eiuſdem ſubſtantiæ; quod non repugnat: nam etiam Sacerdos, quando ſumit dimidiam partem hoſtiæ, ſumit ſubſtantialiter hoc Sacramentum: & tamen ſumptio alterius dimidiæ partis eſt etiam aliquid ſubſtantiale pertinens ad ſumptionem Sacramenti.

Vt autem explicemus, quomodo conſecratio ſit ſubſtantialiter ſacrificatio, aduerto, quādo ad rationem veri ſacrificij exigimus deſtructionem hoſtiæ, nomine *deſtructionis* non ſemper intelligi phyſicam, vel metaphyſicam corruptionem ſubſtantialem hoſtiæ; ſed deſtructionem vel phyſicam, vel humanam: ita vt ex vi ſacrificationis, hoſtia, prout eſt in termino illius actionis, habeat ſtatum aliquem decliuiorem, & ſaltem humano modo deſierit. Hæc limitatio videtur eſſe de mente omnium, eorum etiam, qui exigunt deſtructionem victimæ ad rationem ſacrificij: nam certum eſt, hoc Sacramentum non deſtrui phyſicè etiam per actualem ſumptionem, donec ſpecies corrumpantur in ſtomacho: ſed tamen quia per comeſtionem videtur humano modo deſtrui, tunc dicitur verè ſacrificari apud illos, qui exigunt deſtructionem ad eſſentiam ſacrificij: & licet P. Vaſq. hoc ipſo argumento vtatur, vt probet, ſumptionem non pertinere ad ſubſtantiam Sacrificij, quia ſcilicet ipſa ſumptione non deſtruitur victima, donec corrumpantur ſpecies; ſed tamen immerito ita arguit, quia ipſemet Vaſq. *diſp. ſeq.* 223. *n.* 37. fatetur ſacrificium ouis, licet exigat deſtructionem, non tamen fieri, quando moritur ouis, ſed quando iugulatur, vel percutitur, quia ſcilicet tunc datur actio Sacerdotis, à quo humano modo iam cenſetur ouis deſtructa, & occiſa: ſimiliter ergo deberet de ſumptione fateri, per ipſam poſſe ſufficienter ſacrificari etiā ante corruptionem ſpecierum, cum eadem ſit ratio vtrobique. Item idem Vaſq. *ſupra diſp.* 210. *n.* 28. dicit, in lege veteri panes ſolitos ſacrificari, quando coquebantur in clibano: & ſanè coctio illa non videtur eſſe corruptio ſubſtantialis, phyſicè loquendo, ſed tantū accidentalis: potuit ergo ſimiliter in ipſa comeſtione agnoſcere mutationem ſufficientem ad ſacrificium ante actualem corruptionem ſpecierum.

Vt explicetur haec ſententia notandum. 65.

66. *Aliud eſt deſtrui phyſicè; aliud humano modo:*

Denique apud veteres, quibus ſicut erat magis frequens, ſic etiam erat magis nota eſſentia ſacrificij, inuenimus aliqua ſacrificari ſolita, per talem deſtructionē humanam: v.g. quando vinū libabatur effundendo illud ex crateribus in terram in honorē Dei, illa effuſio dicebatur libatio, & ſacrificatio: certum autem eſt, quod per effuſionem formaliter non corrumpebatur ſubſtantialiter vinū, donec poſtea paulatim ſiccaretur, & conſumeretur, ſacrificium autem in ipſa effuſione fiebat; quia nimirum per effuſionem deſtruebatur humano modo, quatenus accipiebat iā ſtatū aliquem inutilem ad priores operationes: iam enim non poterat deſeruire ad vſus humanos, ſicut antea; quod ſufficit, vt dicatur humano modo deſtrui, & conſumi, licet in ſua ſubſtantia non patiatur mutationē ſubſtantialē. Quo etiā modo ſacrificabant aliquando, proiiciēdo aliquid in mare, vel in fluuiū, vt refert Ioan. Guillel. Stuch. *lib. de ſacris, & profanis ſacrificiis, fol.* 130. quia nimirū per illam ſummerſionem humano modo deſtruebatur res proiecta, licet non corrumperetur ſubſtantialiter in ſua entitate.

67. *Iā facile explicatur quomodo per conſecrationē ſacrificetur corpus Chriſti.*

Hoc ſuppoſito, facile erit explicare, quomodo conſecratione ipſa ſacrificetur corpus Chriſti: nam licet ipſa conſecratione non deſtruatur ſubſtantialiter, ſed tamen deſtruitur humano modo, quatenus accipit ſtatum decliuiorem, & talem, quod reddatur inutile ad vſus humanos corporis humani, & aptum ad alios diuerſos vſus per modū cibi: quare humano modo idem eſt, ac ſi fieret verus panis, & aptaretur, ac conderetur in cibum; quæ mutatio ſufficiens eſt ad verū ſacrificium; fieri enim comeſtibile illud, quod non erat comeſtibile, & ita fieri comeſtibile, vt iam non ſit vtile ad alios vſus, niſi per modū cibi

maior

maior mutatio eſt, quam aliæ, quæ ea communi hominum more ſufficiebant ad verum ſacrificium. In quo ſenſu dixit Greg. Niſſ. adductus *ſupra ſect.* 2. tūc Chriſtum ſacrificium declaraſſe, cum corpus ſuum diſcipulis ad edendum præbuit: nam victimę corpus non eſt ad edendum idoneum, ſi animatum ſit: reddere ergo illud corpus ad ſtatum cibi comeſtibilis, fuit quaſi occidere illud, non phyſicè, ſed moraliter, ſeu humano modo. Hac ergo ratione veriſſimè dicunt PP. ipſa conſecratione ſacrificari, & poſt conſecrationem iam eſſe peractum ſacrificium; & hac etiam ratione Sacerdos in ſua ordinatione accipit poteſtatem conſecrandi, dum accipit poteſtatem ſacrificandi; eſt enim vna, & eadem poteſtas, cum ipſa conſecratio ſit ſacrificatio. Denique in hoc eodem ſenſu poſſunt intelligi Patres alij, qui dicunt Chriſtū ſe in hoc Sacramento quodāmodo occidiſſe, licet ij etiā de myſtica occiſione poſſint intelligi, quę fit per ſeparationem ſacramentalem corporis, & ſanguinis.

68. Cum hoc tamen ſtat, ipſam ſumptionem pertinere ad ſubſtantiam, & integritatem huius Sacrificij: nam per ipſam adhuc magis conſumitur, & deſtruitur victima. Nec repugnat, aliquam victimam in eodem ſacrificio duplicem deſtructionem ſubire: imo in holocauſto neceſſe erat, victimam prius occidi, poſtea adhuc magis deſtrui per totalem combuſtionem, & in aliis ſacrificiis, licet non combureretur tota victima, adhuc poſt occiſionem adolebatur in igne aliqua pars illius. Quare Bellarminus *vbi ſupra cap.* 27. *concluſ.* 7. bene aduertit, noſtrum Sacrificium aſſimilari holocauſtis; atque ſumptionem correſpondere combuſtioni; ſicut conſecratio correſpondet occiſioni. Ex quo ſumitur optima ratio, cur non poſſit vllo caſu conſecrari ſine ſumptione; cuius ratio difficile redditur, ſi ſumptio non pertineat ad ipſam ſubſtantiam ſacrificationis: in noſtra autem ſententia facile conſtat, ideo id eſſe, quia relinqueretur ſacrificium incompletum, & imperfectum; veluti ſi in holocauſto occideretur victima, & non combureretur: ideo ſi moriatur Sacerdos ante ſumptionem, debet ſubrogari alius Sacerdos, qui ſumat; ne maneat ſacrificium imperfectum, hoc eſt, vt perficiatur & compleatur ſacrificatio, & deſtructio victimæ. Hoc etiam ſenſu dixit Aug. adductus ſect. 2. *Manducare panem, eſſe ſacrificium Chriſtianorum*, hoc eſt, non totale, ſed partiale. Denique in hoc eodem ſenſu officium Feriæ ſextę in Paraſceue dicitur ſacrificium, vt vidimus, non quod ſit Miſſa integra, & totalis; ſed tamen ſit ſacrificium partiale, & complementum ſacrificij præcedentis diei, & non mera communio ſacramentalis, vt volunt auctores tertiæ ſententiæ; ſed aliquid, quod habeat etiam affectum per modum Sacrificij, vt poſtea videbimus. Et videtur eſſe de mente S. Thomæ *in præſenti hac q.* 83. *art.* 2. *ad* 2. vbi ait, licet illa die non conſecretur hoc Sacramentum; ne tamen Eccleſia ſit ea die ſine fructu Paſſionis, ſumi hac die corpus Chriſti præcedenti die conſecratum. Sentit ergo, illam ſumptionem prodeſſe Eccleſiæ, & per conſequens per modum Sacrificij. Nam ſumptio merè ſacramentalis ſolum prodeſt ſumenti, non Eccleſiæ: nec ad hoc requireretur ſumptio à Sacerdote, ſed ſufficeret, ſi laicus ſumeret Euchariſtiam. Illa ergo communio Sacerdotis, plus habet, quam ſimplex communio.

S. Thom.

69. *Inſtantia.* Dices, hanc ſecundam partem repugnare primæ parti noſtræ ſententiæ: ſi enim ipſa ſumptio eſt ſacrificium; ergo illa Feria ſexta verè datur Sacrificium; ergo vere celebratur Miſſa: ergo falſo negant Concilia, & Patres, dum ſimpliciter negant, illa die celebrari Miſſam in Eccleſia. *Diluitur.* Reſpondeo ſacrificium illius diei non eſſe ſacrificium integrum, ſed complementum Sacrificij: ideo veriſſimè negari, illo die fieri ſacrificium: cæterum propter illud etiam complementum Sacrificij, quod tunc fit, poteſt Eccleſia petere à Deo, vt acceptabile ſit illud Sacrificium, nomine *Sacrificij* intelligendo ipſam victimam iam præſacrificatam die præcedenti, quam iterum præſentat in altari, & cuius oblationem cōſummat, ſicut in holocauſto poſſet idem dici de victima occiſa, & nondum cōbuſta: adhuc enim per cōbuſtionē offertur, & poſſumus petere, vt illa victima ſit acceptabilis, atque illa victimæ oblatio; quæ licet non ſit completa, ſed partialis, eſt tamen aliquo modo oblatio.

70. *Urgebis.* Sed contra vrgebis, eſſe diſcrimen magnum ab holocauſto; quia in holocauſto ante combuſtionem non præſupponitur Sacrificium conſummatum: at vero in noſtro Sacrificio ante ſumptionem iam præſupponitur conſummatum: ideo enim videtur dici in Liturgia Græcorum ſupra adducta, quando fit Sacrum ex præſanctificatis die præcedenti; iam *illud Sacrificium fuiſſe prius præſanctificatum, & conſummatum.* *Reſpondeo.* Reſp. ante communionem non eſſe conſummatum: illo autem caſu dicitur vere iam præconſummatum; quia die præcedenti non ſolum præceſſit conſecratio, ſed etiam ſumptio, qua fuit completum illud Sacrificium: cum hoc tamen ſtat, adhuc quoad partem nondum ſumptam poſſe iterum conſummari, & perfici idem Sacrificium die ſequenti: ſicut nunc, quando Sacerdos ſumpſit dimidiam partem hoſtiæ, vere iam perfecit ſubſtantialiter Sacrificium; ſed tamen dum poſtea ſumit alteram dimidiam partem, adhuc illa ſumptio pertinet ad illud ſacrificium, vt complementum illius, non eſſentiale, ſed integrale, quia re vera etiam illa ſumptio eſt deſtructio partialis victimæ oblatæ: alioquin ſola ſumptio primæ particulæ pertineret ad ſacrificium; ſumptio autem aliarum partium eſſet communio mere Laïca & priuata; quod ridiculum eſſet.

71. *Inſurgens dubium.* Ex hoc tamen inſurgit dubium, quomodo poſſit ſumptio illius diei ſequentis applicari per modum ſacrificij: nam ſi illud ſacrificium iam fuit perfectum, & conſummatum die præcedenti, ergo iam habuit totum ſuum effectum die præcedenti; ergo iam non poteſt de nouo applicari pro alio fructu, cum non ſit aliud ſacrificium, ſed ſolum conſummatio quædam partialis, & integralis prioris Sacrificij: vel ſi adhuc poteſt applicari, & extendi ad alios fructus; ergo per priorem conſumptionem non fuit habitus integer fructus illius ſacrificij. Quod à fortiori dicendum erit, poſt conſecrationem ante ſumptionem, nondum haberi fructum Sacrificij; nam videmus, poſt conſecrationem adhuc applicari illud Sacrificium pro defunctis, & pro aliis neceſſitatibus, ergo non habuit ſuum effectum ante ſumptionem.

72. *Ex declaratione huius dubij magis conſtabit quomodo ſumptio pertineat ad ſubſtantiam ſacrificij.* Ex huius dubij declaratione conſtabit magis, quomodo ſumptio pertineat ad ſubſtantiam Sacrificij, ita tamen vt ante ſumptionem iam poſita ſit eſſentia ſacrificij, licet non integri, & completi. Pro cuius explicatione repetendum eſt, quod diximus *ſupra diſp.* 15. *ſect.* 3. de effectu Euchariſtiæ, vt Sacramentum eſt, ſcilicet habere per ſumptionem primæ particulæ; ita tamen vt poſſit augeri, & extendi effectus ille, quandiu ſumuntur aliæ particulæ, vel etiam quandiu ſpecies ſunt in ſtomacho, ſi adſit maior, vel melior diſpoſitio, quia in toto illo tempore dat eum effectum, quem daret ab initio, ſi totam illam diſpoſitionem in principio inueniſſet: ſic etiam de ſacrificio dicendum, habere ſuum effectum, quando primo ponitur ſubſtantia Sacrificij; augeri tamen, vel extendi eundem effectum, quandiu durat integritas, & completio eiuſdem Sacrificij, ita vt per omnes ſui partes ſimul ſumptas cauſet effectus, quos poſſet

etiam

etiam cauſare ab initio, ſi totam illam diſpoſitionem inueniſſet poſitam: hæc autem diſpoſitio in ordine ad ſacrificium magna ex parte eſt applicatio offerentis pro iſto, vel illo effectu, maximè in ordine ad impetrandum; hinc eſt, poſſe habuiſſe effectum die præcedenti, & tamen propter nouam applicationem extendi ad nouos effectus, quando conſumitur alia pars eiuſdem ſacramenti; non enim eſt minoris efficaciæ hæc pars; ſiquidem hos etiam effectus potuiſſet cauſare ab initio, ſi ab initio poſita fuiſſet eadem applicatio: non enim cauſat hunc effectum per modum noui Sacrificij, ſed per modum nouæ partis eiuſdem Sacrificij, quæ nondum conſumpta erat. Hinc etiam eſt, quomodo poſſit poſt conſecrationem applicari; quia re vera Sacrificium durat in ratione Sacrificij vſque ad conſumptionem, ſicut re vera Sacrificia durabant poſt occiſionem vſque ad combuſtionem; atque ideo ante combuſtionem potuiſſent iterum applicari; & licet concederetur, effectum principaliorē ſacrificij ſtatim haberi poſt conſecrationem, & quod ille non poſſit iam variari; ſed tamen quandio durat conſummatio illius Sacrificij, poteſt adhuc iterum, atque iterum applicari, ſaltem impetratoriè: nam in hoc genere non habet limitem, ſed pro maiori, & maiori applicatione poteſt extendi ad plures effectus idem Sacrificium, licet non infallibiliter habendo; & hoc ſaltem modo poteſt applicari de nouo ſumptio Sacramenti illius Feriæ ſextæ, ſi iam totus effectus ſatisfactorius illius Sacrificij fuit expletus, & applicatus die præcedēti.

73. *Tres compoſitiones diuerſæ.* *Prima.* Poſſumus ergo conſiderare in hoc Sacrificio tres compoſitiones diuerſas; prima, quæ complectitur conſecrationem illius duplicis ſpeciei corporis, & ſanguinis, de qua compoſitione dicemus *ſect.* 8. an requiratur ad eſſentiam Sacrificij, an verò in ſingulis ſpeciebus ſeorſim reperiatur verum Sacrificiū. *Secunda.* Secunda compoſitio eſt, quæ componitur ex conſecratione, & ſumptione, & hæc eſt quaſi ex partibus integrantibus heterogeneis: vt homo componitur ex capite, manibus, *&c.* quare ſicut homo ſine manibus eſſet eſſentialiter homo, ſed incompletus, ita hoc ſacrificium in conſecratione eſt eſſentialiter ſacrificium, ſed adhuc incompletum, donec integretur, & compleatur per ſumptionem. *Tertia.* Tertia denique compoſitio eſt ex partibus ipſis ſpecierum, quæ conſecrantur, vel ſumuntur; conſecratio enim, vel ſumptio tot habet partes, quot ſunt partes in hoſtia, quæ conſecratur, vel ſumitur: & hæc compoſitio eſt etiam ex partibus integrantibus, ſed homogeneis: quare in conſecratione, & ſumptione dimidiæ hoſtiæ inuenitur ſacrificium, non ſolum eſſentiale, ſed integrum: ſicut homo, antequam augeatur, eſt homo integer, licet per ipſum augmentum acquirat aliquam partem nouam, & homogeneam cum præcedentibus. In conſecratione ergo datur eſſentia ſacrificij, ſed non datur integritas ſacrificij: per conſumptionem vero, iam fit integrum ſacrificium: cæterum, ſi augeatur ſumptio per ſumptionem homogeneam plurium hoſtiarum, ſicut durante illa ſumptione, durat extenſiuè actio ſacrificandi, poteſt etiam durare extenſio in effectu, ſi adſit noua diſpoſitio, & applicatio, maximè in ordine ad impetrationem: & hoc modo facilè concordantur, qui dicunt, ſine conſecratione non dari Miſſam: & qui dicunt, illa Feria ſexta dari ſacrificium: quod Eccleſia applicat pro illis, pro quibus illa die ſpecialiter orat.

74. *Quæſitum.* Petes: ſiquidem in conſecratione inuenitur ſufficienter eſſentia Sacrificij, vnde habemus, ſumptionem ipſam eſſe partem Sacrificij? Potuit enim adhiberi ſolum vt comeſtio hoſtię ſacrificatæ, quam certum eſt, non fuiſſe ſemper partem Sacrificij, ſed potius participationem rei ſacrificatę. Reſp. colligi hoc in primis à poſteriori, ex mente Eccleſię appellantis illam Sacrificium in die Paraſceues, itē ex eo, quod nunquam liceat vllo caſu, vel neceſſitate relinquere cōſecrationem ſine ſumptione, ſed neceſſe eſt, aliam etiam hoſtiam conſecrare, ſi illa prior non poteſt ſumi: quod ſi ſacrificium iam fuiſſet integrum, non fuiſſet neceſſe aliam hoſtiam conſecrare: nam ſumptio huius ſecundæ hoſtiæ non eſſet participare de primo illo ſacrificio, quod iam fuerat completum, ſed de alio facto de nouo per ſecundam conſecrationem. *Satisf.* Deinde colligitur ex modo, quo fit hoc ſacrificium, ſcilicet ſub ſpeciebus panis, & vini: quare debuit imitari ſacrificia antiqua panis, & vini: ideo enim potiſſimè dicitur Chriſtus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui ſacrificauit in pane, & vino: vnde ſicut in eiuſmodi Sacrificiis panis ipſe, & vinum deſtruebatur, ita etiam ad hoc ſacrificium debuit pertinere deſtructio ipſa panis, & vini ſacramentalis, quæ fit per conſumptionē: & licet olim deſtructio panis, & vini fieret fortaſſe alio modo per combuſtionem, vel effuſionem: hoc tamen non decebat fieri in hoc Sacramento propter eius reuerentiam, ſed ſolum per comeſtionem, & potum, qui erat modus nobis vtilior, & magis decens ipſi Sacramēto.

Differt tamen hoc Sacrificium à Sacrificio Melchiſedech, quod in illo tota eſſentia ſacrificij erat in deſtructionem panis, & vini: in hoc autem ſacrificio; cum non ſolum detur panis, ſed caro, & ſanguis imo non ſit verè panis, ſed homo viuus, qui ſacrificatur, debuit etiam imitari ſacrificia vetera, quibus oues, & boues mactabantur; & conſiſtere ſaltem partialiter in ipſa mactatione, & quaſi deſtructione Chriſti, quæ prius fit per verba conſecrationis; vt appareat, quam ingenioſè Diuina ſapientia in hoc vno Sacrificio complexa fuerit antiquorum Sacrificiorum differentias; & quam vere Eccleſia dicat in Oratione Dominicæ ſextæ poſt Pentecoſten: *Deus qui legalium differentiam hoſtiarum vnius Sacrificij perfectione ſanxiſti, &c.* Nam hic inuenimus ſacrificium ſimile illis, quæ de agnis, & ouibus offerebantur, cum offeratur Chriſtus ipſe, verus Dei agnus; inuenimus etiam ſacrificium libamenti, & immolationis, ſimile iis, quæ in pane, & vino fiebant; inuenimus holocauſtum, cum tota hoſtia tandem in Dei honorem conſumatur; inuenimus denique ſacrificium pacificum, de quo non ſolum Sacerdos, ſed alij etiam participare poſſint; nec mirum, cum illis omnibus ſacrificiis hoc vnum noſtrum ſucceſſerit, illorum differentias excellentiſſimo gradu ſuperaturum. 75. *Ingenioſè Deus in hoc vno Sacrificio complexus eſt antiquorũ Sacrificiorum differentias.*

Dices, ex doctrinâ tradita videri fieri, poſſe aliquando ex rationabili ſaltem cauſa omitti ſumptionem poſt factam conſecrationem; quia ſumptio requiritur tantum ad integritatem, non ad eſſentiam ſacrificij; ergo ſicut aliquando licet prætermittere ſatisfactionem, quæ eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, quia ſine illa datur eſſentia Sacramenti: ſic etiam aliquando licebit prætermittere ſumptionem, ſine qua datur eſſentia Sacrificij. 76. *Inſtantia.* Reſp. negando ſequelam: ratio autem diſcriminis inter ſatisfactionem, & ſumptionem ea eſt, quod ſatisfactio eſt pars non ſolum integrans, ſed leuis in ratione partis: ordinatur enim ad effectum minus principalem, nempe ad ſolam remiſſionem pœnæ temporalis; & quidem cum ille effectus nō ſit ſēper neceſſarius, vel etiam poſſibilis; non mirū quod aliquando ex leuitate materiæ poſſit ſine culpa graui prætermitti illa pars: at vero ſumptio eſt pars grauiſſima huius holocauſti, & ordinata ad effectum eiuſdē rationis, & ad cultum Dei, qui fit per completam deſtructionem victimæ; *Diluitur.*

quare

quare non poteſt omitti ſine grauiſſima culpa; licet ſolum ſit pars: neque enim omiſſio omnium partium habet parem indecentiam; pars quippè hominis eſt manus, & pars etiam ſunt capilli; & tamen non ita neceſſarij ſunt capilli ad integritatem, & perfectionem hominis, ſicut manus: illi enim pertinent ad quandam decentiam, & finem ſecundarium: manus vero ad operationes, & finem primarium. Sic etiam ordinatio Sacerdotum habet duas partes: prior dat poteſtatem conſecrandi; poſterior dat poteſtatem abſoluendi: & licet prior poſſit eſſe eſſentialiter ſine poſteriori, nunquam tamen poteſt dari vna, quin teneatur Epiſcopus dare poſtea aliam; quod ſi moriatur Epiſcopus, debet ſubſtitui alius, qui compleat ordinationem ne maneat incompleta.

Henriq. Fagundez Quam parum hi Auctores Theologicè ſint locuti.

Denique ex his infertur, minus Theologicè loquutos Henriq. *lib 9. de ſacrif. c.9.§.2.* & Fagundez *lib.3.de . præcepto Eccleſiæ cap. 4. n. 26. & c. 5. n. 20.* qui dicunt, poſſe Sacerdotem in Miſſa non ſumere quidquam ex hoſtia, quam conſecrauit; ſed illam in Sacrario ſeruare, & ſumere ſolam hoſtiam, quæ antea in Sacrario erat; quod quidem abſque vllius auctoritate dixerunt, aſſerentes ſolum vſum (melius dixiſſent abuſum) ex ignorantia quorundam parochorum, qui ita faciunt. Hoc tamen eſt contra ſenſum Eccleſiæ, & omnium Doctorum. Nam in primis Eccleſia in Rubrica Miſſalis ſæpius admonet, ſi poſt conſecrationem contigerit, ſpecies ſanguinis omnino effundi, aut in ipſis, vel in hoſtia venenum apparere; debere Sacerdotem aliud vinum, vel aliam hoſtiam conſecrare, quam ſumat. Hoc autem nec eſſet neceſſarium, nec licitum, ſi doctrina illorum Auctorum vera eſſet; ſi enim ad Miſſæ integritatem ſufficit conſecratio, & ſũptio vtriuſque ſpeciei, ſiue ſumantur, quæ tunc conſecrata ſunt, ſiue quæ in alia Miſſa fuerunt conſecrata, non oporteret in illis caſibus aliam hoſtiam conſecrare, ſed ſufficeret ſumere vnam particulam conſecratam ex Sacrario, vel etiã (ſi ſanguis effuſus fuiſſet) ſufficeret ex alio altari accipere ab alio Sacerdote celebrante partem ex calice, & cum illo proſequi Miſſam inceptam, & conſummare Sacrificium, ad quod per te ſufficit conſecratio, & ſumptio Sacramenti aliàs conſecrati. Vnde infertur, nec poſſe in illo caſu adhiberi ſecundam conſecrationem: hæc enim non poteſt abſque ingenti ſacrilegio adhiberi, niſi neceſſaria ſit ad perfectionem Sacrificij. Sicut ergò nõ poſſet abſque ſacrilegio iterum conſecrare Sacerdos, quando ex calice dimidia pars effuſa eſſet, & dimidia remaneret; quia illa ſufficit ad perficiendum Sacrificium: ita nec poſſet abſque ſacrilegio conſecrare, cui tota hoſtia cõſecrata ablata fuiſſet, vel appareret venenata, ſi poteſt ex ſacrario aliam accipere, vel facere, vt afferatur ſibi ex alio altari; cum æquè bene per te perficiatur idem Sacrificiũ ſumendo illam hoſtiam antea conſecratam, ac ſi acciperetur dimidium hoſtiæ tunc conſecratæ. Malè ergo præcipit Eccleſia, vt in his caſibus iterum conſecretur; quod idem omnes Theologi, nemine dempto, neceſſarium eſſe dicunt propter perfectionem debitam Sacrificij. Ratio autem ſumitur ex dictis, quia debet eadem victima conſumi, & ideo iura non dicunt ſolum, ſacerdotem debere participare in Miſſa de hoc Sacramento; ſed debere participare de eodem Sacrificio: ſic enim dicitur in Conc. Tolet. 12 c. 5. relato in c. *Relatum* 11. *de conſecrat. diſt. 2. Nam qualè (*inquit*) erit illud Sacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur?* Meritò ergo illam ſententiam improbabilem omnino eſſe, dixit Ioan. Præpoſitus in præſenti, *q. 83. art. 1. dub 7. n. 50.* & noſtram vt certam omnino ſupponit Gaſp. Hurt. *diſp. 6. de Euch diff. 9 in fine.*

SECTIO VI.

Soluuntur aliæ obiectiones, quæ contra prædicta poſſunt fieri.

Prima obiectio. Reſpondetur.

Reſtant adhuc aliæ obiectiones, quæ partim fiunt ab Auctoribus, partim fieri poſſunt contra noſtram doctrinam. Prima obiectio fit ex P. Vaſquez, quia Sacrificium Miſſæ repræſentat Sacrificium factum in cruce; hoc autem non per ſumptionem, ſed per conſecrationem, repræſentatur, vbi corpus cõſecratur ſeorſim à ſanguine; ergo ſumptio non eſt Sacrificium, ſed ſola conſecratio. Reſpondeo, conſecratione quidem repræſentari Sacrificium crucis, ſed ſumptione etiam partialiter repræſentari. Nam ſicut in cruce Chriſtus cruentè occiſus eſt, ita in altari incruentè ſub ſpeciebus conſumitur: quare in Tridentino *ſeſſ. 13. c. 2.* dicitur, Chriſtum præcepiſſe, vt huius Sacramenti ſumptione coleremus eius memoriam, & annunciaremus eius mortem. *Conc. Trid.*

78\. *Secunda obiectio. Reſpondetur.*

Secunda obiectio ex eodem Vaſquez: per ſumptionem deſtruuntur ad ſummum ſpecies, non verò corpus, aut ſanguis Chriſti; ergo deſtructio, quæ fit per præſũptionem, non refert, vt dicamus, per ipſam ſacrificari corpus, & ſanguinem Chriſti. Reſpondeo negando conſequentiam: nam in primis non requiritur ad Sacrificium, quod deſtruatur quælibet pars rei oblatæ; ſatis eſt deſtrui totum vt ſingulæ etiam partes dicantur oblatæ. Sicut in cruce materia Chriſti, vel eius anima non fuit deſtructæ, ſed ſola humanitas; & tamen eo ipſo dicuntur oblatæ eius partes: ſic etiam in præſenti res oblata eſt panis cœleſtis, conſtans ex corpore Chriſti, & ſpeciebus, qui deſtruitur per ſumptionem; quod ſufficit, vt Chriſtus etiam in eo contentus dicatur offerri, & ſacrificari. Deinde, non vtcumque deſtruitur illud totum, ſed ita vt ſubſtantia illius eximatur etiam humanis vſibus, quibus antea erat apta; quod ſufficit, vt ipſa etiam ſubſtantia per illam deſtructionem ſacrificari dicatur.

79\. *Tertia obiectio.*

Tertia obiectio ex eodem Vaſquez: ſi ſumptione ſacrificaretur, ergo dum laici communicant, ſacrificant etiam. Negatur conſequentia; quia non quævis ſumptio ſufficit, ſed quæ fit à legitimo miniſtro, & hac intentione ſacrificandi. Quo etiam ſoluitur ſimilis obiectio facta à Suarez, quod ſcilicet ſacerdos, quoties communicat de manu alterius, poſſet ſacrificare. Reſpondemus enim, ſi haberet animum ſacrificandi poſſet ſacrificare, non completè, ſed incompletè eo modo, quo ſacrificat feria ſexta in Paraſceue; ad hoc enim parum refert propria, vel aliena manu communicari: cæterum peccaret grauiter Sacerdos, qui talem animum haberet.

80\. *Quarta obiectio. Reſpondeo.*

Quarta obiectio: in hoc Sacrificio Chriſtus eſt principalis offerens; Chriſtus autem non ſe manducat in altari: ergo manducatio non eſt oblatio, ſed aliquid omnino conſequens. Reſpondeo: etiam in cruce Chriſtus fuit offerens, & tamen non ſe occidit, ſed exhibuit occidendum: ſic etiam in altari ſe exhibet manducandum, quod ſufficit, vt manducatio ipſa tribuatur Chriſto magis propriè, quam eius occiſio: illa enim fuit ſolùm permiſſiuè: ſumptio vero fit etiam ex eius præcepto. Adde, antiquos ſacerdotes apud Gentiles non ſemper manu propria occidiſſe victimas, ſed aliorum miniſterio, quibus ſignum occidendi dabatur: quare poterit ſe Chriſtus ſacrificare, dum alius ex eius commiſſione illum ſacrificat, vt videbimus *ſect. 7.*

81\. *Quinta obiectio.*

Quinta obiectio: certum eſt, Chriſtum in cœna ſacrificaſſe; non tamen eſt certum, ſumpſiſſe hoc Sacramentum: ergo ſumptio non eſt oblatio.

Reſpondeo. Reſpondeo, licèt non ſit æquè certum, Chriſtum communicaſſe, ac eſt, obtuliſſe, eſt tamen ſatis certum ex Patribus, & omnium Theologorum conſenſu comprobatum, teſte Vaſq. *ſupra, q.*81.*art.*1. *n.*83. *Vaſq.* Addo, non requiri, habere vtrumque æqualem gradum certitudinis: nos enim non aſſerimus vt certum, quod ſumptio ſit oblatio, ſed ſolum vt veriſimilius: qua etiam veriſimilitudine credimus, Chriſtum eodem modo ſacrificaſſe per conſecrationem, & ſumptionem.

82. *Sextò obijcitur.* *Reſpondeo.* Sexta obiectio, ſi ſumptione ſacrificatur, ergo illa hoſtia, quam laicus ſumit, nondum eſt ſacrificata: ergo laici non participant de hoc Sacrificio. Nego primam conſequentiam: ad hoc enim, quod illa particula ſit ſacrificata, non requiritur, illam eſſe ſumptam: ſicut olim, vt totum vinum cenſeretur ſacrificatum, non oportebat totum effundi, ſed, aliqua parte effuſa, totum ſacrificabatur: ita etiam de hoc pane, & vino cœleſti dicendum eſt, ſumpta aliqua parte à Sacerdote, totum eſſe ſacrificatum. Adde, totum Chriſtum in illo contentum eſſe ſacrificatum, & in illa etiam particula, quam laicus ſumit, poſitum per conſecrationem, quæ eſt eſſentialiter ſacrificatio, vt diximus.

83. *Septimò obijci poteſt.* *Reſpondetur.* Septimò poteſt obiici: ſi conſecratio, & ſumptio ſunt partes eſſentiales huius Sacrificij, ergo ſicut ſaluatur eius eſſentia in conſecratione ante ſumptionẽ, ita in ſola ſumptione ſine conſecratione inuenitur eſſentia ſacrificij, & per conſequens in die Paraſceues datur ſimpliciter Miſſæ Sacrificium. Reſp. non eſſe partes eodem modo: nam conſecratio eſt prima, & præcipua pars, & quæ poteſt aliquo modo reperiri ſine ſecunda; quia quando eſt conſecratio, nondum eſt ſumptio: at vero ſumptio ſemper præſupponit eſſentialiter conſecrationem iam factam, ſiuè tunc, ſiue altera die; atque ideo ſemper eſt conſummatio ſacrificij iam facti: ex quo fit, ſumptionem ſeorſim non dici ſimpliciter ſacrificium, ſed conſummationem ſacrificij: ſicut in holocauſto combuſtio victimę poſt occiſionem melius diceretur conſummatio ſacrificij facti, quam ſacrificium ſimpliciter: ſupponit enim iam rem deſtructam, & ſolum tendit ad maiorem deſtructionem; quare ſicut per augmentationem non dicitur produci equus, ſed augeri; quia licet pars, quæ aduenit, habeat eandem eſſentiam equi, ſed tamen ſupponit iam eſſentiam productam in partibus præcedentibus: ita ſecunda pars ſacrificij, quæ ſupponit neceſſariò deſtructionẽ, licet non integram, non tam dicitur ſacrificiũ, quam integritas, vel perfectio ſacrificij. Quod ſi velis, illã etiam partem ſacrificium appellare, erit quæſtio de nomine, & dicam, ideo Patres negare communiter illa feria ſexta fieri ſacrificium, quia loquuntur de ſacrificio integro, non de incompleto, & partiali.

84. *Octauò obijcitur.* Sed contra poteſt adhuc eſſe octaua obiectio; quia poſſet contingere, ſumptionem eſſe primam, & vnicam deſtructionem victimæ: ergo in ipſa poteſt conſiſtere tota eſſentia huius ſacrificij. Probatur antecedens, caſu quo in triduò mortis Chriſti conſecraretur: tunc enim iam præſupponebatur Chriſtus mortuus, ac per conſequens per conſecrationem non deſtrueretur: ſolum ergo ſacrificaretur tunc per ſumptionem. In quo videtur eſſe diſcrimen huius ſacrificij ab holocauſto veteri: nam in illo ſemper victima ſupponebatur viua, vt offerretur, atque ideo prima pars ſacrificij erat occiſio: in noſtro autẽ ſacrificio poteſt victima præſupponi iam mortua, & per conſequens ſolum capax ſecundæ deſtructionis, quæ fit per ſumptionem: ergo non poteſt eſſentia huius ſacrificij includere deſtructionem, quæ fiat per conſecrationem: nam eiuſdem rationis eſſet hoc ſacrificium oblatum in triduo ac eſt nunc; tunc autem non includeret conſecrationem in ratione Sacrificij; ergo nec modo illam includit.

Hac occaſione poſſet in præſenti inquiri, an ex vi præſentis inſtructionis requiratur ſemper ad oblationem huius Sacrificij, quod præſupponatur Chriſtus viuus. Videtur enim id non requiri, quia Apoſtoli acceperunt poteſtatem offerendi ſine vlla limitatione, quando in cœna audierunt: *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo potuerunt validè offerre illud ſacrificium in triduo: imo ita videtur communiter ſupponi à Theologis cum S. Thoma *ſupra q.*76.*art.*1.*in corpore, & art.*2.*etiam in corpore,* vbi dicitur, ſi in triduo fuiſſet hoc Sacramentum celebratum ſub ſpeciebus panis, futurum corpus ſine ſanguine: quod videntur etiam paſſim ſupponere Theologi ad plures quæſtiones de hac materia. 85. *Quæſitum.* *Mens D.Tho.* S.Thom.

Aliunde vero poſſet videri non data ex vi huius Inſtitutionis poteſtas ad offerendum illo triduo: quia Apoſtoli acceperunt poteſtatem ſolum ad offerendum, & conſecrandum nomine Chriſti, non vt ſucceſſores eius, ſed vt ſubſtituti, & mandatarij ipſius, per quos, vt per organa, & inſtrumenta ſua, Chriſtus loqueretur, & offerret: nunquam enim potuerunt ipſi offerre ſeorſim, ſed ſimul cum Chriſto offerente cum ipſis vt principali Sacerdote: ideo enim Chriſtus dicitur Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, iuxta cõmunem Theologorum ſententiam, quam videtur approbare Trid. *ſeſſ.*22.*c.*1. vbi dicitur, Chriſtum Dominum, quia Sacerdotium eius extinguendũ non erat, vt ſe declararet Sacerdotem in æternum inſtitutum ſecundum ordinem Melchiſedech, ideo corpus & ſanguinem ſuum obtuliſſe, & Apoſtolis præcepiſſe vt offerrent. Vbi apertè indicatur ideo Chriſti Sacerdotium dici æternum, quia Chriſto nullus Sacerdos ſuccedit, ſed ipſe eſt principalis Sacerdos, qui in omnibus, & per omnes Sacerdotes noui teſtamenti offert; ideo enim, quia erat Sacerdos in æternum, inſtituit Apoſtolos Sacerdotes, vt per ipſos ſuum Sacerdotium exequeretur. Ideo etiam dixit Chryſ. *hom.*17 *in epiſt. ad Hebræos,* in hoc ſacrificio eandem ſemper eſſe hoſtiam, & eundem Pontificem: & eodem modo loquuntur alij Patres, quorum, & Conciliorum loca congerit Scortia *lib.*2.*de Sacrific. c.*3. Si ergo hoc ſacrificium non potuit ex vi huius inſtitutionis offerri, niſi à Chriſto, vt principali Sacerdote, & à Sacerdotibus vt ſecundariis miniſtris, & Chriſti nomine loquẽtibus, conſequens videtur, non potuiſſe in triduo offerri, quandiu Chriſtus homo non erat, Chriſtus enim vt Deus, non erat Sacerdos, neque etiam anima Chriſti erat in rigore Sacerdos: nam licet anima in nobis retineat characterem Sacerdotij, non tamen eſt Sacerdos, vt fatetur apertè S. Bonau. *in* 3.*d.*22.*q.*1. dicens Chriſtum in triduo non fuiſſe Sacerdotem; & S. Thomas *ibi in* 3 *ſcripto ſententiar. illa d.*22.*q. vnica, art.*1. *ad* 3. *tom.* 7. docet in illo triduo Chriſtum non potuiſſe exercere munus Sacerdotij, quantũ ad oblationem ſacrificij, licet retinuerit ſpiritualem poteſtatem Sacerdotij. Si ergo Chriſtus in triduo non poterat offerre, ergo nec Apoſtoli; quia Apoſtoli non poterant offerre, quin ſimul offerret Chriſtus. 86. *Aliunde poteſt aliter videri.* Conc. Trid. S.Bonau. S.Thom.

Hoc etiam probari videtur ex ipſo modo offerẽdi: non enim acceperunt poteſtatem conſecrandi, niſi per verba Chriſti, hoc eſt, per verba, quibus ipſe Chriſtus loqueretur per Sacerdotis os: non enim dicitur: *Hoc eſt corpus Chriſti,* ſed: *Hoc eſt corpus meũ*: quando autem ille homo Chriſtus non exiſtit, non videtur poſſe ille homo loqui: cũ ergo in triduo ille homo non exiſteret, non videtur poſſe conſecratio 87. *Hoc probari videtur ex ipſo modo offerẽdi.*

fieri

fieri nomine ipſius vt loquentis,& affirmantis,illud eſſe corpus ſuum.

88. *Confirmatur.* Confirmari poteſt rurſus ex vſu antiquiſſimo Eccleſiæ non conſecrandi illo biduo, donec Chriſtus reſurgat;cuius conſuetudinis illa videtur eſſe ratio, vt ſignificetur, mortuo Chriſto, non potuiſſe hoc Sacrificium celebrari,donec reſurgeret: quare dum eius mors ſingulis annis repræſentatur, ceſſat etiam celebratio Euchariſtiæ. Hanc rationem inſinuaſſe videtur Guil. Durand. *in Rationali Diuin. lib.6. c.77.* vbi,inter alias rationes,cur non celebretur illa feria ſexta,hanc etiam adducit *n.17.* quia ſcilicet *receſſit, & ſublatus eſt verus Sacerdos, id eſt, Chriſtus.* Quò etiam videntur alludere Rupert. & Richardus de S.Victore ſupra *adduct. ſect.3.* dum dicunt, illo die non ſacrificari,quia non adeſt victima ſacrificanda; quaſi velint in triduo mortis Chriſti nõ fuiſſe Chriſtum in ſtatu, in quo poſſet offerri in hoc Sacrificio. Hoc ipſum videtur indicare P. Ægid. *in præſenti art.1. dub.4. n.79.* vbi dicit: *Chriſtum nunquam voluiſſe hoc Sacrificium celebrari, quin ſub vtraque ſpecie totus poneretur:* conſtat autem, in triduo non potuiſſe poni totum ſub vtraque ſpecie. Sed clariùs expreſſit vtrumque Gloſſa *in c. Timorem, de conſec.diſt.2.* verb. *Corpus;* vbi propoſito dubio hoc in terminis, reſpondet his verbis: *Reſpondeo,nemo potuit ante reſurrectionem conficere verum corpus Chriſti, niſi Chriſtus. Sic ergo data eſt forma, vt poſt reſurrectionem hoc fieret, per illud:* Hoc facite in meam commemorationem. *Ideo enim non cantatur Miſſa in illo triduo.* Hæc ſunt verba Gloſſæ,cuius doctrinam refert etiam,& approbat Franc. de Rouere Minorita (poſtea Sixt. IV) in tractatu de ſanguine Chriſti,quem obtulit Pio II.qui manuſcriptus ſeruatur in Bibliotheca noſtri Collegij Romani: & videtur fauere Ledeſma *q.17. art.1.dub.5.* & alij,quos tacitè refert Suar.*diſp.47.ſect.2.circa fin.* Quod ſi hoc ita eſt, poſſet ad rationem contrariam reſponderi, Apoſtolos accepiſſe poteſtatem conſecrandi; ſed tamen conſecrandi nomine Chriſti, ac per conſequens eo ſolum tempore, quo Chriſtus homo exiſteret, ſine quo vt principali ſacrificante, non poterant offerre. Ad S. Thom. vero dici poſſet, eum non affirmare,illo triduo potuiſſe celebrari hoc Sacramentum, ſed ſolum loqui conditionaliter, ſi celebraretur, ponendum fore corpus ſine ſanguine ſub ſpeciebus panis: de qua conditionali non eſt dubium. Quo etiam ſenſu poſſunt intelligi alij Theologi, cum vtuntur illo exemplo ad aliquas quæſtiones huius materiæ; non enim definiunt abſolutè, an potuerit tunc offerri, ſed ſolum dicunt, quid fieret,ſi offerretur,vel ſi conſeruaretur illo triduo aliqua particula conſecrata in cœna: quod vtrumque fieri etiam potuit abſque vlla controuerſia:& ſufficeret hoc ad omnes illas quæſtiones examinandas,& inquirendum, quid tunc eſſet in illa particula,an corpus exſangue, an anima, an forma cadaueris,&c.De illo autem alio exemplo fortaſſe non curant,niſi per modum exempli ad declarandum.

Durand. *Ægid.* *Gloſſa.* *Sixt. IV.*

89. *In hoc puncto nihil definire volumus.* Hæc non dicta ſunt à me eo animo, vt aliquid in hoc puncto velim definire: video enim modum communem loquendi in contrarium tendere, à quo non eſt facile recedendum. Quare alio modo reſpondere poſſamus ad difficultatem ſupra poſitam, etiam dato eo caſu,quod ſi celebraretur in triduo, non fore ſolam ſumptionem totam eſſentiam huius Sacrificij: nam licet per conſecrationem non deſtrueretur aliquid viuum, deſtruebatur tamen illud corpus; deſtruebatur, inquam deſtructione humana ſupra explicata, quatenus reducebatur ad ſtatum illum Sacramentalem, in quo reddebatur inutile ad vſus humanos corporis, & ſanguinis; quare ſicut Chriſtus viuus per illam mutationem, & deſtructionem humanam ſacrificatur, dicet phyſicè, & ſubſtantialiter non deſtruatur; ita illud corpus per ſimilem mutationem, & deſtructionem ſibi proportionatam poſſet tunc ſufficienter ſacrificare in ipſa conſecratione.

SECTIO VII.

Infertur, an Chriſtus ſit offerens, & tota res oblata in hoc Sacrificio.

INfertur primo ex proximè dictis deciſio illius quæſtionis,quæ hic ſolet controuerti, an, & quomodo Chriſtus ſit principalis offerens in hoc Sacrificio. Certum eſt,Chriſtum eſſe offerentem,vt definitur in Trid.*ſeſſ.22.c.2.*& ex aliis Conciliis, & Patribus probat latè P.Suar. *diſput.77. ſect.1.* & P.Vaſq. *diſp.225.c.1.*& Scortia *lib.2.de Sacrificio c.3.* Dubium eſt,quomodo ipſi competat nunc offerre.P.Vaſq.*c.3.* cum quibuſdam alijs dicit, id eſſe ratione inſtitutionis, quatenus Chriſtus inſtituit hoc Sacrificium, vt eius nomine offerretur, & applicuit ei ſua merita,vt haberet efficaciam; quare Chriſtus ſolum remotè;Sacerdotes vero proximè,& actu offerũt: nam ſi Chriſtus actu offerret, ſicut alij Sacerdotes,Chriſtus actu oraret, actu mereretur; quorum neutrum in præſenti ſtatu poteſt ei competere. Ad quod confirmandum affert teſtimonium Simeon. Theſſalonic. dicentis, plenum eſſe blaſphemia dicere Chriſtum per preces, quæ in Miſſa dicuntur, ſemper mediatorem agere. Sed certè, vt iam iterum monui,P.Vaſq. non videtur agnouiſſe, qualis fuerit Simeon ille, ſcilicet modernus quidam Schiſmaticus, quem vt Eccleſiæ hoſtem acriter inſectantur, qui controuerſias contra Orientalium errores ediderunt. 90.

Conc. Trid. *Suarez.* *Vaſquez.* *Quomodo Chriſto competat nũc eſſe offerentem.*

P. Suarez è contra cum communi docet, Chriſtum actu offerre,non ſolum quia inſtituit, vel quia applicuit efficaciam meritorum ſuorum ad hoc Sacrificium, vel quia voluerit in ſui memoriam celebrari;hoc enim ſolum denotat cauſam exemplarem: ſed quia actu offerat cum ipſo Sacerdote, vt cum miniſtro ſuo, ſicut Rex, qui per Legatum oſculatur pedes Pontificis, dicitur actu præſtare reuerentiam Pontifici; quia quod facit per alium operantem ex delegatione ſua,verè dicitur ipſe facere. Alioquin ſi oblatio actualis eſſet actio ſolius Sacerdotis, ſæpè eſſet mala, & inſufficiens ad placandum Deum, vel vt placeret ipſi. Addit etiam,Chriſtum actu concurrere phyſicè cum Sacerdote ad effectum conſecrationis, licet verè fateatur, hoc non requiri ad hoc, vt actu Chriſtus offerat cum Sacerdote. 91.

P. Suarez dicit Chriſtum actu offerre.

In hac controuerſia vix poteſt eſſe quæſtio de re; nam vtraque pars concedit,non requiri,quod Chriſtus concurrat phyſicè ad actionem oblationis;item non requiri,quod actu habeat Chriſtus aliquam voluntatem actualem phyſicè exiſtentem, quia nunc offerat; nam licet Chriſtus non attenderet, nec ſciret, imo licet per poſſibile, vel impoſſibile dormiret,quando offertur hoc Sacrificium, adhuc diceretur offerri à Chriſto,ſicut dicitur Rex præſtare obedientiam Pontifici,quando eam præſtat Legatus, licet tunc Rex dormiat, vel non cogitet de hoc. Item vtraque pars admittit, non ſufficere ad hoc meram inſtitutionem, ſed talem, qua voluerit offerri ſuo nomine: & multo minus ſufficere applicationem meritorum ſuorum,potuit enim hæc applicatio fieri ad Sacrificium, quod nullo modo offerretur nomine Chriſti. Verè ergo nunc offert Chriſtus,quia Sacerdos ex Chriſti inſtitutione offert nomine Chriſti: quod ſufficit,vt hæc actio, moraliter loquendo, di- 92.

Vix in hoc poteſt eſſe quæſtio de re.

catur actio Chriſti, ſicut reuerentia, quam Legatus Regius exhibet Pontifici, eſt moraliter reuerentia Regis erga Pontificem. Sic etiam Chriſtus per Sacerdotem, quem ſibi vt Legatum, & miniſtrum ſubſtituit, exercet hunc actum reuerentiæ, & cultus erga Deum, qui conſiſtit in oblatione ſacrificij; & ideo hæc oblatio cenſetur moraliter actio Chriſti colentis Deum per ſuum miniſtrum.

95. An vero hæc actio, licet ſit mala provt à miniſtro, poſſit provt à Chriſto eſſe bona, eſt quæſtio de nomine. Qui enim dicit, eſſe bonam, non dicit, habere bonitatem formalem, ſed ſolùm denominatiuam, ortam ex voluntate bona Chriſti, non quidem quam tunc habet, ſed quam habuit in inſtitutione huius Sacramenti; nam ratione illius voluntatis moraliter perſeuerantis, cenſetur moraliter actio Chriſti, quam iſte miniſter ex eius delegatione modo operatur: ſicut etiam cenſetur petere nomine Eccleſiæ, quia ab Eccleſia ad hoc munus deputatur; & ideo oratio Sacerdotis eſt oratio Eccleſiæ denominatiuè ab illa voluntate, quia Eccleſia hunc miniſtrum deputauit ad orandum publicè nomine ſuo.

94. *Quæritur an hæc actio ſit à Chriſto vt Sacerdote. Vaſquez.* Reſtat ſolum controuerſia aliqua de re, an hæc actio, & oblatio eo modo, quo eſt à Chriſto ſit à Chriſto vt Sacerdote: ſi enim non eſt ab ipſo vt Sacerdote, non poteſt denominare eum ſacrificantem. Et quidem P. Vaſq. c. 4. inſinuat, Sacerdotium fuiſſe in Chriſto neceſſarium, quando inſtituit hoc Sacramentum, & ordinauit Apoſtolos, vt nomine ſuo offerrent; tunc autem licet Chriſtus verè maneat Sacerdos, non tamen vti iam munere Sacerdotali, ſed tunc vſum fuiſſe, & hoc ſufficere, vt dicatur offerre.

95. *Refutatur Vaſquez.* Ego in primis non video, quomodo in ſententia P. Vaſquez ratione ſolius inſtitutionis poſſit dici Chriſtus, vt Sacerdos, nunc offerre: quia Sacerdos vt Sacerdos non habet inſtituere ſacrificia, ſed offerre illa; inſtitutio autem pertinet ad Legiſlatorem; & licet in Chriſto fuerit de facto vtraque poteſtas; ſed tamen vt legiſlator, & princeps potuit inſtituere Sacrificium: vt Sacerdos vero offerre illud; ergo ratione ſolius inſtitutionis non dicitur Chriſtus nunc exercere officium Sacerdotis, ſed aliquid aliud addendum eſt, nimirum delegaſſe ſibi miniſtros, per quorum manus ipſe ſuum Sacerdotium exequeretur. Deinde verius videtur, ad hoc quod Chriſtus nunc offerat vt Sacerdos, non ſe habere per accidens, ſed per ſe, quod nunc etiam ſit ipſe Sacerdos; vtrumque enim requiritur, ſcilicet, quod fuerit Sacerdos, quo tempore delegauit ſibi miniſtros: & quod nunc etiam ſit Sacerdos: nam hæc oblatio, vt tribuatur Chriſto, pendet à voluntate, quam tunc habuit, & ab eadem voluntate provt nunc moraliter perſeuerante. Si enim nunc illam retractaret, quantumvis voluiſſet prius nos eius nomine offerre, non tamen offerret ipſe nunc, moraliter loquendo; ergo nunc debet eſſe in ſtatu, in quo poſſit habere voluntatem offerendi: ad hoc autem requiritur, quod nunc ſit Sacerdos, & ideo dicitur Sacerdos in æternum, id eſt, in ſæculum: quia ſemper exercet actu munus Sacerdotij, quod nunc habet, non quidem immediatè per ſe, ſed per ſuos miniſtros.

96. *Oſtenditur quomodo hæc oblatio provt eſt à Chriſto, ſit bona.* Hinc intelliges, quomodo, hæc oblatio provt à Chriſto ſit bona: eſt enim bona bonitate deriuata ab illa voluntate, qua præcepit aliis, vt ſuo nomine offerrent, à qua etiam voluntate habet eſſe actum religionis, & cultus Diuini: non tamen dicitur nunc Chriſtus mereri, aut ſatisfacere per oblationem, quia iam non eſt in ſtatu merendi, nec ſatisfaciendi. An vero dicatur nunc impetrare, vel orare in hoc ſacrificio, pendet ex alio dubio, quod ſolet tractari ſupra, q. 21. an Chriſtus nunc poſſit orare: de quo diximus *diſp. 27. de Incarnat. ſect. 4.* Certum videtur, poſſe intimare Deo ſuam voluntatem de aliquo obiecto creato habendo: quæ intimatio poteſt etiam fieri per miniſtrum, ſicut per ſeipſum: & ſiue dicatur oratio, ſiue non, ratione poteſtatis, quam Chriſtus iam habet in cœlo, & in terra, habet tamen illa manifeſtatio efficaciam ad obtinendum quodcunque obiectum: & ideo illa actio etiam provt à Chriſto poteſt dici impetratoria: provt ab aliis vero miniſtris, eſt meritoria, & ſatisfactoria, & impetratoria. Cæterùm, cum dicimus, provt à Chriſto non eſſe ſatisfactoriam, non intelligas, non habere ex meritis Chriſti virtutem, & efficaciam ad ſatisfaciendum pro peccatis; habet enim vtique, licet non infinitam, ſed in determinata menſura: hoc tamen non eſt, quia Chriſtus nunc offerendo ſatisfaciat, ſed quia ſatisfactionem, quam in cruce exhibuit, applicat per hoc medium ſecundùm partem, quam alligauit huic oblationi pro ſua libera voluntate, vt poſtea videbimus. Per quod patet ad fundamentum P. Vaſquez.

Secundo colligi poteſt deciſio alterius quæſtionis: an in Miſſa offeratur ſolum corpus, & ſanguis Chriſti: an etiam ſpecies Sacramentales, vt pars rei ſacrificatæ. Communis ſententia affirmat, quam ſequitur Suarez *diſp. 75. ſect. 1. concl. 4.* Alij dicunt, victimam eſſe ſolum Chriſtum cum ordine, ad ſpecies: ipſas tamen ſpecies non pertinere intrinſecè vt partem rei oblatæ. Ita P. Ægid. *in præſenti art. 1. dub. 4.* & Leſſius etiam *loco ſupra citato* dicit, non ſacrificari ſpecies. Ratio autem eſt, quia ſpecies non deſtruuntur: non ergo pertinent ad rem oblatam, hoc enim Sacrificium eſt holocauſtum perfectum, in quo omnes partes debent deſtrui, vel ſaltem produci. Hoc argumentum probaret, nullum vnquam fuiſſe verum holocauſtum, quia oues non ita deſtruebantur, vt materia etiam prima deſtrueretur per combuſtionem: nec homo poteſt ita deſtrui, vt deſtruatur anima, & tamen Abrahamo præcipit Deus, vt offerret illi filium ſuum in holocauſtum: multo ergo minus neceſſe erit perire omnia accidentia in holocauſto. 97. *An etiam in Miſſa offeratur ſpecies Sacramentales. Suarez. Ægidius. Leſſius.*

In noſtris principiis ſi conſideremus hoc ſacrificium provt per ipſum ſacrificatur Chriſtus in conſecratione: dicendum eſt, ſpecies ſe habere vt aliquid tenens ſe ex parte termini *ad quem*: ſi vero provt ſacrificatur, vel conſummatur per ſumptionem: tunc ſpecies ſe habere vt partem rei ſacrificatæ. Itaque ſpecies ſe habet, ſicut olim ſe habebat forma cadaueris: nam per iugulationem immolabatur ouis: & quidem forma cadaueris habebat ſe vt requiſitum ex parte termini, ad quem tranſibat ouis per iugulationem: deinde vero ipſum cadauer comburebatur: & tunc forma cadaueris erat pars illius hoſtiæ, quæ per ignem offerebatur. Ita in conſecratione corpus Chriſti immolatur, cum ponitur ſub ſpeciebus, & in forma cibi: hoc enim eſt quaſi ipſum occidi, & mactari: deinde ille panis cœleſtis, qui reſultat ex ſpeciebus, & corpore Chriſti conſumitur, & conſummatur ſacrificium: & ideo Auguſt. in c. *Hoc eſt*, de conſecrat. d. 2. dixit, noſtrum ſacrificium conſtare ex ſpeciebus; & corpore, & ſanguine Chriſti, quo etiam modo loquuntur alij Patres. 98. *Quid dicendum ſit in noſtris principiis. Auguſt.*

Dixi autem, ſpecies in conſecratione ſe habere ex parte termini *ad quem* rei ſacrificatæ, ſi conſideretur hoc ſacrificium provt per ipſum Chriſtus ſacrificatur: poteſt enim aliter conſiderari, quatenus per ipſum aliquo etiam modo ſacrificatur panis, & vinum, vt voluit Bellarminus *in præſenti cap. 27. propoſit. 1.* & Suar. *diſp. 75. ſect. 1. concluſ. vlt.* & alij, 99. *Species in conſecratione ſe habent ex parte termini.*

quia

quia panis, & vinum verè deſtruuntur in honorem Dei: & ideo ſecundariò, & minus principaliter ſacrificantur; quia non ita principaliter intenditur Dei cultus per eorum deſtructionem: hoc ergo ſuppoſito, ſpecies etiam per conſecrationem ſe habent vt pars intrinſeca rei, quæ deſinit; deſinit enim compoſitum ex pane, & ſpeciebus: atque ideo pertinet ad materiam Sacrificij eo ſenſu, quo accidentia ouis pertinent ad materiam rei, quæ ſacrificatur.

SECTIO VIII.

Vtrum ex diſpenſatione Papæ poſſit conſecrari vnica ſpecies; & vtrum conſecratio vtriuſque ſit de eſſentia huius Sacrificij.

100. *Infertur ex dictis reſolutio alterius dubij.* Volater. Innoc VIII. Panuin. Sainctes.

EX dictis infertur reſolutio huius dubij: in quo plures affirmant, fieri poſſe, imo addunt de facto diſpenſatum fuiſſe: nam Raphaël Volaterran. *lib. 7. Geographia, c. 4.* refert, Innoc. VIII. cum Noruegis diſpenſaſſe, vt in vna tantum ſpecie panis conſecrarent. Quod idem refert Onuphrius Panuinus *in Chronic. an.* 1490. & Claudius Sainctes ex eodem Volaterr. refert *repetit. 10. de Euchar. c. 5.* Innoc. IV. diſpenſaſſe. Auctores vero huius ſententiæ latè congerit Vaſq. *diſp. 215. c. 1.* Fatentur autem ij, abſque grauiſſima cauſa non poſſe id fieri ſine grauiſſimo peccato. Difficultas ſolū eſt, quando occurreret caſus in quo aliqua prouincia tota careret vino, nec in eam poſſet aſportari, vel etiamſi aſportaretur, ſtatim aceſceret; in quo caſu dicunt, quod poſſet Papa diſpenſare, vt celebraretur in vnica ſpecie panis.

101. *Fundamentū præcipuum eſt.*

Fundamentum præcipuum eſt, quia licet Papa non poſſit diſpenſare in iure Diuino naturali, neque etiam in iure Diuino arbitrario, & poſitiuo pertinente ad eſſentiam Sacramentorū, quia eorum eſſentiam mutare non poteſt, ſicut nec poteſt diſpenſare, vt aliquod Sacramentum penitùs relinquatur; quia hoc eſſet in Eccleſiæ deſtructionem: neque etiam in aliis, in quibus nulla poteſt occurrere cauſa adeo vrgens, quæ præponderet obſeruationi præcepti, v.g. in ſigillo Confeſſionis, cuius diſpenſatio labefactaret Sacramentum Pœnitentiæ; aliquando tamen poteſt diſpenſare etiam in iure Diuino, quando diſpenſatio eſt in ædificationem Eccleſiæ, prout de facto diſpenſat in votis, & iuramentis, in matrimonio rato, in reſidentia Epiſcoporum, *&c.* in noſtro autem caſu diſpenſatio eſſet ſalua eſſentia, & ſubſtantia Sacramenti, & non ad abrogandum, ſed ad conſeruandum eius vſum, & in ædificationem Eccleſiæ; imo ad vitandam ruinam ſpiritualem vnius Regni, quod dum Euchariſtia careret, careret vtique ſole, careret ſolatio, nutrimento, viatico, Sacrificio; ceſſaret Clerus, ceſſaret magna ex parte Confeſſionis frequentia, communione ceſſante; tolleretur frænum, quo à peccatis homines cohibentur, ceſſarent fidelium Conuentus, & Eccleſiarum cultus: credibile ergo eſt, Pontificem à Chriſto poteſtatem accepiſſe ad impediendа tot mala in Chriſtiana Republica. Confirmatur; quia Eccleſia, pro diuerſitate, & ratione temporum; poteſt in Sacramentorum diſpenſatione mutare ea, quæ expediunt, ſalua Sacramentorum ſubſtantiâ, materia, & forma: in hoc autem caſu ſalua manet Euchariſtiæ ſubſtantia, & aliunde expediret illa mutatio, ergo. Maior habetur in Concilio Conſtant. *ſeſſ. 13.* & in Trid. *ſeſſ. 21. c. 2.*

102. *Alij ad contrarium extremum declinarunt.*

Alij ad contrarium extremum declinantes, dixerunt, non ſolum non poſſe diſpenſari, ſed tunc conſecrationem ipſam vnius ſpeciei fore inualidam. Quam ſententiam refert Innoc. IV. *de Officio Miſſæ, cap. 13.* & omnes reiiciunt, quia abſque vllo fundamento, contra veritatem verborum id aſſerit: cum enim conſecratio cuiuſlibet ſpeciei ſit abſoluta, ſtatim habet ſuum effectum, ante conſecrationem alterius ſpeciei: alioquin quando per errorem appoſita fuit aqua in calice loco vini, non fuiſſet conſecrata hoſtia: quod dici non poteſt.

103. *Hæc ſententia in debito modo explicata non eſt abſurda.*

Cæterum ſententia hæc, ſi debito modo explicetur, prout ab eius Auctoribus fortaſſe intelligebatur, non eſt abſurda, ſed vera. Suppono enim id, quod communiter noſtri Theologi ſupponunt, & docent, Chriſtum ſcilicet ita inſtituiſſe hoc Sacramentum, vt ſimul inſtituerit illud in ratione Sacrificij, nec voluerit fieri Sacramentum ſine Sacrificio, nec Sacrificium ſine Sacramento; nec Sacerdotibus dederit duas poteſtates diſparatas, ſed vnicam ad ſacrificandum, & conſecrandum; ita vt neque extra Sacrificium conſecrare poſſent, neque abſque conſecratione poſſent Sacrificium offerre, vt probat cum aliis Suarez *diſp. 43. ſect. 3. §. Dico primò.* Hinc autem fit, vt ſi Sacerdos vellet conſecrare, non tamen offerre Sacrificium, ita vt voluntas non offerendi Sacrificium prævaleret, & eſſet magis efficax, tunc nihil prorſus efficeret: ſicut dici ſolet iuxta communem ſententiam multorum de homine baptizato, qui vellet matrimonium contrahere, non tamen recipere Sacramentum; aut de eo, qui vellet emittere profeſſionem Religioſam, non tamen obligare ſe in perpetuum, & aliis caſibus ſimilibus, in quibus dantur intentiones contrariæ, & ideo actio fit irrita, niſi ſecunda intentio ſit minus efficax, vt explicuimus ſupra *in tr. de Sacram. in com. diſp.* ... *ſect.* 8. Si ergo Chriſtus voluit, hæc duo eſſe connexa, nec poſſe ſeparari conſecrationem Sacramenti ab oblatione Sacrificij; conſequens eſt, vt qui vellet conſecrare Euchariſtiam, nullo tamen modo offerre Sacrificium, nihil faceret, quia vellet aliquid, ad quod non accepit poteſtatem à Chriſto. Vnde ſi conſecratio vtriuſque ſpeciei ſit de eſſentia huius Sacrificij, vt mox dicemus, & admittunt recentiores Theologi communiter, conſequens eſt, vt qui vult conſecrare hoſtiam ſolam, & non offerre Sacrificium, ſed excludendo oblationem Sacrificij, nihil faceret; quia non habet poteſtatem ad conſecrandum, niſi per modum Sacrificij. De facto tamen omnes Sacerdotes conſecrantes ſiue per errorem, ſiue ex induſtria, vnam ſpeciem ſine alia, validè conſecrant; quia non excludunt omnino efficaciter intentionem ſacrificandi, ſed volūt conſecrare meliori modo, quo poſſunt; atque ideo volunt ſaltem implicitè per conſecrationem hoſtiæ, v.g. inchoare Sacrificiū taliter, vt quantum eſt ex ſe, poſſit compleri per conſecrationem calicis, ſi apponatur: vnde iam habent tunc aliquam intentionem offerendi partialiter in conſecratione hoſtiæ. 104. Cæterum ſi Sacerdos aduertens, non poſſe offerri Sacrificium abſque conſecratione vtriuſque ſpeciei, & præuidens, non poſſe conſecrari vtramque, vellet conſecrare vnam, excludens omnino intentionem offerendi etiam partialiter: vel inchoandi Sacrificium per illam conſecrationem, per voluntatem omnino efficacem modo explicato; tunc dicimus, quod non conſecraret, quia voluntas conſecrandi debet eſſe ad minus voluntas implicita offerendi partialiter, ſeu inchoandi oblationem Sacrificij: & in hoc ſenſu prædicta ſententia vera eſſet.

105. *Dicimus tamē cum communiori ſententia licitè fieri non poſſe etiā cum diſpenſatione.*

Sed quidquid ſit de hoc, & reſpondendo ad dubiū propoſitum, dicimus cum communiori ſententia, ita eſſe neceſſariam vtriuſque ſpeciei conſecrationem ad valorē huius Sacrificij, vt neque ex diſpenſatione Pōtificis poſſit licitè vna ſpecies abſque altera conſecrari. Hanc tenent communiter recentiores Theologi: Suar. *d. diſp. 43. ſect. 4.* Vaſq. *in præſenti diſp. 215.*

c.1.& alij fere omnes. Et quidem in primis non videntur ſatis conſequenter ſentire, qui dicunt, id aliquando poſſe fieri, diſpenſante Pontifice, nunquam tamen abſque eius diſpenſatione. Nam ſi reuera neceſſitas Eccleſiæ facit, quod præceptum Diuinum abrogari poſſit pro eo caſu, non apparet, cur eadem, vel maior neceſſitas non poſſet reddere licitam conſecrationem vnius ſpeciei abſque diſpenſatione Pontificis, maximè vbi non aſſet recurſus ad illum. Sic enim videmus, alia præcepta Diuina, vrgente neceſſitate, etiam abſque diſpenſatione, non obligare, vt conſtat in præcepto Diuino de integritate Confeſſionis, & de non communicando abſque præuia confeſſione: imo idem apparet in præcepto hoc de conſecratione vtriuſque ſpeciei: nam ſi Sacerdos poſt conſecratam hoſtiam non poſſet habere vinum abſque maximo detrimento, & periculo, poſſet omittere abſque diſpenſatione conſecrationem calicis. Cur ergo non poſſet ob maximum detrimentum vitandum conſecrari vna ſola ſpecies in aliquo caſu abſque diſpenſatione?

106. *Ratio cur diſpenſari non poſſit.* Abſolutè ergo diſpenſari non poſſe, probatur, quia Chriſtus præcipit hoc ſacrificium offerri tali ritu, ſcilicet conſecratione vtriuſque ſpeciei, per quam repræſentaretur eius paſſio, & mors; oblatio ergo facta alio ritu, aſſet contra Chriſti inſtitutionem Antecedens probatur ex Trid. *ſeſſ.22. c.1.* vbi dicitur, quod Chriſtus, *vt Eccleſia relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur, &c. corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcipit per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem. Et paulo poſt: *Se ipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem redemit, inſtituit, &c.* Fuit ergo inſtitutum hoc Sacrificium à Chriſto ſub vtraque ſpecie ad repræſentandam ſuam paſſionem, & mortem: cum enim non morbo, aut ſuffocatione mortuus fuerit, ſed effuſione ſanguinis ſui, debuit hoc genus mortis, & hæc effuſio ſanguinis exprimi per Sacrificium, in quo corpus, & ſanguis ſeorſim conſtituerentur; quod non fit, niſi per vtriuſque ſpeciei conſecrationem, per quas conſtituitur in altari, ſanguis ex vi verborum in calice, & corpus ex vi verborum ſub ſpeciebus panis, quæ eſt quaſi pictura exprimens, quomodo in cruce ſeparatus fuerit ſanguis à corpore, & per illam effuſionem Chriſtus mortuus fuerit.

107. *Inſtabis.* Dices: hoc ipſum poteſt exprimi per conſecrationem vnius ſpeciei: nam eo ipſo, quod ponatur corpus ex vi verborum abſque ſanguine, vel è contra, iam ſignificatur ſanguis effuſus, & ſeparatus fuiſſe à corpore. *Reſpondet Vaſquez.* Reſpondet P. Vaſq. *n.46.* conſecrationem corporis, licet ſolum ſignificet corpus ex vi verborum, non tamen ſignificare poſitiuè ſeparationem ſanguinis à corpore: aliud enim eſt, non ſignificare ſanguinem, aliud ſignificare ſanguinem ſeparatum à corpore, quod non habetur niſi per conſecrationem vtriuſque ſpeciei. Vnde nec per conſecrationem corporis ſolius ſignificaretur, vel conſtitueretur vi verborum corpus exſangue; quia cum reuera ponatur ibi ſanguis, falſa eſſet ſignificatio: ſicut poſita anima, non poteſt ex vi verborum ſignificari, & conſtitui corpus mortuum.

108. *Refutatur.* Sed contra hoc eſt, quia ſi poni ſanguinem per concomitantiam, facit, quod conſecratio hoſtiæ non ſignificet ſufficienter ſeparationem corporis à ſanguine, nec corpus ſignificetur exſangue: ergo etiamſi conſecretur vtraque ſpecies, non poterit illa ſeparatio ſignificari, cum reuera ſub vtraque ſpecie ſit corpus cum ſanguine, nam ſicut *corpus exſangue* inuoluit carentiam realem ſanguinis, ita ſeparatio à ſanguine exigit, quod realiter non ſit ſanguis cum corpore. Sicut ergo conſecratio vtriuſque ſpeciei ſignificat ſeparationem corporis, & ſanguinis, quia ex vi verborum non eſt ſanguis cum corpore, neque è contra, ſi conſecratio ſolius hoſtiæ poterit eandem ſeparationem ſignificare, quatenus ex vi verborum eſt corpus, & ex vi verborum non eſt ibi ſanguis.

109. *Confirmatur, & explicatur.* Confirmatur, & explicatur, quia ad repræſentandam ſeparationem corporis à capite, non exigeretur omnino depingere corpus hic, & alibi caput: ſufficeret enim depingere corpus non depicto capite: ergo ſimiliter, ſi ſeparatio realis præterita corporis à ſanguine repræſentatur ponendo, ſeu exprimendo in hoſtia corpus ex vi verborum, & in calice ſanguinem, ſufficiet etiam exprimere in hoſtia corpus ex vi verborum, non ſignificato ibi ſanguine: iam enim per hanc carentiam ſanguinis ſignificati repræſentatur carentia realis, quia in paſſione manſit abſque ſanguine.

110. *Reſpondetur ergo facilius.* Facilius ergo ad obiectionem reſpondetur concedendo, in conſecratione vnius ſpeciei potuiſſe etiam eſſe aliquam proportionem ad repræſentandam Chriſti paſſionem, etiamſi per concomitantiam ibi eſſet totus Chriſtus: illa tamen fuiſſet repræſentatio minus clara: quia, poſito ſolo corpore in hoſtia ex vi verborum, non exprimeretur clarè mors illius corporis per effuſionem ſanguinis; potuiſſet enim mori per defectum intrinſecum ſanguinis abſque eo, quod effunderetur. Similiter ſi ſolus ſanguis poneretur in calice ex vi verborum, non exprimeretur clarè, quod corpus manſerit abſque ſanguine: nam de facto poſito in hoſtia ex vi verborum corpore in cœna, non poſito ex vi verborum eius temperamento, vel ſaliua aut cibo, quem habebat in ſtomacho, non tamen ideo ſignificabatur, in cruce ſeparandum corpus ab omni temperamento, ſaliua, aut cibo, vel quod temperamentum aut ſaliua deberent manere abſque corpore per ſeparationem ab ipſo; ergo ſimiliter per hoc præcisè, quod ſanguis ſolus poneretur ex vi verborum in calice non exprimeretur clarè ſeparatio, qua corpus debebat manere abſque ſanguine. Meritò itaque Chriſtus voluit per conſecrationem vtriuſque ſpeciei repræſentari clarius illam realem ſeparationem: nam eo ipſo, quod in vno loco appareat corpus, non apparente ibi ſanguine, (ſcilicet ex vi verborum) & in alio loco appareat ſanguis, non apparente ibi ſimiliter corpore, apparet in imagine depicta ſeparatio realis corporis, & ſanguinis; quæ facta eſt in cruce.

111. *Nec videtur contemnenda ratio Patris Suarez.* Vnde non videtur contemnenda ratio, qua P. Suarez in præſenti diſp.75. ſect.6. §. *Secundo probari poteſt*, hoc ipſum confirmat exemplo Baptiſmi, in quo non ſufficit dicere: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*: quia illa verba ſignificant minus expreſsè, & clarè Diuinas Perſonas: Chriſtus autem voluit, vt clarius exprimerentur: ſic ergo non poſſumus in hoc ſacrificio adhibere illud ſolum ſignum, quo minus diſtinctè repræſentatur Chriſti mors; quam ipſe voluit magis expreſsè repræſentari. Quam rationem reiicit P. Vaſq. *loco citato, n.48.* quia, ſi potuit mors Chriſti per conſecrationem vnius ſpeciei repræſentari, non eſt vt dicamus Chriſtum de facto voluiſſe repræſentationem illam magis expreſſam: ſicut id habemus in Baptiſmo, in quo habemus expreſſam Chriſti voluntatem, cum *Matth. vltim.*

vltim. præcepit Apoſtolis, vt baptizarent *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Propter hoc tamen ratio illa non videtur reiicienda: nam ſi ex eo, quod Chriſtus præceperit baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, colligimus, non ſufficere alia verba, licet poſſent minus explicitè idem myſterium ſignificare, ſed voluiſſe Chriſtum verba illa, quibus clarius ſignificaretur: ergo cum Chriſtus etiam præceperit Apoſtolis offerre ſacrificium eodem ritu, quo ipſe offerebat, & facere illud, quod ipſe faciebat, cum dixit: *Hoc facite*, &c. colligere debemus, quod licet conſecratio vnius ſpeciei poſſet minus clare Chriſti mortem repræſentare; de facto tamen non ſufficiat, quia Chriſtus illam magis claram, & expreſſam repræſentationem præcepit: neque enim aliter præcepit expreſſionem claram Trinitatis in Baptiſmo, quam conſecrationem vtriuſque ſpeciei: imo clarius præcepiſſe videtur conſecrationem vtriuſque ſpeciei, quam verba illa formæ Baptiſmi, in quo non dixit: *Proferte hac verba: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti*; ſed ſolum dixit: Baptizate in nomine Patris, &c. At vero in noſtro caſu non dixit ſolum: *Repræſentate meam mortem*, ſed dixit clarè: *Facite in mei memoriam hoc ipſum, quod ego facio*, ſcilicet conſecrationem vtriuſque ſpeciei ad repræſentandam eius mortem.

112. *Tota ratio concluſionis deſumi debet ex Chriſti voluntate.* Ratio ergo à priori concluſionis, & ſolutio argumentorum contrariæ ſententiæ tota deſumi debet ex Chriſti voluntate, qui talem ritum ſacrificandi inſtituit, quo clarè repræſentaretur eius mors. Vnde arguere poſſumus retorquendo argumentum quod pro ſe vrgebant, quia Eccleſia circa adminiſtrationem & vſum Sacramentorum ſtatuere, & variare poteſt, ſalua eorum ſubſtantia: ſi autem diſpẽſaret in oblatione Sacrificij ſub vnica ſpecie, non maneret ſalua ſubſtantia ſacrificij à Chriſto inſtituti: ergo in hoc non poteſt diſpenſare. Minor, quæ ſola ab aduerſarijs negatur, probari poteſt ex dictis; quia ad ſubſtantiam ſacrificij maximè ſpectat ſignificatio: ergo ſi Eccleſia diſpẽſaret, vt offerretur hoc ſacrificiũ in vnica ſpecie, mutaret ſubſtantiã ſacrificij; à Chriſto enim non fuit inſtituta vna ſpecies, ſed vtraque ad ſignificandam expreſſius ſuam paſſionem. Cum ergo Eccleſia non poſſit inſtituere ſignum aliquod à Chriſto non inſtitutum, conſequens eſt, vt ſalua ſubſtantia ſacrificij, non poſſit facere, quod offeratur in vnica ſpecie.

113. *Hæc ratio primò eneruari debet.* Dupliciter poteſt eneruari hæc ratio, primò dicendo, à Chriſto fuiſſe inſtitutam vtramque ſpeciem ad ſignificandum completè, ſingulas tamen ſpecies fuiſſe etiam inſtitutas cum ſua ſignificatione ſaltem partiali. Sicut in ratione Sacramenti vtraq; ſpecies fuit inſtituta ad ſignificandum conuiuiũ integrum, & refectionem completam; ſingulæ tamen ſpecies inſtitutæ fuerunt ad ſignificandam refectionem partialem, & ideo Eccleſia poteſt dare vnam ſpeciem ſine altera.

114. *Reiicitur ſupra.* Sed contra hoc eſt; quia in primis quod ſingulæ ſpecies ſeorſim cauſent gratiam; habetur ex verbis eiuſdem Chriſti, qui, vt ſupra vidimus, manducanti ſolam ſpeciem panis promiſit gratiam, cum dixit: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quare meritò ex verbis Chriſti collegit Eccleſia ſẽſum inſtitutionis, vt non ſolũ vtrique ſpeciei, ſed ſingulis correſponderet ſua ſignificatio. At vero in ratione Sacrificij nullum eſt veſtigium talis voluntatis in Chriſto, ſed contraria colligitur ex modo inſtituendi: qui enim præſcribit modum ſacrificandi, & dicit: hoc ritu debetis ſacrificium offerre ad repræſentandam meam paſſionem, & ad hoc inſtituit ſeparationẽ myſticam corporis, & ſanguinis ſui per conſecrationẽ vtriuſque ſpeciei, ſatis apertè indicat, ſe totam illã actionem per modum totius aſſumere ad repræſentandam ſuam paſſionem, & offerendam ſacrificiũ.

Vnde apparet differentia alia inter inſtitutionem Sacramenti, & ſacrificij, quod Sacramentum hoc inſtitutum eſt ad modum cibi, & potus ad nutriendam animam ſumentis: cibus autem licet non ſit integrũ, & completum nutrimentum abſque potu, nutrit tamen: ſimiliter ergo corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, qui eſt cibus Sacramentalis, debet ſignificare nutritionem aliquam, licet non integri conuiuij. Vt ſacrificium autem repræſentatiuum Sacrificij cruenti non habet hoc, quia corpus ſub ſpeciebus panis non repræſentat, vt vidimus, expreſſe ſeparationem corporis, & ſanguinis Chriſti; ergo ex ipſa inſtitutione, licet potuerit colligi partialis ſignificatio ſingularum ſpecierum in ratione Sacramenti, non tamen in ratione Sacrificij. 115. *Hinc apparet alia differentia inter inſtitutionem Sacrificij & Sacramenti.*

Secundo reſponderi poſſet, non poſſe quidem Eccleſiam facere, vt hoc Sacrificium offeratur in conſecratione vnius ſpeciei, quia non poteſt dare vnicæ ſpeciei ſignificationem, quã Chriſtus non dedit, poſſe tamen in illo caſu propter grauiſſimam neceſſitatem diſpenſare, vt conſecretur vnica ſpecies abſque eo, quod offeratur Sacrificium: cũ enim coniunctio Sacrificij cum conſecratione Sacramẽti ſit ex præcepto Chriſti; credibile eſt eum reliquiſſe Eccleſiæ poteſtatẽ ad diſpenſandũ in hoc præcepto, quando illa grauiſſima inconuenientia ſupra poſita id exigerent. 116. *Secundo reſponderi poſſet.*

Hoc etiam effugium non ſubſiſtit: quia, vt ſupra vidimus, adeo eſt connexa conſecratio Sacramenti cum oblatione Sacrificij, vt ſi Sacerdos vellet conſecrare excludendo omnino intentionem ſacrificãdi, nihil efficeret, cũ ſolũ acceperit poteſtatem conſecrandi eo modo, quo Chriſtus conſecrauit, ſcilicet offerendo ſacrificiũ. Si ergo Eccleſia vellet, quod aliquis conſecraret abſque omni intentione Sacrificij, mutaret ſubſtantiam Sacramenti à Chriſto inſtitutã, ſcilicet conſecrationem, quæ ſit oblatio Sacrificij. *Hoc effugium non ſubſiſtit.*

Dices: ille, qui ex ignorantia, vel malitia vellet conſecrare in vna ſpecie, adhuc conſecraret validè, vt ſupra conceſſimus, quia haberet aliqualem intẽtionem Sacrificij, ſcilicet inchoandi actionẽ Sacrificandi taliter, vt quantum eſt ex ſe, poſſit compleri per conſecrationem alterius ſpeciei, & facere Sacrificium perfectum: quæ intentio poteſt ſtare cum animo non conſecrandi alteram ſpeciẽ. Poſſet ergo Eccleſia diſpenſare, non vt conſecraretur hoſtia, v.g. abſque omni intentione Sacrificij, ſed vt conſecraretur cum ſola illa intentione, quam explicuimus, & cum intentione abſoluta non conſecrandi calicem: quo poſito, non variaretur ſubſtantia conſecrationis, ſed ſolum diſpenſaretur in præcepto Chriſti, quo præcepit, ne conſecretur hoc Sacramentum abſque intentione abſoluta perficiendi Sacrificium. 117. *Iupra ſ.*

Reſpondetur, nec hoc modo poſſe Eccleſiã diſpẽſare: quia hoc eſſet non ſolum diſpenſare in præcepto Chriſti, ſed etiam in præcepto naturali, in quo certũ eſt, non poſſe diſpenſari, cũ nec Deus ipſe poſſit, loquendo de propria diſpenſatione, quãvis poſſit in aliquibus per mutationem materiæ reddere licitum, quod antea erat prohibitum iure naturæ. Potiùs in eo caſu debuiſſe diſpenſari in præcepto naturali, probatur, quia hoc quod eſt inchoare ſacrificium Miſſæ in iis circumſtantiis, in quibus non poteſt fieri verũ Sacrificium, & abſque vlla ſpe veri Sacrificij conficiendi, non eſt malum, quia prohibitũ ſit præcepto poſitiuo à Chriſto, ſed quia de ſe, & iure naturæ ſuppoſita inſtitutione Sacrificij; eſt intrinſecè turpe, & malũ. Nã ſicut proferre verba cõſecrationis ſuper materiã ineptã, vt ſuper panem hordeaceũ, vel vinũ ex pomis, eſſet intrinſecè malum de 118. *Reſpondetur.*

iure naturæ,& non ſolum præcepto poſitiuo; atque ideo non poſſet dari Eccleſiæ poteſtas ad diſpenſandum in hoc, quia fit irreuerentia grauis Sacramento, vſurpando formam Sacramentalem, & proferendo illam nomine Chriſti irriſoriè, & omnino fruſtra; quæ irreuerentia iure naturæ eſt prohibita: ſic eſſet irreuerentia grauis, velle, & inchoare hoc Sacrificium in materia inepta, vt in aceto, vel oleo; quia eſſet aſſumere perſonam Chriſti, qui eſt principalis Sacerdos offerens per ſuos miniſtros, & eius nomine offerre, ſeu facere; quod Chriſtus per actionem noſtram incipiat offerre Deo Sacrificium in materia inepta, atque adeo irriſoriè: quæ eſſet grauiſſima irreuerentia contra Chriſtum, qui offert, & contra Deum, cui offertur. Similiter ergo eſſet irreuerentia grauiſſima inchoare nomine Chriſti, ſeu facere, quod ipſe per noſtram actionem incipiat offerre Sacrificium Deo, quando illud Sacrificium offerri non poteſt: quod enim illa impoſſibilitas proueniat ex ineptitudine materiæ, vel ex incomplemento, aut defectu materiæ completæ, parum refert, cum in vtroque caſu actio illa æquè inutiliter, & abſque ſpe Sacrificij offerendi fieret, atque adeo eſſet inchoatio Sacrificij irriſoria & vana; in quo etiã malitia intrinſeca conſiſtit, non ſolum contra præceptum Diuinum poſitiuum, ſed contra naturale, in quo proculdubio Eccleſia diſpenſare non poteſt.

119. *Hinc reſpondetur ad fundamentũ contrariæ ſententiæ.* Hinc ergo iam ad fundamentum contrariæ ſententiæ facilè reſpondetur. Dicimus enim, quidquid ſit, an Eccleſia poſſit aliquando diſpenſare in præcepto Diuino poſitiuo; nunquam tamen poſſe in præcepto de iure naturali Diuino, quale eſt, non exercendi nomine Chriſti actionem ſacrificandi vanam, & fruſtratoriam, prout fieret in hoc caſu, cum non poſſet Sacerdos validè conſecrare ſine aliqua intentione implicita ſacrificandi, vt diximus. Illa vero inconuenientia, & detrimenta, quæ ſequerentur, ſi non poſſet in illa neceſſitate diſpenſari, præuidit optimè Chriſtus, qui tamen hoc Sacrificium ita inſtituit. Et certè in tot ſæculis eiuſmodi neceſſitas adhuc non occurrit, & credibile eſt, nunquam futuram; quia in remotiſſimis Indiæ regionibus, in quibus vini penuria eſt, imo in aliquibus etiam tritici, vt in Inſulis Philippinis, vbi triticũ non generatur, experientia docet, aſportatione non ſolum ad Sacrificium, ſed etiam ad potum communem abundè ſuppleri. Vnde falſitatis apertè conuincitur, quod ex vno Volaterrano alij retulerunt, diſpenſatum cum Nortuegis, vt conſecrarent in vna ſola ſpecie panis, cum conſtet, apud illos vinum ad Sacrificium, & ad potum non deeſſe: & ipſa hiſtoria falſitatem ſuam prodit; dicit enim, conceſſum illis fuiſſe, *vt calicem ſine vino ſacrificarent*; quod abſque manifeſto errore concedi non potuit, vt conſtat. Quod autem Claudius Sainctes dicit, Innocent. IV. cum Noruegis diſpenſaſſe, conſtat fuiſſe errorem, dum pro Innoc. VIII. quem Volaterranus refert, dixit Innoc. IV. de quo nullus vnquam hiſtoricus talem diſpenſationem retulit.

120. *Ad confirmationem reſpondetur.* Ad confirmationem, Reſpondetur, Eccleſiam, ſi id faceret, diſpenſaturam non ſolum quoad vſum, ſed etiam in ſubſtantia Sacrificij, quia, vt probatum eſt, vel deberet facere, quod vna ſpecies ſignificaret id, ad quod ſignificandum non eſt à Chriſto inſtituta, vel quod Sacerdos conſecrare poſſet abſque vlla ſacrificandi intentione, quæ omnia variarent ſubſtantiam inſtitutionis Chriſti, vt explicuimus.

121. *Obiicitur vltimò.* Obiicies vltimò; ergo Eccleſia non poteſt feria ſexta in Paraſceue offerre Sacrificiũ ſub vnica ſpecie. Mag. Nugnus *in præſenti art. 1. in 1. p. tract. paulo ante dub. 3.* concedit, id non potuiſſe fieri ſine diſpenſatione in iure Diuino, quam Eccleſia peculiariter habuit à Chriſto ad illũ diem, vt celebraret contra legitimũ, & communem ritum huius Sacrificij. Hoc tamen ſine fundamento ſufficienti dicitur, & cũ aliqua iniuria Eccleſiæ Græcæ, & eius ſanctorum Patrum, & Conciliorum, quæ ſtatuerunt per totam ferè Quadrageſimam eodem ritu celebrari ex ſpeciebus panis præconſecratis ſine ſpeciebus vini; & quidem Concilia non curarunt de obtinenda prius aliqua diſpenſatione Diuina, vt liceret ſacrificare in vna ſpecie. Ad obiectionem ergo reſpondetur ex dictis, illo die non fieri Sacrificiũ nouum, ſed conſummari adhuc in parte ſpecierum aſſeruata Sacrificiũ præcedenti die factum, & conſummatum, quoad aliam hoſtiam: quia illa ſumptio ſequentis diei pertinet ad idem Sacrificium diei præcedentis, & extendit conſummationem illius, vt ſupra dictum eſt. *Reſpondetur.*

SECTIO IX.

De effectibus huius Sacrificij.

SVppono ex dictis, & dicendis, plures eſſe perſonas offerentes hoc Sacrificium, ſcilicet Chriſtum qui eſt principalis Sacerdos, miniſtrum item, ſeu Sacerdotem celebrantem; Eccleſiam, quæ eum deſignat, vt eius nomine offerat; circumſtantes, dantes ſtipem: & alios concurrentes; in ordine ad quos omnes poſſunt effectus Sacrificij conſiderari; atque ideo poſſumus inuenire in eodem Sacrificio meritum, impetrationem, & ſatisfactionem. Et quidem meritum non habet hoc Sacrificium, prout offertur à Chriſto; qui iam nunc non eſt in ſtatu merendi, licet per hoc Sacrificium, ſicut etiam per Sacramenta applicet merita ſua præterita: Oritur quidem hoc Sacrificiũ ex voluntate illa bona, & meritoria, qua illud inſtituit, & delegauit alios, vt offerrent eius nomine; nũc tamen per hanc actionem non denominatur de nouo mereri. Eccleſia item, licet ſit offerens, non tamen meretur propriè, quando hoc Sacrificium offertur; quia licet voluntas, qua Sacerdotem deſignauit, vt eius nomine offerret, fuerit honeſta, & meritoria; nunc tamen illa voluntas non exiſtit, niſi habitualiter: nemo autem poteſt actu mereri, niſi quando actu operatur. Solus ergo Sacerdos celebrans, aut alij immediatè offerentes merentur, dum offerunt: & hoc quidem meritum erit de condigno, ſi adſint cæteræ conditiones requiſitæ, cum ſit opus bonum factum in ſtatu gratiæ; erit autem ex opere operantis; nam condignitas meriti debet tota fundari in opere ipſo, & dignitate perſonæ. Vnde etſi per errorem apponeretur panis ex hordeo, & vinum ex pomis, adhuc meritum offerentis eſſet æquale; ſicut ſi aliquis volens dare pauperi monetam auream, daret per errorem æream, non minus mereretur, cum tota menſura meriti ex voluntate deſumatur. An vero Sacrificium ipſum vltra meritum operantis augeat gratiam habitualem, dicemus poſtea. 122. *Quæ perſonæ offerant hoc ſacrificium.*

Impetratio conſiderari poteſt in ordine ad proximè offerẽtes, vel in ordine ad Eccleſiam, quæ remotè offert, vel in ordine ad Chriſtum, qui etiam principaliter offert per ſuum miniſtrum. Et quidem de proximè offerentibus non eſt dubium, quin per hoc Sacrificium, ſicut per alia bona opera, poſſint impetrare. De Eccleſia poſſet magis dubitari: ſicut enim ob defectum voluntatis actualis, diximus, ipſam non mereri; videtur etiam, quod nec poſſit impetrare: nam ille ſolus impetrat, qui orat; oratio autem debet oriri à volontate. 123. *Impetratio quomodo conſideretur.*

Ad hoc tamen facilè reſpondetur, ad orandum vel impetrandum ſufficere, quod aliquis oret, vel per ſe, vel 124. *Ad hoc tamẽ facilè reſpondetur.*

vel per alium. Sicut ergo Princeps apud Pontificem per ſuum Legatum orat, qui idcirco Orator Regius appellari conſueuit, & impetrat per illam orationem: ſic Eccleſia orare, & impetrare poteſt per Sacerdotem, quem quaſi legatum deſtinat ad Deum, vt Eccleſiæ preces offerat.

125. *An hic valor imp. rationis ſit ex opere operato.* Vtrum vero hic valor, quem Miſſa habet ad impetrandum nomine Eccleſiæ, & eius effectus dicendus ſit ex opere operato, vel ex opere operantis; eſt quæſtio de nomine. Certum eſt, hunc valorem non inniti in bonitate, aut meritis ipſius Sacerdotis offerentis; quare poteſt eſſe, quod Sacerdos iniquus ſit & ſacrilegè offerat, ipſa tamen oblatio prout ab Eccleſia offertur, ſit bona & impetratoria: hoc tamen non videtur extrahere ab opere operantis; quia licet reſpectu Sacerdotis videatur eſſe ex opere operato, & vltra meritum ipſius: reſpectu tamen ipſius Eccleſiæ, cui conceditur ille fructus, non eſt vltra valorem operis ab Eccleſia exhibiti: ſicut ſi Dominus per famulum iniquum eleemoſynam daret ad impetrandum aliquid, tunc licet famulus peccaret ex iniqua intentione exequendo iuſſa Domini, ipſe tamen Dominus impetraret non ex opere operato, ſed operantis, vt conſtat.

126. *Hinc fit Sacerdotem excommunicatum non poſſe nomine Eccleſiæ impetrare.* Hinc fit primo, Sacerdotem excommunicatum, & præciſum, cui Eccleſia aufert poteſtatem offerendi eius nomine, non poſſe nomine Eccleſiæ impetrare; quia Eccleſia non vult per illum miniſtrum offerre, vel orare. Secundo fit, valorem hunc creſcere, vel decreſcere poſſe pro maiori, vel minori ſanctitate ipſius Eccleſiæ, quidquid ſubdubitet Vaſquez *diſp.* 220. *n.* 10. Sicut enim Orator Reipublicæ eo facilius impetrabit apud Pontificem, quo perſonæ illius Reipublicæ gratiores ipſi, meliuſque de ipſo meritæ fuerint: ſic orator Eccleſiæ plus ponderis habebit ad impetrandum Eccleſiæ nomine, ſi Eccleſia gratior Deo fuerit.

127. *Inſtatis.* Dices, Eccleſia eſt collectio fidelium, qui quotidie moriuntur, & naſcũtur: hi autem, qui nunc ſunt, non deſignarunt hunc Sacerdotem, vt pro iis oraret; hi enim non orant, quando hic factus eſt ſacerdos; quid ergo refert maior ſanctitas horum ad impetrãdum? ille enim ſolus impetrat, qui ſuam voluntatem Deo per Sacerdotem vult manifeſtare: hic autem iuſtus nunquam habuit voluntatem orandi per hunc Sacerdotem; quomodo ergo impetrare poteſt per ipſum, cùm nihil voluerit per ipſum petere? *Reſpondetur.* Reſpondetur, Sacerdotē ſemper orare nomine Eccleſiæ præſentis, non nomine Eccleſiæ præteritæ, quæ iam non eſt in ſtatu offerendi ſacrificium: hi autem fideles, qui nunc ſunt; habent voluntatem ſufficientem orandi, & offerendi per hunc Sacerdotem. Nam ſicut fideles, qui nunc ſunt dicũtur omnes deſignare hunc Sacerdotem, qui modò conſecratur, vt pro ipſis oret, & offerat, licet eum non viderint; quatenus ſcilicet volunt eſſe membra Eccleſiæ, & ſubdi Prælatis, ratumque habere, quod ipſi totius communitatis nomine decreuerint. Sic etiam fideles, qui poſtea adueniunt, per eandem voluntatem, qua volunt eſſe Eccleſiæ membra, & viuere eius legibus, volunt etiam implicitè ratum habere, quidquid ab Eccleſiæ Prælatis omnium fidelium nomine ad communem vtilitatem factum eſt, & per conſequens ratam habent deſignationem oratorum, & miniſtrorum factam ad communem omnium cauſam apud Deum perorandam. Poteſt ergo Deus acceptare has preces, tanquam preces ſingulorum fidelium, qui nunc ſunt, & eas per ſuum Oratorem Deo offerunt.

128. *Hoc Sacrificium vt eſt à Chriſto habet etiam vim impetrandi.* Denique cum Chriſtus etiam ſit principaliter offerens, conſequens eſt, vt hoc Sacrificium prout ab ipſo etiam habeat vim impetrandi apud Deum; quæ virtus nec dependet à bonitate, aut meritis Sacerdotis proximè celebrantis, nec à meritis Eccleſiæ, cum fundetur in meritis Chriſti volentis offerre per hunc miniſtrum: quare quantumcumque miniſter ſit excommunicatus, & præciſus ab Eccleſia, ſemper retinet hanc poteſtatem offerendi, atque ideo & impetrandi nomine Chriſti: & ideo merito dicitur à Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. *Oblatio munda, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt*; quatenus ſcilicet à Chriſto offertur; nam prout à miniſtro immediato, certum eſt aliquando inquinatam eſſe, & peccaminoſam oblationem, quæ vt ſic non placet, ſed diſplicet Deo. Conc. Trid.

Porro Sacrificium hoc habere valorem, & virtutem impetrandi, etiam prout offertur, nomine Chriſti, probari poteſt ex inſtitutione ipſius: fuit enim inſtitutum à Chriſto hoc Sacrificium, vt ſuccederet omnibus antiquis Sacrificiis, eorumque omnium virtutem, & perfectionem in ſe vno ſuperabundanter complecteretur, vt definit Concilium Trident *dicto c.* 1. *in fine*, dicens, quod hæc oblatio *per varias ſacrificiorum, naturæ, & legis tempore, ſimilitudines figurabatur, vt pote quæ bona omnia per illa ſignificata, velut illorum omnium conſummatio, & perfectio complectitur.* Cum ergo in lege antiqua reperirentur victimæ, non ſolum pro peccatis, & in gratiarum actionem, ſed etiam pacificæ, ſeu ad impetrandum; ad hunc etiam effectum debuit hoc Sacrificium inſtitui. Non potuit autem Sacrificium impetratorium inſtitui, quo principalis offerens, qui eſt Chriſtus, impetrare non poſſet: nam eſſe impetratorium, eſt poſſe offerri ad impetrandum. Si ergo Chriſtus non poteſt illud offerre ad impetrandum: ergo nec Sacerdos immediatus miniſter poterit: quia ipſe non offert, niſi nomine Chriſti; ergo ſi nomine Chriſti non poteſt offerre ad impetrandum, non poterit illud vllo modo ad impetrandum offerre. 129. *Hoc probatur ex eſſe ius inſtitutione.*

Nec obſtat, Chriſtum non eſſe nunc in ſtatu orandi, atque adeo neque impetrandi: ad hoc enim conſtat ex iis, quæ diximus *diſp.* 27. *de Incarnat. ſect.* 4. Chriſtum, licet nunc in cœlo non oret, quatenus oratio videtur importare defectum poteſtatis in eo, qui orat, verè tamen repræſentare Deo ſuam voluntatem circa ea, quæ vult concedi hominibus: quæ repræſentatio poteſt dici oratio latè ſumpta, & minus propriè: hæc autem ſufficit ad noſtrum propoſitum: ſicut enim poteſt Chriſtus per ſemetipſum, ita poteſt per Legatum, vel miniſtrum ſuum, qualis eſt Sacerdos, repræſentare Deo voluntatem ſuam de bonis concedendis, quæ per oblationem huius Sacrificij ab hominibus poſtulantur. Poterit ergo Chriſtus, dum offert impetrare eo modo, quo offert, ſcilicet per miniſtrum, vel Legatum ſuum. 130. *Nec obſtat Chriſtum non eſſe nunc in ſtatu orandi.*

Hinc tamen oritur difficultas, quia, ſi hoc Sacrificium, prout offertur etiam à Chriſto, eſt impetratorium: oportet; eum effectum eſſe omnino infallibilem. Cum enim Chriſtus habeat plenam poteſtatem, neque oret quaſi ex poteſtatis defectu, vt diximus, ſed ad repræſentandam ſuam voluntatem Patri, à quo accepit omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, neceſſe eſt, quod fiant ea omnia, quæ per oblationem Sacrificij vult impetrare. Cum ergo effectus hic, ſicut & alij, applicetur determinatè à miniſtro; qui applicat Sacrificium ad impetrandam hanc, vel illam gratiam, quam applicationem facit, vt miniſter eſt Chriſti: ergo ſacerdos nomine Chriſti offert hoc Sacrificium ad impetrandum hoc beneficium: ergo id petit, vt miniſter, & legatus Chriſti: ergo neceſſe eſt, quod illud impetret: nam Chriſto petenti ſiue per ſe, ſiue per alium Legatum, Deus nihil negat. 131. *Hinc tamen oritur difficultas.*

Reſpondeo, effectum hunc debito modò; eo ſcilicet, quo à Chriſto inſtitutus eſt, eſſe infallibilem; 132. *Reſponſio.*

quoties

quoties enim Sacerdos vt miniſter Chriſti offert ad impetrandum aliquid iuxta ipſius Chriſti intentionem, infallibiliter impetrabitur, vt argumentũ probat. Debet tamen hæc delegatio Sacerdotis intelligi, ſicut verba illa Chriſti Ioan. 16. *Amen dico vobis; ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* quæ promiſſio, licet appareat vniuerſalis: debet tamen intelligi cum debitis circumſtantiis, quæ quia ſæpè deſunt, oratio non impetrat id, quod petimus. In eodem ergo ſenſu intelligenda eſt poteſtas impetrandi nomine Chriſti in hoc Sacrificio. Sicut ſi Rex mittat Legatum ad Pontificem cum commiſſione, vt petat ipſius Regis nomine; ſcit tamen aliunde Pontifex, aliqua non peti iuxta intentionem, & voluntatem Regis, quam ſibi compertam habet; tunc Legatus non impetrat, quia obſtat voluntas eiuſdem Regis. Sic aliquando Sacerdos non impetrat, licet offerat nomine Chriſti, quia obſtat volũtas eiuſdem Chriſti nolentis impetrare hic, & nunc: nec expediebat illam facultatem adeo amplam dari hominibus abſque limitatione debita: cum partim ex ignorantia, partim ex affectu inordinato, impetrare vellent nomine Chriſti, quæ iuxta regulam Diuinæ Sapientiæ concedi non deberent. An vero hic effectus impetrationis, quatenus in Chriſto offerente nititur, dicẽdus ſit ex opere operato, negat Suar. *diſp.* 79. *ſect.* 1. §. *Dico ſecundò.* Affirmat vero Vaſq. *diſp.* 229. *c.* 2. *n.* 12. de omnibus effectibus, etiam iis, qui non certa lege, ſed aliquando conceduntur; quia quod non datur propter merita, vel operationem noſtram, ſed independenter ab eius bonitate, vt contingit in præſenti, non datur propter opus operantis, ſed propter opus operatum, ſine reſpectu ad operantem; qui modus loquendi facilè admitti poteſt: de re enim non poteſt eſſe diſſenſio.

Ioan. 16.
Suarez.
Vaſquez.

133. Reſtat difficultas de tertio modo operandi, quatenus hoc Sacrificium eſt etiam ſatisfactorium, ſeu propitiatorium; quod in aliquo ſenſu ei negari non poſſe, probant late Theologi contra hæreticos noſtri temporis. Videatur Suarez *d. diſp.* 79. Vaſq. *diſp.* 228. & Coninch. *q.* 83 *art.* 1. *dub.* 7. & conſtat clarè ex Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. his verbis: *Docet ſancta Synodus, Sacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno,* & can. 3. *Si quis dixerit Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, &c. anathema ſit.* Conſtat enim ex ritu, & verbis, quibus in oblatione vtimur, dicendo: *Offero pro peccatis, & offenſionibus,* &c. *Qui tibi offerunt pro redemptione animarum ſuarum, &c.* Denique, quia ad hunc effectum offertur pro animabus Purgatorij, vt *hoc Sacrificio purgata* liberentur à pœnis, quas pro peccatis patiuntur. Difficultas tamen eſt, quo pacto hoc Sacrificium conferat hunc effectum, & liberet à debito pro peccatis; aliqui enim nimium extendunt, alij nimium reſtringunt hanc efficacitatem.

Reſtat difficultas de tertio Sacrificio prout eſt ſatisfactorium.
Suarez.
Vaſquez.
Coninch.
Conc. Trid.

134. Aliqui ergo videntur in hoc Sacrificio agnoſcere efficaciam quandam vniuerſalem, qua concurrat ex opere operato ad omnes effectus gratiæ, quos Chriſtus per paſſionem ſuam meruit nobis, quacumque ratione illi fiant. Pro qua ſententia Suarez *ſect.* 7. *in princ.* affert S. Thom. *lect.* 6. *in* 6. *Ioan.* & Ruardum *art.* 16. § *Manifeſta eſt.* Sed in alio ſenſu loquuntur, & quidem vero; ſcilicet, in hoc Sacrificio eſſe aptitudinem vniuerſalem, qua poſſit ad omnes gratias, & effectus applicari, neque eius virtutem alligari ad vnum, vel alterum genus, ſed eſſe indifferentem ad omnes morbos, neceſſitates, gratias, &c. Difficilius loquitur Cathetinus, quem affert idem Suárez, dum infert, virtutem huius Sacrificij non niſi in Sacrificio crucis, neque ab illo pendere, quia infinitum eſt, ſicut illud. Hoc tamen non poteſt ſtare cum verbis Trid. *illa ſeſſ.* 22. *c.* 1. vbi probatur non derogari paſſioni Chriſti per hoc Sacrificium, quia per hoc communicantur fructus illius: *Cuius quidem* (inquit) *oblationis cruentæ fructus per hanc vberrimè percipiuntur: tantũ abeſt, vt illi per hanc quouis modo derogetur.* Alioquin fructus illi, & ſalus noſtra inde proueniens non eſſet fructus paſſionis Chriſti, nec redemptionis in ſanguine ipſius. Denique quia cum in hac oblatione incruenta Chriſtus nunc non mereatur; vel ſatisfaciat; debet eius efficacia fundari in meritis, & ſatisfactionibus præcedentibus, quæ per hoc mediũ nobis applicentur. Cum autem hæc applicatio fiat per hoc Sacrificium in ordine ad ponendos cum effectu fructus paſſionis Chriſti, non poteſt eſſe ita vniuerſalis ad omnes effectus; non enim ponuntur omnes, ſed aliqui determinati: non eſt ergo hoc Sacrificiũ in actu ſecundo cauſa vniuerſalis, præſertim cum Chriſtus voluerit eius reiterationem, & frequentiam; quare non expediebat propter primam oblationem concedere totum, quod per omnes ſequentes concedendum erat; iam enim aliæ omnes eſſent ſuperfluæ.

Aliqui agnoſcunt in hoc efficaciã quandam vniuerſalem.
S. Thom.
Ruard.
Catherin.

Alij iudicant, huic Sacrificio de Diuina promiſſione, ſeu ex opere operato nullum effectum correſpondere: hoc enim non poſſet niſi ex promiſſione colligi, quæ tamen nulla reperitur, ſicut reperitur facta Sacramentis. Pro hac Suarez loco citato affert Sotum, & Cordubam. 135.

Alij aliter indicant.

Communis Theologorum ſententia docet, hoc Sacrificium habere aliquem effectum determinatum, & lege ſtabili definitum, quem confert ex opere operato, alios item non ita determinatos, ſed qui propter circumſtantias variari poſſint; oportet igitur ſingulos breuiter percurrere, de quibus magis controuertitur.

Communis ſententia.

Primo itaque dubitari ſolet, an hoc Sacrificium conferat ex opere operato primam gratiam, & remiſſionem peccati mortalis: ſermo autem eſt de Sacrificio, vt Sacrificium, non vt Sacramentum eſt: de hoc enim iam egimus *ſupra diſp.* 12. *ſect.* 1. an poſſit aliquando ſumenti conferre primam gratiam. Non defuerunt, qui dicerent, hoc Sacrificium immediatè conferre primam gratiam, & remiſſionem peccati mortalis, ſi ablatus ſit obex per attritionem; quos referunt Suarez *ſect.* 3. & Vaſq. *diſp.* 228. *c.* 1. pro quo afferuntur verba ſupra adducta Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. vbi docet, *Sacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, &c.* cuius rationem reddit, *quia nimirum huius oblatione placatus Dominus ingentia quoque peccata, & crimina dimittit.* Quæ verba deſumpta videntur ex Alex. I. *epiſt.* 1. *c.* 4. cui conſentit Iulius Papa relatus *in cap. cum omne crimin, de conſecrat. d.* 2. qui dicit, *omne crimen, atque peccatum, oblatis Deo Sacrificiis, deleri.* Afferuntur etiam alia Patrum loca, qui dicunt, hoc Sacrificium offerri pro expiandis peccatis; quæ videri poſſunt apud prædictos Auctores. 136.

An hoc Sacrificiũ conferat primam gratiam.
Suarez.
Vaſquez.
Conc. Trid.
Alexand.
Iulius PP.

Communis, & vera ſententia Theologorum omnium negat talem efficaciam immediatam in hoc Sacrificio: Auctores congerunt, & ſequuntur Suar. & Vaſq. *loc. cit.* Probatur primò, ex verbis eiuſdem Tridentini ſupra relatis: cum enim ibi definitum eſſet, hoc Sacrificiũ eſſe verè propitiatorium, & per eius oblationem deleri peccata, ſtatim declarat modum, quo id fiat: *Huius quippe* (inquit) *oblatione placatus Dominus gratiã, & donũ pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiã ingentia dimittit.* Non ergo dimittuntur, ſuppoſita ſola attritione ante Sacrificium, ſed adueniente pœnitentia, quæ cõceditur intuitu eiuſdẽ Sacrificij. Nec obſtant verba præcedentia: *Per hoc* 137.

Communis & vera ſententia negat talem efficaciam.
Probatur primo.
Conc. Trid.

Sacrifi

Sacrificium fieri, vt ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia, contriti, & pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Sed ſua enim debet eſſe (vt notauit Vaſq. *n.* 24.) accedentem cum attritione, poſtea ipſamet oblatione conſequi auxilium, vt diſponatur ad contritionem, & veniam ſuorum peccatorum.

138. *Secundò probatur.* Secundo probatur, quia ſi Sacrificium cum attritione delet ex opere operato culpam mortalem: ergo poſſet aliquis cum attritione ſola nota, faciendo ſibi applicari Miſſam, abſque vlla alia contritione accipere omnia Sacramenta, ſaltem præter Euchariſtiam: poſſet item Sacramenta omnia miniſtrare, poſſet (ſi in Miſſa, quando confiteri non poteſt, recordetur ſui peccati) cum ſola attritione proſequi: nam ipſamet conſecratione, & oblatione iuſtificaretur. Sequeretur item, quando moribundus confiteri non poteſt, vel propter distantiam Confeſſarij, vel propter impotentiam dandi ſignum, debere pro ipſo Sacrificium offerri, vt ſi attritus ſit, virtute Sacrificij iuſtificetur. Quæ omnia clarè ſunt contra omnium fidelium ſenſum.

139. *Tertiò argui poteſt.* Tertio argui poteſt, quia ſi Sacrificium haberet eam efficaciam in iis, pro quibus offertur, poſſet Sacerdos offerre vnam Miſſam pro omnibus, qui ſunt in peccato mortali cum attritione, & tunc iuſtificarentur. Si enim ea efficacia arguitur ex eo, quod hoc Sacrificium offeratur pro peccatis, hinc argueretur, poſſe per vnam Miſſam iuſtificari omnes peccatores; quia pro eorum omnium peccatis offerri poteſt, & de facto offertur. *Hoc argumentum magis vrgeri poteſt contra aduerſarios.* Quod argumentum magis vrgeri poteſt contra aduerſarios, qui illam efficaciam ad iuſtificandum colligunt ex verbis illis conſecrationis, *qui pro vobis effundetur*, vel *effunditur in remiſſionem peccatorum*; quæ non de effuſione in cruce, ſed de Sacramentali intelligunt. Illa autem verba in cœna dicta fuerunt à Chriſto ad plures; nempe ad Apoſtolos omnes: ergo hoc Sacrificium ex ſua inſtitutione non alligaretur ad cauſandum illum effectum in vno, vel duobus, ſed extendi poſſet ad plures & plures, atque adeo ad omnes peccatores attritos.

Vaſquez. Obiicit autem aduerte cum Vaſq. *n.* 1... verba Alex. Papæ ſupra allegati, quæ ab aduerſariis afferuntur, probantis, hoc Sacrificio crimina, & peccata deleri, ideoque in conſecratione calicis dici, *qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*, hæc (inquam) Alexandri verba non habere eum ſenſum, nec ibi probari remiſſionem peccatorum ex verbis conſecrationis, ſed potius remiſſionem illam peccatorum, quæ fit per hoc Sacrificium, afferri vt rationem non verborum conſecrationis, ſed ſuperioris ſententiæ, quod ſcilicet Chriſtus nos docuit oblationem huius Sacrificij per verba illa, *Accipite*, &c. & poſtea ſubiungit rationem, *quia crimina, atque peccata oblatis hu Domino Sacrificiis delentur.* Videatur Vaſquez, qui id bene ex contextu probat.

140. *Huc vſque conuenio cum Suarez. & aliis. Non tamen placet quod illi addunt.* Huc vſque conuenio libenter cum Suarez. Vaſq. & aliis recentioribus, qui illam efficaciam ad immediatè iuſtificandum negant huic Sacrificio: cæterum non omnino placet, quod addunt, negant quidem non poſſe virtutem ad delēda peccata etiam mortalia; hanc tamen ſolum eſſe, quatenus impetrat auxilia ad pœnitentiam, vel contritionem, qua peccata proximè delentur. Hoc, inquā, non videtur ſatis explicare virtutem, quā Concilia, & Patres in hoc Sacrificio agnoſcunt. Aliud enim eſt, quod poteſt operari hoc Sacrificium, quatenus impetratoriū eſt; aliud vero, quod operatur, quatenus eſt propitiatoriū, ſeu expiatorium quæ duo diſtinguenda maximè ſunt. Nā, vt ſupra diximus, & probauimus ex Tridentin. dicto c. 2. in fine, debemus in hoc Sacrificio agnoſcere in gradu excellenti, quæ in variis Legis veteris ſacrificiis diſperſa erant; quare cum in lege alia eſſent ſacrificia ad impetrandum, alia ad gratiarum actionem, alia ad expiandū, & purgandum peccatum; debemus fateri, hoc Sacrificium non eſſe ſolum hoſtiam laudis, aut pacificam, & impetratoriam, ſed etiam propitiatoriam *pro peccatis*: quo nomine fatentur Recentiores omnes Theologi non intelligi ſolum pœnas, ſed culpas etiā, quæ propriè dicuntur *peccata*; & ideo in Trident. *can.* 3. diſtinctè, & ſeorſim poſitum eſſe, quod hoc Sacrificium ſit propitiatorium, & *pro peccatis, pœnis, & ſatisfactionibus offerri debere.* Non debemus ergo confundere virtutem, quam habet ad expiandum, & purgandum à peccatis, cum virtute ad merè impetrandum: iam enim hoc Sacrificium non aliter haberet virtutē ad expiandum, quā in ordine ad alias neceſſitates, aut dona ſpiritualia; quia ſicut poſſumus petere alia dona, poſſumus petere auxilia ad contritionem habendam de peccatis.

Vt hoc igitur clarius intelligatur, aduertēdum eſt, virtutem illam ad impetrandum habere terminum formaliter diuerſum ab eo, quem habet virtus ad ſatisfaciendū, vel expiandum: nam illa prior tendit ad mouendam liberalitatem Dei, à qua impetrat bona; hæc vero poſterior tendit ad clementiam, ſeu ad placandum Deum, ne iraſcatur, indignetur, & inferat malum. Aliud itaque eſt, mouere Deum, vt concedat bona; aliud vero placare illum, ne inferat mala: prius pertinet ad ſacrificium, vt eſt impetratorium; ſecundum ad idem, vt eſt propitiatorium, ſeu expiatorium. 141. *Terminus impetrationis eſt diuerſus à termino ſatisfactionis.* Vnde Patres Concilij Trident. *dicto c.* 2. dum de Sacrificio hoc, vt propitiatorio loquerentur, notanter dixerunt: *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata dimittit.* Placatur enim Deus ſacrificio non vt impetratorio, ſed vt propitiatorio: prout ſic enim tendit ad placandum. Fatemur ergo, Deum concedentem, auxilium ad contritionem, moueri etiam à ſacrificio, vt impetratorium eſt: dicimus tamen, aliquem effectum interuenire ibi, qui correſpondeat eidem Sacrificio, vt propitiatorium eſt: propter peccatā enim Deus iuſtam indignationem, & auerſionem retinens, meritò negabat auxilia illa ſaltem vberiorā ad contritionem; oblato tamen Sacrificio placatur, & depoſita per clementiā indignatione, concedit ex liberalitate auxilia, quæ implacatus negaret: vnde Sacrificium vt propitiatorium indirectè confert ad obtinenda auxilia, quatenus directè aufert indignationis obicem, qui obſtabat, ne concederentur. Nō ergo confert ad delenda peccata impetrando ſolum, ſed propitiando, & placando, quod eſt proprius effectus ſacrificij, vt propitiatorium eſt.

142. *Infertur quid reſpondendum ſit ad dubium.* Hinc infertur primo, quid dicendū ſit ad aliud dubium, an hic effectus delendi peccata mortalia ſit infallibilis. P. Vaſquez *n.* 21. non ſolum collationem auxilij efficacis, ſed neque etiam auxilij ad contritionem dicit eſſe effectum infallibilem huius ſacrificij: *Vaſquez.* quia, vt impetratorium eſt, non habet infallibilitatem in operando; habet ergo virtutem ad impetrandū non ſolum auxilium ſufficiens, ſed etiam efficax ad contritionem; non tamen habet permiſſionem infallibilē Dei, ſicut nec ad alia dona quæ ſimiliter poteſt impetrare; quod etiam docuerat Suar. *ſect.* 3. *in fine*.

143. *Diſtinguendus eſt effectus quem habet ſacrificium vt propitiatorium eſt ab eo, quem habet vt impetratorium.* Ego iuxta ſupradicta diſtinguendum cenſeo: nam vel loquimur de effectu, quem habet ſacrificium præcisè, vt propitiatorium eſt, vel de eo, quem habet, vt eſt impetratorium: primum exiſtimo infallibilem eſſe eo modo, & ea menſura, qua alligatus eſt ex Diuina inſtitutione, ſecundum vero eſſe infallibilem cum iis limitationibus, & conditionibus, quas

impetratio habet, atque ideo poſſe plerumque non ſequi. Prima pars probatur, quia effectus, quem hoc Sacrificium, vt propitiatorium, habet in ordine ad remiſſionem pœnæ iuxta menſuram ſuæ inſtitutionis, eſt ſemper infallibilis, ſi non detur obex, vt infra videbimus, & concedunt Suar. Vaſq. & alij Theologi communiter. Cur ergo non dicemus idem de effectu in ordine ad remiſſionem culpæ, cũ vterque procedat ab eadem virtute expiandi, & propitiandi? Confirmatur, quia Sacrificia expiatoria antiquã infallibiliter conferebant ſuum effectum expiandi, & purgandi à macula eo modo, quo ex ſua inſtitutione illum habebant; cum ergo hoc Sacrificium in gradu excellenti illis Sacrificiis, etiam vt propitiatoriis, & expiatoriis ſucceſſerit, atque adeo debeat in ſe habere perfectiones illorum, vt dixit Trid. *illo c. 1.* conſequens eſt, vt debeat hanc etiam virtutem habere ad conferendum infallibiliter ſuum effectum.

144. *H... eſt tamen conſequitur ... ſo modo.* Dixi tamen, hunc effectum infallibiliter conſequi eo modo, & ea menſura, qua ex Diuina inſtitutione alligatus eſt: non habet enim hoc Sacrificium ex Diuina inſtitutione vim certam ad afferendam ſemper contritionem, ſed ad placandum Deum; imo nec ad placandum omnino Deum, ſed aliquando omnino, aliquando ſolum ex parte. Nam ſicut in ordine ad pœnam non habet ex Diuina inſtitutione virtutem ad placandum omnino Deum, vt, vna Miſſa oblata, nullam omnino pœnam temporalem exigat, ſed ſolum vt placetur quoad partem pœnæ, ſi non adſit obex: ſic in ordine ad placandum pro culpa nondum remiſſa, non videtur concedenda virtus illimitata, vt quantacumque peccata præceſſerint, ſtatim, vna Miſſa oblata, placetur omnino Deus, & non neget auxilia ad contritionem propter peccata præterita: poteſt enim hæc virtus eſſe limitata, vt præcedente tanto reatu culpæ, Deus placetur vna vel duplici oblatione Sacrificij; præcedenti autem maiori reatu, opus ſit pluribus oblationibus: ita tamen, vt ſicut vna oblatio, licet non auferat totam pœnam, auferat partem; ſic vna oblatio licet non reddat omnino placatũ Deum, reddat ex parte placatum. Quæ partialis placatio poteſt explicari, vel dicendo poſitum iam eſſe titulum ſufficientem, vt, ſi offeratur adhuc iterum, aut ter Sacrificium, placetur omnino Deus, vel dicendo, Deum eſſe ex parte placatũ, quatenus, ſi prius v.g. ob iuſtam indignationem negabat auxilia intenſa vt octo, & vt quatuor; poſtea oblato ſemel Sacrificio neget quidem auxilia vt octo, non tamen vt quatuor, & ſic de aliis beneficiis: nam licet reatus directus pœnæ non remittatur etiam ex parte, nondum remiſſa culpa, poteſt autem Deus alicuius precibus, & à fortiori intuitu Sacrificij, retinendo ius ad totam pœnam exigendam, non vti iure, quod ex peccato habebat, ad negandum aliquod beneficium peccatori; qua ratione poſſumus congruentius explicare proprium effectũ huius Sacrificij, vt propitiatoriũ eſt, in ordine ad peccata mortalia tollenda.

145. *Quid accidat quando Miſſa offertur pro multis.* Vnde obiter infero, quando Miſſa offertur pro multis perſonis, ſicut effectus remiſſionis pœnæ temporalis diuiditur inter omnes illas, ita vt omnes ſimul habeant, quod haberet vnus ſolus, ſi pro eo ſolo offerretur: ſic hunc alium effectũ in ordine ad mortalia, quem diximus competere Sacrificio, vt propitiatorium eſt, diuidi inter omnes, ita vt in ordine ad ſingulos minus placetur Deus, quàm ſi pro ſingulis ſolis oblata eſſet Miſſa; quæ diuiſio iuxta ſupradicta facilè intelligi poteſt: nam licet remiſſio culpæ non ſit diuiſibilis, atque ideo, ſi per hoc Sacrificium immediatè remitteretur culpa, deberet remitti totaliter in omnibus, pro quibus offertur, vt ſupra dicebamus: placito tamen Dei in ordine ad non neganda auxilia ad contritionem, vel pœnitentiam, diuiſibilis eſt, cum poſſit Deus manere reſpectu ſingulorum ex parte maiori, vel minori placatus, vel implacatus iuxta duplicem conſiderationem aſſignatam numero præcedenti.

Addo denique, hunc ipſum effectũ placandi Deũ, quem diximus Sacrificio huic, vt propitiatorio, infallibiliter competere, probabile tamen mihi eſſe, 146. *Hic tamen effectus poteſt impediri per obicem.* poſſe impediri per obicem: nam ſicut effectus remiſſionis pœnæ, licet certus ſit, impeditur per obicem, nimirũ ſi culpa non ſit remiſſa; ſic hic alius effectus placationis Dei ſupra explicatus poteſt habere obicẽ, v.g. ſi homo pro quo Miſſa offertur, habeat actualem affectũ ad ipſum peccatum, vel etiam fortaſſe, ſi non habeat dolorem de illo. Sic enim Patres Trid. *illo* Conc. Trid. *c. 2.* declarantes hunc effectũ, appoſuerunt ex parte ſubiecti conditionẽ illam doloris de peccato, dicentes: *Sacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiã inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* In quibus verbis contineri videtur modus, quo diximus, Sacrificiũ hoc vt propitiatorium concurrere ad hunc effectum: & ſimul diſpoſitio requiſita ad illum, quod ſcilicet præcedat dolor aliquis de peccato. Fruſtra enim videtur velle Deum placare, qui adhuc effectu obſtinatus adhæret peccato, vel de eo non dolet.

Concludimus ergo ex dictis, hunc effectum, quod 147. attinet ad placandũ Deũ modo explicato, eſſe infallibilem, ſaltem quoad partialem placationem, niſi adſit *Eſt tamen hic effectus modo explicato infallibilis.* obex: quoad remiſſionem vero ipſius peccati cũ effectu habendam, non ſemper poni; primò, quia licet Deus virtute Sacrificij placetur, vt nõ neget vberiora auxilia ad contritionem, propter indignationem ex peccato, poteſt tamen ea negare propter alias rationes ſuæ Diuinæ prouidentiæ; vel etiam quia ſubiectũ de ſe non eſt phyſicè capax, vt ſi non ſit iam ſui compos, vel non attendat, nec conſideret ea motiua, ſed ſit omnino diſtractus ad alia: & licet hoc Sacrificium vt impetratoriũ poſſit impetrare eiuſmodi auxilia, hoc tamen ſæpè impeditur, quia impetratio ſemper inuoluit conditiones multas, quæ faciunt effectũ non eſſe infallibilem, vt dicemus. Denique licet dentur auxilia vberiora, illa tamen ex libertate ipſius hominis poſſunt non habere effectum, & reddi inefficacia; atque ideo non ſequitur remiſſio peccati.

Dices: hoc Sacrificium non ſolum offertur pro auxilio ſufficienti, ſed etiam pro efficaci, ſcilicet vt 148. *Inſtabis.* Deus conuertat cum effectu peccatores, ergo habet valorem ad obtinendum auxilium efficax. Reſp. per *Reſpondeo.* modum impetrationis habere quidem valorem ad illud obtinendum, ſicut & alia beneficia, & dona Dei, hoc tamen non affert infallibilitatem, quia ſicut orationis impetratio impeditur ex multis capitibus, præſertim quando iuxta ordinem rectæ gubernationis non expedit id concedi: ſic & impetratio huius Sacrificij. Et certè non expediebat, impetrationem auxilij efficacis eſſe infallibilem, quia iam donum ipſum perſeuerantiæ haberetur ex lege Dei infallibili, oblato hoc ſacrificio, vnde magna ſecuritas, & libertas peccandi daretur hominibus ſcientibus, poſtea habituros ſe infallibiliter, medio hoc Sacrificiu, auxilium efficax ad iuſtificationem, & donum perſeuerantiæ per alia auxilia efficacia. Sicut ergo noluit Deus, auxilium efficax, vel perſeuerantiæ donum alligare alicui Sacramento, tanquam effectum certum, ſed relinquere nos cum timore, & dubio, ad maiorem cautelam; ſic noluit illud

obligare

obligare tanquam effectum certum huic Sacrificio, licet aliquando per Sacrificium poſſimus illud cum effectu impetrare.

149. *Inſtabis iterum.* Dices iterum; effectus huius Sacrificij, vt propitiatorij, infallibilis eſt, vt diximus: ſed hoc Sacrificium vt propitiatorium confert ad habendum auxilium efficax; placat enim Deum, ne neget auxilium efficax, quod meritò negaret indignatus, & implacatus; ergo etiam effectus erit infallibilis, ſaltem non exiſtente obice. *Reſpondeo.* Reſpondeo, eſſe quidem infallibilem eum effectum; eo tamen modo, quo correſpondet Sacrificio vt propitiatorio, habet enim Sacrificium virtutem certam ad placandum Deum totaliter, vel partialiter modo ſupra explicato, ne propter peccatum præteritum neget auxilium efficax ad conuerſionem. Cæterum, poſita illa placatione, non ſequitur certo collatio auxilij efficacis; quia ſicut ipſis iuſtis Deus non ſemper confert auxilia efficacia ad ſeruanda præcepta: ſic peccatori continget, ſæpè non dari auxilia efficacia ad conuerſionem, licet id non proueniat ex indignatione Dei propter peccata præterita, confert tamen multum Sacrificij oblatio ad auxilium efficax; tum quia per impetrationem poteſt illud directè, & poſitiuè obtinere; tum quia indirectè conducit placando Deum, ne ſaltem propter indignationem retardetur à procurando homini auxilium efficax ad conuerſionem.

150. *Ex dictis facilè reſoluuntur aliqua dubia. Primum dubium ſoluitur.* Ex dictis facilè iam reſoluemus dubia, quæ fieri ſolent circa alios effectus. Primò ergo dubitari ſolet, an hoc Sacrificium conferat ex opere operato augmentum gratiæ, non ſolum vt Sacramentum, ſed etiam vt Sacrificium. Affirmant aliqui apud Suarez *ſect.* 4. & Vaſquez *c.* 3. Communis tamen, & vera ſententia negat, quam tenent prædicti Auctores, & alij omnes Recentiores; tum quia abſque fundamento promiſſionis Diuinæ talem effectum daremus Sacrificio: tum etiam, quia ſi eum effectum haberet, poſſemus vtiliter Sacrificium offerre pro augmento gratiæ paruulorum, præſertim quando ſunt in mortis periculo, vt eo pacto haberent maiorem gloriam in cœlo; quod tamen eſt contra ſenſum, & praxim fidelium. An vero poſſit hoc Sacrificium impetrare auxilium ad actus bonos, quibus gratia augeatur, certum eſt, poſſe; & ad eum finem ſæpè offertur; ille tamen effectus erit certus, vel incertus, ſicut de aliis effectibus, qui impetrari poſſunt, diximus, & iterum dicemus.

151. *Tertium dubium.* Tertio dubitatur, an ſaltem per accidens poſſit hoc Sacrificium aliquando conferre primam gratiam, ſicut ſolet de Sacramento Euchariſtiæ, & aliis concedi. Reſpondetur negatiuè; quod cum aliis docent Suarez, & Vaſq. locis citatis: & quidem in noſtra ſententia negante id Sacramentis, neceſſe eſt idem dicere de Sacrificio: ſed licet de Sacramentis concederetur, non eſſet de Sacrificio concedendum, vt notant prædicti Auctores, quia non poteſt dare primam gratia per accidens id, quod per ſe non poteſt dare vllum gradum gratiæ, prout de Sacrificio diximus non poſſe.

152. *Quartum dubium.* Quarto dubitatur, an virtute huius Sacrificij poſſit immediatè haberi remiſſio peccatorum venialium. Certum eſt, conferre ad remiſſionem venialium, eo ſaltem modo, quo confert ad remiſſionem mortalium: quod ad minus probant loca Tridentini, & Patrum. Dubium eſt, an conferat etiam immediatè. Communis ſententia negat, quam ſequitur Suarez *ſect.* 5. & Vaſquez *d. c.* 2. cum aliis Recentioribus; quam ego etiam veram exiſtimo: *Suarez. Vaſqu. z.* ſed eius probatio pendet ex quæſtione illa, an de facto remittatur in hac vita culpa venialis abſque infuſione gratiæ: in qua partem negantem, quæ communis eſt, probare, pertinet ad tractatum de Pœnitentia, vbi (Deo dante) id ex profeſſo probabimus.

Quomodo cauſet effectum remiſſionis pœnæ.

Quinto dubitatur de remiſſione pœnæ temporalis debitæ propter culpas remiſſas an ſit effectus immediatus huius Sacrificij. 153. *Quinto dubitatur de remiſſione pœnæ temporalis.* Affirmat communis ſententia Theolog. quos referunt, & ſequuntur Suar. *ſect.* 6. & Vaſq. *c.* 4. qui probat ex Trid. illa *ſeſſ.* 22. *c.* 2. in illis verbis: *Quare non ſolum pro fidelium viuorum peccatis pœnis, ſatisfactionibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis rite iuxta Apoſtolorum traditionem offertur.* Quod habetur etiam *can.* 3. *Suarez. Vaſq. Affirmans communis & vera ſententia.* Sed melius fortaſſe probatur ex *ſeſſ.* 25. decreto de Purgatorio in principio, vbi definitur, *Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili Altaris Sacrificio iuuari.* Ex quibus verbis conſtat à fortiori, non certius iuuari animas defunctorum per ieiunia, eleemoſynas, & alia viuorum ſuffragia, quam per Miſſæ Sacrificium; non enim iuuarentur *potiſſimum* hoc Sacrificio, ſi certius aliis viis iuuarentur. Certum eſt autem apud omnes, animas non ſolum iuuari viuorum ſuffragiis per modum impetrationis, & mediatè, ſed immediatè etiam, quatenus ſatisfactio operi correſpondens illis applicatur, ſicut & ſatisfactiones Sanctorum, quæ ſunt in Eccleſiæ theſauro, applicantur per Indulgentias: de hac enim mutua ſatisfactionis communicatione inter iuſtos loquitur Catechiſmus Romanus *tit. de Sacramento Pœnitentiæ, n.* 61. dum dicit: *Qui Diuina gratia prediti ſunt, alterius nomine poſſunt, quod Deo debetur, perſoluere.* Et ſubdit: *Nec de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus eſt.* *Catechiſ. Rom.* Certum ergo à fortiori erit, Sacrificium Miſſæ prodeſſe per modum ſolutionis immediatæ, & non ſolum per modum impetrationis, qui modus non eſſet æquè vtilis, cum non eſſet æquè certus.

154. *Hic effectus niſi obſtet obex, eſt infallibilis.* Hinc infertur, effectum hunc, ſi non adſit obex in eo, pro quo offertur, eſſe infallibilem, quod docent Theologi communiter, quos refert Vaſq. *n.* 29. qui id probat ex illis verbis Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. quibus dicitur hoc Sacrificium inſtitutum eſſe, vt per illud Sacrificij cruenti *ſalutaris virtus in remiſſionem eorum quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicaretur;* & *c.* 2. *Oblationis cruentæ fructus per hanc vberrimè percipiuntur.* Vnde *n.* 31. dicit, negari iam nulla ratione poſſe, hunc effectum infallibilem eſſe reſpectu viuorum, pro quibus offertur; ex hoc autem ſequi manifeſtè, idem eſſe reſpectu defunctorum, cum ad vtroſque æquè ſe extendat poteſtas Chriſti, qui hoc Sacrificium inſtituit.

155. *Additur ratio ex ipſa inſtitutione Sacrificij.* Addere poſſumus rationem à priori ex ipſa inſtitutione Sacrificij; quod, vt ſæpè diximus, inſtitutum eſt, vt ſuccederet ſacrificiis omnibus legis antiquæ, in quibus aliqua erant propitiatoria pro peccatis, & quæ effectum ſuum purgandi immediatè, & infallibiliter operabantur, expiando ſordibus illis, & immunditia legali, quæcunque illa eſſet: debuit ergo hoc ſacrificium iuxta doctrinam Trid. *illo c.* 1. *in fine* habere hanc perfectionem & virtutem purgandi etiam independenter ab impetratione, & omnino certo, vt illa vetera ſacrificia faciebant. Rurſus hoc ſacrificium ex ſua inſtitutione habet quod debeat ſemper offerri à Chriſto, vel immediatè, vt in cœna; vel mediatè per miniſtros eius nomine offerentes. Debuit ergo, prout eſt à Chriſto offerente, habere virtutem ſatisfaciendi immediatè, & ſoluendi: alioquin vtilius eſſet ad ſatisfactionem nobis ſacrificium oblatum ab homine puro iuſto; quod quidem

nobis applicatum afferet immediatè, & infallibiliter ſatisfactionem pro parte pœnæ temporalis, ſicut alia opera ſatisfacturia. Fatendum ergo eſt obligationem à Chriſto factam & nobis applicatam, habere etiam, prout à Chriſto eſt, hanc virtutem auferendi partem pœnæ. Quia vero non potuit hoc habere ex eo, quod modo Chriſtus ſatisfaciat, cum Chriſtus non ſit iam in ſtatu ſatisfaciendi; oportuit hoc eſſe propter alligationem ſatisfactionis præteritæ, quæ quoad partē ſaltē determinatā ex Chriſti inſtitutione annexa ſit oblationi præſenti, vt nō minus offerat Chriſtus nunc ſacrificium propitiatorium, quam in cœna, quando vere ſatisfaciebat per illam oblationem. Porro ſi habet hæc oblatio Chriſti annexam ſatisfactionem præteritam, quoad partem, neceſſe eſt, quod eius effectum conferat immediatè, & infallibiliter; quia debet illum conferre ad modum, quo eum conferrent ſacrificia hominibus iuſtis oblata, & quo cōferret oblatio, qua ipſe Chriſtus viator immediatè offerret; in quibus caſibus effectus immediatè, & infallibiliter conferretur, ſi non eſſet obex in ſubiecto, pro quo offertur.

156. *Inſtantia.* Dices; ſicut hoc ſacrificium prout eſt à Chriſto, eſt propitiatorium, & ſatisfactorium, ſic etiam prout à Chriſto eſt impetratorium: ergo ſicut prout à Chriſto, habet infallibiliter ſuum effectum ſatisfactionis, ſic etiam prout eſt à Chriſto debet habere infallibiliter effectum impetrationis. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio differentiæ eſt duplex: prima eſt quia ſacrificia legis veteris, quibus hoc ſacrificium in gradu excellenti ſucceſſit, habebant quidem infallibiliter expiationem, ſeu purgationem à reatu ſaltem legali, non tamen habebant impetrationem infallibilem: hoc ergo ſacrificium debuit habere ſatisfactionē, & expiationē infallibilē in genere ſuperiori, debuit etiā habere maiorē multo virtutem ad impetrādū, nō tamē infallibilē. Similiter ſacrificium oblatum ab homine iuſto habet de ſe virtutē ad ſatisfactionem infallibiliter conferendā, vel offerenti, vel illi, cui offerens applicat ſuam ſatisfactionem; non tamen habet infallibilem impetrationem: ſic ergo ſacrificium oblatum à Chriſto debuit habere infallibilem virtutem ad ſatisfaciendum: maximam etiam, ſed non infallibilem ad impetrandum. Secunda ratio differentiæ eſt quod certitudo ſatisfactionis nullum afferat inconueniens, qualia afferret multa, & magna, certitudo impetrationis: multa enim peterent homines neſcientes quid petant, & quæ abſque inconuenienti concedi nō poſſent. Credibile tamē eſt quod cū debitis limitationibus, & circūſtātiis habeat certā vim hoc ſacrificiū ad impetrādū; quia tamen illæ cōditiones ſæpius deſūt, idcirco non obtinetur, quod petitur: ſæpe tamen Deus dat loco illius aliquid vtilius ipſi petēti.

157. *Infertur quid ſit dicendum de bonis temporalibus. Vaſquez.* Hinc obiter etiam infertur quid dicendum ſit de virtute huius Sacrificij in ordine ad bona temporalia: ad quæ certum eſt conferre hoc Sacrificium, vt patet ex ritu, quo offertur, poſtulando hæc bona tēporalia, ſanitatem, pluuiam, ſerenitatem, &c. valet ergo ad hæc impetranda P. Vaſq. *d. diſp.* 228. *in fine*, notat, hæc bona ſolū quatenus conducūt ad bona ſpiritualia poſſe hoc Sacrificio obtineri; quia Chriſtus pro rebus temporalibus ſiue reſpectu ad ſpiritualia mortuus non eſt. Hoc tamen in tractatu de Gratia examinandum eſt, vbi videbimus, licet Chriſtus pro ſalute ſpirituali noſtra ſolum mortuus ſit: pertinere tamen ad eius dignitatem, vt bona etiam temporalia dare, & obtinere poſſit hominibus, quibus ij facile alliciuntur ad eius cultum, & reuerentiam. Quare licet is, qui petit bonū temporale à Chriſto, vel per Chriſtū id non referat ad ſalutem animæ, poteſt per Chriſtum obtineri, cum illud beneficium de ſe ſit vtile, vt homines ad Chriſtum alliciantur.

158. *Dubium ſextum.* Dubitatur ſexto, vtrum remiſſio pœnæ temporalis obtineatur per hoc ſacrificium, non ſolum vt propitiatorium eſt, & ex lege certa, modo explicato; ſed etiam vt eſt impetratorium: an ſicut poſſumus petere alia beneficia à Deo, ſic poſſumus petere & impetrare hoc ſacrificio remiſſionem pœnæ temporalis, non ſolum impetrando auxilia ad bene operandum, & ſatisfaciendum pro pœna de condigno, ſed etiam vt abſque ſatisfactione noſtra concedatur nobis, vel aliis, etiam defunctis, remiſſio pœnæ. Hoc dubium tractat latè Suar. *ſect.* 6. & allegatis vtrinque rationibus dicit; poſſe piè ſuſtineri partē affirmantē, quam ego etiā veram exiſtimo. Sed quæſtio eſt cōmunis ſacrificio & aliis orationibus, an viatores, vel etiam beati poſſint impetrare pro aliis remiſſionem immediatam pœnæ, abſque eo quod ponatur noua ſatisfactio: quod ex profeſſo tractandum eſt, & probandum in tractatu de Pœnitentia.

159. *Septimo dubitatur an hi effectus dicendi ſint ex opere operato.* Dubitatur ſeptimo; an hi alij effectus præter remiſſionem pœnæ qui non dantur infallibiliter ex lege certa, dicendi ſint ex opere operato competere huic Sacrificio. Negat Suar. *ſect.* 2. quia effectus, qui certo, & infallibiliter conſequitur, exigit promiſſionem, & legem factam: alij autem effectus non infallibiles non exigunt talem legem, ſed procedunt ex ipſa natura talis Sacrificij. Secluſa enim omni lege, & promiſſione, Sacrificium ipſum propter ſuam dignitatem habet virtutem ad impetrandum, vt conſtat. P. Vaſq. *diſp.* 229. *c.* 8. dicit, omnes illos effectus eſſe ex opere operato, quia omnia illa, quæ non pendent ex bonitate, vel malitia miniſtri, vel offerentis, dicuntur procedere ex ipſo opere, & per conſequens non ex opere operantis, ſed ex opere operato.

160. *Hæc quæſtio eſt de nomine.* Hæc eſt quæſt. merè de nomine, in qua iuxta ea, quæ diximus ſuprà *diſp.* 4. *de Sacram. in genere, ſect.* 1. breuiter dicendum videtur, conferri aliquid ex opere operato importare duo in communi modo loquendi: ſcilicet, quod opus ipſum de ſe afferat illum fructum abſque intuitu meriti, aut dignitatis ipſius operantis, vt dicebat P. Vaſq. & rurſus quod ita illum fructum afferat ſecum opus ipſum, vt, poſito opere, ponatur & fructus abſque vllo periculo fruſtrationis: hoc enim videntur ſignificare voces illæ, *ex opere operato*; nam ſi applicatio Reliquiæ alicuius Sancti afferat ſanitatem vni, vel alteri ægroto ex centum, qui ſibi eam applicant, non dicetur, quod illa reliquia eſt medium ad ſanitatem conferendam ex opere operato, niſi minus propriè, & lato modo, vt ſolum ſignificat; id fieri abſque intuitu dignitatis ex parte illius qui applicat, vel cui applicatur. Addo tamen, cum dictum ſit, collationem auxilij ad pœnitentiam, & contritionem de peccatis eſſe effectum huius Sacrificij, & quidem infallibilem, in certis tamen circumſtantiis, & cum tali limitatione, potuit etiam dici eodem modo eſſe effectum ex opere operato; quod etiam de aliis effectibus dici poſſet, ſi ex lege Dei dentur ſaltem cum talibus, & talibus circumſtantiis.

161. *Dubium etiam de hoc Sacrificio quod Chriſtus per ſeipſum obtulit in cœna. Cano.* Reſtat breue dubium, vtrum Sacrificium, quod Chriſtus per ſeipſum immediatè obtulit in cœna habuerit eādem virtutē, & eoſdē effectus, quos habet nunc, quando per miniſtros offertur. Nam Cano lib. 12. *de locis Theolog. c.* 13. *in ſolut.* 4. *argumenti* dicit, probabiliter poſse negari, fuiſse illud Sacrificium propitiatorium, & alij referūt, fuiſſe de hoc diſputatum in Concilio Tridentino, & nihil fuiſſe definitū. Ratio vero dubitandi fortaſſe fuit, quia ſatisfactio, quæ annexa eſt de facto huic Sacrificio, oritur ex Chriſti

Chriſti paſſione, quare quando nondum erat poſita illa ſatisfactio, non videtur fuiſſe valor ad extinguendam debitum pœnæ, ſicut aſt modo.

162. Cæterum ipſe Cano paulo inferius affirmat, fuiſſe verè propitiatorium, quod etiam ſupponunt alij Theologi. Suarez *diſp.74 ſect.1. §. Rationes, quat, &* *diſp.76. ſect.1. col.1.* & alij Recentiores, & merito, quia ex ſtatu viatoris, quem Chriſtus habebat, non ſolum non impediebatur, ſed potius certo modo facilior reddebatur valor ad ſatisfaciendum: tunc enim verè poterat Chriſtus ſatisfacere per oblationem: nunc autem non poteſt ſatisfacere, ſed applicare ſatisfactionem præteritam; quare tunc & poterat habere valorem ex ipſa ſatisfactione tunc exhibita, atque etiam ex ſatisfactione in cruce poſtea exhibenda, quam poterat Chriſtus tunc offerre, & applicare, vt in virtute illius daretur tunc effectus aliquis, ſicut antiquis Patribus collata fuerat gratia, & remiſſio peccati propter eius merita, & ſatiſfactiones poſtea exhibendas.

Cano ipſe affirmat fuiſſe verè propitiatorium.

SECTIO X.

De iis, quibus prouenire poſſunt effectus huius Sacrificij, quatenus pro ipſis offertur.

163. Dvplicitar poteſt aliquis participare fructum huius Sacrificij; primo, quando pro ipſo offertur; ſecundo, quando ipſa offert. Rurſus ij, pro quibus offertur, aliquando poſſunt participare effectum per modum impetrationis; aliquando vero effectum ſatisfactionis pro pœna temporali, quem diximus prouenire infallibiliter ex opere operato ab hoc Sacrificio illi, cui applicatur.

Dupliciter poteſt aliquis participare fructum huius Sacrificij.

Incipiendo ergo ab hoc vltimo, certum eſt in primis poſſe fructum huius Sacrificij aliis quam ipſi offerenti prouenire: quod conſtat ex natura Sacrificij, quod vt conſtat ex Paulo *ad Hebr.5.* non ſolum pro offerente, ſed & pro aliis offertur, conſtat etiam ex ipſa ordinatione ſacerdotis, in qua datur ei poteſtas offerendi pro viuis, & defunctis. Cæterum aliquæ exiguntur conditiones, vt hodie effectus obtineatur. Primo dubitatur, an neceſſe ſit illum, pro quo offertur, eſſe baptizatum. Non enim deſunt, qui velint id non requiri, vt Catechumeno in gratia exiſtenti proſit etiam effectus ſatisfactionis ex opere operato, ſi pro ipſo offeratur; vnde ſi defunctus ſit, iuuari poterit Miſſæ Sacrificio non minus, quam alij defuncti baptizati.

Certū eſt primo fructum hunc aliis quam offerenti ipſi prouenire.

164. Alij è contra volunt, nullum prorſus fructum Sacrificij poſſe Catechumenis applicari, ſcilicet nec ſatisfactionem, quæ prouenit ex opere operato, nec etiam impetrationem, quam habet Sacrificiū independenter à dignitate offerentis. Ita Vaſq. *diſp.157. c.3.& 4.* Alij denique negant de fructu ſatisfactionis ex opere operato; concedunt tamen de toto effectu, quem cauſat per modum impetrationis. Ita Suarez cum aliis multis *diſp.* *ſect.1.& diſp.79 ſect.10.* quæ ſententia etiam mihi verior videtur.

Quidam volunt nullum fructum Sacrificij poſſe Catechumenis applicari. Vaſquez. Suarez.

165. Et in primis loquendo de impetratione, quatenus prouenit ab ipſo Sacerdote, vel aliis, qui cum ipſo offerunt; non videtur dubium, quin poſſit iis Catechumenis prodeſſe: & hoc fatetur ipſe Vaſq. *n.33.* dicens, fructum huius Sacrificij ex opere operantis non minus poſſe offerri pro Catechumenis, quam alia bona, & pia opera, ieiunia, orationes, eleemoſynas, &c. Difficultas ſola eſt de fructu impetrationis, quem Vaſquez appellat ex opere operato, an ad illum fructum communicandum poſſit pro iis offerri.

Loquendo de impetratione non eſt dubiū quin proſit Catechumenis.

166. Rurſus quod fructus ſatisfactionis ex opere operato non communicetur eiuſmodi perſonis, concors eſt Theologorum ſententia: & videtur ad minus id colligi ex locis, quæ afferemus pro ſententia eiuſdem Vaſquez. Ratio autem eſt, quia Baptiſmus eſt ianua ad Sacramenta, eorumque fructum participandum: & quamvis fructus redemptionis, & paſſionis Chriſti, quæ per hoc Sacrificium repræſentatur, extendatur ad omnes etiam non baptizatos, prout ab ipſo Chriſto immediatè procedit; prout tamen per Eccleſiam, & eius miniſtros applicatur, ſolum communicatur iis, qui ſunt viſibilis Eccleſiæ membra per Baptiſmum; ad eos enim paſcendos data eſt poteſtas Eccleſiæ. Cum ergo vnum ex mediis, quibus Eccleſia quaſi paſcit fideles, & applicat eis fructum illum, ſit hoc Sacrificium; conſequens eſt, vt ſicut iis, qui ſunt extra Eccleſiam, non poteſt applicare alia media, nec indulgentias, & alia eiuſmodi, ſic nec poſſit fructum huius Sacrificij immediatè applicare.

Fructus ſatisfactionis ex opere operato non communicatur his perſonis. Ratio eſt quia Baptiſmus eſt ianua ad Sacramenta.

Obiicitur primo, quia hoc Sacrificium offertur ab omnibus fidelibus etiam non baptizatis; ergo omnes 167.
poſſunt recipere eius fructum. Antecedens videtur colligi ex illis verbis Miſſæ: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ,* &c. Catechumeni enim fideles pertinent ad Dei familiam: ergo illa oblatio eſt etiam illorum. Reſpondetur negando antecedens; in illis autem verbis nomine *familiæ* intelligitur familia viſibilis, ad quam non pertinet catechumenus, ſed ad inuiſibilem per fidem internam, cuius ſignaculum externū nondum accepit. Certum autem videtur, quod ij qui non ſunt Eccleſiæ viſibilis membra, non poſſunt offerre hoc Sacrificium. Nam Sacerdos non eſt Sacerdos Gentilium, ſed ſolius Eccleſiæ: ergo ſolius Eccleſiæ eſt Legatus, & nuntius ad Deum: ergo non poſſunt per eum offerre, niſi qui ſunt de hac Eccleſiæ republica, cui Chriſtus reliquit hoc Sacrificium, atque ideo ſicut extra Eccleſiam non poteſt offerri; ſic qui ſunt extra Eccleſiam, non poſſunt illud validè offerre.

Obiicitur primo. *Reſpondetur.*

Dices; ſi catechumenus ſtipem daret Sacerdoti, 168.
vt Miſſam celebraret, vel alias cooperaretur ſacrificio, videtur, quod aliquo modo offerret. Reſpondeo, offerret effectiuè, atque ideo ſi eſſet in gratia, mereretur per illud bonum opus, ſicut per alia pia opera: non tamen offerret effectiuè, nec haberet fructum ſatisfactionis ex opere operato; quia illud ſignum non eſt inſtitutum pro ipſo in ratione Sacrificij; atque ideo, prout ab ipſo, non ſignificaret vt Sacrificium: poſſet tamen vtiliter dare ſtipem Sacerdoti, vt Sacerdos applicaret Miſſam ad impetrandum pro ipſo, vt poſtea dicemus.

Inſtantia. Diluitur.

Dices iterum. Oblatio Sacrificij pertinet in omni 169.
lege ad cultum Dei; atque ideo omnes, qui piè volūt Deum, debent, vel poſſunt, vel per ſe, vel per alios offerre illud, & exercere hunc actum cultus, & religionis erga Deum. Cum ergo de facto non poſſit licitè offerri aliud Sacrificium, abrogatis iam omnibus, quibus hoc vnicum Sacrificium ſucceſſit; conſequens eſt, vt poſſint ſaltem hoc Sacrificium offerre Catechumeni ad hoc, vt poſſint debitum religionis cultum exercere. Reſpondetur, ſicut abrogata ſunt omnia alia Sacrificia: ſic etiam abrogatæ ſunt omnes aliæ leges, & præcepta, eſt Religio Chriſtiana quam omnes profiteri, & ingredi debent Baptiſmum, & in qua ſatisfacere poſſunt debito offerendi verū Sacrificiū, licet extra Eccleſiam non poſſint illud offerre.

Inſtabis. *Reſpondetur.*

Obiicitur ſecundo: quia hoc Sacrificium eſt Sa- 170.
crificium laudis, & gratiarum actionis, offertur pro Catechumenis, ſcilicet pro Sanctis, qui abſque reali Baptiſmo gloriam æternam adepti ſunt per martyrium; vt pro S. Emerentiana, & aliis ſimilibus;

Obiicitur ſecundo.

item pro Patribus antiquis, vt conſtat ex Liturgia S. Chryſoſtomi, in qua dicitur: *Offerimus tibi rationalem hunc cultum pro in fide requieſcentibus maioribus Patribus, Patriarchis, Prophetis*, &c. ergo etiam prout eſt propitiatorium poterit offerri pro fidelibus non baptizatis. *Reſpondeo.* Reſpondetur negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, quia in primo caſo nullus fructus Sacrificij applicatur immediatè illis Sanctis, ſed nos, qui offerimus, gratias agimus noſtro nomine Deo pro beneficiis collatis in illos, ex quo indirectè redundat gloria, & honor ipſis: in ſecundo autem caſu fructus ſatisfactionis deberet immediatè ipſi applicari, non nobis.

171. *Obiicitur tertio.* *Reſpondetur.* Obiicitur tertio Innocentius tertius in c. *Apoſtolicam*, de Presbytero non baptizato, vbi dicit, pro illo, qui putans, ſe eſſe baptizatum abſque Baptiſmo obiit, debere hoſtias, & preces offerri. Reſpondetur, potuiſſe illa ſacrificia prodeſſe illi animæ ſaltem, vt impetratoria, vt ſtatim videbimus.

172. *Quæſitum.* Petes: cur magis poſſit cõmunicari fructus ſatisfactionis ex hoc Sacrificio defuncto baptizato, quã catechumeno: neuter enim eſt iam ouis, aut ſubditus Eccleſiæ, quæ applicat hoc Sacrificium. Sicut ergo Prælatus, qui non poteſt paſcere niſi oues, adhuc communicat fructum Sacrificij defuncto baptizato, cur non poterit illum communicare catechumeno, licet non fuerit ſubditus Eccleſiæ. *Solutio.* Reſpondeo, applicationem huius Sacrificij non eſſe proprie, & in rigore actionem paſcẽdi: alioquin nõ poſſet fieri, niſi à Prælato, vel Paſtore illius cui applicatur, ſed eſt quaſi paſcere minus proprie. Cæterum hic actus poteſt magis exerceri circa baptizatum defunctum quam circa non baptizatum: quia applicare fructum defuncto, eſt applicare partem ſatisfactionis, quæ prouenit Chriſto prout offerenti, ſeu offerre nomine Chriſti pro tali defũcto: Chriſtus autem æque poteſt offerre pro defuncto, ac pro viuo. Quare licet Pontifex non poſſit defunctis dare Indulgentias, ſicut viuis, ſed ſolum indirectè & per modum ſuffragij, vt videbimus in tract. de Pœnitẽtia: quia Pontifex non eſt Superior defunctorum, ſed viuorum: hoc tamen Sacrificium immediatè, & directè applicatur pro defuncto, ſicut pro viuo, quia in eo Chriſtus, qui offert, æque poteſt applicare ſuam ſatisfactionem vtrique: Sacerdos vero miniſter ſolum determinat oblationem Chriſti offerentis principalis ad hunc, vel ad illum. Cæterum, licet Chriſtus æque poſſet offerre pro defuncto non baptizato, & applicare illi ſuam ſatisfactionem: noluit tamen: quia ſicut catechumeni non ſunt membra Chriſti viſibiliter, & exterius, ſed interius: ſic Chriſtus influit, & communicat illis effectus interiores, illos autem effectus, qui exterius, & per viſibilia ſigna conferũtur, qualis eſt hoc Sacrificium, confert illis, qui etiam exterius, & viſibiliter ſunt eius mẽbra: quibus etiam viſibilis influxus conuenit.

An poſſit hoc Sacrificium offerri pro non baptizatis, ad impetrandum.

173. *Præcipua difficultas.* *Sententia vera multipliciter probari poteſt.* *Primo ex vſu Eccleſiæ.* *Vaſq.* *Reſpondet Vaſq.* Præcipua difficultas eſt, an hoc Sacrificiũ, quoad vim impetrationis, quã habet nomine Chriſti, poſſit pro defũcto, vel etiam viuente non baptizato offerri. In quo affirmandum cenſeo contra P. Vaſq. ſupra citatũ: quod multipliciter probari poteſt. Primo, ex vſu Eccleſiæ, quæ conſueuit in Miſſa pro Catechumenis orare, imo & pro Regibus, & Principibus Ethnicis, vt conſtat ex multis locis, quæ affert idẽ Vaſq. *c. 1. & 3.* ad quæ omnia vno verbo reſpõdet, poſſe quidẽ in Miſſa pro non baptizatis orari, non tamen poſſe Miſſam pro eis offerri. Eccleſia itaque aliquando pro eis in Miſſa orat, ſicut & pro infidelibus: non tamen pro eis Sacrificium offert.

Contra hanc tamen reſponſionem primo argui poteſt; quia Eccleſia fere nunquam explicat in actu ſignato, ſe offerre pro impetranda hac, vel illa re, ſed ſolum orat pro illa re, dum ſacrificium celebrat, & hoc ipſum eſt in actu exercito offerre ad illam impetrandam. Secũdo pro catechumenis Eccleſia non ſolum orat, ſed offert explicite, vt conſtat ex libro, qui inſcribitur *Ordo Romanus*, in c. cui titulus eſt; *Incipit ordo, vel denuntiatio ſcrutinij ad electos*, &c. vbi in Miſſa dum Catechumeni præparantur ad futurum Baptiſma in oratione infra Canonem ſic habetur: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quæſumus Domine, vt placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis, & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ donum eligere, atque vocare dignatus es.* 174. *Impugnatur.* *Ord. Rom.*

Ad hunc locum P. Vaſq. *n. 19. & ſequentib.* multas tentat ſolutiones. Primo dicit, non potuiſſe Eccleſiam intendere pro iis offerre, quos paulo ante voce Diaconi ab Eccleſia excecerat: cur enim nollet præſentes eſſe, pro quibus Sacrificium offerretur? Ad hoc tamen nos facile reſpondemus, non decere quod adſint Sacrificio ij qui illud cum Sacerdote offerre non poſſunt. Nam populus præſens facit vnum cum Sacerdote, & per illum offert idem Sacrificium; ij autem qui non ſunt baptizati, offerre non poſſunt, licet pro ipſis poſſit offerri: ideo non permittuntur adeſſe Sacrificio. 175. *Ad hunc locũ primo reſpondet Vaſq.*

Sed quid tãdem reſpondet ad verba adeo expreſſa; Dicit, Catechumenos illos fuiſſe infantes, qui per alios offerebantur. Offert ergo Eccleſia tunc directè pro illis, qui infantes adducebant; & hinc indirectè potuiſſe etiam bonum aliquod in ipſos paruulos redũdare. Alioquin quid poterat pro paruulis petere, qui capaces non erant fructus Sacrificij, quoad ſatisfactionem, neque etiam quoad illuminationem, vel inſpirationem internã, quæ virtute illius Sacrificij daretur.

Hæc tamen reſponſio aperte reiicitur ex verbis illius orationis: nam ſtatim poſt verba ſupra poſita recitabantur nomina electorum ad baptiſmum, & ſtatim proſequebatur Sacerdos: *Hos Domine, fonte Baptiſmatis innouandos Spiritus tui munere ad Sacramentorum tuorum plenitudinem poſcimus præparari iubeas, dieſque noſtros in tua pace diſponas*, &c. ergo in præcedentibus verbis non de parentibus, ſed de ipſis paruulis ſermo erat; quibus licet nec illuminationes, nec ſatisfactio dari deberet; poterat tamẽ protectio, & ſuſceptio Baptiſmi peti; purgatio etiã & excluſio diaboli quam tot exorciſmis, & orationibus Eccleſia ante Baptiſmum procurat. Quem ſenſum videtur exprimere Oratio, quæ eſt poſt Cõmunionem, his verbis: *Adeſto Domine quæſumus, noſtræ redemptionis effectibus, vt, quos Sacramentis æternitatis inſtituis, eiſdem protegas dignanter aptandos*; vbi per Sacrificium quo redemptionis effectus confertur, petitur protectio baptizandis. 176. *Reiicitur hæc reſponſio.*

Reiicitur deinde eadem reſponſio ex aliis verbis eiuſdem Officij: nam in alia oratione ſecreta paulo inferius ſic oratur: *Remedij ſempiterni munera, Domine, lætantes offerimus ſuppliciter exorantes, vt eadem nos & digne veneremur, & pro ſaluandis congruenter exhibere perficias.* Vides, pro baptizandis etiam offerri munera, & Sacrificium: nec aliis verbis clarioribus, aut magis directis offert vnquam Eccleſia pro baptizatis. Vnde idem Vaſq. n. 21. aliter dicit poſſe reſponderi, Eccleſiam in illis orationibus ſequutam fuiſſe in praxi ſententiam illam probabilem, quod poſſit offerri hoc Sacrificium pro non 177. *Reiicitur deinde ex aliis verbis.*

baptizatis

baptizatis, quam tamen ſolutionem ipſe nec approbat, nec reprobat. Mihi tamen ſatis eſt, Eccleſiam Romanam eum ritum offerendi ſeruaſſe, vt credam, nihil falſitatis in eo contineri. Vnde enim potuit Concilium Tridentinum colligere, Canonem Miſſæ nullum errorem continere, niſi quia à Pontificibus inſtitutus eſt, provt id probat *ſeſſ. 22. c. 4.* Adde, hanc videri fuiſſe mentem etiam Eccleſiæ Græcæ, vt colligi poteſt ex antiquiſſimis Liturgiis, in quibus impetratio extenditur ad Chriſtianos, & orbem vniuerſum. Sic etiam in Canone noſtro offerimus pro omnibus in Chriſto quieſcentibus; & in oblatione calicis, pro noſtra, & totius mundi ſalute: & Innocentius III. in *d. c. Apoſtolicam*, de Presbytero non baptizato; vult hoſtias, & preces offerri pro non baptizato. Et Ambroſius in Orat. de obitu Valentiniani Imperatoris Catechumeni, hortatur, vt pro eius anima Sacrificia offerantur. Quæ verba Innocentij & Ambroſij ſine violentia intelligi non poſſunt de eleemoſynis ſolum, & aliis operibus, quæ latè, & impropriè Sacrificia appellantur, vt explicat Vaſq. *n. 24.* Nam Ambroſius loquitur de Sacrificio Sacramentali: *Date*, inquit, *manibus ſancta myſteria: date Sacramenta cœleſtia, animam piam noſtris oblationibus proſequamur.* Item Innoc. III. expreſsè loquitur de hoc Sacrificio: nam poſtquam auctoritate Auguſtini, & Ambroſij probauit, abſque Baptiſmo potuiſſe illum ſaluari, ſic concludit: *Sopitis igitur quæſtionibus Doctorum, Patrum ſententias teneas, & in Eccleſia tua iuges preces, hoſtiaſque Deo offerri iubeas pro Presbytero memorato.* Non poterat clariùs Miſſæ ſacrificium præcipi, quam præcipiendo, vt in Eccleſia hoſtias offerrent pro illo.

Conc. Trid. — Innoc. III. — Ambroſ.

178. *Nec locum habet alia reſponſio.*

Neque etiam locum habet alia reſponſio, quam indicat eſſe probabilem Vaſquez ibidem, quod ſcilicet propter dubium, quod erat de Baptiſmo illius, offerri poſſet Miſſa pro illo: nam ex contextu conſtat, nullum fuiſſe tale dubium, ſed compertum omnino fuiſſe, quod obierit omnino abſque Baptiſmo: nec Innocentius eam rationem affert ſuæ deciſionis, ſed doctrinam Patrum docentium, poſſe haberi ſalutem abſque Baptiſmo in re ſuſcepto. Hoc ipſum conſtat ex Tertul. *lib. ad Scapulam, c. 2.* vbi dicit: *Itaque ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius.* Et Chryſoſt. *hom. 77. in Ioan.* verſus finem: *Ideo*, inquit, *inuicem ſalutamus, vt multi vnum efficiamur, & communes pro non vnitatis preces effundamus.* Quo etiam modo loquitur *in Epiſt. 1. ad Timoth. c. 2. hom. 8. & hom. 16.* & Proſper. *lib. 1. de vocatione Gentium, c. 12.* aliàs *4.* & alij plures; quæ verba non ſine violentia explicat Vaſquez de nuda oratione, non de oblatione Sacrificij: nam Tertullianus, vt vidimus, de actione ipſa ſacrificandi loquitur. Nec obſtat, quod Tertullianus addit: *Sed quomodo præcepit Deus, pura prece.* Hoc enim dicit, non ad excludendum verum ſacrificium, vt notauit Pamelius ibi, ſed ad excludendum Sacrificium cruentum, quale apud Gentiles erat, vt conſtat ex verbis ſequentibus: *Non enim eget Deus conditor vniuerſitatis odoris aut ſanguinis alicuius: hæc enim dæmoniorum pabula ſunt.* Nec nouum eſt, hoc Sacrificium *preces* appellare, eo quod verbis conſecrationis fiat, non iugulatione, aut mactatione reali, vt in ſuperioribus vidimus.

Tertul.

179. *Ratio manifeſta hoc ipſũ oſtendit.*

Ratio denique manifeſta hoc ipſum oſtendit; quia hoc Sacrificium, vt impetratorium offerri poteſt pro quacunque re à Deo iuſtè obtinenda, atque adeo non ſolum pro baptizatis, ſed etiam pro rebus inanimatis, & pro expertibus rationis, vt pro pluuia, pro fructibus, pro pecoribus, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, & definitione Trid. *ſeſſ. 22. can. 3.* vbi dicitur, *offerri debere pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus.* Mirum ergo eſſet, quod poſſet offerri ad impetrandam ſanitatem boui, aut equo, non tamen ad impetrandam ſalutem ſpiritualem filio, vel amico infideli. Ratio autem à priori, qua ſimul diſſoluuntur argumenta contraria, hæc eſt, quia impetratio non reſpicit immediatè perſonam, cui confertur beneficium, ſed illam, quæ poſtulat: vnde qui petit ſanitatem equi, non dicitur offerre pro equo, ſed pro ſe, vt impetret ſibi immediatè illud beneficium. Cum ergo non ſit minus beneficium offerentis ſalus ſpiritualis filij, vel amici, quam ſanitas equi, poterit etiam offerre ad illam impetrandam. Quamvis ergo immediatè non poſſet offerri pro non baptizatis, quia ipſi capaces non ſunt fructus huius Sacrificij poterit offerri pro baptizato, qui poſtulat tanquam beneficium proprium illud quod non baptizato confertur.

Ratio à priori qua diſſoluuntur argumenta.

180. *Facilè hinc diſſoluuntur quæ pro ſe congerit Vaſquez.*

Hinc iam facilè diſſoluuntur, quæ pro ſua ſententia latè congerit P. Vaſquez. Primo ergo affert verba Conc. Brachar. *2. c. 35.* quibus dicitur: *Placuit, vt catechumenis ſine redemptione Baptiſmi defunctis ſimili modo, neque oblationis ſancta commemoratio, neque pſallendi impendatur officium.* Sed mirum eſt, quod hoc teſtimonio quaſi irrefragabili vtatur, quod quidem non ſolum prohibet oblationem Sacrificij, ſed etiam Pſalmodiam, & alias preces publicas Eccleſiæ; cum tamen P. Vaſquez etiam intra ipſam Miſſam dicat, potuiſſe pro Catechumenis orari, dum oblatio non fieret pro ipſis. Omnes ergo reſpondere debemus illam prohibitionem non fieri propter incapacitatem ad participandum fructum illarum orationum, aut Sacrificij, ſed propter alias rationes, ſicut & præcedenti capite prohibetur, ne etiam offeratur oblatio, vel fiat pſalmodia pro iis, qui propter ſua delicta morte puniuntur, qui tamen capaces ſunt proculdubio vtriuſque fructus. Cum ergo ſtatim dicat, *ſimili modo*, pro Catechumenis non eſſe offerendum, aut pſallendum; intelligi debet in eodem ſenſu ſcilicet vt alij diligentiùs, & ſeriùs curent Baptiſmum ſuſcipere, nec ſe exponant periculo moriendi abſque Baptiſmo. Sicut & ipſe Vaſquez fatetus *n. 28.* olim vſum fuiſſe orandi pro Infidelibus, & hæreticis publicè in Miſſa, poſtea vero id non licere, niſi in die Paraſceues propter Eccleſiæ prohibitionem; potuit ergo illa prohibitio fieri ante Conc. Brachar. quod celebratum fuit circa annum 616. & ideo reprehendi illi, qui contra Eccleſiæ prohibitionem orabant vel offerebant publicè pro Catechumenis.

Conc. Brach.

181. Chryſoſt.

Secundo affert Chryſoſt. *in Epiſt. ad Philip. ſerm. 3. in exhortatione Morali*, vbi poſtquam dixit, orandum eſſe in Eccleſia pro defunctis, dum Sacrificium propoſitum eſt, addit: *Verum iſtud quidem de illis dicimus, qui in fide abſceſſerunt. Catechumenos vero neque illo ſolatio dignamur, ſed omni huiuſmodi deſtituti ſunt auxilio, vno quodam dempto. Quonam illo? Pauperibus illorum nomine dare licet, vnde illis nonnihil refrigerij accedit.* Reſpondetur, ex his verbis ſolum probari, quod tunc in ea Eccleſia non orabatur publicè in Miſſa pro Catechumenis defunctis, licet pro illis publicè eleemoſynæ fieri poſſint: quia licet paulò ſuperius eos videatur Chryſoſt. numerare cum infidelibus, dum dicit: *Defleto infideles, defleto eos, qui nihil ab infidelibus differunt, qui ſine illuſtratione hinc obeunt ſine ſignaculo; iſti reuera digni ſunt planctibus, digni lamentationibus; quippe qui extra regias cœleſtes cum iudicio obnoxij ſunt, & condemnati.* Hæc tamen per quandam exaggerationem, & ad incutiendum terrorem dicta videntur; nam poſt pauca rigorẽ mitigans dicit: *Defleamus iſtos, iuuemus eos pro viribus, procuremus eis aliquid auxilij, modici quidem; attamen iuuemus eos.* Vbi iam oſtendit, aliquam poſſe eſſe

Explicatur locus Chryſoſtom.

pem de aliquibus eorum, & ideo poſſe, & debere iuuari, modo tamen debito, vt poſtea declarat à verbis ſupra adductis. Ad ſummum ergo Chryſoſtomus voluit, pro Catechumenis orationes publicas in Eccleſia non fieri; quia, vt dicit Sixtus Senenſis *lib. 6 Biblioth. ſacræ, Annotat.* 331. tunc temporis prohibebatur ad coërcendam eorum negligentiam in recipiendo Baptiſmo.

182. *Aug. ft. Ad locũ Auguſtini quem affert, reſpondetur.* Tertio affert Auguſtinum *lib. 1. de Anima, & eius origine, c. 9. tom. 7.* vbi referens errorem cuiuſdam dicentis, animas infantium non baptizatorum debere Sacrificij oblatione iuuari, vt æternam vitam aſſequantur, ſubdit hæc verba: *Ecce aliud, vnde nunquam exiturus eſt, niſi eum dixiſſe pæniteat. Quis enim offerat corpus Chriſti, niſi pro eis, qui membra ſunt Chriſti?* Ad hoc P. Suar. cum aliis reſpondet, ibi Auguſtinũ loqui de defunctis, quibus per mortem prodeſſe non poteſt Sacrificium illud, ſi nõ fuerint baptizati, quia iam ſunt extra ſtatum ſalutis. Sed contra vrget Vaſq. *n. 14.* primo, quod Auguſt. ad probandam concluſionem particularem de paruulis defunctis aſſumit propoſitionem magis vniuerſalem quod ſcilicet nõ poſſit offerri ſacrificiũ Chriſti, niſi pro mẽbris Chriſti; alioquin probaret idem per idẽ. Secundo, quod idẽ Auguſt. *c. 11.* de omnibus non baptizatis in vniuerſum id negat his verbis. *Sed etiamſi hoc iſti concedatur, quod ſalua fide Catholica, & Eccleſiaſtica regula, nulla ratione conceditur, vt pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur Sacrificium corporis, & ſanguinis Chriſti, tanquam per huiuſmodi pietatem ſuorum ad regnum cælorum quo perueniant, adiuuentur.* Ecce, pro nullo non baptizato offerri poſſe apertè docet.

183. *Neque eſt contra nos Aug.* Adhuc tamen Auguſt. non eſt contra nos: ipſe enim in vtroque loco agit ſolum de effectu expiationis, & purgationis à peccato ex opere operato, & immediato, quem, vt diximus, non poſſunt ab hoc Sacrificio participare, qui baptizati non ſunt. Nam ille contra quem Auguſt. ibi agit, non negabat in paruulis peccatum originale, vt Pelagiani, vt conſtat ex fine illius *capitis noni*; ſed dicebat, poſſe ſacrificiis ab eo purgari poſt mortem. Contra quem rectè Auguſt. docet, non poſſe ad eum effectum illi prodeſſe, cum non ſint membra Chriſti per Baptiſmum. Et in eodem ſenſu eandem doctrinam extendit *ibi, & c. 11.* ad adultos non baptizatos, ſcilicet vt à peccato purgentur, & ingrediantur cœleſtem regnum, prout ſignificant verba illa *tanquam per huiuſmodi pietatem ſuorum, ad regnum cælorum quo perueniant, adiuuentur*; quod veriſſimum eſt; nam effectus ille immediatus non prouenit alicui abſque Baptiſmo. De impetratione autem, qua illis adhuc in hac vita exiſtentibus aliquid poſſumus impetrare, nihil dixit. Adde, hunc effectum impetrationis magis dari petenti, quam illi, cui poſtulamus, vt dixi; atque adeo ſacrificium tunc non tam offerri immediatè pro illo, quam pro ipſo petente, cui immediatè, & directè fructus impetrationis concedi debet.

184. *Arguit denique ratione.* Ratione denique arguit n. 17. quia hoc Sacramentum in ratione Sacramenti non prodeſt, niſi baptizatis; ergo neq. in ratione ſacrificij. Addi poteſt, quia neq. in ratione ſacrificij prodeſt nõ baptizatis ad effectum ſatisfactionis, ergo neq. quoad effectum impetrationis. *Reſpondetur facile ex dictis.* Reſpondetur facile ex dictis, negando vtramq. cõſequẽtiam; ratio eſt, quia effectus Sacramenti, vel etiã effectus ſacrificij, quoad ſatisfactionem, ſunt effectus immediati, qui non poſſũt dari, niſi ſubiecto capaci per baptiſmum; at vero impetratio, vt diximus, immediatè confertur offerenti, ſeu poſtulanti, qui cum ſit baptizatus, eſt capax, indirectè vero, & per reſultantiã redũdat illud cõmodum in bonũ alterius nõ baptizati, ſicut poſſet redũdare in bonum animalis bruti: quare non debet attendi ad eius capacitatem, vel incapacitatem.

An poſſit offerri pro excommunicatis.

Secundo dubitari poteſt de excommunicatis, & præciſis ab Eccleſia, an ſint capaces fructus huius ſacrificij, & an poſſit pro eis offerri, quod pertinet magis ad materiam de Excommunicatione, vbi latè id tractat vltra alios P. Suar. *tom. 5. diſp. 9. ſect. 1. & aliis ſequentibus.* Breuiter dicendum eſt, Eccleſiam velle, quantum poteſt, excommũnicatum excommunicatione maiori priuare communibus ſuffragiis, non priuatis, quibus vnus priuatus ſuam ſatisfactionem poteſt offerre pro excommunicato, cui proderit, ſi ſit in ſtatu gratiæ: poteſt item pro eo orare priuata oratione. Suffragia ergo cõmunia ſũt orationes, quæ offeruntur nomine Eccleſiæ, Indulgentiæ, & ſacrificium, quod etiã nomine Eccleſiæ offertur. Oportet ergo diſtinguere in Sacerdote id, quod ipſe ſuo nomine facit, orat, vel offert; ab eo quod facit, orat, vel offert nomine Chriſti, vel Eccleſ. nam nomine proprio poteſt validè & licitè orare pro excommunicato, etiã in Miſſa, dũ ſolam ẽre id faciat, & non per orationes, quæ Eccleſiæ nomine dicuntur: poteſt etiam nomine ſuo priuatim offerre illud ſacrificiũ pro excõmunicato, ſicut poteſt alias priuatas orationes offerre pro illo, non tamẽ poteſt nomine Eccleſiæ vel vt miniſter Chriſti; cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi velit nomine Eccleſiæ offerre, illicitè, & inualidè, id faciat: quià Eccleſia non habet intentionem offerendi pro excommunicato, ſed potius contrariam: ſi vero offerat vt miniſter Chriſti, & eius nomine: illicitè quidem id faciat, & contra Eccleſiæ prohibitionem; ſed tamen validè: quia quoad illam actionem non dependet ab Eccleſia, ſicut nec ad validè conſecrandum, aut vngendum infirmum. Poteſt etiam in *Memento* ſecreto orare pro excommunicato, dum nomine priuato id faciat, quidquid aliqui dubitauerint. 185. *Dubium de excommunicatis.* *intendit Eccleſia priuare excõmunicatum communibus ſuffragiis non priuatis.*

Difficultas eſt, an poſſit licite Sacerdos orare nomine Eccleſiæ, vel offerre vt miniſter Chriſti pro excommunicato non vitando, ſeu qui nec ſit notorius percuſſor clerici, nec nominatim denunciatus. Negant multi, Suar. *d. tom. 5 diſp. 9. ſect. 1. n. 17.* Vaſq. *tract. de excommunicat. dub. 8. n. 3.* & ſupponere videtur Thom. Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp. 9. n. 13.* & alij multi; quia Concilium Conſtantienſe ſolum conceſſit communicationem cum aliis excommunicatis; orare autem, vel offerre pro aliquo nõ eſt communicare cum illo; nam abſque vlla communicatione poſſum ego apud Prælatũ intercedere prõ excommunicato denunciato. Deinde, quia Concilium non intendit fauere in aliquo ipſis excommunicatis, ergo non intendit communicare illis ſuffragia Eccleſiæ; imo addunt aliqui nec potuiſſe id fieri, niſi ablata excommunicatione, cuius ſubſtantia eſt, excludere à participatione horum ſuffragiorum. 186. *Alia difficultas.* *Negãt multi.*

Cæterum contraria ſententia ſemper viſa mihi eſt ſatis probabilis, quam docent Nauar. *in Man. c. 27. n. 36.* Henriq. *lib. 13. cap. 16.* Sà verbo *Excommunicatio, n. 36.* Vgolinus *de Cenſuris, tabula 1. c. 9. §. 1 ad finem.* Graffius *to. 1. lib. 4 c. 2. num. 10.* qui citant Ioannem Bapt. Antonutium *Catecheſ. Neapolit lib. 1. c. 14. vel 15. n. 7.* Coninch. *diſput. 14. de Excommunicat. dub. 6. n. 40.* Fauet Auila *in Compendio Nauarri,* verbo *Hæreticus,* & de Cenſuris. *2 p. c. 6 diſput. 9. dub. 4. & 6.* & Couarru. in c. *Alma mater, p. 1. §. 4.* 187. *Contraria ſententia ſatis probabilis eſt.*

Probant aliqui quia viri pij ſæpè offerunt ſacrificiũ pro prouinciis hæreſi infectis. Hæc tamẽ parum 188.

probat,

probat, quia illi tunc directè non orant, vel offerunt pro hæreticis ſed pro conſeruatione, & propagatione fidei in illis prouinciis: non eſt autem

Sed hoc parum probat. dubium, quod poſſimus indirectè offerre etiam pro paganis, & excommunicatis vitandis, quatenus eorum bonum reſultat in Eccleſiæ dilatationem.

Adhuc tamen probari poteſt, quia per conceſſionem illam Concilij Conſtantienſis poſſumus excommunicatum occultum ſepelire in loco ſacro, vt concedit Suarez *diſp.* 12. *de Cenſuris*, *ſect.* 4. *n.* 5. & alij communiter: non poteſt autem Eccleſiaſtico modo ſepeliri; quin preces, & orationes pro eo offerantur: ergo conceſſa communicatione in ſepultura, conceſſa intelligitur facultas offerendi pro ipſo Eccleſiaſtica ſuffragia.

189. *A ſimili tamē probatur ex conceſſione Concil. Conſtant.* Secundo, quia non eſt dubium, quod poſſit eiuſmodi excommunicatus non vitandos admitti cum aliis quando Miſſa offertur: tunc autem Sacerdos orat pro omnibus circumſtantibus, tum in *Memento*, in illis verbis, *& omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus hoc ſacrificium*, &c. tum in aliis Miſſæ orationibus. Tertio non eſt etiam dubium, quod poſſimus cum eiuſmodi excommunicato non vitando recitare, vel cantare etiam in choro Officium Diuinum: tunc autem nomine Eccleſiæ oramus pro illo, dum dicimus: *Miſereatur tui omnipotens Deus*, &c. Similiter quando Sacerdos ei communionem daret, oraret dicens: *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam*, &c. Item ſi ad cantandum Euangelium admitteretur, orat etiam Sacerdos pro eo, dum dicit: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis*, &c. Cum ergo illa omnia permiſſa nobis ſint in Concilio Conſtantienſi, conſequens eſt, vt & permiſſa ſit oratio pro illo, ſine qua illa omnia non fiunt. Denique eo ipſo, quod permiſſum ſit orare cum illo, videtur permitti orare pro illo; nam per orationem communem oramus communiter pro illis, qui ſimul orant. Sic enim qui ſimul recitant Litanias, v. g. non dicunt ſinguli: *Ora pro me*, ſed *Ora pro nobis*, *Libera nos Domine*; *Te rogamus audi nos*: in quibus verbis ſicut coniungimus orationem, ſic etiam petimus, quod omnes audiamur, & impetremus; ergo ſinguli orant pro ſociis ſimul orantibus; ergo non potuit permitti communicatio in oratione, quin concederetur orare etiam pro illis.

190. *Ratio à priori qua ſoluitur contrarium fundamentum.* Ratio denique à priori, qua ſimul ſoluitur fundamentum contrarium, deſumitur ex generalitate verborum, quibus Concilium Conſtantienſe permiſit communicare cum eiuſmodi excommunicatis *in quibaſcunque Diuinis, vel extra*, & eos *non vitare* Nam licet, ſtrictè loquendo, orare pro aliquo, vel offerre pro illo, non ſit loqui cum illo, eſt tamen communicare cum illo, ſaltem in ſignificatione latiori, ſed verè Eccleſiaſtica. Sic enim loquitur

Innoc. III. Innocentius tertius in cap. *A nobis*, 28. de ſententia Excommunicationis; vbi propoſitæ ſibi quæſtioni, an excommunicatus, cum pœnitentiæ indiciis, ſed, abſque abſolutione mortuus habendus ſit pro abſoluto, & pro eo offerenda ſint ſuffragia? Reſpondet Pontifex, debere illum poſt mortem ritè abſolui à Cenſura, & tunc offerenda pro ipſo ſuffragia. *Nec obſtat*, inquit *quod legitur*: *Non communicetur mortuo, cui non eſt communicatum & viuo*: *cum etſi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuiſſet*, &c. in quibus verbis apertè ſupponit, illam oblationem pro mortuo, & orationem publicam eſſe quoddam genus communicationis: alioquin quorſum contra licentiam offerendi ſuffragia obiiceret, non licere communicare mortuis, quibus viuis communicare non licebat? Cui obiectioni non reſpondit, negando, illam eſſe communicationem, ſed dicendo, quod licita erat, quia communicandum illis fuiſſet, ſi viuerent. Adde ſepulturam 191.
in rigore loquendo, & ſtrictè, non videri eſſe communicationem cum excommunicato; nam contrectare cadauer non eſt communicare cum illo, nec eſt prohibitum; & tamen quia illa actio ſepeliendi in loco ſacro videtur ſignificare vnionem aliquam cum illo, cuius cadauer admittimus ad commune ſepulchrum: Innocentius tertius in cap. *Sacris* 12. de ſepulturis, dicit, debere negari Eccleſiaſticam ſepulturam excommunicato non abſoluto, *vt quibus non communicauimus viuis, non communicemus defunctis*: ergo nomine *communicationis*, quam Concilium Conſtantienſe permittit cum toleratis, poſſumus intelligere oblationem etiam ſuffragiorum, quæ non minus ſignificat vnionem noſtram cum illis, quam ſepultura, licet neutra ſit ſtricta communicatio. Per quod patet ad fundamentum contrariæ ſententiæ. Quod verò Concilium non intenderit fauere ipſis excommunicatis, parum refert, quia poſſunt tamen indirectè iuuari ex fauore nobis præſtito, vt poſſimus abſque ſcrupulo cum eis communicare, nec teneamur in ſacris, vel profanis eos vitare: quod nobis directè Concilium indulſit.

An offeratur pro ſolis viatoribus, & iuſtis

Tertio dubitari poteſt, an hoc Sacrificium offerri poſſit pro ſolis viatoribus. In quo certum eſt, 192. *Certum eſt offerri poſſe pro detentis in Purgatorio.* offerri poſſe pro iis, qui ſunt in Purgatorio, quibus prodeſt vt ſatisfactorium, & impetratorium: certum etiam eſt, non prodeſſe iis, qui ſunt in ſtatu damnationis æternæ: quod latè probat Vaſquez *diſp.* *Vaſquez.* a 27. *cap.* 5. Pro beatis autem non dicitur offerri, niſi impropriè, vt explicui latius *diſp.* 29. *de Incarnat.* *ſect.* 2. vbi dixi, poſſe quidem offerri in gratiarum actionem pro beneficiis in ſanctos collatis: poſſe etiam offerri ad impetrandam gloriam, & venerationem alicuius ſancti in terra: hoc tamen non ſufficere, vt dicamus, offerri Miſſam pro tali ſancto: quia hoc videtur ſignificare imperfectionem, & indigentiam in illo, pro quo offertur, & indiget mediatore, vt impetret à Deo liberari ab aliquo periculo, aut malo, quod timet. Quando ergo apud aliquos antiquos reperitur ille modus loquendi, quod offerimus pro ſanctis; explicandus eſt in ſenſu minus proprio, quod vel offerimus loco illorum, hoc eſt ad reddendas gratias pro beneficiis à Deo in eos collatis, quas gratias ipſi libenter agerēt; vel quod offerimus, vt redundet in eorum honorem; quem ſenſū ſignificāt illa verba Miſſæ, *vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem*, vel denique, quod illos inuocamus in oblatione ſacrificij, vt ipſi pro nobis intercedant; quem etiam ſenſum ſignificat Eccleſia in verbis ſequentibus: *Et illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris*: & eundem ſenſum expreſſit Concilium Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 3.

Vnde obiter aduerte, in rigore loquendo, eum, 193. *Qui offert in gratiarum actionem, non offert in rigore pro illo cui beneficia ſunt collata.* qui offert in gratiarum actionem pro beneficiis in ſe, vel in alium à Deo collatis, non dici ex eo capite propriè offerre pro illo, in quem beneficia collata ſunt, quia offerre pro aliquo, eſt offerre in fauorem, & commodum illius: gratiarum autem actio non tendit ex ſe in cōmodum agentis gratias ſed bene-

factoris, cui gratitudo exhibetur. Quam doctrinam bene tradidit P. Suarez *in præſenti diſp.* 78. *ſect.* 1. *in princip.* dicens, Sacrificium hoc provt eſt honoris & laudis, non offerri propriè pro aliis, quia ſolum ordinatur ad exhibendum cultum, & gratitudinem Deo, qui reſpectus ſunt ad ſolum Deum; quod idem de Sacrificio laudis, ſeu gratiarum actionis, diximus in prædicto loco *de Incarnatione*. Hoc tamen impugnat P. Vaſq. *d. diſp.* 127. *n.* 2. quia ſicut actus bonus gratiarum actionis adhuc eſt meritorius, & impetratorius; ſic poteſt offerri Deo ad ſatisfaciendum, vel impetrandum pro alio. Sic enim Chriſtus obtulit pro nobis actus etiam illos, quibus Deo gratias agebat pro beneficiis ab eo acceptis: ergo poſeſt idem Sacrificium, quod Deo ad cultum, vel gratiarum actionem offertur, applicari etiam pro aliis ad impetrandum, vel ſatisfaciendum. Cæterum propter hoc non debuit reiici doctrina illa P. Suar. qui nunquam negauit, poſſe idem Sacrificium, quod offertur ad honorem, & gratiarum actionem, offerri etiam ad impetrandum, vel ſatisfaciendum pro aliquo, nec de hoc eſt dubium: ſed loquutus eſt in ſenſu formali, quod ſcilicet ſub ea ratione, & ſecundum illam conſiderationem, & habitudinem, ſolum refertur ad Deum, quem colimus, vel laudamus pro beneficiis, atque ideo ſecundum eam conſiderationem non dicitur offerri pro aliquo, licet ſecundum aliam poſſit bene offerri pro alio; tunc autem iam conſideratur, vt impetratorium vel ſatisfactorium.

Vaſquez.

194. *Certū eſt quo ad impetrationem etiam peccatoribus prodeſſe.*

Quartò dubitatur, an poſſit prodeſſe exiſtentibus in peccato, an ſolis iuſtis. Certum eſt, quoad impetrationem poſſe etiam peccatoribus prodeſſe, imo ad hoc offertur, vt Deus eorum miſereatur, eoſque conuertat. Quoad ſatisfactionem vero pro debito pœnæ, quam affert ex opere operato, non prodeſt niſi iis, qui ſunt in ſtatu gratiæ. In quo omnes etiam conueniunt: nam licet aliqui, cum quibus ſentit Nauar. dixerint, poſſe aliquem ſatisfacere in ſtatu peccati mortalis pro pœna debita ex venialibus iam prius remiſſis quoad culpam, & ideo P. Suarez *diſput.* 79. *ſect.* 10. tribuat Nauarro quod idem ſenſerit de effectu remiſſionis pœnæ virtute huius Sacrificij *cap.* 19. *de Orat. num.* 73. Cæterum in eo loco Nauarrus loquitur de impetratione ſola non de effectu ſatiſfactionis immediatæ, quam affert ex opere operato, de hac enim præmiſerat, non prodeſſe eis, qui non ſunt incorporati Eccleſiæ per fidem, & charitatem, nec poſſe applicari ei, quem non credimus eſſe in gratia. Subdit tamen eum, qui eſt in mortali, participare fructum orationum, & earum valorem poſſe ei applicari, quoad effectum ſatiſfactorium, vt proſit ei tempore, quo liber erit à peccato; imo & quando ei obnoxius eſt, ſecundum opinionem, quam contra S. Thomam ipſe Nauarrus cum aliis tenuit *in cap.* 1. *in principio, num.* 45. *& ſeq. de Pœnitentia, diſt.* 6. Hæc Nauarrus ibi, in quibus ſolum loquitur de fructu orationis, & eius valore ad ſatisfactionem pro pœna; qui provt oritur ab oratione, ſemper debet eſſe per modum impetrationis: vt notauit bene P. Vaſquez *diſp.* 231. *c.* 7. *num.* 41.

Suarez.
Nauar.
Nauarrus eo in loco loquitur de ſola impetratione.

Cur requiratur ſtatus gratiæ ad illum effectum ſatiſfactionis.

Ratio autem, quare requiratur ſtatus gratiæ ad illum effectum ſatiſfactionis, pendet ex doctrina generali: quod ſcilicet, durante ſtatu peccati, nulla pœna remittatur, ſiue ex opere operantis, ſiue ex opere operato: quæ doctrina ſpectat ad tractatum de Pœnitentia: quare ſequenti tomo vniuerſaliter probanda erit.

Hinc tamen oritur quintum dubium, an hic effectus ſatiſfactionis, qui debebat prouenire ex Sacrificio, & impeditur, conferatur poſtea, quando auſertur peccati obex. Nauarrus enim *cap. illo* 19. *n.* 79. affirmauit. Contrarium tamen commune eſt apud Theologos, Suarez *d. ſect.* 10. §. *Tertiò inquiri poteſt.* Vaſquez *d. cap.* 7. *n.* 51. & alios; quod videtur omnino verum: tum quia hoc Sacramentum vt Sacramentum non confert ſuum effectum poſtea ablato obice, vt diximus *diſp.* 9. *de Sacram. in genere, ſect.* 6. quia cum ex inſtitutione ſua ſit iterabile etiam intra eandem diem (ſecluſa Eccleſiæ prohibitione) non erat, cur cauſares poſtea ſuum effectum; quæ ratio militat eodem modo in Sacrificio, cum etiam hoc Sacrificium ex ſua inſtitutione reiterari poſſit intra eandem diem (ſecluſa Eccleſiæ prohibitione) quare non eſt fundamentum illius effectus poſtea cauſandi; tum etiam, quia ſequeretur, Sacerdotem per totam vitam in ſtatu peccati ſacrilegè celebrantem, & offerentem pro ſe, ſi poſtea in articulo mortis cum attritione remiſſa confiteatur, acquirere totum fructum ſatiſfactionis ex omnibus Miſſis ſacrilegè oblatis atque adeo liberum ab omni reatu pœnæ temporalis manere; quod ex ſe non apparet credibile. 195.

An hic effectus impeditus conferatur ſublato obice.
Nauar.
Suarez.
Vaſquez.

De diſpoſitione illius, pro quo offertur.

Circa hoc ipſum dubitatur ſexto, an præter ſtatum gratiæ requiratur aliqua deuotio actualis in eo pro quo offertur Sacrificium, vt poſſit acquirere eius fructum. Reſpondetur negatiuè cum Suarez *dict. ſect.* 10. §. *Tria verò.* Vaſq. *dict. cap.* 7. *num.* 45. & aliis communiter: quia ille pro quo offertur non concurrit actiuè, ſed habet ſe paſſiuè, ſicut ille, pro quo aliquis ieiunat, vel offert alia pia opera: non ergo requiritur eius cooperatio, ſed ignorans, & nihil agens poterit illum fructum acquirere. Cæterum Suarez, licet non exigat conſenſum, vel acceptationem formalem ex parte eius, pro quo offertur; videtur tamen exigere neſcio quem conſenſum virtualem, & interpretatiuum: *Qui nulli,* inquit, *deeſt: vnuſquiſque enim cupit à pœnis liberari, & libenter hoc beneficium remiſſionis acceptat.* Ego tamen non video, ad quid hic conſenſus virtualis exigatur, ſed potius conſequenter dicendum cenſeo, ſi aliæ conditiones non deſint, acquirendum eſſe hunc effectum, etiam ſi ille, pro quo offertur, poſitiuè diſſentiret, & diceret, ſe velle retinere totum debitum pœnæ, vt habeat occaſionem agendi pœnitentiam. 196.

Non requiritur alia actualis deuotio præter ſtatum gratiæ ad acquirendum fructum Sacrificij.
Suarez.
Vaſquez.

Probatur, quia non poteſt aliquis, quando baptizatur, impedire, ne Baptiſmus afferat remiſſionem pœnæ, etiamſi poſitiuè nolit illud beneficium; ſi tamen vult ritè baptizari: quod idem de martyre dicendum eſt, non poſſe per diſſenſum impedire remiſſionem totius pœnæ, quam affert martyrium: ergo nec poterit quis impedire remiſſionem pœnæ, quam affert Sacrificium pro eo oblatum: tam enim prouenit ex mera ſatiſfactione Chriſti applicata, & ex opere operato in hoc caſu, quam in illis. Ratio autem eſt, quia ego non poſſum impedire, ne alius pro me offerat Sacrificium, cum oblatio non ſit actio mea, ſed ſolius offerentis: Sacrificium autem pro me oblatum affert ſeeum illum effectum, ſicut Baptiſmus, vel martyrium; ergo non poſſum impedire effectum ad quem ego nullo modo concurro. 197.

Probatur exemplo Baptiſmi.

Confirmatur, quia non poteſt aliquis impedire quod 198.

quod Sacrificium pro ipſo oblatum habeat effectum impetrationis in ordine, v. g. ad ſanitatem, vel quid ſimile, niſi fortaſſe per accidens, reddendo ſe magis indignum, pro quo exaudiat Deus, & acceptet Sacrificium, ergo nec poterit impedire per merum diſſenſum fructum ſatisfactionis, qui magis neceſſario oritur à Sacrificio, quam impetratio: ratio enim eſt vel maior, vel eadem, quia ſicut non poſſum impedire, quod Deus moueatur Sacrificio ad concedendum, quod petitur pro me, ſic non poſſum impedire, quod Sacrificio oblato, Deus placetur pro me.

199. Sed dubitatur vlterius ſeptimo, an melior diſpoſitio illius, pro quo offertur, faciat, quod fructus Sacrificij ſit maior. Et quidem an melior diſpoſitio offerentis augeat valorem Miſſæ, dicemus *ſect. ſequenti*: nunc ſolum agimus de illo, pro quo offertur; de quo P. Suarez dicta ſect. 10. *Nihilominus*, dicit, ex inæquali eius diſpoſitione non augeri, vel minui fructum ſacrificij, quam ſententiam ſequitur etiam Coninch *dub. 9. n. 171. & 175.* ſaltem quoad effectum remiſſionis pœnæ temporalis; quia hæc remiſſio datur per modum donationis; ſicut quando vnus homo applicat alteri ſatisfactionem proprij ieiunij, quæ quidem non erit maior in eo, cui applicatur, pro meliori eius diſpoſitione, ſed ſolum attenditur ad eum, qui applicat, ex cuius intentione determinatur quantitas applicanda.

Suarez.

Coninch.

P. Vaſq. *diſp.* 231. c. 7. n. 49. dicit, requiri quidem intentionem Sacerdotis applicantis, ipſum tamen fructum determinari ex deuotione illius, cui applicatur, non ex quacumque deuotione, ſed illa, quam erga hoc Sacrificium habet, vel habuit; nam ratione huius deuotionis non conſideratur, vt mere recipiens, ſed vt aliquo modo concurrens, & offerens, quatenus eſt membrum Eccleſiæ, quæ per Sacerdotem dicitur offerre.

200. Mihi probabilius eſt, quod abſolute creſcat effectus etiam remiſſionis pœnæ in eo, pro quo offertur, ex meliori ipſius diſpoſitione ſiue habituali, ſiue etiam actuali. Quæ videtur eſſe ſententia S. Thomæ q. 79. *art.* 5. vbi de hac oblatione dicit, *quod ſit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundum quantitatem deuotionis*, & *art.* 7. *ad* 2. dicit, *illis tamen prodeſt plus, vel minus, ſecundum modum deuotionis eorum.* Nec oppoſitum indicauit *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 4. quæſtiunc.* 1. vbi loquitur ſolum de ſuffragiis, & ſatisfactione ex opere operantis, quam vnus pro alio offert.

Creſcit tamē effectus ex meliori diſpoſitione.

S. Thom.

201. Ratio præcipua deſumitur ab exemplo Sacramentorum, quæ quidem effectum ſuum conferunt maiorem, vel minorem, ſecundum menſuram diſpoſitionis, & deuotionis illius, cui confertur: non apparet autem veriſimilis ratio diuerſitatis inter effectum Sacramenti, & Sacrificij, cum vtrumque ſit ex opere operato, vtrumque fiat per applicationem meritorum, & ſatisfactionis Chriſti, quæ inæqualiter poterunt applicari, &c.

202. Dicunt aliqui, differentiam eſſe inter gratiam, quæ eſt effectus Sacramenti, & remiſſionē pœnæ, quę eſt effectus Sacrificij; quia per gratiam homo perficitur intrinſecè, & fit melior, remiſſio autem pœnæ eſt condonatio extrinſeca, & ideo non requirit diſpoſitionem poſitiuam in ſubiecto. Sed contra hoc eſt, primo, quod effectus remiſſionis pœnæ ſecundum ſe, licet non perficiat intrinſecè ſubiectum, pendet tamen plerumque in ſua quantitate à diſpoſitione ſubiecti: nam qui maiorem gratiam, & ſanctitatem habet, ſicut per actum ieiunij, cæteris paribus, plus gratiæ meretur, quam alius, qui eſt minus gratus: ſic per idem ieiunium magis ſatisfacit: ad vtrumque enim effectum attenditur dignitas perſonæ merentis, & ſatisfacientis; & ideo opera Chriſti habebant infinitum valorem in ratione meriti, & in ratione ſatisfactionis.

Obiiciunt aliqui.

Reſpondetur primo.

203. Secundo, Sacramentum Pœnitentiæ non ſolum confert maiorem effectum gratiæ ſanctificantis homini melius diſpoſito, ſed etiam maiorem effectū remiſſionis pœnæ temporalis per ſatisfactionem Sacramentalem, vel etiam per abſolutionem; quando ſimul cum culpa remittitur, & commutatur pœna æterna in temporalem; commutatur enim in minorem, ſi ſubiectum ſit melius diſpoſitum: ergo effectus etiam ille poteſt pendere à menſura diſpoſitionis; cur ergo non pendebit, quando per Sacrificium confertur?

Reſpondetur Secundo.

Hinc ſumi poteſt ratio à priori; quia ſicut Sacramenta taliter applicant merita Chriſti ad effectum gratiæ, vt quaſi ſubſtituantur pro merito proprio ipſius hominis, vt ſicut homo per propriam contritionem iuſtificaretur, & acciperet plus, vel minus gratiæ ſecundum menſuram contritionis; ſic per Sacramentum, quaſi per meritum proprium, accipiat gratiam iuxta menſuram propriæ deuotionis: ita ſimiliter ad ſatisfactionem applicant ſatisfactionem Chriſti, quæ ſubſtituatur loco ſatisfactionis propriæ, quare ſicut hæc cauſaret plus, vel minus remiſſionis pœnæ iuxta menſuram deuotionis, & diſpoſitionis: ſic Sacramentum cauſet eundem effectum inæqualiter. Cum ergo Sacrificium applicet etiam ſatisfactionem Chriſti, & faciat illam nobis quaſi propriam ſatisfactionem, debet ſequi eandem menſuram & inæqualitatem in cauſando, quam haberet propria ſatisfactio.

Hinc ſumitur ratio à priori.

204. Obiicit primo Suarez, quia hic effectus totus pendet ex intentione applicantis Sacerdotis; ergo tantus eſt, quantum vult Sacerdos, & non pendet ex diſpoſitione alterius, cui applicatur: ille enim ſolum ſe habet, vt is, cui donatur remiſſio pœnæ: donatio autem menſuratur ſolum ex voluntate donantis. Reſpondeo, etiam in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos condonat pœnam per ſatisfactionem, quam imponit; & tamen condonatio illa menſuratur non ſolum ex intentione Sacerdotis condonantis, ſed etiam ex diſpoſitione ſuſcipientis. Sic ergo fieri poterit in Sacrificio, in vtroque enim caſu Sacerdos ſolum applicat cauſam, ſcilicet Sacramentum vel Sacrificium, quod ex ſe poſtea operatur effectum iuxta ſuam inſtitutionem. Vnde non ſe habet Sacerdos, ſicut Papa concedens Indulgentiam: hic enim non ſolum applicat cauſam, ſed determinat effectum, dum concedit remiſſionem tantæ, vel tantæ pœnæ: at vero Sacerdos non ita determinat effectum ſed ſolum applicat cauſam ad totum effectum, quem ex ſua inſtitutione poteſt operari.

Obiicit primò Suar.

Reſpondet.

205. Vnde colligi etiam poteſt ratio differentiæ inter Sacrificium, & ſatisfactionem propriam, quam aliquis alteri applicat: hæc enim non habet maiorem effectum pro meliori diſpoſitione eius, cui applicatur: quia totum ſuum valorem accipit à dignitate, & honeſtate operantis, & operis: quæ cum ſit finita, non poteſt dare maiorem, & maiorem effectum ſine termino: aliunde vero ille, cui datur ſatisfactio, non poteſt influere valorem, cum nullum habeat influxum in illud opus. At vero in ſacrificio valor licet prout conſideratur prouenire à Sacerdote offerente, ſit finitus, & ideo hic, etiamſi applicetur alteri, non poſſit creſcere ex meliori eius diſpoſitione: ſi tamen conſideretur, prout reſpondet

Diſcrimen inter Sacrificiū & ſatisfactionem propriā.

Chriſto

Chriſto offerenti, & applicanti ſua merita, & ſatiſfactiones, non habet hanc limitationem, ſed potuit applicari à Chriſto ad maiorem, & maiorem effectum. Quamvis ergo noluerit communicare efficaciam infinitam, congruum tamen fuit, vt ſicut in Sacramentis applicuit merita infinita ad effectum finitum, determinandum tamen iuxta diſpoſitionem ſuſcipientis; ſic in Sacrificio applicaret ſatisfactionem ad effectum quidem finitum, determinandum tamen iuxta diſpoſitionem illius, cui confertur.

206. *Obiicitur ſecundo.* Secundo obiicitur, quia Sacerdos ita poteſt pro ſua libertate applicare effectum oblationis, vt poſſit illum diuidere inter duos per æquales partes, & tunc ſinguli habebunt æqualem effectum, licet vnus ſit ſanctior alio, & magis deuotus: ergo non pendet ex diſpoſitione ſuſcipientis, ſed ex mera applicatione

Reſpondeo. & diſtributione Sacerdotis. Reſpondetur, Sacerdotem dupliciter poſſe facere eam diuiſionem: primo diuidendo, valorem & virtutem, ac efficaciam quaſi in actu primo, & tunc dimidia pars efficaciæ habebit maiorem effectum in vno, quam in alio; quia æqualis efficacia poteſt magis operari in ſubiecto magis diſpoſito: & hoc modo communiter fit illa diuiſio. Secundo poſſet Sacerdos intendere, quod de facto æqualis pœnæ pars remittatur vtrique in actu ſecundo, & ad hoc non deberet applicare valorem Sacrificij per partes æquales, ſed per æquales, vel inæquales, provt Deus videt congruere ad operandum effectum æqualem in vtroque; Nunquam ergo Sacerdos determinat immediatè effectum, ſed partem cauſæ, vel efficaciæ in actu primo ad cauſandum talem, vel talem effectum.

207. *Inæqualitas effectus non ſolum deſumitur ex deuotione quam quiſque habet erga hoc Sacrificium.* Hinc infero, hanc inæqualitatem effectus non debere deſumi ſolum ex deuotione, quam quiſque habet erga hoc Sacrificium, vt volebat P. Vaſq. Nam ſi aliquid probat exemplum, quo ipſe vtitur ex effectu Sacramentorum; probat, deſumendam eſſe ex quolibet exceſſu deuotionis, aut ſanctitatis, provt in Sacramentis deſumitur. Et quidem verba etiam illa Canonis, quæ ipſe affert: *& omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio*, quæ indicare videntur illam inæqualitatem effectus, non loquuntur ſolum de deuotione, erga hoc ſacrificium, ſed omni prorſus deuotione, & fide.

208. *Ratio P. Vaſq. id non probat.* Nec ratio, qua P. Vaſquez mouetur, id probat ex eo, quod per illam deuotionem erga hoc Sacrificium videntur aliquo modo concurrere, & offerre. Alius enim eſt fructus, qui illi correſpondet vt offerentibus cum Sacerdote; alius, qui datur eis ex oblatione pro eis applicata. Primus daretur independenter ab hac applicatione ſpeciali. Secundus vero è contra daretur, etiamſi nullo modo vellent offerre per Sacerdotem: & de hoc quæritur, an ſit inæqualis iuxta menſuram diſpoſitionis: nam ille alius exiguus eſt, & communis omnibus fidelibus baptizatis. Non ergo attenditur ad inæqualitatem ſecundi fructus, quod ipſi offerant, ſed quod pro ipſis offeratur, ſub qua conſideratione deuotio illa ſpecialis erga hoc Sacrificium, licet faciat illos magis offerentes, vt ita dicã, non tamen ſola illa reddet habiles, vt pro illis offeratur.

209. *Suarez. Vaſquez. Requiritur indigentia actualis in eo pro quo offertur.* Dubitatur octauo, an requiratur in eo, pro quo offertur, indigentia actualis. Reſpondetur affirmatiuè cum communi, Suarez *dicta ſect.* 10. Vaſquez *diſput.* 231. *in fine*, & aliis. Nam ſicut Indulgentiæ non acquiruntur pro peccatis futuris, nec ſatisfactio ſacramentalis tollit reatum pœnæ pro peccatis poſtea committendis: ſic nec hoc Sacrificium debuit ſoluere pro pœna nondum debita; hoc enim eſſet dare quandam impunitatem peccandi; & ſolutio ex natura ſua ſupponit debitum. Vnde reprobatur conſuetudo illorum, qui applicant Miſſas tunc pro illis, qui poſtea illas petent, & eleemoſynam, ſeu ſtipem offerent. Quod merito prohibendum dixit Henriquez cum aliis *lib.* 9. *Henriq.* *de ſacrificio*, c. 21. §. 2. & prohiberi de facto præcepit Congregatio Concilij Tridentini in reſponſione miſſa ad Cardinalem de Gueuara Archiepiſcopum Hiſpalenſem 15. Nouembr. anno 1605. ſub Paulo quinto in hæc verba: *Omnes vno ore in eam ſententiam iuerunt, vt huiuſmodi vſus his Miſſas applicandi, qui poſtea eas petituri, vel in id ſtipem collaturi ſunt tanquam periculoſus, ſcandaloſus, atque aduerſus vetuſtiſſimum Eccleſiæ morem in iſtas regiones noua aliquot Theologorum opinione non ita pridem inuectus prorſus tollatur, atque eliminetur.* Quod reſponſum ſe vidiſſe apud illum Cardinalem teſtatur *Nõ tamen hæ rationes procedunt circa fructum impetrationis.* Granado de Euchariſtia *Controuerſ.* 1. *tract.* 14. *diſp.* 7. *n.*15. Aduerto tamen, licet hæc indigentia prærequiratur ad fructum remiſſionis pœnæ participandum propter rationes aſſignatas, eas tamen non procedere circa fructum impetrationis: nam licet non poſſim ego hodie ſatisfacere pro peccato nondum commiſſo, poſſum tamen hodie orare pro auxilio in neceſſitate futura; ſicut orabat Dauid Pſalm. 70. *Ne proiicias me in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Similiter ergo poterimus hodiernum ſacrificium offerre ad impetrandum auxilium Diuinum pro neceſſitatibus futuris.

Qualis applicatio requiratur in Sacerdote.

Dubitatur nono de applicatione Sacerdotis requiſita, vt proſit Sacrificium iis, pro quibus offertur. Et in primis dubitari ſolet, an Deus attendat ad eius intentionem habitam, an ad debitam; hoc eſt, an ad illam quam vel iuxta Prælati præceptum, vel iuxta aliam obligationem debebat habere, an vero ad illam, quam de facto habet. Non deſunt enim, qui dicunt, non poſſe Sacerdotem valide offerre contra intentionem Prælati præcipientis, vt offerat pro alio. Scotus & Gabriel, quos affert Vaſquez *diſp.* 231 *c.* 6. *n.* 31. qui hoc ipſum dicunt, quando Sacerdos ex iuſtitia tenebatur offerre pro alio. Alij id affirmant, ſaltem quando Religioſus offert contra præceptum Prælati. Ita Ledeſma, quem affert Vaſq. *vbi ſupra n.*32. Eandem ſententiam tenent Corduba *lib.* 1. *q.* 3. *opin* 6. Fraxinellus, & Gauantus, quos affert Diana 1. *tom. tract. de celebrat. Miſſarum*, *reſolut.* 72. qui eam etiam ſententiam probabilem exiſtimat. 210. *Dubitatur nono.* *Quidam exiſtimant non validè offerri à religioſ. contra intentionem Prælati.* *Vaſquez.* *Ledeſma.* *Corduba.* *Diana.*

Merito tamen illam reiiciunt Theologi recentiores ferè omnes; Suar. *diſp.* 79. *ſect.* 9. Vaſq. vbi ſupra. & alij ferè omnes. Ratio potiſſima eſt, quia in Sacramentorum adminiſtratione voluntas ſubditi non pendet à voluntate ſuperioris quoad valorem actionis (excepto Sacramento Pœnitentiæ, in qua requiritur eſſentialiter iuriſdictio, cuius collatio dependet à voluntate ſuperioris) Baptiſmus enim erit validus, etiamſi fiat contra Prælati præceptum, & ſic de aliis Sacramentis; ergo & oblatio Sacrificij erit rata & valida, licet fiat illicitè contra Prælati intentionem & voluntatem. Alioquin ſi voluntas Prælati, vel debitum iuſtitiæ præualet, conſequens eſt, vt qui contra illud debitũ Miſſas aliis applicuit, ad nihil poſtea teneatur; quia quidquid ipſe contra 211. *Hæc ſententia merito reiicitur.* *Ratio potiſſima eſt.*

tentauerit

tentauerit, Sacrificium pro illis fuit acceptatum, quibus debebatur.

212. *Modernus aliquis dixit receptionem Sacramenti contra intentionem Prælati fore inualidam.* Non defuit Modernus aliquis, qui argumento contrariæ ſententiæ conuictus dixerit receptionem ipſam Sacramenti contra Prælati intentionem fore inualidam, atque ideo ſi Religioſus contra voluntatem Prælati, nolentis eum ordinari, tentaret Ordinem ſacrum ſuſcipere, quantumcunque Epiſcopus vellet conferre, & ſubditus vellet recipere, non recepturum tamen Characterem, nec Ordinem; quia voluntas ſubditi ſubordinatur omnino voluntati Prælati, qui poteſt irritare ſubditi conſenſum; ſine conſenſu autem valido eius, qui ordinatur, Sacramenti collatio inualida eſt.

213. *Hæc doctrina ex multis abſurdis refellitur.* Cæterum falſitas huius doctrinæ oſtendit falſitatem illius ſententiæ, ex qua hæc corollaria deducuntur. Si enim ſemel velis, æquè ſubordinari voluntates ſubditorum in hac materia voluntati ſuperioris, ac in aliis; inde etiam alius inferre poterit, ordinationem, aut Sacramentum collatum à miniſtro excommunicato, præciſo, hæretico, &c. non eſſe validum, quia Eccleſia præſcindit eos, & reddit inhabiles, quantum poteſt, ad omnes actiones ſacras exercendas. Sicut ergo poteſt Eccleſia reddere voluntatem ſubditi inhabilem ad contractum, ad profeſſionem, & alia eiuſmodi, ita vt actio ſequuta non ſit valida; potuit reddere inhabiles illas perſonas ad volendum conferre, vel etiam ſuſcipere Sacramenta; atque adeo eorum collatio, vel ſuſceptio etiam non erit valida, quod nemo concederet. In Matrimonio quidem id fieri potuit; quia qua parte contractus ciuilis erat, ſubiacet legibus humanis, & potuit Eccleſia reddere aliquos inhabiles ad volendum talem contractum in talibus circumſtantiis: in Sacramento autem, quà Sacramentum eſt, nemo id concedere poteſt.

214. *Malè à quibuſdam deſumitur ratio differentiæ.* Ratio autem à priori huius differentiæ non videtur deſumenda ex eo ſolum, quod in Sacramentis homo non videatur tam agere, & contrahere cum aliis hominibus, quam cum Deo; quare licet in ordine ad alios homines poſſit dirigi, & irritari eius voluntas per Superiorem, non tamen in ordine ad Deum: hæc inquam, differentia non videtur ſufficere; quia per votum etiam homo non agit cum hominibus, ſed cum Deo: & tamen valor voti dependet à voluntate Prælati, qui poteſt directè irritare voluntatem Religioſi ſubditi, ita vt non valeat votum, ſiue hoc ſit per ius naturæ, ſiue per ius Eccleſiæ, quæ hanc facultatem dedit iis Prælatis; de quo latè Th. Sanch. *lib. 4. de voto, c. 14. n. 28. & ſeqq.* *Sanchez.* Potuiſſet ergo ex hac parte ſubiacere etiam voluntati Prælati voluntas ſubditi in ordine ad conferenda, vel recipienda Sacramenta. Vnde non videtur omnino certum id, quod Suarez in præſenti loco citato ſupponit non poſſe etiam dependere à Prælato voluntatem ſubditi in ordine ad applicandam aliis ſatisfactionem ſuorum operum ex opere operantis, ſed hanc fore ratam, & validam etiam contra Prælati voluntatem: Hoc inquam, non videtur ita certum, ſaltem loquendo de poſsibili: nam ſicut poteſt Prælatus ſubditum nimis propenſum ad vota emittenda reddere inhabilem, & irritare eius conſenſum, non apparet, cur ſubditum imprudentem, & prodigum in applicanda ſua ſatisfactione aliis non poſſet coërcere, & irritare antecedenter eius conſenſum.

215. *Deſumitur ergo melius ex ipſa Sacramenti inſtitutione.* Quidquid tamen de hoc ſit; ratio differentiæ in caſu noſtro deſumenda eſt ex ipſa Sacramentorum inſtitutione: nam etiam in humanis certum eſt, quoties Superior aliquis ſupremus aliquid ſubdito committit, quod eius nomine faciat, vel aliquid ſubditis concedit: non pendet ſubditus in vſu commiſsionis, vel facultatis à voluntate Prælati, vel Superioris immediati. Si v.g. Generalis alicui committat, vt eius nomine viſitet, inquirat, præcipiat, &c. in aliqua cauſa determinata; non poteſt Prælatus inferior impedire, vel irritare geſta per ſubditum quoad illam cauſam; quia quoad illam operatur auctoritate, & nomine Prælati ſupremi, per quam iam eo ipſo eximitur à poteſtate inferioris quoad illam cauſam. Similiter ſi idem Generalis concedat ſubdito immediatè facultatem donandi, accipiendi, vel vendendi aliquid, non poteſt Prælatus inferior impedire valorem illius donationis, vel contractus, quia quoad illam non pendet voluntas ſubditi ab eius voluntate. Cum ergo Chriſtus Princeps ſupremus Sacramentorum miniſtros ſibi aſſumat, vt ſuo nomine immediatè tales actiones exerceant, cum etiam facultatem det omnibus accipiendi gratiam, & Characterem immediatè per talia media, conſequens eſt, vt tam conferentes, quam ſuſcipientes, quoad valorem collationis, vel ſuſceptionis Sacramentorum, non dependeant à poteſtate Prælatorum inferiorum: quia ea omnia fiunt ex poteſtate, & voluntate Chriſti immediata. Quod autem dicimus de valore Sacramenti, dicendum eſt pariter de valore oblationis pro aliquo factæ; quia quoad hoc operatur etiam Sacerdos vt miniſter Chriſti, & ex poteſtate ab ipſo accepta.

216. *Inſtãt aliqui.* Reſpondent aliqui, oblationem Sacrificij non poſſe, quoad ſubſtantiam, pendere à voluntate Prælati; poſſe tamen pendere, quoad applicationem pro hoc, vel illo. Sed contra; quia vtrumque fit immediatè ex poteſtate à Chriſto accepta, vt conſtat ex forma ipſa Ordinationis, qua non ſolum datur Sacerdoti poteſtas conſecrandi, ſed etiam applicandi Sacrificium, illis verbis: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium pro viuis & defunctis*; ergo quoad applicationem etiam operatur vt miniſter Chriſti, & ex commiſſione, ac poteſtate ab ipſo accepta. *Reſpondetur.*

217. Addo; etiamſi daremus, poſſe Prælatum inhabilem reddere ſubditum ad applicandum Sacrificium pro alio, quam pro Petro, atque ideo non poſſet iam validè pro alio applicare: adhuc non poſſet dici, quod Sacrificium illud prodeſſet Petro, niſi Sacerdos poſitiuè pro ipſo offerret. Ad hoc enim retorqueri poteſt argumentum, quo ipſi vtuntur ex aliis actionibus humanis: nam licet Eccleſia poſſit reddere inhabilem aliquem ad profeſſionem emittendam in alia Religione præter iſtam: ſi tamen ipſe de facto profiteatur in alia: eius quidem profeſſio erit irrita, non tamen acceptabitur à Deo pro illa alia Religione, in qua Eccleſia volebat, niſi ipſe etiam poſitiuè velit in eo profiteri. Aliud enim eſt, poſſe irritare eius voluntatem, ne habeat effectum: aliud vero dirigere efficaciter illam, vt habeat effectum, quem ipſe non vult: quod quidem Superior facere non poteſt. Cum ergo oblatio Sacrificij pro aliquo ſit actio ipſius Sacerdotis: non poteſt Prælatus facere, quod ipſe de facto offerat pro Petro, ſi ipſe expreſsè vult non offerre pro Petro, ſed pro Ioanne. Non poteſt ergo acceptari illa Miſſa à Deo pro eo, quem Prælatus vult: licet non acceptaretur pro illo, quem Sacerdos vult contra Prælati voluntatem. *Retorquetur argumentum quo vtuntur ex aliis actionibus humanis.*

218. *Hæc doctrina valet etiam quoad hoc* Imo hæc doctrina, quoad hoc vltimum, eodem modo locum habere debet in applicatione ſatisfactionis propriæ ex opere operantis, quam eſto quod non poſſet validè applicare Religioſus contra

pro applicatione ſatisfactionis propriâ ex opere operantis.

tra voluntatem, & irritationem Prælati, non poſſet tamen Prælatus facere, vt contra voluntatem ſubditi illa ſatisfactio alicui applicaretur: ſicut licet poſſit Prælatus irritare voluntatem ſubditi ad vouendum, non poteſt tamen facere quod obligetur voto contra intentionem ipſius vouentis, quia hæc omnia requirunt conſenſum perſonalem, qui aliena voluntate non poteſt ſuppleri.

219. *Dubitatur decimo.* Suarez.

Circa eandem applicationem dubitatur decimo, vtrum Sacerdos debeat offerre pro omnibus, qui ſunt Eccleſiæ membra. P. Suarez *diſput. 78. ſect. 2. & diſp. 79. ſect. 9. §. Secundo inquiri*, docet, obligari quidem ad offerendum pro omnibus, non tamen ad applicandam illis aliquam partem ſatisfactionis pro pœna, quæ ex opere operato prouenit ex hoc Sacrificio: ſufficit enim applicare impetrationem vniuerſaliter pro omnibus. P. Vaſquez *diſput. 23. cap 6. num. 35.* dicit ad vtrumque effectum debere offerri pro omnibus; imo non poſſe ſeparari vnum ab alio. Quamvis enim pendeat à voluntate Sacerdotis, quod offeratur pro hoc homine, vel non offeratur: ſi tamen applicat, & offert pro illo, non poteſt determinare efficaciam Sacrificij ad vnum effectum, & non ad alium, quia Sacrificium ſemel applicatum ex ſe operatur.

Vaſquez.

220. *Primo hæc obligatio eſt ex voluntate Eccleſiæ.*

In hoc puncto exiſtimo in primis hanc obligationem non eſſe ex iure Diuino, & inſtitutione Chriſti, ſed ex voluntate Eccleſiæ; quia licet Sacerdos ſit miniſter publicus; non eſt tamen neceſſe quod ſemper intercedat pro omnibus: ad procuratorem enim publicum pertinet etiam nunc agere pro iſto, poſtea pro illo, iuxta neceſſitates occurrentes. Aliunde vero ſi ex Chriſti inſtitutione eſſet, quod ſemper offerret pro omnibus, non poſſet Eccleſia prohibere, provt aliquando prohibet, ne offerat pro aliquibus, ſcilicet pro excommunicatis, & præciſis.

221. *Secundo non eſt obligatio cōmunicandi ſatisfactionē, ſed impetrationem.*

Secundo exiſtimo, non eſſe obligationem communicandi omnibus, & ſingulis membris Eccleſiæ ſatisfactionem, quæ prouenit immediatè ex opere operato per hoc Sacrificium: ſatis eſt offerre pro omnibus, ad impetrandum non ſolum alia bona, ſed etiam remiſſionem pœnæ, quæ impetratio non minuet effectum illum immediatum, quem per modum ſatisfactionis confert hoc Sacrificium iis, quibus ad hoc applicatur. Cum enim ſupponam, hunc effectum non eſſe infinitum, ſed proportionem determinatam, & finitam; dicendum videtur non eſſe obligationem diuidendi illum pro omnibus Eccleſiæ membris; tum quia hoc eſſet in magnum detrimentum eius, cui ſpecialiter applicatur, tum etiam, quia deberet Sacerdos taxare, quantam partem velit ſingulis applicare, an ſingulis tantam, quantam ei, pro quo ſpecialiter offert, an dimidiam partem omnibus ſimul, vel alio modo. Sacrificium enim de ſe eſt indifferens, vt hoc vel illo modo eius fructus diſtribuatur.

222. *Nec obſtat argumentum ſupra indicatū, ad quod reſpondetur.*

Nec obſtat argumentum ſupra indicatum, quo vtitur Vaſquez, quod non poſſit offerri pro aliquo, quin applicetur ad omnes effectus Sacrificij. Reſpondetur enim, imo poſſe offerri pro aliquo, & non applicari totum effectum Sacrificij; vt quando applicatur duobus ex æquo. Sicut ergo effectus ſatisfactionis poteſt applicari non totus, ſed media pars: ſic effectus diuidi poteſt, & applicari alicui impetratio, non ſatisfactio. Non enim ſe habet, quoad hoc, ſicut Sacramenta: nam Sacramentum non poteſt applicari alicui, quin applicetur ad totum effectum; nec poteſt applicari duobus, vt inter eos diuidatur effectus, vt fit in Sacrificio. Ratio autem eſt, quia in Sacramento non eſt neceſſaria intentio applicandi diuerſa, ſed ſolum faciendi illud, ſtatimque de ſe operatur effectum: vnde Sacramentum Euchariſtiæ etiam abſque intentione applicandi illud Petro, daret effectum Petro, ſi ab eo licitè ſumeretur. At vero Sacrificium poteſt quidem fieri, & non prodeſſe aliis, niſi eis applicetur ab offerente; quia vltra intentionem offerendi requiritur intentio applicandi alicui, quæ intentio in aliis Sacrificiis habet operari iuxta determinationem applicantis. Cum ergo hoc Sacrificium ſequatur naturam, & conditionem Sacrificij, oportuit, vt exigeret applicationem miniſtri ad determinandam eius indifferentiam, quia ſicut de ſe eſt indifferens ad operandum, vel non operandum in aliis niſi applicetur iis: ſic eſt indifferens, ad operandum tantum, vel talem effectum, cum poſſit diuerſa intentione offerri Sacrificium pro aliis, ſcilicet vel ad impetrandum vel ad expiandum, vel ad gratias agendas, &c. Quamvis ergo Eccleſia velit quod Sacerdos offerat pro omnibus Eccleſiæ membris non obligat, vt diſtribuat inter illos effectum illum ſatisfactionis: ille enim etiam dicitur offerre pro aliquo, qui per Sacrificium vult impetrare illi auxilium, quo liberetur à malis, quæ patitur, vel timet: & in hoc ſenſu dicimur verè offerre pro omnibus fidelibus viuis, atque defunctis, quibus etiam impetrare volumus condonationem pœnæ debitæ modo ſupra explicato per modum impetrationis.

Hoc Sacrificium exigit applicationē miniſtri ad determinandam eius indifferentiam.

223. *Dubium vndecimum. Suarez dicit validam fore hanc excluſionem.*

Hinc oritur dubium vndecimum, an ſi Sacerdos contra hanc Eccleſiæ voluntatem, aliquem à fructu Sacrificij excluderet, factum teneret. Suar. *diſp. 78. ſect. 5. §. ſed quæri rurſus poteſt*, dicit validam fore excluſionem, quoad fructum, qui prouenire poſſet ex opere operato, vel ex priuata interceſſione Sacerdotis, non vero quoad fructum, qui prouenire poteſt ex parte Eccleſiæ impetrantis, & offerentis; quia cum intentio Eccleſiæ ſit orare, & offerre pro omnibus, Sacerdos eo ipſo, quod verbis Eccleſiæ, & in eius perſona orat, non videtur habere poteſtatem excludendi aliquem. Idem docet Coninck *artic. 1. dub. 9. n. 570.*

224. *Contrarium tamen verius videtur.*

Contrarium tamen mihi verius videtur, quod ſcilicet factum tenebit, & excludetur ille etiam à proueniente fructu ex parte Eccleſiæ; quia licet legatus vtatur verbis Regis apud Pontificem, ſi tamen non habeat animum ſignificandi per verba, quod ipſa ſonant, & hoc notum ſit Pontifici, certè non petit totum id, quod verba ſonant, nomine Regis: nam petere nomine Regis non fit, niſi per verba, quibus velit ſignificare Regis voluntatem. Si ergo non vult ſignificare totum, quod verba ſonant, ſed aliquid aliud, non petit totum illud nomine Regis. Adde, Eccleſiam non offerre immediatè hoc Sacrificium, ſed per Sacerdotem, qui immediatè offerret. Si ergo Sacerdos non vult offerre immediatè pro tali perſona, non poteſt Eccleſia offerre mediatè pro illa; quia cauſa mediata non cauſat mediatè, quod cauſa immediata non cauſat immediatè. Si ergo Sacerdos habet voluntatem poſitiuam excludendi aliquem à fructu Sacrificij, ſeu non offerendi pro illo, quæ voluntas ſit magis efficax, quam illa alia implicita quam habet, offerendi iuxta Eccleſiæ intentionem, & proferendi verba omnia cum intentione, quam Eccleſia habet in illis verbis, valida erit illa excluſio, licet ſit illicita, & contra debitum charitatis, & obedientiæ.

225. *Dubitatur duodecimo quid fiat de fructu ſi non applicetur. Suarez.*

Dubitatur duodecimo, ſi Sacerdos non applicet Sacrificium pro aliquo, quid fiat de fructu illo: & an reponatur in Eccleſiæ theſauro. Suarez *d. ſect. 5. §. Tertio inquiri poteſt*, dicit nemini dandum fructum in illo caſu, ſed vel reponendum in Eccleſiæ theſauro, vel verius non extrahendum ab illo: iam enim erant omnes ſatisfactiones Chriſti prius in ipſo theſauro. P. Vaſq. *diſp. 231. c. 3. n. 10. & 11.* dicit, Sacrificium nec offerenti, nec alteri prodeſſe per modum Sacrificij, niſi pro ipſo offeratur, & ideo Chriſto non profuiſſe ſuam mortem per modum Sacrificij, quia eam non obtulit pro ſe, ſed pro nobis.

Vaſquez. Vaſq. vult nulli prodeſſe per modum Sacrificij.

226. *Hic modus dicendi alias eſt à nobis impugnatus. Prodeſt enim ſaltem ipſi offerenti exemplo ieiunij.*

Hunc modum dicendi impugnaui *diſp. 29. de Incarnat. ſect. 2. n. 21.* Nunc addo, licet vt ſacrificium proſit aliis per modum Sacrificij, neceſſe ſit, quod offeratur pro illis; id tamen non videtur verum reſpectu ipſius offerentis. Nam ſicut ieiunium meum non proderit alteri, niſi offeram illud pro ipſo, mihi tamen abſque vlla tali relatione proderit etiam vt ieiunium & afferet ſatisfactionem: ſic oblatio Sacrificij ex opere operantis, loquendo de aliis Sacrificiis, non proderit alteri, niſi pro illo ab offerente offeratur, ipſi tamen offerenti abſque vlla alia relatione proderit, ſicut alia bona opera: & per conſequens afferet meritum, & ſatisfactionem propriam, etiam vt tale opus eſt, & per conſequens etiam vt Sacrificium: neque enim Sacrificium habet diuerſum modum cauſandi hos effectus ab eo, quem habent alia opera bona. Si ergo affert ſatisfactionem, proderit offerenti per modum Sacrificij.

227. *Non habebit tũc ſpecialem effectum impetrationis.*

Loquendo autem de noſtro Sacrificio, fateor ſi Sacerdos nulli illud applicet, non habiturum ſpecialem effectum impetrationis, qui habetur, quando ſpecialiter volumus per Sacrificiũ impetrare. Nam licet omnia opera bona habeant aliquod genus impetrationis minus propriæ, non tamen illam propriam, quæ correſpondet orationi: nam qui nihil petit, non dicitur impetrare, ſtrictè loquendo: Qui ergo per Sacrificium nihil à Deo petit, non impetrabit eo genere impetrationis. Cæterum loquendo de effectu ſatisfactionis pro pœna temporali, probabile videri poteſt, Sacrificium habiturum ſuum effectum in ipſo offerente, ſi nulli alteri ab ipſo applicetur. Nam ſicut alia Sacrificia hoc ex ſua natura habent, vt, quantum poſſunt, proſint offerenti, etiamſi ipſe hoc non intendat: ſic debuit hoc Sacrificium inſtitui iuxta conditionem, & naturam aliorum Sacrificiorum, vt prodeſſet etiam ex opere operato offerenti, dum ipſe ſuam partem aliis non applicat.

De effectu ſatisfactionis aliter dicendum.

228. *Oppoſitum tamen videtur dicendum.*

Aliunde tamen oppoſitum videtur dicendum: nam licet illud argumentum, & exemplum probet de effectu, qui Sacerdoti vt offerenti reſpondet, non videtur probare de effectu, qui correſpondet Chriſto, vt principali offerenti: hic enim non oritur ex oblatione Sacerdotis, vt eſt ipſius, ſed ex oblatione Chriſti, qui tamen voluit, vt Sacerdos applicaret hanc ſuam portionem, cui vellet: quod ſi eam non applicat, non eſt cur proueniat ipſi Sacerdori, cum non ſit ipſe ſolus offerens, ſed etiam Chriſtus, qui ſuam portionem poteſt applicare, cui velit; quod ſi nõ applicetur, debuiſſet potius prouenire ipſi Chriſto offerenti, ſi ipſe indigeret, non eius miniſtro. Sicut ſi dominus per famulum det eleemoſynam, & committat etiam famulo, vt applicet ſatisfactionem illius eleemoſynæ pro defuncto, aut viuo, provt voluerit; tunc ſi famulus nulli applicet, habebit quidem ipſe famulus partem ſatisfactionis correſpondentẽ ſibi iuxta partem, quam habet in illa eleemoſyna; ſatisfactionem vero correſpondentem domino, non acquiret ſibi, niſi ex commiſſione ſibi facta eam ſpecialiter ſibi applicet, ſed potius redibit illa pars ad dominum, cuius eſt illud opus bonum, & cui debet prodeſſe, dum alteri non applicatur. Sic ergo dicendum videtur de effectu huius Sacrificij, qui correſpondet Chriſto vt offerenti. Cæterum de facto credibile, totum hoc prouenire in illu caſu ipſi Sacerdoti vel etiam aliis: quia ſemper videtur habere intentionem generalem, quod proſit, quantum poſſit illud Sacrificium ipſi, & aliis omnibus: quam intentionem ſatis explicant illa verba: *Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis*, &c. *& pro omnibus fidelibus Chriſtianis, viuis, atque defunctis, vt mihi & illis proficiat ad ſalutem*, &c. Quare dum non applicat ſpecialiter portionem Chriſto correſpondentem pro aliis, videtur velle, quod omnibus, pro quibus offert, accreſcat.

De facto tamẽ ſemper videtur habere intentionem generalem.

229. *Poteſt etiã offerri pro energumenis.*

Dubitatur decimotertio, an poſſit offerri pro energumenis. De hoc tamen benè Vaſq. *diſp. 227. c. 1. n. 4.* qui oſtendit, non fuiſſe id prohibitum in Concilio Eliberit. *can. 29.* vbi ſolum prohibetur, quod miniſtrent huic Sacrificio, vel quod eorum oblationes, & nomina recitentur inter Miſſarum ſolemnia. Denique dubitari poſſet, an ſufficiat intentio habitualis, vel requiratur virtualis ad applicandum fructũ huius Sacrificij pro alio. De hoc tamen diximus latè *ſupra diſp. 8. de Sacr. in gener. ſect. 5. & 6.*

SECTIO XI.

De iis, quibus, vt offerentibus, proueniunt fructus huius Sacrificij.

230. Non loquitur de Chriſto, qui (vt vidimus *ſect. 6.*) eſt principalis offerens, ſed de aliis, inter quos primum locum obtinet miniſter immediatus, ſeu Sacerdos conſecrans, & celebrans. Deinde, qui miniſtrant, vt Diaconus, Subdiaconus, & alij miniſtri; poſtea alij circumſtantes: illi etiam, qui ſtipem dant Sacerdoti, vel alio modo concurrunt ad oblationem Sacrificij.

Has perſonas præter celebrantem etiã offerre Sacrificium certũ eſt. Primò colligitur ex verbis Miſſæ.

Porro, has perſonas præter celebrantem in aliquo ſenſu, ſaltem mediatè offerre Sacrificium, & non ſolum pro iis offerri; dubitari non poteſt: Primò, quia id colligitur ex verbis Miſſæ, in qua Sacerdos loquitur ſæpè in plurali de omnibus: *Offerimus tibi, Domine*, &c.; & de circumſtantibus dicit: *Qui tibi offerunt*, &c. & Diaconus ſimul cũ Sacerdote in oblatione calicis dicit: *Offerimus tibi, Domine, calicem ſalutaris*, &c. Secundò, quia offerre Sacrificiũ eſt actus quidam religionis, quo colitur Deus: hic autem cultus non exhibetur à ſolo Sacerdote, ſed ab omnibus aliis, qui per oblationem Sacrificij proteſtantur, Deum eſſe auctorem vitæ, & mortis; ergo omnes offerunt Sacrificium. Tertiò, quia ille, qui vult audire Miſſam, non vult ſolum audire materialiter illas voces, & videre quæ aguntur, alioquin cæcus, & ſurdus non obligaretur illo præcepto, nec etiam vult ſolum adeſſe corporaliter in Eccleſia; poteſt enim aliquis abſque intentione audiendi Miſſam, velle adeſſe ibi ex alio fine. Vult ergo offerre illud Sacrificium ſimul cum Sacerdote; alioquin non reſtat, ad quid terminetur illa intentio audiẽdi Miſſam. Quartò, quia ſi audire Miſſam ſolum eſſet, quod Sacerdos pro me offerat vt præſente; ſequeretur, quòd poſſet Sacerdos facere, quod ego verè non ſatisfecerim præcepto audiendi Miſſam; nec Miſſam audierim, quantumvis debito modo affuerim Sacrificio: poſſet enim Sacerdos, ſaltem illicitè, excludere me, & nolle vllo modo pro me offerre

Secundò probatur.

Tertiò.

Quartò.

Sacrificium:quo tamen caſu nemo dicet,me non audiſſe Miſſam,& ſatisfeciſſe præcepto:quia nimirum licet Sacerdos non obtulerit pro me, ego tamen obtuli ſimul cum Sacerdote.

231. *Quæritur ergo an omnes alij participent fructum Sacrificij ex opere operato. Prima ſententia affirmat. Suarez. Henriq. Probatur primo.* Hoc ergo ſuppoſito,difficultas eſt,an omnes alij, qui offerunt præter Sacerdotem, participent fructum huius Sacrificij ex opere operato, an illi ſoli, pro quibus à Sacerdote offertur, & applicatur. Prima ſententia docet, omnibus iis,præter fructum, quem habent ex opere operantis,prouenire fructum ex opere operato, ſi ſint in ſtatu gratiæ. Hanc tenet Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 8.§ *Quarta de cæteris.* Henriquez *lib.* 9. *de Miſſa Sacrificio, c.* 20. *num.* 2. & alij, quos citant. Primo, quia oblatio huius Sacrificij eſt fructuoſa ex opere operato; ergo omnes, qui offerunt, participant eius fructum, ſicut quia ſuſceptio Sacramenti eſt fructuoſa, omnes qui ſuſcipiunt, participant illum fructum. *Secundo.* Secundo, quia alioquin, qui audit Miſſam, non accipit maiorem fructum, quam qui non audit, ſi Sacerdos pro vtroque æqualiter offerat. *Tertio.* Tertio addere poſſumus,hoc Sacrificium ſucceſſiſſe omnibus antiquis, & in gradu excellenti illa antecellere: ergo eius oblatio non limitatur ad ſolum fructum, quem deuotio ſingulorum offerret ex opere operantis: hoc enim antiqua etiam habebant. *Quarto.* Denique, quia ſi vnus audiat veram Miſſam, & alter cum æquali deuotione ex parte ſua audiat Miſſam Sacerdotis ficti, non eſt credibile, quod non accipiat aliquid plus virtute veri Sacrificij ille prior, quam hic poſterior. Cum ergo non repugnet hæc eleuatio oblationis,& aliunde expedierit ad illiciendos homines, vt frequentes adeſſent huic Sacrificio, credibile eſt,Chriſtum ita id inſtituiſſe.

232. *Hinc colligitur duplicem Sacerdoti fructum reſpondere, primum vt primario, ſecundum vt publica perſona.* Hinc infert Suarez, Sacerdoti duplicem fructum reſpondere ex opere operato: alterum ipſi, vt eſt priuata perſona, alterum,vt offert nomine Chriſti, & in eius perſona, quam portionem ſolam debet applicare illi, cui Miſſam debet:priorem vero poteſt ſibi retinere. Rurſus prior fructus non datur ſi Sacerdos ſit in peccato, poſterior datur, quia Chriſtus offerens non debet eo priuari. Deinde prior creſcit ex meliori diſpoſitione offerentis; poſterior ſemper eſt æqualis, quia ſemper reſpondet Chriſto offerenti.

233. *Hæc ſententia probabilis eſt. Contraria tamen probabilior eſt. Probatur.* Hæc ſententia probabilis eſt, & deſeruit ad commendandam magis vtilitatem audiendi Miſſam: ſed non video fundamentum firmum ad eam perſuadendam. Quare magis inclino in eam partem, vt ſola oblatio Sacerdotis afferat fructum ex opere operato illi cui à Sacerdote applicatur. Quam ſententiam defendit Vaſquez *diſp.* 231. *cap.* 5. *n.* 12. *& ſequentibus.* Coninch *dicto dub.* 9. *n.* 161. & alij quos citant: Quia tota efficacia huius Sacrificij in ordine ad effectum ex opere operato, videtur oriri ex eo, quod offeratur in perſona Chriſti: ideo enim eſt hæc oblatio munda, quæ nulla indignitate,aut malitia offerentium inquinari poteſt,quia nimirum prout eſt à Chriſto offerente, ſemper eſt munda,& acceptabilis: ſi autem non eſſet à Chriſto poſſet eſſe immunda in ordine ad omnes offerentes, ſi omnes immundi eſſent, & malo animo offerrent: & ideo Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. efficaciam huius Sacrificij fundat in eo, quod eadem eſt nunc hoſtia, & idem offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum in cruce obtulit. Si præſcindatur ergo, & conſideretur prout eſt oblatio huius vel alterius perſonæ, non eſt cur habeat virtutem operandi ex opere operato. Quamvis enim res oblata de ſe ſit infiniti valoris: hoc non ſufficit, vt oblatio habeat effectum ex opere operato, vt conſtat ex oblatione qua B. Virgo obtulit filium ſuum in templo, & magis ad rem noſtram exemplum poteſt adhiberi in eadem Virgine, Apoſtolo Ioanne, & aliis piis fœminis, quæ aderant iuxta crucem Sacrificio cruento; ſicut nos adſumus incruento in Miſſa: & tamen licet oblatio illius Sacrificij haberet infinitum valorem,prout à Chriſto Summo Sacerdote; illi tamen, qui aderant, licet animo offerrent Deo Sacrificium illud, non tamen habebat eorum oblatio virtutem ad cauſandum ex opere operato; licet res oblata eſſet eadem, & valeret infinitum: prius enim reſpicit Deus offerentem, & poſtea ad munera; prout reſpexit ad Abel, & ad munera eius. Quia ergo ſolus Sacerdos offert in perſona Chriſti; conſequens eſt, vt oblatio non prout à perſona Sacerdotis, ſed prout à Chriſto,habeat eiuſmodi virtutem, & efficaciam.

234. *Ad primam rationem ſupra adductā reſpondetur.* Nec obſtant rationes in contrarium adductæ. Ad primam enim dicimus, non quamlibet oblationem huius Sacrificij eſſe fructuoſam ex opere operato, ſed illam,qua Chriſtus per Sacerdotem ſe offert: in Sacramentis autem quælibet ſuſceptio eſt fructuoſa, ſi non ſit obex in ſuſcipiente. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam nego ſequelam: nam qui audit Miſſam, habet in eo caſu fructum etiam ſpecialem ex opere operantis: habet item fructum alium ſpecialem ex opere operato, quatenus per modum ſaltem impetrationis Sacerdos offert ſpecialiter pro circumſtantibus, in quibus ſuperat, cæteris paribus, eum qui non audit Miſſam, ſi aliunde pro vtroque æquè applicet Sacerdos Miſſam. Si autem comparetur ille, pro quo ſpecialiter offertur Miſſa, & illam non audit, cum eo qui audit,& pro quo non offertur niſi applicatione illa vniuerſali pro omnibus circumſtantibus; & quæratur, vtri plus emolumenti afferat, & quid ſit vtilius homini audire Miſſam; vel petere, vt pro ſe abſente offeratur; exiſtimo, habere ſe ſicut excedens, & exceſſum:nam quod attinet ad effectum remiſſionis pœnæ, plus proderit Miſſa abſenti ſpecialiter applicata; quoad impetrandum vero auxilia, præſeruandum à periculis,& alia ſimilia, conſulerem regulariter magis, quod audiretur Miſſa, quam quod in abſentia pro ipſo offerretur. Cum enim impetratio hæc non ſit ſemper infallibilis, vt ſupra vidimus, crederem cæteris paribus, facilius exaudire Deum pro eo, qui reuerenter,& deuote adeſt Sacrificio:ſic enim videtur fuiſſe congruum ad conciliandum reuerentiam, & deuotionem erga Sacrificium iſtud: & hoc ipſum non rarò miraculis, & ſignis extraordinariis videtur Deus ipſe comprobaſſe.

235. *Ad tertiam.* Ad tertiam: vt hoc Sacrificium excedat Sacrificia antiqua, non eſt neceſſe, quod ſub quacumque conſideratione habeat effectum ex opere operato: ſatis eſt, quod illum habeat,prout eſt à Chriſto offerente; & quod cum æquali deuotione afferat etiam maiorem effectum ex opere operantis, prout cætera affert propter maiorem excellentiam rei oblatæ. *Ad quartam.* Ad vltimam denique dicimus, maiorem fructum habere, cæteris paribus, eum, qui audit Miſſam veri Sacerdotis, quam qui audit Miſſam fictam: habet enim ille ad minus ex opere operatò fructum, quem per modum impetrationis applicat Sacerdos ſpecialiter omnib. circūſtantibus, quem fructum non habet, qui audit Miſſam fictam.

236. *Infertur primo.* Hinc infero primo,fructum illum,qui correſpondet Sacerdoti prout perſonæ priuatæ offerenti, vel aliis,qui aliquo modo offerunt concurrendo ad Sacrificium,deperdi omnino,quod attinet ad remiſſionem

nem pœnæ, ſi offerens ſit in ſtatu peccati; quia peccator non eſt capax remiſſionis pœnæ, nec pro ſe, nec pro alio, per communicationem ſuffragij; non perire tamen omnino fructum, qui eis correſpondet per modum impetrationis, quia peccator poteſt pro ſe, & pro aliis etiam aliquid impetrare. Quare peccator audiens Miſſam, poteſt virtute illius liberari à multis periculis, & impetrare ſibi auxilia ad impetrandum pro aliis, licet neutra impetratio ſit infallibilis.

237. *Infertur ſecundò.* Infero ſecundo; licet omnes fideles aliquo modo ſint offerentes in ſingulis Miſſis, quatenus ſacerdos offert ex cõmiſſione Eccleſiæ, & offert eius nomine, quæ conſtat ex omnibus, & ſingulis fidelibus; hoc tamen non ſufficere, vt ex ſingulis Miſſis ſinguli iuſti habeant fructum remiſſionis pœnæ ex opere operato; quia ille modus offerendi, vt diximus, non affert illum effectum ex opere operato. Affert tamen effectum impetrationis ex opere operato, quia omnes per ſacerdotem orant, & ipſe etiam orat, & offert ad impetrandum pro omnibus Sed neque poſſunt ſinguli iuſti per omnes Miſſas ſatisfacere pro debito pœnæ ex opere operantis: quia licet illa Miſſa ſit illis voluntaria in cauſa, ſeu in voluntate illa confuſa, qua volunt offerre Sacrificium per omnes Eccleſiæ Sacerdotes: ipſa tamen Miſſa non affert nouam pœnalitatem huic homini, ratione cuius cenſeatur dignus vt acceptetur illa voluntaria punitio pro aliquo debito pœnæ: nec eſt credibile, quod per ſingulas Miſſas continuo liberetur quilibet iuſtus ab aliqua parte debitæ pœnæ.

238. *Infertur tertiò.* Infero tertio cum Suarez loco citato; licet effectus, qui correſpondet ſacerdoti vt offerenti nomine ſuo, & aliis offerentibus, creſcat pro meliori diſpoſitione actuali, vel habituali offerentis, effectum tamen, qui fit ex opere operato, & correſpondet Sacerdoti, vt offerenti in perſona Chriſti, non variari pro diuerſis meritis offerentis, ſed illius pro quo offertur. Hoc eſt contra Henriquez *lib. 3. de Sacrificio, c. 20. n. 2.* & alios quos refert Vaſquez *diſp. 231. c. 7. n. 45.* ſed probari poteſt ex dictis; quia quoad illam partem Sacerdos ſe habet ſicut in collatione Sacramenti: nam licet ad eum ſpectet applicare ſatisfactionem Chriſti vt offerentis; illa tamen oblatio Chriſti prout Chriſti, nullo modo reſpicit Sacerdotem, ſed Chriſtum. Vnde ſicut Tridentinum dixit, illam oblationem nulla indignitate, aut malitia offerentis inquinari poſſe; ſic dici potuit, nulla malitia, aut indignitate offerentis minui poſſe, aut debilitari; ſi debilitaretur enim, iam læderetur malitia, & indignitate offerentis. Conſtat hoc etiam in aliis materiis: nam ſi dominus per famulum det eleemoſynam, licet famulus ſit in peccato, vel peccet in ipſa executione: eleemoſyna tamen non erit minus ſatisfactoria prout à Domino, quam ſi famulus eſſet ſanctus: vnde ſi dominus illam eleemoſynam pro defuncto applicaret, non minus prodeſſet defuncto, quam ſi actio etiam prout à famulo eſſet bona, & ſancta. Denique hæc eſſe videtur fidelium mens, vt licet propter impetrationem propriam ipſius Sacerdotis quærant aliquando magis ſanctos: propter valorem tamen Sacrificij ex parte Chriſti, de hoc non ſunt ſolliciti, dummodo à legitimo ſacerdote offeratur.

Henriq.

Hoc etiam conſtat in aliis materiis.

SECTIO XII.

Vtrum hoc Sacrificium habeat valorem infinitum.

239. *Conſiderari poteſt valor ex opere operantis & ex opere operato.* IN hoc dubio ſupponenda ſunt aliqua faciliora, vt ad punctum controuerſiæ accedamus. Supponendum eſt ex ſupradictis in hoc Sacrificio poſſe conſiderari valorem ex opere operantis; ſicut in quolibet alio pio opere & valorem etiam ex opere operato, quem habet peculiariter annexum ex inſtitutione Chriſti vltra meritum operantis; & de hoc valore procedit præſens dubium; nam de illo primo valore certum eſt eſſe omnino finitum, ſicut in aliis piis operibus noſtris.

Valor huius Sacrificij poteſt diuerſimodè comparari. Rurſus ſupponendum eſt ſecundo, valorem huius Sacrificij poſſe comparari, vel in ordine ad offerentem, vel in ordine ad eos, pro quibus offertur. Offerentes ſunt multi, vt diximus: nam principalis offerens eſt Chriſtus Dominus, & quidem de Chriſto certum eſt, non mereri, vel ſatisfacere nunc actu per oblationem huius Sacrificij: quia nunc non eſt in ſtatu merendi, vel ſatisfaciendi. Meruit quidem per voluntatem illam, quia primo inſtituit hoc Sacrificium: nunc autem, licet habeat actualem etiam voluntatem offerendi hic, & nunc per hunc miniſtrum, & hæc voluntas ſit bona, & laudabilis, non tamen eſt meritoria ratione ſtatus, vt ſuppono ex materia de merito Chriſti. Deinde miniſter immediatus ſeu Sacerdos, eſt etiam offerens, & poteſt mereri, & ſatisfacere, & impetrare per hoc Sacrificium, quare ſacrificium, etiam prout ab ipſo, habet valorem ex opere operantis: ad hunc tamen valorem attenditur ſanctitas miniſtri; ſi enim ſit in peccato, non poteſt mereri, aut ſatisfacere de condigno, licet poſſit vtcumque impetrare: imo regulariter loquendo nec poterit deſeruire ad impetrandum: quia Sacerdos celebrans in peccato, peccat regulariter loquendo in ipſa celebratione: non poteſt ergo oblatio ipſa peccaminoſa deſeruire ei ad impetrandum nomine ſuo.

240. *Ipſa Eccleſia eſt etiam offerens prout, vtitur Sacerdote.* Præterea eſt etiam offerens ipſa Eccleſia, quæ quatenus vtitur Sacerdote, vt miniſtro publico ad offerendum, dicitur etiam offerre per ipſum: & quidem ab Eccleſia non accipit oblatio valorem ad merendum, vel ſatisfaciendũ: quia Eccleſia nunc non exercet libertatem actualem in actu oblationis, ſed ſolũ ſe habet, ſicut Rex, qui miſit legatum ad Pontificem: habet tamen hæc oblatio etiam prout ab Eccleſia, valorem ad impetrandũ: ad hoc enim non requiritur libertas actualis, ſed manifeſtare ſuam voluntatem illi, à quo petit, ſiue hæc manifeſtatio fiat immediatè, ſiue mediatè per internuntium, quo pacto orationes, & preces, quas Sacerdos dicit in Miſſa nomine Eccleſiæ, habent valorem ad impetrandum à Deo; etiamſi ipſe ſacerdos ſit in peccato, hæc autem vis, & valor augetur pro maiori numero, & ſanctitate eorum, qui actu exiſtunt in gremio Eccleſiæ, quorum omnium nomine loquitur Sacerdos.

241. *Inter offerentes ſpecialius computantur illi qui deſeruiunt.* Denique inter offerentes ſpecialius computantur illi, qui deſeruiunt, & miniſtrant Sacerdoti celebranti, vel qui ſtipem conferunt ipſi, vt celebret: hi enim cooperantur magis ad Sacrificium, atque illa oblatio prout ab iis habet valorem ad meritum, & ſatisfactionem pro ipſorum maiori, vel minori dignitate. Imo omnes, qui aſſiſtunt Sacro, aliquo modo etiam offerunt cum ipſo Sacerdote, atque ideo ab ipſis etiam accipit valorem oblatio, iuxta eorum dignitatem. Sed totus hic valor eſt ex opere operantis, atque ideo totus eſt finitus, & limitatus, ſiue qui prouenit ab Eccleſia, ſiue qui à Sacerdote, ſiue qui à miniſtrantibus, ſiue qui ab aſſiſtentibus, cum fundetur in dignitate finita ipſorum.

242. *Dubiũ eſt de valore prout prouenit à Chriſto principaliter offerente.* Dubium ergo ſolum eſt de valore, qui huic Sacrificio prouenit prout à Chriſto principaliter offerente, vel applicante ſua merita: qui valor licet non fundetur in merito aliquo actuali Chriſti, vt diximus, fundatur tamen in meritis præteritis quæ habuerunt valorem infinitum: quæ merita Chriſtus

voluit annecti huic Sacrificio, vt, mediante hac oblatione, nobis applicarentur; atque ideo videtur ex hac parte hoc Sacrificium habere valorem infinitum ex opere operato. Cæterum adhuc in hoc diſtinguendum eſt de duplici valore: alter enim eſt ad impetrandum, alter ad ſatisfaciendum: ſuppono enim ex dictis, non conferri gratiam ex opere operato immediatè per hoc Sacrificium, vt Sacrificium eſt, ſed ſolum quatenus Sacramentum eſt. Primus ergo valor eſt ad impetrandum; & iſte non eſt infinitus in eo ſenſu, quod per hoc Sacrificium impetremus aliquid infinitum ſimpliciter; cum enim Deus nunquam producat tale infinitum, non poteſt etiam impetrari de facto. Poteſt tamen dici valor infinitus ſecundum quid ſeu ſyncategorematicè ad impetrandum, quatenus nunquam poſſumus aliquid petere; quo non poſſumus petere aliquid maius, nec vnquam pro tot, quin poſſimus pro pluribus; & ad totum datur valor ex parte ipſius Sacrificij: ſed tamen non eſt valor inferens infallibiliter effectum, vt conſtat ipſa experientia, licet credibile ſit, ſemper obtineri aliquid à Deo, etiamſi non obtineatur id, quod de facto petimus. Secundus effectus eſt ad ſatisfaciendum, ſeu ad ablationem pœnæ temporalis, quam debemos pro peccatis iam condonatis, quem effectum tribuit huic Sacrificio Concilium Tridentinum *ſeſſ.22. c.2. & can.3.* qui effectus iuxta communem Theologorum ſententiam habetur ſemper infallibiliter per hoc Sacrificium, & hic effectus non pendet à dignitate miniſtri: nam in hoc ſenſu dixit Trident. vbi ſupra *c.1.* *hanc oblationem nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poſſe.*

Conc. Trid.

243. *Hic effectus augetur pro meliori diſpoſitione.*

Diximus etiam ſupra, hunc effectum ſatisfactionis augeri pro meliori diſpoſitione eius, pro quo offertur, vel cui datur; vnde etiam patet, quomodo in hoc Sacrificio detur quædam infinitas valoris ſyncategorematica; poteſt enim creſcere valor ſemper ex meliori diſpoſitione offerentis, vel illius, pro quo offertur, quæ deuotio cum ſemper poſſit creſcere, poterit etiam eodem modo creſcere valor ſyncategorematicè.

244. *Dubium eſt an hoc valor ſit infinitus. Certum eſt nõ eſſe intenſiuè.*

Dubium ergo præſens eſt, an ex ſe, & independenter à meliori diſpoſitione ſit hic valor infinitus? Et quidem intenſiuè certum eſt, non eſſe; nunquam enim remittitur per hoc Sacrificium ex opere operato debitum pœnæ infinitæ ſimpliciter, imo nec debitum pœnæ æternæ; hæc enim iam ſupponitur remiſſa per contritionem. Sed quæſtio eſt de effectu extenſiuo, an ſcilicet oblata Miſſa pro quatuor habeat maiorem effectum remiſſionis pœnæ extenſiuè, quam ſi offeratur pro vno; an verò inter illos quatuor diuidatur ille effectus, qui tribueretur vni: v. g. ſi vni defuncto remitteretur vnus annus Purgatorij, ille annus diuidatur inter quatuor defunctos, ita vt ſingulis remittatur quarta pars anni?

245. *Caietani ſententia.*

Celebris Caietani ſententia eſt, hoc Sacrificium prodeſſe tantum multis, quantum ſingulis, ſi pro ſingulis offerretur, propter infinitatem extenſiuam quam habet ſicut Sacrificium crucis, quod non minus prodeſt ſingulis, quam ſi pro ſingulis ſeorſim Chriſtus mortuus eſſet. Auctores huius ſententiæ refert & ſequitur Vaſq. *dicta diſp.* 231. *c.* 2. qui tamen ingenuè fatetur, quamplures ex iis Auctoribus ſolum agere de effectu impetrationis, aut de effectu reſpondente iis, qui offerunt, non vero de effectu reſpondente iis, pro quibus offertur.

246. *Sententia verior negat hãc infinitatem. Probatur.*

Sententia communior, & verior negat ſimpliciter hanc infinitatem in Miſſæ Sacrificio; Auctores etiam iſtius refert idẽ Vaſq. *c.* 1. quos ſequitur Suar. *diſp.* 79. *ſect.* 12. & Coninck *in præſenti dub.* 10. Probatur, quia ſequeretur fruſtra, aut ferè fruſtra applicari Sacrificium pro aliquo defuncto in particulari: ſi enim tantum prodeſt omnibus, & ſingulis, quantum ſi pro vno tantum applicetur; cur non applicantur omnes Miſſæ pro omnibus defunctis, imo & pro omnibus viuis & pro omnibus aliis neceſſitatibus? Rurſus ſequitur, Sacerdotem, qui debet Miſſam duobus, vel tribus, ſatisfacere offerendo vnam pro omnibus, cùm tam proſit eis, quam ſi pro ſingulis offerretur.

Reſpondet Vaſq. negando ſequelam, primo, quia Sacerdos tenetur ex iuſtitia applicare pro eo, à quo accepit ſtipendium, impetrationem Eccleſiæ & alias orationes, quæ quia finitam habent virtutem, non æquè proderunt illi, ſi diuidantur inter plures. Sed contra, quia hæc impetratio nomine Eccleſiæ valdè per accidens ſe habet ad ſubſtantiam Sacrificij, quare Sacerdos excommunicatus, vel præciſus ab Eccleſia, ſi celebret pro eo à quo accepit ſtipendium, licet tunc non oret nomine Eccleſiæ, valdè per accidens ſe habet ad ſubſtantiam Sacrificij; quare Sacerdos excommunicatus, vel præciſus ab Eccleſia, ſi celebret pro eo, à quo accepit ſtipendium, licet tunc non oret nomine Eccleſiæ, non tamen tenetur iterum celebrare, vel reſtituere ei, à quo accepit ſtipendium: iam enim ſufficienter ſatisfecit, nec vllus vnquam obligabit eiuſmodi Sacerdotem ad reſtitutionem, vt conſtat ex praxi omnium. 247. *Reſpondet Vaſq. Refutatur.*

Reſpondet ſecundo idem Vaſq. Sacerdotem ideo peccare non celebrando pro ſingulis ſeorſim: quia cum iſte infinitus Miſſæ valor ſit ſub opinione, non debet exponere huic periculo fructum illius, qui ſtipendium dedit, ſed debet certum omnino fructum ei dare. Sed contra primo, quia hoc ipſum oſtendit falſitatem contrariæ ſententiæ, cum ab initio naſcentis Eccleſiæ omnes Sacerdotes exiſtimauerint, ſe teneri ad offerendum pro ſingulis ſingula Sacrificia, antequam controuerteretur hæc quæſtio. 248. *Reſp. iterum. Reiicitur.*

Præterea non apparet, cur Sacerdos non ſatisfaceret ſuo debito, conformando ſe cum illa opinione, quam aduerſarij fatentur eſſe probabiliorem: ſicut, qui promiſit ieiunium, ſatisfaceret ieiunando tali vel tali modo, etiamſi eſſet ſub opinione, an illud eſſet ieiunium, dum tamen probabile eſſet, quod erat ieiunium: ergo qui promiſit Sacrum applicare pro aliquo, ſatisfaciet applicando applicatione probabili. Item ſub opinione eſt, an Miſſa craſtina die applicata à Sacerdote pro aliquo verè proſit illi, ſi cras non influit illa voluntas hodierna ad faciendum Sacrum, provt vidimus ſupra *diſp.* 8. *de Sacramentis in communi, ſect.* 6. & tamen Sacerdos, qui eo modo applicuiſſet Miſſas pro iis, quibus eas debet, non obligaretur ad offerendas alias pro eiſdem. 249. *Deinde Sacerdos ſatisfaceret ſuo debito conformãdo ſe cum illa opinione.*

Reſpondet tertio idem Vaſquez, peccare Sacerdotem in prædicto caſu contra iuſtitiam; quia ſtipendium nec datur, nec dari poteſt ei in pretium Sacri, ſed in ſuſtentationem; quare cum iam ab alio ſuſtentationem acceperit, non poteſt ab alio ſecundam ſuſtentationem accipere: nam hæc accipietur contra voluntatem dantis, & per conſequens contra iuſtitiam. Sed contra, primo, quia in die Natalis Sacerdos poteſt accipere ſtipendium ab eo, cui applicat ſecundam Miſſam, vel tertiam; licet iam acceperit ſtipendium, & ſuſtentationem pro illa die ab eo cui applicuit primam Miſſam. Contra ſecundo: ergo ſi primus non dedit mihi ſtipendium pro Sacro, ſed ſolum petiit Sacrum, & ego promiſi: ſecundus vero det ſtipendiũ, potero pro vtroque celebrare ſine iniuria ſecundi qui dedit ſtipendium: tunc enim non accipio duplicem ſuſtentationem. Idem erit, ſi debebam ex voto celebrare hodie pro quodam defuncto vel ex alia cauſa: potero enim adhuc accipere ſtipendiũ ab alio & celebrare pro vtroque, quæ omnia 250. *Reſpondet tertio. Reiicitur primo.*

æquè

æquè abſurda reputantur in praxi, ac ſi acciperent ſtipendium ab vtroque. Fatendum ergo eſt, Miſſam oblatam pro multis non tantum eis prodeſſe ac ſi pro ſingulis offerretur.

251. *Ratio à priori deſumitur ex ſupradictis.* Ratio autem à priori deſumitur ex ſupradictis; quia oblatio huius Sacrificij, prout fit à Chriſto neque eſt actio meritoria, nec ſatisfactoria, cum Chriſtus nunc nec mereatur, nec ſatisfaciat: ſolum ergo habet vim tollendi debitum pœnæ, quatenus ex inſtitutione Chriſti habet annexas ſatisfactiones præteritas ipſius Chriſti: hæc autem annexio non debuit ita fieri, vt haberet virtutem infinitam: imo congruebat aliter fieri cum virtute limitata; quia Chriſtus voluit hoc Sacrificium frequentari, & ſæpius offerri: ſi autem habuiſſet valorem illum infinitum, vnum Sacrum ſufficeret pro omnibus defunctis, & pro omnibus viuis; ac per conſequens inutiliter multiplicarentur Capellaniæ, & obligationes aliæ, quas fideles plè fundare ſolent in commodum animarum ſuarum. Neque in hoc debuit aſſimilari hoc Sacrificium Sacrificio Crucis; illud enim non erat reiterabile; quare debuit per vnam obligationem extendi ad omnes ad modum cauſæ vniuerſalis, præſertim cum illa oblatio in ſe ipſa formaliter haberet valorem infinitum ad ſatisfaciendum: at vero oblatio Miſſæ non eſt actio Chriſti ſatisfactoria vt vidimus, ſed prodeſt per ſatisfactionem Crucis ſibi annexam, quæ potuit limitato modo annecti, nec fuit, cur non ita fieret.

252. *Obiicit Vaſq.* Obiicit Vaſquez pro ſua ſententia; quia multiplicatis iis, qui aſſiſtunt Sacro non minus prodeſt ſingulis, quam ſi ſinguli ſoli adeſſent: ergo eadem ratio eſt de iis, pro quibus offertur. Probatur conſequentia; quia iis, qui aſſiſtunt, non aliter prodeſt ex opere operato Sacrificium, niſi quatenus Sacerdos pro illis offert magis in particulari. *Reſpondeo.* Reſpondetur negando conſequentiam; in primis, quia licet daremus, hoc Sacrificium non aliter prodeſſe aſſiſtentibus, niſi quatenus pro ipſis offert Sacerdos, negaremus tunc prodeſſe illis, niſi quoad effectum impetrationis, non vero quoad ſatisfactionem ex opere operato. Deinde negamus, non aliter prodeſſe, niſi vt pro iis offertur, nam, vt ſupra dixi, ipſi, qui aſſiſtunt, ſunt offerentes; quare non mirum quod multiplicetur fructus pro ſingulis, quia ille fructus reſpondet ſingulis offerentibus; nam licet res oblata ſit eadem, oblationes tamen videntur multiplicari pro multitudine offerentium, & ſingulis oblationibus reſpondet ſuus fructus; ſicut ſi eadem aqua & eadem aſperſione baptizarentur ſimul duo homines, eſſet duplex Sacramentum, & duplex effectus; imo ſi duo Sacerdotes ſimul conſecrarent vnam hoſtiam, eſſent duæ obligationes, & ſinguli poſſent applicare Miſſam pro diuerſis: at vero ad multiplicationem præcisè eorum, pro quibus offertur, non multiplicantur oblationes, ſed eadem omnino oblatio diuiditur inter omnes. *Inſtantia.* Dices, etiam qui dat ſtipendium, offert ſuo modo cum Sacerdote: ergo multiplicabuntur offerentes, & per conſequens multiplicabitur etiam fructus. *Diluitur.* Reſpondeo, fructum illum, qui reſpondet iis, vt offerentibus, multiplicari poſſe, non tamen illum, qui pendet ex applicatione Sacerdotis, vt gerit perſonam Chriſti, qui tamen eſt præcipuus fructus Sacrificij.

253. *Inſtabis item.* Inſtabis: ergo adhuc vtilius erit audire Sacrum, cui aſſiſtunt pauciores, ſaltem ratione illius fructus, qui prouenit eis ex applicatione etiam Sacerdotis, quatenus offert pro circumſtantibus. Sacerdos enim offert pro illis, & pro Papa, ac pro aliis perſonis, quibus applicat aliquem fructum Miſſæ, qui ſi eſt finitus, eo minus obueniet ſingulis, quo plures ſunt. Reſpondeo, quando Sacerdos in *Memento* orat pro circumſtantibus, non eſt neceſſe, quod applicet eis fructus ſatisfactionis ex Miſſa, ſed impetrationis; alioquin in ſententia ipſius Vaſquez qui ponit totam ſubſtantiam Sacrificij in ſola conſecratione, peioris conditionis eſſent defuncti, pro quibus oratur poſt conſecrationem: & per conſequens iam non poteſt illis applicare ſatisfactionem Sacrificij præcedentis. Fatendum ergo eſt, in vtroque *Memento*, ſolum applicari fructum impetrationis pro illis; qui cum non ſit finitus, non prouenit detrimentum ſingulis ex conſortio aliorum, niſi per accidens, quatenus multitudo eorum facit, quod Sacerdos non poſſit ita diſtinctè & ſigillatim, ac ſtudioſè orare pro ſingulis, ac ſi eſſent ſoli: hoc tamen eſt nimis accidentale in ordine ad fructum ſubſtantialem Sacrificij.

Reſpondeo. In vtroque Memento applicatur fructus impetrationis qui eſt infinitus.

254. *Secundo arguitur. Reſpondetur. Gregor.* Secundo arguitur ab aliis; quia res oblata in hoc Sacrificio habet infinitum valorem. Hoc tamen parum refert ad arguendum infinitum valorem in oblatione: oblatio enim non tam ſumit valorem ex re oblata, quam ex offerente, iuxta illud Gregorij: *Non appendit Deus, quantum in eius Sacrificio, ſed ex quanto offeratur.* Alioquin oblatio, qua B. Virgo ſuum Filium obtulit in templo, habuiſſet etiam infinitum valorem. Dices, in oblatione Miſſæ poteſt eſſe infinitus valor etiam ex parte offerentis. Sed ad hoc iam diximus, Chriſtum nunc non ſatisfacere, ſed applicare ſatisfactionem ad ſuas præteritas; quas tamen non vult niſi cum limitatione applicare.

255. *Tertio arguitur.* Tertio arguitur, quia ſol, vel lucerna non minus illuminat plures, quam paucos, & vox non minus auditur à multis, quam à ſingulis: & Angelus, quia ſpiritualis eſt, poteſt idem eſſe in toto ſpatio, & totus in ſingulis partibus: ergo eodem modo valor huius Sacrificij poteſt ita communicari multis, ac ſi ſingulis ſolis prodeſſet. *Reſpondetur.* Reſpondetur, potuiſſe quidem Deum id efficere, non tamen id effeciſſe; ſed voluiſſe valorem Miſſæ eſſe ſicut in pecunia, vel in ieiunio noſtro: quæ diuiſa inter multos, minus proſunt. Hæc autem Dei voluntas colligitur ex iis, quibus probauimus noſtram concluſionem. Alia argumenta leuiora vide apud Vaſquez, qui ingenuè fatetur non habere vim pro ſua ſententia: & illa diſſoluit.

256. *Adducitur Hieronym.* Vltimo loco adducitur Hieronymus relatus in cap. *Non mediocriter*, 24. *de conſecrat. diſtinct.* 5. vbi habet hæc verba: *Dum igitur pro centum animabus Pſalmus, vel Miſſa dicitur, nihil minus quam ſi pro vno quolibet ipſorum diceretur, accipitur.* *Hieron. Explicatur.* Reſpondetur, hæc verba nuſquam reperiri in Hieronymo, vt fatetur ipſe Vaſquez *num.* 18. ſolum inueniuntur alia verba præcedentia eiuſdem textus in Regula Monachorum; quæ licet non ſit Hieronymi, extat tamen *in tom.* 4. ſuorum Operum: *ibi* inquam, *cap. de Contemplatione & Orat.* inueniuntur hæc verba, quæ etiam ſunt *in dicto cap Non mediocriter*: *Melior*, inquit, *eſt quinque Pſalmorum decantatio cum cordis puritate, & ſerenitate, & ſpirituali hilaritate, quam totius Pſalterij modulatio cum anxietate cordis, & triſtitia.* Illa autem verba, quæ ſequuntur in illo Canone, non inueniuntur in Hieronymo, vel alio Auctore. Quod ſi inuenirentur, poſſent explicari iuxta intentum, de quo ibi agitur, ſcilicet tantum prodeſſe ipſi dicenti Pſalmum vel Miſſam, ſicut ſi pro centum animabus diceret, vel non magis prodeſſe ſi pro vno aliquo dicatur cum anxietate, quam ſi pro centum diceretur cum

puritate & ſerenitate. Si vero Auctor ille, quiſquis ſit, aliter intelligat, reiiciendus erit omnino vtpote contrarius Concilio Conſtanctienſi *ſeſſ.*8.vbi damnatur articulus ille,qui erat 19. inter articulos VVicleſi, ſcilicet ſpeciales orationes pro aliquibus applicatas non magis prodeſſe, quam orationes generales. Et quidem quidquid ſit de valore Miſſæ; de Pſalmis tamen, & orationibus negari non poteſt, habere valorem finitum.

157. *Quid ſit ſecunda intentio in Miſſa.*

Ex dictis infertur primo, quid ſibi velit ſecunda intentio in Miſſa, quæ ſolet pro aliis applicari; nam te vera applicare ſecundam intentionem pro aliquo, eſt applicare conditionaliter, ſi ille, cui primo applicatur, non indigeat; vel etiam extendere impetrationem ad illud, quæ vt diximus, ad plures extendi poteſt: vel denique eſt applicare etiam primariò ſatisfactionem caſu, quo vera ſit opinio contraria, iuxta quam Sacerdos poteſt extendere ſuam applicationem ad multos, & prudenter faciet extendendo, valeat quantum valere poſſit.

158. *Infertur ſecundo.*

Infertur ſecundo, licet probabilis concedatur ea opinio, quæ ponit in Miſſa infinitum valorem, non tamen debere cenſeri probabile, quod Sacerdos per ſe loquendo poſſit vno ſacro ſatisfacere multis, a quibus ſtipendium accepit: quia quidquid ſit de bonitate conſequentiæ, Auctores tamen illios ſententiæ nolunt admittere ſeqoelam, vt vidimus. Non autem ſufficit eſſe probabile principium, ex quo probabiliter aliquid infertur, vt ſit etiam probabile conſequens, ſi Auctores, qui admittunt antecedens, negant ſequi illud conſequens. Dixi tamen, *per ſe loquendo*; quia fortaſſe per accidens aliquando liceret ex natura rei aliquid compenſare propter paupertatem Sacerdotis, vel quid ſimile, de quo tamen dicemus *infra diſp.* 21.

DISPVTATIO XX.

De Tempore, Loco, & aliis Circumſtantiis huius Sacrificij.

Sectio I. *De tempore huius Sacrificij celebrandi.*

Sectio II. *De loco apto ad offerendum hoc Sacrificium: & de Altaris ornatu.*

Sectio III. *Vtrum in mari poſſit aliquando celebrari.*

Sectio IV. *De vaſis, & veſtibus ſacris, ac aliis ad hoc Sacrificium requiſitis.*

Diximvs de iis, quæ ſunt magis intrinſeca huic Sacrificio, nunc dicemus de aliis circumſtantiis extrinſecis, quæ ferè pertinent ad Theologos Morales; ſed oportet eorum doctrinam & fundamenta aliquantulum examinare.

SECTIO I.

De tempore huius Sacrificij celebrandi.

1. *Primum dubium.*

Svb hoc titulo plura dubia breuiter expediemus. Primum, & magis vniuerſale eſt, an Sacerdos habeat obligationem aliquando celebrandi, an vero poſſit à celebratione abſtinere. Sententia ſatis communis affirmat, Sacerdotem obligatum eſſe ad celebrandum. Hanc docent Durand. vterque Soto, Palud. Maior, Antonius, Syluest. Angelus, Nauar. & alij, quos refert Suar. *diſp.*80. *ſect.*2. & eandem ſequitur Vaſq. *diſp.*232.*c.*1. Coninck *q.*83. *art.*1. *dub.*1. & multi Recentiores; quibus fauet S.Thom. *q.*82.*art.*10. & *in* 4. *diſt.*12. *quæſt.*3. *art.*2. *quæſt.*1.

Sententia communis affirmat Sacerdotē eſſe obligatum ad celebrandum. Suarez. Vaſquez. Coninch. S.Thom.

2. *Alij negant ſecluſo ſcandalo & obligatione beneficij.*

Alij negant, ſecluſo ſcandalo, & obligatione proueniente ex Beneficio, Capellania, Præbenda, &c. Sacerdotem præcisè ex ſua ordinatione obligari ad celebrandum. Hanc tenent Alexand. Bonauent. Caietan. & alij, quos refert Suarez vbi ſupra: qui eam ſententiam probabilem dicit, & nullum argumentum contra illam vrgere, quibus adde Victoriam, & Bonacinam, quos refert, & ſequitur Diana 1.*tom. tract. de celebr. Miſſar. reſol.* 19. Et ego fateor, pro prima ſententia me nullum argumentum conueniens adhuc inuenire, ſaltem vt eam obligationem ſub peccato mortali agnoſcamus. Diana.

3. *Vel nulla culpa eſt, vel eſt mortalis.*

P. Vaſquez *num.*3. dicit, non loqui conſequenter eos, qui in hoc caſu negant peccatum mortale: & fatentur culpam venialem; quia vel nulla, vel certè mortalis eſſe debet: quæcumque enim culpa ſit, debet prouenire ex obligatione, & præcepto celebrandi, quod Sacerdos habet: cum autem præceptum hoc ſit de materia graui, qualis eſt celebratio Miſſæ, debet eſſe præceptum graue multo magis, quam præceptum communicandi in Paſchate, cum celebratio Miſſæ grauior ſit, quam ſimplex communio, vt conſtat.

4. *Hæc tamen ratio non eſt efficax.*

Hæc tamen ratio non eſt efficax: poſſet enim intelligi culpa venialis in omittenda celebratione, licet materia de ſe ſit grauis, & capax obligationis maioris; quia nimirum aliud eſt, eam materiam omitti, contra obedientiam: aliud vero contra aliam virtutem, quæ minus obligat. Sic qui comedit gallinam in die ieiunij, peccat mortaliter; qui autem eam comedit ex gula, peccat ſolum venialiter: quia virtus abſtinentiæ, ſeu temperantiæ minus grauiter obligat, quam obedientia. Sic ergo poſſet Sacerdos non celebrando peccare culpa prodigalitatis ſpiritualis, & deſidiæ, ſeu otioſitatis vitioſæ, non exercendo poteſtatem acceptam, & amittendi abſque cauſa lucrum talenti accepti; ex quibus capitibus difficile inueniretur culpa mortalis, licet materia de ſe eſſet apta ad obligationem grauem, ſi ſub præcepto ex obedientia præciperetur.

5. *Aliter probatur ex Ambroſij verbis.* Ambroſ.

Igitur, quod ea obligatio ſimpliciter ſit ſub peccato mortali, probant aliqui ex Ambroſij verbis: *Graue eſt, quod ad menſam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non veniamus; ſed grauius, ſi dum peccata metuimus, etiam Sacrificium non reddamus.* Verum P. Vaſquez fatetur, illa verba in Ambroſio non reperiri: & licet reperirentur, debent intelligi, non de culpa mortali; alioquin falſa eſſet ſententia ibi contenta; nam grauius peccatum eſt celebrare in peccato mortali, quam omittere celebrationem Sacrificij.

Sed hæc verba parũ probant.

6. *Secũdo probari ſolet ex Innocentio.*

Secundo probari ſolet ex Innocentio III. *in cap. Dolentes*, de celebratione Miſſarum, vbi inter alia quorundam Sacerdotum peccata refert, quod vix quater in anno celebrabant, & poſtea ſubiungit: *Hæc, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus.* Hoc etiam argumentum P. Vaſquez fatetur ineſſicax: & merito, quia nuſquam apparet præceptum pluries quam quater celebrandi: quare illa pœna ſolum cadit ſuper iis, quæ

Hoc argumentum eſt inefficax.

poſtea

poſtea Pontifex expreſsè præcipit. Sequitur enim: *Præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, vt Diuinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent pariter, & deuotè.* Adde, nec illam pœnam eſſe de facto, ſed comminatoriam; nec decretum illud videri directum niſi ad Prælatos Eccleſiarum, de quibus dixerat, eſſe nonnullos, qui vix quater in anno celebrabant, & quod deterius eſt, nec intererant.

7. *Tertio probatur.* Tertio probari ſolet ex officio Sacerdotis, cuius munus eſt ſacrificium pro populo offerre; peccat ergo grauiter, ſi ſuo muneri non ſatisfacit, ſicut ſi Rex non regeret, aut gubernator non gubernaret. *Nec etiam multum probat hoc argumentum.* Hoc etiam argumentum fatetur inefficax Vaſquez, quia etiam ad abſoluendum conſtituitur Sacerdos miniſter ex officio; & tamen non obligatur: poteſtas enim ſola non obligat, quando alij mea opera non indigent; nec ex pacto, vel contractu teneor. Adde, Diaconum etiam ex officio deſtinari ad cantandum Euangelium, & miniſtrandum Sacerdoti; & tamen nemo dicet, peccare mortaliter Diaconum, qui aliquoties in anno ſuum munus non exercet. Sic ergo Sacerdos poteſt accipere poteſtatem abſque obligatione exercendi illam, quandiu non eſt eius opera neceſſaria. Sic olim Reges eo ipſo habebant poteſtatem Sacerdotalem, & Romani Imperatores fiebant etiam falſorum Deorum Pontifices: non tamen cogebantur ad exercendum per ſe ipſos munus Sacerdotale. Sic in lege naturæ primogeniti omnes habebant poteſtatem offerendi Sacrificia; quis tamen dicat, eos omnes obligatos fuiſſe ad offerendum? In Lege ſcripta omnes filij Aaron erant Sacerdotes, & reliqui ex tribu Leui erant Leuitæ; qui tamen, cum diſperſi eſſent per omnes tribus, ne Sacrificium offerri poſſet, niſi in Hieruſalem, credibile, quod plures eorum nunquam ſacrificarent, ſed cederent alijs vicem ſuam, quando iuxta ordinem ſuum ad eos pertineret, nec alier illud facere cogerentur. Non eſt ergo idem, dare alicui poteſtatem ſacrificandi, & obligare illum ad ſacrificandum, niſi neceſſitas, vel alius titulus obliget.

8. *Vaſq. alio vtitur argumento ex verbis Chriſti.* His ergo argumentis rejectis, ipſe Vaſquez vtitur ſolo argumento, quo alij etiam vtuntur ex illis verbis Chriſti: *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus Chriſtus Dominus præcepit Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, vt teſtatur Concilium Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. Habent ergo omnes Sacerdotes debitum offerendi ex vi huius Diuini præcepti, quod ad ſingulos dirigitur, ſicut & ſingulis data eſt offerendi poteſtas.

9. *Hoc argumentum retorquetur.* Hoc argumentum in primis retorqueri poteſt aduerſus Patrem Vaſquez, qui *tom.* 4. *de Pœnitentia, quæſt.* 90. *art.* 1. *dub.* 5. latè probat, præceptum Chriſti de Confeſſione extra caſum neceſſitatis fore omnino inutile, niſi ſimul præciperet Eccleſiæ, vt determinaret tempus illius præcepti Diuini, eo quod, ſecluſa Eccleſiæ determinatione, nemo poſſet ſcire, quando, aut quoties obligaretur ad confeſſionem: vnde infert *num.* 9. Eccleſiam debere omnino determinare tempus præcepti Diuini. Similiter ergo præceptum Chriſti ſingulis Sacerdotibus impoſitum offerendi Sacrificium inutile foret, niſi ab Eccleſia ſingulis determinetur tempus quo obligentur ad ſacrificandum: nemo enim ſcire poterit, ſecluſa tali determinatione, quando obliget illud præceptum. Vnde primo ſequitur, Eccleſiam debere omnino illud tempus determinare. Secundo, quandiu ab Eccleſia non determinatur, prout de facto adhuc non eſt determinatum, Sacerdotes ſingulos non obligari ex vi ſolius præcepti Diuini.

Fatemur itaque, in illis verbis: *Hoc facite*, &c. contineri præceptum offerendi, non tamen oportet, ad eoſdem modo dirigi præceptum, quibus dabatur poteſtas: hæc enim data fuit proculdubio ſingulis Sacerdotibus offerendi ſingulis diebus; & tamen non præcipitur offerre ſingulis diebus: latius ergo patet poteſtas, quam præceptum. Sicut ergo ex parte obiecti latior eſt poteſtas, quam præceptum; ſic ex parte perſonarum, nam poteſtas datur ſingulis ſeorſim: præceptum imponitur ſingulis, prout componunt communitatem; præcipitur quippe Sacerdotibus vſus huius ſacrificij, hoc eſt vt curent, ne deſit in republica Chriſtiana oblatio huius Sacrificij, prout in republica bene, & religiosè conſtituta decet, frequenter Deum coli tali cultus genere per Sacrificium. 10. *Fatemur illis verbis contineri præceptum offerendi.*

Porro, hunc eſſe ſenſum illius præcepti, colligitur primo, quia alioquin inutile omnino eſſet, cum non poſſet conſtare determinatè de frequentia aut modo illius obligationis. Colligitur ſecundo ex materia ipſa: cum enim ageretur de deſignandis Sacerdotibus pro Chriſtiana republica, qui ſuccederent Sacerdotibus legis ſcriptæ, aut iis, qui iure naturæ in qualibet Republica humana auctoritate deſignari poſſent; debebat eorum inſtitutio intelligi iuxta conditionem muneris Sacerdotalis. Vidimus autem, non eſſe connexam cum poteſtate Sacerdotali obligationem offerendi. Et certè de poſſibili, negari non poteſt, quod, iure naturæ attento, poſſit Reſpublica deſignare Sacerdotes aliquos, qui publica auctoritate offerre poſſent Sacrificia, non impoſita illis obligatione offerendi, niſi vbi neceſſaria fuiſſet eorum opera. Sic Monachi ſinguli habent poteſtatem, & ius cantandi Officium Diuinum in Choro ſui Monaſterij; & communitas habet obligationem grauem cantandi illud, non tamen ſinguli habent eam obligationem grauem, quando per alios ſufficienter prouidetur, & cantatur: ſimiliter inſtitutio ſacrificij, & conſecratio Sacerdotum obligat grauiter eorum communitatem ad offerendum illo ritu ſacrificium, & ſingulis data eſt facultas; abſque obligatione tamen graui, quandiu non eſt neceſſaria eorum opera, & per alios prouiſum eſt quantum ſufficit, vt Chriſtiana reſpublica eo ſacrificio non careat. Vnde Chriſtus inſtituens ſacrificium, & deſignans Sacerdotes, non præſumitur aliter ſingulos obligaſſe, niſi iuxta conditionem ipſius materiæ, & prout Sacerdotes alij in republica obligari ſolent ad offerenda ſacrificia. 11. *Primo colligitur hunc eſſe ſenſum illius præcepti.*

Tertio colligi poteſt hoc ipſum ex praxi Eccleſiæ, in qua non ſolum antiquis ſæculis Sacerdotes ſancti fuerunt in ſolitudine degentes, nec vnquam ſacrificantes, vt conſtat ex iis, quæ narrantur in *Vitis Patrum*, parte 2. §. 178. de duobus ſacratis Monachis; ſed & noſtro tempore ſanctiſſimus Patriarcha noſter Ignatius, poſtquam Sacerdos factus fuit, per annum integrum à ſacrificio celebrando reuerenter abſtinuit, vt ſe accuratius piis meditationibus, & mentis puritate ad illud ſacroſanctum miniſterium præpararet. Nemo autem de viro eximiæ non ſolum ſanctitatis, ſed doctrinæ etiam non mediocris, qui ſocios ſecum habebat eos, quorum ſapientiam Tridenti Patres admiratione, & approbatione inſolita proſequuti 12. *Colligitur tertio ex praxi Eccleſiæ.*

ſequuti ſunt, dicet, ex errore, vel ignorantia, abſtinuiſſe tandiu ab officio ſacrificandi. Denique ſi antiquæ Eccleſiæ mores attentè conſiderentur, facilè poſſumus cogitare, non fuiſſe ita facile priuatis Sacerdotibus frequenter celebrare, ſicut hodie eſt: quia, vt ſignificat Hormiſda Papa in cap. *Nullus*, de conſecrat. *diſt.* 1. in qualibet Eccleſia vnicum erat Altare, ſicut & in veteri Teſtamento vnicum erat templum, & in eo vnicum altare ſacrificij. Adde quod aliquando nullum fiebat ſacrificium, niſi poſt horam nonam, quæ eſt tertia poſt meridiem, vt indicat August. *Epiſt.* 118. ea autem hora tranſacta, non licebat amplius celebrare; vnde colligi poteſt, quod in vna Eccleſia vnicum fiebat ſacrificium. Concilium enim Antiſiodor. *cap* 10. prohibet, ne in eodem altari dupla, eadem die offeratur ſacrificium; & ideo fortaſſe, quia in vna Eccleſia vnicum offerendum erat ſacrificium, Concilium Carthagin. 2. *cap.* 9. prohibet ne Preſbyter celebret, inconſulto Epiſcopo, & Concil. Laodican. *cap.* 53. ne Preſbyter intret in Eccleſiam ante Epiſcopum, & Concil Neocæſar *cap.* 13. ne alienus Presbyter celebret, ſi adeſt Sacerdos eius regionis: quorum ea videtur fuiſſe ratio, quia cum vnica celebranda eſſet Miſſa, æquum erat, vt Epiſcopus præferretur Presbytero, & Sacerdos proprius præferretur extraneo; atque ideo in illa Miſſa communicabant Sacerdotes reliqui in loco ſeparato iuxta altare, reliquus Clerus in Choro, laici extra chorum, vt conſtat ex Concilio Tolet. 4. *c.* 17. Poſtea vero Concilium Salegustadienſe *c* 5. extendit ad tres Miſſas eadem die. Ex quibus conſtat, potuiſſe facile contingere, vbi præſertim Clerus numeroſus erat, & Sacerdotes multi, vt aliquis ex infimis Sacerdotibus per multum temporis à celebrando abſtineret ſola ſimplici communione cum alijs Presbyteris contentus. Imo hodie eundem morem vnicam Miſſam in vna Eccleſia celebrandi, in qua alij communicent, inuentum fuiſſe à noſtris Europæis in Eccleſijs Abyſſinorum, refert Damianus Goës, quem citat Henriquez *lib.* 9. *de ſacrificio, cap* 24. *n.* 2. *lit.* Z. Nec mirum, cum communicaſſent ritibus Græcorum, apud quos hodie etiam in vſu eſt, vt in ſingulis Eccleſijs vna ſola Miſſa dicatur ab vno Sacerdote, vnde rarius ſolent ſinguli celebrare.

August. — Conc. Antiſiod. — Conc. Carthag. — Conc Laod. — Conc Neocæſar. — Conc. Tolet. 4. — Conc Saleg. — Damian Goës. Henriq.

13. *Hodie vix poteſt excuſari à culpa graui Sacerdos per annū non celebrās.*

Addo primo, hodie vix poſſe excuſari à culpa graui Sacerdotem non celebrantem per totum annum, quia ſcandalum graue generat, & indicium eſt corruptiſſimæ vitæ. Addo ſecundo, etiam retenta ſententia contraria de obligatione celebrandi, non eſſe peculiarem obligationem celebrandi in triplici Paſchate, vt aliqui volunt, ſed ſufficere, ter, vel quater in anno celebrare, quibuſcumque diebus id ficeret; vt meritò fatetur P. Vaſquez *loco citato, n.* 11.

Vaſquez.

An poſſit celebrari in triduo maioris Hebdomadæ.

14. *Difficultas eſt de triduo maioris Hebdomadæ.* — Suarez.

Secundo dubitari ſolet, an ſingulis anni diebus poſſit Miſſa celebrari? Difficultas ſolum eſt, propter triduum hebdomadæ maioris, ſcilicet feria quinta, ſexta, & ſabbato: aliqui enim abſolutè negant, poſſe Miſſas priuatas tunc celebrari, quos refert Suarez *diſp.* 80. *ſect.* 2. qui tamen cum communi merito negat talem prohibitionem, quoad feriam quintam, neque eſt vllum decretum contrarium legitimè promulgatum, quidquid aliqui dicant. Dubium eſt de feria ſexta, & ſabbato ſancto, de quibus abſolutè decernitur, in eis non eſſe ſacrificandum, vt habetur in cap. *Sabbato*, de conſecrat. *diſt.* 3. Et quidem de feria ſexta omnes fatentur, nec publicè, nec ſecretò id licere. Vnde officium illius diei fit abſque conſecratione, & ideo non eſt Miſſa, neque eam tenentur audire fideles, etiamſi ſit dies feſtus, vt declarauit ſacra Congregatio Rituum die 19 Febr. ann. 1621. vt teſtatur Barthol. Gauantus in Rubricis Miſſalis, *p.* 4. *tit.* 9. *n.* 24.

De feria ſexta omnes fatentur. — Gauantus.

15. *Aliqui negāt de ſabbato ſancto.* — Innoc I.

Difficultas eſt de ſabbato ſancto, an liceat in eo Miſſas priuatas celebrare? Prima ſententia negat; quia Innocentius Papa I. in illo cap. *Sabbato*, ſupra citato, æquè affirmat prohibitionem pro vtraque die: & licet conſuetudine diſpenſatum ſit, vt Miſſa ſolemnis, quæ nocte ſequenti celebrabatur, fiat ante meridiem: ea tamen conſuetudo non eſt extendenda ad Miſſas priuatas. Sic arguit pro hac ſententia Vaſquez *diſp.* 233. *cap.* 2. qui eam confirmat *num.* 25. quia olim vna ſolum Miſſa ſolemnis fiebat, & hæc poſt mediam noctem, incipiente iam die Dominica Reſurrectionis, quæ Miſſa per anticipationem celebratur nunc ante meridiem: olim autem non dicebantur illa nocte Miſſæ priuatæ; quia ſi alij Sacerdotes celebrarent, tam in ipſo die Reſurrectionis nemo faceret ſacrum, niſi dicas, intra eandem diem Dominicam potuiſſe bis facere ſacrum; quod priuilegium non legitur, niſi pro die Natalis Domini: ergo anticipatio ſolum eſt pro vnica Miſſa ſolemni quæ illa nocte celebrari ſolebat.

Vaſquez.

16. *Falſum ſupponit hoc argumentum.* — S. Thom. — Suarez. — Fagundez.

Hoc argumentum optimum eſſet, ſi verum eſſet id, quod ſupponit, ſcilicet Miſſam illam dictam fuiſſe olim poſt mediam noctem, quod tamen neſcio vnde P. Vaſquez *in præſenti, & c.* 3. *n.* 32. contra S. Thomam *in præſenti art.* 2. *ad* 4. colligere potuerit, & magis miror, Patrem Suarez, qui contrariam ſententiam defendit *diſput.* 80. *ſect.* 2. *in fine*, ſupponere tamen ibi & inferius *ſect.* 3. §. *ſecunda exceptio*; olim Miſſam poſt mediam noctem inceptam; quod ſimiliter fatetur Fagundez *lib.* 3. *de* 1. *Precepto Eccleſiæ, n* 13. Sed ij omnes in re ſatis manifeſta decepti ſunt: conſtat enim ex omnibus ſcriptoribus Eccleſiaſticis, officium Miſſæ illo Sabbato incepiſſe poſt ſolis occaſum, apparente prima ſtella: vſque ad illam enim horam legebantur Prophetiæ, benedicebatur Fons, catechizabantur, & baptizabantur Catechumeni: incipiente autem nocte Reſurrectionis cantabatur Miſſa cum lætitia. Sic habetur in Ordine Romano his verbis: *Poſtea modico interuallo, vt fuerit prima ſtella in cælo viſa, ſonant ſigna, & incipiunt canere Litanias ad Introitum, & poſtquam finierint Litaniam, dicit Sacerdos: Gloria in excelſis*, &c. qui liber ſcriptus fuit tempore Caroli Magni. Item ſignificat Rabanus Maurus, qui floruit circa annum 880. *lib* 2. *de inſtitut. Cleric. cap.* 38. *de ſabbato ſancto Paſchæ*, his verbis: *Hac autem die inclinante ad veſperam, ſtatuta celebratio noctis Dominicæ in Eccleſia incipitur.* Denique Hugo à S. Victore, cuius tempore iam anticipari ſolebat Officium illius diei, *lib.* 3. *de ſpecialibus Miſſarum obſeruation. cap.* 21. ſic ait: *Quoniam, ſicut diximus* (ſcilicet cap. præcedenti, vbi dixerat diem Paſchæ à veſpere præcedenti, incipere) *veſpera illa ad diem ſequentem pertinet, & verè antiqui iam ferè tranſacto die ſabbati officium hoc celebrabant* (ſcilicet die prout condiſtinguitur à nocte:) *ſed modernorum debilitas ad epulas feſtinans tempus preuenire conſtituit.* Quare meritò Barthol. Gauantus *parte* 4. *in Rubricas Miſſalis, tit.* 10. *numer.* 45. pro comperto ſupponit, quod Miſſa illa olim initio noctis dicebatur.

Ordo Rom. — Rab. Maur. — Hugo de S. Victor. — Gauant.

17. Et quidem aduerſus P. Vaſquez retorquetur

Cõtra P. Vaſquez. retorquetur clarè eius argumentum. clarè eius argumentum, quia ſi Miſſa fiebat poſt mediam noctem, ergo in oppidis paruis, vbi ſolus Parochus eſt Sacerdos, non poterat ille celebrare die ſequenti Paſchatis, niſi bis celebraret intra eandem diem, quod tamen priuilegium non legitur niſi pro die Natalis. Item quomodo poſſent in fine Miſſæ cantari veſperæ pro ipſo Sabbato breues prout cantantur, ſi poſt mediam noctem Miſſa incipiebat? Denique, ſi poſt mediam noctem fiebat ſacrum, non oportebat, quod celebrans, vel qui in ea Miſſa communicabant, ieiuni eſſent per totum Sabbatum præcedens, ſed potuiſſent cœnare, vel prandere hora ſolita, prout faciunt, qui nocte Natalis celebrant poſt mediam noctem: & tamen ſcimus, illos debuiſſe ieiunos eſſe per totum diem Sabbati, vt conſtat ex Hugonis verbis proximè adductis, qui dicit, propter debilitatem eorum, qui non poterant tamdiu protrahere ieiunium illius Sabbati, anticipatum fuiſſe tempus celebrandi Miſſam, vt anticiparetur etiam hora prandij vel cœnæ. Denique ex iiſdem Auctoribus conſtat, vtramque Miſſam dici ſolitam ab Epiſcopo, ſcilicet, Sabbato ſancto, & die Paſchæ. Sic enim habet Ordo Romanus: *Procedit Pontifex de ſacrario cum ingenti decore, &c. & Litania expleta dicit: Gloria in excelſis Deo, &c.* Quod etiam teſtatur Albinus Flaccus Alcuinus *lib. de Diuin. Officiis. tit. de Sabbato ſancto.* Amalarius Fortunat. *lib. 1. de Eccleſiaſt. Offic. c. 31.* & alij paſſim: ergo vel celebrabat bis intra eandem diem poſt mediam noctem, vel Miſſa illa dicebatur ante mediam noctem, vt probauimus.

Albinus Alcuinus. Amal. Fort.

18. *Fundamentũ Vaſquez ex hiſtoria falſitate ortum eſt. Soto. Gutierrez. Suarez. Diana.* Cum ergo fundamentum, quo P. Vaſquez nititur, ex hiſtoriæ falſitate ortum ſit, reſtat, quod contraria ſententia probabilis ſit, quam tradunt Soto *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 2.* Gutierrez *lib. 1. quæſt. Canonic. cap. 30. n. 36.* Suarez & Fagundez ſupra adducti, Ledeſma, Syluius, Molfeſios, & alij, quos refert, & ſequitur Diana *1. tom. tract. de celebrat. Miſſar. reſol. 21.* & alij Recentiores communiter. Quam ſententiam ego libenter amplector propter contrarium omnino fundamentum: quia ſcilicet prohibitio antiqua, quæ habetur in illo cap. *Sabbato*, ſolum erat celebrandi per biduum illud, intelligendo vt vidimus, *per biduum*, feriam ſextam, & totum Sabbatum, vſque ad initium noctis ſequentis, quando dies finita erat: ergo tunc ceſſabat prohibitio, & per conſequens poterant celebrari Miſſæ etiam priuatæ, imo de facto Sacerdotes alios, qui volebant, celebraſſe tunc priuatim, conſtat apertè ex Micrologo *cap. 53. de Sabbato ſancto*, vbi ſic dicitur: *Poſt Baptiſmum Presbyteri demum poſſunt Miſſam, ſi neceſſe fuerit, priuatim celebrare, quia iam renati ſunt, de quibus in Miſſa ſpecialiter agere debemus; nec poſtea à Lectionibus, quas iam audiuimus, ſed à Litania incipere ſolemus.* Eſt autem liber hic magnæ auctoritatis, vt conſtat ex Pamelio in præfatione ad illum: & fuit ſcriptus circa annum Domini 1080.

Microlog.

19. *Vnde orta ſit illa conſuetudo.* Vides, pro omnibus Miſſis ceſſaſſe prohibitionem incipiente nocte; ſuſpicor tamen, paucos Sacerdotes vſos fuiſſe facultate illa, tum propter occupationes illius noctis, & breuitatem temporis, tum etiam propter onus ieiunij, quod à prandio diei præcedentis vſque ad dominicam ferè ſeruare debuiſſent, ſi ea nocte faciebant ſacrum, eaque de cauſa factum fortaſsè eſt, vt ferè vnica Miſſa fieret nocte illa: poſtea vero anticipato initio noctis quoad officium, & Miſſæ celebrationem, non apparet, cur non cenſeatur anticipatum pro aliis Sacerdotibus, qui initio noctis celebrare poterant: quia tamen pauci, aut ferè nullus olim priuatim celebrabat, ideo fortaſsè conſuetudo illa continuata eſt, vnicum ſacrum ſolemne faciendi, ſemper tamen aliqui pro libertate reclamarunt, & multi iam priuatim in ſacellis, & oratoriis celebrant, non ſolum quando feſtum aliquod ex præcepto ea die occurrit, ſed etiam ex deuotione: nec video, quomodo poſſit P. Vaſquez dicere, hanc conſuetudinem eſſe occultam, & Principi ignotam: non poteſt enim Pontifex, aut Prælati ignorare vſum illum, quem innumeri Auctores in publica luce editi, & qui omnium manibus habentur, teſtantur vbique dari, & ita fieri.

20. *Aliqui minus in hoc conſequenter locuti ſunt.* Vnde infero primò, minus conſequenter, meo iudicio loquutos, qui negantes, id fieri poſſe, concedunt tamen, concurrente die feſto, poſſe ex licentia Epiſcopi Miſſas priuatas celebrari, vt omnes poſſint audire ſacrum. Hoc, inquam, ſemper mihi viſum eſt inconſequenter dici; quia ſi verè prohibetur Eccleſiæ præcepto Miſſæ priuatæ celebratio, non apparet, quomodo Epiſcopus, vel Prælatus poſſit licentiam dare propter neceſſitatem illam audiendi Miſſam in die feſto. Cum enim eam neceſſitatem præuiderit Eccleſia, nec ſit peculiaris in illa ciuitate, ſed communis toti Eccleſiæ, &, hoc non obſtante, prohibuerit vniuerſaliter celebrare alias Miſſas illa die; eo ipſo videtur excluſiſſe cauſam illam, & iudicaſſe illam inſufficientem ad abrogandam illam legem. Melius ergo, & magis conſequenter conceditur illa poteſtas celebrandi, negando prohibitionem Eccleſiæ, quam propter diſpenſationem Prælati inferioris.

21. *Eo die in Miſſis priuatis non ſunt legendæ Prophetiæ.* Infero ſecundo, in Miſſis priuatis illa die non eſſe legendas Prophetias; quia illæ non ſunt pars Miſſæ, ſicut nec benedictio Cerei; ſed pertinent ad officium cantandum ſolemniter cum Choro. De Litaniis poſſet magis dubitari; nam Micrologus *loco ſupra citato* dicit, quod à Litaniis ſolebant incipere, qui Miſſam priuatim celebrabant: ſed tamen hoc non eſt in vſu; quia Litaniæ re vera non pertinent ad Miſſam: vnde qui ex præcepto Miſſam illam audiunt, non obligantur ad audiendas Litanias.

22. *Quæſitum de tempore Miſſarum iſtarum priuatarum.* Petes, qua hora celebrari poſſint illæ Miſſæ priuatæ? Aliqui enim addunt limitationem, quod non incipiant ante Miſſam ſolemnem: & ratio eſſe poteſt quia prohibitio antiqua non celebrandi per biduum propter mœrorem paſſionis Chriſti, videtur eſſe contracta vſque ad tempus, quo Eccleſia incipit celebrare Reſurrectionem Chriſti, quod fit, quando incipit Miſſa ſolemnis: nam vſque ad illud tempus campanæ non pulſantur, & vtitur colore pauonaceo, qui congruit triſtitiæ: ergo pro illo tempore perſeuerat prohibitio antiqua; atque ideo non magis licebit nunc celebrare ante illam horam, quam olim ante noctem.

23. *In contrarium eſt vſus piorum hominum.* In contrarium tamen eſt vſus piorum hominum, qui priuatim abſque ſcrupulo celebrant ſũmo manè; imo & Epiſcopi aliquando Ordines celebrantes vt poſtea debito tempore Officiis in Eccleſia intereſſe poſſint, celebrant in ſacello, & conferunt Ordines ſtatim poſt auroram, vel ſolis ortum; quæ Miſſa, licet non cantetur, nec dicatur in Eccleſia, habet tamen aliquid de ſolemnitate, cũ in ea dicantur prius omnes Prophetiæ, & Litaniæ iuxta ritum Pontificalis. Vnde exiſtimo, poſtquam iam anticipata eſt Miſſa, quæ prius nocte dicebatur, ad horam ſolitam aliorum dierum ieiunij, in quibus Miſſa cantatur poſt dictam Nonam; eandem eſſe rationem de illa Miſſa, ac de aliis: nam in Miſſali ſolum dicitur, quod poſt Nonam cantetur Miſſa. Sicut ergo aliis

diebus

diebus poteſt ex cauſa anticipari Nona & Miſſa: poſſet etiam ex cauſa id fieri illa die ac per conſequens, ſicut aliis diebus Miſſa priuata poteſt dici ante Nonam, poterit ex cauſa dici illa die, vt alij, qui non poſſunt expectare, audiant ſacrum: ſi autem fiat abſque cauſa, non credo fore culpam grauem.

Qua hora poſſint Miſſæ priuatæ celebrari.

Tertium dubium de tempore Miſſarũ.

24\. Tertio dubitari ſolet, qua hora diei poſſit aliis diebus Miſſa priuata celebrari. Dubium autem eſt de hora, ante quam non poſſit, & de hora, poſt quam non poſſit incipi. Regula vniuerſalis eſt, quod non poſſit inchoari ante auroram, vel poſt meridiem. Primam partem probat Henriquez *lib. 9. de Sacrificio, cap. 14. num. 5. lit K.* & Fagundez *in 1. Præcept. Eccleſ. lib. 3. cap. 17. num. 2. ex cap. Nocte ſancta, de conſecrat. diſtinct. 1.* Verum ibi nihil dicitur de Aurora, ſed præcipitur, vt hora tertia Miſſa celebretur: quare vel intelligitur de Miſſa ſolemni, vel fatendum eſt, iamdiu decretum illud eſſe abrogatum. Melius probatur ex conſuetudine Eccleſiæ vbique recepta, quam approbare videtur Pius V. in regulis Miſſalis, vbi dicitur, horam celebrandi pro Miſſis priuatis eſſe ab Aurora vſque ad Meridiem. Quæ verba recitat Suarez *ſect. 4. §. Quocirca*, dicens, in regula Miſſalis non ſine cauſa addi particulam illam, *communiter*, vt indicetur, poſſe aliquando ex cauſa horam aliquantulum variari. Sed aduerte, quod, neque in Miſſali à Pio V. edito, neque in eodem à Clemente VIII. reformato, ea particula habetur in Rubrica de hora celebrandi: abſolutè enim ponitur meridies pro termino.

Henriq. Fagund.

Melius probatur ex ru... Miſſarum.

Ex cauſa tamen ... aliquando variari.

25\. Ab hac regula excipitur primo dies Natalis Domini, in qua licet celebrare poſt mediam noctem. Sed dubium eſt, an vna ſolum Miſſa, an vero tres poſſint in nocte celebrari. Negant plures, poſſe abſque peccato graui dici duas Miſſas in nocte; quos refert, & ſequitur Fagundez *vbi ſupr cap. 18. num. 3.* ex quibus Nuñus *in præſenti, art. 2. verſ. Sed eſt dubium*, contrariam ſententiam dicit improbabilem, quam tamen tradunt Suarez & Vaſquez *in præſenti*; Reginaldus, Coninck, Puteanus, Siluius, Molfeſius, Zanardus, Layman, & alij quos refert, & ſequitur Diana *tract. de celebrat. Miſſarum, reſolut. 35.* & habet pro ſe bonas rationes. Et quidquid ſit de illis, iam hodie eſt vſu adeo recepta, vt non poſſit iam de eius veritate dubitari. Adde, in tanta Sacerdotum multitudine vix poſſe locum dari omnibus ad ter celebrandum illa die, quæ tunc in ipſo ſolſtitio breuiſsima eſt niſi per noctem etiam quæ longior eſt plures Miſſæ à multis celebrentur.

Diana

Tres Miſſæ poſſunt celebrari nocte Natalis Domini.

26\. Excipitur ſecundo caſus neceſsitatis, quando neceſſarium eſſet celebrare ad dandum Viaticum infirmo; alioquin fortaſſe abſque Viatico morituro: in quo caſu conueniunt Doctores, poſſe ante Auroram fieri ſacrum; quia conſuetudo non videtur cum tanto rigore introducta. Aliqui hoc limitant, vt non ſit ſtatim poſt mediam noctem, ſed ſummo mane ante lucem, vt loquitur Fagundez *loc. cit. n. 15.* Sed alij abſque limitatione loquuntur, vt Vaſquez *num. 10.* qui vniuerſaliter dicit: *poſt mediam noctem*, poſſe in eo caſu celebrari, non petita etiam licentia à Prælato. Et clarius Layman. *lib. 5. cap. 4. n. 3.* cum aliis quos ſequitur Diana *vbi ſupra, reſolut. 33.* & ratio videtur eſſe eadem, cum vtrumque ſolum ex conſuetudine prohibitum inueniatur.

Excipitur ſecundo caſus neceſsitatis.

Fagundez. Vaſquez. Diana.

Excipiuntur etiam; qui priuilegia habent, inter quos admittitur communiter Epiſcopus, quod itineris cauſa poſsit vel ipſe, vel alius coram ipſo hora vna ante auroram celebrare, ſiue ex conſuetudine, ſiue ex ordinaria poteſtate diſpenſandi. Sunt etiam Religioſi plures, qui eandem facultatem habent, prout noſtræ Societati conceſsit Gregor. XIII. vt ex licentia ſuperioris poſsimus itineris, vel legitimi impedimenti cauſa id facere. Maior vero eſt facultas, qua ex conceſsionibus Alex. VI. relati ab Eman. Rodrig. in Bullario Regularium *Bulla 13. Alex. VI.* poſſunt Monachi Benedictini facere ſacrum duabus horis poſt mediam noctem, quod licet conceſſum fuerit ſoli Conuentui de Monteſerrato, poſtea tamen Clemens VIII. in Bulla 22. relata *vbi ſupra* extendit facultates illius Conuentus ad totam Congregationem. Et quidem, licet in aliis Monaſteriis non militet eadem ratio, propter quam illud priuilegium conceſſum fuit tali Eccleſiæ; adhuc videtur conceſſum omnibus, quia Benedictini per communicationem participant priuilegia Familiæ Ciſtercienſium Hiſpaniæ ex conceſsione Clementis VIII. & Ciſtercienſes illi participant priuilegia Ordinis S. Hieronymi ex conceſsione Gregorij XIV. Huic autem Ordini Pius IV. conceſsit, vt priuilegia extenderentur ab vno Conuentu ad alios omnes, etiam non exiſtente in illis eadem cauſa: quare de primo ad vltimum ij, qui participant priuilegia dictæ Congregationis Benedictinorum, videntur habere adhuc illud priuilegium. 27.

Excipiuntur etiam qui habent priuilegia.

Priuilegium conceſſum Benedictinis.

Circa illud tamen dubitari poteſt, an ſit reuocatum per Concil. Trid. *ſeſſ. 22. decreto, de euitandis in celebratione Miſſæ.* Nam Fagundez *vbi ſupra n. 3.* cum aliis dicit, eſſe reuocata ibi omnia eiuſmodi priuilegia, quia nimirum Concilium inter alia prohibet, *ne Sacerdotes aliis, quam debitis, horis celebrent*; & in fine addit: *non obſtantibus priuilegiis, ac conſuetudinibus quibuſcumque.* 28.

Melius tamen Eman. Rodriguez *1. tom. quæſt. Regul. q. 43. art. 5.* & multi Theologi Salmanticenſes de hoc conſulti, & cum eis P. Ioan. de Salas, dicunt, non eſſe reuocata per Tridentinum eiuſmodi priuilegia Nam Concilium ibi ſolum imponit Epiſcopis, vt illis omnibus remedium adhibeant, & curent obſeruari. Vbi ergo Epiſcopi non repugnant, non eſt, cur regulares amittant ſua priuilegia: quare alij de illis tanquam de non reuocatis loquuntur, quos refert, & ſequitur Diana *d. tract. de celebrat. Miſſarum, reſolut. 33.* 29.

Hæc priuilegia per Concil. Trid non ſunt reuocata.

Notandum tamen eſt, quod facultas illa conceſſa Monachis Monteſſerrati non fuit abſoluta, ſed ad celebrandum in Eccleſia illius Monaſterij; quare ex vi illius facultatis etiam per communicationem aliis Monaſteriis & Religioſis factam, non poterunt in quolibet loco celebrare illa hora, ſed ſolum in Eccleſia ſui Monaſterij: Communicatio enim non intelligitur cum maiori ampliatione, quam gratia principalis, quæ communicatur. 30.

Quid intelligatur nomine Auroræ in hac materia.

Quarto principaliter dubitatur, quid intelligatur nomine Auroræ, quando prohibetur celebratio ante auroram. Communis, & vera reſponſio eſt, 31.

non

non intelligi ortum ſolis, ſed primam eius irradiationem in noſtro hemiſphærio, quæ pro diuerſis temporibus magis, vel minus præcedit ortum ſolis: aliquando enim præcedit ſolum per horam, & quadrantem horæ; vt in menſe Martio; aliquando per duas horas & quadrantē, vt in menſe Iulio; aliquando per horam, & dimidiam, vt in Februario, & Septembri, aliquando per duas horas; aliquando per vnam cum tribus quadrantibus: Itaque, excepto Martio, ſemper durat crepuſculum illud ad minus per horam, & dimidiam; quod totum tempus Auroræ tribuitur: & in eo proculdubio poteſt celebrari.

Crepuſculum illud excepto Martio ad minus durat per horam & dimidiam.

32\. Addunt alij poſſe etiam, ſecluſo priuilegio, celebrari ſemihora ante initium auroræ, ita vt finis Miſſæ ſit in aurora. Ita Suarez in præſenti cum alijs: vnde infert, Religioſum, qui ex priuilegio poteſt vna hora anticipare ſacrum, poſſe illud inchoare per tres horas ante ortum ſolis, quia abſque priuilegio poteſt inchoari per duas horas ante ortum ſolis iuxta ſupradicta; ergo addita vna hora ex priuilegio, poterit inchoari tribus horis ante ortum ſolis, ita vt finis Miſſæ ſit vna hora ante auroram.

Aliqui ſecluſo priuilegio ſemihorā ante auroram anticipant.

33\. P. Vaſquez *capite* 3. *numero* 27. totum hoc exiſtimat falſum, & abſque fundamento. Cur enim poterit Miſſa media hora ante auroram inchoari, ſecluſo priuilegio, ſi terminus inceptionis eſt aurora? Hoc tamen argumentum facile poteſt aduerſus ipſum Vaſquez retorqueri: nam tempus celebrandi Miſſam in Miſſali aſſignatum clauditur, vt vidimus, inter auroram, & meridiem, vbi æquè aſſignatur vterque terminus, aurora, & meridies, cum dicitur, *ab aurora vſque ad meridiem.* Nemo autem negat, etiam ſecluſo omni priuilegio, obſeruari illam legem, ſi aliquid Miſſæ dicatur ante meridiem, licet maior pars, & ferè tota dicatur poſt meridiem: nam qui paulò ante meridiem Miſſam inchoat, iure ſuo vtitur in toto rigore; ergo qui ita celebrat proximus auroræ, vt aliquid Miſſæ poſt auroram ſit, licet maior pars ſit ante auroram, dicetur etiam debito tempore celebrare: cur enim magis in primo termino, quam in ſecundo, neceſſe eſt, quod tota Miſſa intra terminum aſſignatum contineatur? Non caret ergo fundamento extenſio illa, quam alij recentiores Auctores etiam amplectuntur.

P. Vaſq. hoc falſum exiſtimat. Hoc tamen argumentum contra ipſum poteſt retorqueri.

34\. Denique circa hanc obligationem quæri poteſt, an detur in ea paruitas materiæ ex parte temporis, & quænam ea ſit? Videtur non dari; quia in alijs præceptis ſimilibus non datur paruitas materiæ ex parte temporis, verbi gratia, in die ieiunij, ſi quis paululum ante mediam noctem cœnet, peccat grauiter, & violat legem ieiunij. Item ſi quis paululum ante mediam noctem recitet Officium diuinum diei ſequentis, non ſatisfacit præcepto recitandi: quia terminus præſcriptus eſt à media nocte in mediam noctem: ergo ſimiliter qui celebrat ante terminum præſcriptum auroræ, violat grauiter præceptum non celebrandi extra illum terminum.

Quæritur an hac in obligatione detur paruitas materiæ.

35\. Aliqui tamen videntur agnoſcere in hac obligatione paruitatem materiæ ex parte temporis. Sic videtur indicare Fagundez *loco citato*, *num.* 6. Poſtquam enim dixit, eſſe peccatum mortale, notabiliter ante auroram ſacrificare, ſubiungit: *Videndum nunc eſt, quanam ſit iſta notabilitas, vt inde mortale, vel non mortale colligamus.* Adducit autem Azorium 1. *tom. lib.* 10. *cap.* 25. *quæſt.* 6. dicentem, tertiam partem horæ eſſe tempus notabile ante lucem, & ſufficere ad peccatum mortale: & P. Henriquez *lib.* 9. *de ſacrificio, capite* 24. *numero* 5. *in fine,* dicentem, dimidium horæ ante lucem ſufficere ad peccatum mortale; quam ſententiam ipſe ſequitur: vnde videtur indicare, minus ſpatium temporis ſufficere ad peccatum veniale, non ad mortale.

Aliqui hanc agnoſcunt.
Fagundez.
Azor.
Henriq.
Quæ pars temporis ſufficiat ad peccatum mortale.

36\. Ego exiſtimo in hoc poſſe committi æquiuocationem magnam in afferendis Auctoribus, confundendo eorum ſententias: poſſunt enim eſſe duæ quæſtiones diuerſæ; prima eſt, quando incipiat tempus legitimum celebrandi, & quid intelligatur nomine Auroræ; & de hac quæſtione loquuntur illi Auctores, & dicunt, tempus legitimum eſſe, tertia, vel media parte horæ ante lucem: quia aurora in præſenti non accipitur mathematicè, ſed moraliter, ſicut & meridies: atque ideo non ſolum abſque peccato mortali, ſed etiam omnino licitè poſſe inchoari Miſſam media hora ante lucem, quia iam tunc incipit aurora moralis. Altera quæſtio eſſe poteſt, an detur paruitas materiæ in tempore, quæ ſufficiat ad peccandū venialiter, non vero mortaliter: & in hoc ſenſu non loquuntur illi Auctores, quos affert Fagundez, quia abſolutè dicunt licitè inchoari Miſſam illo tempore: quod autem fit cum peccato veniali, non fit licitè, ſimpliciter, & abſolutè. Alioquin ſi illa media hora ante lucem, quam Henriquez dicit non eſſe partem notabilem, addi poſſet citra culpam grauem illi mediæ horæ, in qua Suarez, & alij fatentur, poſſe abſque vlla culpa inchoari Sacrum ante lucem, iam fieret vna hora integra ante lucem, qua abſque cauſa poſſet aliquis celebrare ſine peccato graui, quod quidem difficilius crederet P. Vaſq. qui nec primam dimidiam horam voluit concedere. Fieret etiam, quod Religioſi habentes priuilegium, poſſent abſque peccato graui per tres horas, & dimidiam ante ortum ſolis celebrare, ſeu per duas horas ante auroram; quod quidem nemo dicit: imo Layman *loco citato* reiicit tanquam nimiam licentiam, illud quod diximus de tribus horis ante ortum ſolis.

In hoc committi poteſt æquiuocatio.

37\. Opinor ergo, omnes agnoſcere in hac obligatione aliquem terminum temporis, circa quem nō poſſit abſque culpa graui celebrari, & quoad hoc non eſſe diſcrimen, inter hæc & alia præcepta, eſſe tamen diſcrimen, quoad ipſum terminū: nam in alijs præceptis agnoſcunt terminum mathematicum, ſcilicet punctum mediæ noctis; in hac tamen obligatione dicunt, terminum eſſe moralem, ſcilicet auroram cum moralitate acceptam, hoc eſt, tertiam, vel dimidiam partem horæ ante primam lucem: ita tamen, vt ille terminus excuſet non ſolum à culpa mortali, ſed etiam à veniali: non enim excuſat propter paruitatē materiæ, ſed quod quia intra illum terminum fit, re vera fit intra debitum terminum, & tempus obligationis. Fateor tamen, hunc ipſum terminum moralem non eodem modo aſſignari in aurora, ac in meridie, ſed cum aliqua maiori latitudine in hoc quam in illa; in quo eſt aliqua differentia, vt ſtatim dicemus.

Omnes agnoſcunt in hac obligatione aliquem terminum temporis.

38\. Reſtat ergo de illo alio termino vltimo dicere, vltra quem non poteſt fieri Sacrum, qui communiter aſſignatur meridies, vt diximus, qui etiam non accipitur mathematicè, ſed moraliter: vnde aliqui dicunt, poſſe tertia parte horæ poſt meridiem inchoari Miſſam; alij extendunt ad ſemihoram. alij ad tres ferè quadrantes, alij ad horam non integram. Auctores videri poſſunt apud Dianam *Tract. de celebratione Miſſar. reſolut.* 34. qui tamen ferè omnes aliquam exigunt cauſam ad id faciendum.

39\. Hinc tamen naſcitur difficultas ſupra tacta, quia obligatio hæc æquè verſatur inter duos terminos ſcilicet auroram, & meridiem: ergo ſicut meridies

ita

ita moraliter accipitur, vt tota Miſſa diſtare poſſit per ſemihoram à puncto meridiano, ſic aurora accipienda erit, vt Miſſa non debeat attingere punctum auroræ, ſed tota poſſit diſtare ab aurora per ſemihoram. Sic enim arguimus ſupra contra P. Vaſq. ad probandum, quod poſſet Miſſa abſolui in principio auroræ, ſicut poteſt incipere in ipſo puncto meridiano.

40. *Ad quem reſpondemus.*

Reſpondeo, aliud eſſe loqui illo duplici termino, prout in lege, ſeu regula Miſſalis exprimitur; aliud vero, prout vſu & conſuetudine explicatur. Nos ſupra arguebamus in primo ſenſu, lex enim eodem modo loquitur de vtroque termino, cum dicit ab aurora vſque ad meridiem Miſſas celebrandas: ergo cum cenſeatur ſatisfacere verbis illius legis, qui ante meridiem inchoat Sacrum, nec ad hoc aliqua conſuetudine, vel extenſione fulciatur; ſimiliter dicetur ſatisfacere verbis eiuſdem legis, qui abſoluit Miſſam poſt initium auroræ.

41. *Loquendo de vſu latius accipitur meridies. Ratio differentiæ.*

Loquendo vero de vſu, & acceptatione communi, negari non poteſt, latius accipi meridiem, quam auroram; & facilius excedit hunc terminum, quam anticipetur ille. Ratio autem huius differentiæ eſſe poteſt, quia terminus ille meridianus olim non erat, imo Miſſa dicebatur poſt meridiem, & aliquando poſt Nonam: poſtea vero, quia hora fortaſſe prandij cœpit anteponi, & minus patienter ſuſtinebatur ieiunium, cœpit etiam anteponi hora celebrandi, aliquali tamẽ libertate retenta, præſertim cum nõ omnes ita tempeſtiuè prandere vellent, ſed aliquando, vel propter negotia, vel propter feſtiuitatem oporteret, quod Officia longius protraherentur, ideo illa antiqua libertas tardius celebrandi non fuit omnino reducta ad terminum indiuiſibilem. At vero terminus auroræ ſemper fuit præfixus: neque enim ſcimus, vnquam licuiſſe celebrare tempore nocturno, niſi ex ſpeciali priuilegio: ideo aurora minus moraliter accipitur, quam meridies, ad quem enim homines ſponte ſua, & ob propriam commoditatem ſe induxerint, potuerunt ſibi illum terminum ſtatuere cum aliqua maiori latitudine. Imo Nauarrus *in Manuali cap.* 25. *n.* 83. dixit, hodie etiam licere celebrare vſque ad horam tertiam poſt meridiem; quia illa vetus licentia non eſt vnquam reuocata. Alij tamen Theologi opponunt ſe huic ſententiæ, quia contraria conſuetudo à Pio V. in Miſſali approbata, & ſenſus fidelium, ac cenſura Prælatorum, qui illud non permitterent, ſed punirent, oſtendunt iã illam veterem cõſuetudinem eſſe abrogatam, vt probat latè Vaſq. *c.* 4. qui tamen cum aliis permittit, in magna feſtiuitate, finita ſerui concione, poſſe Miſſas priuatas dici, vt populus audiat Miſſam.

42. In hoc etiam puncto locum habent exceptiones in primo puncto poſitæ de Epiſcopo iter agente, de celebratione neceſſaria ad dandum Viaticum ægroto; & de perſonis habentibus priuilegium: quod eo facilius concedi poteſt ad poſtponendam, quam ad anticipandam horam, quia hæc obligatio ortum magis habet ex voluntate ſubditorum, qui ob ſuam commoditatem receſſerunt ab antiqua conſuetudine tardius celebrandi.

Priuilegium autem magis amplum videtur, quod conceſſit Eugenius IV. Congregationi S. Iuſtinæ, celebrandi in itinere, vel ex cauſa iuſta, vſque ad Nonam incluſiuè, prout habetur in Bulla xj. Eugenij IV. in Bullario Regularium apud Rodriguez. Vnde limitandum eſt, quod cum Ioanne de la Cruz dicit Diana *tom.* .. *tract. de celebrat. Miſſar. reſol.* 54. vbi ſupponit, illud priuilegium eſſe abſolutum; cum tamen ſolum ſit ad certos caſus itineris vel alterius cauſæ. Dicit etiam horam nonam eſſe vſque ad tres horas poſt meridiem: quod etiam non eſt vniuerſaliter verum, ſed in æquinoctio: nam in hyemali nona hora attingit ſolum ad ſecundam poſt meridiem cum quadrante: in ſolſtitio autem æſtiuo vſque ad horam tertiam poſt meridiem cum tribus quadrantibus, vt latè Francolinus *de tempor. hor. c.* 10.

An liceat pluries eadem die celebrare?

43. Quinto principaliter dubitatur, an liceat aliquando pluries eadem die celebrare? Regulariter id non licet, vt conſtat ex *cap. Conſuluiſti,* & *c. Te referente. de celebrat. Miſſarum.* Excipiuntur tamen aliqui caſus. Primus, & abſque controuerſia eſt in die Natalis, quo ſinguli Sacerdotes ter celebrare poſſunt. *Primus caſus in die Natalis.* Circa quem caſum dubitatum fuit Romæ, verum Cardinalis, qui vt Diaconus miniſtrat Summo Pontifici illa die in Miſſa ſolemni, & communicat ſub vtraque ſpecie in eadẽ Miſſa, poſſit ipſe (ſi Sacerdos ſit) alias duas Miſſas priuatas celebrare. Reſpondi, nullam Miſſam poſſe ipſum illa die ante, vel poſt illam communionem celebrare. Ratio eſt, quia facultas ſolum eſt ad communicandum bis, aut ter in Miſſa, ſeu faciendo duo, aut tria Sacra: per quod ſolum diſpenſatur in prohibitione celebrandi pluries, non vero in prohibitione communicandi bis eadem die. Quare alij Sacerdotes non poſſent extra Miſſam bis aut ter communicare illa die; nec poſſent etiam ſemel communicare extra Miſſam, & rurſus celebrare vnum, vel duo Sacra; quia obligatio communis non celebrandi ea die, qua communio accipitur extra Miſſam, non eſt ablata vnquam pro illa die. Cum ergo Cardinalis in illa Miſſa accipiat communionem, non vt Sacerdos, nec celebrans, non poteſt eadem die ſacrificare, niſi Pontifex peculiariter cum eo diſpenſet: in hoc enim non eſt conceſſa facultas pro illa die, ſed ſolum ad communicandum pluries celebrando, non ad communicandum pluries quomodocumque; prout tunc fieret, ſi ſemel, aut bis in Miſſa, & ſemel extra Miſſam communicaret. Hoc etiam priuilegium bis celebrandi, in die commemorationis Defunctorum 2. Nouembr. habent Sacerdotes ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ in Regno Valentiæ in Hiſpania.

44. *Secundus caſus quando eſt neceſſe celebrare ad dandum viaticum.*

Secundus caſus eſt, quando eſſet neceſſe celebrare ad dandum Viaticum ægroto, in quo caſu ferè omnes conueniunt, poſſe ſecundo celebrari eadem die, quia iura illa ſupra allegata excipiunt caſum neceſſitatis. Quæ autem maior neceſſitas poteſt occurrere? Sed rariſſimè, aut nunquam continget? quia ſi Sacerdos iam accepit Sacramentum, & ablutionem, non poterit nõ ieiunus iterũ celebrare: ſi vero non accepit Sacramentum, poteſt, & debet partem ſuæ hoſtiæ reſeruare, quam ad infirmum deferat. Solum ergo poteſt fingi, quod, accepta hoſtia, & nondum accepta ablutione, nũtiatur ei de periculo ægroti, & non ſint aliæ particulæ conſecratæ in Eccleſia, & tunc abſtineat ab ablutione, & iterum celebret; qui caſus magis eſt metaphyſicus, quam moralis; quare ex conſuetudine contraria non poteſt argui (vt aliqui arguunt) ad probandum non licere, quia re vera cum caſus nunquam datur, non poteſt eſſe contraria conſuetudo.

45. *In his tribus caſibus non datur neceſſitas.*

Tertius caſus eſt quando, finita Miſſa, ſuperuenit Epiſcopus, aut Princeps. Quartus, ſimilis, ſi ſuperuenit funus defuncti, quem non decet abſque Miſſa ſepeliri. Quintus eſt, ſi eodem die occurrat duplex officium, v. g. de feſto, & de vigilia. Sed in his non datur

tur neceſſitas: quid enim refert, quod Princeps non audiat illa die ſacrum? Quod ſi inculpabiliter omiſit non peccauit: ſi culpabiliter, iam peccatum commiſſum eſt, nec tolletur per auditionem Miſſæ, ſed per pœnitentiam. Similiter non eſt neceſſarium, quod ſepeliatur defunctus cum Miſſa: & multo minus, quod dicatur duplex Miſſa de duplici Officio.

46. *Sextus caſus, quando Sacerdos habet duas Eccleſias.*

Sextus caſus eſt, quando ſacerdos habet duas Eccleſias parochiales, quibus ſolus ipſe abſque coadiutore miniſtrat, & in vtraque eſt populus auditurus Miſſam: qui caſus ab omnibus conceditur, & in praxi ſeruatur. Addunt alij, idem eſſe, quando ob ſolemnitatem non poteſt vnica Miſſa ſatisfieri conuentui populi concurrentis, aut quando multi peregrini veniunt, finita iam Miſſa, quia eadem videtur eſſe ratio & neceſſitas, quæ excepta eſt in prohibitione pluries celebrandi. Alij tamen, cum quibus Suarez, & Vaſq. hunc caſum non admittunt. Et quidem non eſt eadem ratio neceſſitatis: nam licet neceſſe ſit prouidere neceſſitati habituali communitatis, vt poſſit audire Sacrũ, prout fit, quando duæ Eccleſiæ diſtantes habent vnum Sacerdotem, non eſt tamen neceſſe prouidere iis, qui ſemel, aut iterum per accidens non audient Sacrum, nec pro iis oportet mutare ritum ſemel ſacrificandi. Facilius admitti poteſt, quod Layman etiam cum aliis admittit pro Angliæ, Hibernia & aliis prouinciis hæreticorum, vbi vnus Sacerdos non poteſt omnibus Catholicis ſatisfacere: illa enim eſt neceſſitas permanens, in qua illi communitati non prouidetur per ſe loquendo, niſi Sacerdos poſſit pluries celebrare.

47. *Septimus caſus, quando nuptiæ ſunt benedicendæ.*

Septimus caſus eſt, quando nuptiæ benedicendæ ſunt: quem plures admittunt. Sed re vera eſt caſus metaphyſicus: nam ſi neceſſitas non præuidetur ante ſumptam ablutionem, non poterit ſecunda Miſſa poſtea celebrari: ſi vero præuidetur, poterit differri prima. Adde, parum referre, quod differatur benedictio in diem ſequentem. Si autem fingatur, ex dilatione magnum detrimentum ſequi, & Sacerdos adhuc ſit ieiunus, non video, cur non comprehendatur ſub neceſſitate, quam iura excipiunt. Notat autem bene Suarez contra aliquos, In iis caſibus, quibus propter neceſſitatem poteſt bis, poſſe etiam ter & pluries ſacrificari, eadem cauſa perſiſtente, & Sacerdote adhuc manente ieiuno. In quo puncto Fagundez *num.* 5. citat textum *in dicto cap. conſuluiſti, de celebratione Miſſarum*; in quo, inquit, *ſolum bis in die concedi in neceſſitate celebrare ieiuno*: quod deſumpſit ex Henriq. *lib.* 9. *cap.* 10. *n.* 7. Sed vterque falſo allegat illum textum, cum ibi non ſit magis ſermo de duplici, quam de triplici, aut multiplici Miſſa celebranda.

Prima referri poſſet benedictio in diem ſequentem.

Fagund.

Henriq.

SECTIO II.

De loco apto ad offerendum hoc Sacrificium, & de Altaris ornatu.

48. *Olim tantum in Eccleſia conſecrata.*

OLim non poterat celebrari, niſi in Eccleſia conſecrata: hodie iam poteſt in Eccleſia ſolum benedicta ab Epiſcopo, vel ab habente facultatem benedicendi, imo & in oratoriis priuatis non benedictis; quæ tamen ad illum ſolum vſum deputata ſint & ab Epiſcopo deſignata: quod conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 22. *c. de euitandis in celebratione Miſſarum.*

Excipitur primo caſus neceſſitatis.

Excipitur primo caſus neceſſitatis ex *c. ſicut, de conſecratione, diſt.* 1. quo bis aſſignatur, ſi dum aliqui peregrinantur, diu Miſſa carere cogantur; quando Eccleſiæ ſunt dirutæ, quando multi conueniunt ad ſolemnitatem & non capit eos Eccleſia: poteſt enim Altare iuxta Eccleſiam collocari, ne careant Sacro: item in caſtris pro militibus, in littore pro nautis intra triremes exiſtentibus, vel multitudine etiam nauigantium in aliis nauibus, vt feſto die Miſſam audiant. In quibus, & ſimilibus caſibus, ſi fieri poteſt, petenda eſt licentia ab Ordinario; ſin autem, poteſt fieri abſque licentia; nunquam tamen abſque altari portatili conſecrato.

49. *Excipitur ſecundo Epiſcopus.*

Excipitur ſecundò Epiſcopus, qui itineris cauſa poteſt in loco decenti celebrare cum altari portatili, vel facere, quod alius coram ipſo celebret, ex *cap. vlt. de priuilegiis, in* 6. quæ facultas non eſt ablata per Trident. *illa ſeſſ.* 22. vt fatetur Vaſquez *diſp.* 233. *n.* 7. & probat Fagundez *lib.* 3. *de* 1. *Præcepto Eccleſiæ, cap.* 13. *num.* 19. Poterant etiam Epiſcopi concedere facultatem aliis celebrandi in loco decenti, quæ poteſtas ablata videtur in illo loco Tridentini; non tamen poteſtas deſignandi Oratoria priuata ad illum ſolum vſum deſtinata in domibus priuatis; nec etiam dandi licentiam, vt in caſu neceſſitatis ſemel in domo priuata celebretur. In his conueniunt ferè omnes.

Conc. Trid. Vaſquez. Fagund.

50. *Per Breue Pauli ablata eſt hæc facultas Epiſcopis.*

Aduerte, hodie per Breue Pauli V. cuius meminit Fagundez *vbi ſupra n.* 12. ablatam eſſe facultatem Epiſcopis, vt concedant licentiam habendi Oratoria in domibus priuatis ad celebrandum. Sed fortaſſe non fuit Breue, ſed Epiſtola quædam Card. Horatij Lancellotti iuſſu Pauli V. die 10. Martij anno 1615. miſſa ad Illuſtriſſimos Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, qua prædicta facultas eis auferebatur: quam Epiſtolam referunt Ioan. Bapt. Scortia *lib* 2. *de Sacrificio Miſſæ, cap.* 13. *n.* .. & Barth. Gauantus *in Rubric. Miſſalis, p.* 1 *tit.* 20. *lit. M.* Qui tamen ex Carolo Nouar. Epiſcopo *in Commentar. Canon. ad cap. Miſſarum* 13. *de conſecrat. diſt.* 1. aduertit, Palatium Epiſcopi non exiſtimari domum priuatam, atque ideo non eſſe ablatam Epiſcopis facultatem habendi Oratorium ad Diuina deputatum, in quo celebrare poſſint ſicut antea, in ſuis domibus.

Scortia. Gauant.

51. *Tertio excipiuntur priuilegiati.*

Tertio excipiuntur, qui habent priuilegium Sedis Apoſtolicæ, quale conceſſum fuit à Sixto IV aliquibus Religioſis, vt conſtat ex eius Bulla 14. *n.* 39. relata ab Eman. Rodrig. *in Bullario Religioſorum*, & Bulla 37. eiuſdem *n.* 87. & aliis. Hæc tamen priuilegia multi communiter dicunt eſſe reuocata per Trid. *loc. cit.* Alij tamen probabiliter dicunt non eſſe reuocata, quamdiu Epiſcopus non contradicit, & ita ſenſerunt Patres Dominicani Doctiſſimi Salmanticæ conſulti, & P. Ioan. de Salas. Eman. Rodrig. *tom.* 1. *quæſt. Regul. q.* 48. *art.* 5. & alij Recentiores. Societati noſtræ conceſſum fuit iterum poſt Trid. hoc priuilegium pro illis, qui à ſuperioribus ad Miſſiones mittuntur, vt cum conſenſu Prouincialium eo vti poſſint, vt conſtat ex noſtro Compendio, verbo *Altare.*

Rodrig.

Dubitatur, an in mari poſſint aliquando Sacerdotes celebrare in longa nauigatione: de hoc tamen dicemus magis ex profeſſo *ſect. ſeq.*

Eccleſiam non debere eſſe violatam.

52. *Eccleſia polluitur quinque modis.*

Eccleſia ad celebrandum apta non debet eſſe violata, vel polluta: alioquin non poteſt abſque graui peccato in ea celebrari, antequam reconcilietur; licet huic peccato nulla cenſura, aut irregularitas annexa ſit. Polluitur autem quinque modis: Primus eſt, per effuſionem iniurioſam ſanguinis humani; ita tamen, vt vulnus intra Eccleſiam inflictum ſit, ſiue ſanguis intra, ſiue extra Eccleſiam, fundatur. An vero ſufficiat, hominem eſſe intra Eccleſiam, quando vulnus accipit; an vero requiratur, vulnerantem intra Eccleſiam eſſe, quando vulnerat, communiter affirmatur, in primo etiam caſu Eccleſiam

Primo per effuſionem ſanguinis iniurioſam.

polluí; idque Layman *lib.* 5. *tract.* 5. c. 5. *n.* 7. probat ex eo, quod ſi exiſtens in vno territorio ſagitta traiiciat hominem exiſtentem in alio territorio, ibi etiam deliquiſſe cenſetur, vt ratione delicti etiam à iudice illius territorij conueniri, ac puniri poſſit: quare in eo caſu datur locus præuentioni inter iudices vtriuſque territorij. Hoc tamen argumentum probatur, quod ſi vulnerans ſit intra Eccleſiam, & ſagitta traiiciat hominem extra Eccleſiam exiſtentem, pariter pollueretur Eccleſia; quod tamen communiter non concedent. Ratio ergo petenda eſt ex verbis legis, quæ ſolum voluit pollui Eccleſiam, quando homo in ea vulneratur ad ſanguinis effuſionem: ad hoc autem non requiritur, vulnerantem eſſe intra Eccleſiam, vt conſtat. Debet autem effuſio ſanguinis eſſe in quantitate notabili, non vnius vel alterius guttæ. Denique vulnus, vel contuſio abſque ſanguinis effuſione Eccleſiam non polluit.

Ratio petenda eſt ex verbis legis.

53. *Secundò per homicidium iniurioſum.*

Secundo polluitur per homicidium iniurioſum, ſiue fiat cum ſanguinis effuſione, ſiue alio modo. Non ſufficit, quod aliquis extra Eccleſiam vulneretur, & intra illam moriatur, ſed requiritur, quod vulnus, vel cauſa phyſica intra Eccleſiam fiat: vnde neque etiam polluitur, ſi intra Eccleſiam fiat mandatum, vel detur conſilium occidendi. Dubium eſt, quando in Eccleſia vulneratur homo, & poſtea domi ex illo vulnere moritur. Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 4. *in principio*, dicit ſi vulnus fit cum ſanguinis effuſione, iam ex hoc capite Eccleſia polluitur: ſi autem fit contuſio lethalis abſque effuſione ſanguinis, non pollui Eccleſiam, ſi homo extra illam moriatur; quia homicidium non completur in Eccleſia. Alii tamen communiter docent, tunc Eccleſiam pollui morte ſequuta, licet ante mortem nondum polluta cenſeatur: quod videtur verius: quia ſicut polluitur vulnere intra Eccleſiam inflicto, licet ſanguis poſtea extra Eccleſiam effluat: ſic videtur pollui in noſtro caſu: cum iam intra Eccleſiam poſita fuerit tota actio iniurioſa, ob quam poſtea anima à corpore ſeparatur: parum enim refert ad irreuerentiam, ob quam Eccleſia violata cenſetur, quod anima ibi, an extra emittatur.

Suarez.

54. *In vtroque tamen caſu vulnus vel occiſio debet fieri cum peccato mortali.*

Aduerte, in vtroque caſu requiri vulnus, vel occiſionem fieri cum peccato mortali: quare ſi ob meram defenſionem fiat, aut aliunde à peccato mortali excuſetur, non polluitur Eccleſia. Vnde ſi martyr in Eccleſia occidatur, polluitur, quia iniuſtè occiditur. E contra, quando pueri rixantur, & ſanguinem ex naribus eliciunt, non cenſetur pollui: quia regulariter non ſunt peccata mortalia. Item licet cauſa ſit aliunde mortalis, vt ſi recitando, vel repræſentando turpia in Eccleſia, ſequitur præter intentionem vulnus, aut mors, non polluitur, quia, non eſt actio mortalis in illo genere, ſicut dici ſolet de pollutione præter intentionem ſequuta ex cauſa in alio genere peccaminoſa. Polluitur tamen, ſi iudex ibi reum, aut aliquis ſeipſum interficiat; quia vtraque actio eſt iniurioſa Eccleſiæ.

55. *Tertiò polluitur per voluntariam ſeminis effuſionem.*

Tertio polluitur Eccleſia per voluntariam ſeminis humani effuſionem extra actum coniugalem, qui neceſſitate vrgente, iuxta communiorem ſententiam, poteſt aliquando in Eccleſiis exerceri, quando nimirum cogitur coniux diu ibi reſidere, nec poteſt alio diuertere: tunc enim ob incontinentiæ periculum vitandum, licitus erit matrimonij vſus. Requiritur etiam in hoc caſu culpa mortalis, vt Eccleſia polluatur, & effuſio copioſa ſeminis, non vnius vel alterius guttæ. Denique in prædictis caſibus requiritur notorietas facti, quod publicè conſtet: aliàs non cenſetur Eccleſia polluta etiam reſpectu eorũ, qui quacumque notitia id ſciunt, vel ipſius, qui delictum patrauit, quia nullo modo obligatur ad ſe manifeſtandũ. Nec deſunt, qui dicant, requiri, quod Eccleſia denuntietur à iudice tãquam polluta propter Extrauagantem, *Ad euitanda ſcandala*: in quibus ſimilis denuntiatio exigitur, vt obligemur ad vitandos eos, qui Cenſuras incurrerunt. Quod, vt probabile, videtur admittere Suarez in præſenti, §. *Secundò dubitari ſolet*. Cæterum ipſe *tom.* 5. *Diſp.* 37. *Sect.* 1. *n.* 28. apertè fatetur, hanc pollutionem Eccleſiæ nullo modo poſſe intelligi nomine interdicti, aut cenſuræ. Et quidem in praxi ita ſeruatur in hac vrbe Romana, vt Eccleſiæ reconcilientur, etiamſi pollutio denuntiata non fuerit.

Requiritur etiam in hoc caſu culpa mortalis.

Quarto polluitur Eccleſia per ſepulturam hominis excommunicati. Poſt Conſtantienſe Concilium requiritur, quod fuerit excommunicatus denunciatus, vel notorius Clerici percuſſor. Vnde miror cur Suarez *dicta Sect.* 4. §. *His poſitis*, dicat, in regionibus Septentrionalibus eos, qui ſacrificant in locis, vbi ſepulti ſunt hæretici, excuſari, vel quia neceſſitate coguntur, quia alibi ſacrificare non poſſunt, vel quia Epiſcopi videntes, & conſentientes facultatem præbere cenſentur: quam doctrinam iiſdem verbis amplectitur Fagundez *lib.* 1. *de.* 1. *de Eccleſiæ præceptis*, c. 14. *n.* 2. Cum tamen vtrique fateantur, per ſepulturam excommunicati non denuntiati nominatim, non pollui Eccleſiam, non eſt, cur alias excuſationes quærant pro iis, qui celebrant, vbi hæretici ſepulti ſunt: quod notarunt etiam Nauarrus *lib.* 5. *Conſiliorum, conſil.* 10. *de hæreticis*, *edit.* 2. *ad* 4. *quæſt.* & Layman *loco citato ſupra num* 8. qui etiam bene aduertit, non pollui Eccleſiam per ſepulturam hominis nominatim interdicti. 56. *Quartò per ſepulturam excõmunicati denuntiati.*

Quinto polluitur Eccleſia per ſepulturam hominis infidelis, hoc eſt, Pagani non baptizati: quo nomine comprehenditur infans etiam non baptizatus, quando ſeorſim ſepelitur, non quando in vtero matris grauidæ, & iam mortuus ſepelitur. Non vero cõprehẽditur hæreticus: quia licet non habeat veram fidẽ, illam tamen profeſſus eſt in Baptiſmo, & ideo ſub nomine fidelium intelligitur in *cap. Omnis vtriuſque ſexus*, *de pœnit. & remiſſ.* vt obſeruauit Suarez *Diſp.* 70. *Sect.* 1. *in principio*. Ad hos duos poſteriores modos pollutionis Eccleſiæ non requiritur peccatum, ſed quocumque modo fiat, polluta manet. Addunt aliqui ſextum, quando Eccleſia ab Epiſcopo excommunicato conſecratur, & benedicitur id tamen quia in iure non habetur, alij omnes reiiciunt. 57. *Quintò per ſepulturã non baptizati.*

Nomine *Eccleſia* in hac materia non intelliguntur Oratoria in domibus priuatis, etiam cum facultate Epiſcopi vel Pontificis deſignata ad celebrandum: illa enim non polluũtur. Intelligitur tamẽ cœmeterium benedictum ad ſepelienda fidelium cadauera: ita tamen, vt polluta Eccleſia, cẽſeatur pollutum cœmeteriũ illi connexũ: non è cõtra: quia acceſſorium ſequitur conditiones principalis, & non è contra. Vnde quando polluta Eccleſia reconciliatur, eo ipſo cœmeterium cenſetur conſequenter recõciliatum. Neque etiam, polluto vno cœmeterio, cenſetur pollutum alterum; quia neutrum eſt acceſſorium alterius. Denique nomine *Eccleſia* intelligitur, quidquid eſt intra tectum, & pauimentum ipſius: vnde comprehenditur Chorus à terra eleuatus, vel ſcabellis diſtinctus, vt docet Thom. Sanchez *lib.* 9. *de Matrimonio*, *diſp.* 15. *n.* 33. & Fagũdez *dicto* c. 14. *n.* 46. qui bene aduertit, idem eſſe de Capellis, ſiue ſubterraneis, ſiue ſuperioribus, quæ vnum faciunt cum Eccleſia. Non tamen polluitur, ſi effuſio ſanguinis fiat ſupra tectum immediatum Eccleſiæ, in capacitate, quæ eſt inter primum, & ſecundum tectum: nec extra portam, aut in parte 58. *Quid hic nomine Eccleſiæ debeat intelligi.*

externa parietum, vel in Sacriſtia, aut cameris adiacentibus, nec in turri, aut cubiculis officialium, & ſimilibus locis. Hæc omnia compendio dixi, non citatis iuribus & Auctoribus, quia paſſim repetiruntur.

Dubium eſſe poteſt de aliquibus locis publicis
59. *Dubium de quibuſdam locis publicis ab Epiſcopo deſignatis ad celebrandum.* ad celebrandum ab Epiſcopo deſignatis, vt ſunt Eremitoria aliqua, Hoſpitalia, & ſimilia, quæ nec conſecrata, nec benedicta ſint, ſed deputata ad hoc, vt in iis publicè celebretur, in quibus non poſſunt corpora fidelium ſepeliri: de quibus Doctores expreſſè non loquuntur. Aliqui tamen iudicant, ea loca non violari, nec pollui: ita, loquitur Nauarrus
Nauar. *in ſumma, c.16 n.31.* dicens, coniuges peccare mortaliter, ſi habeant copulam in Eccleſia conſecrata, vel
Soto. benedicta; & Soto *diſt.12.q.vnic art.3.* ſic ait: *Voca autem loc. m ſacrum Eccleſiam conſecratam, vel benedictam.* Et Suarez *in præſenti ſect. 4. §. Quinto violatur,*
Suarez. in fine, clarius id ſignificat his verbis: *Denique hi caſus non habent locum in Oratoriis, vel ſimilibus locis, quæ nec conſecrata ſunt, nec benedicta; quia iura citata loquuntur de Eccleſiis:* Eccleſiæ *autem nomine ſolum ſignificatur templum conſecratum, aut benedictum.* Eodem modo loquitur Henriquez *dict. lib.9. c.27.*
Henriq. *§.5.* his verbis: *Eccleſia, ſi non ſit conſecrata, aut benedicta non violatur; vt Oratorium, quod eſt ab Epiſcopo deſignatum.*

Alij tamen oppoſitum ſignificant, dum dicunt,
60. *Alij oppoſitū ſignificant.* Eccleſiam non conſecratam, nec benedictam gaudere priuilegio immunitatis loci ſacri, vt tradunt
Syluester. Syluester, verbo *immunitas* 1. *in princip.* & *Immu-*
Couarr. *nitas* 3. Couaruuias 2. *variarum*, & alij, quos refert Suarez *tom. 1. de relig. tract 2. c.9. n.2.* & probari ſolet ex *cap. Eccleſia, de immunitate Eccleſiarum*, vbi eiuſmodi immunitas aſſeritur competere Eccleſiæ non conſecratæ, in qua tamen Diuina Officia celebrantur: per quæ verba videtur ſignificari, quod ſermo ſit de Eccleſia non benedicta: nam ſi eſſet benedicta, gauderet immunitate, etiam antequam Diuina
Ratio ibi aſſignata id ſignificat. Officia celebrarentur. Ratio etiam ibi aſſignata id ſignificat, quia ſcilicet: *Obſequiis Diuinis dedicata, nullius eſt temerariis artibus profananda*: quod in Eccleſia non benedicta locum habet. Item ex *cap. finali, de conſecratione Eccleſ.* vbi Gregor. IX. dicit Eccleſiam non conſecratam, ſi polluta fuerit, debere reconciliari, & quam citius fieri poterit, eſſe reconſecrandam: vbi generaliter de omni Eccleſia non conſecrata ſermo eſſe videtur: nomine autem *Eccleſiæ* illa etiam oratoria intelligi ſignificat idem
Suarez. Suarez *tom.5. de cenſuris, diſp.33. ſect.1. n.5.* & clarius Layman *dicta c.5. n.12.* Eccleſiam benedictam, ſeu auctoritate Epiſcopi ad Diuina Officia deputatam reconciliari per aquam à ſimplici Sacerdote benedictam. Denique idem Suarez *dicto tom.1. de Relig. illo c.9. n.2. & 3.* apertè docet eiuſmodi loca frui immunitate & debere reconciliari, ſi pollui aut violari contigerit, miraturque quod aliqui moderni contrarium dixerint, cum id manifeſtè colligatur ex *dicta cap vlt. de conſecrat. Eccleſ.* Vnde hæc pars mihi etiam probatur, quia re vera illa venit nomine *Eccleſiæ*, cum ita ab omnibus communiter appelletur. Imo addit idem Suarez *n.4.* hoc procedere, etiamſi nondum in ea Eccleſia Diuina Officia cœperint celebrari, quia Eccleſia non fit Eccleſia per celebrationem actualem Sacrificij in ipſa, ſed per deputationem factam ab Epiſcopo ad celebrandum, quæ deputatio æquiparatur benedictioni, & ideo poteſt in ea celebrari, quia deputata eſt ab Epiſcopo, & quia eſt Eccleſia; non è contra. Quare verba ſupra adducta ex *cap. penult. de Immunitate Eccleſiæ*; in quibus Pontifex dicit, immunitatem competere illi Eccleſiæ, ſi in ipſa Diuina Officia celebrantur, intelligenda ſunt non de celebratione actuali, ſed de aptitudine iuxta regulam Logicæ, quod verba in definitione non dicunt actum, ſed aptitudinem. Significat ergo Pontifex, illi Eccleſiæ etiam non benedictæ competere immunitatem, in qua celebrari poſſunt Diuina Officia; quare illa etiam indigebit reconciliatione, etiamſi nondum in ea celebratum fuerit.

Quando Eccleſia aliquo ex dictis modò polluta
eſt, oportet eam reconciliari, quod fit ab Epiſcopo, 61. *Eccleſia ſic polluta debet reconciliari.*
ſi Eccleſia conſecrata ſit, eo ritu, qui in Pontificali præſcribitur; vel etiam ab habentibus priuilegium à Sede Apoſtolica, quale datum fuit à Leone X. Minoribus; quæ conceſſio habetur apud Rodriguez
in Bullarus Regular. Bulla 6. ſub Leone X. Abſque Rodrig. Leo X.
priuilegio tamen non poteſt etiam ex commiſſione Epiſcopi; quidquid dicant Victoria *in ſumma,* Victoria.
q.99. Sà verbo *Eccleſia, n.20.* & Syluius *in præſenti* Sà.
q.83. art.3. dicens, ſic ſeruari in praxi: verum illa Syluius.
praxis eſt pro Eccleſiis non conſecratis. Quare praxim contrariam eſſe, notauit bene Diana *tom. 1.* Diana.
tract. . Miſcellan. reſol 6. Si autem non eſt Eccleſia conſecrata reconciliari poteſt per ſimplicem Sacerdotem aqua à ſe benedicta, eo modo, qui habetur in Rituali; quod licet de iure communi poſſit fieri abſque alia licentia, ſolet tamen ex decentia, quando fieri poteſt, ſignificari Epiſcopo. Si autem Sacerdos actu celebrat, quando Eccleſia polluitur, & nondum inciperat Canonem, relinquit Sacrum, donec reconcilietur.

Addunt aliqui, ſi Sacerdos bona fide celebrat in 62. *Aliqui addunt ſi Sacerdos in ea bona fide celebret, manere reconciliatam.*
Eccleſia polluta, eo ipſo manere iam reconciliatam per Miſſæ celebrationem. Ita Caſtro *l.2. de Lege pœnali, cap. vlt.* Sà verbo *Eccleſia n.19.* Diana *tract. de celebrat. Miſſar. reſol.69.* & probabile cenſet Auila *de cenſuris p. diſp . dub. . concl.1.* Alij tamen eam limitationem reiiciunt, & merito, quos refert, & ſequitur Layman *loc. cit. n.* .. quia in nullo iure fundatur; neque etiam ratione. Si enim Sacrificij dignitas id habet, vt ſanctificet locum abſque alia reconciliatione, ſequitur primo, etiamſi Sacerdos mala fide celebret manere reconciliatum, cum eadem ſit Sacrificij virtus. Secūdo, ſi ex Epiſcopi diſpenſatione in neceſſitate celebretur, idem dicendū eſſet. Tertio, ſi Sacerdos inchoato iam Canone, poſtea polluta Eccleſia proſequitur, & conſecrat, eadem eſſet virtus Sacrificij. Quarto eodem modo, ſi Eccleſia nondum fuiſſet conſecrata, aut benedicta, dici poſſet, ſemel celebrata Miſſa, non indigere alia conſecratione, aut benedictione; quia ſicut dignitas Sacrificij æquiualet reconciliationi, æquiualet etiam, & præponderat conſecrationi, aut benedictioni.

Vltimo aduertunt Doctores, poſſe in caſu neceſ- 63. *In caſu neceſſitatis poteſt in ea celebrari.*
ſitatis celebrari in Eccleſia polluta de licentia Epiſcopi. Probant Suarez *in præſenti, dicta ſect.4. §. His poſitis,* & Fagundez *n.2.* quia Epiſcopus poteſt dare licentiam celebrandi in loco non conſecrato: ergo, & in loco, qui per pollutionem quodammodo amiſit conſecrationem. Hæc tamen ratio retorquetur clarè; quia Epiſcopus poteſt de iure communi deputare Oratorium ſaltem publicum non conſecratum ad celebrandum: & hoc abſque neceſſitate; ergo & poſſet abſque neceſſitate concedere, vt celebretur in Eccleſia violata nondum reconciliata, quod tamen conſequens prædicti Auctores non concedunt. Non prouenit ergo hoc ex illa facultate generali; facilius enim eſt, quod celebretur in loco non ſacro, quam in violato; quia violatio affert non meram negationem, ſed priuationem, & quaſi pœnam ratione cuius illa negatio eſt magis radicata; ſicut carentia gratiæ, & ſanctitatis in peccatore eſt turpior quam

Quod à poſteriori clarè patet. eſſet in homine exiſtente in pura natura. Quod à poſteriori clarè patet; quia in Eccleſia non conſecrata poteſt celebrari ex deputatione Epiſcopi, & adhuc ſi violetur, poteſt cum reconciliatione Sacerdotis, ſi autem fuit conſecrata, & violetur, nõ poteſt abſque reconciliatione facta per ipſum Epiſcopum: quia nimirum ratione maioris ſanctitatis præcedentis, maius, & fortius impedimentum contrahitur, ad quod auferendum maior virtus eſt neceſſaria. Poteſt tamen Epiſcopus ex cauſa neceſſitatis diſpenſare; & tanta poteſt eſſe neceſſitas, vt, ſi non ſit recurſus ad Ordinarium, poſſit abſque eius licentia celebrari, v. g. ſi in die feſto populus non habet aliam Eccleſiam, in qua poſſit Miſſam audire.

64. *Conſecratio Eccleſiæ perditur deſtructa Eccleſia.* Conſecratio Eccleſiæ perditur, deſtructa Eccleſia; quod quidem contingit, non quando tectum ſolum ruit, ſed ſi parietes maiori ex parte deſtruantur, quia illis potiſſimè adhæret conſecratio. Si autem parietes non ſimul, ſed paulatim, & ſucceſſiuè corruant, & reparentur, non perditur conſecratio; quia illa maior pars, quæ remanet, retinet conſecrationem, & trahit ſemper ad ſe partem minorem, quæ aduenit.

65. Circa hoc tamen ſubdubitat Layman loco citato *num.* 16. quando parietes ex intentione renouandi Eccleſiam, vnus poſt alium, omnes deſtruantur, & de nouo ædificentur: quia in re morali multum valet intentio operantis. Alij tamen vniuerſaliter loquuntur; & Nauarrus in *ſũma cap.* 27. *num.* 258. etiam in prædicto caſu negat, requiri nouam conſecrationem: & certè ciuitas eadem dicitur eſſe, licet ex animo eam pulchriorem reddẽdi, paulatim, & ſucceſſiuè omnes ædes deſtruãtur, & reædificentur: itẽ idem Collegium manet, ſi eodem modo paulatim reficiatur: cur non dicetur manere moraliter eadem Eccleſia?

66. *Maius dubium eſſet ſi ex quatuor Eccleſiæ parietibus duo ferè corruerent.* Magis dubitarem, quando reuera ex quatuor Eccleſiæ parietibus ferè duo corruerent: nam licet tunc maneat maior parietum pars: vere tamen non videtur manere Eccleſia: quis enim dicat, Eccleſiam eſſe duos parietes paulo plus abſque tecto? Conſecratio autẽ Eccleſiæ nõ maneat, niſi Eccleſia: ſic enim Calix, vel Alba non manent benedicta, quando ita amittũt magna ex parte formam artificialem, vt non ſint Calix, Alba, &c. vt infra videbimus: vnde ſi manicæ ſeparentur ab Alba perditur benedictio: minus autem retinent formã Eccleſiæ duo parietes abſque tecto, quam Alba ſine manicis. Sicut ergo, vt calix, vel veſtis retineat benedictionem, neceſſe eſt, vt poſſit vtcumque, licet ægrè, deſeruire ad ſuum vsũ: ſic Eccleſia tandiu retinebit conſecrationem, quandiu erit Eccleſia: & tandiu erit Eccleſia, quandiu, licet ægrè, poſſit deſeruire ad vſus ſacros: quod moraliter iudicandum erit. Fateor tamen, contrariam ſententiam propter communem auctoritatem probabilem, & ſecuram practicè eſſe.

De Altari ad celebrandum neceſſario.

67. Præter Eccleſiam requiritur ad celebrandum Altare, quod debet eſſe lapideum, conſecratum ab Epiſcopo, vel habente auctoritatem ex commiſſione Summi Pontificis, qui non niſi rariſſimè eam ſolet concedere: numquam vero ad ſacrificandum ſine altari conſecrato. *Eſt duplex altare fixum & mobile.* Eſt autem Altare duplex, alterum fixum, alterum mobile, ſeu portatile, quod Ara nuncupatur. Primum conſecratur, vt ibi maneat: atque adeo conſecratur totum altare: & in qualibet parte menſæ illius poteſt ſacrificari: vnde perditur conſecratio, ſi mẽſa ſuperior ſeparetur à pedibus, vel baſe cui affixa eſt, non tamẽ ſi vnus, aut alter lapis ex iis, quibus nititur, auferatur, ſi tamen poteſt adhuc manere, & ſtare altare, quantum ſufficit ad ſacrificandum: vt obſeruat Layman *lib.* 5. *c.* 6. *n.* 3. Altare autem mobile retinet conſecrationem, quamdiu non frangitur, ita, vt in parte illius integra non poſſunt conſiſtere Calix, & Patena cum hoſtia: quod non ita intelligo, vt totus pes calicis, & tota patena debeat eſſe ſuper partem lapidis, ſed tanta pars vtriuſque, vt ſufficiat ad ſuſtentanda illa, ne cadant: tunc enim iudicari debet de vna ſola parte integra, tamquam ſi ſola illa ſit; nam altera pars per accidens ſe habet: quia non poteſt Sacrificium fieri ara conſtante ex duobus lapidibus, vt tradunt Syluester verb. *Altare*. q. 3. Vaſq. *diſp.* 233. *n.* 16. Fagund. *lib.* 3. *de* 1. *præcepto Eccleſ. cap.* 22. *n.* 9. & alij. Syluester. Vaſquez. Fagund.

68. *Lapis additus lapidi conſecrato non fit eo ipſo conſecratus.* Hinc infero primo, ſi lapidi conſecrato additio fiat noui lapidis, id, quod additur, non fieri conſecratum; neque in ea parte poſſe poni calicem, & patenam, licet alia per coniunctionem cum materia ſacra ſoleant participare conſecrationem, aut benedictionem; in quo puncto laborat Laym. *vbi ſupra n.* 5. vt rationem diſcriminis reddat, dicens, procedere illam regulam in iis artificialibus, quorum partes ſeorſim rationem, & appellationem non retinent; vt Eccleſia, calix, caſula, &c. at vero ſi partes lapidis homogeneæ ſunt, fieri poteſt, quod vna pars ſit ſacra, alia non ſit ſacra. Hæc tamen ratio non eſt ſufficiens, cum in oleo, vel aqua benedicta partes ſint ſatis homogeneæ, & tamen per coniunctionem pars addita participat benedictionem. Ratio ergo legitima petenda eſt ex dictis, quod lapis debet eſſe ſimplex, & vnus, vt ſit aptus ad celebrandum: ideo totum id, quod additur, non fit ſacrum; quia non poteſt cum præcedenti componere altare ſacrum.

69. *Quæſitum.* Quæſitum eſt, an ſuper ara conſecrata debeant poni etiam particulæ conſecratæ, an ſufficiat, quod ſint ibi tempore conſecrationis; poſtea vero propter loci anguſtias ponantur extra aram in alia parte altaris ſupra aliud Corporale. *Reſpondetur.* Reſpondi debere eſſe ſuper aram, ſicut & hoſtiam illam, quam Sacerdos ſumit: nam licet Sacerdos intendat hanc hoſtiam maiorem ſibi ſumere, & illas minores aliis dare; hoc parum refert, cum ex inſtitutione huius ſacrificij nulla ſit differentia, quare poſſet Sacerdos ex ipſa hoſtia maiori dare partem aliquam ei, qui vult communicare, & rurſus ex minoribus ſibi ſumere, quia tota eſt vnica victima: & per modum vnius offertur abſque vllo diſcrimine. Vnde in Rubricis Miſſalis præcipitur, quod particulæ illæ ponantur ſuper Corporale, vel ante Calicem, aut in calice, vel vaſe mundo conſecrato retro poſt calicem. Quod autem non ſufficiat ſolum, quando conſecrantur, eſſe ſuper aram, conſtat clarè, quia ara non tam requiritur ad ſuſtentandam hoſtiam tempore conſecrationis, quam tempore præcedenti, & ſequenti: quando enim conſecratur, non eſt hoſtia ſupra aram, ſed in manibus Sacerdotis: ergo magis requiritur ara ad tempus præcedens, & ſubſequens. Vnde obiter infero, minus rite facere aliquos, quos vidi ſtatim poſt conſecrationem dare vas cum particulis conſecratis alteri Sacerdoti, vt eas in alio altari populo diſtribuat. Hoc inquã, non rite fiat: nã ſicut ex hoſtia ſua Sacerdos non debet dare partem vſque ad finem Sacrificij, ſic nec de illis particulis, quæ ſunt etiam victima illius Sacrificij, & non minus offeruntur, quam hoſtia maior: & ideo omnes orationes, oblationes, & benedictiones frequentes æquè ſpectant ad illas; nec ante ſumptionem à Sacerdote eſt victima perfectè, & integrè ſacrificata: minus etiam congruit, vt alius participet prius de Sacrificio,

crificio, quam ipſa Sacerdos, qui eſt principaliter offerens, & ſacrificans reſpectu aliorum: vnde in Omnibus Liturgiis, & Ritualibus, ac Regulis antiquis ſemper primo loco ponitur communio Sacerdotis celebrantis, & poſtea communio Clerici, & populi: nec videtur ille ordo facilè peruertendus. Facilius poſset admitti, quod ante ſumptionem calicis daretur aliis communio, quia Chriſtus non ſolum ante ſumptionem, ſed etiam ante conſecrationem calicis videtur dediſse Apoſtolis corpus; vt ex contextu Euangelii colligi poteſt.

70. *De altari portatili dubitatur.* Circa altare portatile dubitari ſolet, an perdat conſecrationem, ſi ſeparetur à ligno, cui inclutum eſt quod licet aliqui affirment, alij tamen communiter negant, & merito, quia illud lignum eſt quidem ad ornamentum, vel cuſtodiam lapidis, ne rumpatur, non tamen componit cum lapide altare, nec eſt capax conſecrationis, cum non ſit lapis. Nec obſtat, quod altare fixum perdat conſecrationem, quando menſa ſeparatur à pedibus ligneis, quibus ſuſtinebatur: quia illud conſecratur per modum altaris fixi, & ſtabilis, de cuius ratione non ſolum eſt tabula ſuperior, ſed etiam pedes, ſeu baſis: at vero altare portatile conſecratur, vt tabula ſola ſuperior mobilis, & portatilis, & ad eum vſum, atque ideo conſecratio cadit ſuper ſolam partem ſuperiorem, in qua collocatur calix, & hoſtia.

71. *Dicet aliquis.* Dicet aliquis: ſicut poteſt conſecrari lapis paruus ſeorſum pro altari portatili, cur non poterit conſecrari lapis magnus, ſeu tota tabula lapidea ſuperior ſola in altari fixo, ita vt conſecratio ſit in ſola tabula ſuperiori, non in pedibus, vel baſe, cui innititur? Quare etiamſi à baſe vel à pedibus ſeparetur non amittet conſecrationem: quod ſi fieri poteſt, cur non habet Epiſcopus hanc intentionem, dum altare conſecrat?

Reſpondeo. Reſpondeo id fieri non poſſe: ratio eſt, quia olim ſola altaria lapidea fixa conſecrabantur poſtea propter neceſſitates occurrentes conceſſum fuit, & introductum vt conſecrarentur aræ portatiles, & tabulæ lapideæ paruæ, quæ deferri poſſent ad varia loca, quæ in rigore non ſunt altaria, ſed tabulæ altaria: nam altare eſt menſa integra, quæ includit pedes, ſeu baſim, & tabulam ſuperiorem: indultum tamen fuit, vt poſſint conſecrari altaria non integra, ſed tabulæ altarium, ad vſum eas deferendi in alia loca: nunquam tamen conceſſum fuit, vt in altari non mobili conſecraretur altare non integrum. Non poteſt ergo conſecrari ſola tabula ſuperior in altari fixo, ſed debet conſecrari totum altare per modum altaris integri, & completi.

72. *Layman. P. Layman vtitur exemplo calicis.* P. Layman, *vbi ſupr. num.* 6. vtitur ad hoc ipſum exemplo calicis, qui ſi tornatilis ſit, non perdit conſecrationem per ſeparationem cuppæ à pede, licet eam perdat calix alius, qui non habet amouibilem pedem à cuppa. Rationem autem reddit, quia in calice tornatili ſola cuppa per ſe conſecratur, & ideo in ea ſola, & ſeparata retinetur conſecratio: quod etiam inſinuare videtur Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 7. §. *Rurſus inquiri poteſt.*

73. *Hoc exemplum non omnino congruit.* Verum hoc exemplum non omnino congruit: nam licet concedam calicem tornatilem ita cõſecrari, vt per ſeparationem cuppæ à pede non perdat conſecrationem, non tamen concedam, conſecrari ſolam cuppam, ſed totum calicem, atque ideo ſi loco illius pedis ſubſtitueretur alius pes non conſecratus, non eſſet calix conſecratus, quia iam vere non eſt idem calix, cũ pars aliqua neceſſaria ad ſubſtantiam calicis vſualis variata ſit; quod non contingit, quando eadẽ partes connectuntur; quia ſemper manet idem calix, vt videamus *ſect.* 4. in altari autem portatili fateor, non manere idem altare; quia ara ſola mobilis non eſt altare in rigore, ſed pars altaris: fuit tamen indultum, vt conſecraretur pars altaris ſeorſim, quia ſic neceſſarium fuit ad vſum, quod tamen in conſecratione calicis conceſſum non eſt.

74. *Inſtantia.* Dicet aliquis: ſicut poteſt fieri calix tornatilis, cuius partes licet ſeparentur, non perdunt conſecrationem: cur non poterit fieri altare integrum, cuius partes poſſint facilè ſeparari, & coniungi, v. g. tabula ſuperior cum columnis, ſeu pedibus, quibus innititur? Tunc autem non admitteretur conſecratio partium, ſicut neque in calice. Reſpondeo, ex natura rei id non repugnare phyſicè, vt ita dicam: moraliter tamẽ non facile erit; quia licet in altari ligneo, vel æreo id facile eſſet, in lapideo tamẽ difficile erit ita ſubtilem tabulam lapideam inuenire vt poſſit facile, & ſine periculo imponi, & auferri à baſe, vel columnis: quare eiuſmodi altaria nunquam fuerunt in vſu, ſi tamen fieret, non video, cur non poſſent eiuſmodi partes conſecrationem retinere, quoties connecterentur. Nam reuera ſicut menſa lignea eadem eſt, licet ſæpe tabula ſuperior à pedibus auferatur, vt contingit in menſis aliquibus pauperum, eadem etiã eſſet menſa lapidea, ſi eodem artificio facta eſſet. Item ſicut calices tornatiles introduci potuerunt, & cum illa ſeparabilitate partiũ conſecrari, licet antea ſoli calices fixi conſecrarentur, cur non poſſent conſecrari altaria cum ſeparabilitate partiũ, licet antea nullum eſſet eiuſmodi altare? Nam licet altare non ſoleat conſecrari, niſi intra Eccleſiam, & alligatum Eccleſiæ, poteſt tamen intra eandem Eccleſiam, aliquod altare integrum transferri ab vno loco ad alium, quo caſu, cum idem altare omnino maneat, non indiget noua conſecratione: poſſet ergo ſimiliter illud altare cum ſeparabilitate partium conſecrari in tali Eccleſia, intra quam poſſet diſſolui, & componi, ſi tali artificio fuiſſet fabricatum. *Diluitur.*

75. *Aliqui ſine reliquiis ad quodcumque altare exigunt vt in eo ſint reliquiæ.* Aliqui exigunt neceſſario ad quodcumque altare, quod in eo ſint reliquiæ ſanctorum: id tamen alij merito negant: & multo magis, quod alij dicunt, licere in defectum reliquiarum includere particulam hoſtiæ conſecratæ, quod quidem magnum abſurdum eſſet. Vnde parum etiam refert, quod altaris cornua, quæ vncta ſunt, frangantur: ſemper enim remanet conſecratio, quamdiu reſtat pars ſufficiens ad continendum calicem cum patena, vt dictum eſt.

76. *Suarez. Vaſquez. Layman.* Altare præterea ornari debet in primis tobaleis præter Corporale, quas Suarez *in præſenti diſp.* 81. *ſect.* 6. Vaſq. *diſp.* 235. *cap.* 5. & alij communiter, quos refert, & ſequitur Layman *vbi ſupra n.* 11. dicunt ſufficere quod ſint duæ præter Corporale, ſeu vna duplicata. Verum in Miſſali reformato auctoritate Clementis VIII. expreſsè requiruntur tres, quarum vna longior ſit, & ad terram pertingat, duæ aliæ breuiores, ſeu vna duplicata; & præter has, quæ in altari ſunt, poſtea additur Corporale ex Sacriſtia afferendum: & hoc obſeruatur in Eccleſia Romana. *Quid præterea ad altare requiratur.* Quod idem præſcriptũ iam fuiſſe in Miſſali Pij V. conſtat ex §. 20. de defectibus occurrentibus in Miſſa, vbi inter alios defectus ponitur, ſi altare non ſit tribus mappis ornatum. Additur præterea in Miſſali, quod hæ tobaliæ ſint benedictæ, quod à fortiori requiritur in Corporali, quod licet in extremitatibus poſſit eſſe ſericum vel auro elaboratum; non tamen ea parte, qua calicem, & hoſtiam tangit: eiuſdem rationis debet eſſe altera pars, qua calix operitur quæ etiam pro Corporali poſſet deſeruire ſi capax ſit, cum eandem benedictionem habeat. Purificatorium vero, quo tergitur calix, non debet eſſe ex obligatione benedictũ, vt fatetur Suar. *diſp.* 81. *ſect.* 8.

§. *Quarto addendum*, & Gauantus *in Rubric. Miſſalis, p.2.tit.1.litt.1.*

77. *Sine lumine ſacrificare nunquam licet.* Requiritur etiam lumen, ſine quo nunquam ſacrificare licet; imo addunt aliqui, ſi lumen extinguatur ante conſecrationem, nec haberi poſſit, relinquendam eſſe Miſſam, etiamſi neceſſe eſſet conſecrare ad dandum viaticum moribundo. Ita Fagundez *c.22.n.19.* *An ex ſola cera.* An vero debeat eſſe ex cera, vel poſſit eſſe ex oleo, vel adipe? Communis ſententia exigit ceram propter conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ, quam approbat regula Miſſalis, vbi exiguntur duæ candelæ cereæ. Alij tamen in caſu neceſſitatis licere dicunt cum alio lumine, ſi abſit ſcandalum; quos congerit, & ſequitur Diana, *tract. de celebrat. Miſſar. reſol.45.& 67.* quorum aliqui id extendunt ad candelam ex adipe, vel ſeuo; vt Layman *loc.cit.c.6.n.17.* & Azor. *1.tom.lib.1.c.28.q.15.* Didacus Nuñus *in præſenti, q.83.art.3.* Iacob. de Graffis *1.p. Deciſ.lib.1.c.43.* qui abſque limitatione loquitur.

Diana.

Layman.

78. *An celebrari poſſit ſine libro Miſſali.* Requiritur etiam liber Miſſalis. An vero aliquando liceret abſque illo celebrare, quando Sacerdos nullum timet periculum, & memoria firmiter tenet totam Miſſam, plures negant: Alij affirman; Layman *vbi ſup. n.17.* Villalob. & Ledeſma, quos refert, & ſequitur Diana *loc.cit.reſol.46.* qui malè pro contraria ſententia citat Vaſquez cum hanc ſecundam apertè teneat *c.5.n.26.* qui bene aduertit, ex hoc capite excuſari eos, qui cum legere non poſſint propter viſus debilitatem, adhuc celebrant Miſſam memorialiter recitantes, & videntes quantum ſatis eſt, ad reliquas Sacrificij actiones ritè exercendas; ij enim licet librum coram ſe habeant propter decētiam, perinde eſt, ac ſi eum non haberent; quam ſententiam ego etiam probabilem exiſtimo.

Diana.

79. De Cruce aliqui dubitant: an ſit neceſſaria ex præcepto graui: ſed licet in regulis Miſſalis exigatur, non videtur tamen eſſe præceptum Eccleſiæ graue, vt notant Suarez & Vaſquez, imo aliqui probabiliter dicunt, non eſſe Miſſalis regulam intelligendam pro altari, in quo eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Alij tamen contrarium ſentiunt cum quibus eſt Gauantus *dict.2.p.tit.20.* Et in vniuerſum certum eſt, non omnia, quæ in Rubricis Miſſalis exiguntur, afferre obligationem grauem, niſi aliunde conſtet de Eccleſiæ præcepto. *Omnia quæ in rubricis exiguntur non afferunt obligationē grauem.* Quis enim dicat, non poſſe Sacrificari abſque duabus candelis cereis, vel ſine alio cereo, pro tempore Eleuationis, & aliis ſimilibus.

SECTIO III.

Vtrum in mari poſſit aliquando celebrari.

80. DE hoc puncto diligenter tractatum fuit ante 30. ferè annos in præcipuis Hiſpaniæ Academiis, cum Luſitani peterent in longa nauigatione ad Indiam Orientalem huius Sacrificij vſum. Et quidem Doctores Theologi, & Iuriſtæ in Academia Salmanticenſi, Complutenſi, Conimbricenſi, & Eboracenſi iudicarunt poſſe id accedente Summi Pontificis conſenſu, eis rationaliter concedi, quorum ſuſcriptiones vidi, & in illis iudicium P. Franciſci Suarez idem ſentientis. *Hoc poſſe fieri accedēte Pontificis conſenſu iudicauit olim Suarez.*

81. *Primum fundamentum ex veteris Eccleſiæ conſuetudine.* Fundamenta multa, & quidem grauiſſima allata fuerunt. Primum ex veteris Eccleſiæ conſuetudine, quæ in mari etiam pro nautis celebrare conſueuit; quod colligitur ex Surio *tom. 2. die 20. Martij*, vbi narrat S. VVulfrannum Senonenſem Archiepiſcopum, dum in medio Oceano nauigaſſet, & die quadam hora ſolita venerandum Miſſæ Sacrificium offerret, & patena de miniſtri manu in mare prolapſa fuiſſet, ipſum Sanctum oratione ſua impetraſſe, vt patena iterum ex profundo ad manum Diaconi reuerteretur, quam etiam hiſtoriam refert Card. Baronius tom. 8. an Domini 700. & addit: *Ex quibus, præter inſignis miraculi virtutem; intelligis, lector, non deſtitiſſe ſanctos viros in mari etiam, cum tranquillitas eſſet, religata anchoris naui, celebrare ibi ſacroſanctum Sacrificium Miſſæ, Deo maxime gratum, quod ipſe tanti editione miraculi patefecit.* Hæc Baronius. Colligitur hoc ipſum ex Epiſtola Dionyſii Epiſcopi Alexandrini ad Hieracem, vt refert Euſebius *lib.7.c.17.* vbi Dionyſius ſic ait: *Cum ab omnibus perſequutione agitati eſſemus, & morte multati, feſtum lætis animis celebrauimus, & ſingula loca ad ſingula afflictionum genera nobis præſtitura, vt ager ſylueſtris, ſolitudo deſerta, nauis fluctibus iactata, diuerſorium publicum, & horridus carcer, opportuna videbantur, in quibus celebres conuentus maximo cum gaudio ageremus.* Hoc tamen conuentus Cardin. Baronius *tom.1. anno Christi 57.* dicit conſtitiſſe lectionibus, & colloquiis ſpiritualibus, & ſacra Euchariſtia. Colligitur denique hoc ipſum ex vſu antiquo deferendi Euchariſtiam in manibus; cuius meminit S. Gregorius *lib.3. Dialog.c.36.* Ambroſ. *Orat funebri de obitu fratris Satyri*; Baronius *tom.1. dicto anno 57. & tom.5. anno Chriſti 401.* Non videtur autem credibile, quod in longa nauigatione Euchariſtia non renouaretur, præſertim cum ex illis hiſtoriis colligatur, non ſolum Corpus, ſed Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus vini ſolitum in naui ſumi, vt conſtat ex Gregorio loco citato; vbi dicit, nautas illos in extremo naufragij periculo corpus, & ſanguinem Chriſti pro viatico accepiſſe. Quomodo autem poterat Chriſti ſanguis diu abſque celebratione Miſſæ conſeruari?

Surius.

Baronius.

Euſeb.

Ex vſu antiquo hoc colligitur.

Secundum fundamentum, quia celebratio Miſſæ in mari non eſt contra ius naturale, vel Diuinum, aut etiam humanum. Nam in primis ius naturæ, & ius Diuinum ſolum exigunt debitam reuerentiam in celebratione huius myſterij. Cum ergo poſſit reuerentia illa debita cum diligentia in naui haberi, non erit contra ius naturale, vel Diuinum: ius autem humanum ſeu Eccleſiæ prohibitio nulla prorſus inuenitur. Solū afferri poteſt quoddam Rituale antiquum approbatum à Leone decimo, cuius meminit Nauar. in *Miſcell. de Orat. Miſcell. 90.* vbi *1.p. tract.4.c.35.* dicitur: *In loco fluctuanti, vt in mari, & fluminib. celebrare non licet alicui.* Hoc tamen parum probat: primo quia de illa approbatione Leonis non conſtat, nec de authoritate illius Sacerdotalis, de quo ſolum Nauarrus dicit: *Liber Sacerdotalis à Leone decimo (vt aiunt) probatus, quem nobis monſtrauit R. in Christo P.* &c. Cæterum in ipſo Sacerdotali, quem in noſtra Bibliotheca habemus, non inuenitur illa Leonis approbatio ſolū dicitur in fronte libri, fuiſſe multoties approbatum auctoritate Pontificum. Poſtea vero cum iterum impreſſus ſit Venetiis *an.1568.* dempta fuerunt verba prædicta de approbatione Summorum Pontificum. Secundo, quia illa approbatio Leonis, ſi quæ fuit, non videtur ſonare pluſquam licentiam non vero præceptū, aut legem. Tertio, quia aliqua ibi continentur in ordine dicendi Miſſam ſiccam, quæ correctione indigerent, qualis eſt, quod dicuntur Orationes poſt Communionem, quæ tamen cum mentionem vt in plurimum faciant Sacramenti percepti, certum eſt non poſſe tunc dici, quando conſecratio, aut ſumptio non præceſſit. Ad ſummum ergo habetur, quod ille Auctor loquutus ſit, ſicut alii Auctores, qui hoc ipſum dixerunt, non licere celebrari in mari: & ideo illa doctrina merito fuerit approbata. 82.

Nauar.

Magis

83\. Magis poſſet obſtare conſuetudo ſatis iam antiqua non celebrandi in mari; quæ cum eſſet ab omnibus recepta, videbatur habere vim legis. Ad hoc tamen aliqui dicebant, conſuetudinem illam cum nullo iure probaretur, introductam magis fuiſſe tum ex negligentia, & tepiditate fidelium, qui non ita ſolliciti erant de fructibus huius ſacrificij, & Sacramenti; tum etiam, quia non erant in vſu nauigationes ita longæ, & diuturnæ, ſed breues, & in quibus frequenter poſſent ad terram accedere, & in littore celebrare.

Magis poſſet obſtare conſuetudo iam ſatis antiqua non celebrãdi in mari.

84\. Tertium fundamentum deſumebatur ex auctoritate Doctorum, qui etſi prima facie videantur contrarium docere: ſi tamen eorum verba attentè examinentur, huic magis parti fauere videntur. Nam in primis multi eorum non dicunt vniuerſaliter non licere celebrare in mari, ſed cum limitatione, ſcilicet vbi periculum eſt effundendi ſanguinem Chriſti, vel ſimilis indecentiæ. Sic loquitur Antonin. 3. p. tit 13. c. 6. §. ... his verbis: *In nulla neceſſitate licet celebrare in mari, vel ſuper fluuium, vbi probabiliter timetur de effuſione ſanguinis propter agitationem nauis.* Eadem verba habent Syluest. verb. *Miſſa*, 1. *quæſt.* 1. verſ *ſecundum*. Armilla verb. *Miſſa*, *num.* 4. Paludan. *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *n.* 11. Iac. de Graſſis *lib.* 2. *deciſ. aur. cap.* 42. *num.* 10. qui, & alij addunt ſemper illam limitationem, *vbi periculum timetur effuſionis ſanguinis*; quare per argumentum à contrario ex eiſdem probatur licitum, quando illud periculum non timetur, prout in caſu noſtro ſupponitur non timeri, de quo infra. Alij vero Doctores, licet abſolutè loquantur & dicant, id non licere; addunt tamen, rationem eſſe propter periculum effuſionis ſanguinis. Sic loquitur Turrecremata in *cap. Concedimus*, *de conſecrat. diſt.* 1. ſumma Aſtenſis *lib.* 4. *tit.* 14 *art.* 4. §. *Idem intelligitur.* Nauarrus loco ſupra citato *Miſcell.* 88. *& in Manuali*, *c.* 25. *n.* 83. Suarez *in præſenti diſput.* 81. *ſect.* 3. §. *Tertia exceptio.* Angles *in Floribus Theolog. tract. de Euchariſt. quæſt. de valore Miſſæ*, *art.* 2. *difficult.* 2. *concluſ.* 4. Durand. *de Ritib. Eccleſ. Cathol. lib.* 2. *c.* 4. *ad finem*; Fernandus Paëz *in repet. cap. Miſſas*, *de conſecrat. diſt* 1. *n.* 193. Lud. Lopez 1. *p inſtructorij Conſcientiæ*, *cap.* 78. Azor. *lib.* 10. *Inſtit. mor. cap.* 16. *q.* 6. *in fine.* Ex quibus etiam omnibus colligi videtur, quod ceſſante omnino illo periculo, licita eſſet talis celebratio.

Tertium fundamentum ſumitur ex auctoritate Doctorum.

Antonin. Syluester. Armilla. Palud. Iacob. de Graſſ. Turrecr. Aſtenſis. Nauarrus. Angles. Durand. Paëz. Lopez.

85\. Adde, alios Doctores expreſsè docuiſſe, id licere ceſſante, tali periculo. Ita loquitur Maior *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 4. *paulo poſt principium*, vbi poſtquam dixit non eſſe in mari celebrandum, ſubiungit: *Cum autem non patet acceſſus rationabilis ad terram, tales excuſantur ab auditione Miſſæ: eſſet enim periculum effuſionis ſanguinis Chriſti, à quo vbi caueretur, poſſet celebrari.* Item Guil. Durantus *lib.* 4. *Rationalis Diuin. Offic. c.* 1. *n.* 41. vbi ſic ait: *Poteſt autem eſſe neceſſitas, vt Miſſa dicatur in mari, vel in exercitu ſub papilione.* Eman. Sà verbo *Miſſa*, *num.* 19. *Super mare*, inquit, *aut fluuium, ſi timetur ſanguinis effuſio, celebrare non licet: ſi non timetur, putarem licere.* Henriquez *lib.* 9. *de Miſſa*, *cap.* 27. *num.* 3. *in fine*, vbi ſic ait: *In fluuio placidiſſimo, vbi effuſio ſanguinis timeri non poſſet, fortaſſe in neceſſitate liceret.* Et in margine dicit, hinc eſſe ſententiam Recentiorum. Hi autem ſcripſerunt ante exortam hanc controuerſiam; poſtea vero eam celebrationem hodie cum certis circumſtantiis licitè fieri, tradunt Fagundez *lib* 3. *de* 1. *præcepto Eccleſ. c.* 10. & nouiſſimè Iac: Granad. *in* 3. *part. Controuerſ.* 6. *de Euchar. tractat.* 14. *diſp.* 13.

Maior. Guil. Durant. Sà. Henriq.

86\. Quarto ex his formatur ratio in hunc modum: Iuxta communem Doctorum ſenſum eſt quod in caſu neceſſitatis poſſit extra Eccleſiam, aut locum ſacrum celebrari cum licentia Epiſcopi; vel etiam ſine illa, quando peti non poteſt, vt vidimus *ſect. præcedenti*; dum tamen reuerentia debita ſeruari poſſit: in noſtro vtraque conditio inuenitur; neceſſitas ſcilicet, & reuerentia debita. Et quidem minor neceſſitas à Doctoribus exigitur, quam hæc v. g. ſi Eccleſia capere non poteſt ad Miſſam audiendam omnes, qui ad ſolemnitatem concurrunt, vel aliud ſimile, vt ſupra vidimus. In noſtro autem caſu in ſingulis nauibus 500 vel aliquando 800. homines ſunt, qui aliquando per ſex menſes hoc Sacrificio priuari coguntur ſi non celebraretur in naui. Si ergo à Concilio Triburenſi relato *in cap. Concedimus*, *de conſecrat. diſt.* 1. cauſa ſufficiens iudicatur defectus loci ſacri, vt ij, qui in itinere verſantur, Miſſam die feſto audire poſſint, & ad hoc ſub dio celebretur, quid diceret de expeditione Indica, in qua per ſex menſes tot hominum millia Miſſa priuantur: niſi in mari celebrari permittatur.

Ex his omnibus ratio formatur.

Conc. Trib.

87\. Quod vero attinet ad reuerentiam debitam, de qua poterat magis dubitari, factæ in primis fuerunt informationes multæ, & audiri in conſultationibus peritiſſimi naucleri, Proreges, Gubernatores, Duces, & alij multi, qui omnes teſtati ſunt (quorum teſtimonia, & ſubſcriptiones ego vidi) nullum prorſus eſſe in illis nauibus periculum irreuerentiæ: in iis enim locus aptiſſimus deſtinari facilè poteſt, decenter, imo & magnificè ornatus, ab omni fœtore, & ſordibus ſecretus, in quo debito tempore celebretur: poteſt etiam facilè vitari omne effuſionis ſanguinis periculum: tum quia periti naucleri preuident maris commotionem, quæ ſi immineat, præmonebunt ante Miſſæ initium: tum quia adeſſe poteſt alter Sacerdos, qui poſt conſecrationem calicem manu teneat, ne cadat, aut moueatur; quibus poſitis, nullum prorſus remanet irreuerentiæ periculum.

88\. Accedunt rationes maximæ, vt ſi id fieri poſſit non omittantur. Prima, vt quantum fieri poteſt, ſatisfiat præceptis grauiſſimis audiendi Miſſam diebus feſtis, accipiendi Euchariſtiam in Paſchate, Viaticum in mortis articulo: quibus præceptis, quoties fieri poſſit ſatisfaciendum eſt: præſertim cum experientia compertum ſit in longa illa nauigatione 100. aliquando, vel 200. ex nautis obire in vno nauigio, qui omnes de viatico debent ab Eccleſia prouidari, ſi fieri honeſtè poſſit. Secunda, vt in ipſa nauigatione maior ſit obſeruantia Diuinæ legis, & Chriſtiani mores peccandi conſuetudine non corrumpantur. Experientia enim conſtat, quantum deſeruiat vſus huius Sacramenti ad coërcendam licentiam peccandi, & continendos homines in debito conſcientiæ munere. Tertia, vt hac occaſione, otium magna ex parte vitetur, quod in tædioſa illa vacatione radix eſſe ſolet multorum peccatorum, à quibus non parum diuertere poteſt ſanctiſsima illa, & frequens, ac religioſa occupatio Diuini cultus. Quarta, vt pericula Oceani virtute eius ſacroſancti ſacrificij, vel impediantur, vel mitigentur: teſtantur enim experti naucleri, loca illa, quæ frequentibus naufragiis, & tempeſtatibus erant infamia, & horribilia: poſtquam hoc Sacrificium in regionibus illis celebrari cœpit, feritate priſtina depoſita, vel tranquilla facta eſſe, vel certè nauigabilia: prout de tractu Iaponum, & Sinarum teſtantur: imo obſeruarunt

Accedunt deinde rationes maximæ. Prima eſt vt ſatisfiat præceptis grauiſſimis.

Secunda vt maior obſeruantia diuinæ legis.

Tertia vt otium vitetur.

Quarta vt pericula Oceani impediantur.

tarunt aliqui mare illud, quod inter Braſiliam, & Congium inuenitur, pacificum eſſe: poſtea vero periculoſiſsimum ob frequentes tempeſtates; cuius diſcriminis rationem naucleri tribuunt huic Sacrificio, quod in Braſilia, & Congio celebratur, cuius virtute dæmones, qui tempeſtates excitant, coercentur, vel fugantur ab illo Domino, qui imperauit mari, & facta eſt tranquillitas: è contra vero, vbi ab illo Sacrificio non coërcentur, dominantur vehementius. Si enim clauus Crucis Chriſti à Conſtantino in Adriaticum mare proiectum, pacificum, & tractabile illud reddidit, quod antea non niſi periculoſiſsimè nauigari poterat, vt refert Greg. Turon. & alij: quid faciet ſacroſanctum corpus & ſanguis Chriſti, quando in ipſo Oceano realiter in Sacrificio offertur?

89. *Hanc occaſionem dederunt Luſitani & alii celebrandi in mari.* Fagundez.

Hæc, & alia ſimilia occaſionem dederunt Luſitanis primum in nauigatione Orientali, Caſtellanis deinde in Occidentali, celebrandi in mari: quod quidem Fagundez loco citato teſtatur initium accepiſſe ea licentia Summi Pontificis Clementis VIII. & Pauli V. & P. Granado loco citato refert, Epiſcopum Malacæ retuliſſe cuidam Patri noſtræ Societatis, Epiſcopum Cyrenenſem teſtatum eſſe, ſe vidiſſe Breue Summi Pontificis, in quo declarabat, poſſe ſine ſcrupulo celebrari in mari. Quidquid de hoc Breui ſit, certum eſt; id non fuiſſe abſque Epiſcoporũ licentia introductum: imo ipſi Epiſcopi, dum nauigarent, primi omnium & celebrarunt, & celebrari fecerunt. Hoc enim fecit D. Aleixius de Meneſes Archiepiſcopus Goæ pius pariter, & doctus; Nuntius etiam, ſeu Collector Romani Pontificis in Luſitania facultatem dedit Indiæ Proregi, vt celebrari faceret coram ſe in naui: aliique Epiſcopi poſtea eandem licentiam dederunt; vſus autem, & experientia multorum iam annorum oſtendit, nullum eſſe in hac parte periculum ex eis, quæ timebantur, ſed maxima commoda ex hoc Sacrificio prouenire. Scio paucos ante annos hanc eandem facultatem petitam eſſe à Summo Pontifice pro triremibus in mari Mediterraneo, vt ſaltem in Regia triremi poſſet celebrari, exemplo adducto ex nauigatione Indica, fuiſſe tamen negatam facultatem: nec mirum, quia triremes non ſunt ita aptæ, vt grandiores illæ naues; nec neceſſitas eſt eadem, cum frequenter ad terram accedant, vbi in littore altari erecto, poſſunt ex ipſo mari Miſſam audire.

SECTIO IV.

De vaſis, & veſtibus ſacris, & aliis ad hoc Sacrificium requiſitis.

90. *Requiritur primo calix, & patena.*

Requiritur in primis Calix, & Patena, quæ iuxta Rubricas Miſſalis debent eſſe ex auro, vel argento, vel ſaltem Cuppa calicis ea argento inaurato; addunt Theologi communiter, poſſe eſſe aliquando ob paupertatem ex ſtanno, ex Concilio Rhenenſi *cap. 6.* relato *in cap. Vt calix, de conſecrat. diſtinct. 1.* ex aliis vero materiis nullatenus fieri poſſe. Sed certè conſuetudo eſt omnino contraria: ſunt enim in Eccleſiis ad communem vſum Sacrificij plerique calices ex ære toti, ſeu cupro inaurato, Italicè, *Ramo*, Hiſpanicè, *Cobre*; & hic Romæ ſunt innumeri, & plures patenæ: ex ſtanno autem nullus reperitur; quam praxim neſcio quomodo noſtri Recentiores non aduerterint, qui quotidie in iis vaſis ſacrificabant. Quamvis autem in Rubrica Miſſalis reformati præſcribitur, vt cuppa calicis, & ſuperior patenæ pars ſit deaurata, id tamen non obligare grauiter, & docet cum aliis Iac. Granado *tractat. 14. de Euchariſtia, diſp. 12. num. 3.* & ita videtur vſus habere, quando ſunt ex argento.

91. *Hæc vaſa debent eſſe conſecrata ab Epiſcopo.* *Aliqui volunt ipſo vſu conſecrari.*

Debent eſſe hæc vaſa conſecrata ab Epiſcopo, vel alio ex priuilegio Pontificis Romani, qui non niſi rariſſimè illud concedit. Aliqui volunt ſi bona fide ſemel aliquis celebrauit in calice & patena nondum conſecratis, non indigere iam alia conſecratione. Ita Diana *tom. 1. tract. de Celebrat. Miſſar. reſol. 69.* nullum Auctorem pro ea ſententia adducens: fundatur autem in eo, quod Caſtro *lib. 1. de lege pœnali, c. vlt.* docet, Eccleſiam pollutam non indigere alia reconciliatione, ſi aliquis in ea bona fide celebrauit, quod etiam probabile exiſtimat Auila, *de cenſuris, p. 5. diſp. 8. dub. 5. concl. 1.* Ergo calix etiam (& idem iudicat de veſtibus) non indigebit conſecratione, aut benedictione, poſtquam in illo celebratum eſt.

92. *Hoc tamen abſque ſufficienti fundamento aſſeritur.*

Hoc tamen abſque ſufficienti fundamento aſſeritur, tum quia doctrina illa Caſtri falſa eſt, vt dixi *ſect. præced.* tum quia, etiamſi admittatur doctrina illa, adhuc non infertur in noſtro caſu, quod intenditur, ſed eius contrarium. Nam illi Auctores, licet dicant, Eccleſiam ſemel conſecratam poſſe reconciliari per Sacrificium bona fide in ea oblatum: non dicunt tamen, Eccleſiam nondum conſecratam per Sacrificium in ea bona fide oblatum manere conſecratam: alioquin omnia Oratoria eſſent conſecrata, poſtquam in eis celebraretur. Ergo licet admitteretur quod calix ſemel ritè conſecratus, ſi pollueretur, poſſet reconciliari per Sacrificium in eo bona fide oblatum: non deberet concedi, quod calix non conſecratus, ea ratione fieret conſecratus: plus enim requiritur ad conſecrationem inducendam in materiam profanam, quam ad purgandam materiam iam ſemel conſecratam. Vnde merito illam doctrinam reiiciunt omnes alij, Nauarrus, & Azor, quos refert, & ſequitur Layman. *dicto tract. 5. c. 5. n. 13.* & Fagundez *dicto lib. 3. cap. 21. num. 15.* Layman. Fagund.

93. *Perditur conſecratio per fractionẽ, aut diminutionẽ.*

Perditur conſecratio per fractionem, aut diminutionem talem, vt non ſit calix v. g. vtilis ad vſum in Sacrificio. Vnde ſi cuppa ſeparetur à pede fixo per fractionem, & iterum coniungatur, indiget noua conſecratione. In calice tamen tornatili, licet aliqui idem dicant: alij tamen negant, perdi conſecrationem per meram ſeparationem, quando abſque noua artificis induſtria poſſunt iterum, atque iterum facilè partes coniungi. Ita Suarez, & Vaſquez *in præſenti*, Layman. *c. 6. n. 6.* Fagundez *num. 17.* & alij Recentiores. Ratio autem, quam inſinuant Suarez, & alij, quod ſcilicet in eiuſmodi calice ſola cuppa eſt, quæ conſecratur, pes autem non habeatur pro parte, non mihi probatur, vt dixi *ſectione præcedenti*. quia cuppa abſque pede non eſt calix aptus ad Sacrificium, nuſquam autem indultum eſt, quod cuppa ſola abſque pede conſecretur, nec vllus Epiſcopus conſecrabit niſi calicem integrum. Vnde melius Vaſquez *num. 35.* notanter dicit, poſſe in illo calice conſecrari, ſi iterum cuppa cum pede per illam iuncturam coniungatur: quia ſi iterum coniungantur eædem partes, non cenſetur noua forma calicis, ſed eadem. Rationem à priori reddidi ſupra *diſp. 8. ſect. 2.* quia nimirum tandiu cenſetur perſeuerare eadem forma

Ratio P. Suar. reiicitur. *Melius hoc probat Vaſq.* *Ratio à priori ſupra reddita.*

ma artificialis in artefacto, non quamdiu partes retinent eandem poſitionem localem phyſicè, aut diſtantiam in ordine ad ſe (nam partes pilei plicati, aut explicati non retinent eamdem diſtantiam ad inuicem) ſed quamdiu aptæ ſunt ad retinendam eandem diſtantiam abſque nouo artificio; vnde eiuſmodi artefacta, quorum partes nexu tornatili coniunguntur, eadem ſemper manere cenſentur: quod idem eſſet in Alba, verb.gr. quæ manicas haberet non fixas, ſed amouibiles, quæ globulis, vel funiculis coniungerentur: tunc enim per ſeparationem non perderetur benedictio, ſicut neque Planeta, ſi pars anterior cum poſteriori aliquibus ſeſticulis coniungi, & ſeparari facile poſſet. Nec obſtat, quod altare fixum perdat conſecrationem, quando menſa ſeparatur à pedibus vel baſe, quia ibi non perſeuerat eadem ſtructura artificialis, ſed requiritur nouum artificium ad coniungendas illas partes.

94. *Dubitatur de calice inaurato qui paulatim amittit aurum. Vel qui de nouo inauratur.* Diana. Dubitari ſolet quando calix inauratus perdit paulatim aurum, an perdat conſecrationem. Item quando de nouo iterum inauratur, an indigeat noua conſecratione. Negant communiter in primo caſu; & concedunt, in ſecundo requiri conſecrationem nouam. ita Suarez, Vaſquez, & alij plures, quos affert Diana 1. *tom. tract.* 1. *Miſcell. reſol.* 3. Rationem differentiæ dicunt eſſe, quod in primo caſu id, quod remanet, erat conſecratum, cum omnes partes calicis ſint conſecratæ; in ſecundo caſu id, quod additur, non eſt conſecratum: & aliunde eſt noua quædam ſuperficies auri, quæ immediatè tangit ſanguinem Chriſti, & quæ nullo modo conſecrata ſupponitur.

95. *Varia pro vtroque caſu ſententia.* Alij tamen in ſecundo caſu negant. Coninck in *præſenti art.* 3. *dub.* 3. Layman. *d.c.*6. *n.*7. & Diana *loco citato*, quæ ſententia probabilior mihi videtur, nam per illam inaurationem nouam ille non eſt alius calix moraliter à præcedenti: ad ſacrificium autem ſufficit calix conſecratus; ergo ſi manet idē calix, qui iam ſemel conſecratus fuit, non oportet conſecrare illam nouā ſuperficiem; ſicut neque in Eccleſia, quæ de nouo dealbatur, oportet de nouo conſecrare ſuperficiem nouam. Nec obſtat, quod illa ſuperficies ſit, quæ ſola tangit ſanguinem Chriſti: nam illa ſuperficies per coniunctionem cum calice conſecrato manet ſacra; ſicut ſi Corporale lacerum reficiatur, & aſſuatur illi aliqua exigua pars; hæc abſque noua benedictione manet benedicta propter coniunctionem cum Corporali benedicto, & licet hæc pars noua ſit in tali loco, vt fortaſſe illa tangat maiori ex parte hoſtiam, vel aliquando totam particulam conſecratam pro aliquo, qui vult cōmunicare, adhuc non indiget noua benedictione, ſed ſufficit benedictio totius, cui aduenit. Idem ergo dici poteſt de ſuperficie aurea ſubtiliſſima, quæ per inaurationem de nouo aduenit, quæ non ſe habet, ſicut ſi vna cuppa ſubtilior intra cuppam calicis poneretur, vt obiiciunt Suarez, & Vaſq. ſupra; quia tunc illud vaſculum ſubtilius non eſt pars maioris, nec facit vnum cum illo, ſed ſemper manent duo vaſa diſtincta; cum in noſtro caſu non ſint duo, ſed vnum; quod cum iam fuerit conſecratum, non poteſt non retinere conſecrationem, quamdiu idem numero perſeuerat.

96. *De Pyxide aut Ciborio, an debeat conſecrari.* De Pyxide ſeu vaſe, aut Ciborio, in quo ſeruatur corpus Chriſti, aliqui dicunt, debere etiam conſecrari. & in Pontificali eſt pro illo ſpecialis benedictio. Certè iuxta Miſſalis regulam ita fieri debet, cum expreſsè præſcribatur, quod particulæ conſecratæ ponantur vel ſupra corporale, vel in vaſe aliquo conſecrato. Cæterum de rigore iuris id non eſſe neceſſarium, docent probabiliter plures, Suarez, Vaſquez, Azor, Henriquez & alij quos afferunt & ſequuntur Diana 1. *tom. tract.* 1. *Miſcell. reſolut.* 2. Layman. *d. cap.*6. *num.* 21. & alij Recentiores. Adde, illa vaſa non vngi Chriſmate, vt notauit Suarez *dicta ſect.*7. §. *vlt.* & Layman *dicto c.*6. *n.* 25. Quare illi qui habent facultatem benedicendi omnia ornamenta, & alia neceſſaria, exceptis iis, in quibus ſacra vnctio intercedit, poterunt eiuſmodi pyxides benedicere. Diana, Layman. Suarez.

P. Vaſquez *n.* 36. dicit, ex conſuetudine eſſe neceſſarium, vt intra Pyxidem, in qua Sacramentum ſeruatur, ſit vas aliquod ex ligno, quod benedictione corporalis benedictum ſit. Verum hoc eſt vitium commune Scholaſticis, vt conſuetudines iudicent ex eo, quod in illa ciuitate, aut prouincia, vbi verſantur, fieri videtur. Scimus quippe, conſuetudinem eſſe contrariam, quam ego nō ſolum de Roma, ſed de aliis Eccleſiæ prouinciis teſtari poſſum. Similis eſt illa alia obligatio, quam Vaſq. ibidem addit, de collocanda, & ſeruanda Pyxide illa ſuper lapidem conſecratum. Quod quidem ex nullo iure probare poteſt; & conſuetudo quam affert, nihil probat, cum ſolum ſit ex decentia, & non ſit vniuerſalis; nam Romæ toto anno ſine eiuſmodi lapide ſuppoſito conſeruatur: & quidem cū paſſim exponi ſoleat Sacramētum hoc per duos, vel tres dies abſque tali ara ſuppoſita, non apparet, vnde maior obligatio eſſet ſubiiciendi eam intra, quam extra cuſtodiam ligneam: nec illa conſuetudo videtur eſſe iuxta intentionem antiquam Eccleſiæ, in qua, cum olim non eſſent altaria mobilia conſecrata, ſed fixa, non poterat intra cuſtodiam ſubiici aliqua ara conſecrata, ſed ad ſummum cuſtodia ipſa lignea poſſet eſſe ſupra altare conſecratum: non eſt ergo talis obligatio neque ex iure, neque ex conſuetudine. De veneratione debita his vaſis ſacris, dictum eſt, quantum ſufficit *in* 1. *tom. de Incarn. diſp.* 37. vbi erat proprius locus. 97. *Vitiū commune Scholaſticis.*

98. *Quæ veſtes ſacræ ad hoc ſacrificium requirantur.* Requiruntur etiam Veſtes ſacræ ad hoc ſacrificium, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta, omnes benedictæ ab Epiſcopo, vel Sacerdote habente facultatem à Sede Apoſtolica. An vero in caſu neceſſitatis liceat celebrare abſque aliquo ornamento ex leuioribus, vel cum eo non benedicto, vt abſque Stola vel Manipulo, aut Cingulo; negant plures; alij affirmant, quos refert Diana 1. *tom. tract. de Celebrat. Miſſar. reſol.* 57. & de Cingulo in particulari, *reſ.*68. qui, quoniam multi ſunt, non audeo condemnare eum, qui ita faceret. Poteſt etiam in eo caſu Sacerdos, vti Stola pro Cingulo, vel Manipulo; aut Manipulo pro Stola, ſi ſufficiens ſit. Aliqui dicunt, Sacerdotem extra Miſſam communicantem debere ſub mortali habere Stolam: ſed alij communiter id negant; cum quibus ſentit Diana *vbi ſupra reſolut.* 20. & hoc eſt verius.

99. *Quando & quomodo perdatur benedictio harum veſtium.* Perditur benedictio harum veſtium, quoties ita diſſoluuntur, aut minuuntur, vt aptæ non ſint ad ſuum vſum abſque nouo artificio, v.g. ut. quando manicæ aſſutæ ſeparantur ab Alba; ſecus eſſet, ſi eſſent globulis, vel funiculis connexæ, ita vt facilè poſſent ſeparari, & connecti, vt ſupra diximus. Hinc eſt, quod ſi Cingulum rumpatur, ita vt vna, vel ſingulæ partes ſufficiant ad ſuum vſum, retinent benedictionem, & poteſt deſeruire vel illa ſola pars, quæ ſufficit, vel vtraque

iterum

iterum per modum connexa; quia etiamſi altera non ſufficeret, & ſeorſim non retineat benedictionem, adiuncta tamen alteri maiori, ab ea participat benedictionem Item ſi Planeta, vel Stola duplicata ſit, poteſt altera pars ſeorſim deſeruire, iuxta regulam poſitam.

100. *Quid dicendū ſit de rupto Cingulo.* Petes; quando Cingulum rumpitur, ita vt neutra pars ſufficiat, an vtraque iterum connexa poſſit abſque noua benedictione vſurpari. Affirmat Diana 1. *tom. tract.* 5. *reſolut.* 4. adducens aliquus Auctores, qui verè eam ſententiam non docent, vt Suarium, & Ægidium de Coninck: Communis tamen ſententia id negat, & merito; quia ſicut Alba amittit benedictionem, ſeparatis manicis; quia ſingulæ partes ſeparatæ non ſufficiunt, idem dicendum videtur de Cingulo.

101. *Inſtabis.* Dices; partes Cinguli ita ſeparantur, vt tamen abſque noua induſtria artificis, per ſulam colligationem, & nexum facilè connectantur: ergo ſicut calix tornatilis, vel Alba cum manicis non aſſutis, ſed aliter connexis, non perdit benedictionem vt ſupra diximus, ſic dicendum erit de Cingulo rupto.

Reſpondeo. Reſpondetur, etiam manicæ Albæ poſſent facilè aciculis affigi, ita vt poſſet vtcumque Alba deſeruire: non ergo ſufficit poſſe partes facilè connecti, vt retineatur benedictio, ſed oportet, quod poſſint facilè recipere connexionem, qualem prius habebant; quia benedictio reſpiciebat partes taliter connexas: illa autem connexio artificialis non perditur moraliter, quandiu partes poſſunt abſque artificio eodem modo connecti; quod in partibus Cinguli rupti non contingit.

101. *Diana. Nō eſt peccatum mortale celebrare ſine Cingulo benedicto.* Addit idem Diana *dicto tract. de celebrat. Miſſar. reſolut.* 68. cum aliis, quos affert, non eſſe peccatum mortale celebrare cum Cingulo non benedicto, quod quidem propter auctoritatem ſaltem multorum, qui id docent, non videtur improbabile.

Aliqui addunt præceptum graue de calceis habendis: ſed abſque ſufficienti fundamento. De capite non coopertendo, multi communiter idem affirmant. Cæterum, ſtante neceſſitate infirmitatis, poſſe ex licentia Prælati id fieri, &, quando non eſſet opportunitas eam petendi, poſſe ceſſante ſcandalo id fieri abſque licentia, tradunt alij multi, quos referunt, & ſequitur Layman *dicto c.6.n.16.* & Fagundez *vbi ſupra c.21.in fine.* An vero reſeruatum ſit ſummo Pontifici concedere prædictam licentiam, affirmat Barth. Gauantus *in Rubrica Miſſal. tom.1. p.2. tit.1.* referens quandam declarationem Cardinalium, quæ licet prius non conſtaret; nunc tandem in Miſſali reformato iuſſu Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. omnibus obſeruanda proponitur. *Layman.*

103. *Requiritur vlterius miniſter.* Requiritur vlterius miniſter, qui Sacerdoti celebranti inſeruiat, & reſpondeat: requiritur, inquam, vnus; quæ obligatio magis ex conſuetudine, quam ex aliquo iure expreſſo colligitur, vt obſeruat Suarez *diſp.87. ſect.1. circa finem.* Habetur tamen ex iure *in cap. 1. de cohabitatione Clericor.* quod non miniſtret fœmina, quod intelligitur de miniſterio circa ipſum altare: non tamen prohibetur, quod poſſint ex loco remoto reſpondere Sacerdoti, vt faciunt Moniales ex choro. Vnde non video cur non poſſet ſuppleri defectus miniſtri, quoad hanc partem per Moniales reſpondentes ad omnia, ita vt miniſter vir ſeruiat in altari, & fœminæ reſponderent ex choro, ſi vir neſciat reſpondere, vel ſit mutus. Nam de facto quando Moniales reſpondent cantando, non eſt neceſſe, quòd reſpondeat etiam miniſter, qui eſt in altari. *Poſſunt Moniales reſpondere.* Quod vero Vaſquez *quæſt.83. art.5.* obiicit, indecorum eſſe, quod ad fœminas, dicat Sacerdos in Confeſſione: *& vobis, fratres*, & ab eiſdem audiat: *Miſereatur tui*, &c. parum obſtat: nam procul dubio de facto in illis verbis, *& vobis fratres*, non loquitur ſolum cum viris, ſed cum omnibus; ſicut & in illis: *Orate fratres*, &c. non hortatur ſolos viros ad orandum, ſed omnes præſentes, vt conſtat: illa autem verba: *Miſereatur tui*, &c. non ſunt abſolutio, ſed deprecatio. Cur autem fœminæ non poſſint deprecari Deum pro Sacardote, ſicut de facto deprecantur, cum dicunt: *cum ſpiritu tuo*? Alioquin propter idem inconueniens non poſſet Sacerdos recitare priuatim Officium Diuinum cum fœmina: quod tamen nemo dicet. Non video ergo, cur interueniente neceſſitatis cauſa, id fieri non poſſet: quod à fortiori concedit Nugnus *in præſenti art.6. dub.1.* vbi interueniente eiuſmodi neceſſitate, vtrumque miniſterium concedit fœminæ. Cæterum, quod attinet ad miniſterium in altari, magis aſſentior P. Suarez dicenti, potius debere Sacerdotem ſibi miniſtrare, quam fœminam: cuius miniſterium magis clarè prohibetur in Iure, quam celebrare abſque miniſtro. Denique, occurrente neceſſitate, poſſe aliquando abſque vllo miniſtro celebrari, docent plures: Suarez, Layman, Fagundez, & alij, quos refert, & ſequitur Diana *dicto tract. de celebrat. Miſſar. reſolut.* 41. Minor autem neceſſitas ſufficeret meo iudicio, ad celebrandum cum miniſtro neſciente reſpondere, quia difficilius ſuppleretur miniſterium alienum in ablutione prima manuum, & ſecunda digitorum, quam reſponſio, quam ſupplere poſſet Sacerdos, vt quando recitat ſolus Officium Diuinum. *Vaſquez. Nugnus. Miniſterium tamē in altari magis clarè prohibetur in iure quā celebrare abſque miniſtro. Diana.*

Reſtat vltimo loco dicere de obligatione obſeruandi ritum præſcriptum in Miſſali, & eius regulas, vel Rubricas, an ſit ſub peccato mortali. Conueniunt omnes, quod ſit ſub peccato graui ad non ita operandum contra Rubricas: vt videatur introduci aliud ritus diuerſus celebrandi. Hoc enim potiſſimum intendit Pius Quintus, dum obligauit omnes ad hunc ritum, & prohibuit alios. Item mortale eſſet addere orationes, aut alias ceremonias, quod tamen ex paruitate materiæ poſſet eſſe ſolum veniale. Facilius excuſari poteſt ex leuitate materiæ omiſſio alicuius partis exiguæ: quod quidem etiam intra Canonem admittit Suar. *diſp.83. ſect.4.* Tota difficultas eſt in determinando in particulari, qualis violatio regulæ, vel Rubricæ, ſic exiſtimanda ſubſtantialis, & grauis: vnde vtile erit, aliqua exempla ſubiicere, de quibus ſpecialiter quæri ſolet. 104. *Hic reſtat dicere de obligatione obſeruandi ritum præſcriptum.* *Suarez.*

Primo ergo quæritur, an qui contra regulam Miſſalis in feſto duplici, vel Dominica dicit Miſſam votiuam, vel de mortuis, peccet grauiter. Affirmant aliqui, quos refert Diana *tract. de celebrat. Miſſar. reſolut.* 30. Negat Suarez *dict. ſect.4.* cum aliis multis, quos affert, & ſequitur idem Diana ibi, quod verius videtur. 105. *Primum quæſitum.* *Diana. Suarez.*

Secundo quæritur, an ſit mortale, omittere orationes, quæ dici ſolent, dum Sacerdos ſacris veſtibus ſe induit. Affirmant Nauarrus *in Man. c.25. & Conſ.3. de celebrat. Miſſar.* Syluius *in præſenti q.83. art.6.* & Axor. *tom 1. lib.10. c.29. quæſt.5.* Alij tamen melius negant: Layman *dicto c.6. n.12.* Fagundez *dicto c.11. n.9.* & alij multi, quos refert, & ſequitur Diana *loco citato reſolut.* 41. quia illa non eſt 106. *Secundo quæritur.* *Na ar. Syluius. Axor. Layman. Fagundez. Diana.*

eſt materia præcepti, ſed inſtructionis, & directionis.

107. *Tertio quæritur.* *Nugnus.* *Filliuc.* *Diana.* Tertio quæritur, an omittere *Gloria*, vel *Credo*, quando debet dici, ſit mortale. Dubitat Nugnus *in præſenti q.84.art.4. dub.2. ad 3.* Alij abſolutè negant, cum quibus Filliucius *tom.1. tract.5. cap.5. num.155.* & Diana *vbi ſupra reſolut. 59.* Si tamen omitteretur Epiſtola, vel Euangelium, non audet illud à mortali excuſare Suarez *dicta ſect. 3.* Facilius poſſet fortè excuſari à peccato graui Sacerdos ſolemniter celebrans, qui Epiſtolam, quam Subdiaconus cantat, non recitat, vel Euangelium *Vega.* *Diana.* quod à Diacono cantatur, prove excuſatur à Vega, & aliis, quos affert, & ſequitur Diana *loco citato reſolut. 42.* quia tamen falſo ſupponit, id in Miſſali non præcipi: nam reuera præcipitur expreſsè ibi in Rubricis Miſſæ ſolemnis. Aliunde tamen poſſet videri leuitas materiæ, eo quod tuoc non omittatur Epiſtola vel Euangelium in Miſſa; ſiquidem cantatur ſolemniter à miniſtris, ad quos ſpectat: illa autem lectio, quæ omittitur, videtur eſſe magis priuata, non tam pro populo, quam pro ipſo Sacerdote. Poteſt ergo eadem materia, quæ eſt grauis, ſi omnino omittatur, eſſe leuis, ſi non ab vtroque, ſed ab vno ſolo cantetur, vel legatur. Ex quibus caſibus facilè poteſt in aliis ſimilibus iudicari.

DISPVTATIO XXI.

De iuſto Miſſæ Stipendio.

SECTIO I. *Qui, & quo titulo accipere poſſint ſtipendium pro Miſſa*

SECTIO II. *Quantum ſtipendium accipere poſſit Sacerdos pro Miſſa.*

MATERIA hæc facilius, & breuius iam expediri poteſt, poſt decretum Sanctiſſimi D. N. Vrbani octaui, quo multa, quæ prius controuerſa, & diſputabilia erant in hoc puncto, definiuit, & ſtabili lege præfixit modum in iis habendum. Dicemus ergo prius de iuſtitia, & titulo ſtipendij ſecundum ſe; poſtea de modo, qui ſeruari debet in eo accipiendo.

SECTIO I.

Qui, & quo titulo accipere poſſint ſtipendium pro Miſſa.

1. *Certum eſt poſſe licitè Sacerdotes accipere ſtipendium.* *1. Cor. 9.* *Difficultas eſt in reddenda ratione. Obſtare enim videtur exemplum aliorum Sacramentorum.* CErtum eſt apud Catholicos, poſſe licitè Sacerdotes Euangelicos accipere à fidelibus, quibus ſpiritualia miniſtrant, ſtipendium ſui miniſterij, imo & habere ius ad illud exigendum; quod Apoſtolus Paulus latè probat *c.9. Epiſt. 1. ad Corinth.* & colligitur ex verbis Chriſti Matthæi 10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo*: & definitum eſt in Concilio Agathenſi *cap.16* & alibi ſæpè. Difficultas tamen non leuis eſt in reddenda ratione, qua poſſit hoc excuſari à labe ſimoniæ: nam ſicut non poſſet abſque ſimonia vendi collatio Baptiſmi, vel alterius Sacramenti, vt omnes fatentur; ſic nec poteſt vendi oblatio Sacrificij, quæ non minus eſt actio ſpiritualis ex poteſtate ſpirituali procedens. Ergo ſicut non poteſt accipi pecunia pro collatione Baptiſmi, ſic nec poterit accipi pro Miſſæ oblatione. Nam vel illa pecunia datur ex miſericordia, & vt eleemoſyna, vel ex iuſtitia. Non datur ſolum ex miſericordia, qua hæc non obligat, niſi in graui neceſſitate, nec poſtea obligat ad reſtitutionem: ſtipendium autem Miſſæ debetur etiam Sacerdoti non indigenti, & debet poſtea reſtitui: datur ergo ex titulo iuſtitiæ commutatiuæ: ergo datur pro illo beneficio ſpirituali, quod accipitur à Sacerdote, quod non eſt aliud, niſi oblatio Sacrificij.

Multi poſſunt eſſe modi hoc explicandi, Primo enim aliqui volebant hoc debitum non eſſe ex iuſtitia, ſed ex obedientia, prove videtur inſinuare Paulus *illo cap. 9.* dum dixit: *Ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Vnde duplex videtur interuenire præceptum: alterum ſuſtentandi Sacerdotes, qui nobis miniſtrant, alterum quo Sacerdotes ipſi tenentur miniſtrare iis, à quibus ad eum finem ſuſtentantur. 2. *Primus explicandi modus eſt quod debitum ſit ex obedientia.*

Hoc tamen facilè reiicitur. Primo; quia Paulus in illo loco ſatis oſtendit; illam obligationem non procedere ex ſolo iure poſitiuo, ſed ex ipſo iure naturali, vt conſtat ex illis exemplis, quibus vtitur: *Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem & de lacte gregis non manducat?* Et hoc ipſum indicant verba Chriſti, *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Secundò, quia debitum ex ſolo titulo obedientiæ non obligat ad reſtitutionem, tranſacta occaſione: quare nec Sacerdos accepta ſuſtentatione, obligaretur ad reſtituendum ſtipendium acceptum, quando eſt morti proximus, & non poteſt ſatisfacere præcepto celebrandi: nec etiam qui Miſſam petit, obligaretur ad reſtitutionem ſtipendij, quod promiſit poſtquam iam Sacerdos ſuſtentatus eſt. 3. *Hoc tamen facilè reiicitur.*

Secundo dicunt aliqui, illas pecunias non dari vt pretium rei acceptæ, ſed ſub conditione Miſſæ: ſicut ſi aliquis mihi donet 100. aureos ſub conditione, ſi hac nocte dormiam: tunc ſomnus eſt conditio purificans donationem: pecunia tamen non datur vt pretium ſomni. Hoc etiam facilè reiicitur: primo quia eſt contra ſenſum omnium, qui tam inter dantes quam accipientes, agnoſcunt vtrinque obligationem reciprocam iuſtitiæ. Secundo, quia, ſi ſolum eſſet donatio ſub conditione, non maneret obligatus Sacerdos, accepta pecunia ad celebrandum, ſed ad ſummum deberet reddere pecuniam, eo quod, conditione non ſequuta, donatio non eſſet purificata. Tertio, quia Sacerdos non poſſet alienare pecuniam, vel libros acceptos pro ſtipendio, antequam Miſſas celebret: quia nondum eſſet factus Dominus. Quarto denique, quia hoc eodem modo poſſent palliari omnes Simoniæ in quamvis materia. Poſſem enim dicere: do tibi has pecunias, non in pretium, ſed donatione ſpontanea, ſub conditione tamen, ſi dederis mihi Sacramentum, Reliquias, Beneficium, &c. Qua conditione poſita, donatio purificaretur. Vnde apparet non poſſe in illo modo præſcindi à pretio, quia quoties conditio eſt, quæ intenditur vt finis, propter quem volo dare aliquid illi, qui poſiturus eſt conditionem non de gratis, ſed intuitu illius, quod alter dat: qui eſt contractus oneroſus, do, vt des, facio, vt facias: 4. *Secundo aliqui dicunt, has pecunias non dari vt pretium. Hoc etiam facilè reiicitur primò.* *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.*

Tertiò

5\. *Tertio dicunt aliqui non eſſe titulum iuſtitiæ, ſed religionis.*

Tertio dici poſſet, quod aliqui inſinuarunt, quod non interueniat obligatio, aut titulus iuſtitiæ propriæ, ſed religionis, ſeu pietatis ſpiritualis: nam ſicut iure naturæ filius tenetur alere ſuum Patrem naturalem, & è contra pater tenetur gubernare filium: ſic iure religionis obligamur ad alendos noſtros Patres ſpirituales. Quia ergo Sacerdos offerendo Miſſam pro aliquo, fit in ordine ad illum actum quaſi ſpiritualis pater illius, pro quo offert; iure religioſæ pietatis obligatur ille, pro quo offertur Sacerdoti vt patri miniſtrare victum; & è contra, quia hic miniſtrat victum, & eligit Sacerdotem acceptando in patrem; ac ſic ergo eum exequitur obligationem filij; debet etiam Sacerdos eodem iure ex parte ſua exequi munus patris applicando illi ſacrificium. Non eſt ergo cõmutatio ex iuſtitia, ſed obligatio mutua quæ naſcitur ex titulo patris, & filij ſpiritualis ad reddenda ſibi mutuo obſequia debita, patris, & filij.

6\. *Hic etiam modus impugnatur. Primo.*

Hic etiam modus dicendi impugnatur facilè: primo, quia petere Miſſam à Sacerdote, non eſt in rigore aſſumere illum in patrem ſpiritualem; neque enim illa oblatio eſt propria actio paſtoris, aut patris; alioquin, qui non habet iuriſdictionem ſpiritualem, non poſſet applicare Miſſam pro alio abſque licentia proprij Paſtoris illius, pro quo vult offerre. Eſt ergo illud ſubſidium charitatis, non officium proprium Patris. *Secundo.* Secundo, quando ego peto Miſſam pro aliquo defuncto, non eligo Sacerdotem in patrem meum, cum non petam, vt applicet mihi, neque eligo in patrem defuncti; alioquin ipſe defunctus, & non ego, habebit obligationem alendi Sacerdotem. *Tertio.* Tertio, licet admitteretur illa paternitas, & filiatio, hoc non urgueret obligationem dandi ſtipendium, niſi Sacerdoti pauperi: nam filius non tenetur alere patrem diuitem, vndecumque diuitias illas habuerit, ſed ſolum quando pater indiget. *Quarto.* Quarto obligatio filij vt filij erga patrem non obligat ad reſtitutionem, poſtquam violata fuit; illa autem, cui applicata eſt Miſſa, ſi non alit nunc Sacerdotem, remanet poſtea obligatus ad reſtitutionem, ergo non eſt ex pietate, ſed ex iuſtitia.

7\. *Quarto dicunt alij ſtipendium non dari pro Miſſa, ſed pro obligatione qua Sacerdos ſe obligat. Hunc modum impugnat P. Suarez ex abſurdo.*

Ideo alij quarto dicunt ſtipendium non dari pro Miſſa, ſed pro obligatione, qua Sacerdos obligat ſe ad celebrandum. Nam licet Miſſa ſit inuendibilis, obligatio tamen illa eſt aliquid diſtinctum à Miſſa, cum poſſit eſſe ſine Miſſa; atque ideo poterit eſſe vendibilis, prout condiſtinguitur ab ipſa Miſſa. Hunc modum dicendi refert P. Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 4. de Simonia, c. 26. n. 16.* & breuiter impugnat: quia obligatio illa ſecundum ordinem, quem habet ad ſpiritualia, eſt inuendibilis: alioquin ipſum ſpirituale miniſterium venderent, vel vt res vendita, vel vt ratio venditionis: atque adeo res appretiaretur ex ſola ſpiritualitate, quod eſt abſurdũ.

8\. *Hæc abſurditas multipliciter declaratur.*

Poſſumus hanc abſurditatem multipliciter declarare: primo, quia ſi obligatio dandi rem ſpiritualem, prout condiſtincta à re ſpirituali, vendi poteſt, datur locus palliandi omnes Simonias, vel certè conſequendi eumdem finem abſque Simonia. Dicet enim aliquis: Do tibi mille nummos, non pro re ſacra, aut pro Beneficio, vel Ordine, ſed pro obligatione illa præſtandi: quæ obligatio vendibilis eſt. *Secundo.* Secundo, quia ſi non datur ſtipendium pro Miſſa, ſed pro obligatione ad Miſſam: ergo Sacerdos, qui, accepto ſtipendio, poſtea non offert Miſſam, non debet reſtituere ſtipendium acceptum: quia illud non accepit pro Miſſa, ſed pro obligatione ad Miſſam, quam obligationem verè ſubiuit, & ita, qui ſtipendium dedit, licet non habuerit Miſſam, habuit totum id, quod emit, ſcilicet obligationem Sacerdotis ad Miſſam. Peccabit ergo Sacerdos non ponendo Miſſam, ad quam ſe obligauit; non tamen tenebitur ad reſtitutionem ſtipendij, quod non accepit pro Miſſa, ſed pro obligatione ad Miſſam, quam obligationem iam poſuit. Vnde ſi poſtea morbo, vel irregularitate ſuperueniente, impediatur à Miſſa celebranda, non deberet reſtituere ſtipendium acceptum, cum adhuc habuerit, & habeat obligationem ad Miſſam, ſi auferatur impedimentum, pro qua ſola obligatione datum fuit ſtipendium.

9\. *Hinc argui poteſt tertio.*

Hinc argui poteſt tertio, quia obligatio ad dandum librum, non habet aliam æſtimabilitatem, aut vtilitatem, niſi quam habet ipſe liber: æſtimabilitas ergo obligationis ad Miſſam menſurari debet ex æſtimabilitate ipſius Miſſæ, quæ cum non ſit compenſabilis, vel adæquabilis cum pretio temporali, conſequens eſt, vt non poſſit tali pretio vendi eiuſmodi obligatio; quia obligatio ad rem, & res ipſa ſunt eiuſdem ordinis. *Arguitur quarto.* Quarto, quia poteſt aliquis dicere Sacerdoti: ſi feceris ſacrum pro me, dabo tibi poſtea ſtipendium; tunc autem non dat pro obligatione Sacerdotis, nam Sacerdos ad nihil ſe obligat, ſed facit ſacrum, & poſtea recipit ſtipendium. *Arguitur quinto.* Vnde arguitur quinto, quia ille, pro quo dicitur Miſſa, non erat obligatus ex iuſtitia dare ſtipendium, antequam Miſſa dicatur: ſed poſt Miſſam poſitam, non poteſt dare ſtipendium pro obligatione Sacerdotis, quia iam Sacerdos nullam habet obligationem; ergo non reſtat aliud, niſi ipſa Miſſa, pro quo ſoluatur ſtipendium. Sexto, quia ſi poteſt emi obligatio Sacerdotis, ad Miſſam offerendam, poterit etiam emi ius, quod remanet in dante ſtipem, ad hoc, vt pro ipſo Miſſa offeratur: nam re ipſa idem eſt debitum Sacerdotis, & ius actiuum in alicto contra Sacerdotem; ſicut idem eſt, Petrũ debere mihi centum aureos, & me habere ius contra Petrum ad centum aureos: ergo ſi poteſt emi obligatio Sacerdotis, poterit emi ius actiuum meum ad illas Miſſas: hoc autem eſt abſurdum: nam ius ad ſpiritualia eſt ſpirituale, & inuendibile, vt conſtat: ergo & obligatio paſſiua erit inuendibilis.

10\. *Propter hæc dicunt aliqui non dari pro Miſſa, ſed pro labore Sacerdotis.*

Propter hæc alij, quos refert Suarez *dicto c. 26. n. 2.* dicunt, pretium, ſeu ſtipendium non dari pro Miſſa, ſed pro labore, & opera Sacerdotis, quæ ibi interuenit: quæ quidem in ſe eſt pretio æſtimabilis, cum ſit actio laborioſa. Sicut ergo, quando petitur Miſſa celebranda in loco diſtanti per tria milliaria, poteſt dari aliquid Sacerdoti pro labore illius itineris: ſic poterit dari pro ipſo labore neceſſario ad celebrandum: quia ſicut in primo caſu non datur pro Miſſa, ſed pro itinere neceſſario ad Miſſam: ſic in ſecundo caſu non datur pro Miſſa, ſed pro labore neceſſario ad Miſſam: qui licet ſit de facto coniunctus cum ſacrificio, nihil refert: nam ſecundum ſe manet pretio æſtimabilis. Sic enim venditur Agnus Dei benedictus, quia cera, licet ſit de facto benedicta, ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis: ſic venditur Calix conſecratus: ſic Oleum, vel Chriſma benedictum non ratione benedictionis, ſed materiæ, quæ ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis, poteſt taleque ex natura rei vendi, ſi non ſit prohibitio Eccleſiæ.

P. Suarez loco citato, & P. Thom. Sanchez *in ſumm. Conſilior. lib. 1. cap. 3. dub. 10.* cum alijs latè impugnant

grant

gnant hunc modum dicendi, & conantur oſtendere, in Miſſa nullum remanere laborem, vel operam vendibilem, ſi ſermo ſit de illa opera, quæ per ſe habet connexionem cum Miſſa, licet pro alio labore per accidens coniuncto, quale eſt iter vnius leucæ ad celebrandum, fatendum ſit, quod ſit vendibilis, ſed reuera difficile id explicant; & P. Suarez *n.15.* conſequenter negat, poſſe Sacerdotem accipere plus pro cantanda Miſſa cum arte, & notis Muſicis, licet id poſſint facere Cantores, qui cantant in choro; quod quidem difficile eſt. Et quidem ſi accipi poteſt pretium pro itinere faciendo ad celebrandum in loco diſtanti, non apparet, cur non poſſit accipi pro labore celebrandi ſub dio, vbi vel æſtu, vel gelu nimio, ſanitas exponitur magno periculo: quia hoc etiam per accidens coniungitur cum Miſſa: ergo idem dicendum eſt de cantu, qui per accidens etiam coniungitur, cum ſine illo poſſet Miſſa celebrari.

Ratio quam affert P. Sanchez difficilis eſt. Ratio item illa, quam affert Thom. Sanchez, quod labor hic non eſt ſeparabilis à re ſpirituali, ideo non eſt vendibilis, difficilis eſt: quia ſi ſenſus ſit, non poſſe rem ſpiritualem, hoc eſt Miſſam, reperiri ſine illo labore; hoc non ſufficit, vt labor ille non ſit vendibilis; nam benedictio etiam non poteſt reperiri ſine oleo, vel chriſmate, aut ſine cera in Agnis Dei, & tamen ex natura rei, oleum, chriſma, cera, ſecundum ſe vendi poſſent. Si vero ſenſus ſit, laborem ipſum non poſſe reperiri ſine ſpiritualitate, cui coniungitur, falſum eſt, quia ſicut cera, vel oleum poſſent reperiri ſine benedictione: ſic hic labor, & hæc opera poſſent reperiri ſine ablatione Sacrificij; idem enim labor, & eadem defatigatio datur, quando aliquis ante Sacerdotium facit illa omnia, vt diſcat ritum celebrandi: ergo ille labor ſecundum ſe ſeparabilis eſt à ſpiritualitate, cui de facto coniungitur.

12. *Ille modus poteſt adhuc facilius impugnari.* Quidquid ergo ſit de hoc puncto, ille modus explicandi iuſtitiam ſtipendij poteſt aliter, & facilius impugnari; quia labor ille corporalis ſecundum ſe non ſufficit ad iuſtificandum ſtipendium, vt ex iuſtitia debitum: quia licet aliquando, regulariter tamen non eſt talis, & ſaltem de poſſibili non eſt dubium, quod poſſet celebrari abſque labore digno tanto ſtipendio. Nam, ſecluſo Eccleſiæ præcepto, poſſet celebrari ſolum conſecrando, & ſumendo vtramque ſpeciem, quod totum in vno temporis minuto fieri commodè poſſet, qui labor certè ſecundum ſe non eſſet dignus ſtipendio tali, quale pro Miſſa datur. Sicut ergo ſi pro calice conſecrato daretur, pretium excedens valorem calicis ſecundum ſe, præſumeretur dari pro conſecratione: ſic dando pro labore Miſſæ ſtipendium excedens abſque proportione valorem ipſius laboris, præſumetur dari pro valore Sacrificij, quod coniungitur illi operi ſeu labori.

13. *Dicendum eſt ergo non dari ſtipendium vt pretium, ſed ad ſuſtentationem miniſtri.* Communior ergo, & facilior explicandi modus eſt, quod ſtipendium non detur vt pretium, ſed ad ſuſtentationem miniſtri, ſiue totalem, ſiue ex parte. In quo autem differant, dare vt ſtipendium ac ſuſtentationem, & dare vt pretium, omiſſis aliis modis, poſſumus hac via declarare exemplo pictoris, v. g. qui nollet vendere ſuas operas, aut picturas, ſed vellet gratis depingere in obſequium Eccleſiæ, & votum de hoc feciſſet. Non eſſet tamen

Declaratur exemplo pictoris qui nollet vendere ſuas operas. contra hoc votum, ſi peteret ab Eccleſia illa ſumptos neceſſarios ad colores, ad tabulam, & alia omnia: adhuc enim diceretur depingere gratis; imò ſi ipſe ad laborandum cibo, vel potu peculiari indigeret, illud totum computaretur inter ſumptus neceſſarios ad picturam; & poſſet dici in rigore gratis, & non pro pretio feciſſe illud opus, ſi ſolum acciperet neceſſaria ad pingendum. Rurſus ponamus, aliquem habere virtutem ſupernaturalem, & gratiam gratis datam ad curandum aliquod morbi genus, ſi hic acceſſeretur à Principe vt eum curaret propoſitis magnis præmiis, poſſet dicere: Gratis accepi, gratis dabo; nolo pretium: & hoc, licet peteret neceſſaria ad iter illud agendum, & licet, dum eſſet in Principis Curia, aleretur Principis expenſis: hæc enim non ſunt pretium, ſed neceſſaria ad hoc, vt poſſet exequi illic ſuum miniſterium.

Sic ergo Sacerdos, vt miniſter Euangelicus, non facit contra præceptum Chriſti gratis dandi, quod gratis accepit, ſi ab illis, quibus miniſtrat, accipiat, neceſſaria ad miniſterium exequendum, v. g. ſi accipiat panem, vinum, ceram, & alia neceſſaria ad ipſum Sacrificium. Inter illa autem, quæ neceſſaria ſunt ad ſacrificium, vnum, & potiſſimum eſt ipſe Sacerdos; qui ſicut non poteſt ſine miniſtro, ſine cera, vino, &c. celebrare, ita nec poteſt ſine ſe ipſo ſuſtentato, & bene diſpoſito. Sicut ergo cera ad alimentum ignis neceſſarij in Sacrificio exigi poteſt, ſic etiam poterit cibus neceſſarius ad alimentum Sacerdotis oblaturi; qui ſine victu offerre non poteſt, ſicut nec ignis lucere ſine cera, & alimento. Quamvis ergo hæc accipiat Sacerdos à petente Miſſam, adhuc dicetur in rigore gratis offerre Sacrificium pro ipſo: quia nihil aliud petit, niſi quæ neceſſaria ſunt ad ipſum Sacrificium, quod petitur; & dum hæc à Sacerdote petuntur, debentur ex iuſtitia, non vt pretium, ſed vt neceſſaria ad Sacrificium, quod petitur. 14. *Nō facit ergo miniſter contra Chriſti voluntatem ſi accipiat neceſſaria ad miniſterium exequendum.*

Confirmare hoc rurſus poſſumus exemplo deſumpto ex Conſtitutionibus noſtræ Societatis, in qua non licet accipere pretium, vel ſtipendium aliquod pro Miſſis, Concionibus, vel aliis miniſteriis ſpiritualibus, quod ad compenſationem horum miniſteriorum dari ſolet, & tamen non fit contra hanc conſtitutionem, ſi à petentibus Concionatorem petantur ſumptus neceſſarij ad peragendum illud iter, & pro ſuſtentatione Concionatoris in illo loco; vt notat cum aliis P. Tho. Sanch. *lib. 7. de ſtatu Religioſo, c. 28. n. 2.* quia *expenſa,* inquit, *iſta non petuntur pro rebus ipſis ſpiritualibus, ſed tantū petūtur pro requiſitis ad ſpiritualia exercenda.* A fortiori ergo non erit contra obligationem Sacerdotis dandi gratis ſpiritualia, ſi accipiat neceſſaria ad ſuſtentationem, & victum ſuum ab iis, quibus ſpiritualia miniſtrat. 15. *Hoc confirmatur ex conſtitutionibus noſtra Societ.* *Sanchez.*

Sed dicet fortaſsè aliquis, ex hoc ipſo exemplo argui poſſe contra noſtram doctrinam; quia licet homines Societatis poſſint accipere viaticum, & alia neceſſaria antecedenter, non tamen poſſunt accipere ſtipendium pro Miſſa celebranda, abſque eo quod facerent contra inſtitutum, & debitum ſuum: ergo accipere ſtipendium pro Miſſa non eſt, ſicut accipere ſumptus ad iter, vel alia eiuſmodi. Alioquin ſi ſtipendium hoc datur Sacerdoti ſolum pro ſuſtentatione neceſſaria ad miniſterium; cur homines Societatis non poſſunt illud accipere, ſicut accipiunt viaticum, vel victum neceſſarium ad concionandum? 16. *Dicet aliquis.*

Reſpondetur, hominibus Societatis interdictum eſſe accipere pro miniſteriis ſpiritualibus, non omnino, ſed illud, quo videntur compenſari eiuſmodi miniſteria, vt ex verbis Regulæ conſtat. Dupliciter enim poteſt aliquid accipi: primo, vt aliquis ſeruet ſe indemnem, ſeu ne cogatur ea occaſione facere ex ſuo ſumptus extraordinarios, & expenſas nouas: ſecundo, ad compenſandum, ſeu vt inter ſumptus neceſſarios accipiendos computet vi- 17. *Reſpondetur.*

ctum, & ſumptus ordinarios ſuæ perſonæ; qui non adueniunt ea occaſione. Hoc ſecundū prohibetur in Societate, quia hoc videtur eſſe viuere ex miniſteriis, ſeu viuere ex altari, vt dixit Paulus; quod licet ſecundum ſe licitum ſit, voluit tamen S. Ignatius ob præclaros fines, & ad maiorem paupertatis puritatē, & libertatem in miniſteriis conſeruandam, hoc prohibere, quia ſpeciē aliquam lucri ex miniſteriis præ ſe fert. Illud vero primū, quod non affert lucrū vllū, ſed ſolum remouet nouas expenſas, non prohibetur, quia illud non eſt accipere, ſed non expendere ex noſtro in gratiam alterius id quod alias non eſſet expendendū. Quod quidē nullo modo eſt ſtipendiū, ſed nō donare ex noſtro id, quod aliàs expēdendū nobis nō eſſet. In hoc ergo differt homo noſtræ Societatis ab aliis Sacerdotibus, quod iſti, licet gratis applicent Miſſam, conferant ſacramenta, nihil accipientes pro illis, niſi neceſſarios ſumptus: in his tamen cōputant etiam ſumptus neceſſarios ad perſonam miniſtri ſuſtentandam, atque adeo videntur aliquid hac occaſione lucrari, ſcilicet ſūptus illos, quos alioquin ex ſuo deberent facere ad ſui ſuſtentationē. Nos vero inter hos ſumptus non poſſumus cōputare, quæ alioquin neceſſario nobis expendendæ eſſent, ſed id ſolū accipere poſſumus, quod ea occaſione in gratiam petentis addendum eſſet pro viatico, pro victu in alio loco, in quo alias ille miniſter alendus non eſſet, & ſimilia, quæ ſolum deſeruiūt ad cōſeruandos non indēnes, ſeu ad non donandū, non ad lucrandū aliquid, vnde tota opera, & actio confertur gratis abſque eo, quod eius occaſione Societas aliquid lucretur.

18. *Etiam à Sacerdote diuite ſtipendium pro Miſſa poteſt accipi.* Ex dictis infertur iam primo, ſtipendium pro Miſſa accipi poſſe, non ſolum à Sacerdote paupere, & indigente, ſed etiam à diuite, & non indigente; quia cum vterque in gratiam alterius conferat ſuam operam, ad quam ſicut neceſſarius eſt panis, vinum, cera, &c. Sic etiam eſt neceſſaria perſona Sacerdotis ſuſtentata; vterque poteſt nolle ex ſuo dare illa, quæ neceſſaria ſūt, ſed omnia accipere ab eo, in cuius gratiam offert ſacrificium; ſicut pictor poteſt ea omnia exigere, licet nolit pretium accipere pro pictura.

In die Natalis poſſunt accipi tria ſtipendia pro tribus Miſſis. Infero ſecundo; in die etiam Natalis poſſe Sacerdotem accipere tria ſtipēndia pro tribus Miſſis; quia licet non plus inſumat ad ſui ſuſtentationem illa die, quàm alia, atque ideo per vnicum ſtipendium videatur illi ſatisfactum pro ſumptu neceſſario ad perſonam miniſtri; aliunde tamen totum, quod fit ex illis tribus ſtipendiis, & aliis, quæ accipit toto anno, non excedit, quod requiritur ad victū pro toto anno. Cum ergo ad celebrandum hac die ſit neceſſaria perſona Sacerdotis non ſolum ſuſtentata hac die, vel hora, ſed toto anno; merito, & rationabiliter diſtribuuntur expenſæ illæ totius anni inter omnes petentes Miſſas, vt ſinguli concurrant per partes æquales iuxta partē quam habent in illis Sacrificiis.

19. *Etiam beneficiarij quibus non eſt ſpecialis obligatio applicandi, poſſunt accipere ſtipendiū.* Infertur tertio, Canonicos beneficiarios, & Parochos etiā, quibus ex vi ſui Beneficij, vel Præbendæ, non eſt ſpecialis obligatio applicandi Sacrificium pro aliquo, poſſe accipere ſtipendium pro Miſſa. Et quidem de Parochis poſſet eſſe maior difficultas, quos aliqui voluerunt obligari ad offerendum aliquando pro ſuis ouibus: communis tamen ſententia iam negat eiuſmodi obligationem; cum ſolum teneantur ad miniſtrandū, & cōferenda ſacramenta.

20. *Obſtat quædam declaratio Congregationis.* Solum poſſet obſtare declaratio quædam ſacræ Congregationis Concilij anno 1626. à qua quæſitum fuit: *An Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficij, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarij, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis votiuis, aut defunctorum, recipere, & vnico Miſſæ ſacrificio vtrique oneri ſatisfacere?* Congregatio Reſpondit, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficij, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas etiam pro aliis Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.* Congreg. Conc. Vnde de omnibus, qui quomodocumque obligantur ad celebrandum aliquo loco, vel die pro ſtipendio, vel redditibus, aut ſalario, abſolutè non poſſe ab alio ſtipendium accipere, vt fructū Sacrificij ei applicent, docent Gauant. *ad Rubricas Miſſal. tom. 1. p. 3. tit. 12. n. 5.* Barboſ. *in tract. de officio Parochi, c. 21. n. 11.* Diana *1. tom. tract. de celebr. Miſſar. reſol. 80.* Ratio autem videtur eſſe; quia cum ſtipendium Miſſæ detur ad ſuſtentationem Sacerdotis, conſequens eſt, vt ſi Sacerdos accepit ſtipendium ab aliquo pro illa Miſſa, non habeat ius accipiendi rurſus ſtipendium ad ſui ſuſtentationem ab alio pro eadem: ceſſat enim titulus ſuſtentationis exigendæ.

21. *In contrarium eſt communis ſententia.* In contrarium tamen eſt communis ſententia, quam docet Suarez *in præſenti, diſp. 86. ſect. 1. & 3.* Vaſq. *diſp. 234. c. 6.* Alfonſ. de Leone *in tract. de Iubileo, p. 3. q. 10. n. 17.* Fraxinell. *de obligat. Sacerd. ſect. 4. concl. 4.* §. 8. Homobon. de Bonis *de Exam. Eccleſ. p. 1. tract. 4. c. 13. q. 11. & in Conſult. caſ. Conſcient. vol. 2. p. 5. reſp. 63.* Bartholomæus à S. Fauſto *tract. de Iubileo, lib. 1. q. 81.* Ludouicus à Cruce *in expoſit. Bullæ Cruciatæ, diſp. 3. dub. 19. n. 22.* Vnde idem Diana, mutata ſententia, hanc ſequitur *tom. 5. reſolut. moral. proximè edendo*, quem mihi his diebus beneuolè oſtendit. Sed acerbius loquitur Luiſius Turrianus *in diſp. ſelectis, p. 2. diſp. 31. dub. 16.* vbi contrariam ſententiam dicit, nullam habere probabilitatem, ſed procedere ex ignorantia, & eſſe contra praxim receptam. Suarez. Vaſquez. Alfonſ. de Leone. Fraxinel. Homobon. Bartho. à S. Fauſt. Ludou. à Cruce. Diana. Turrian.

22. *Ad reſponſum Congregationis reſpondent plures.* Vnde ad reſponſum Congregationis ſupra poſitum reſpondent plures ex his Auctoribus, qui poſt illud ſcripſerunt, ibi ſermonem eſſe de Sacerdote, qui ratione Beneficij, Capellæ, Legati, aut ſalarij certis diebus obligantur ad celebrandum pro aliquo: hi enim non poſſunt, accepta eleemoſyna ab alio, eadem Miſſa vtrique ſatisfacere, debito ſcilicet celebrandi pro vtroque. In quo ſenſu idem docuerat per eadem verba Henriquez *lib. 9. de Sacrificio, c. 31. §. 6.* vbi ſic ait: *Parochus illis diebus quibus ex iuſto Epiſcopi imperio, & ex iuris, aut conſuetudinis præcepto tenetur offerre Miſſam pro ſuis ouibus, non poteſt Miſſam ſic debitam offerre ſpecialiter pro alieno ſtipem contribuente: vt Capellanus ſatis ſtipendiis auctus non poteſt à patrono, vel alio nouam ſtipem accipere.* Vbi hic Auctor explicuit verbum illud, *pro ouibus*; quod videtur etiam ſubintelligi in reſponſo illo Congregationis, in quo ſermo erat de Sacerdote volente vna Miſſa ſatiſfacere duplici obligationi celebrandi pro duobus; non vero de Sacerdote, qui vni ſolum deberet celebrare in tali loco, vt poſſet commodè audire Miſſam relicta illi expreſsè facultate applicandi ſacrificium pro alio, à quo acciperet ſtipendium.

23. *Hanc ſolam mentem fuiſſe Congregationis ſenſus.* Porro hanc ſolam fuiſſe Congregationis mentem conſtat ex decreto ipſius præcedenti anno edito, de quo poſtea dicemus *ſectione ſequenti*: cuius decreti occaſione dubium illud propoſitum fuerat; quo decreto præceptum fuit Sacerdotibus tot Miſſas celebrare, quot ſtipendia, ſiue congrua, ſiue incongrua acceperint, pro pluribus Miſſis celebrandis; ita vt alioquin præter peccatum graue, *ad reſtitutionem teneantur*. Supponitur ergo, quod ſtipendium retineatur contra mentem, & voluntatem eorum, qui dederant illud: quod tamen in noſtro caſu non poteſt habere locum; ſupponimus enim, aliquē expreſsè dicere, ego volo, vt poſſis recipere ſtipendium ab alio, & offerre pro illo, perinde ac ſi à me nihil accepiſſes, & te liberum manere ab omni onere reſtituendi: quæ omnia implicitè dicuntur, quoties Capellano datur aliquid, ſolum vt celebret

in tali loco, relicta illi facultate applicandi Miſſam alteri, à quo accipiat ſtipendium; ergo dubium poſtea propoſitum, & declaratio ſubſequens huius decreti debet intelligi iuxta terminos ipſius decreti, ſcilicet, quando ex vtroque ſtipendio obligatur Sacerdos ad applicandum Sacrificium pro illis. Et certè in iis qui dant eleemoſynas manuales pro Miſsis dicendis, ſemper præſumitur hæc voluntas, quod applicetur ſacrificium pro ipſis: ſicut etiam in eo, qui inſtituit Capellaniam; niſi contrarium explicetur, vel ex circumſtantiis colligatur. In beneficiis vero, vel aliis, in quibus obligatur Sacerdos ad celebrandum ſolum ob commoditatem eorum, qui tali hora audituri ſunt Miſſam facilius poteſt exiſtimari, quod non exigatur applicatio Sacrificij, ſed circa hoc relinquatur Sacerdoti libertas, vt poſsit, cui voluerit, applicare.

24. *Ad rationem pro contraria ſententia reſpondetur facile.*

Ad rationem vero pro contraria ſententia reſponderi facilè poteſt, Sacerdotem primum ſtipendium non accepiſſe in ſuſtentationem, ſed vt pretium laboris, & obligationis antecedentis, qua obligatur, vt ſit tali tempore, & loco promptus ad celebrandum; quæ obligatio eſt onus pretio dignum: poſtea vero accipit pro oblatione ſacrificij, non pretium, ſed ſtipendium ad ſuſtentationem, modo explicato. Nam licet iam non indigeat, ſed aliunde habeat neceſſariam ſuſtentationem; id non obſtat, quo minus poſsit, & debeat ſuſtentari ab eo, qui Sacrificium petit, vt diximus de ſacerdote diuite.

SECTIO II.

Quantum ſtipendium accipere poſſit Sacerdos pro Miſſa.

25. *Quodnam ſit iuſtum ſtipendium.*

Stipendium iuſtum eſt, quod vel lege Prælati Eccleſiaſtici, vel conſuetudine hominum taxatum eſt: in quo tamẽ communiter aduerti ſolet, cum actio Miſſæ non exigat totum tempus diei, nec impediat Sacerdotem ab aliis operibus & ſtudiis, quibus poſſit ſibi victum prouidere: non debere ſtipendium, eſſe tale, quod ſolum ſufficiat ad omnia vitæ neceſſaria, victum, veſtitum habitationem, famulum, libros, &c. Sed nec debet etiam eſſe ita exiguum, vt ſolũ correſpondeat illi tempori, quo Miſſa dicitur, & ſicut illud eſt trigeſima pars victus neceſsarij: nam celebratio illa impedit Sacerdotem per magnã diei partẽ ab aliis multis operibus, quibus poſſet facilius ſibi victum quærere: eſt ergo prudenter conſiderandum totum hoc, vt iuſtè, & debitè ſtipendiũ taxetur.

26. *Multa dubia circa hoc ſtipendium ceſſarunt per decreta edita ab Vrbano VIII. Primo quærebatur.*

Hoc ſuppoſito, multa ſolebant antea dubitari circa hoc ſtipendium, quæ iam omnino ceſſarunt per decreta, quæ auctoritate Sanctiſsimi D. Vrbani VIII. edidit ſacra Concilij Congregatio anno 1625. vt ex dicendis conſtabit. Primo ergo quæri ſolebat, an Sacerdos, à quo Miſſa petebatur, dato ei ſtipendio infra quantitatem iuſtam, vel lege taxatam; poſſet vna Miſſa ſatisfacere pluribus ſtipendiis, donec ſingulis Miſſis correſponderet vnum iuſtum ſtipendium: Affirmatiuam ſententiam docuerunt communiter Doctores Rodrig. Corduba, Angles, Nuñus, Fernand. Vaſq. Filliuc. Scortia, Suar. quos affert Diana 1. *tom tract. de celebrat. Miſſar reſol.* 7. licet aliqui eorũ hoc non concederent, quando adeſſet expreſſa promiſſio dicendi Miſſam pro illo ſtipendio. Sed Congregatio in illis decretis grauiſſimè prohibuit, ne vllus Sacerdos hoc faceret, & vltra peccatum graue voluit, quod maneat obligatus ad reſtituendũ.

Diana.

27. *Secundo quid Sacerdos pauper poſſit accipere.*

Secundo quærebatur, an Sacerdos pauper poſsit accipere pro vna Miſsa tot ſtipendia, quot ſufficerent ad eius diurnam ſuſtentationem: de quo fuit magna controuerſia, quibuſdam id concedentibus, ſaltem vt probabile, Ledeſma, Ioan. de la Cruz, Soto, Molfeſio, Cano, Bela, Angelo, Rodrig. Petro de Aragon, Nuño, & aliis, quos refert Diana *loc. cit. reſolut.* 8. dum tamen Sacerdos quotidie celebraret, & victu parco contentus eſſet. Alij tamen id extendebant ad emendos aliquos libros, ſi Theologus, vel Iuriſta eſſet; alij ad alendos parentes aliàs mendicaturos.

Alij tamen abſolutè id negabant, Suar. & Vaſq. in præſenti, Filliuc. Leſsius, Nauarrus, Azor. & hoc ſuo præcepto confirmauit Congregatio prædicta ſub obligatione peccati grauis, & onere reſtituendi.

28. *An ſaltem id poſſet fieri per aliqua priuilegia.*

Tertio quærebatur an ſaltem poſsit id fieri per aliqua priuilegia Summi Pontificis, quæ aliquibus Religionibus conceſſa erãt Sed Congregatio in illo decreto Auctoritate Summi Pontificis, & de eius mandato eiuſmodi priuilegia omnino reuocauit.

29. *An Sacerdos qui Miſſas dicendas acceperat, poſſet, aliis dicendas dare.*

Quarto quærebatur, an Sacerdos, qui Miſſas dicendas ſuſceperat, poſſet poſtea aliis Sacerdotibus dicendas dare, retenta ſibi parte ſtipendij accepti & dato illis ſtipendio quidem iuſtõ, ſed inferiori. Aliqui id negabant; alij concedebant; alij non omnibus, ſed Curatis, aut ſimilibus: alij omnibus, dum in ſe prius Miſſarum dicendarum à ſe onus ſuſcepiſſent. Hoc dubium iam ceſſauit ex decreto prædicto, in quo prohibetur, ne vnquam id fiat, vt omne damnabile lucrum ab Eccleſia remoueatur. Quod idem ſeruandum eſſe, quando Sacerdoti datur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſarum, nec eius partem poſſe retinere, declarauit ea Congregatio.

30. *An debeat etiam intelligi de beneficiario.*

Circa hoc tamen ipſum dubitatum fuit, an debeat etiam intelligi de Beneficiario, qui poteſt per alium celebrare, an teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem reddituum beneficij? Et Congregatio reſpondit ſufficere, quod det eleemoſynam congruam, niſi in fundatione ipſius beneficij aliter cautum fuiſſet. Quod videtur etiam locum habere in Capellano, qui per alium ſatisfacit oneri Miſſarum, cum eadem ſit ratio de ipſo.

31. *An adminiſtratores Eccleſiarum poſſint aliquid retinere.*

Dubitatum rurſus fuit, an adminiſtratores Eccleſiarum poſſint retinere aliquam eleemoſynarum portionem, pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, altarium, inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium Reſpondit Congregatio, id non poſſe fieri, niſi cum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent redditus, quos in vſum earum expenſarum erogare licitè poſsint: & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ: & nihilominus tunc non eſſe minuendum numerum Miſſarum, quæ ab offerentibus eleemoſynas exiguntur.

32. *Quæſitum.*

Petes, ſi Sacerdos alteri Miſſam dicendam committat, quam ipſe, accepto ſtipendio, dicere debebat, & ſecundus Sacerdos remittat ei partem ſtipendij, & contentus ſit parte aliqua, an poſsit tunc primus retinere ſibi partem ex voluntate condonantis. Congregatio enim abſolutè dicit, *debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.* Crederem tamen, id non prohiberi, dummodo Sacerdos celebrans omnino ſponte, & libere id condonet, non vero ex metu aliquo, quia fortaſſe aliàs non darentur ſibi illæ Miſſæ, vel in futurum aliæ non dabuntur, vel quid ſimile: & in hoc ſenſu intelligo Auctores aliquos, quos affert Diana *loco citato, reſol.* 13. id concedentes: quia Congregatio non prohibet, quod Sacerdos abſque ſtipendio celebret, ergo ſicut poſſet aliquis abſque vllo ſtipendio celebrare, vt alium Sacerdotem liberet ab onere ſuſcepto, cui ſatisfacere non poteſt, quo caſu cõdonat illi

totum ſtipendium acceptum, ſic poſſet condonare partem, dummodo dolus, & metus omnino ceſſarent, vt dictum eſt: quod tamen in praxi vix poterit abſque periculo contingere.

33. *Quæſitum 5. an poſſit ſatisfacere duobus ſtipendiis vnica Miſſa ſatisfacere.* Quinto quærebatur, an poſſet Sacerdos duobus ſtipendiis à duabus perſonis acceptis, ſatisfacere vnica Miſſa, applicando vni partem ſolitam, & alteri ſuam partem, quæ correſpondet ipſi celebranti: Affirmarunt enim aliqui, quos refert Diana *loco citato, reſol. nt.* 14. quod aliqui admittunt, ſi partem tribus Miſſis ſibi correſpõdentẽ applicet pro vna Miſſa debita. Alij tamen id verius negabant. Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 9. *in fine.* Bonac. *de Sacram. diſp.* 4. *quæſt. vltim. punct.* 8. *num.* 6. & alij, quia vel illam partem non poteſt transferre in alium Sacerdos, vel certè eſt res valde dubia, & neſcimus, an habeat effectum, etiam quoad ſatisfactionem & qui offert ſtipendiũ, non vult illam partem, ſed illam aliam, quam Sacerdos vt Chriſti miniſter applicare poteſt nomine ipſius Chriſti. Cæterum poſt prædictum decretum Congregationis de hoc iam non eſt dubium, cum prohibeatur vnquam vnica Miſſa duobus ſtipendiis ſatisfacere, etiam cum onere reſtituendi.

Suarez. Bona. in.

34. *Quæſitum 6.* Sexto, quæritur, an Sacerdos poſſit accipere plura ſtipendia, quibus non niſi poſt longum tempus poſſit ſatisfacere. Ad hoc etiam attendit Congregatio in illo decreto, prohibens, ne accipiantur eleemoſynæ pro Miſſis, niſi oneribus ante ſuſceptis ſatisfecerint, vel (vt in declarationibus eiuſdem decreti explicatum fuit) niſi infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere, vel qui dat eleemoſynam, ſciat, & conſentiat, vt differatur celebratio toto illo tempore, donec aliis ſatisfiat. Quid verò intelligatur per *modicum tempus*, Ledeſma *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 18. *concluſ.* 17. Villalobos *in ſumm. part.* 1. *tract.* 8. *dub.* 18 *num.* 2. dicunt, intelligi illud quod 50. vel 60. Miſſæ poſſint dici; quæ menſura ſatis rationabilis apparet.

Ledeſma Villalob.

35. *Quæſitum 7. an Sacerdos ſatisfaciat dicendo aliã Miſſam.* Septimo quæritur, an Sacerdos, accepto ſtipendio ad dicendam Miſſam de B. Virgine, aut Miſſam pro defunctis, ſatisfaciat dicendo Miſſam, quæ eo die occurrit, applicando pro illa intentione. Multi affirmant, ſi in illis diebus occurrat ſolemnitas alicuius ſancti, & Sacerdos habeat maiorem deuotionem in Miſſa de illo ſancto; quos affert, & ſequitur Diana *loco citato, reſolut.* 31. Alij vniuerſaliter concedunt. Villalobos *in ſum. tract.* 8. *diff.* 91. *n.* 9. Ioannes de la Cruz *in direct. conſc. part.* 2. *de ſacrificio Miſſa, quæſt.* 4. *dub.* 2. *concluſ.* 2. Soarez *in præſenti, diſp.* 83. *ſect.* 1. Quod ſequitur etiam Petr. Nauarra *de reſt. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 148. ſaltem ſi non augeretur eleemoſyna notabiliter ob eam conditionem. Et certè ſi occurrat Dominica, vel feſtum duplex, melius eſt ſeruare regulam Miſſalis, quam ob priuatam deuotionem inuertere Eccleſiæ ordinem: & in aliis etiam diebus hoc etiam erit regulariter magis expediens.

Diana. Villalob. Ioan de la Cruz. Suarez. P. Nauar.

36. *Quæritur 8. de Miſſa ex fundatione, vel alio titulo.* Octauo quæritur, an qui ex fundatione, vel alio titulo debet celebrare in aliqua Eccleſia, vel altari determinato, poſſit, ſaltem ex cauſa alibi celebrare, & ſatisfacere ſuæ obligationi. Negant plures, quos refert, & ſequitur Diana *loco citato, reſolut.* 29. qui dicit; id eſſe peccatum mortale, quia in re graui infideliter agit.

Diſtinguendum tamen eſt: nam vel teſtator determinauit illum locum, vel illud altare ob peculiarem cultum illius loci, vel propter commodum populi, vt poſſit ibi audire Miſſam, vel propter memoriam ſuæ familiæ, ad quam illa capella, vel altare pertinet. Et in his caſibus fatendum eſt, non poſſe abſque auctoritate illius, qui poteſt commutare vltimas voluntates, fieri illam variationem loci, niſi id raro fiat: tunc enim non facilè continget peccatum mortale propter paruitatem materiæ: imo, ſi fuiſſet cum cauſa rationabili, non erit peccatum veniale: neque enim cenſetur fundator voluiſſe cum tanto rigore obligare ſuum Capellanum. Si vero ad nihil ſimile reſpexit fundator in deſignando illo altari; facilius poterit excuſari à peccato graui variatio altaris, intra eandem tamen Eccleſiam: alioquin, ſi in alia Eccleſia celebrentur illæ Miſſæ; videtur iam fieri in præiudicium prioris Eccleſiæ, cui acquiſitum fuerat illud ius.

37. *Primo infertur quod ſit dicendum ſi altare deſignatum non ſit priuilegiatum.* Hinc infero primo, ſi altare deſignatum à teſtatore non erat priuilegiatum, hoc eſt, habens indulgentiam ad liberandam animam purgatorij, quoties in eo celebratur, & Sacerdos celebrat pro fundatore in alio altari eiuſdem Eccleſiæ priuilegiato; melius ſatisfaceret obligationi, & vtilius ipſi fundatori; dummodo tamen teſtator in deſignando primo altari non reſpexiſſet ad cauſas ſupra enumeratas: tunc enim regulariter debet ſeruari, quod ipſe præſcripſit.

38. *Secundò ſi ſit occupatum ab alio celebrante.* Infero ſecundò, ſi altare illud, in quo Sacerdos debet ex fundatione celebrare, occupatum ſit ab alio ibi celebrante, vel alia de cauſa tunc impeditum; poſſe abſque peccato graui in alio eiuſdem Eccleſiæ altari celebrare, dummodo id non fiat frequenter: imo aliquando fieri poteſt abſque veniali; vt ſi Sacerdos expectare non poteſt propter negotium vrgens, quod expedire poſtea debet.

39. *Tertiò de alio altari æquè priuilegiato.* Infero tertio, ſi teſtator deſignarit illud altare, quia priuilegiatum erat, & in eadem Eccleſia ſit aliud altare habens æquè certum priuilegium; ſatisfieri ſufficienter obligationi, ſi in illo alio altari priuilegiato celebretur. Secus autem dicerem, ſi Sacerdos velit in alio altari non priuilegiato celebrare, eo quod ipſe habeat calculum vel imaginem benedictam cum indulgentiis ad liberandam animam purgatorij in ſingulis Miſſis: nam regulariter indulgentia quæ applicatur altari, ſolet eſſe magis authentica, & ſecura, quam quæ applicatur alicui calculo benedicto; & fortè eſſe minus dependet à ſtatu gratiæ ipſius celebrantis, vt habeat effectum.

40. *Quarto ſi Sacerdos obligatus ad celebrandum in aliqua Eccleſia inueniat omnia loca occupata.* Infero quarto, ſi Sacerdos obligatus ad celebrandum in tali Eccleſia, quando venit, inuenit alios Sacerdotes paratos in Sacriſtia, itavt cogantur nimis expectare, vel fortè propter Miſſam ſolemnem, aut concionem, vel quid ſimile poſſe abſque peccato graui celebrare pro tunc in alia Eccleſia, & aliquando abſque veniali: expedit tamen, vt quando præuidet fore eiuſmodi impedimentum, præueniat aliquantulum ne id frequenter contingat.

41. *Quæritur 9. quid dicendũ ſi illa Eccleſia ſit violata vel impedita.* Ex hoc oritur nonum dubium, quando Eccleſia, vel altare deſignatum à teſtatore caſu aliquo inuenitur omnino impedita, vel quia Eccleſia violata eſt, vel quia non inuenitur capellæ clauis, vel quid ſimile, an tunc Sacerdos liber maneat pro illa die à ſua obligatione, an vero debeat alicubi celebrare. Hoc dubium eodem ferè modo definiendum eſt, quo definiri ſolet aliud ſimile de illo, qui vouit recitare coronam coram tali altari, vel imagine; an, ſi nequeat in eo loco recitare, maneat abſque obligatione vlla. De quo latè Thomas Sanchez *lib.* 4. *de voto, cap.* 14. *n.* 27. & *ſeqq.*

Sanchez.

42. Dicendum itaque eſt, quando teſtator intendit principaliter ſolum, quod celebraretur in tali loco, vel altari propter cultum talis Sancti, qui inde reſultabat: ſi Eccleſia ſit violata, vel impedita, ceſſare obligationem, quia alligatur ad illum locum: ſicut qui vouit ieiunare in vigilia talis Sancti: ſi eo die non poſſit, non debet alio die ieiunare. Si vero

teſtator

teſtator intendit fructum Sacrificij, vel cultum Dei; non ceſſat obligatio, ſed debet in alio altari, vel Eccleſia celebrari. In dubio autem præſumitur intentio teſtatoris poſteriori potius, quàm priori modo ſe habuiſſe, Nam, quidquid ſit de voto, in quo etiam in dubio ita præſumendum eſſe, docet contra alios Sanchez *loco citat. n.38.* in noſtro caſu tamen multo magis id debet dici. Primo quia Capellanus, non eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis, ſicut vouens; ſed obligauit ſe ex contractu oneroſo: teſtator autem potius præſumitur voluiſſe obligare ad id quod ſibi erat vtilius. Secundo, quia vouens conſeruat ſuam libertatem ſine poſitiuo præiudicio alterius; non ſic Sacerdos in noſtro caſu, qui accipit ſibi ſtipendium à teſtatore ad celebrandum, & non celebrat. Tertiò denique, quia *in cap. Nos quidem, de teſtamentis,* præſcribitur, ſi non poſſit monaſterium conſtrui in loco à teſtatore deſignato, debere in alio loco ædificari: præſumitur ergo, id eſſe in eiuſmodi caſibus iuxta voluntatem teſtatoris.

43. *Decimo quæritur de variatione temporis aut diei præſcripti.* Quæritur decimò circa variationem temporis, aut diei præſcripti, an Sacerdos, qui ex fundatione, v.g. Capellaniæ debet celebrare ter in hebdomada, ſcilicet feria 2. 6. & Sabbato, poſſit celebrare illas Miſſas aliis diebus intra eandem hebdomadam. Reſpondetur eodem ferè modo: nam illi dies potuerunt dupliciter deſignari à fundatore: primo ſine myſterio, ſed ſolum vt ter in hebdomada celebraretur pro ipſo: ſecundo propter rationem peculiarem; v.g. vt Sabbatu fieret Miſſa de B. Virgine, feria ſexta de Paſsione Domini. Si priori modo fieret deſignatio; non eſt dubium, quod poſsit Sacerdos aliis diebus eiuſdem hebdomadæ celebrare, & ſatisfacere; cum illa circumſtantia ſit merè accidentalis. Si vero deſignatio fieret poſteriori modo; obſeruari debet: non tamen facilè poterit in eius omiſsione mortaliter peccari, cum materia ſit ea ſe parua, præſertim, ſi cum cauſa, vel non multum frequenter.

44. *Infertur quid dicendum ſit de Sacerdote qui debet ſingulis menſibus 15. Miſſas.* Hinc infero primò, quid dicendum ſit, quando Sacerdos debet ſingulis menſibus celebrare 15. Miſſas pro fundatore Capellaniæ; an poſsit hoc menſe offerre 30 pro menſe præſenti, & ſequenti. Reſpondeo, regulariter id fieri poſſe, vt in ſimili de illo, qui ex Pœnitentia debet aliquid tali tempore faciendum, docet Thomas Sanchez *d. lib. 4. de voto, c. 14. n. 26.* & in caſu noſtro Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtitutione, c. 2. q. 9. n. 366.* & Eman. Rodrig. *in ſumma, cap. 252. tit. Miſſa, concluſ. 8.* quia anticipata ſolutio nullo modo præiudicat, ſed prodeſt creditori. Secus tamen dicendum eſſet, quando fundator reſpexit ad tempus illud determinatum propter aliquam ſpecialem cauſam; quia nimirum pertinet ad honorem, & decorem ſuæ Capellæ nullum menſem præterire abſque Miſſa, & memoria teſtatoris. Vnde nec facilè admitterem illam anticipationem, quando redundat in alterius præiudicium: vt ſi Sacerdos debeat celebrare ſingulis hebdomadis, vel menſibus, pro defunctis huius populi, vel communitatis: ex illa enim anticipatione fit, vt illi, qui moriuntur hoc menſe, vel hebdomada poſt Miſſam anticipatè celebratam, fraudentur illo ſubſidio, menſe, vel hebdomada ſequenti; cum tamen fundator voluerit omnibus ſucceſsiuè ſubuenire.

Sanchez. Nauarra. Rodrig.

45. *Secunda illatio.* Infero ſecundò in eiſdem circumſtantiis, quibus licet anticipatio, poſſe etiam excuſari à mortali qui poſtponit, & differt ſolutionem ad hebdomadam, vel menſem ſequentem; dummodo hæc poſtpoſitio non ſit magna, qualis non videtur eſſe ſi menſe ſequenti celebrentur Miſſæ vtriuſque menſis: erit tamen veniale, niſi intercedat rationabilis cauſa, quæ poterit etiam à veniali excuſare. Vnde regulariter ille, cui datur eleemoſyna, vt celebret in feſtiuitate hodierna pro tali perſona, ſatisfacere poterit celebrando die ſequenti, vel infra, aut etiam poſt octauam. Dixi, *regulariter*: quia, quando petitur Miſſa pro aliqua neceſsitate præſenti, & nunc vrgente, pro qua deſideratur ſubſidium præſens, non videtur poſſe admitti illa dilatio, quæ tunc non eſt ſola circumſtantia, ſed videtur pertinere ad ſubſtantiam rei, cum poſtea non vrgeat amplius neceſsitas illa, pro qua Miſſa petebatur.

46. *Quæſitum 11.* Quæritur vndecimò, quando alicui iubetur in fundatione celebrare omnibus ſabbatis, vel feriis quintis, aut ſextis; an in hebdomada ſancta debeat illis diebus celebrare, vel certè anticipare, aut poſtponere celebrando aliis tribus diebus pro illis? Reſpondeo: *Satisfit.* feria illa ſexta nec poteſt celebrare, nec debet eius loco ſubrogare aliam diem, quia teſtator alligaſſe videtur obligationem ad illam diem. At vero feria 5. & ſabbato ſancto, ſi Sacerdos vult celebrare, debet offerre pro debito fundationis, à quo ſolum excuſaretur, ſi non poſſet commodè celebrare. Si vero ſacerdos nolit illis diebus celebrare; puto, non teneri illum ad petendam licentiam, nec ad ſubrogandas alias dies pro illa: quia licet poſſit in illis ſimpliciter, & abſolutè priuatim celebrari; conſuetudo tamen eſt non celebrandi priuatim, cui conſuetudini non præſumitur teſtator voluiſſe ſe opponere, cum laudabilis ſit: nec voluiſſe obligare Sacerdotem, vt ab ea omnium ferè conſuetudine diſcederet, atque adeo cenſetur illos dies excluſiſſe, ſi Sacerdos nolit celebrare.

47. *Inſtantia.* Dices, quando Eccleſia eſt violata, debet regulariter Sacerdos alibi celebrare pro debito Capellaniæ; quia impedita circumſtantia loci, non impeditur ſubſtantia, vt ſupra diximus: ergo licet dies ſit impedita, non ceſſabit obligatio quoad ſubſtantiam, vt ſoluatur alia die. Reſpondeo negando con- *Reſpondetur.* ſequentiam: quia violatio Eccleſiæ eſt impedimentum accidentale, & quod ex natura ſua poteſt ſæpius occurrere; at vero impedimentum illorum dierum eſt *per ſe* & notorium omnibus, & quod ſemel ſolum in anno occurrere poteſt. Adde, ex eo, quod Sacerdos celebret in alio loco, quando locus deſignatus eſt impeditus, non addi nouum onus, ſed potius auferri onus, quod habebat celebrandi in tali loco determinato: at vero ex eo, quod maneret obligatus ad celebrandas alias Miſſas hebdomada ſequenti loco harum, additur nouum, & maius onus, ſcilicet, non accipiendi eleemoſynam ab alio pro illis; quod onus non videtur voluiſſe ille fundator imponere, ſed ſolum celebrandi talibus diebus, quibus, ſi aliunde ab Eccleſia, vel conſuetudine impeditur, non debet propter hoc Sacerdos ſubire nouum detrimentum, nec fraudari ſtipendio pro aliis Miſsis. Vnde id in dicto tem caſu, quo impedimentum prouenit ex ceſsatione à Diuinis: ſi enim non poſſet tunc in illa Eccleſia commodè celebrare, non teneretur Sacerdos ſupplere poſtea, ceſſante impedimento, pro Miſsis illis, quas abſque ſua culpa omiſit.

48. *Quæſitum 12.* Quæritur duodecimò, an Capellanus ægrotans debeat interim dare ſtipendium alteri, ne fraudetur teſtator, vel Fundator illis Miſsis. Affirmat Henriq. *lib. 9. de Miſſa, c. 24. n. 4.* Communis tamen ſententia diſtinguit de infirmitate breui, vel longa. Si *Reſponſio.* longa ſit, debet ſuppleri per alium: ſi breuis, non debet; niſi fundator expreſsè, vel tacitè ſignificauerit animum, & mentem ſuam, quod non deſit Miſſa in tali loco, vel capella.

Henriq.

49. *Quæritur quæ ſit iudicanda infirmitas breuis.* Difficultas eſt, quæ ſit iudicanda infirmitas breuis, vel longa ad hoc propoſitum. Aliqui, quos affert Diana *illo tract. de celebrat. Miſſar. reſolut. 27.* dicunt

dlenne, ſi morbus durat per octo, vel decem dies, non eſſe obligationem ſupplendi per alium. Bonac. *diſp.4 de Miſſa ſacrificio, q. vlt. punct. 8. n. 7.* id extendit ad quindecim dies, quod etiam ſequitur Diana *ibid.* Alij extendunt ad vnum menſem, alij ad duos, pro qua ſententia Diana affert Petrum Nauar. *lib. 2. de reſtitut. c. 2. n. 210.* quam ego probabilem exiſtimo, & eam inuenio etiam apud Alfonſum Vega *in ſumm. c. 28. de Miſſa, caſu 14.* & Rodrig. *in ſumm c. 250 verb. Miſſa, concl. 4.* licèt ob errorem ſcriptoris, vel typographi contrarium videatur dicere: ſed ex contextu, & ſubſequentibus conſtat, hanc eſſe eius ſententiam; quam etiam amplexus eſt P. Steph. Auila conſultus de hoc caſu in manuſcripto, quod ego vidi. Rationes autem pro ea ſententia videri poſſunt apud prædictos Auctores. Et hæc ſufficiat breuiter indicaſſe circa hos caſus, qui practicè quæſiti ſunt, ex quibus ad plures alios reſponderi facilè poterit.

Diana. Nauar. Vega. Rodrig. Auila.

DISPVTATIO XXII.

De Præcepto audiendi Miſſam.

SECTIO I. *Ad quid obliget præceptum audiendi Miſſam.*

SECTIO II. *De præſentia, intentione, & attentione requiſita ad Miſſam audiendam.*

HOc ſolum reſtat circa hoc Sacrificium, de quo latè Fagundez *in 1. Eccleſ. Præcepto:* nos, ſuppoſito præcepto, aliqua magis dubia circa eius obſeruantiam breuiter expediemus.

SECTIO I.

Ad quid obliget præceptum audiendi Miſſam.

1. *Certum eſt dari præceptũ audiẽdi Miſſam diebus feſtis.*

CErtum eſt, dari præceptum audiendi Miſſam diebus feſtis, quod habetur in c. *Omnes fideles,* & c. *Miſſas, de conſecrat. diſt. 1.* & quamvis Suarez *diſput. 88. ſect. 1. in princ.* Fagundez *lib 1. de 1. Eccleſ. præcepto, n. 1.* & alij dicant, id eſſe de fide, non tamen apparet, quomodo poſſit eſſe de fide, id quod nuſquam à Deo reuelatum eſt; neque ex eo, quod Eccleſia aliquid præcipiat, Deus reuelat, Eccleſiam id præcepiſſe, ſed fit nobis euidens humana euidentia, quantum ſufficit ad obligandum nos abſque vlla probabili excuſatione. Obligat autem hoc præceptum non ſolum diebus Dominicis, ſed aliis feſtis; quia Eccleſia inſtituens aliquod feſtum, intendit præcipere eo die illum eundem cultum, qui præcipitur diebus Dominicis, in hoc enim conſiſtit feſtiuitas illius diei. Obligat etiam hoc præceptum omnes etiam Sacerdotes, & Religioſos, vt Eccleſiæ conſuetudo declaratur; obligat grauiter, quia materia ipſa grauis eſt, vt conſtat in eo, qui ex voto teneretur ad audiendam Miſſam, quem nemo excuſaret ab obligatione graui. Obligat denique omnes baptizatos habentes vſum rationis, non amentes, aut paruulos, qui aſſiſtentiam humanam non poſſunt habere; nec catechumenos, qui Eccleſiæ præceptis non obligantur. Quamvis vero non ſit merè naturale; aut Diuinum, ſed Eccleſiaſticum; eſt tamen multum conforme legi naturali diuinæ, ſuppoſita inſtitutione huius Sacrificij, & obligatione exhibendi cultum aliquem viſibilem Deo.

Ad hoc obligantur omnes baptizati habentes vſum rationis.

2. Hoc ſuppoſito, quæritur primò quam Miſſam debeamus audire? Reſpondetur, quamlibet, ſiue hoc, ſiue illo ritu Catholico dicatur; hac vel illa lingua; quia præceptum ſolum eſt de audienda Miſſa: vnde certum eſt, ſatisfieri audiendo Miſſam etiam votiuam, & non de Feſto aut Dominica occurrente. Rurſus certum eſt, ſatisfieri audiendo Miſſam extra Parochiam; quia licet olim fortaſſe fuerit obligatio audiendi eam in Parochia; poſtea priuilegiis derogatum fuit illi obligationi; & licet in Trid. *ſeſſ. 14. c. 4.* dicatur, teneri fideles adire ſuas Parochias, vbi id commodè fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei, ibi tamen nihil dicitur de Miſſa audienda, & vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo oſtendit, non eſſe receptam illam obligationem etiam quoad conciones eo quod fortaſſe id regulariter fieri commodè non poterat. Vnde in eodem Trident. *ſeſſ. 22. Decreto de obſeruandis in celebratione Miſſæ,* ſolum dicitur: *Moneat Epiſcopus populum vt frequenter ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis, ac maioribus Feſtis accedant:* & Congregatio ſacra Concilij Tridentini declarauit, *non poſſe Ordinarium multis, & pœnis cogere populum ad audiendam Miſſam, aut concionem in propria Parochia etiam in caſu negligentiæ, aut contumaciæ;* vt refert Azor. *tom. 1. lib. 7. c. 6. q. 6.*

Quæritur primò quã Miſſam debeamus audire. Reſpondetur quamlibet audiri poſſe qualibet lingua, &c.

3. Quæritur ſecundo, quantam Miſſam debeat quis audire? Reſpondetur, totam, & integram; vt conſtat ex *dicto c. Omnes,* & aliis, quæ affert Suar *ſect. 2. in principio.* Quæ autem ſit pars notabilis ſufficiens ad peccatum mortale, ſi omittatur; communior nunc ſententia docet, ſi omittatur ab initio vſque ad Euangelium excluſiuè, non eſſe mortale; ſecus ſi omittatur etiam Euangelium. Ita Suar. *ſect. 2.* Nauar. Sot. Tabien. Azor, quos refert, & ſequitur Fagund. *lib. 1 c. 6.* Alij dicunt, non eſſe mortale, etiamſi omittatur Euangelium, dummodo audiatur totum reliquum cum Euangelio vltimo incluſiuè; quod probabile putant cum Nauar. Suar. Nugnus, Azor. Rodrig. Graffius quos refert, & ſequitur Bonac *diſp 4. de Miſſa Sacrificio, q. vlt punct. 11. n. 17.* & verum fatetur Hurtado *de Sacrificio Miſſæ, diſp. 5. difficult. 6.* Vnde miror Luiſium Turrianum nouiſſime *in ſelectis p. 2. diſp. 31. dub. 28.* notare ſententiam illam vt improbabilem, & temerariam. Certè hic Auctor nimis rigidè de ſententiis Theologicis decernit; quis enim neget ſententiam tot, & talibus fulcitam Auctoribus probabilem eſſe? Illud ſanè aduertunt benè, fruſtra exigi à Nauarro, quod poſtea per ſe ipſum Euangelium omiſſum legat: ea enim lectio priuata parum refert ad præceptum audiendi Miſſam.

Quæritur de quanta. Reſpondetur integram audiri poſſe. Quid requiratur vt ſit integra.

Turrianus nimis rigidè de ſententiis Theologicis decernit.

4. Quæritur tertio, an qui non adeſſet Miſſæ tempore conſecrationis, & adeſſet omnibus aliis ſatisfaceret? Videtur, quod non, quia illa eſt pars eſſentialis in qua eſſentialiter conſiſtit ſubſtantia Sacrificij, ergo qui tunc non adeſt, non adeſt oblationi Sacrificij. Reſpondeo loquendo per principia intrinſeca, ita eſſe dicendum; quia tamen ſub opinione eſt an eſſentia Sacrificij conſiſtat in Conſecratione, vel communione, vt ſupra vidimus: poteſt in praxi amplecti hanc vel illam ſententiam: ſi tamen abeſſet conſecrationis, & communionis tempore, non ſatisfecaſſet præcepto, imò ſi ſoli conſecrationi, vel ſoli communioni deſit, non debet iudicari de illa abſentia iuxta menſuram temporis, quod illi correſpondet, ſicut ſi tanto tẽpore defuiſſet, quando legitur Epiſtola, vel dicuntur, v.g. orationes: non ſunt enim homogeneæ partes Miſſæ, ſed multum heterogeneæ: & ideo illud breue tempus conſecrationis æquiualet longiori tempori aliarum partium, ſicut ipſe Sacerdos magis obligatur ad non omittendam vnam orationem ex Canone, quam quatuor ex collectis ordinariis.

Quæſitum tertium an qui adeſſet conſecrationi ſatisfaceret.

5. *Circa hoc aduertendum.* Aduerto item circa hoc, quod licet præſentia tempore conſecrationis exigeretur neceſſariò ad ſatisfaciendum huic præcepto; non deberet idem dici de eo, qui adeſſet quidem tunc, ſed voluntariè diſtractus etiam diſtractione exteriori: nam ille reuera affuiſſet Sacrificio, & obtuliſſet ſacrificium. Sicut enim Sacerdos, qui voluntariè diſtractus conſecraret, adhuc validè conſecraret, & obtuliſſet verè Sacrificium: ſic etiam Laicus aſſiſtens, verè obtuliſſet cum Sacerdote Sacrificium, licet voluntariè diſtractus fuiſſet illo tempore; & licet peccaſſet aliunde contra debitum attentionis, non tamen eſſet peccatum graue diſtrahi pro breui illo tempore, licet eſſet maior culpa, quam æqualis diſtractio in aliis partibus Miſſæ minus principalibus. Aduerte denique, ſi Sacerdos ob ſuam deuotionem in Miſſa per vnam horam vellet in *Memento*, aut ante Communionem orare mentaliter, ſi quis toto illo tempore abeſſet, adhuc ſatisfaceret præcepto, quia adhuc Miſſa abſque illis temporis parte eſſet integra.

6. *Quæſitum quartum.* Quæritur quartò, an qui non poteſt Miſſam integram audire, quia venit, v. g. in medio Miſſæ vltimæ, teneatur ſaltem audire illam partem, quæ reſtat; Aliqui negant apud Dianam 2. *tom. tract.* 6. *Miſcell. reſol.* 69. ipſe tamen affirmatiuè reſpondet cum Suarez *in præſenti diſp.* 88 *ſect.* 2. & Sanchez *in Decalog. tom* 1. *lib.* 1. c. 19. *n.* 6. quod etiam docuit idem Sanch. 2. *tom. Conſil. lib.* 7. c 2. *dub.* 46. *Diana. Suarez. Sanchez.* Ego diſtinguendum cenſeo, *Diſtinguendum putamus.* nam vel poteſt adeſſe conſecrationi; vel non. Si poteſt, credo quod teneatur illi adeſſe, quia illa eſt pars principalis, & reliqua pertinent ad eius complementum: ſi verò peracta ſit conſecratio, non tenetur reliquæ parti adeſſe: ſic enim feria ſexta Hebdomadæ ſanctæ non teneremur adeſſe officio illius diei, etiam occurrente feſto, quia deeſt conſecratio: ſed ille, qui veniret, peracta conſecratione, ſolum adeſſet communioni, & orationibus, quibus etiam adeſſe poſſumus illa feria ſexta; ergo non magis tenebitur adeſſe illi parti, quam illa feria ſexta: vtraque enim fit Communio à Sacerdote, vt miniſtro publico, & nomine Eccleſiæ, vt vidimus in ſuperioribus. Vnde probabiliter infero; qui nullo modo poſſet adeſſe tempore conſecrationis, licet poſſet adeſſe omnibus aliis partibus, non obligari ad eas audiendas. *Ratio à priori eſt.* Ratio à priori eſt, quia adeſſe Miſſæ, vt videbimus, non eſt ſolùm corpore adeſſe, ſed offerre ſacrificium ſimul cum Sacerdote offerente: qui autem non adeſt tempore conſecrationis, non offert ſacrificium illud, niſi generali ratione, ſicut alij omnes fideles: ergo non obligatur ad aſſiſtendum aliis partibus, ſicut nec in die Paraſceues obligatur propter eandem rationem. Dixi tamen, *qui nullo modo poſſet adeſſe*: nam ſi quis eo tempore ingreſſus fuiſſet ſacriſtiam, vt afferret aliquid ad cultum ſacrificij neceſſarium, ille aliquo modo diceretur adeſſe conſecrationi, & facere vnum corpus cum aliis, qui adſunt.

7. *An poſſit audiri media Miſſa vnius & media alterius.* Quæritur quintò, an qui audiret mediam Miſſam vnius, v. g. poſt conſecrationem vſque ad finem, ſatisfaciat præcepto, audiendo poſtea ab alio vſque ad conſecrationem incluſiuè? Affirmant Nauarrus, Eman. Sà, Sotus, Henriq. Bartol. ab Angelo apud Dianam 1. *tom tract.* 3. *Miſcell reſol.* 18. Eandem tenent Maior, Ægidius, Bellarus, Medina apud Fagundez *lib.* 2. c. 6 *n.* 11. quibus adde Bonacinam *dicta diſp.* 4. *q vlt. punct.* 11. *n.* 13. & Hurtadum *dict. diſp.* 5. *difficult.* 4. *Affirmat Nauar. Fagundez. Bonacin. Hurtado.* quia illæ duæ partes poſſunt conſtituere vnam integram Miſſam: ordo autem partium inter ſe non videtur pertinere ad ſubſtantiam præcepti; ſicut qui recitaret prius Laudes, quam Matutinum, aut prius tertium nocturnum, quam primum, & ſecundum, adhuc ſatisfeciſſet præcepto.

*Hæc ſententia per principia extrinſeca probabilis eſt: contraria tamen eſt in rigore vera; quam tenent Azor, & Toletus, (qui malè pro contraria citantur) & alij quos affert, & ſequitur Fagundez *n* 12. Suar. *in præſenti diſp.* 88. *ſect.* 2. Coninch. *in præſenti q.* 83. *art.* 6. *n.* 287. 8. *Hæc ſententia per principia extrinſeca eſt probabilis. Contraria tamen in rigore vera. Ratione probatur.* Ratione autem probatur, quia ex illis duabus partibus non fit vnum ſacrificium, nec etiam ſacrificium; nam ſi aliquod ſacrificium fit, vel fuit oblatum à primò Sacerdote, vel fuit oblatum à ſecundo, at neutrum fit, ergo aliud tertium; ergo oblata fuerunt tria ſacrificia; quod eſt falſum; ergo ille non affuit alicui ſacrificio.

9. *Confirmatur primò & explicatur.* Confirmatur, & explicatur primò, quia ſi Sacerdos hodie conſecrat Euchariſtiam, quam hodie non ſumit, ſed ſumit illam, quam heri conſecrauit, procul dubio non offert hodie integrum ſacrificium, nec in rigore celebrat Miſſam integram, ſed ponit ſubſtantiam vnius, & complementum alterius: vt diximus *diſp.* 19. *ſect.* 5. *in fine.* Ergo conſecratio vnius hoſtiæ, & ſumptio alterius non componunt, nec integrant Miſſam; ergo qui aſſiſtit conſecrationi vnius materiæ, & conſumptioni alterius, non aſſiſtit Miſſæ; quia ex illis duabus partibus non poteſt conſtitui Miſſa, ſed conſtat omnino ex conſecratione, & ſumptione eiuſdem victimæ.

Confirmatur ſecundò. Confirmatur ſecundò ex Suarez; quia ſi Sacerdos nunc conſecrSet corpus Chriſti ſolum, & poſt interruptionem moralem rediret ad aliud altare, & conſecraret ſanguinem, non diceretur feciſſe Sacrum, nec ex vtraque illa conſecratione conſtitueretur Miſſa; ergo neque ex conſecratione vnius, & conſecratione, vel conſumptione alterius circa aliam materiam conſtitui poteſt vera Miſſa.

10. *Confirmatur tertiò.* Confirmatur tertiò, quia ſi ille modus ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto, ſufficeret etiam, ſi eodem tempore quis audiat priorem partem Miſſæ ab vno, & poſteriorem ab alio in alio altari celebrante: ſuppono enim, poſſe aliquem ſimul audire duas, & tres Miſſas; poterit ergo ſimul audire duas partes, quia conſtituent integram Miſſam. Conſequens autem Suarez reputauit valdè abſurdum, & quod nemo concederet. Sed iam aliqui illud conceſſerunt, Bonacina *loco cit.* cuius ſententiam validat Hurtado *illa difficult.* 4. & probabile dicit Molfeſius *in ſumma tom.* 1. *tract.* 5. c. 27. *n.* 36. *in fine.* *Bonacin. Hurtad. Molfeſ. Miſſa potest audiri à duobus, aut etiã à 3 à 4. à 6.* Contrarium tamen docent alij communiter, & meritò: quia ſi poteſt ſimul à duobus audire primam, & ſecundam partem Miſſæ, & ita conſtare vnam Miſſam; poterit ſimul à tribus, vel à ſex, vel à decẽ; ita vt intra duo minuta, vel tria totam Miſſam integram audierit, & ſatisfecerit præcepto: ſicut enim poſſunt coniungi duæ partes, poterunt & decem diuerſorum Sacerdotum. Conſequens autem videtur ſatis alienum à mente omnium fidelium. Adde, quod poſſet aliquis eodem modo ſatisfacere præcepto recitandi Horas, ſi ſimul audiret à tribus Sociis tres Lectiones, vel à nouem Sociis omnes nouem Lectiones, ab vno Capitulum, & ab alio Orationes, &c. quia non requiritur attendere ad ſenſum, ſufficit attendere ad Deum, & audire. Conſequens autem nemo concedet. Et quidem Luiſius Turrianus *in ſelectis p.* 2. *diſp.* 16. *dub.* 7. dicit, illam ſententiam nec eſſe probabilem, nec tutam circa duas partes Miſſæ ſimul audiendas. *Turrian.*

11. *Ad fundamenta contrariæ ſententiæ reſpondetur.* Vnde ad fundamenta contrariæ ſententiæ reſpondetur ex Laudibus, & Matutino recitatis ordine præpoſtero, poſſe bene conſtitui vnum officium integrum, quia ad vnitatem orationis ſufficit vnitas orantis, & petentis illa omnia: ſic etiam ad vnitatem ſacrificij requiritur vnitas ſacrificantis; qui non eſt idem in caſu noſtro, ſed duo Sacerdotes diuerſi: ſed etſi eſſet idem Sacerdos, vt poſſet eſſe, quando idem celebrat duas, vel tres Miſſas, adhuc non eſſet

idem ſacrificium ex partibus duarum Miſſarum; quia res oblata non eſſet omnino eadem: ſicut ſi aliquis iugularet vnam ouem, & combureret alteram, non fieret holocauſtum, ex illa iugulatione, & combuſtione: ſic ex conſecratione ſub his ſpeciebus, & conſumptione ſub aliis non fit holocauſtũ, quia debet per holocauſtum conſummari victima ſecundum ſtatum, quem habuit in prima parte eiuſdem holocauſti; vt conſtat in exemplo ſupra poſito de Sacerdote conſecrante vnam hoſtiam, & ſumente aliam; qui non dicitur celebraſſe Miſſam integram, quia non conſummauit idem, quod incepit ſacrificare.

12. *Quæritur ſexto de illo qui habet Bullam Cruciatæ.*

Quæritur ſexto, an qui habet Bullam Cruciatæ, qua conceditur facultas audiendi Miſſam tempore Interdicti, debeat ex obligatione audire Miſſam in Feſtis, & Dominicis. Negant plures: Aula, qui dicit fuiſſe ſententiam Victoriæ, & Cani; Coninck, Alterius, Ledeſma, Llamas, quos refert & ſequitur Diana 1. *tom. tract.* 11. *de Bulla Cruciatæ, reſol.* 1. 2. & alij Doctores Salmanticenſes; quos ita reſpondiſſe refert Henriq. *lib.* 13. *de Excommunicat c.* 48. *n.* 5 *lit. D. & lib* 7. *de Indulg. c.* 13. *n.* 3. quia nemo cogitur vti ſuo priuilegio, & quod in fauorem alicuius conceditur, non debet in eius odium, & obligationem retorqueri; ergo Bulla Cruciatæ affert quidem poteſtatem, non tamen obligationem audiendi Miſſam.

Diana.

Henriq.

13. *Contraria ſententia mihi verior ſemper viſa eſt.*

Contraria ſententia verior ſemper mihi viſa eſt, quam tenent Suar. *in præſenti, diſp.* 88. *ſect.* 6. Nauar. Sot. Viualdus, Medina, Henriq. Eman. Rodr g. *in explicat. Bullæ*. Petr. Cenedo, Valdes, Azor, Ant. Gomez, & alij, quos refert & ſequitur Fagundez, *in* 1. *Præcept. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 5. Probatur, quia præceptum Eccleſiæ obligat ad audiendam Miſſam, quoties abſq; detrimento aliquis poteſt: ergo vndecumque tollantur impedimenta, obligabitur, qui nullum prorſus impedimentum habet: ideo, qui in carcere detinetur, & ideo excuſatur ab audienda Miſſa ſi tamen à iudice concedatur illi licentia eundi ad Miſſam, tenetur vti ea licentia; quia iam non habet impedimentum: ergo ſimiliter in caſu noſtro ablato impedimento Interdicti per facultatem Bullæ, ſuccedit obligatio, quæ nunquam ablata fuerat, ſed impedimentum ab ea excuſabat. Confirmatur, quia ſi, interdicta ciuitate, media pars illius ob præclarum aliquod obſequium Eccleſiæ præſtitum abſolueretur ab Interdicto, obligaretur certè illa pars ad audiendam Miſſam: ſed in noſtro caſu omnes, qui Bullam accipiunt, ob obſequium Eccleſiæ præſtitum, liberantur ab interdicto, vel in toto, vel quoad maiorem partem; ergo obligantur ad Miſſam.

14. *Obijcitur.*

Obijciunt; qui habet priuilegium faciendi celebrare in Oratorio priuato ſuæ domus, non obligatur ad vtendum illo priuilegio, quando cogitur domo non exire, licet reuera poſſet tunc audire Miſſã; ergo nec in noſtro caſu, P. Suar. conceſſo antecedenti, negat conſequentiam: ſed difficile aſſignat differentiam inter vtrumque caſum. Quare conſequenter, & in rigore negandum videtur antecedens; quia in illo etiam caſu vrget præceptum audiendi Miſſam, quando abſque detrimento audiri poteſt. Et confirmatur, quia ſi die feſto iter agentes peruenirent ad Eremitorium, quod Epiſcopus approbauit, vt poſſet in eo celebrari, quis dubitat, quod ſi adeſſet Sacerdos, deberet ibi celebrare, vt ipſe, & alij ſatisfacerent præcepto Eccleſiæ? Cum ergo Oratoriũ domeſticum ſupponatur ab Ordinario, vel Papa legitimè approbatum, non excuſatur à præcepto audiendi Miſſam, qui in eo poteſt commodè Miſſam audire: præceptum enim non obligat ad Miſſam in Eccleſia audiendam, ſed ad Miſſam, vbicumque ea audiatur.

Reſpondet Suarez.

Melius reſpondetur.

Dices: ergo qui habet ex eadem Bulla Cruciatæ priuilegium, vt cum neceſſitate, & de Conſilio vtriuſque medici poſſit ſeruare ieiunium comedendo carnes, & in reliquo ſeruando requiſita ad ieiunium, obligabitur ad ieiunandum cum carnibus etiam, quando habet cauſam legitimam ad illas comedendas: nam, poſito illo priuilegio, poteſt iam iſte ieiunare, etiamſi carnes comedat, ergo obligatur præcepto ieiunij. 15. *Inſtantia.*

16. *Diluitur.*

Reſpondeo negando ſequelam; quod vt melius intelligatur, & aſſignemus rationem à priori noſtræ ſententiæ, & differentiam, quæ poteſt eſſe in eiuſmodi priuilegiis, aduertendum eſt, dupliciter poſſe per virtutem priuilegij reddi aliquem capacem obſeruationis præcepti, quod ſine illo priuilegio prius obſeruare non poterat. Primo, ſi conceſſio priuilegij mutet obiectum præcepti, & faciat, quod præcepto ſatisfiat per aliud opus, quod non erat in præcepto. Secundo, ſi non mutet obiectum præcepti, ſed priuilegium auferat impedimenta ad faciendum idem illud opus, quod prius præcipiebatur. Priori modo concurrit priuilegium in caſu poſito de ieiunio: facit enim, quod per aliud opus, quod non præcipiebatur, ſatisfiat præcepto ieiunij. Nam præceptum obligabat ad vnicam comeſtionem abſque carnibus; priuilegium facit, quod per aliud minus, ſcilicet, per vnicam comeſtionem carnium ſatisfiat illi præcepto. Tunc autem priuilegium non includit obligationem; quia præceptum de ſe non obligabat nec præcipiebat tale genus abſtinentiæ, vt ex communi ſententia ſuppono: ergo ſi imponeretur illa noua obligatio, imponeretur vtique per priuilegium, non per præceptum antecedens; & in hoc caſu verum eſt quod priuilegium non debet redundare in obligationem, & odium priuilegiati. Hac de cauſa, ſi aliquis habeat priuilegium anticipandi officium Diuinum ita vt hodie recitare totum poſſet officium craſtinum, & ita ſatisfacere præcepto: non tamen teneretur ad vtendum priuilegio, & anticipandum, etiamſi ſciret, ſe craſtina die habiturum impedimentum vel morbi, vel alterius generis, quod à recitatione excuſaret. Item qui haberet priuilegium in infirmitate commutandi officium Diuinum in Coronam B. Virginis, non teneretur vti illo priuilegio, etiamſi poſſet Coronam abſque incommodo recitare. Ratio eſt eadem, quia præceptum ſecundum ſe non obligat ad recitandum die præcedenti, ſed ad recitandum intra illam diem; neque obligat ad recitandam Coronam, ſed officium: ergo ſi priuilegium afferret obligationem recitandi die præcedenti, vel Coronam afferret obligationem ad obiectum nouũ, ad quod præceptum de ſe obligat.

Per virtutem priuilegij dupliciter poteſt reddi aliquis capax obſeruationis præcepti.

Quando priuilegium non inducat obligationem.

17. *Poſteriori modo ſe habet priuilegium quando non variat obiectum præcepti.*

Poſteriori autem modo ſe habet priuilegiũ, quando non variat obiectum præcepti, vt in caſu noſtro. Nam præceptum erat audiendi Miſſam die feſto: priuilegium autem non obligat ad aliud, ſed aufert id, quod impediebat audire Miſſam die feſto, & ea occaſione facit indirectè, quod præceptum, ablato impedimento obliget abſque excuſatione, Tale etiam eſt priuilegium illud celebrandi in Oratorio priuato: tale eſt priuilegium obtinendi abſolutionem à reſeruatis per Bullam Cruciatæ: quod qui habet, obligatur tempore debito ad vtendum illo priuilegio, & confitenda peccata reſeruata ante Communionẽ, quia ſi præceptum ſolum eſt confitendi ſua peccata proprio Sacerdoti potenti abſoluere; abſque priuilegio excuſaretur homo à Confeſſione reſeruatorum ob defectũ Sacerdotis potentis abſoluere: poſito autẽ priuilegio, non excuſatur: quia poteſt poni totum, quod præcipitur, & ſic in aliis ſimilibus, in quibus per priuilegium non obligamur ad aliquid aliud, ſed aufertur impedimentum ad illud idem, quod

præcepto

præcepto præſcribitur. Aduerto denique, licet Suar. dicat, contrariam ſententiam circa Miſſam non eſſe practicè probabilem, hodie tamen tot Auctoribus eam amplectentibus, non poſſe improbabilitatis etiam practicè notari.

18. *Quæritur ſeptimo de iter agentibus.* Quæritur ſeptimo, an iter agentes, & peregrini, qui tranſeunt per locum, in quo eſt feſtum, obligentur ad audiendam Miſſam, ſi in loco, à quo veniunt, & ad quem progrediuntur, non ſit feſtum? Hæc quæſtio generalis eſt ad omnia præcepta quomodo obligent viatores, & peregrinos; quam hic ex profeſſo tractare non poſſumus: de qua videri poſſunt Suar. *de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 54.* Thom. Sanch. *de Matrim. lib. . diſp. 18. & lib. 1. in Decalog. cap. 12.* Fagundez *de 1. præcepto, lib. 1. c. 7. & 8.* qui latè de hoc tractant, & alij, quos congerit Diana *1. tom. tract. de Legib. reſolut. 1. 14. & 15.* Ex quibus pro noſtra materia infertur, ſatis probabile eſſe, quod illi ad minus, qui ſunt in tranſitu in aliquo loco prandendo v.g. vel pernoctando, non obligentur ad feſtum proprium illius loci, quod in loco ſui domicilij non obſeruatur. Quanta autem commoratio exigatur, vt obligentur ad ſeruandum ibi illud feſtum, variè ſentiunt prædicti Doctores, qui videri poſſunt: eſt enim quæſtio ſatis diffuſa, & generalis, quæ magis pertinet ad tractatum de Legibus.

Suarez. Sanchez. Fagundez. Diana.

SECTIO II.

De præſentia, intentione, & attentione requiſita ad Miſſam audiendam.

19. *Certũ eſt requiri aliquam præſentiam humanam.* Certum eſt, requiri præſentiam aliquam humanam: certum item eſt, non requiri, quod viſu percipiatur, vel auribus verba audiantur: nam cæcus, vel ſurdus adhuc Miſſæ aſſiſtit, & ſatisfacit præcepto. Si tamen aliquis incipiat Miſſam audire, & poſtea etiam inuoluntariè dormiat per notabilem eius partem, non ſatisfacit præcepto, vt cum aliis docet Thom. Sanch. *2. tom. Conſilior. lib. 7. cap. 1. dub. 13.* Imo addunt aliqui, ſi aliquis, dum Miſſam audit, raptum, vel ecſtaſim patiatur, qua ab omni ſenſuum vſu alienatus ſit, non ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam; quia neque illa eſt præſentia humana, qualis exigitur: ita Luyſius Turrian. *in Selectis p. 1. diſp. 16. dub. 7.*

Sanch. Turrian.

20. *Dubitatur an debeat videri Sacerdos, ita non audiens. Reſpondetur negatiuè.* Dubitari poteſt primo an requiratur, quod aliquis eo ſit in loco, vnde licet non audiat, videre tamen poſſit Sacerdotem, & ea, quæ in Miſſa aguntur. Reſpondetur negatiuè: nam qui in magna populi frequentia eſt poſt aliquam columnam, qua impeditur à videndo altari, verè aſſiſtit illi Sacrificio: vt notat Fagundez *lib. 1. c. 7. n. 2.* & indicat Gaſpar. Hurtado *in præſenti, diſp. 5. difficult. 1.* dicens, intelligi aſſiſtentiam humano modo, qua quis aſſiſtat, *vel audiendo, vel videndo, celebrantem, vel ſaltem ita comitando, vel ſociando alios videntes, aut audientes, quatenus ita ſit extra Eccleſiam (vt contingit, quando locus, in quo Miſſa celebratur, non capit multitudinem confluentem ad audiendam Miſſam) vt ex ſignis, & geſtis aliqua Miſſa colligi poſſit, & ad multitudinem aſſiſtentium cenſeatur moraliter pertinere.* Quod explicare poſſumus per id, quod diximus, *diſput. 4. ſect.* poſſe ſcilicet aliquam materiam cenſeri præſentem, vt poſſit conſecrari, quando licet ipſa non videatur, coniungitur aliis partibus, quæ videntur, & ideo tota materia cenſetur ſufficienter præſens, dum tamen ſit intra ſphæram diſtantiæ talem, vt non repugnet ratione diſtantiæ, quod demonſtretur illo Pronomine, *hoc*, vt ibi explicuimus. Sic ergo in præſenti poterit aliquis dici præſens Miſſæ; quando eſt pars multitudinis, quæ dicitur præſens, & coniungitur moraliter cum aliis, qui ſunt in conſpectu altaris; dum tamen diſtantia etiam tanta non ſit, vt iam extrahat illum ab humana præſentia. Non ſufficit ergo, eſſe aliquem intra eandem Eccleſiam v. g. ſi in aliquo altari fiat Miſſa priuata in Baſilica Romana S. Petri, non ſufficit, ſi aliquis intra eandem Eccleſiam habeat intentionem audiendi illam Miſſam, quam ſcit tunc dici in aliquo loco eiuſdem templi: ſicut nec è contra requiritur eſſe intra Eccleſiam, vt audiri poſſit Miſſa, quæ in ea dicitur: ſed totum hoc regulandum eſt per prudentis arbitrium ad iudicandum, an homo dicatur moraliter præſens illi actioni, ita vt humano modo dicatur illi aſſiſtere. Ad hoc autem, vt dixi, non requiritur videre altare: nam Religioſi, qui in Choro cantant, non vident Sacerdotem, iuxta vſum Romanum, vbi Chorus Regularium haberi ſolet poſt altare maius, muro interpoſito: & tamen ſatisfaciunt præcepto; quia reuera aſſiſtunt moraliter illi Sacrificio, & vident partem poſteriorem altaris Choro correſpondentem.

Explicatur per id quod ſupra diximus. *Poterit dici aliquis præſens Miſſæ, quando eſt pars multitudinis.*

21. *Infertur quid dicendum ſit de eo qui videt Sacerdotem è feneſtra domus.* Vnde obiter infero, quid dicendum ſit de illo, qui ex feneſtra, quam domi habet, videt Sacerdotem in Eccleſia ex aduerſo celebrantem; an hic eſt feneſtra aſſiſtat ſufficienter, & ſatisfaciat præcepto. Negare enim videtur Filliuc. *tom. . tract. 5. cap. 7. n. 209.* cui ſubſcribit Diana *tom. . mox edendo in tract. Miſcellaneo.* Quod quidem verum iudicarem, quando inter feneſtram, & Eccleſiam intercedit platea, aut via nimis lata, quæ altare multum remotum reddat à feneſtra: non placet tamen in vniuerſum, quia poteſt contingere, eſſe adeo vicinam feneſtram altari, vt moralem præſentiam non impediat; prout de facto in hoc noſtro Collegio Romano habemus Sacellum priuatum, cuius altare à feneſtris domus aduerſæ non pluſquam 30. paſſus diſtat, & perinde ab illa feneſtra audiri poteſt, vel percipi Miſſa, licet via publica intercedat, ac ſi intra Eccleſiam paruam audiretur ab aliquo ibi exiſtente. Videtur autem fauere huic doctrinæ P. Iac. Gordonus *tom. 2. Theolog. Moral. lib. 6. q. 7. c. 1. §. 3. n. 12.*

Filliuc. Diana. Gordon.

22. *An qui confitetur ſacramentaliter ſit humano modo præſens.* Dubitatur ſecundo, an ſit humano modo præſens, & præcepto ſatisfaciat, qui eo tempore confitetur ſacramentaliter. Suppono autem, non eſſe neceſſariam Confeſſionem, ita vt excuſet ab obligatione audiendi Miſſam; ſed poſſe vel differri, vel certe poſtea aliam Miſſam audiri. Martinus Bonacina *diſp. 4. de Euchariſt. q. vlt. de Miſſæ Sacrificio punct. 11. n. 16.* prius docuerat partem affirmantem; poſtea re melius conſiderata, docuit negantem cum Suarez *diſput. 88. ſect. 6. verſ. Septimum caput*; Azor. *1. p. lib. . c. 7. quæſito 8.* Quibus accedit poſsiſſime P. Iac. Gordonus *loco ſupra citato, num. 16* quod videtur omnino tenendum: quia quod actio, quæ fit, ordinetur ad obſequium Dei, non facit illam compatibilem cum auditione Sacri: alioquin poſſet quis, dum audit Miſſam, conſulere Patrem ſpiritualem, vel Theologum circa caſus ſuæ conſcientiæ, poſſet inſeruire ægroto, ſternere ei locum, & his ſimilia. Non ſufficit ergo pietas actionis, ſi tamen ſit talis, vt excludat attentionem ad Miſſam: nam licet tunc poſſit quis recitare Horas, vel alias orationes; non poteſt exercere actionem externam, quæ impediat cultum externum ſacrificandi, ſeu oſtendendi ſe aſſiſtentem Sacrificio, & cooffereotem cum Sacerdote.

23. *Præter præſentiam requiritur intentio audiendi Miſſam.* Præter præſentiam requiritur etiam intentio audiendi ſacrum: nam licet quis velit manere in Eccleſia ad expectandum amicum, dum fit ſacrum, non ſatisfacit præcepto, ſi non habet intentionem audiendi illam Miſſam. Hæc autem intentio non terminatur

naſcitur ſolum ad actionem externam; hanc enim etiá volebat ille alius; ſed vlterius terminatur ad oblationem Sacrificij: vult enim homo offerre cum Sacerdote illud Sacrificium, ſeu particeps eſſe & communicare actiuè, media ſua aſſiſtentia, oblationi illius Sacrificij, orationibus, & aliis, quæ Sacerdos peculiariter nomine aſſiſtentium dicit.

Ille etiam ſatisfacit præcepto qui venit ad audiendam Miſſam ex fine malo.

Hinc infero primo, ſatisfacere præcepto illum, qui ea voluntate mala, & peccaminoſa videndi fœminam ad finem turpem, venit ad audiendam Miſſam: nam licet peccet contra præceptum caſtitatis ponit totum, quod requiritur ad præceptum audiendi Miſſam. Item qui venit ex metu patris, vel domini, aut magiſtri, aliàs nō auditurus Miſſam: nam hic etiam ponit re ipſa totum, quod præcipitur, ſi iam in Eccleſia poſitus velit audire Miſſam. Si enim interius repugnaret, & nollet conſentire auditioni Miſſæ, iam illa non eſſet actio humana, nec vellet implicitè offerre illud Sacrificium.

24\.
Ille enim qui ignorat eſſe præceptum & audit, verè ſatisfacit.

Infero ſecundo, illum, qui ignorat eſſe præceptum audiendi Miſſam, vel non vult ſatisfacere præcepto in hac Miſſa, ſed poſtea audire aliam, vt ſatisfaciat, ſi tamen verè vult audire hanc, eo ipſo ſatisfacere præcepto, quia ad hoc non requiritur velle ſatisfacere, ſed ponere ſolum id, quod præcipitur, vt notant communiter Theologi. Nec neceſſe eſt poſtea reuocare voluntatem, & velle ſatisfacere præcepto per primam Miſſam, vt indicauit Suar. *in præſenti, diſp.* 88. *ſect.* 3. qui illud ea parte moderatus eſt *to.* 2 *de Relig. lib.* 4. *de Horis Canonic. c.* 26. *n.* 10. *& ſequentib.* docens, mutationem voluntatis non requiri ad realem adimpletionem præcepti: iam enim re ipſa præceptum fuerat impletum; ſed ne peccet ille affectiuè per affectum violandi præceptum, quatenus eſt ex ſe. Cæterum nec ad hoc requiritur illa voluntas contraria: nam ſi aliquis cum intentione audiendi aliam Miſſam, nollebat ſatisfacere præcepto in prima; poſtea vero aduertens, ſe, non obſtante illa intẽtione, ſatisfeciſſe iam præcepto, non audiat aliá, nullo modo peccat etiam peccato violationis affectiuæ, licet nullam voluntatem habeat ſatisfaciendi præcepto per Miſſam auditam: videt enim, ſe non poſſe violare illud præceptum audita ſemel Miſſa: vnde ergo habet affectum violandi illud?

Suarez.

25\.
Difficultas eſt in determinanda attentione requiſita.
Duplex intentio, externa & interna.

Vltimo loco dicendum reſtat de attentione quæ præter intentionem requiritur ad obſeruantiam huius præcepti: eſt autem eadem quæſtio de attentione debita ad recitandum officium. Et quidem omnes concedunt, requiri attentionem aliquam. Difficultas tota eſt in determinanda attentione requiſita. Eſt enim duplex attentio: altera externa, altera interna. Externa conſiſtit in negatione diſtractionis externæ, id eſt, alicuius negotij, vel occupationis externæ, quæ ex ſe diſtrahere debeat mentem ab auditione Miſſæ: v. g. ſi quis in Miſſa depingere vellet, vel legere hiſtoriam, aut quæſtiones ſpeculatiuas, confabulari, ludere, & ſimilia: tunc non haberet attentionem externam. Attentio interna conſiſtit in applicatione interna mentis ad Miſſam, vel horas: quæ aſſignari ſolet triplex: prima infima ad verba integrè proferenda ſuo debito ordine: ſecunda melior, ad ſenſum verborum: tertia optima, ad effectum hoc eſt, ad Deum, & ad res Diuinas contemplandas.

26\.
Prima ſententia docet requiri ſub præcepto graui vtramque.
Suar.
Vaſquez.

His ſuppoſitis, prima ſententia ſatis communis docet, requiri ex præcepto graui attentionem non ſolum externam, ſed internam: quare peccare mortaliter, qui voluntariè internam mentis euagationem, & diſtractionem per partem Miſſæ, vel officij notabilem haberet. Hanc tenent Suar. *d. lib.* 4. *de Horis Can. c.* 26. Vaſquez *in* 1. 2. *tom.* 2. *diſp.* 160. *num.* 30. *&* 31. & *in Opuſculis, tract. de Beneſic. c.* 3. §. 1. Sotus Nauarrus, Medina, Malderus, Nauarra, Caietan. Viguerius, & alij innumeri, quos refert Diana 1. *tom. tract. de Horis Canonicis, reſolut.* 1. Thom. Sanchez *in Opuſ. tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 28. imo Turrianus *in Selectis diſp. Centur.* 4. *in Cenſuris, dub.* 28. *& a p. diſp.* 31. *dub.* 15. contrariam ſententiam improbabilem, & perniciosam appellat. Sed iam nouit hunc Auctorem excedere in huiuſmodi cenſuris.

Diana.
Turrian.

Contrariam enim ſententiam docuerunt non ſolum Recentiores, ſed antiquiores multi, & grauiſſimi: Syluest. verb. *Miſſa* 2. *quæſt.* 6. Durand. Ioan. de Medina, S. Antoninus, Angelus, Paludan. Roſella, Ioan. Valerus, & alij, quos congerit & ſequitur idem Diana *loco citato.* Eandem docent Ægid. Coninch. *in præſenti, quæſt.* 83. *art.* 6. *n.* 191. Gaſpar Hurtado *in præſenti, diſp.* 5. *difficult.* 2. & probabilem dicit Leſſius *lib. de iuſtit. cap.* 37. *dub.* 2. *n.* 63. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *in* 5. *Gloſſa, lit. P.* Victorellus in Summam Toleti. Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *lib.* 5 *n.* 10. Vnde non videntur ſibi cohærere, quæ Fagundez dicit de hac ſententia *dict. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 6. vbi ait: *Sunt aliqui nouiores, qui exiſtimant, eos, qui inter ipſum ſacrum ſponte diuagantur mente, & cogitatione, non attendendo ad Miſſá, ſatisfacere præcepto, &c. Hi autem ſunt Durandus, Paludanus, Roſella, Angelus, D. Antoninus ſumma Piſana, & Sylueſter.* Hæc Fagundez, apud quem ſi hi nouiores appellantur, non ſcio, qui venirent nomine antiquiorum, niſi fortaſſe Plato, Pythagoras, & Zeno. 27.

Contrariam ſententiam docuerunt multi
Syluest.
Coninch.
Hurtado.
Leſſius.
Henriq.
Victorel.
Fagund.

Non magis cohærent, quæ in hoc puncto docet Sanch. *loco ſupra citato:* nam, *n.* 6. *verſus finem,* dicit, orationem etiam ſine vlla attentione eſſe actum religionis, quoad ſubſtantiam: quod quidem *n.* 19. non negat, ſed iterum concedit, & negat conſequentiam. At vero *n.* 9. vt probet ſuam ſententiam, dicit orationem ſine attentione non eſſe orationem, ſed merum ſonum: quomodo enim poteſt eſſe merus ſonus, ſi ipſe fatetur, eſſe verum actum religionis quoad ſubſtantiam? 28.

Sanch.
Non magis cohærent quæ in hoc puncto docet Sanch.

Hinc ergo deſumitur præcipua ratio pro hac ſententia, quam ego etiam probabilem exiſtimo, quia potiſſimum fundamentum, quo Auctores contrariæ ſententiæ vtuntur, loquentes de Horis Canonicis, conſiſtit in hoc, quod attentio eſt de ſubſtantia orationis, ita vt abſque attentione non ſit ſubſtantialiter oratio, vt contendit Suar. *illa c.* 26 *n.* 13. & alij communiter: hoc autem principium videtur non ſolum gratis, ſed falſo ſupponi. Omnes enim debemus fateri, orationem poſſe ſubſtantialiter conſiſtere abſque attentione actuali interna, quod quidem multis rationibus probare poſſumus. 29.

Hinc deſumitur præcipua ratio huius ſententia.
Suar.

Primo, à poſteriori: quia ſi defectus attentionis mentalis tolleret ſubſtantiam orationis: ergo ſi Sacerdos miniſtrans Sacramentum Extremæ-Vnctionis admitteret ſponte aliquam mentis euagationem, quando profert verba formæ: *per iſtam ſanctam vnctionem,* &c. Sacramentum non eſſet validum, licet ipſe ab initio habuiſſet intentionem conferendi Sacramentum, nec eam vnquam reuocaſſet. Probo ſequelam; quia forma illius Sacramenti debet eſſe deprecatoria, per quam miniſter oret caterius, vt colligitur ex verbis illis Iacobi Apoſtoli: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ, orent, &c. & oratio fidei ſaluabit infirmum,* &c. Vbi ergo non eſt oratio, non manet ſubſtantia illius Sacramenti: ergo ſi defectus attentionis internæ tollit ſubſtantiam orationis, non manebit Sacramentum validum. Conſequens autem non exiſtimo concedendum ab aduerſariis, nec poſſe abſque maximo abſurdo concedi; eſſet enim contra doctrinam generalem omnibus Sacramentis, ad quorum valorem ſolum exigitur prolatio formæ ſuper debitam materiam à miniſtro habente poteſtatem 30.

Primo probatur à poſteriori ex abſurdo.
Qui enim miniſtrando Extremam Vnctionem proferret formam diſtractus, non conferret Sacramentum.

poteſtatem cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia; quæ omnia tunc darentur. Nam intentio, propriè loquendo diſtinguitur ab attentione, vt ſupponit etiam ipſe Suar. *d. c. 26. n. 5.* alioquin nulla eſſet quæſtio: omnes enim ſupponimus non ſatisfieri præcepto ſine intentione audiendi Miſſam: poteſt ergo manere intentio ſubſtantialiter abſque attentione: & in eo caſu dicimus, fore veram orationem ſubſtantialem, licet defectuoſam, quoad illam reuerentiam attentionis.

Suarez.

31. *Probatur ratione à priori.* Secundo probatur idem aſſumptum à priori; quia orare eſt loqui cum illo, quem oramus, repræſentando ei noſtra deſideria: poſſum autem ego ſubſtantialiter loqui cum aliquo etiam cum actuali mentis euagatione voluntaria; ergo poteſt conſiſtere ſubſtantialis oratio ad Deum cum eiuſmodi diſtractione mentis. Minor probatur, quia ſi ego ex ſcripto, vel etiam memoriter velim exorare Regem, poſſum quidem id facere legendo orationem coram ipſo ad hoc ipſum compoſitam, vel recitando memoriter, ſi eam bene poſſideo, etiam cum diſtractione mentis ad alia, dum lego, vel recito: certum eſt autem, quod tunc oro Regem, ſi verè habeo intentionem orandi, & loquendi, & hoc ipſum ei manifeſto. Ergo ſi cum eadem intentione Deo manifeſtata recito, vel lego preces, vel orationem ad hoc compoſitam, verè, & ſubſtantialiter oro; quia verè manifeſto per illas voces deſideria interna, quæ habeo, vel habui, ſicut quando alloquor Regem in caſu ſupra poſito.

32. *Confirmatur primò.* Confirmatur primo; quia ſi ego eo modo alloquerer excommunicatum vitandum, recitando illi orationem ſcriptam, & compoſitam ad eum mouendum & cum ea intentione, nemo dicet, quod non contraherem excommunicationem ob communicationem prohibitam, & loquutionem cum illo etiamſi ſponte diſtractus eſſem, & cogitarem interius de aliis obiectis: ergo illa eſt vera & ſubſtantialis loquutio humana.

33. *Confirmatur ſecundò.* Confirmatur ſecundo, quia quando miniſter profert formas aliorum Sacramentorum, licet non oret, verè tamen loquitur: & quidem in Baptiſmo, & Abſolutione, Confirmatione, & Ordine, loquitur cum illo, qui recipit Sacramentum: *Baptizo te, Abſoluo te; Accipe poteſtatem*, &c. & tamen valida erit collatio Sacramenti, ſi cum debita intentione accedat miniſter, licet poſtea diſtractionem mentis habeat ſponte; ergo manet loquutio humana ſubſtantialiter abſque ea attentione, & per conſequens poterit dari ſubſtantialiter loquutio cum Deo per voces externas. Et quidem mirum eſſet, quod Sacerdos ipſe etiam voluntariè diſtractus adhuc ex intentione non reuocata validè conſecraret, & offerret Sacrificium: alij verò audientes non offerrent Sacrificium, ſi voluntariè diſtraherentur in mente.

34. *Confirmatur tertiò.* Confirmatur tertio; quia ſi quis accedat ad emittenda vota profeſſionis ſolemnis in religione, & ad hunc finem cum intentione debita velit recitare formulam Profeſſionis ſcriptam in libro, Profeſſio erit vtique valida, licet diſtractionem voluntariam inter recitandum admitteret, dum tamen intentionem non reuocaret: quis hoc neget; ergo poteſt manere ſubſtantialiter loquutio humana abſque attentione, alioquin non eſſet profeſſio valida niſi eſſet vera loquutio externa, & humana, qua aliquis manifeſtet ſuam obligationem internam: ergo poterit etiam loqui cum Deo exterius cum ſimili diſtractione: imo quando Votum emittit, cum Deo loquitur cum dicat: *Voueo tibi poteſtatem, caſtitatem*, &c.

35. Confirmatur quarto; quia ſicut oratio vocalis eſt manifeſtatio mentis interna: ita adoratio externa eſt nota ſummiſſionis internæ, vt omnes fatentur, & diximus latè *diſp. 5. de Incarnat.* & tamen ſi aliquis voluntariè diſtractus per alias internas cogitationes adhuc velit proſequi actum externum adorationis, v. g. genuflexionem, vel capitis humiliationem ad ſignificandam ſummiſſionem internam; exercet verum & ſubſtantialem actum adorationis: ergo eodem modo exercebit actum ſubſtantialem orationis, ſi proſequatur recitationem externam ad ſignificandam Deo ſuam mentem & ſua deſideria.

Confirmatio quartò.

36. *Ad hoc ipſum applicatur argumentum factum à P. Coninck.* Tertio addere poſſumus, ſeu ad hoc ipſum applicare argumentum, quod vrget bene P. Coninck *loco citato*; quia ſi diſtractio interna voluntaria obſtat ſubſtantiæ orationis, & actionis, non minus obſtaret diſtractio inuoluntaria; ſicut ſomnus, ſiue voluntarius, ſiue inuoluntarius ſit, obſtat, ne ſatisfiat præcepto audiendi Sacrum: nam etiamſi præceſſerit voluntas attendendi; poſtea tamen non attenditur: vel ſi poteſt manere ſubſtantia orationis non attendendo actu ad Deum, poterit manere eadem ſubſtantia, licet negatio attentionis ſit voluntaria. Suppoſito ergo, quod diſtractio interna non tollat ſubſtantiam orationis externæ, conſequens iam videtur, ſatisfieri ſubſtantialiter præcepto Eccleſiæ, licet quis recitet, vel aſſiſtat Miſſæ cum eiuſmodi diſtractione interna: nam ponitur ſubſtantialiter totus actus præceptus. Solum poſſet obſtare, quod Eccleſia videatur non ſolum præcipere orationem, ſed etiam attentionem; ad quod affertur communiter c. *Dolentes, de celebrat. Miſſar.* in quo præcipitur, vt officium Diuinum celebretur ſtudioſè pariter, & deuotè; quod videtur ſignificare deuotionem internam.

37. *Ingenuè fatetur Suarez, nõ poſſe deſumi efficax argumentum contra noſtram ſententiam.* Sed P. Suar. ingenuè fatetur *n. 131.* ex illo textu non poſſe deſumi efficax argumentum contra noſtram ſententiam, quia poteſt probabiliter explicari, vel de oratione, quæ fit in Choro cantando, vel de deuotione, & attentione externa. Et quidem merito P. Suarez illud commune fundamentum reliquit, quia poteſt in primis retorqueri, cum ibi non tam attentio, quam deuotio præcipiatur; & tamen certum eſt, non requiri ex præcepto deuotionem internam, quæ non pertinet ad intellectum, vt attentio, ſed ad voluntatem, quæ ſit affecta, & prompta ad bonum. Secundo, quia eiſdem verbis vtitur Concil. Trid. *ſeſſ. 24. c. 12. circa finem*, vbi dicitur: *Quod Canonici compellantur in Choro hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè deuotéque laudare*: vbi tamen certum eſt, ſermonem eſſe de ſola reuerentia, & deuotione externa, ad quam ſolam, & non ad internam obtinendam deſeruire poterunt pœnæ, & media, quibus debent compelli, quando delinquunt. Tertio denique, textus ille non loquitur de audiente Miſſam, ſed de recitante, vel canente Officia diuina: ergo ex illo non poſſet argui obligatio ad attentionem internam, vt ſatisfiat præcepto Miſſæ.

Conc. Trid.

38. *Aliunde ergo primo arguunt.* Aliunde ergo ratione arguunt primo, ad probandam illam obligationem; quia negari non poteſt, quod Eccleſia poſſit præcipere, & de facto præcipiat veram orationem, non legere illa verba materialiter, ſed orando. Poteſt ergo præcipere actus internos; qui neceſſarij ſunt ad orandum: nam licet actus internos ſecundum ſe non poſſit præcipere, poteſt tamen illos præcipere prout ſunt forma, vel requiſitum actus externi, qui præcipitur.

Reſpondetur. Reſpondetur, Eccleſiam poſſe præcipere quidquid requiritur, vt actus externus ſit obiectiuè honeſtus, & virtuoſus: nam lex debet eſſe de obiecto

externo

externo, & viſibili bono, non de obiecto indiffe- renti, qualis eſſet mera lectio illorum verborum. Præcipit ergo Eccleſia veram orationem, quidquid aliqui falsò negauerint; præcipit aſſiſtentiam religioſam, ſeu cultum Dei per oblationem Sacrificij: & per conſequens intentionem orandi, aſſiſtendi, offerendi; ſine qua actus externus non eſt cultus externus Dei. Ad hoc autem non requiritur, vt vidimus, attentio interior, cum ſine illa poſſit eſſe oratio, & verus cultus religioſus Dei. Quamvis ergo Eccleſia illam etiam attentionem internam poſſet præcipere, non deberemus de facto id aſſerere, cum ſolum præcipiatur cultus religioſus Dei, orando, vel aſſiſtendo Miſſæ, quod licet non ita perfectè, poteſt tamen quoad ſubſtantiam dari abſque attentione interna.

39. *Argument ſecundo.* Secundo arguunt, quia oratio eſt eleuatio mentis in Deum: ergo ſi præcipitur vera Oratio, præcipitur vera eleuatio mentis in Deum: ergo prohibetur diſtractio mentis, quæ impediat omnino illam eleuationem. Hoc argumentum probat, vt vidimus, non ſolum diſtractionem voluntariam, ſed etiam inuoluntariam tollere ſubſtantiam orationis: quia non minus per hanc, quam per illam tollitur eleuatio mentis in Deum. Quamvis enim maneat quaſi affectiuè eleuatio ex vi voluntatis prioris: non tamen manet eleuatio actu, & effectiuè: ac per conſequens dicetur homo affectiuè, non cum effectu orare, quando recitat diſtractus, etiam ſine culpa. Omnes ergo debemus dicere, orationem eſſe eleuationem mentis in Deum eo modo, quo adoratio eſt nota ſummiſsionis. Sicut enim adoratio interna eſt nota interna ſummiſsionis, & adoratio externa eſt nota externa ſummiſsionis; ad quod non requiritur, quod nunc ſit actu explicitè ſubmiſsio interna; poſſumus enim per genuflexionem præſentem ſignificare ſummiſsionem internam, quam habuimus explicitè paulò ante, quando nos applicuimus ad totam illam actionem exercendam: ſic oratio interna eſt eleuatio interna actualis: oratio vero externa eſt ſignum externum eleuationis internæ, ſiue præſentis, ſiue præcedentis, quam volumus ſignificare per illas voces. Et hoc quidem neceſſarium eſt, quotieſcumque eſt vera oratio, & non ficta, qua fingimus non deſiderare in corde aliquid à Deo, quod reuera non deſideramus.

Hoc argumentum nimis probat.

Dices, impoſsibile eſſe, quod aliquis actu oret exterius, quin etiam interius de eodem obiecto cogitet: nam motus ille labiorum, & prolatio vocum debet procedere ex aliquo imperio actuali voluntatis: labia enim non poſſunt ſe à ſeipſis mouere: voluntas autem imperans illum motum, debet habere aliquem finem: non poteſt autem habere alium, niſi vt exprimat, & ſignificet per voces externas id, quod in corde deſiderat: ergo quoties oratio vocalis continuatur humano modo, datur attentio interna, vel certè, ſi ceſſat talis attentio, prolatio vocum non erit amplius oratio, quia non procedet ex intentione loquendi, & exprimendi Deo deſideria, ſed ex alio fine diuerſo. 40. *Inſtantia.*

Reſpondeo, hoc argumento probari, non ſine fundamento dixiſſe P. Ægid. *n.* 101. re ipſa conuenire multos ex aduerſariis, & ſolum de nomine videri diſſenſum. Exigunt enim attentionem internam, ſed ſolum ad verba & talem, vt ſufficiat, ne aliquis ſe exponat periculo malè, ac perturbatè verba pronuntiandi, aut omittendi; quæ certè attentio haberi poteſt ab eo, qui etiam voluntariè cogitaret tunc de quæſtione aliqua metaphyſica, vel alia re ſimili. Fatemur ergo, quoties oratio vocalis continuatur, dari aliqualem attentionem internam: ſed hæc eſt aliquando adeo tenuis, vt merito nolint eam aduerſarij aliqui vocare attentionem: quia quando exigunt attentionem ex obligatione, intelligunt de attentione magis formali, & explicita; quam tamen nos dicimus non poſſe voluntariè omitti abſque culpa veniali propter irreuerentiam, quæ intercedit, ſi Deum alloquaris exterius, mente omnino ad alia diſtractus; non tamen conſtare de obligatione ſub peccato mortali, cum adhuc maneat ſubſtantialiter oratio, quod à fortiori procedit in auditione Miſſæ, in qua minus videtur requiri ad aſſiſtentiã humanam. 41. *D. limitur.*

Et hæc dicta ſint ſatis de Venerabili Euchariſtiæ Sacramento ad eius gloriam ſempiternam: quæ omnia S. Romanæ Eccleſiæ cenſuræ iudicioque ſubiecta ſint.

Finis Tractatus de Sacramento Euchariſtiæ.

INDEX

INDEX

Rerum, & Verborum, quæ in hoc Opere de Sacramentis in communi, & Euchariſtia continentur.

Primus numerus paginam, ſecundus numerum deſignat.

A

Abyſſini.

De ABYSSINORVM matrimonio quid ſit dicendum. pag. 135. num. 125

Abſolutio.

Abſolutio eſt inualida ſi Sacerdotis abſoluentis intentio feratur in aliquod peccatum in confuſo. 233. 135

Abſurda.

Abſurda varia quæ colliguntur ex dogmate hæreticorum circa Baptiſmum. 56. 12

Acceptatio.

Acceptatio mutua corporum non eſt forma Sacramenti Matrimonij. 14. 23

Deus ſtatuit non acceptare ad iuſtificationem, niſi Sacramentum, vel eius deſiderium quaſi vicarium. 216. 26

Acceptatur à Deo ſpecialiter contritio loco Baptiſmi, quia eſt deſiderium illius, non autem in eo ſenſu acceptatur prout eſt deſiderium reſtitutionis. ibid.

Accidentia.

Accidentia quæ dependent ab vno loco non poſſunt replicari replicato ſubiecto. 88. 59

Quæ Accidentia remaneant quando ſpecies corrumpuntur. 201. 157

Quæ Accidentia Chriſti ponantur in Euchariſtia. 313. 20

Quæ Accidentia panis & vini remaneant in Euchariſtia, & quomodo. 331. 1

Accidentia illa in ſola quantitate immediatè ſubiectantur. ibid.

Actio.

Actio illa externa adhibita in remedium paruulorum in lege naturæ habuit ex lege Dei effectum infallibilem iuſtificandi puerum. 51. 55

Actio externa Sacramentalis mouet immediatè Deum. 68. 84

Actio externa, qua petitur aliquid, non meretur immediatè, ſed impetrat. ibid.

In Actione Sacramentali facta nomine Chriſti, Chriſtus non meretur per illam, ſed potius quaſi nobis impetrat gratiam. 69. 89

Actiones Sacramentales debent eſſe humanæ. 130. 101

Quid requiratur ad hoc vt actio ſit humana. ibid.

Actio tranſſubſtantiatiua eſt partialiter vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus. 195. 98

Ad continentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus requiritur primò Actio, qua corpus Chriſti ſupplet actiuè concurſum panis paſſiuum. 268. 19. Secundò requiritur alligatio cum ſpeciebus orta ex vi quadam diuinitus ſpeciebus impreſſa ad trahendum ſecum corpus Chriſti. 269. 26

Omnis Actio in ſua entitate eſt accidentalis. 296. 129

Adamus.

Adamo non peccante, ex vi præſentis decreti nulla fuiſſent Sacramenta. 43. 13

Adultus.

Adultus recipiens Baptiſmum, debet habere conſenſum poſitiuum. 174. 115

Adulti olim poſt Baptiſmum prius accedebant ad Euchariſtiam, quàm ad pœnitentiam. 178

Albedo.

Duæ Albedines, penetratæ in eodem ſubiecto non facerent duo alba. 201. 16

Altare.

Altare duplex fixum, & mobile. 532. 67. Quid dicendum ſit de altari portatili. 534. 72. Quid requiratur neceſſario in altari, an reliquiæ. 75

Amens.

Amentes an ſint capaces Euchariſtiæ; qui & quando. 399. 24

Angelus.

Angelos non poteſt cognoſcere naturali virtute actualem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, 344. 29. Poteſt tamen Chriſti exiſtentiam cognoſcere. 30

Angeli ſunt capaces alicuius Characteris ſpiritualis, non tamen Chriſtus. 103. 65

Angelus ſi aliquod Sacramentum miniſtraret habendum eſſet pro valido. 114. 4

Anima.

Anima ſeparata non poteſt miniſtrare Sacramenta, licet retineat characterem. 113. 2

Animus.

Animus tantum contrahendi ad tempus, non ſufficit ad matrimonium. 135. 128

Annihilatio.

Ad Annihilationem requiritur quod res quæ deſinit non maneat in potentia ſubiecti. 308. 203

Eſſe vel non eſſe Annihilationem, eſt denominatio extrinſeca. 309. 210

Aqua.

Aqua immediatè conuertitur in ſanguinem, non verò in vinum. 219. 44

Cùm experientia conſtet Aquam poſſe ſeparari à vino, certum eſt non eſſe in vinum conuerſam, immo nec

omnes eius partes naturaliter poſſe conuerti. 62.55

Quid dicendum ſit ſi gutta Aquæ in calicem mittatur poſt inchoata verba conſecrationis. 224.71

Attritio.

Attritio ſufficit vt tollatur obex à virtute Baptiſmi, & remittantur peccata præcedentia Baptiſmum. 163.52

Attritio vna acceptatur à Deo tanquam diſpoſitio congrua ad plures effectus gratiæ quando concurrunt plura Sacramenta. 170.90

Aurora.

Quid Auroræ nomine intelligatur pro Miſſa celebranda: 527.51

B

Baptiſmus.

Quomodo BEatiſſima Virgo fuerit baptizata, 37.37

Ad Baptiſmum non requiritur inſtructio, contra hæreticos. 45.79

Variæ mutationes formæ Baptiſmi. 51.112

Baptiſmus à quocumque detur eſt actio Chriſti. 49.43

Baptiſmi excellentia ſupra Circumciſionem. 93.87

Baptiſmi character deſignat ſeruum & domeſticum Chriſti. 95.11

Baptiſmi character non intenditur per characterem Confirmationis. 105.78

De Baptiſmo Geneſij quid dicendum ſit. 119.40

Baptiſmus ſublato obice confert ſuum effectum. 158.23

In quo Baptiſmus æquiparetur martyrio. 160. 56 & 168.80

Baptiſmus quid tollat directè, quid indirectè. 165.59

Qui differt Baptiſmum vſque ad mortem etiam culpabiliter, per accidens melioris conditionis eſt. 168.80

Aliud eſt velle Baptiſmum, aliud propoſitum Baptiſmi. 106.16.

Baptiſmus eſt ianua aliorum Sacramentorum. 195.5

C

Calix.

Difficile eſt dicere CAlicem non cauſare aliquos effectus. 187.74

Requiritur Calix & patena ad celebrandū. 536.90. Cóſecrari debet ab Epiſcopo, nec vſu ipſo conſecratur. 91. Perditur eius conſecratio per fractionem aut diminutionem. 93.

Quid dicendum de calice inaurato qui exuit aurum. 537.74

Catechumenus.

Catechumenus non eſt capax Euchariſtiæ. 195.4

Catechumenis fructus Sacrificij quoad impetrationem prodeſt, ſecus, verò quoad ſatisfactionem. 507.164

Cauſa.

Quidnam dicatur cauſare per accidens. 378.14

Non implicat eandē cauſam eſſe ſimul formalem & efficientem eiuſdem compoſiti. 188.57

Cauſa moralis quomodo ſit cauſa vera. 64.60

Celebrare.

In quibus caſibus pluries in die liceat celebrare. 528.48

Character.

Characterem imprimunt tria Sacramenta. 93.1

Characteris ratio reducitur ad ea quæ ſunt in exercitu, vel familia Principis. 94.9

Cur alia Sacramenta Characterem non imprimant. 95.15

Character quæ qualitas ſit. 98.32

Character eſt ſigillum & ſignum quoddam ſpirituale. 99 35. Eſt velut ſcriptura & inſtrumentum poteſtatis traditæ 101 46. Eſt qualitas ſupernaturalis, quæ habet ea natura ſua eſſe ſignum. 101.49

Character recipitur immediatè in ipſa ſubſtantia animæ. 102. 55. Eſt indelebilis ex natura ſua. 103.66 Manet poſt mortē. 69. Recipitur etiam ab inuitis. 68. Eſt indiuiſibilis. 104.76. Non poteſt intendi. 80. In omnibus eſt æqualis. 105.81.

Chriſtus.

Chriſtus ſolum præcepit ponere ſubſtantiam actionis Sacramentalis, non alias circumſtantias. 217.89

Chriſtus ſupplet defectum cauſæ materialis ſublatis imperfectionibus illius. 25.13

Chriſtus non potuit inſtituiſſe Sacramenta, quin determinauerit materiam & formam. 23.81

Chriſtus vt auctor gratiæ, debuit inſtituere ſigna & cauſas gratiæ. 26.85

Chriſtus fuit cauſa vera immediatè inſtituens Sacramenta. 106.5. Rationes & congruentiæ huius inſtitutionis, Chriſti excellentia, noſtra vtilitas, Sacramentorum ſtabilitas, dignitas, &c. 106.7

Chriſtus poteſtatem quam habet vt Deus cur alteri non poſſit communicare. 109.22

Chriſti quatuor excellentiæ quas habuit vt homo circa Sacramenta. ibid.

Chriſtum ſecundum totum id quod ipſe includit, eſſe in Euchariſtia ſub vtraque ſpecie, eſt de fide. 310.2

Chriſtus totus continetur ſub ſingulis partibus ſpecierum etiam continuis per præſentiam partialem ab alijs diſtinctam, & ſeparabilem. 311.47

Chriſtus prout eſt in Euchariſtia non poteſt recipere motum localem per ſe ab vlla creaturā naturali. 331. 2. An poſſit calefacere, calefieri, mouere, &c. Non poteſt videri naturaliter oculo corporeo. 336.19. Diuinitus tamen implicat. 20.

Chriſto quomodo competat eſſe offerentem ſimul & oblatum. 482.19

Quomodo actio ſacrificandi prout eſt à Chriſto ſit bona. ibid.

Ciborium.

Ciborium aut pyxis in rigore non debet conſecrari. 537.96

Cibus.

Cibi eſt proprium augere ſubſtantiam donec perueneriт illa ad ſtatum perfectum, qui non datur in anima reſpectu gratiæ in hac vita. 181.9

Circumciſio.

Circumciſio non eſt cauſa moralis gratiæ. 67. 79. An conferat gratiam ex opere operato, duæ circa id celebres ſententiæ. 80.4 &c. Ex ſua inſtitutione nullam habet vim iuſtificandi. 85.40. Erat aptiſſima ad ſignificandam fidem Chriſti. 86.41. Dicenda eſt potius conditio quam cauſa. 89.61. An fuerit ex præcepto diuino neceſſaria. 90.65. An pendeſſet adultis. 91.72. An poſſet applicari licitè & validè ex aliqua cauſa ante octauum diem. 92.78

Quo ſenſu paruuli per Circumciſionem iuſtificarentur. 86.44.

An in Circumcidente requiratur fides. 89.57

Circumciſio an dicenda ſit cauſa gratiæ. 60

Circumciſio forte characterem imprimebat, ſecus vero alia vetera Sacramenta. 95.13

Colligatio.

Modus ille Colligationis corporis Chriſti cum ſpeciebus non ſufficeret vt corpus Chriſti diceretur ſubſtare accidentibus. 157.18

Communicatio.

Communicare cum peccato veniali an ſit ſaltem peccatum veniale. 410.22

Communicare bis eadem die extra Miſſam nunquam licet, niſi ſit neceſſarium ad conſummationē ſacrificij. ibid.

Compoſitio.

Compoſitio duplex in quolibet Sacramento: prima, ex materia & forma: ſecunda, ex ſignificatione & re ſignificante. 181.12. & 19.39

Concomitantia.

Cócomitátia fundatur in cōnexione partiū inter ſe. 310.5

Concreta

Concreta.

Concreta quomodo frequentius vſurpentur. 21.57

Concretum quãdonam pro vtraque parte ſumatur. 21.58

Concretum Sacramenti Euchariſtiæ adæquatè ſũpti cõſtat ex partim præteritis, partim præſentibus. 192.78

Conditio.

Diſcrimen inter conditionẽ & cauſã moralem. 202.116

Conditio non ſe habet ex parte cauſæ vel motiui, ſed effectus. 68.83

Confeſſarius.

Quis dicatur habere copiam Confeſſarij. 419.81

Confirmatio.

Congruentiæ variæ quæ oſtendunt neceſſaria fuiſſe Sacramenta. 53.72

Congruentia.

Congruentiæ variæ quæ oſtendunt neceſſaria fuiſſe Sacramenta. 53.72

Contractus.

Per ſolam copulam carnalem, præmiſſis ſponſalibus cõtrahitur Matrimonium. 14.22

Contrahentium corpora non ſunt materia proxima Sacramenti Matrimonij. 11.13

Contrahentium conſenſus non eſt etiam materia Matrimonij. 12.10

Contractus omnes ficto animo initi nõ habent valorem. 316.18

Contritio.

Contritio in ſtatu innocentiæ fortè non fuiſſet remedium infallibile ad iuſtificationem. 45.11. Non eſt forma iuſtificans contra Vaſquez. 208.21. Eſt medium ad ſalutem eo quod votum Sacramẽti contineat. 209.14. Vt eſſet voluntas Sacramẽti oportuit fieri præceptum de Sacramento ſuſcipiendo. ibid. 24. Concurrit ad iuſtificationem magis ſpeciali titulo propter votum quod cõtinet Sacramenti, quàm aliorum præceptorum. 209.25

Adhuc requireretur in cõtritione voluntas Sacramenti etiamſi Deus non præcepiſſet Sacramentum. ibid.

Conuerſio.

Conuerſio quid ſit. 274.3. Verſatur inter duos terminos poſitiuos. 2. includit duas mutationes. 4. Multiplex eſt. 5. Requirit connexionem inter deſitionem termini & poſitionẽ alterius. 6. Requirit aliquid commune vtrique termino 8. Requirit duplicem terminum à quo & duplicem ad quem. 9. Requirit quod ſaltem deſinat terminus totalis à quo. 10

Conuertitur in Euchariſtia etiam terminus formalis à quo. 11. Ad conuerſionem non requiritur inceptio termini formalis ad quem. 15. Secus termini totalis. 16

Vt Conuerſio dicatur ſubſtantialis, non eſt neceſſe de nouo produci aliquam ſubſtantiam. 278.30

Ad Conuerſionem requiritur talis connexio inter omnes mutationes, vt vna ſit cauſa alterius. 286.84

Conuerſio in Euchariſtia componitur adæquatè ex vnitione & deſitione. 258.89. Vnitio verò dicit munus ſuſtẽtãdi ſpecies in diuerſo genere cauſæ, & alligationem quãdam corporis Chriſti, &c. 91. & 94

Ad Conuerſionem non ſemper requiritur repugnantia omnino phyſica, ſed ſufficit moralis. 292.111

Conuerſio duplex, materialis & formalis, immo triplex, &c. 298.145

Difficile eſt dicere corpus Chriſti conuerti in vermes. 300.155

Quid homines velint ſignificare proferentes hanc vocẽ, Conuerſio. 301.159

An corpus Chriſti corruptis ſpeciebus, conuertatur in ſubſtantiam ſubſequentem. 175.173. An quodlibet poſſit in aliud conuerti. 174. An lapis in Angelum & viceverſa. 176. An Deus poſſit eſſe terminus formalis Conuerſionis. 180. Cauſalitas cauſæ ſecundæ benè conuertitur in cauſalitatẽ cauſę primæ. 181. In Euchariſtia vnum concretum propriè conuertitur in aliud. ibid.

Corpus.

Corpus & ſanguis Chriſti pertinent intrinſecè ad Sacramentum Euchariſtiæ. 182.24

Si tamen ſolum Corpus intrinſecè conſtitueret, nulla maneret ſenſibilitas. 182.26

Ipſum Corpus eſt veluti ſuppoſitũ ſpecierum. 185.48

Corpora duo diuinitus poſſunt eſſe in eodem loco, & vnum in duobus. 235.6. &c.

Corpus explicari poteſt vel ſine accidentibus, vel cum iiſdem, dummodo non dependeant eſſentialiter à tali loco. 239.34

Corporis replicati virtus actiua vel paſſiua. 241.50

Corpus Chriſti poteſt conſeruari ſub ſpeciebus, licet alibi annihiletur. 263.189. Potuit poni ſub ſpeciebus ante incarnationem in vtero factam. 190. Propriè dicitur manducari, ferri, moueri, &c. 273.48

Impropriè dicitur frangi, miſceri, &c. 49. Non eſt in ſpeciebus propriè ſicut in loco, licet ſit propriè in loco. 52. Quomodo dicatur confici, perfici, creari, &c. 295.125

Quid per Corpus intelligatur in verbis conſecrationis. 312.78

Corpus ſignificat materiam in recto & in obliquo, organizationem in communi. 324.92

D

Denominatio.

Denominationes extrinſecæ non ſunt entia rationis. 8.17

Denominatio eſt duplex, formalis & obiectiua. 38

Non poteſt eſſe noua Denominatio realis ſine noua forma reali. 250.118

Deſignatio.

Deſignatio materiæ Sacramenti eſt tantum conditio. 111.32

Deſitio.

Deſitio formæ panis in Euchariſtia eſt innominata. 292.112

Deſtructio.

Deſtruitur aliquid vel phyſicè, vel humano modo. 490.66

Determinatio.

Determinari poteſt aliqua cauſa præſens vi alicuius conditionis præcedentis. 115

A quo determinetur cauſa ad productionem talis vbicationis, v.g. 9.13

Deuotio.

Deuotio actualis non requiritur in communicante ad effectum Euchariſtiæ. 412.35

Deus.

Deus eſt cauſa primaria Sacramentorum. 165.1

Succedit generanti in munere conſeruandi paſſiones, & reſtituendi ſi amittantur. 339.84

Non rectè dicitur de Deo quod ſit ſanguis, pituita, cholera. 300.156

Diaconus.

Diaconus miniſtrans in ſtatu peccati non peccat. 139.152. Miniſtrare poteſt vt inſtrumentum Sacerdotis, Sacramentum Euchariſtiæ. 471.12. Peccat mortaliter ſi tunc miniſtret in ſtatu peccati. 472.17

Differentia.

Differentia inter Sacramenta vetera & noua. 65.68. Inter cauſam moralem & conditionem. 72. Inter inſtitutionem Sacrificij & Sacramenti. 399.115

Diſcrimen.

Diſcrimen Sacramentorum petitur ex diuerſitate finis. 180.5

Diſpoſitio.

Diſpoſitio aliqua in adulto ſemper requiritur ad recipiendum Sacramentum. 154.1. Pro inæquali diſpoſitione ad Sacramentum datur inæqualis gratia 156.3

Diſpoſitionis nomine non intelligitur ad Sacramentum, ſed ad gratiam. 187.7

Diſpoſitio nullum Sacramentum componit intrinſecè excepta Pœnitentia, nec vnquam concurrit vt cauſa condigna. 198. 120

Vnde conſtet diſpoſitiones non eſſe formam compoſiti. 120. 69

Diſpoſitio ad Euchariſtiam recipiendam eſt ſtatus gratiæ. 407. 1. Secus in aliquo caſu. ibid.

Diſtinctio.

Diſtinctio propria & rigoroſa quid ſit. 203. 15

Diuiſibilitas.

Diuiſibilitas virtualis in Angelo quid ſit. 181. 48

Doctoratus.

Cur Doctoratus vel prætura non imprimant characterem. 97. 22

Domus.

Domus quæ emitur non eſt materia contractus emptionis. 13. 16

Dubium.

In quo caſu liceat vti materia dubia, & in Dubio negatiuo. 137. 140

In dubio probabili, vel poſitiuo ſemper licet, excepto aliquo caſu. 148

Duratio.

Abſurdum eſt Petrum habere hodie Durationem heſternam. 340. 69

E

Eccleſia.

ECcleſiæ poteſt delegari munus, vt tanquam ex cõmiſſione determinet Sacramenta. 26. 83

Eccleſia in materia Sacramentorum nihil mutat formaliter, ſed tantum materialiter, vt conſtat in matrimonio clandeſtino. 26. 84

Eccleſia intendit priuare communibus ſuffragiis, non priuatis. 310. 185

Eccleſia polluitur quinque modis. 529. 52

Eccleſiæ nomine quid intelligatur. 530. 58

Eccleſia polluta debet reconciliari, & quomodo. 531. 61

In violata Eccleſia caſu neceſſitatis licet celebrare. 63

Eccleſiæ conſecratio perditur deſtructa Eccleſia. ibid.

Effectus.

Effectus quidam formales poſtulant formam præſentem, quidam abſentem. 188. 62

Effectus impetrationis per ſacrificium Miſſæ eſt infallibilis niſi adſit obex. 505. 154

Effectus quem habet hoc Sacrificium vt propitiatorium differt ab eo, quem habet vt impetratorium. 503. 143. Cõſequitur infallibiliter ſuo modo. 144. 503. Quid dicendum ſit de illo effectu quando Miſſa offertur pro multis. 145.

Quoad effectum impetratorium offerri poteſt pro non baptizatis. 508. 173

Effectus immediatus huius Sacrificij eſt etiam remiſſio pœnæ temporalis. 505. 151

Ens.

Ens rationis diuiditur in formale & fundamentale. 8. 36

Epiſcopus.

Epiſcopi poſſunt diſpenſare in votis conditionalis caſtitatis. 68. 8a

Quid dicendum ſit de proteſtatione Epiſcopi ante ordinationem. 234. 119

Epiſcopus conſecrans chriſma in ſtatu peccati peccat mortaliter. 139. 156

In quo Eccleſia diſpenſet cum illis Sacerdotibus qui ordinati ab Epiſcopo, ſimul cum illo proferunt verba cõſecrationis. 375. 175

Error.

Error miniſtri circa vocis ſignificationem non obeſt valori Sacramenti. 33. 122

Error priuatus non nocet Sacramento ſi reliqua ponãtur. 122. 52

Error miniſtri in ſubſtantia irritat Sacramentum, ſecus vero in circumſtantiis. 123. 122

Euchariſtia.

Quid ſpecies ſignificet, & quid verba in Euchariſtia. 10. 48. Euchariſtiam porrigens non eſt cauſa moralis gratiæ. 113. 10

Euchariſtiam eſſe Sacramentum ne quidem ipſi hæretici negant. 179. 1. Illa differt à Confirmatione, quod data ſit vt alimentum ad vitam conſeruandam, Confirmatio vero ad vires acquirendas in ordine ad pugnam. 180. 4

Effectus augendi gratiam licet communis omnibus Sacramentis, eſt tamen proprius Euchariſtiæ, & per ſe in ſenſu ſo mali, & ex vi propriæ ſignificationis. 180. 7

Euchariſtia omnium Sacramentorum nobiliſſimum. 195. 10 Ipſius dignitas. 181. 11

In Euchariſtia ſolum corpus Chriſti importatur in recto communiter, ſpecies vero in obliquo. 184. 35

Euchariſtiæ Sacramentum reduplicatiuè acceptum vt Sacramentum adæquatè eſt, eſt quoddam totum ex materia & forma, ſpecificatiuè verò non eſt quoddam totum, ſed pars & rectum totius. 192. 79

Eſt vnum tantum Sacramentum in ſpecie atoma. 215. 1

Eius partes licet differant ſpecie, componunt tamen vnicam integram ſpeciem Sacramenti. 106. 7

Per Euchariſtiam ſignificatur plenitudo conuiuij ſpiritualis. ibid. Licet ſint plures ſpecies & ſumptiones, poteſt tamen dici abſolutè & ſimpliciter vnum & ideo numero Sacramentum. 201. 15

Euchariſtia eſt quidem neceſſaria neceſſitate præcepti, non tamen medij nec in re, nec in voto. 210. 33. Cum ex natura ſua ſit cibus, non ordinatur ad primam gratiã. 211. 38. Non confert aliquid merè neceſſarium ad perſeuerandum ſine peccato mortali. 218. 44. dicitur aliquando neceſſaria ratione rei contentæ. 212. 46

In Euchariſtia reperitur vera conuerſio. 276. 17. Ad illam non requiritur noua actio terminata ad ipſum corpus Chriſti. 208. 21. Nec datur cauſalitas animæ in corpus, nec corporis in animam. 276. 16

Euchariſtia non confert primam gratiam. 42. 5

Quandonam Euchariſtia producat gratiam. 381. 31. Gratiam cauſat quãdiu in ſtomacho perſeuerat. 381. 46. Conſeruata in ſtomacho gratiam non daret peccatori etiam poſt contritionem. 386. 64

Vtraque ſpecies Euchariſtiæ maiorem confert gratiam quam ſingulæ conferant ſeorſim. 486. 64

Effectus ſpiritualis Euchariſtiæ, remiſſio peccati venialis. 389. 81. Præſeruatio à mortalibus. 85

Adeptio gloriæ. 89. Actualis delectatio. 90

Effectus corporei Euchariſtiæ; primò, vnio Chriſti cum noſtro corpore. Secundò, operatur immediatè aliquid in ipſo corpore. Tertiò, reſurrectio corporis. 392. 99

Euchariſtia non eſt neceſſaria pueris. 396. 8

Eſt tamen fructuoſa. 10

Ad hunc effectum Euchariſtiæ in puero ſufficit voluntas Chriſti inſtituentis. 398. 20. Qua ætate ſit danda. 400. 33. An pueris danda pro viatico. 14

Quandonã obligentur. 401. 39. Quid dicendum ſit quãdo dubitatur de ſubiecti capacitate. 40. An incapaces ſint Energumeni. 417. 67

Excommunicatus.

Sacerdos Excommunicatus non poteſt nomine Eccleſiæ impetrare. 508. 126

Cum ab Excommunicato Catholicus licitè poſſit recipere Sacramentum, licitè etiam poterit miniſtrare, cùm miniſtrare & recipere ſint idem in matrimonio. 151. 229

Extenſio.

Extenſio localis actualis non diſtinguitur ab vbicatione. 182. 62

Extrema

Extrema Vnctio.

Extrema Vnctio numeratur inter Sacramenta viuorum. 155.7

In Extrema Vnctione oleũ non eſt inſtitutum per modum medicinæ adæquatè cauſantis. 197.113

F

Farina.

FArina etiam non pura efficit panem vſualem. 213.64

Feria.

Feriâ ſextâ maioris hebdomadæ nec publicè, nec ſecretò licet celebrare. 524.14. Secus verò quintâ & Sabbatho. 15

Fictio.

Fictio in conferendo Sacramento quomodo differat à ludo. 119.37

Fictionis nomine quid intelligatur. 158.11

Fides.

Fides ſola interna olim non ſufficiebat pro remedio paruulorum. 46.17

An fides illa debuerit informari charitate & eſſe actualis. 48.38

Figura.

Figura duplex, organica & ſitualis. 314.28

Figura ſitualis non eſt aliquid diſtinctum ab vbicationibus. 316.30

Corpus Chriſti habet quidem figuram organicam, non tamen ſitualem in Euchariſtia. 316.36

Forma.

Quid per Formam Sacramenti olim apud Patres intelligeretur. 17.35

Forma ſumitur ab Auguſtino pro formula & ritu. ibid.

Forma ſigni eſt ſignificatio. 18.38

Quid requiratur vt importetur aliqua forma de connotato. 23.68

Poteſt intendi Forma nec intendi effectus formalis ſecundarius. 163.49

Forma duplex non datur in Sacramentis, proxima ſcilicet & remota, ſicut dicitur de materia. 157.52

Omnis forma ſemper definit in ordine ad aliquam ſubſtantiam, quæ ipſi ſuccedat. 216.85

Forma hominis non dicitur conuerſa in formam cadaueris. 275.11

Ex deſtructione Formæ bene ſequitur deſtructio materiæ. 293.114

Formæ ſubſtantiales non ſunt multiplicandæ in materia ſine neceſſitate. 319.61

Per plures formas conſecrationis validè & licitè poteſt ſimul conſecrari eadem materia. 375.160

G

Granum.

QVid dicendum ſit de Grano hordeacco admixto granis tritici. 224.70

Gratia.

Quid ſit dare Gratiam ex opere operato & operantis. 54.1

Gratia cauſatur per Sacramenta nouæ legis. 55.9

Quæ Gratia per Sacramenta conferatur. 57.19

Quomodo Gratia vnius Sacramenti differat à gratia collata per aliud. 57.21

An vna Gratia habitualis intrinſecè diſtingui poſſit ab alia. ibid.

Gratia habitualis quæ confertur per quodlibet Sacramentum dicit ordinem ad peculiaria auxilia circa peculiares effectus. 59.27

Gratiæ natura poſtulat à ſolo Deo produci efficienter. 62.48

Gratia non tantum per Sacramenta, ſed etiam propter illa tanquam propter motiuum. 67.91

Gratia inæqualiter datur pro inæqualitate illius actus, per quẽ tollitur obex, cum ſit vera ad illã diſpoſitio. 167.74

Gratia eadem ſæpe eſt quoad entitatem, diuerſa quoad connotationem. 187.72

Gratia in hoc alias formas imitatur quod illa melius communicetur ſubiecto melius diſpoſito. 167.75

H

Hæretici.

HÆreticorum dogma qui aſſerunt non cauſari gratiam per Sacramenta, refutatur. 56.11

Hæretici tollunt omnem intentionem miniſtri. 116.17

Hæreticorum noſtri temporis error circa vſum Euchariſtiæ. 196.100

Hæretici Sacrificium malè definiunt. 479.1

Hoc.

Illud *Hoc* in verbis conſecrationis ſumitur adiectiuè. 286.74

Homo.

Homo ſolus ex vi præſentis inſtitutionis poteſt eſſe miniſter Sacramentorum nouæ legis. 113.1

Homo replicatus non poteſt interfici in vno loco quin interficiatur in alio, dummodo Deus ſe conformet naturis rerum. 148.51

Homo ſic replicatus non eſt capax duarum formarum incompatibilium. 242.55

Homo prius debet ouis fieri quàm paſci. 325.4

Hoſtia.

Hoſtia non conſecrata nunquam debet porrigi à miniſtro. 146.187

Hoſtia ſignificat per modum cibi, calix per modum potus. 200.5

I

Ieiunium.

IEiunium naturale requiritur ad communionem. 436.16. Præceptum illius incipit ab Apoſtolorum temporibus, 436.20. Per quid violetur. 23. Quid dicẽdũ ſit de reliquiis cibi præcedentis 438.36

An poſſit cõmunicare qui dubitat an ſit ieiunus. 439.41

In hoc præcepto Ieiunij Pontifex diſpenſare poteſt. 442.55 Hoc præceptum non obligat eum qui accipit Euchariſtiam pro viatico. 58

An poſſit non ieiunus celebrare vt det moribundo viaticum. 444.68

Alij caſus, in quibus licet abſque Ieiunio Euchariſtiam accipere. 445.75

Ignis.

Ignis replicatus Romæ non quidem producit calorem Romæ, ſed calorem qui eſt Romæ. 111.49

Immediatè.

Quid ſit Immediatè ſignificari. 22.59

Imago.

Imago obiectiua non debet eſſe intellectus. 12.61

Impenetratio.

Actualis Impenetratio non eſt aliquis modus poſitiuus. 136.10

Impulſus.

Impulſus eſt magis indifferens ad locum quàm præſentia localis. 241.45

Impulſus replicatus non poſſet motum producere. 242.46

Incipere.

An aliquid poſſit incipere in tempore indeterminato. 72.109

Incipit gratia per vltimum non eſſe. 78. 183

Indi.

An Indi, qui debilem uſum rationis habent, repellendi ſint ab Euchariſtia. 403. 50. &c.

Indignus.

Quid nomine Indigni Sacramento intelligatur. 141. 162

Innocentia.

Innocentiæ ſtatus nulla habuit Sacramenta. 41. 5

Innocentiæ ſtatu durante probabile eſt fore vt eſſent Sacramenta. 44. 19

Inſtantia.

Inſtantia finita ſoluuntur difficultates maximas in productione gratiæ. 72. 107

An gratia producatur in inſtanti terminatiuo extrinſeco. 73. 113

An verò in Inſtanti terminatiuo intrinſeco. 74. 117

Inſtitutio.

Inſtitutionem præteritam permanere moraliter quid ſit. 9. 42

Quid requiratur vt aliquis in rigore dicatur inſtitutor Sacramenti. 110. 85

Eccleſia certè dicitur inſtituere quoſdam ritus, licèt acceperit poteſtatem ad illos inſtituendos. 112. 14

Aliud eſt Inſtituere Sacramentum, aliud cauſare illud in ratione exiſtentiæ. 112. 14

Inſtrumentalis.

Inſtrumentalis cauſa quid ſit. 62. 43. & 70. 95

In quo ſenſu verum ſit Sacramenta eſſe cauſas Inſtrumentales. 70. 93

Inſufflatio.

Inſufflatio Chriſti in Apoſtolos fuit Sacramentum, per quod ipſi ſunt ordinati. 81. 58

Intentio.

An Intentio miniſtri ſit aliquid intrinſecum Sacramento. 35. 130

Requiritur Intentio aliqua in omni miniſtro & nuntio, præter executionem externam. 117. 47

Intentio cōfeſſionis tantū formalis requiritur. 420. 90

Intentio interna comparatur cum externa tanquam cōprincipium. 122. 55

Intentio interna eſt etiam practica in ordine ad valorem actus externi. ibid. 56

Intentio varia, actualis, habitualis, virtualis, indirecta. 125. 72

Intentio virtualis quæ ſufficit, explicatur. 125. 75

An dicat actum internum præſentem. 126. 80. An actum intellectus. 127. 87

Intentio merè habitualis non ſufficit Sacramentorum miniſtro. 128. 90. Sufficit tamen ad applicandum Sacrificium. 128. 91

Quid dicendum ſit quando ſunt duæ Intentiones contrariæ. 134. 120

Intentio recipientis Sacramentum nō cōcurrit vt cauſa condigna, nec vt pars Sacramenti in Euchariſtia, nec requiritur ad valorem ſed ad fructum in adulto. 199. 121

Irreuerentia.

Irreuerentia alia eſt poſitiua, alia negatiua. 143. 177

Iuriſdictio.

Iuriſdictio præter poteſtatem ordinis ad miniſtrandam Euchariſtiam requiritur. 476. 36

Iuſtitia.

Iuſtitia non tantum prohibet actum, ſed etiam cauſam actus. 132. 180

L

Laicus.

Laici non eſt quod conquerantur quod illis Eccleſia vſum calicis interdixerit. 588. 81

Laicus non poteſt ſibi Euchariſtiam miniſtrare. 474. 23

Lapis.

Lapis additus lapidi conſecrato non fit eo ipſo conſecratus. 532. 68

Lex.

Lex naturæ habuit remedium aliquod pro paruulis decedentibus ante vſum rationis. 45. 23

In Lege veteri præter Circumciſionem quæ fuerint alia Sacramenta? 52. 69

In Lege noua neceſſaria fuerunt Sacramenta. 53. 71

Libertas.

Libertas virtualis in ſomno differt à libertate virtuali extra ſomnum. 131. 106

Liber.

An ſine Libro Miſſali poſſit Miſſa celebrari. 534. 78

Locus.

Locus duplex Ariſtotelicus examinatur. 246. 77

Explicatur quid ſit præſentia ad Locum. 255. 143

Quo in loco liceat celebrare. 529. 48

Lumen.

Sine Lumine ſacrificare non licet. 534. 77. An Lumen illud neceſſario debeat eſſe è cera. ibid.

Luſitanus.

Luſitani vnde acceperint occaſionem celebrandi in mari. 536. 89

Lutherus.

Lutherus qui ponit tantum vnum Sacramentum à Chriſto inſtitutum, illud eſſe dicit Euchariſtiam. 179. 1

Luxurioſus.

Cur magis noceat Euchariſtiæ ſumptio Luxurioſo quam aliis peccatoribus. 409. 15

M

Malitia.

Malitia quomodo contrahatur ex voluntate præcedenti. 132. 110

Malitia miniſtrandi indignè differt ſpecie à malitia ſuſcipiendi indignè. 152. 220

Manducatio.

Manducatio in Euchariſtia non eſt cauſa gratiæ, ſed tantum conditio. 598. 118

Manus.

Manuum impoſitio Moſis ſuper caput Ioſuè forte fuit Sacramentum. 10. 48

Manuum impoſitio in Ordine eſt ritus ab Apoſtolis inductus. 26. 83

Mare.

In Mari celebrari poſſe probabile eſt, accedente Pontificis conſenſu. 534. 80. Nullum in ea re videtur eſſe periculum. 535. 87. Rationes maximæ, quæ pro hac ſententia afferuntur. 88

Martyrium.

Martyriū confert gratiam ex opere operato. 55. 6. Quare non ſit Sacramentum. ibid.

Licet Martyri non remittantur omnia venialia in hac vita propter obicem, remittuntur ei in primo inſtāti mortis quoad culpam & pœnam in virtute Martyrij præteriti. 128. 93

Materia.

Materia totalis Sacramenti poteſt eſſe inſenſibilis. 82. 9

Materia Sacramenti non eſt quod tradi intenditur, ſed quo ſignificatur traditio. 13. 15

Quid ſit propriè Materia Sacramenti. 13. 17

Materia circa quam contrahitur obligatio non intenditur in definitione contractus. 14. 19

Vera Materia & forma Sacramenti Matrimonij. 15. 29

Materiam in genere Chriſtus determinauit tantum in quibuſdam Sacramentis. 106. 8. Aliud eſt Materiam determinare, aliud inſtituere. 110. 80

Materia

Materia cum benedicitur, aut conſecratur, debet eſſe præſens. 285.77

Si Deus conſeruaret Materiam ſine forma vlla, conſeruatio eſſet miraculoſa etiam antecedenter. 293.114

Vt Materia Euchariſtiæ dicatur præſens, non ſufficit quod aliquo ſenſu percipiatur. 232.122. Hæc præſentia ſumitur in rigore. 124. Sufficit vt ſit incluſa in aliquo continente. 125. Debet eſſe certa & determinata. 233.129

Matrimonium.

Matrimonium Adam inter & Euam, cur non ſit Sacramentum. 4.15

In Matrimonio quid ſit res, Sacramentum, & vtrumque. 58.145

Matrimonium non imprimit characterem, & quare. 103.41. In aliquo caſu cum eodem coniuge poterit iterari. ibid.

In Matrimonio omnis diuerſitas ſubſtantialis eſt inuoluntaria. 144.112. Contrahentes alligant voluntatem ad talem perſonam. 133.115

Matrimonium aliqua impediunt ſub ratione communi Sacramenti, aliqua ſub ratione contractus, propter illa Parochus non debet negare ſuam aſſiſtentiam, ſecus vero propter hæc. 151.216

An ſit intrinſecè malum inire Matrimonium cum Hæretica. 151.212

Melchiſedech.

Melchiſedech ſacrificium an fuerit verum Sacramentum. 51.60

Quid ſignificet illud *Meum* in forma conſecrationis. 320.120

Minimum.

Minima ſi darentur, poſſet corpus Chriſti eſſe ſub dimidio minimo. 289. 101. In illo caſu daretur minus minimo ſubſtantiæ, non accidentis. 103

Miniſter.

Miniſter in Sacramentis legis nouæ operatur vt miniſter Chriſti. 35.133

An Miniſter Sacramenti ſit cauſa immediata gratiæ. 84.51

In Sacramento Euchariſtiæ concurrit tantum remotè ad gratiam. 115.9

Nulla eſt differentia inter Miniſtrum conſecratum & non conſecratum, in omnibus Sacramentis, excepta Euchariſtia. 115.11

Miniſtri bonitas non requiritur ad valorem, idem dicitur de fide. 82. Intentionem tamen requirit veritas Catholica eſt. 116.16

Miniſter operans vt miniſter Chriſti, habet animum operandi nomine illius. 118.28. Quid velit facere cum vult facere quod facit Eccleſia. 118. 30.&c. Sufficit vt implicitè operetur nomine Chriſti. 119.36. Non eſt merus nuntius, ſed œconomus. 121.46

Eſt potius Chriſti miniſter quàm Eccleſiæ. 122.53. Non dat illi Chriſtus quòd habeat voluntatem applicandi, ſed quod hæc voluntas ſit efficax. 129.96

Cum miniſter operetur vt miniſter Chriſti, maxima eſt indecentia operari in ſtatu peccati mortalis. 138.149

Miniſter melior maiorem virtutem Sacramento non confert. 135.9

Miniſter requiritur, qui celebranti deſeruiat. 538. 93. An Moniales poſſint reſpondere. ibid.

Miniſtri duplex eſt actio in Sacramento Euchariſtiæ, ſcilicet conficientis & miniſtrantis. 467.48

Dupliciter poteſt aliquis hoc Sacramentum Miniſtrare, vel iure ſuo vel mere miniſterialiter. 479.3

Miſſa.

Miſſa Æthiopum Apoſtolis, vel eorum diſcipulis compoſita. 346.11

Si Chriſtus nunc per ſeipſum Miſſam celebraret, quomodo proferret verba conſecrationis. 366.181

In Miſſa offertur verum ſacrificium contra hæreticos. 481.17

Quid in Miſſa ſit ſecunda intendo. 522. 257.

Mixtio.

Mixtionis vini cum aqua in Euchariſtia rationes plures. 215.17

Mixtio hæc eſt tantum de neceſſitate præcepti. 18 Non eſt tamen ex præcepto Diuino. 216.22. Præceptum illius cœpit ab Apoſtolorum tempore. 23. Cur eam præceperit Eccleſia. 217.29

Per Mixtionem ſpecierum cum vino non perditur conſecratio. 342.44

Modus.

Modus vllus ſubſtantialis fruſtrà ponitur in Euchariſtia. 286.79

Motus.

Motus debet habere aliquem terminum. 249.102

Mutatio.

Quid ſit Mutatio ſubſtantialis, quid accidentalis in materia Sacramenti. 30.104

Duplex regula pro dignoſcendis his mutationibus. 30.106

Variæ praxes pro regulis harum mutationum. ibid.

N

Naturalis.

NAturalis præſentia nunquam facit præſentem eandem partem ſubiecti pluribus partibus ſpatij. 260.270 Nec facit plures partes ſubiecti præſentes eidem parti ſpatij. 271

Neceſſitas.

Neceſſitatis nomine quid intelligatur. 41.1

Neceſſitas quid ſit medij & præcepti, & quomodo vna differat ab alia. 205.8

A Neceſſitate præcepti ignorantia excuſat, ſecus ab alia. 205.2

Baptiſmus vel in re, vel in voto, eſt Neceſſarius neceſſitate medij. 207.16

Neceſſitas Baptiſmi, vel in re, vel in voto oritur ex præcepto Diuino, quo Baptiſmus præceptus eſt omnibus. 208.18

Caſus Neceſſitatis quæ à præmittenda confeſſione ante communionem excuſat, ad duo capita reduci ſolent. 423.107

Nomen.

Nomen ſigni non tantùm dicitur de ſigno totali, ſed etiam de ſigno partiali. 192.81

Nomina ferè apud omnes gentes paruulis imponebantur, cùm primum illi Deo conſecrabantur. 86.43

Nouitas.

Nihil maiori plauſu excipitur quam Nouitas. 299.148

O

Obex.

QVi cum Obice accipit Sacramentum, ponit illud in ijs circumſtantijs, in quibus non poteſt Deus abſolute per illud ſignificare gratiam. 154.3

Sublato Obice Baptiſmi per Pœnitentiam vtrumque Sacramentum ſimul concurrit. 161.48

Obex pro quo ſigno tollatur. ibid.

Obice ſublato vtrumque Sacramentum concurrit vt cauſa partialis ad remiſſionem omnium peccatorum. 163.61

Obex Baptiſmi quando aufertur per contritionem ſubſequentem, gratia quæ confertur eſt maior quam quæ daretur contritioni abſque concurſu Sacramenti præteriti. 166.63

Ex operibus melioribus, quibus à tempore Baptiſmi diſponit ſe homo vſque ad pœnitentiam, qua tollitur Obex, creſcit effectus Baptiſmi. 160.86

Obex non eſt idem reſpectu omnium Sacramentorum. 377.9

Obiectum.

Obiectum potius dicitur res illa circa quam contrahitur, quam materia contractus. 14.20

Oblatio.

Oblatio directa diſtingui debet à reflexa. 128.94

Obligatio.

Obligatio prima Miniſtri eſt non miniſtrandi ſine poteſtate. 132.137. Secunda eſt, quod ſit in ſtatu gratiæ. 132. 142. Tertia eſt, non mutandi formam aut materiam. 140. 164.

Eſt maxima Obligatio miniſtri non conferendi Sacramentum Ordinis indigno. 147.194

Obliquum.

Quædam in Obliquo ſignificantur mediatè. 22.63

Non eſt idem importari in Obliquo & extrinſecè. 183.32

Oculus.

Oculus poteſt eleuari ad producendum actum audiendi. 62.44

Oculus non videt vbiquationem contra aliquos. 247. 86

Offerre.

Quæ perſonæ præter celebrantem, Offerant ſacrificium Miſſæ. 517.210. An omnes participent fructum ex opere operato. 231. Duplex fructus offerenti Sacerdoti reſpondet. 518.232

Opera.

Opera quibus ſe diſponit homo ad recipiendum effectum Sacramenti, diſponunt tantum ad aliquem effectum gratiæ, ſed minorem illo, quem eadem Opera in gratia facta, poſſent mereri. 217.86

Oratio.

Oratio importat in recto omnes ſyllabas & partes, ex quibus componitur. 83.67

Organizatio.

Organizatio duplex, accidentalis & ſuſtantialis, ex vi verborum ponitur alterutra ſub diſiunctione. 323.87

Ordo.

Quæ fuerit forma & materia Ordinis à Chriſto determinata. 26.85

Ordo apud Latinos non completur niſi cum profertur forma completa. 27.91

Conciliantur ritus Latinos & Græcos in conferendo Ordine. 28.92

Eccleſia Latina materiam Ordinis magis explicitam reddit. 28.98

Ordinis character deſignat hominem tanquam miniſtrum Chriſti. 95.11

Ordinis inferioris character non intenditur per characterem ſuperioris. 115.76

P

Panis.

PAnis qui ſufficit ad materiam Sacramenti Euchariſtiæ, & qui non ſufficit. 121.1.&c.

In Pane dantur aliquæ partes heterogeneæ. 127.96

Quid ſit panem fieri corpus Chriſti. 298.96

Nihil ſubſtantiæ Panis remanere in Euchariſtia, certum eſt de fide. 306.185

Tota ſubſtantia Panis conuertitur proximè & immediatè in corpus Chriſti, non vero in Chriſtum. 326.102

Parochus.

Parochus in ſtatu peccati aſſiſtens matrimonio, non peccat. 219.155

Parochus matrimonio negare debet aſſiſtentiam quando dignitas prouenit ex impedimento, ſecus verò quum prouenit ex peccato, vel occulto, vel publico. 150.206

Paſſio.

Paſſio Chriſti ſecundum ſe eſt cauſa inſtrumentalis noſtræ ſalutis. 72.106

Peccatum.

Peccatum celebrantis in peccato mortali habet duas malitias. 140.165

Peccatori publico negandum eſt Sacramentum quomodocumque petat. 167

An peccatori occulto petenti publicè ſit negandum. 141.168

Quid requiratur ad hoc vt aliquis dicatur cooperari Peccato. 144.180

Peccatori occulto occultè petenti eſt neganda Euchariſtia. 146.189

Peccator occultus, vel publicus quis ſit cenſendus. 147.191

Penetratio.

Penetratio caloris cum humiditate non facit quod calor magis grauitet. 337.14

Perſeitas.

Datur quidam modus perſeitatis accidentalis in accidentibus Euchariſtiæ. 338.18

Perſona.

Perſona verbi non eſt in Euchariſtia ex vi verborum. 329.117

Pœnitentia.

Pœnitentiæ Sacramentum quomodo ſolis verbis non conſtet, explicatur. 12.4

Pœnitentiæ Sacramentum nido miniſtrare indigno magis ſtrictè miniſter obligatur. 147.193

Pœnitens non obligatur ad dicenda Confeſſario peccata reſeruata, à quibus eum non poteſt Confeſſarius abſoluere, ſed tantùm non reſeruata. 412.86

Pontifex

Pontifices ſæpe diſpenſarunt cum Catholicis vt poſſent matrimonium inire cum hæreticis. 153.217

Pontifex nunquam diſpenſauit in præcepto præmittendi confeſſionem ante communionem. 421.97

Poteſtas.

Poteſtas ſignificandi in Sacramento eſt aliquid morale intrinſecum. 19.45

Poteſtas communicata creaturæ ſufficit vt verè dicatur inſtituere Sacramenta. 110.246

Poteſtas deſignandi materiam differt à poteſtate imponendi ſignificationem Sacramento. 111.32

Poteſtas Sacerdotalis miniſtri in Pœnitentia & in Extrema Vnctione, ſaltem in obliquo intrat ad componendum intrinſecè Sacramentum. 194.98

Præceptum.

An duo præcepta contraria poſſint aliquando concurrere. 143.75

Præceptum non miniſtrandi indigno eſt naturale. 149. 203

Præceptum præmittendi confeſſionem ante communionem eſt diuinum. 417.69

Præceptũ confitendi poſt cõmunionẽ quãdo aliquis abſque confeſſione communicauit, eſt mere humanum. 428.135

Iſtud Præceptum non obligat laicos. 428.138

Præceptum ſumendi Euchariſtiam diuinum eſt. 448. 2. Quinam obligentur hoc Præcepto. 450. 16. Quandonam obligentur. 450.27

Sunt aliqua præcepta quibus ſatisfieri poteſt per opus factum ante obligationem. 451. 39

De præcepto Eccleſiaſtico communionis Paſchalis & annuæ. 458. 64. Quid intelligatur nomine Paſchalis. 61. Quando obliget hoc Præceptum. 63. An ſatisfaciat qui communicat in ſtatu peccati. 494.83

Præceptum datur audiendi Miſſam. 546.1. Qui obligentur hoc Præcepto. 546.1. Ad quam Miſſam obliget. 546.2. Ad quantú. 3. Quam præſentiam requirat. 549.19. Quam intentionem. 549.23. Quam attentionem. 25

Prædicatum.

Quæ Prædicata tribuantur corpori Chriſti ratione ſpecierum, illa ſunt in duplici differentia. 219.45

Præparatio.

Præparatio aliqua requiritur ad communionem, non

tantum de conſilio, ſed etiam de præcepto. 411.28

Prærogatiua.

Prærogatiuæ Chriſti quæ poſſunt creaturis communicari. 109.13

Præſentia.

Præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia continet duo miracula. 235.6. Hæc Præſentia eſt accidens intrinſecum abſolutum, &c. 237.154. Variatur intrinſecè quoties ſpecies mouentur. 156. Non eſt ſimplex & indiuiſibilis. 157. Eſt ſupernaturalis. 258.163. Eſt ad imitationem rerum ſpiritualium. 165. Præſentia manus, v.g habet diuerſum incomplementum & extibilitatem, quam naturalis. 166. Habet ex ſe intrinſecè penetrabilitatem cum aliis quantitis. 260.172. Penetratio tamen impeditur à quantitate panis. ibid. Exigit ex natura ſua corpus illud non eſſe alibi per aliam præſentiam. 161.176. Non poſtulat ex ſe Præſentiam Chriſti naturalem; nec cum aliqua habet aliquam connexionem. 253.87

Principalis.

Quid requiratur ad rationem cauſæ Principalis. 71.97

Promiſſio.

Promiſſio eſt cauſa moralis ad ponendam rem promiſſam. 69.86

Pronomen.

Quid Pronomina *hic* & *hoc*, poſita in formis conſecrationis ſignificent. 371.154

Propoſitio.

Propoſitiones negatiuæ aliquando ſimpliciter prolatæ ſunt veræ propter ſenſum formalem, licet in ſenſu materiali ſint falſæ. 86.46

Veritas propoſitionis vocalis, quæ formatur per copulam *eſt*, regulariter loquendo debet regulari ab obiecto, prout erat tempore finitæ propoſitionis. 366.125

Propoſitionis veritas non regulatur pro tempore quo percipitur, ſed quo profertur. 367.130

Diſcrimen inter propoſitiones practicas & ſpeculatiuas. 370.149

Puer.

Pueri in lege naturæ & ſcripta iuſtificabàtur fide Mediatoris, facta illorum per aliquam actionem externam. 46.28

Q

Quæſtio.

IN Quæſtione de ſignificatione vocis fundamentum deſumi non poteſt niſi ex locutionibus Patrum. 185.40

Qualitas.

Qualitas aliqua materialis poteſt ex natura ſua ſignificare gratiam. 62.57

Qualitas vlla non datur quæ ſit diſpoſitio ad gratiam, ibid.

Quatuor ſpecies Qualitatis explicantur. 98.28

Quid ponatur in qualibet ſpecie Qualitatis, & in qua ponatur character. 101.47.&c.

In ſpeciebus Euchariſticis ponitur quædam Qualitas attractiua ſupernaturalis. 270.34

Hanc Qualitatem videtur exigere maior quædam connaturalitas. ibid.

Qualitas hæc in eo ſolum accidente ponitur quod recipit in pane impulſum ab extrinſeco. 2,2.44

Quantitas.

Quantitatem diſtingui à ſubſtantia optimo argumento probatur. 318.17

R

Rectum.

QVid ſit importari in Recto, & quid in Recto Sacramentum importet. 21.55

Regula.

Regula vniuerſalis pro verbis adiunctis formæ. 335.125

Regula ad dignoſcendum quæ circumſtantia ſit eſſentialis petitur ex circumſtantia morali. 215.18

Remiſſio.

Remiſſionis effectus ſemper eſt æqualis, non vero gratiæ. 168.78

Ad Remiſſionem venialium, Sacramentum impeditum poteſt poſtea ablàto obice eam conferre. 170.95

Remiſſio venialium de nouo poteſt cauſari abſque noua gratia, ſed mediante gratia prius poſita. 171.96

Replicare.

Corpus poteſt dupliciter Replicari in duobus locis & quomodo. 239.32

Reproductio.

Reproductio vlla in Euchariſtia non requiritur ad veritatem verborum. 279.35

Res.

Res ſolæ quomodo in matrimonio ſine verbis interueniant. 16.33

Res in Sacramentis cur ſpectet ad materiam, verba vero ad formam. 17.34

Res vbi adæquatè exiſtit debet ſecum habere omnem ſuam ſupellectilem. 242.48

Reſtitutio.

Reſtitutio tantum influit in ſalutem remouendo prohibens. 203.23

Reſtitutio ipſa non eſt medium neceſſarium, ſed tantum illius votum. 210.19

Reſtitutionis concurſus non eſt concurſus cauſæ, ſed indirectus. ibid.

Reſurrectio.

Reſurrectio corporum quomodo tribuatur Euchariſtiæ. 211.40

Euchariſtia ad reſurrectionem dat titulum operantem, non effectum. 393.107

Ritus.

De obligatione obſeruandi Ritus præſcriptos in ſacrificando. 538.104

Rubrica.

Quæ in Rubricis notantur non afferunt obligationem grauem. 534.79

S

Sacerdotium.

SAcerdotium Melchiſedech non fuit verum Sacramentum. 52.67

Sacerdos licet poſt diem iudicij retineat characterem non tamen poterit conſecrare Euchariſtiam. 115.2

Sacerdos miniſtrans Euchariſtiam in ſtatu peccati non peccat mortaliter. 139.155

Sacerdos vt Sacerdos diſtribuit Euchariſtiam ex poteſtate à Chriſto accepta. 471.6

Sacerdos vix hodie poteſt excuſari à culpa ſi non celebret per totum annum. 433.13

Sacramentum.

Sacramentum verè definitur ceremonia ſenſibilis, quæ ſuo vſu ſanctificando ſubiectum, &c. 5.23

Sacramenta legis veteris quomodo cauſent internam ſanctitatem. 4.17

Sacramenta non modo gratiam, ſed gloriam, Chriſtum & eius merita ſignificant. 5.22. Habent ex inſtitutione hominum quòd ſignificent gratiam, habent tamen à Deo quod ſignificent infallibiliter. 7.32

Sacramentum ponitur ſub genere ſigni & cauſæ magis tamen ſub genere ſigni. 6.25

Sacramenta legis veteris cur non conſtent verbis, ſecus nouæ. 11.1

In Sacramentis omnibus quid ſit res, Sacramentum, & vtrumque. 37.145

Vtrum Sacramenta cauſent phyſicè gratiam. 65.64

Index Rerum,

Sacramenta antiqua fuerunt cauſæ gratiæ quam promittebant, erant enim promiſſiones, promiſſio autem eſt cauſa mouens ad rem promiſſam. 69.86

Vnde fuerunt cauſæ gratiæ nobis dandæ. 90.64

Sacramenta antiqua etiam à Deo fuerunt inſtituta. 108.16

Sacramenta omnia, & noua, & antiqua, non poterant inſtitui niſi à Deo, vel ea facultate à Deo conceſſa. 112.37

Sacramentum poteſt perfici etiamſi miniſter non ſit compos ſui. 131.180

In Sacramentis omnibus ſi conſtet de alligatione voluntatis circa talem materiam, non poteſt circa aliam habere valorem. 133.118

Sacramenti ſuſceptio in ſtatu peccati in quibuſdam caſibus eſt licita. ibid.

Omnia Sacramenta excepta Euchariſtia ablato obice reuiuiſcunt. 130.101 Omnia etiam, excepta Euchariſtia, vt ſint valida, requirunt conſenſum in adulto ſuſcipiente. 133.116

Vt dicatur Sacramentum perſeuerare ſufficit manere id quod includit in recto. 188.61

Sacramentum non ſolum eſt præceptum, ſed medium influens ſeipſo. 203.23

Sacramentum aliquod poteſt ordinari ad aliquem effectum, qui abſque illo poteſt haberi. 395.105

Sacrificium.

Sacrificium poteſt ſimul ordinari ad ſignificandum cultum Dei & ſanctificationem Sacramentalem ipſius colentis Deum. 3.13

Sacrificium Miſſæ quomodo non ſit Sacramentum. 5.11

Sacrificia in lege naturæ an fuerint vera Sacramenta. 52.66

Sacrificium malè definitur ab hæreticis. 479.1

Eſt in genere ſigni ſacri. 1. Significat internam hominis ſubmiſſionem & Dei excellentiam. 5. In quo differat ab aliis cultibus. 480.6

In omni Sacrificio interuenit deſtructio aliqua. 7. Qua auctoritate fieri poſſit. 481.10

Sacrificium Deo falſo oblatum eſt verum Sacrificium. 15

Cur mors Martyrum non ſit Sacrificium. 14

In quo reperiatur eſſentia Sacrificij. 211.57. Quomodo in actione conſecratiua. 489.490.61. & 551.64

Quomodo ſumptio pertineat ad eſſentiam Sacrificij. 491.72. In eo tres diuerſæ compoſitiones conſiderantur. ibid. In hoc Sacrificio Miſſæ complexus eſt Deus aliorum Sacrificiorum differentias. 492.75

Hoc Sacrificium non confert ex opere operato veram gratiam. 502.137

Sacrificium oblatum in gratiarum actionem non offertur in rigore pro illo cui collatum eſt beneficium. 511.193. Prodeſt peccatoribus quoad impetrationem. 512.194. Ad effectum ſatisfactionis requiritur ſtatus gratiæ. 195. Hic effectus non reuiuiſcit ſublato obice. ibid. Non requiritur tamen ad illum actualis deuotio. 196. Creſcit hic effectus ex meliori diſpenſatione 513. 200. Diſcrimen inter Sacrificium & ſatisfactionem propriam. 205. Indigentia rei in eo pro quo offertur 514. 209. Exigit applicationem miniſtri. 516.222. Quid fiat de fructu non applicato. 217.225

Schiſmatici.

Schiſmatici plures cur inualidè contrahant. 135.150

Scribonius.

Scribonius ſine vllo fundamento inducit in ſcholam doctrinam ab omnibus Theologis excluſam. 523.64

Signum.

Quid requiritur ad hoc vt aliquid ſit ſignum ad placitum. 10.50

Significatio.

Significatio duplex formalis & fundamentalis. 18.41

Significatio an ſit diuiſibilis, vel indiuiſibilis. 18.40

An vis illa ſignificatiua ſit extrinſeca, vel intrinſeca. 19.44

Vis ſignificatiua Sacramenti componitur ex ipſa entitate rerum & verborum intrinſecè, extrinſecè verò ex ipſa inſtitutione Diuina. 19. 45. Sunt aliqua ſigna naturalia obiectiua. 100.10

Significatio eſt de eſſentia Sacramenti, non vero effectus. 121.49

Spatium.

Spatium imaginarium eſt purum nihil. 256.145

Conſiſtit tantũ in vbiquationibus poſſibilibus in infinitum magis, ac magis diſtantibus. 256.150

Species.

Species intentionales in ipſa anima recipiuntur. 112.53

Species Sacramentales ſaltem partialiter pertinent ad hoc Sacramentum. 182.16. Tamẽ prout condiſtinctæ à verbis non poſſunt habere integram rationem Sacramenti. 187.55

Species ſingulæ in Euchariſtia ſunt integrum Sacramentum & alimentum, non tamen integrum conuiuium. 201.12

Quando poſt ſeparationem non remanet Species panis, non remanet etiam corpus Chriſti. 223.67

Species Euchariſtiæ habent virtutem naturalem ad effectus accidentales, non tamen ad omnes. 334.22. Sicut non negamus actiones Speciebus, ſic non ſunt illis negandæ paſſiones. 335.26

Species in conſecratione ſe habent ex parte termini. 496.99

Speciei vtriuſque conſecratio an ſit de eſſentia huius Sacrificij. 497.100

Stipendium.

Stipendium Sacerdos iure poteſt accipere. 539.1

Non datur in pretium, ſed in ſuſtentationem. 541.13

Stipendia tria in die Natalis poſſunt accipi. 542.18

Stipendium iuſtum quodnam ſit. 542.25

Subſtantia.

Subſtantia ſeparata à quantitate non ſe reduceret ad punctum. 259.167

Subſiſtare eſt exercere munus Subſtantiæ. 163.19

Subſtantiales productiones immediatè non procedunt à ſpeciebus, ſed à Deo. 339.26

Supernaturalitas.

Explicatur quid ſit Supernaturalitas & quotuplex. 178.158

Sumptio.

Sumptio duplex huius Sacramenti, Sacramentalis & ſpiritualis. 394.1

Quodnam ſubiectum ſit capax huius ſumptionis. 3

T

Tempus.

IN Tempore aliquo determinato gratia producitur in Sacramentis. 11.125

Tempus quo licet celebrare, eſt ab aurora ad meridiem. 526.24

Terminus.

Quid ſit Terminum totalem conuerſionis incipere. 299.149. Quid ſit deſinere. 150

Non requiritur productio Termini formalis in conuerſione panis. 301.159

Terminus impetrationis eſt diuerſus à Termino ſatisfactionis. 505.141

D. Thomas.

D. Thomas videtur tantum poſuiſſe in Sacramentis cauſalitatem moralem. 71.98. Vindicatur ab opinione quæ aſſerit Sacramentum miniſtrari poſſe ſine intentione. 124.64

Traditio

Traditio.

Traditio mutua corporum non eſt materia Sacramenti Matrimonij. 14.23

Tranſſubſtantiatio.

Quid intelligatur nomine actionis Tranſſubſtantiatiuæ. 195.94

Tranſſubſtantiatio eſt totius ſubſtantiæ conuerſio. 274.5

Nulla natura Tranſſubſtantiari poteſt in naturam diuinam. 305.184

Tridentinum.

Tridentinum tantùm negat vtramque ſpeciem eſſe neceſſariam. 388.78

V

Valor.

Valor Sacrificij Miſſæ non eſt ſimpliciter infinitus. 520.246

An ſit ex opere operato ſaltem Valor impetrationis. 501.125

Vbiquatio.

Vbiquatio corporis Chriſti in Euchariſtia eſt materialis & ſupernaturalis. 6.29

Vbiquationes non poſſunt replicari. 244.60

Vbiquatio qua aliquid eſt in loco, eſt aliquid poſitiuũ modaliter ſaltem diſtinctum à locato. 247.85. Eſt forma intrinſeca. 250.103

Vbiquationis cauſa eſt grauitas, vel potentia, vel impulſus. 254.125

Vbiquatio non habet reſpectum intrinſecum ad aliud corpus. 256.140. Per ſuam entitatem fundat relationem talis, vel talis diſtantiæ ab alio vbi. 256.149

Vbiquatio aliqua poteſt fortè dari, cuius eſſentia neceſſario requirat quod ſubiectum illius ſit de facto in aliquo ſpatio. 262.179

Vbiquatio Chriſti in Euchariſtia non poteſt per ſe ab vllo alio agente naturali produci. 267.10

Verbum.

Verba vtriuſque coniugis non ſunt ſimul materia & forma Sacramenti Matrimonij. 14.21. In Matrimonio æquiualenter ſunt res. 16.30. Habent vim obligationis, & ſic ad formam: & traditionis, & ſic ad materiam pertinent. 29. Æquiualent traditioni phyſicæ. ibid.

Verba conſecrationis non ſunt forma intrinſeca. 21.58

Quid ſit Verba eſſe conſecratoria & concionatoria. 24.72

Verba non ſunt humana quæ non habent modum ſignificandi humanum. 141.104

Verba conſecrationis pertinent intrinſece ad Sacramentum Euchariſtiæ. 168.47

Verba conſecrationis habent ex præſenti inſtitutione vim moralem ad producendum corpus Chriſti niſi eſſet productum. 296.138

Quid ſit verba dici recitatiuè, quid enuntiatiuè. 361.94

Veritas.

Veritas carnis Chriſti probatur ex verbis conſecrationis. 191.74

Ad Veritatem verborum conſecrationis requiritur tantum quòd faciant corpus Chriſti contineri ſub accidentibus. 285.72

Ex Veritate verborum colligitur deſtructio panis ne multiplicentur miracula. 304.168

Veſtes.

Quæ veſtes ſacræ requirantur ad Sacrificium. 317.98 Quomodo & quando perdatur earum benedictio. 99. Quid dicendum ſit de cingulo rupto. ibid.

Viaticum.

Viaticum poteſt iterum intra eandem ægritudinem dari non ieiuno. 444.64

Vinum.

Quodnam Vinum ſufficiat, quod non ſufficiat ad materiam conſecrationis. 24.8

Vinum congelatum conſecrari poteſt. ibid. 13

Materia Euchariſtiæ non eſt tantum Vinum merum, ſed etiam lymphatum. 221.2

Hoc enim dicitur Vinum. 223.9

Hæc materia eſt Vinum vſuale abſtrahens à mero, & temperato.

Virtualiter.

Virtualiter tantũ diſtingui ſatis eſt illa tria quæ ab Eugenio requiruntur in Sacramentis. 36.3

Vnio.

Vnio omnis phyſica ſupponit aliud incomplementum phyſicum. 266.6

Non poteſt intelligi quomodo vniatur forma & non communicet vllum effectum formalem. ibid.

Vnio non eſt inter corpus Chriſti, & ſpecies. 269.27

Vnio non poſtulat quod in omnibus partibus ſpatij adæquati adſit aliud extremum. 310.6

Vnio hypoſtatica poſtulat eſſentialiter vniri cum Verbo. 312.15

Quæ Vnio realis & vera intercedat inter Chriſti corpus & noſtrum. 394.109

Vniuoca.

Ratio Sacramenti omnibus Sacramentis eſt Vniuoca. 10.47

Voluntas.

Voluntas in cauſa an ſufficiat ad valorem Sacramenti. 130.100

Voluntas vna quomodo ſit magis abſoluta quàm alia quando ſunt duæ contrariæ. 134.121

In quo conſtat hæc maior vniuerſalitas voluntatis. 131.135

Quid dicendum ſit ſi vtraque Voluntas ſit æqualis. 124. Quid ſi vtraque eſſet ſimul. ibid.

Voluntas coacta per metum cadentem in conſtantem virum, non ſufficit ad valorem matrimonij. 142.173

Voluntas virtualis requiritur ſaltem in coniugibus ad contrahendum matrimonium, quia vterque eſt miniſter. ibid.

Vox.

Per quid Vox conſtituatur in ratione ſigni. 19.44

Voces aliquæ ſignificant formam præſentem, aliæ præſcindunt. 329.121

Vſus.

Vſus, ſeu ſumptio Euchariſtiæ non pertinet ad rationem ipſius intrinſecam. 196.102

Vſus in aliis Sacramentis eſt pars Sacramenti; in Euchariſtia verò requiritur tantum vt applicatio. 197.110

Vſus quotidianæ communionis non expedit omnibus indifferenter. 461.8

F I N I S.